Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/paradisusconcion0000unse

R. P. M.

BENEDICTI FIDELIS A S. PHILIPPO

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI REGVLARIS OBSERVANTIS
PROVINCIÆ SICILIÆ PROVINCIALIS

PARADISVS CONCIONATORVM

EX AMOENISSIMIS LECTISSIMISQVE TOTIVS S. SCRIPTVRÆ TEXTIbus, ceu plantis consitus ac constanti, solida, solertique Sanctorum Veterum Patrum, modernorumque præcipuorum Doctorum manu, doctoque calamo excultus, elaboratus & in duas partes diuisus.

HOC EST,

PARS PRIMA

SERMONVM QVADRAGESIMALIVM

IN SINGVLAS TOTIVS QVADRAGESIMÆ DOMINICAS ET FERIAS distributorum, Conceptibus exquisitissimis, ad formandos fidelium mores, virtutesque illorum animis inserendas adaptatis, atque in Scriptura sacra & Sanctorum Patrum authoritate solidè fundatis vniuersim refertorum

QVORVM SINGVLI TRIBVS CONSIDERATIONIBVS SEV SECTIONIBVS, sic dispositis, vt earum per singulas Dominicas & Festa totius anni facilis, frequensque vsus esse possit subdiuiduntur

Ad usum Fratris Joachim Guerrini O.S.A.

Olim Italicè conscripti

Nunc verò Latinitati donati

OPERA ET STVDIO R. P. M. IACOBI EMANS, S. T. D. PRIORIS CONVENTVS *Coloniensis Ord. FF. B. MARIÆ Virginis de monte Carmeli strictioris Obseruantiæ.*

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM BVSÆVM Bibliopolam
ANNO M. DC. LVII.



Ex Libris
ad usum
Fr. Joachim Guerrini,
O. S. F.
CONCESSIS

ILLVSTRISSIMO
ET
EXCELLENTIS. DOMINO,
D. GODEFRIDO
COMITI DE HVYN,
LIBERO BARONI IN GELEEN,
Perillustris Teutonici Ordinis B.V. Mariæ Hierosolymitanæ Equiti, Inclytæ Balliuiæ de Veteribus Iuncis eiusdem Ord. Commendatori Prouinciali Trigesimo sexto, Domino in Gemmerdt, Gruitrath, S. Petri ad Furam, Ordinghen, Hoeselt &c. S. Cæsareæ Maiestatis Camerario, Consiliario bellico, & Campi-Mareschallo &c.

VTraque hæc dictio *Libri & Liberi*, Illustrissime & Excellentiss. Domine, modico, id est, vnico duntaxat grammate vltimæ adiecto differunt. Et merito; Libri namque veluti liberi sunt & mentis partus, animique fœtus edita in lucem volumina. Vnde Clemens Alexandrinus *lib.*1. *Stromatum* verè dixit: *Filij quidem corporum, animæ autem liberi sunt scripta.* Porrò sicut vix natus infans multis exponitur iniurijs ac periculis, ideoque infelicitatem suam ac miseriam veluti præsagiens, eandem vagitu statim testatur & lachrymis: ita nec editus liber à periculis liber est,

 aut

aut à diſcriminibus immunis. Premitur, proſcinditur, notatur, damnatur, ſurripitur. Lachrymas, ſi nō fundit, quia oculos non habet, elicit tamen, & dolorem atque triſtitiam in ſui parentis mente non ſemel parturit. An non de ſurrepto libro, tanquam de filio, magnus ille Pater S. Petrus Cardinalis Damiani *lib. 2. Epiſt.* 6. conqueritur & ingemiſcit: *Tulit,* inquit, *Librum meum, quem velut vnicum filium vlnis vterinæ dulcedinis amplectebar?* Magnis laboribus, aſſiduiſque vigiliis vix librum quis tanquam filium peperit, cum eum curarum patrem experitur atque doloris. Beniamin dexteræque filius liber eſt, dum exaratur: ſed Benoni, doloriſque filius eſt, quia cum dolore paritur, edituſque patri dolorem affert, ſi cōtingat calamorum acuminibus pungi, & linguarum aculeis infeſtari. Vitam ab authore hauſit liber, ſed fit ſollicitudinum & moleſtiarum author authori. Quis liber ab hiſce anguſtiis liber vnquam extitit? Non ego tam fœlix, nec volumen quod edo tam fortunatum, tametſi id Paradiſum fronte & titulo ſuo referat, vt ab his periculis me & illud ſubducere poſſe putem. Etenim verum eſt, me primigeniam libri huius genituram vendicare mihi non poſſe, ſed nec adeo ſum temerarius, vt hanc mihi vendicari velim aut optē, quippe qui ea qua decet ſynceritate, legitimum verumq; eius authorem ſeu patrem libri hu-

ius

ius patulæ fronti ſolemni titulo inſcripſi; veruntamē adoptiui parentis nomen & munus nec dedignor, nec erubeſco; vtpote quem non ſolum diuturna cōſuetudine domeſticum mihi conſtitui, verum etiam magnis laboribus, aſſiduiſque vigilijs quaſi ſecundo genitum, poſita lingua vernacula, Italica nimirum, quam hactenus callebat tantum, vt pluribus proficuè ſeruiret, latinè vt loqueretur erudiui. Quod faciendo magnis vtique periculis librū expoſui, magnis exponit me repetitis natalibus factus nunc liber meus. Timere mihi debeo & libro, & vtriq; conſulere. Quid hic ego igitur? An edito libro tanquā crudelis ſtruthio me in fugā proripiā, & adoptiuum partū meū deſeram? Patris hoc in filiū licet adoptiuum pietas non permittit, nō ſinunt paterna viſcera. Suæ ſaluti non conſulit, qui filij curā negligit. Melius itaque conſilium ineo, vt ab omni diſcrimine, quantū fieri poteſt, opus hoc meum ſurripiam. Deum imitabor, qui hominem ſimul ac in lucē prodierit, ſub Angeli tutelam & cuſtodiam locat, vt ei contra occultas fraudes, & aperta pericula opem ferat, ſitque eius velut nutritius, Dux, Paſtor, & Magiſter. Quærendus ergo & libro cuſtos eſt, ſub cuius tutela & patrocinio per omnem Europæi mundi plagam in offenſo decurrat pede, & ab omnibus præcipitijs, quæ ei ab inuidis animis parantur, abducatur. Sed quis huic muneri oportunior, aut magis idoneus, quam

Illustrissima Excellentia tua? Quæ vita, moribus, & conuersationis integritate omnibus Angelū se probat? Quam Augustissima Cælorum Regina, vtpote suo cultui & venerationi eximiè deditam, è multis Perillustris Baliuiæ Iuncitanæ generosis Equitibus, vnam delegit cui sacrum, Parthenium, & Equestrem Ordinem suum custodiendū, defendendum & gubernandum committeret? Cui Inuictissimi Cæsares FERDINANDUS II. & III. Potentissimus item ac Serenissimus Bauariæ Dux MAXIMILIANUS suos respectiuè exercitus, à quorum prosperitate & salute, tota S.R. Imperij, nec non Augustarum Serenissimarumque Domuum Austriacæ & Bauaricæ salus, fortuna, & spes tota vnicè dependebant, aduersus potentissimam hostium suorum aciem ducendos, summaque cū potestate gubernādos & custodiendos cōmisêre.

Ad te igitur velut Angelum libri huius tutelarem Generosumque Patronum oculos flecto, ad tui patrocinij sinum curro, in tuis manibus partum hunc pono. Sub vmbra tua libri istius, adolescet infantia. Tu tanquam Cherubim spiritalem hunc Cōcionatorum Paradisum custodi, eundemque pro arduarū curarum aliquantulo subleuamine subingredi nonnunquam dignare. Quod equidem te dignanter facturum, tanto mihi confidentius ausum promittere, quanto euidentiora clementis in sacram Religionem nostram, eiusq; alumnos, in me præsertim, licet

id minimè merentem, propensionis, gratiosique affectus testimonia quotidie prodis. Deus bonam hanc in te erga nos voluntatem, ad sancti nominis sui maiorem gloriam, animæque tuæ cumulatius meritum vehementer adaugeat, atque in longæuos annos in omni prosperitate animæ & corporis te Illustrissimo Equestri Ordini tuo Præsidem, nostro verò Mœcenatem, sanum seruet & incolumem. Ita ex cordis fundo precamur omnes, quotquot in Carmelo hoc nostro Coloniensi viuimus Religiosi, atque inter cœteros ego præcipuè, qui ad aras vsque maneo.

Illustrißimæ & Reuerendißimæ Excellentiæ vestræ

Ex Carmelo nostro Coloniensi
2. Martij Anno 1657.

Obligatißimus & obsequiosißimus Cliens,

F. Iacobus Emans Prior Carmelitarum Reformatorum Coloniæ.

Ad Illustrissimum & Excellentissimum Dominum,

D. GODEFRIDVM

Comitem de HVYN, Baronem de Gleen &c.

Equestris Ord. B.M. Hierosolymitanæ, siue Teutonici Baliuiæ Veteris Iunci Equitem

COMMENDATOREM PROVINCIALEM &c.

Inuictum militiæ Heroëm

CARMEN HEROICVM.

TAndem sanguineo viduatus acinace Mauors,
Nostras pacifico distinguit murmure terras,
Et Bellona sinum, qui deuorat omnia, claudit.
Thestylis in pratis, in collibus errat ouile
Tramite securo, nullo insidiante Capellæ
Insidiantur aquis, ad glebas ludit arator
Fronde super viridi, ferrum Vulcanus aratris,
Non gladijs acuit; nitrati pulueris audax
Eludit tonitru modulatâ Pastor auenâ
Bellonam Pallas, Martem disiecit Apollo.
O Pulchram rerum faciem! tumulata resurgunt
Funera templorum, pietas reuocatur auita,
Omnis Oliuifero nutritur ab vbere Teuto,
Sed quid tu non victe COMES? Germania funus
Ostentat Martis, sub quo Duce, tu Generosus
Militiæ Princeps, quoties tua castra Triumphis
Ornasti? quoties gladijs iuuecta Trophæa
Laurigeras vestire manus, Germania plausu
Conspexit? sed nunc sat prata bibêre cruorem,
Ergone victricem hanc tumulabunt otia Palmam?
Absit, ne sit vita vacans, adduco FIDELEM hunc
Ductorem in Cælum, ferat hic post bella quietem.
Hactenus hostili madefacta est sanguine dextra;
Nunc meditans rubeat patientis imagine Christi.
Clara Triumphali tua cinxit tempora Laurus,
Strata cadaueribus pepererunt arua Triumphum,
Murales rutilâ gestasti fronte coronas;
Nunc placeat spinis Christi vestita Corolla
Quam præsens monstro, iaceat Bellona cruentis
Imprægnata malis; tu verte ad sydera vultum.
Crux recreat Christi, quam gestans pectore vesti
Imprimis atque armis, tales post arma Triumphos
Heroës decet; huc oculos, huc adijce mentem;
Tunc indeficiens post fata corona sequetur.

Offerebat Conuentus Carmelitarum Coloniensium Strictioris Obseruantiæ.

ODE LIBRI
AD LECTOREM BENEVOLVM.

Consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim FIDELIS. 1. Corinth. 7.

Vltum siste pium, benigne Lector,
Adsum, qui bene nuncupor FIDELIS,
Diffidis? BENEDICTVS addo, nusquam
Fallax, qui bene-dictus est fidelis.
Merces exhibeo beatiores,
Quam quas Indiacis tumens Phaselis
Nostris littoribus procella defert.
Inuenta hic tibi margarita prostat,
In me Euangelij latet medulla
Tu vende omnia, comparando namque
Quod DO CONSILIVM, tenes vtrumque.
Qui primum Italiæ loquela Hetrúscis
Dispersit, BENEDICTVS est FIDELIS,
Re cum nomine, nunc latinitate
Ornatum parit vrbs COLONIENSIS,
Romæ Filia, Dux scientiarum,
Sedi Catholicæ simul Fidelis.
Huic qui dedit est fidelis EMANS
Ambo Theûlogiæ sacræ MAGISTRI,
Tales quos bene dixeris fideles.
Ergo quid dubitas sequi viator?
Nunquid Consilium fidele præstant?
Est in me via, veritas, decusque
Cælestis patriæ, maris procellas
Ostendo Palinurus, vt nociuas
Sirenum fugias serenitates.
Tu me volue manu, reuolue mente,
Sis Cæli memor, huius & laboris.

Admodum Reverendo & Eximio P.

P. IACOBO EMANS, SS. THEOLOGIÆ DOCTORI, AC S. Facultatis Theologicæ Decano, nec non Conuentus Coloniensis Ord. Carmelitarum Priori meritissimo.

Amantissimo suo Patri idem Conuentus lusit.

PRÆFATIO INTERPRETIS AD Benignum Lectorem.

SOlemne fuit Diuini illius Platonis prouerbium, candide ſyncereque Lector, hominem non ſibi ſolum natum eſſe, ſed partim patriæ, partim amicis, partimque alijs hominibus. A qua ſententia ipſa quoq; Stoicorũ ſchola non recedit, aſtruens homines hominũ gratia conditos eſſe, vnde ſibi mutuo tenentur & obſtringuntur iuuaminis beneficio. Porro ſi naturale mentibus noſtris infuſum lumen idipſum nobis oſtendit, quanto potius Chriſtianus homo hoc ſibi perſuaſum habere debet, quem lex diuina, proximum diligendum eſſe docet. Quod cum identidem mecum ſæpe ſæpius reuoluerem, conſiderans quo officij genere vtilis eſſe proximo poſſem & Chriſtianæ Reipublicæ inſeruire cum tot viderem præſtantiſſimos Concionatores qui eas quas in diuerſis Italiæ vrbibus ex vmbone Eccleſiæ magno cum auditorum applauſu, animarumque copioſo fructu pronuntiauerant conciones, lingua ſua vernacula, id eſt, in Idiomate Italico typis editas in publicam lucem diuulgarunt, in Germania nulli ferè Concionatorum vtiles aut proficuos eſſe poſſe ob Italici Idiomatis imperitiam, adeoque exquiſitiſſimos eorundem conceptus Doctrinaſque morales varias, curioſiſſimas & vtiliſſimas ſub modio quaſi ſepultas deliteſcere, ſæpe ſæpius vehementer indolui, nullum inueniri qui illum ſibi pro communi Concionatorum bono laborem vendicaret, quo ſimiles præclari concionatores è tenebris eruti latino ſermone imbuerentur, vt hac ratione paſſim omnium vſui deſeruire poſſent. Tãdem licet non neſciam quanta ſit Ingenij viriumque mearum tenuitas & imbecillitas, deſiderio tamen & amore ſtudium Cõcionatorium promouendi victus, in eam deſcendi animi ſententiam operæ pretium me facturum, ſi ſucciſiuas horas quas mihi tametſi occupatiſſimo ſuffurari poſſem, in ſimilium authorum verſionem collocarem. Hac igitur mente ante biennium R. P Thomam Reinam è Soc. Ieſu Italiæ Demoſthenem latinitate donaui; Nunc vero præſtantiſſimum virum R. P. Benedictum Fidelem à S. Philippo Tertij Ord. S. Franciſci Regularem Obſeruantem, alterum Italiæ Chryſologum ex Italo vt omnibus paſſim vtilis eſſet, latinum reddidi, ac denique vt per totius anni decurſum tam pro Dominicis quam Feſtis diebus frequentiſſime tibi ſeruire poſſet, copioſiſſimis *Indicibus*, magno vtique ſtudio & labore locupletaui.

Porro Paradiſi nomen libro indidi, vt vel ipſo nominẽ delinitus ad eius amœnitates atque delitias terrenis abire iuſſis, Lector accurreres ac citus aduolares. Nullus hic Cherubim qui arceat, nemo qui aditum inhibeat, vt in illo terreſtri. Omnia quæ in hoc ſacro Paradiſo clauduntur inuitant ad ingreſſum, vniuerſæ illius voluptates voces quædam ſunt, quibus allliceris & vocaris. Deſine ijs delitijs innutriri, quibus vitia nutriuntur, eas ama, eas ſectare quibus alũtur virtutes probiq; mores. Hæ tibi hic offerũtur, vt qui in terreſtri Paradiſo cum Adamo cecideras, & vetiti pomi eſu ingentem vitiorum fomitẽ traieceras, & deglutiueras, in hoc ſpirituali ad vitam reſurgetes. Aptior viro Eccleſiaſtico, præſertim Diuini verbi prædicatori hortus non inuenitur, quam ſit S. *Scriptura* & *SS. Patres* eius interpretes. Hic nobile illud S. Caroli Borromæi dictum ſupprimi non debet. Huic enim cum diceretur, horto ei opus eſſe amœnoque pomario iuxta domum Archiepiſcopalem, ad quod poſt longos labores & multas ſui muneris curas ſe conferret, & pauliſper feſſum ſollicitudinibus animum recrearet qui inter flores arboreſque floreret, & in

lætitiam

lætitiam germinaret, aureum istud protulit Apophtegma: *Episcopi hortus atque pomarium S. Scriptura est.* Ita refert Ioannes Petrus Iussanus in eius vita *lib. 8. cap. 27.* Vere cultissimus hortus imo Paradisus eius mens, dum terrenos hortos ita spreuit, & spiritalem hunc de quo loquimur Paradisum tanti fecit. Præsulum, Pastorum & Prædicatorum delitiæ & voluptates spiritales esse debent, peritura & superuacuæ ablegandæ omnino ac respuendæ. Meminerint isti Diuinam scripturam eiusdemque Commentarios *Sacerdotalem librum* dici à B. Ambrosio lib. 3. de fide cap. 7, quia licet omnium sit S. Scripturam eiusque Interpretes versare, hoc tamen maxime ad sacerdotes spectat, curatos & prædicatores, vt istud sit velut quoddam eorum insigne, sacræque dignitatis ac muneris Character. Probe id nouit Apostolus, qui morti licet proximus, librum tamen postulauit. Sic enim Timotheo scripsit *Veniens affer tecum libros* 2. ad Timoth. 4. Quid inquies opus libris morituro? dixerat enim v. 6. ibid. *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Respondet Eminentissimus Hugo Cardinalis Carensis: *Vt essent ei solatio in tribulatione, & vt alijs daret exemplum studendi. Et est argumentum pro studio, aut enim volebat studere non obstante morte imminente vel alijs studium commendare.* Sic ille. Scilicet morti vicinus libros exposcit, ex quibus hauritur vita. Discant à Pastore Pastores, à prædicatore prædicatores. Ad Paradisum redeo.

Ante cuius ingressum hoc te monitum velim, amice Lector, quod rerum delitias hic habeas vnde verborum ne requiras. Nobis eadem cum S. Basilio mens, qui Epist. ad Diodorum ita censuit: *Ipsa dictionis simplicitas, nullo artificio constans decere mihi visa est propositum Christiani non magis ad ostentationem, quam communem vtilitatem scribentis.* Ad hanc nos vbique spectauimus, illā penitus à nostræ mentis finibus expulsam cupimus: abstinuimus igitur ab exquisito dictionis cultu, & adscita sermonis paratura. Ij elegantioris styli ornatum quærant, quibus de verbis quam de rebus maior cura est. Damnauit Christus ficulneam, quia onusta folijs ad vmbram, fructibus destituta erat, nos quoque opus, si verba tantum habeat, quæ ostentationis vmbram iactent, fructibus vero viduum sit quibus legentis animus nutriatur. Probe huc respexit Petrus Abbas Cellensis lib. de Panibus in Prœmio. *Fructum*, inquit, *in ficulnea, non folia tantum quæro. Absit enim vt vmbram solum & non escam pareat arbore cultura nostra.* Hæc ille de suis libris, hæc ego de nostro; maximeque in spiritali hoc Paradiso id agendum erat, à quo infœcunditas omnis magis abesse debet, quam ab illo terrestri.

Deni que tametsi nulli pepercerim labori & diligentiæ ad arcendū ab huius Paradisi limine quicquid ab imperita Typographorum turba vitiorum siue erratorum libris passim aspergi & inferi solet id tamen obtinere minime potui, quin heu nimia vitiorum erratorumque colluuies ab eorundem incuria in Paradisum hunc inuecta fuerit. Tu idipsum mihi condonabis, cui id vti facile conijcies quam vehementissime displicet; Memor esto nec ipsum quidem Paradisum terrestrem Diuina licet manu consitum atque plantatum omnis prorsus pecati maculæ immunem fuisse, quin potius quicquid in nobis etiamnum imperfectionis latet, & in opera nostra deriuatur a peccato in illo Paradiso commisso suam trahere originem. Tu interim bonam ac pronam te tuaque studia promouendi voluntatem æqui bonique consulito, meque tuis orationibus commendatum habeto vale & fæliciter viue.

FACVL-

FACVLTAS ADMODVM R.P.PROVINCIALIS.

NOs Fr. Antoninus à Charitate humilis Prior Prouincialis Fratrum Ord. Gloriosæ Virginis Mariæ de monte Carmeli Prouinciæ Allemaniæ inferioris, per præsentes Facultatem damus, & quantum pro maiori meritorum cumulo opus est, in virtute S. Obedientiæ præcipimus Reuerendo P. Magistro F. Iacobo Emans S.T.D. & Priori Carmeli nostri Coloniensis vt typis mandet Paradisum Concionatorum siue Considerationes Quadragesimales in singulas Dominicas & Ferias totius Quadragesimæ R. P. M. Benedicti Fidelis à S. Philippo quas ex Italico idiomate in Latinum conuertit. In quorum fidem &c. Datum in eodem Carmelo nostro Coloniensi 8. Martij Anno 1657.

Fr. Antoninus à Charitate qui supra.

APPROBATIO ORDINARII.

PAradisus Concionatorum, seu sermones Quadragesimales R.di P. M. Benedicti Fidelis à S. Philippo Tertij Ordinis S. Francisci Regularis Obseruantiæ, & Prouinciæ Siciliæ Prouincialis, ex Italico idiomate in Latinum translatus, opera & Studio R.di P. M. Iacobi Emans S. Theologiæ Doctoris, Prioris Conuentus Coloniensis Ordinis FF. B. MARIÆ Virginis de monte Carmelo Strictioris Obseruantiæ; Cum nihil contineat quod Romanæ & Orthodoxæ fidei aut bonis moribus repugnet, sed potius omnia Sancta & vtilia, eundem publici boni causa communem fieri typisque committi posse concedo. Coloniæ Agrippinæ 8. Idus Martij 1657.

Adrianus de VValenburch Metrop. Ecclesiæ Colon. Presbyter Canonicus, & Censor librorum Ordinarius.

AVTHOR BENEVOLO LECTORI. S.

TAmetsi quod te attinet, Humanissime Lector, vsquequaque certus esse nequeam, quonam cum vultu, tristine an iucundo, applaudente an verò fastidiente præsentes meos excepturus sis labores, quos in tuum communeque aliorum beneficium, nec non ad dandum aliquod priuatorum studiorum meorum specimen, prælo mediante, publici iuris esse volui; tum quia partus sunt proprii ingenij, quod in suarummet rerum iudicio decipi haud infrequenter solet; tum etiam quia in eâdem, de qua hic scribo, materia subiecta nonnullos hodie legentium manibus peruolui video authores, qui exquisitis adeo compositiones suas locupletarunt conceptibus, vt ab omnibus siue legentibus siue easdem auscultantibus particulari cùm applausu recipiantur. Attamen quia vna ex parte satis superque constat quanta cum velocitate & facilitate materiæ è sacro Ecclesiæ vmbone tractari solitæ inueterascant, adeo vt non famosi duntaxat prædicatores, verum & prudentes solertisque ingenij auditores, antiqua, tametsi non admodum obsoleta, fastidire, ad nouos verò nec hactenus auditos conceptus, quam maximè anhelare conspiciantur: ex altera verò parte conscius mihi sim totum id quod in hoc libro oculis tuis scriptum obiicio, ita proprij ingenij mei laboribus, non verò aliunde comparatum esse, aut emendicatum, vt absque iniuria ijs annumerari nequeam, quibus à Deo dicitur: *Furantur verba mea vnusquisque à proximo suo.* Quemadmodum enim dum sacrum hocce exercitium auspicarer, talentum illud quod Deus Opt. Max. pietate sua hac in materia mihi dignatus est concredere, ex singulari proposito & intentione, insigni cum fœnore tractare statui & exercere: ita otiosam quoque illam semper execratus sum corniculam, quæ dum alienis se venustare plumis parabat, vituperosa tandem catastrophe, quanta easdem cum verecundia ac pudore suo sibi acquieuisset, cognouit. Ob hasce, inquam rationes, certissimè mihi persuasum habeo, fore vt eosdem labores meos minimè sis contempturus. Quod si verò hunc peruoluens librum, forte fortuitò in conceptum aliquem alibi à te vel lectum vel auditum incideris, caue tamen sis, ne ob id me furto mihi vendicasse existimes; memor enim sis oportet, in omnibus rerum scribendarum materijs, & quidem in hac præcipuè eosdem haud infrequenter

ſibi mutuò vltrò citroque, apud diuerſos licet ſcriptores, occurrere conceptus, eaſdemque diuerſis licet intelligendi modis inuentiones, tametſi de alterius conceptu alter prorſus neſcius; id quod in ſimili caſu haud dubiè mihi accidiſſe, benigne iudicabis.

Prætereacum hæ conſiderationes meæ pro maiori ſua parte ex ſanctorum Patrum, aliorumque ſacrorum interpretum deriuentur fontibus, quorum lectioni induſtrie ſemper incubui, vt meis viam ab inde ſternerē conceptibus qui alias ingeniorum modernorum guſtui velut ſanguidi deſiperent; ideo haud difficile fore duxi, vt inter tot qui etiamnum à te hodie leguntur authores, ſuus quoque hiſce conſiderationibus locus apud te reliquus eſſet. Quod ſi adhæc huius compoſitionis meæ difficultatem obſeruaueris & laborem quem in hoc ſcriptionis genus adhibui, minimè de tua mihi humanitate perſuadere poſſum, quin cordi tibi etiam atque etiam futura ſit; Quippe qui ad hoc vt tibi cum poſſibili cum breuitate & perſpicuitate abundantiam ſuбminiſtrarem conceptuum, tot tamque varijs induſtriè conquiſitis argumentis, omnes conſiderationes meas ſum exornare & polire conatus. Et quod potiſſimum eſt in hoc quem maximè contendi, vt conceptuum vnus abſque declinatione vel minima à principali argumento, idem demum cum altero concluderet, vt vel ſic tot tantaque in eandem conſiderationem coaceruata loca, in vnum eundemque ſcopum collimantia, laborem ad hoc ex parte mea requiſitum tantò tibi integrius probarent.

Inſuper obſeruandum eſt omnes tres conſiderationes in quas ſingulos ſubſecui ſermones, in ſuis quaſque introductionibus, ita inter ſe vnitas eſſe & ordinatas, vt prædicator quilibet abſque vllo vlteriori labore, vnam quandam ex illis ordinate cōpoſitam concionem facili habere negotio poſſit, id quod nullus prædicatorum qui huic ſcribendi generi hactenus admouit calamum, quantum mihi fas eſt recordari, hucuſque obſeruauit; quin potius omnes propoſitiones ſuas confuſo ordine interruptas reliquerunt & diſmembratas. Vt proinde velut ſiniſtrum valdè infortunatumque euentum interpretaturus eſſem, ſi hic labor noſter non æque ac aliorum ad optatum fauoris & applauſus portum apud te pertingere poſſet. Quod ſi tamen labori id noſtro præter omnem expectationem accideret, omnique deſtitueretur applauſū, adhuc tamen animo minimè deſponderem, ſed cum Theodoreto in Epiſtolam Pauli potius dicerem: *Nos quoque tanquam culices vna cum illis apibus per prata Apoſtolica bombum edentes circumuolemus.*

Nec eſt quod te offendat ſi nonnunquam in hoc opere ex ſacris Scripturæ ſanctorumque Patrum pratis, ad gentilium aliorumque prophanorum ſcriptorum, qui tu proſa tum ligato verſu plura poſt ſe ſcripta reliquerunt, campos me diuertentem conſpexeris; ſcire namque debes me hac in re conſuetum aliorum plurium morem conſectari: vt enim vtilis tibi ſim atque proficuus, curioſo nimiſque delicato lectorum quorumdam me palato ſiue guſtui accommodo, qui ad diuini verbi hamum inuiti accedunt, niſi illum varietatis Doctrinarum curioſarum eſca obuolutum conſpexerint. Imò ſanctorum Doctorum Auguſtini videlicet Hieronymi Baſilii, pluriumque aliorum præcepto hac in re morem gero, qui ab oratore Chriſtiano expe-

ctant, vt flores campi è spinis seligens, sacris eosdem Narcissis polliceat, sicque pollicentur futurum, vt adhibiti in serti sui confectionem laboris minimè pæniteat.

Omitto hic tibi rationem reddere cur vulgari & vernaculo sermone, nostro in hoc opere vti placuerit, quippe qui eodem in id totus intendo vt opus istud legatur & intelligatur ab omnibus, vt si forte contingeret idipsum sublimibus ingenijs, quæ longe alio quam quod in conuallibus nasci assolet, pabulo nutriuntur, non arridere, mediocribus saltem ingeniis minimè displiceat. Porro eodem hoc fine, vt videlicet communi omnium satisfaciam expectationi terminos omittas scholasticos sensusq; allegoricos, totusque sum in litteræ explicatione, elegantissimas inde eliciendo moralitates, quæ pulcherrimos, vtilissimos, vniuersimque ab omnibus desideratos parere solent conceptus.

Quod si autem ne sic quidem zoilos sim euasurus, qui sumptuum laborumque in opus istud collocatorum zelatores, Hetruscique sermonis periti videri volent: sciant quotquot sunt eiusmodi me nequicquam illos morari: liceat enim illis per me quidquid libet, neque enim censuris suis vel minimum quidem nocebunt, siquidem non explicandis immoror poëmatibus, aut describendis historijs, nec alienis in peregrinam linguam transferendis operibus, sed potius pro animarum instructione sacra declaro & considero Euangelia, in quo exercitij genere nullus, vt ait S. Ambrosius in cap. 31. Prouerb. esse alicui debet ab grammaticis timor aut metus. *Dum populi instruuntur, grammatici ne timeantur.*

Certus sum insuper zoilis prædictis consensuros alios qui Momi vocantur, qui haud alio considerationes hasce lecturi sunt fine, quàm vt Vulcani in fabrica hominis demonstrent errorem; aut alium Neptuni informatione Tauri, aut calceamenta repræhendant Veneris. Homines omni profecto cōmiseratione dignissimi, vtpote quorū similes actines otiosorū duntaxat, delicatarumque eiusmodi personarum sunt propriæ quæ nullis alijs intendunt negotijs, præterquam illis quibus nulla siue difficultas inest, aut labor: cuiusmodi actio est, aliorum redarguere seu emendare velle labores. Nihil enim tam facile, inquit Rupertus Abbas, quàm otiosum & dormientem de aliorum labore & vigilijs disputare.

Neque tamen ideo doctorum sapientumque virorum correctionem subterfugio, quorum redargutionibus lubens libensque pronas dare aures aueo: imo reapse temerarius adeo nequaquam oro, vt ex operibus meis (quorum nonnulla de facto in ordinem bonum redacta habeo) aliqua in lucem publicam edam, nisi ab ijsdem de illis prius monitus fuero, quo in præsenti notari aut sugillari possunt opere, vt vel hac ratione, sapienti ipsorum suffragante iudicio in lucem edatur correctum & emendatum. Primum verò supremumque locum defero censuræ sanctæ Matris Ecclesiæ Romano-Catholicæ, cuius correctioni humilis promptusque, quicquid in hoc opere scripsi, aut deinceps gratia diuina auxiliante scripturus sum, prona mente submitto. Tu interim viuito fæliciter.

FACVLTAS

Reuerendissimi Patris Magistri F. Ludouici Ciotti Generalis Tertij Ordinis S. Francisci Regularium Obseruantium F. Ludouicus Ciotti Doctor Theologus, Fratrum Tertij Ordinis S. FRANCISCI Generalis & seruus.

Considerationes super Euangelia totius Quadragesimæ in vsum prædicatorum Verbi Dei, ab admodum Reuerendo Patre Magistro Benedicto Fideli composita, iudicio P. Bonauenturæ Giansabella Theologi ordinis nostri (cui illas reuidendi particularem curam dedimus) iudicatæ sunt dignæ quæ pro communi omnium beneficio mandarentur in lucem, vtpote quæ optimis ingeniosisque, ijsdemque insigni sanctorum Patrum Doctrina confirmatis sunt plenæ conceptibus, nec quicquam in se continent quod Christianæ pietati moribusque bonis conforme non sit. Vnde prædictam relationem attendentes, quantum ad officium nostrum spectat facultatem concedimus, vt opus prædictum typis mandari valeat. In quorum fidem præsentes manu nostra propria subscripsimus, solitoque sigillo nostro communiuimus. Datum Romæ in Conuentu nostro SS. Cosmæ & Damiani. 12. Octobris Anno 1635.

F. Ludouicus Ciotti Generalis.

(Locus Sigilli.)

Fr. Ioannes Vincentius de Palermo Secretarius.

APPRO-

APPROBATIO R. P. MELCHIORIS BALDVCCI E SOCIETATE IESV Philoſophiæ & Sacræ Theologiæ Lectoris.

EX Commiſſione Reuerendiſſ. Domini D. Vincentij Dominici Archidiaconi & Vicarii Generalis, recognoui librum, cuius inſcriptio eſt: Conſiderationes ſuper Euangelia Quadrageſimalia ad vſum Prædicatorum Patris Magiſtri Benedicti Fidelis à S. Philippo Tertii Ordinis S. Franciſci, & in eo non modo nihil inueni quod Fidei Orthodoxæ aut bonis moribus non ſit conſonum; verum etiam animaduerti eſſe opus minime vulgare, ſed ſatis elaboratum, grauibus ſelectiſque ſententiis refertum. Vnde exiſtimo illud fore perutile, ac proinde dignum quod typis mandetur. Panormi 18. Aprilis Anno 1635.

Melchior Balducci Societatis IESV.

INDEX

Authorum illorum qui in hac operis prima parte citantur.

A.

Abraham Rabbinus
S. Adeodolinus Episcopus
Ælius Spartanus
S. Ælredus Abbas
Æsopus
Albertus Magnus
Aldus Manutius
Alcuinus
Alexander de Ales
Alexander Neapolitanus
Aliacus Cardinalis
Aloysius Lippomanus
Alphonsus Tostatus
S. Ambrosius
Ambrosius Calepinus
Amolarius Fortunatus
Anastasius Sinaita
Andreas Alciatus
S. Andreas Archiep. Cretensis
S. Andreas Archiepiscopus Cæsariensis
Andreas Tiraquellus
Angelus Politianus
S. Anselmus
S. Antiochus
S. Antonius Magnus
S. Antonius de Padua
S. Antoninus Florentinus
Apollonius
Apophtegmata Patrum
Aquila
Arias Montanus
Aristoteles
Arnoldus Abbas
S. Athanasius
Athenæus
S. Augustinus Episcopus Hipponensis
Aulus Gellius
Author operis imperfecti

B.

S. Basilius Magnus
Beda
Berengosius Abbas
S. Bernardus
S. Bernardinus Senensis
S. Bonauentura
Breuiarium Romanum
S. Brigitta
S. Bruno Carthusianorum Patriarcha.

C.

Cælius Augustinus
Cælius Rhodiginius
S. Cæsarius Arelatensis
Cæsar Baronius
Cæsar Ripa
Christophorus à Castro.
Claudianus
Clemens Alexandrinus
Cornelius Iansenius
Chronicon S. Francisci
S. Cyprianus
S. Cyrillus Alexandrinus

D.

S. Dionysius Areopagita
Dionysius Carthusianus
Diodorus Siculus
Dio Cassius
Diogenes Laërtius
S. Dorotheus Episcopus
Drego Cardinalis

E.

Egesippus

S. Ephrem

S.Ephrem
S.Epiphanius
Eusebius Cæsariensis
Eustachius Presbyter

F.

Faustus Poëta
Felix
Fortunatus Episcopus
Fortunatus Fidelis
S.Franciscus Patriarcha noster
Franciscus Petrarcha
Franciscus Titelmannus
S.Fulgentius

G.

S.Gaudentius
Gilbertus Abbas
Gilbertus Genebrardus
S.Germanus Patriarcha
Glossa ordinaria
S.Gregorius Archiepiscopus
S.Gregorius Magnus
S.Gregorius Nazianzenus
S.Gregorius Nyssenus
Guilielmus Abbas
Guilielmus Durandus
Guilielmus Parisiensis
Guilielmus Pipinus

H.

Haymo Episcopus
Herodotus Halicarnassæus
Herodianus
S.Hilarius
S.Hieronymus
Hieronymus Oleaster
Historia tripartita
Horatius
Hugo Ætherianus
Hugo de S.Victore
Hugo Cardinalis

I.

Iacobus Diaconus
Iacobus de Valentia
Iacobus Sannazarus
Iaspar Sanctius
Idiota
S.Ildephonsus
S.Ignatius Martyr
Innocentius tertius
S.Ioannes Chrysostomus
Ioannes Bocacius
Ioannes Boterus
Ioannes Damascenus
Ioannes Diaconus
Ioannes Æmilianus
Ioannes Gerson
Ioannes Lorinus
Ioannes Maldonatus
Ioannes Monachus
Ioannes Pineda
Iosephus Iudæus
Iouinianus Pontanus
S.Isidorus
Isidorus Clarius
Iulius Capitolinus
Iulius Florus
Iulius Pollux
Iustinus Historicus

L.

Lactantius Firmianus
S.Laurentius Iustinianus
Laurentius Surius
S.Leo Magnus

M.

Macrobius
Marcus Tullius
Marcus Varro
Marcus Polus
Martialis
S.Maximus
Michael Ayguanus Carmelita
Missale Romanum
Moyses Barcepha

Rabbi

Rabbi Moyses

N.

Natalis Comes
Nicolaus de Lyra
S.Nilus

O.

Oecumenius
Olimpiodorus
Origenes

P.

S.Panthaleon
Paraphrasis Chaldaica
S.Paschasius
S.Paulinus
Paulus Iouius
Paulus Orosius
Paulus Wann
Petrus Abbas Cellensis
Petrus Aliauis Cardinalis
Petrus Berchorius
Petrus Canisius
S.Petrus Chrysologus
Petrus Comestor
S.Petrus Damianus
Petrus Matthæi
Petrus Valerianus
Philippus Abbas
Philo Hebræus
Philostratus
Plato
Plautus
Plinius secundus
Plinius Nepos
Plutarchus
Polydorus Virgilius
Psalterium Romanum

Q.

Quintus Curtius

R.

Rabanus
S.Remigius
Rupertus Abbas

S.

Rabbi Salomon
Sanctes Pagninus
Sebastianus Barrada
Seneca
Septuaginta interpretes
Seuerus Sulpitius
Symmachus
Symeon Metaphrastes
Simon Maiolus
Sophronius Episcopus
Statius
Suetonius Tranquillus

T.

Tertullianus
Terentius
Theodoretus
Theophilactus
S.Theophilus Patriarcha
S.Thomas Aquinas
S.Thomas Cantuariensis
Thomas Caietanus
Thomas de Kempis
Thomas Fazelius
Tigurina Translatio
Timotheus Presbyter
Titus Bostrensis
Titus Liuius
Torquatus Tassus
Triphiodorus Ægyptius

V.

S.Vincentius Ferrariensis
Vincentius Cartarus
Virgilius
Vitæ sanctorum Patrum
Vrbanus IV.
Vulcatius Gallicanus

Z.

S.Zeno

INDEX

Considerationum quæ in hac prima parte tractantur.

FERIA 4. Cinerum.

1. Qui in mundo fingere nescit viuere nescit: in domo Dei verò qui fingere nescit, verè is viuere nouit. pag. 2

2. Eleemosyna adeò mirabiliter Eleemosynarium exaltat atque magnificat, vt illum ad sanctitatis statum euehat & beatificet in cælo. Imò quod magis stupendum est, illum quasi Deificare videtur. pag. 7

3. Anima potius ibi est vbi amat quam vbi animat. pag 11

FERIA 5. post Cineres

1. Charitas erga proximum colorem habet in oculis sanctorum adeo pretiosum vt nihil illa pretiosius reperire valeant, vt proinde pro ipsa omne bonum creatum libenter deserant, vbicumque illud demum sit siue in cælo siue in terra. pag. 17

2. Bonæ famæ odor thesaurus est adeo pretiosus vt pro illius conseruatione quoduis aliud bonum meritò contemnatur. Maximique semper æstimatus est à sanctis & à Deo qui tanta pro illius conseruatione præstat, qualia ad nullam alterius instantiam præstiturus esset. pag. 21

3. Sicut Deo optimè placent qui suæ se voluntati accommodant; ita maxime displicent qui id facere detrectant. pag. 27

FERIA 6. post Cineres.

1. Quemadmodum Cor odio inimicum prosequens non humanum, sed ferinum cor est; ita inimicum suum diligens non tantum amissam formam recuperat, verum insuper angelicum quoque apparet esse & diuinum. pag. 32.

2. Sicuti homo per vindictam monstrosas adeo sibi manus adsciscit, vt bestiales esse videantur & diabolicæ: ita qui beneficus est ijs à quibus mala recepit, non solum ad pristinã illas formam reducit, sed ipsas angelicas quoque facit & diuinas, pag 38

3. Sicuti lingua quæ aduersus inimicum laxatur, inhumana est & bestialis: sic dum inimici seruitio impenditur, non solum esse reacquirit humanũ, verum insuper in angelicã & diuinam se linguã transformat. pa. 42

SABBATO post Cineres.

1. Purissima Beatissimæ Virginis Deiparæ Conceptio ex verbis Gabrielis Archangeli ad B. Virg prolatis, probatur. pag. 47

2. Maternitas Dei achilleum est in confirmationem immaculatæ Conceptionis Reginæ cælorum argumentum; pag. 54

3. Tametsi Deipara Virgo immunis ab omni peccato extiterit, non tamen inde sequitur ipsam à peccato non fuisse redemptam. pag 58.

DOMINICA 1. Quadragesimæ.

1. Ieiunium non solum est magnus sanctitatis magister: sed insuper in ipsius schola homines sancti & perfecti maiorem sanctitatem & perfectionem acquirunt, longeque admirabiliores euadunt; ita vt existentes in terra in diuinis tamen fauoribus ipsis quoque angelis & Paradisi comprehensoribus æquales esse demonstrentur. pag. 63

2. Gula ingens quædam pœna est, quæ omnis generis spurcities in animam hominis secum attrahit, specialiter autem graueolẽs ac fœtidum morticinum carnalitatis. pag. 68

3. Sicut Deo tanto plus displicet gula, quanto abstinentia magis placet; ita Diabolo tantò vehementius hæc displicet, quanto plus ista placet. pag. 72

FERIA 2. Post Domin. 1. Quadragesimæ.

1. Quod si vnaquæque maiestas terrorem coniunctum habet, facilis est coniectura quàm terribilis futura sit diuina maiestas, quando mundum iudicatura sedebit. pag. 78

2. Quod si creaturæ sensus expertes, illæque quæ nullam timendi causam habent adeò ad diuinam timeant tremantq; præsentiam: quantus igitur sceleratorum hominum coram irato & indignabundo Deo congregandorum timor futurus erit; pag 83

3. Quod si vox Dei placati est insupportabilis, qualis irati Dei vox erit; pag. 90

FERIA 3. Post Domin. 1. Quadragesimæ.

1. Deus homo factus vt magno IESV nomini aptè correspondeat, vltrò se ad patiendum & moriendum in crudelium inimicorum suorum manus tradere voluit. pag. 95

2. Deus ad misericordiam tunc magis est pronus, cum vehementius irascitur. pag. 100

3. Sollicitudinis viã ingredi debet, quisquis diuinas vult possidere gratias. pag. 108

FERIA 4. Post Domin. 1. Quadragesimæ.

1. Adeo enorme est adulationis vitium, vt diabolicum potius esse videatur quam humanum. pag. 114

2. Qui cupidus est sciendi quod ad se nõ pertinet, ruinam quam minimè præuiderat sibi adsciscet. pag. 119

3. Vir nobilis & sceleratus est flagellorũ, quibus aliqua affligi potest Respublica, maximum. pag. 124

FERIA 5. Post Domin. 1. Quadragesimæ.

1. Deus in preces nostras nunquam descendit, nisi videat linguam in iis fundendis concorditer consentire cũ corde. pa. 131

2. Ad signum vel scopum gratiæ quæ à Deo postulatur, male collimatur nisi collimans sese humiliet. pag. 137

3. Adeo efficaces sunt apud Deum orationes sanctorum, vt Deum nonnunquam licet inuitum & reluctantem concedere cogant, quod suis in orationibus exposcunt pag. 141.

FERIA 6. Post Dominicam 1.

1. Adeo excœcati sunt homines mundi huius, vt sine proprij interesse perspicilio ne ipsum quidem Deum cognoscãt pa. 147

2. In mundo tot tantique sunt traditores, vt nec Patres in Filijs, nec filij in parentibus suis fidelitatem reperiant. pag. 152

3. Tam multæ & magnæ sunt hominum mundi huius, ad respondendum vanitatibus suis obligationes, vt pro Dei seruitio exhausti semper inueniantur & aridi. pag. 155

SABBATO Post Dominicam 1.

1. Magna Dei mater, MARIA Virgo adeo sublimata & euecta est in altum, vt omnes tam in cælo quàm in terra creatas substantias sub se habeat. pag. 161

2. Puritas serenissimæ Angelorum Reginæ, quam Deus à primis sæculis in suis Maioribus præparabat & disponebat, adeò fuit admirabilis, vt ne vel minimus vnquam in ea notatus sit defectus, qui illam vel obscuraret aut deturparet. pag. 163

3. Splendores quibus virgineæ matris vultus continuò irradiabatur postquam fulgentissimum Iustitiæ solem in ventre suo conclusit, magis semper magisque increscebant, fueruntque valde admirabiles. pag. 170.

DOMINICA 2. Quadragesimæ.

1. Beata gloriæ patria altum adeo à nobis protenditur & elongatur, vt nec linguas nec vocabula habere valeamus, quæ illam aliqua saltẽ ex parte explicare possint. p. 176

2. Quantum bona illa quæ in mundo isto possidemus sunt instabilia; tantundem è contra stabilia sunt bona illa quibus fruemur in cælis. pag. 181

3. Quod si pulchritudo Ciuitatis gloriæ cælestis à sanctis viatoribus posset videri, hæc vtique adeò illis foret admirabilis, vt præ lætitia & exultatione inde concepta stupefacti remanerent, & præ nimio excessu desiderii reuidendi illam morerentur p. 185

FERIA 2. Post Dominicam 2.

1. Tametsi breuissima sit vita hominis, ideoque nullus longam sibi diuturnamque vitam promittere possit: maximè tamen decipiuntur, qui cum insuper videant sæuum peccati carnificem illos à tergo insequentem, longos sibi nihilominus dies promittere ausunt. pag. 191

2. Quisquis peccatum vsque in decrepitam obstinatè continuat ætatem, facilius pilos mutabit quam vitium. pag. 196

3. Qualis in vita sua quisque fuerit, talis & in morte erit. p. 200

FERIA 3. Post Dominicam 2.

1. Non solum sacerdotalis dignitas cum regia Maiestate de præcellentia contendit; verum insuper ad illud sublimitatis fastigium extollitur, vt sub se sceptra regiasque teneat coronas. pag. 204

2. Sacerdotes veluti totidem Angeli sunt, quibuscum Deus Ecclesiam suam ad similitudinem Paradisi decorauit pag. 209.

3. Sacerdos in mundo est viuum quoddam & verum Filij Dei IESV Christi Domini nostri simulachrum. pag. 215

FERIA 4. Post Dominicam 2.

1. Mulier non est tantum conuenientissimum ad hominem præcipitandum, Dæmonis instrumentum; sed etiam est velut alter quidam Diabolus. pag.218

2. Dum ambitio hominem in altum extollit, non illum exaltat, sed præcipitat potius. pag.226

3. Nemo quoadusque viuit præsumere, seque de salute propria assecurare debet, quippe qui in continuo sui ipsius perdendi versatur periculo. pag.230

FERIA 5. Post Dominicam 2.

1. Auaritia veluti labyrinthus quidam, vitium est quodãmodo incorrigibile, quisquis enim in illius inciderit laqueos, exinde nõnisi miraculose extricare se poterit. p.236

2. Semper Christianus subiacebit tribulationibus, quamdiu perseuerauerit esse sanctus. pag.242

3 Impossibile est vt qui labyrinthum inferni semel fuerit ingressus, viam inde egrediendi inuenire possit. pag.247

FERIA 6. Post Dominicam 2.

1. Pro animæ firma custodia tanti refert timor Dei, vt si ille non esset, in extremam ipsa ruinam ageretur, conformiter illi Prouerbio: Timor custodit vineam. pag.252

2. Tametsi Angeli, vtpote beati, dolore affici nequeant, tanta nihilominus est eorundem affectio qua feruntur erga hominem, vt de malis quæ homini accidunt mœstos se exhibeant atque dolentes. pag. 258.

3. Suorum Deus tam fortis est protector, vt eosdem non tantum ex ore lupi, sed etiam per ipsummet os lupi eruat atque defendat. pag.262.

SABBATO Post Dominicam 2,

1. Quia serenissima nostra cælorum Regina electa fuit in dignum Dei habitaculum, opus erat, vt nõ tantũ incomparabili, sed & miraculosâ dotata esset pulchritudine. p.269

2. Impossibile est vt is qui sub vmbra protectionis magnæ Dei matris viuit, aliquam pati necessitatem possit, qualiscumque illa demum sit. pag.275

3. Deipara securissimum est peccatoribus præsidium seu locus refugii, peccator enim qui sub eius tectũ recurrit à diuinæ iustitiæ ense feriri seu lædi minimè poterit. pag.279

DOMINICA 3. Quadragesimæ.

1. Odium quo Dæmon in hominem fertur, tantum est, vt sicut maius habere gaudium nequit, quàm dum affligit aut afflictum esse conspicit hominem: ita quoque maiorem experiri nõ potest dolorẽ, quam dum à Deo ab homine affligendo impeditur. p.285

2. Sicut nihil esse melius potest lingua hominis applicata ad bonũ, sic eàdem ad malũ applicata aliquid deterius esse nequit. p 292

3. Quod si peccatori daretur miserum animæ suæ statum conspicere, vtiq; peccato suo nequaquam tamdiu insordesceret; pag.296

FERIA 2 Post Dominicam 3.

1. Locus cui dominatur inuidia velut infernus quidã est, tot refertus Dæmonibus quot inuidis cernitur esse occupatus. p.303

2. Terra & aqua tanto peccatum odio prosequuntur, vt hominibus peccato obnoxiis ordinarium sæpe victum ministrare detrectent. pag.307

3. Qui diuinas gratias, quibus modo aliquo indigni existunt, obtinere prætendunt, misere decipiuntur. pag.312

FERIA 3 Post Dominicam 3.

1. Diuini oris dulcedinem habere debet os illud quod pro salutari proximi correctione aperiendum est. pag.316

2. Nihil vtilitatis præstabunt qui animarum vacant saluti, ex motiuo interesse seu commodi proprij. pag.320

3. Peccatum quædam est animæ pestis, cuius contagium omnibus adhæret, qui aliquod cum committente illud, commercium habent. pag.325

FERIA 4. Post Dominicam 3.

1. Rector pessionatus maximus est Reipublicæ alicuius inimicus. pag.330

2. Adeo est Rectori necessaria sapientia, vt minus malum censeri debeat Tyranni alicuius regimen, quàm regimen ignorantis. pag.336.

3. Iudicum auarorum recipere, prædari est, & non recipere. pag.342

FERIA 5. Post Dominicam 3.

1. Pœnæ purgatorij adeò sunt graues & acerbæ, vt meritò magnus censeri debeat idiota & ignorans, qui peccatorum suorum in hac vita emundare & expiare valens maculas, easdem in alterã vitam reseruat expiandas. pag.345

2. Peccator pænitens non iam deinceps is est qui erat delinquens, sed longè alius à se diuersus. pag. 351

3. Paradisum inter & animam tribulatam nihil interijcitur quod illam ex hac vita migrantem à clara Dei visione impedire possit aut retardare. pag. 357

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ

Quæ in hac prima parte accuratius expenduntur & illustrantur.

Genesis

Capite 1.

V. 11. Germinet terra herba virentem. Feria 3. post Dom. 1. consid. 2. num. 12.

v. 16. Fecit Deus luminaria magna in firmamento cæli, luminare maius, vt praeesset diei. Fer. 3 Dom 1. cons. 1. n. 11.

v. 24. Dixitque Deus: producat terra omnem animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia & bestias terræ Fer. 6. Dom. 1. c. 1 n. 13.

v. 28. Dominamini piscibus maris & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram Fer. 2 Dom. 1. c. 1. n. 1.

v. 29. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam. Dom. 1. c. 3 num. 6.

Cap. 2.

v 5. Non enim pluerat Dominus super terram, & non erat qui operaretur terram, sed fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ Fer. 2. Dom. 3. c 2. n 12.

Cap 3.

v 8. Et cum audisset vocem Domini deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius. Fer 2. Dom. 1. c. 3. n. 8 & Fer. 3. Dom 1. c. 2. n. 7.

v 9 Eo quod nudus essem abscondi me. Sabbat. Dom. 2. c. 1 n. 3.

v. 16. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus, in dolore paries filios. Fer. 3 Dom. 1. c. 2. n. 8.

v. 24. Collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem. Fer. 4. Dom. 3. c. 1. n. 6.

Cap. 4.

v. 4. Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius: ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Fer 5 Ciner. Consid. 3. n. 9.

v. 8. Et dixit Cain ad Abel fratrem suum: transeamus in campum Transl sept. Fer. 2. D. 3. c. 2 n. 8.

v. 20. Tunc cœptum est inuocari nomen Domini. Transl. Pagn Fer 6 Dom 2. Cons. 1. n 3.

v. 23. Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum Fer. 2 Dom. 2. c. 2. n. 7.

Cap. 6

v. 1. Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent: videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant. Dom. 1. Quadr cons 2. n. 9.

v. 7. Delebo hominem quem creaui, à facie terræ. Fer. 3. Dom. 1. cons. 2. n. 4.

Cap. 7.

v. 20. Quindecim enim cubitis altior fuit aqua super omnes montes quos operuerat. Fer. 3. D. 3. c. 3. n. 8.

Cap. 10.

v 8. Porrò Chus genuit Nemroth, ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino. Fer. 4. ciner. consid. 1. n. 3.

Cap. 12.

v. 15. Viderunt Ægyptii mulierem quod esset pulchra, & nuntiauerunt Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum. Fer. 6. Dom. 2 c 2 n. 7.

Cap. 13.

v. 8. Ne quaeso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus. Fer 6. post cineres. Consid. 1 n. 7.

v. 14. Dixitque Deus ad Abraham, postquam diuisus est ab eo Loth.

Cap. 15.

v. 1. Noli timere Abraham, ego protector tuus & merces tua magna nimis. Dom. 2. consid. 1. num. 10.

Cap 18.

v. 1. Ambula coram me & esto perfectus. Sabb. Dom. 1. cons 2. n. 3.

v 16. Abraham simul gradiebatur deducẽs eos Fer. 6. Dom. 2. cons. 1. n. 6.

Cap. 19.

v. 4. Viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem, omnis populus simul. Fer. 2. Dom 2. cons 2. n. 8

v 21. Non subuertam vrbem pro qua locutus es. Fer. 2. D. 3. in exord n. 1.

v 24. Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de caelo, & subuertit ciuitates has. & omnem circa regionẽ. Fer. 3. D. 3 c. 3. n. 2.

v. 36. Conceperunt duæ filiæ Loth de patre suo. Dom. 1. Quadr. c. 2. n. 11.

Cap. 22.

v. 2. Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac. & vade in terrã visionis, atq; ibi offeres eum in holocaustum Do. 3. Quad. Cons. 3. n 3.

v. 16. Per memetipsum iuraui, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi. Fer. 5. cinerum. Cons. 3. n. 4.

Cap. 27.

v. 40. In pinguedine terræ & in rore caeli erit benedictio tua, viues in gladio & fratri tuo seruies Fer. 4. D. 3 c. 2. n. 2.

Cap. 28.

v. 12. Vidit in somnis scalam stantem super terram & cacumen eius tangens caelum. Fer. 5. D. 3. c. 3 n. 3.

Ibid. Angelos Dei ascendentes per eam. Fer. 5. D. 3 c. 3. n. 3.

v. 17. Quam terribilis est locus iste? Non est hic aliud nisi domus Dei & porta caeli. Fer. 2. D. 2. c. 2 n. 9. & Fer. 6. Dom 2. in Exord. n 1.

Cap. 32.

v. 3. Sic loquimini Domino meo Esau. Fer. 5. Dom. 1. c. 2. n. 4.

v. 26. Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Fer. 5. Dom. 1 c. 3 n. 6.

v. 28. Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel. Fer. 5. D. 3. Cons 2. num. 5.

v. 30. Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Fer. 2. D. 1. C 2. n. 8.

Cap. 33.

v. 10. Si inueni gratiam in oculis tuis accipe munusculum de manibus meis: Sic enim vidi faciem tuam quasi viderem vultum Dei. Fer. 4. cin. C. 2. n. 5.

Cap. 34.

v. 1. Egressa est Dina vt videret mulieres regionis illius. Fer. 1. D. 1. C. 2. n. 7.

v. 5. Quod cum audisset Iacob absentibus filiis suis, & in pastu pecorum occupatis siluit. Fer. 5 cin. Cons. 2. n. 6.

Cap. 38.

v. 23. Habeat sibi, certè mendacij arguere nos non potest; Ego misi hœdum quem promiseram, & tu non inuenisti eam Fer. 5. cin. C. 2. n. 4.

Cap. 40.

v. 14. Memor esto mei per temetipsum cum bene tibi fuerit, & facies in me misericordiam & memor eris mei Transl septuag. Fer. 4. D 1. C. 1. n. 7.

Cap. 43.

v. 6 In meam fecistis miseriam, vt indicaretis ei, & alium habere vos fratrem. Fer. 4. Dom. 3. C. 1. n. 1.

Cap. 47.

v. 9. Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali. Do. 2. C. 2. n. 6.

Cap. 50.

v 18 Veneruntque ad eum fratres eius, & proni adorantes in terram, dixerunt: serui sumus. Fer. 6. Dom. 1. C. 1 n. 6.

Exodi

Cap. 3.

v. 3. Transibo & videbo visionem hanc. Fer. 5. D. 1. C. 1. n 4.

Cap. 4.

v. 13. Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Fer. 4. D. 2. C 2. n. 6.

Cap. 6.

v 23 Accepit autem Aaron Elisabeth filiam Amminadab sororem Naason. Fer. 3 D. 2. C. 1. n. 4.

Cap. 7.

v. 1. Constitui te Deum Pharaonis. Fer. 5. D. 1. C. 2 n. 9.

Cap. 9.

v. 18. Mane consurge, & sta corã Pharaone & dicas

dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorũ, en pluam eras &c. Fer. 3. D. 1. C. 2. n. 1.

Cap. 12.

v. 13. Erit autem vobis sanguis in signum in ædibus in quibus eritis, & videbo sanguinem, & videbo vos, &c. Sabbat D. 1. C. 3. n. 2.

Cap. 14.

v. 13 Nolite timere, state & videte magnalia Dei, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, Fer. 5 D 1. c. 3 n. 5.

Cap. 16.

v. 12. Loquere ad eos, vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus, & scietis quod Ego sum Dominus Deus, Fer. 4. cin. C. 2. n. 9.

Cap. 17.

v. 5. Transi coram populo Fer. 6. D. 2. c 2. n. 2.

Cap. 20.

v. 3. Non habebitis Deos alienos coram me. Fer. 6. D. 3. C. 1. n 3.

v. 18. Cunctus autem populus videbat voces. Fer. 2. D. 1 C. 3. n. 4.

v. 19. Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus Fer. 2. D 1. c. 3 n. 3.

Cap. 23.

v. 10. Faciamque te in gentem magnam. Fer. 3. Dom. 3. c. 2. n. 6.

v. 20. Ecce ego mittam angelum meum qui præcedat te & custodiat in via, Fer. 6. cin. C. 1. n. 16.

Cap. 24.

v. 42. Facies & fæminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ à renibus vsque ad femora, & vtantur eis Aaron & filii eius, Fer. 4. D. 1. c. 2. n. 9.

Cap. 27.

v. 2. Et facies cornua in quatuor angulos, & facies coronam altari. Transl. Septuag. Sabb. D. 2. C. 1. n. 4.

Cap. 28.

v. 33 Deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies, Fer. 3. Dom. 2. C. 1. n 10.

Cap. 29.

v. 46. Eduxi eos de terra Ægypti vt manerẽt inter illos. Sabb. Cinerum, c. 2. n. 7.

Cap. 32.

v. 2. Tollite inaures aureas de vxorum filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me, Fer. 6 D. 1. C. 3. n. 9.

v 7 Peccauit populus tuus, feceruntque sibi vitulum conflatilem & adorauerunt. Fer. 2. D. 1. C. 2. n. 9.

v. 10. Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleã eos. Fer. 5. D. 1. C. 3. n. 7.

v. 31. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti, Fer. 5. Cinerum C. 1. n. 9.

Cap 33.

v. 13. Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem, D. 1. C. 1. n. 12.

v. 18. Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet, D. 2. C. 3. n. 12.

Cap. 38.

v. 8. Fecit labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. Dom. 1. C. 3. n. 2.

LEVITICI

Cap. 2.

v. 11. Ne quicquam mellis adolebitur in sacrificio Domini, Fer. 5. cin. C. 2. n. 8.

Cap. 5.

v. 11. Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est, Fer 5. D. 1. C 3. n. 2.

Cap. 13.

v. 6. Et die septimo contemplabitur, si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum, quia scabies est: lauabitque homo vestimenta sua & mundus erit, Fer. 5. cin. C. 1. n. 9.

Cap. 14.

v. 21. Quod si pauper est, & non potest manus eius inuenire quæ dicta sunt, pro delicto assumet agnum in oblationem, Fer 6. Dom 1. C. 3. n. 7.

NVMEROR.

Cap. 10.

v. 9. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant aduersus vos, clangetis vlulantibus tubis, Fer. 4. cin C. 1. n. 11.

Cap. 11.

v. 1. Et accensus in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem: cumque clamasset populus ad Moysen, orauit Moyses ad Dominum, & absorptus est ignis. Fer. 5. D. 1. C. 3. n. 4.

Cap. 12.

v. 13. Obsecro Domine, non imponas nobis hoc peccatum, quod stultè commisimus, Fer 5. Dom. 1. C. 2. n. 3.

Cap. 14.

v 16. Non poterat introducere populum in terram pro qua iurauerat, idcircò occidit eos in solitudine, Fer. 5 cin. C. 2. n. 11.

Cap. 16.

v. 20 Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, & ait: separamini de medio congregationis huius, vt eos repente disperdam, Fer. 5. D. 1. C. 3. n. 8.

Cap.

Cap. 20.

v.24. Ego quod incredulus fuit ori meo ad aquas contradictionis. Fer. 3, D. 2, c. 2, n. 10.

v.25. Tolle Aaron & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor: cumque nudaueris Patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius. Fer. 2, D. 2, c. 3, n. 3.

Cap. 21.

v.8. Fac serpentem aneum & pone eum pro signo. qui percussus aspexerit eum, viuet. Fer. 2, D. 3, c. 3. n. 4.

Cap 22.

v.12. Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus est. Fer. 4, D. 1, c. 1, n. 5.

v.19. Obsecro vt hic maneatis etiam hac nocte, & scire queam quid mihi rursus respondeat Dominus. Fer. 5, D. 2, c 1 n 8.

v.20. Si te inuocauerint homines isti, surge & vade cum eis. Fer. 5, D. 2, c. 1, n. 9.

v.32. Veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihiq; contraria. Fer. 6, D. 2, c 2, n. 7.

Ibid. Cur tertio verberas asinam tuam? Fer. 6, D. 1, c. 2, n. 9.

v.36. Quod cum audisset Balac, regressus est in occursum eius, in oppido Moabitarum. Fer. 6, D. 1, c 1, n. 3.

Cap. 23.

v.20. Moriatur anima mea morte iustorum & fiant nouissima mea horum simillima.

Cap. 24.

v.25. Surrexitque Balaam & reuersus est in locum suum; Balac quoque via qua venerat rediit. Fer. 6, D. 1, c. 1, n 3.

Cap. 27.

v.15. Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc Fer. 4, cin c. 1, n. 4.

v.18. Tolle Iosue filium Nun, in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum qui stabit coram Eleazaro. Fer. 2, D. 2, c. , n. 8.

DEVTERONOMII.

Cap. 3.

v.24. Domine Deus tu cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuam &c. Transibo igitur & videbo terram hanc optimam. Fer. 5, D. 2, c. 2, n. 9.

Cap. 18.

v.15. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus. Fer. 2, D. 1, c. 3, n. 1.

Cap. 24.

v.10. Cum repetes à proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingrediaris domum eius, vt auferas pignus, sed stabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit. Fer. 4. D. 1, c. 2. n. 4.

IOSVE.

Cap. 7.

v.15 Quicunque in hoc facinore fuerit deprahensus, comburetur igne. Fer. 5. D. 3. c. 3. n. 8.

Cap. 10.

v.26. Percussitque Iosue & interfecit eos atque suspendit supra stipites. Fer. 2. D. 3. c. 2. n. 6.

Cap. 20.

v.3. Separate vrbes fugitiuorum. Fer. 2. D. 3. C. 2. n. 4.

IVDICVM.

Cap. 5.

v.4. Domine cum exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, cœli ac nubes distillauerunt aquis Fer. 2, D. 1. c. 2. n. 2.

Cap. 13.

v.20. Intellexit Manue angelum Domini esse, & dixit ad vxorem suam, morte moriemur. Fer. 2. D. 1 c. 2. n. 6.

Cap. 16.

v.15. Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum. Fer. 4. cinerum, c. 3 n. 4.

Cap. 18.

v.21. Qui cum pergerent, & ante se ire fecissent paruulos, & iumenta, & omne quod erat pretiosum. Fer. 5. cin. c. 2, n. 2.

I. REGVM.

Cap. 1.

v.1. Fuit vir vnus de Ramathaim. Fer. 3, D. 2, c. 1, n. 2.

Cap. 14.

v.24. Maledictus vir qui comederit panem vsque ad vesperam. Dom. 1, c. 3, n. 4.

Cap. 16.

v.18. Et respondens vnus de pueris ait: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere & fortissimum robore &c. Fer. 4, cinerũ. c. 1, n. 5.

2. REGVM.

Cap. 1.

v.9. Sta super me & interfice me, quia tenent me angustiæ Fer. 2, D. 2, c. 1, n. 10.

Cap. 6.

v.14. Dauid saltabat totis viribus ante Dominum. Fer. 3, D. 1, c. 1. n. 7.

Cap.

Cap. 8.

v. 18. Filii autem Dauid sacerdotes erant. Fer.3.D.2.c.1.n 3.

Cap. 11.

v.3. Misit ergo Rex & requisiuit que esset mulier. Fer.4.D 1.c.2,n.1.

Cap. 15.

v. 6. Furabatur Absalon corda virorum Israel. Transl. Pagn. Fer.4.D.1.c.1.n 12.

Cap. 16.

v.8. Egredere vir sanguinum & vir Belial &c. Fer.6.cin.c.2.n.3.

Cap. 18.

v.13. Sed etsi fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, & tu stares ex aduerso. Fer.6.D.1.c.V.n.9.

v.15. Harens in quercu cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum. Fer.2.D.3.c 2.n.2.

3. REGVM.

Cap. 1.

v.18. Fecit Salomon thronum de ebore grandem. Sab.D.1.c.1.n.3.

Cap. 2.

v.37. Quia interfecit duos viros iustos [illegible]liores que se &c. Fer.4.D.3.c.1.n.7.

Cap. 6.

v.23. Fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum. Fer.4 cin.c.2.n. 6.

Cap. 10.

v.19. Et dua manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas. Fer.2.Dom.1.c.2.n.10.

Cap. 11.

v.11. Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum & pracepta mea, qua mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Fer.3. D 1.c.3.n 4.

Cap. 13.

v.24. Erat cadauer eius proiectum in itinere, asinus autem iuxta illum, & leo stabat iuxta cadauer. Fer.2.D.2.c.1.n 13.

Cap 17.

v.1. Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros vel pluuia nisi iuxta oris mei verba D.1.c.1.n.8.

Cap. 21.

v.4. Et proijciens se in lectum suum auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem. Fer 4 D.1.c.3 n.10.

v.19. Pradicate ieiunium, & sedere facite Naboth inter principes populi D.1.c.1. n.3.

4. REGVM

Cap. 1.

v.4. Hac dicit Dominus: De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morteris. Fer.2. D.2.c.1.n.8.

Cap. 19.

v.35. Venit angelus Domini & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Fer.6.cin.c.2.n 9.

v 37. Cumque adoraret in templ. Nesroch Deum suum, Adramelech & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio.

1. PARALIPOMENON

Cap. 15.

v.16. Dixit Dauid principibus Leuitarum, vt constituerent de fratribus suis cantores, in organis musicorum, nablis videlicet, lyris & cymbalis Fer 5.D.1.in exordio sermonis.

ESTHER.

Cap. 3.

v.2. Cumque serui Regis qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua & adorabant Aman, sic enim praceperat imperator: solus Mardochaus non flectebat genua, nec adorabat eum. Fer.4.D.1.c.3.n.11.

IOB

Cap. 1.

v.5. Cumque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad illos Iob, & sanctificabat illos: consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. D 1.c.2 n.1.

v.11. Extende paululum manum tuam, & tange cuncta qua possidet, &c. Dom 3.c.1 n.12.

Nisi in faciem benedicat tibi. D.3.c.2.n 11.

v.12. Ecce vniuersa qua habet in manu tua sunt &c.

v.16. Ignis Dei cecidit de calo, & tactas oues puerosque consumpsit, & effugi ego solus vt nuntiarem tibi. D.3 c.2.n.9.

Cap. 2.

v.6. Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua. Fer.6.D.2.c.2.n.8.

v.9. Dixit autem illi vxor sua, adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo & morere. Fer 4.D.2.c.1.n.13

v.10. Ipse vero respiciens eam. Transl. septuaginta. Fer.4.D.2.c.1.n.9.& 11.

v.11. Audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo: condixerant enim vt pariter venientes, visitarent

rent eum, & consolarentur. Fer. 6, D. 2, C 2. n. 8.

Cap. 3.

v. 3. Dies ille vertatur in tenebras, nec requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine, Sabb. cin. c. 1, n. 8.

Cap. 10.

v. 4, Nunquid oculi carnei tibi sunt?

v. 12. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, Sabb. cin, c. 1, n. 11.

Cap. 13.

v. 24. Cur faciem tuam abscondis & arbitraris me inimicum tuum? Fer. 5, D. 3, c. 1, n. 9.

Cap. 14.

v. 15, Vocabis me, & ego respondebo tibi, Fer. 2. D. 2, c. 2, n. 4.

Cap. 17.

v. 13, Infernus domus mea est, Fer. 5, D. 3, c. 1. n. 10.

Cap. 19.

v. 21, Miseremini mei, miseremini mei quia manus Domini tetigit me, Fer. 5, D 3, c. 1. n. 7.

Cap. 33.

v. 27. Respiciet homines & dicet: peccaui, verè deliqui, & vt eram dignus non recepi, D. 3. c. 3. n. 12.

Cap. 38.

v. 12, Nunquid ostendisti auroræ locum suum, Sabb. D. 1, c. 1, n. 6.

PSALMORVM

Psal. 2.

v. 8, Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam omnes terminos terræ, Reges eos, in virga ferrea,

Psal. 7.

v. 9. Si reddidi retribuentibus mihi mala decidam meritò ab inimicis meis inanis, Fer. 4, D. 3, c. 1. n. 8,

Psal. 8.

v. 3, Ex ore infantium & lactentium, perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem, Fer. 6, D. 2, c. 2, n. 9,

Psal. 17.

v. 4, Laudans inuocabo Dominum, Fer. 4. D. 1, c. 1, n. 13.

v 6 Dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis, Fer. 2, D. 3, c. 1 n. 5.

Psalm. 18.

v. 6. Exultauit vt gigas ad currendam viam, Fer. 3, D. 1, c. 1, n. 10.

Psal. 24.

v. 11. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim, Fer. 3, D. 1. c. 1. n. 5.

Psalm. 26.

v. 2, Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas. D 3, c 1. n. 17.

Psal. 30.

v. 6, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, Fer. 3, D. 1. c. 2, n 1.

Psal. 31.

v. 5. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, Fer 5, cin. c. 3 n. 5.

v. 8, In chamo & fræno maxillas eorum constringe. Fer 2. D. 2, c. 1, n 12.

Psal. 36.

v. 24. Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam Fer. 4, D. 2. in exordio sermonis.

Psal. 37.

v 6. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. D. 3. c 3. n. 4.

Psal. 38.

v. 6, Ecce mensurabiles posuisti dies meos, Fer. 2. D. 2, c. 1, n. 2.

Ibid. Et substantia mea tanquam nihilum ante te, Fer 2, D. 1, c. 1, n. 11.

Psal 41.

v. 2. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. D. 2, c. 2, n 8.

v. 4. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, Fer. 5, D. 2, c. 2, n 6.

Psalm. 45.

v. 6. Deus in medio eius non commouebitur, Fer. 4, D. 3, c. 1. n. 3.

Psal. 49.

v. 5. Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia, Fer. 4, cin. c. 2, n. 4.

v. 20 Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, Fer. 6, cin. c. 3, n. 2.

v. 21. Arguam te & statuam te contra faciem tuam, D. 3, c. 3. n. 6.

Psal 50.

v. 16. Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ, D. 1, c. 2. n. 7.

Psal. 54.

v. 13. Si inimicus meus maledixisset mihi sustinuissem vtique: Tu verò homo vnanimis, Fer. 3, D. 2. c 3, n. 7.

Psal 55.

v. 9. Deus vitam meam annunciaui tibi: posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, Fer. 5, cin. c. 3, n. 2.

Psal 61.

v.11. *Diuitiæ si affluant nolite cor apponere.* Fer. 4, cin. c. 3. n. 3.

Psal. 64.

v. 12, *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ,* Sabb. D 1, c. 1, n. 2.

Psal. 65.

v. 16, *Ad ipsum ore meo clamaui & exaltaui sub lingua mea,* Fer. 5, D. 1, c. 1, n 12.

Psal. 67.

v. 11, *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* D. 2, c. 1, n. 3.

Psal. 68.

v. 24, *Obscurentur oculi eorum & dorsum eorum semper incurua.*

Psal. 72.

v. 20 *In ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

v. 25, *Quid enim mihi est in cælo?* Dom. 2, c. 1. n. 8.

Psal. 73.

v. 20, *Animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem,* Fer. 5, D. 3, c. 1, n. 11.

v. 8. *Incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui,* Fer. 4, D. 1.

Psal. 76.

v. 2. *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Deũ, & intendit mihi,* F 5, D. 1, c. 1, n. 11.

Psal. 77.

v. 25, *Panem Angelorum manducauit homo,* Fer. 4, cin. c. 2, n 8.

Psalm. 78.

v. 8, *Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus,* Fer. 2, D. 1, c. 2, n. 16.

v. 13, *Vt quid destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes,* Fer. 6, D. 2, c 2, n. 1.

Psal. 80.

v. 2, *Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob,* Sabb. cin. c 1, n 9.

v. 7. *Diuertit ab oneribus dorsum eius,* Sabb. cin. c. 1, n 9.

Psal. 85.

v. 2, *Custodi animam meam quoniam sanctus sum,* Fer. 4 cin. c. 2, n. 3.

Psal. 86.

v. 7, *Sicut lætantium omnium habitatio est in te,* Sabb. D. 2, c. 3, n. 1.

Psalm. 87.

v. 16, *In laboribus à iuuentute mea.* Fer. 5, D. 2, c. 2, n. 1.

Psal 88.

v. 21, *Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius,* Fer. 3, D. 3, c. 1, n. 10.

v 25, *Veritas mea & misericordia mea cum ipso,* Fer. 6, cin. c. 2, n. 11.

Psal. 98.

v. 3, *Confiteantur nomini tuo magno,* Fer. 3. D. 1. c. 1, n 2,

Psal. 101,

v. 7, *Factus sum sicut Nicticorax,* Fer. 2, D. 2, c. 1. n. 7.

v. 19. *Potum meum cum fletu miscebam,* Fer. 3, D. 2, c. 3, n. 5.

Psal. 102.

v 5, *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.*

Psal. 103.

v 4, *Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.*

v. 18. *Petra refugium Herinaceis.*

Psal. 105.

v. 17. *Aperta est terra & deglutiuit Dathan.* Fer. 2, D. 3, c. 2, n 7.

Psal. 122,

v 2. *Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, &c* Fer. 6, D. 2, c. 1, n. 7.

Psal 131.

v. 3. *Quia illic mandauit Dominus benedictionem & vitam,* Sabb. cin. c. 1. n. 10.

Psal. 136.

v. 1, *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* D. 2, c. 2, n. 2.

Psal. 138.

v. 5, *Formasti me & posuisti super me manum tuam.* Fer. 3. D 2, c. 1, n. 6, & Sabb cin. c. 1, n. 15.

Psal. 141.

v. 2, *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum,* Fer. 6, cin c. 3. n 4.

v 5, *Considerabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognosceret me,* Sabb. D. 2, c. 2. n. 2.

Psal. 144.

v. 15, *Oculi omnium in te sperant Domine,* D. 1. c. 2, n. 5.

Psal. 149.

v. 6, *Et gladii ancipites in manibus eorum,* Fer. 2, D 1, c. 2, n. 11.

PROVERBIOR.

Cap. 7.

v 26. *Via inferi domus eius penetrantes interiora mortis* Fer. 4, D. 2. c. 1, n. 3.

Cap. 8.

Cap. 8.

v.7, Veritatem meditabitur guttur meum. Fer.5, D.1, c.1, n.5.

v.23, Ab æterno ordinata sum. Sabb.cin.c.2, n.8.

Cap. 22.

v.6, Prouerbium est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea. Fer.2, D.2, c.2, n.3.

Cap. 30.

v.26, Lepulculus plebs inualida. Fer.4, D.3, c.2, n.10.

CANTICORVM

Cap. 1.

v.2, Oleum effusum nomen tuum. Fer.3, D.1, c.1, n 8.

v 9, Collum tuum sicut monilia. Sab.D.2, c.1, n.7.

v.10, Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Sabb cin.c.1, n.16.

v.11, Dum esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum. Sabb.cin.c.1, n 13.

v.12, Fasciculus myrrha dilectus meus mihi. Sabb cin.c.3, n.5.

Cap. 2.

v.1, Ego flos campi & lilium conuallium. Sab. cin.c.3, n.3.

v.11, Surge propera amica mea, & veni, iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit.

Cap. 4.

v.8, Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni coronaberis. Sabb.cin c.2, n.5.

v.9, Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Sabb.cin.c.3, n.6, & Feria 5, D.1 c.1, n.2, & 5.

v.11, Fauus distillans labia tua sponsa: mel & lac sub lingua tua. Fer.6, cin.c.3, n.6.

Cap. 5.

v.12, Vox dilecti mei pulsantis. Fer.2, D.1, c.1, n.4.

v.13, Genæ illius sicut areolæ aromatum. D.1, c.3, n 1.

Ibid. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. Fer.3, D.3, c.1, n.3.

v.16, Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis. D.2, c.1, n.4.

Cap. 6.

v.3, Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem. D.2, c.3, n.1.

v.9, Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens pulchra vt Luna, electa vt sol. Sabb.cin c.1, n 14. & Sabb. D.1, c.3, n.6 & Sabbath D.2, c.1, n.11

Cap. 7.

v.2, Venter tuus sicut aceruus tritici. Sabb. D.2, c.1, n.11, & ibid.c.3, n.9.

v.4, Collum tuum sicut turris eburnea. Sab. D.2, c.3, n.6.

Cap. 8.

v 10, Et vbera tua sicut turris. Sabb.D.2, c.2, n 9. & ibid.c.3, n.4.

SAPIENTIÆ

Cap. 5.

v.17, Accipient regnum decoris & diadema speciei de manu Domini D.2, c.3, n 1.

Cap. 6.

v 10, Ad vos Reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam. Fer.4, D 3, c.2, n.5.

ECCLESIASTICI

Cap. 24.

v.8, Gyrum cœli circuiui sola & profundum abyssi penetraui, in fluctibus maris ambulaui. Fer.5, D.3, c.1, n.8

v.15, Et sic in Syon firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui & in Ierusalem potestas mea. Sabb.D.1, c.2, n.8.

v.23, Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. Sabb.D.1, c.1, n.7.

Cap. 28.

v.15, Susurro & bilinguis maledictus. D.3, c.2, n.10.

v.16, Lingua tertia multos commouit. Fer.4, D.3, c.3, n.8.

Cap. vlt.

v.30, Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam. D.3, c.2, n.1.

ISAIÆ

Cap. 1.

v.8, Derelinquetur filia Syon sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario Fer.3, D.3, c.2, n.10.

v.23, Principes tui infideles socij furum omnes diligunt munera. Fer.4, D.3, c.3, n.2.

Cap 2.

v 8, Repleta est terra argento & auro, & non est finis thesaurorum eius, & repleta est terra eius idolis. Fer.3, D 3, c.3, n.3.

Cap. 3.

v.4, Dabo pueros principes eorum. Fer.4, D.3, c.2.n.11.

v.7, In domo mea non est panis, nolite me constituere principem populi Fer.4, D.3, c.2, n.1.

Cap.6.

v.1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum &c.* Fer.2.D.1.c.1.n.2.

v.2. *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni & sex alæ alteri, duabus volabant, &c.* Fer.2. D.3.c.1,n.14.

v.6. *Et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari,* Sabb.Dom.2,c.3,n 7.

v.10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & corde suo intelligat, & conuertatur & sanem eum,* D.3,c 3,n.3.

Cap.7.

v.11, *Peto tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni,* Fer 5,D.1,c n.8.

v.20. *In die illa radet Dominus in nouacula conducta, &c.* F.3,D,1.c.2,n 6.

Cap.12.

v.1. *Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi,* Fer 5,D.3,c.3,n 4,

Cap.14.

v.13. *Super astra Dei exaltabo solium meum, sedabo in monte testamenti, &c.*

Cap.18.

v.2. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam, ad populum terribilem.* F.2,D.3. c.1.n.4.

Cap.22.

v.18. *Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam,* F.2 D.2. c.1.n.6.

Cap.31.

v 8 *Cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum.* Fer.6.cin.c.2,n. 5.

Cap.33.

v.7. *Angeli pacis amarè flebunt,* Fer.6 .D.2. c.3.n.3.

Cap.37.

v.15. *Excutit manus suas ab omni munere,* Fer 4,D.3,c 3.n 1.

Cap.38.

v.10. *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi,* Fer.4.D.2.c.3.n.3.

Cap.46.

v.6. *Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis, conducentes artifices vt faciant Deum.* Fer.6 D.1,c.3,n 10,

Cap.52.

v.7. *Quam pulchri sunt super montes pedes, annunciantis & prædicantis pacem!* Fer.3 D.3. c.2.n 9.

Cap.58.

v.3 *Quare ieiunauimus & non aspexisti: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra,* Fer.5 post.cineres.C.3 n.6.

Cap.59.

v.5. *Telas araneæ texerunt.* Fer.4 D.1.c.3. num.3.

v 15 *Et vidit quia non est vir, & aporiatus est, quia non est qui occurrat.* Fer.3,D.1.c.2.nu. 13.

Cap.62.

v.11. *Ecce saluator tuus venit, & merces eius cum eo.* Fer.6,D.1.c.1.n.12.

Cap.64.

v.4. *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus absque te quæ præparasti expectantibus te.* D.2. c.3. num. 10,

Cap.66.

v.14. *Et cognoscetur manus Domini seruis suis,* Fer.5 D.2.c.2.n 4.

v.24. *Et egredientur & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non morietur.* Fer.6. D.2.c,1,v.9.

IEREMIÆ

Cap.5.

v.8. *Equi amatores & emissarii facti sunt.* D. 1,c.2.n.6.

Cap.15.

v.19. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Fer.3 D.3.in exordio serm.

Cap.17.

v.15. *Ingredientur per portas ciuitatis huius reges & principes.* D.2 c.3,n.2.

Cap.18.

v.6. *Sicut lutum in manu figuli, sic &c.* Fer. 3 D.2.c.3.n.3.

Cap.22.

v.28. *Nunquid vas fictile atque confractum vir iste Iechonias.* Fer.5.D.2.c 3.n.3.

THRENORVM

Cap.1.

v.12. *Attendite & videte si est dolor sicut dolor meus,* D.3,c 3,n 10.

EZECHIELIS

Cap.1.

v.8. *Et manus hominis sub pennis eorum.* Fer.

Fer 6, cinerum c.2, n.8.

v.11. Et penna eorum extenta desuper. Sabb. cin. in exordio serm. n 1.

v 15. Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram iuxta animalia habens quatuor facies & aspectus rotarum, D.2, c.2, num. 9.

v 29 Et super firmamentum quasi aspectus lapidis saphirini similitudo throni, Sabb. cinerum, c. 3, n 2.

Cap. 5.

v.1. Sume tibi gladium acutum radentem pilos, & assumes & duces per caput tuum & per barbam tuam, & assumes stateram ponderis, & diuide eos Fer. 6, D.1, c 3, n. 2.

Cap. 8.

v.13 Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.

Cap. 10.

v.2 Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subter Cherubim, & imple manum tuam prunis quæ sunt inter Cherubim, & effunde super ciuitatem, Fer. 6, D. 2, c. 2, n. 4.

Cap. 17.

v.22. Sumam ego de medulla cedri sublimis, & ponam de vertice ramorum eius, Sabb. D.1, c. 3, n. 1.

Cap. 22.

v.26. Et coinquinabar in medio eorum, Fer. 3, D. 3, C. 3, n. 4.

Cap. 27

v.1. Tu ergo fili hominis assumes super Tyrum lamentum. Fer. 3 D.1, c. 2, n 14.

v 11. Sed & pigmæi qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis, Sabb. D. 2, c. 3, n. 9.

DANIELIS

Cap. 2.

v. 31. Intuitus eius erat terribilis, Fer. 2, D. 1, c 1, n. 4.

v 32. Huius statuæ caput ex auro optimo erat. Ibid.

Cap. 3.

v 2 Itaque Nabuchodonosor misit ad congregandos satrapas. Fer. 4, D.1, c. 3, n. 2.

Cap. 7.

v.13. Ecce in nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, Fer. 3, D. 1, c. 2. n. 19.

Cap. 10.

v.13. Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus: & ecce Michael vnus ex Principibus venit in adiutorium meum. D. 3, c. 1, n. 1.

OSEÆ.

Cap. 2.

v.6. Sepiam viam tuam spinis, Fer. 6 D. 2, c. 1 n. 2.

Cap. 11.

v. 4. In funiculis Adam traham eos, Fer. 3 D. 3, c. 1, n 8.

Cap. 12.

v 3 Et inualuit ad angelum & confortatus est, fleuit & rogauit eum, Fer. 5, D. 3, c. 2, n. 3.

IOELIS.

Cap. 2.

v. 15. Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium. D. 1, c. 1. n. 2.

IONÆ

Cap. 2.

v.1. Erat Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, Fer. 6, D. 2, c. 2, n. 6.

Cap. 3.

v 4. Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur, D. 2, c. 3, n. 3.

MICHEAE

Cap 1.

v 9. Quia desperata est plaga eius &c. In Gethaolite annuntiare lachrymis ne ploretis, Fer. 5, D. 2, c 1, n. 6.

SOPHONIAE

Cap. 1.

v. 5 Dies iræ dies illa; dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis; dies nebulæ & turbinis; dies tubæ & clangoris, Fer. 5. Dom. 2. c. 3. n. 4.

ZACHARIAE.

Cap. 13.

v 6 His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me, Fer. 5, cin. c 2. n. 13.

I. MACHABEOR

Cap. 7.

v. 14 Dixerunt: Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos.

EX NOVO TESTAMENTO

MATTHAEI

Cap. 1.

v. 16 De qua natus est IESVS &c Sabb cin. c. 2, n. 1.

v. 25. Non cognoscebat eam donec peperit. Sabb. D. 1, c. 1, n. 4.

Cap. 2.

v.3, Herodes Rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Fer 4, cin. c.1, n. 9, & Fer. 4, D. 3, c.1, n. 2, & Fer. 2, D. 1, c. 1, n. 1.

Cap. 4.

v.17, Exinde capit IESVS pradicare & dicere: panitentiam agite. Fer. 3, D. 3, c. 2, n. 2.

Cap. 5.

v.3, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum calorum. Fer. 4, cin. consid. 3, num. 8.

v.7, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Fer. 4, cin. con. 2, num. 10.

v.48, Estote perfecti sicut & pater vester perfectus est. D. 1, c. 1, n. 5.

Cap. 7.

v 9. Quis ex vobis homo quem si petierit filius panem, nunquid lapidem porriget ei? Fer. 5, cin. c. 1, n. 3.

v.21, Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum calorum: Fer. 5, Dom. 2, c. 1, n. 14.

Cap. 8.

v.6 Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Fer 5, Dom. 1, c. 2, n. 7.

v.9, Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Fer. 2, D. 1, c. 1, n. 12.

v.22, Sequere me & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Fer. 4, D. 1, c. 3. n 8.

v.25, Et suscitauerunt eum dicentes: salua nos. Fer. 5, cin c, 2. n. 10.

v.28, Et cum venisset trans fretum in regionē Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes damonia de monumentis exeuntes, D. 3, c. 1. n. 6.

v.29, Quid nobis & tibi IESV fili David? Fer 5, D. 3, c. 1, n. 6.

Cap. 9.

v.2, Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Fer. 3, D. 1, c. 3, n. 9.

v.34, In principe damoniorum eiicit damonia. Fer. 6, cin. c. 2, n. 7.

v.35, Et circuibat IESVS omnes ciuitates & castella, docens in Synagogis eorum, & pradicans Euangelium regni, & curans omnem languorem. Fer. 6, cin. c. 2, n. 7.

Cap. 13.

v.29. Ne forte colligentes zizania eradicetis cum eis simul & triticum. Fer. 5, D. 2, c. 2. n. 2. & Fer. 5, D. 3. c. 2. n. 1.

v.43, Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Sabb. D. 1, c. 3, n. 7.

v.45, Simile est regnum calorum homini negotiatori quarenti bonas margaritas, &c. Fer. 5. cin c, 1, n 5.

Cap. 14.

v.28, Domine si tu es iube me ad te venire super aquas. Fer. 2, D 3, c. 2, n 10.

v.29, Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquas. Fer. 6, D. 1 c 2, n. 3.

v.31, Videns ergo ventum validum timuit, & cum capisset mergi clamauit. Fer, 5, D. 2, c 2 n. 11.

Cap. 15.

v.22, Miserere mei fili David, filia mea à damonio vexatur. D. 3, c. 3, n. 5.

Cap. 16.

v.14, Tu es Christus filius Dei viui. Sabb. D. 1, c. 1, n. 8.

v.16, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis &c. Fer. 4. cin c. 1, n. 11, & Fer. 4, D. 2, c. 3, n. 2.

v.23, Vade post me Sathana, scandalum mihi es, Ibid.

Cap. 17.

v. 5. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.

v.20 Hoc autem genus damoniorum non eiicitur nisi per orationem & ieiunium. D. 1. c. 3. num. 8.

Cap. 18.

v.19. Dico autem vobis: si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo. Fer. 5, Dom. 1. con. 1, num. 6.

v.25. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum Dominus eius venundari &c. Fer. 2. D. 3. c. 3. n. 2.

Cap. 19.

v.28. Sedebitis & vos super sedes duodecim. Fer. 2. D. 3. c. 3, n. 8.

Cap. 20.

v.22. Nescitis quid petatis. D. 2. c. 2. n 7.

v.23. Sedere ad dexteram meam, vel ad sinistram non est meum dare vobis. Fer. 5. D. 3. c. 2. num. 7.

Cap. 21.

v.12. Eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo. Fer. 3. D 3. c 2. n. 3.

v. 13. Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum. Fer. 4. D. 3. c. 3. n. 4.

v.14. Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo & sanauit eos. Fer.3, Dom.3, C.2, n.3.

v.18. Mane autem reuertens in ciuitatem esuriit, & videns fici arborem &c. Fer 2, D.1, c. 3, n. 6.

Cap. 22.

v.2. Simile factum est regnum cælorum homini regi &c. Fer. 6, cin. c. 2, n. 6.

Cap. 25.

v.35. Esuriui enim & dedistis mihi manducare; sitiui & dedistis mihi bibere. Fer. 4, cin. c. 2, num. 2.

Cap. 26.

v.14 Tunc abiit vnus de duodecim qui dicebatur Iudas Iscariotes ad principes sacerdotum &c. Fer. 3, D. 2, c. 3. n. 6.

v.21. Amen dico vobis quod vnus vestrum me traditurus est, væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur, Fer. 2, D. 1, c. 3, n. 12.

v.34. Quia hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis D. 3, c. 3, n. 11.

v.48. Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. D. 1, in exordio serm.

Cap. 27.

v.3. Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset, retul t triginta argenteos. Fer. 3, D. 1, c. 3. n. 6.

v.19. Misit ad eum vxor sua dicens Quid tibi & iusto illi; Fer. 4. D 2, c. 1, n. 10.

v.23. Dicunt omnes: Crucifigatur. Fer. 6. D. 1, c. 2. n. 2.

v.37. Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam; Hic est IESVS Rex Iudæorum. Fer 3, D. 1, c. 1, n 3

v 40. Vah qui destruis templum Dei & in triduo illud reædificas si filius Dei es, descende de cruce Fer. 6. c. 3, n. 9.

v.45. A sexta autem hora facta sunt tenebræ super vniuersam terram, vsque ad nonam: & circa horam nonam clamauit IESVS voce magna dicens; Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? D. 3, c 3, n. 2.

Cap. 28.

v.1. Vespere autem Sabbathi quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum. Fer. 5, D. 3, c. 2. n. 12.

v.2. Et ecce terræ motus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de cælo. Fer. 2, D. 1. c. 2, n. 3.

MARCI

Cap. 5.

v.6. Videns autem IESVM à longe cucurrit & adorauit eum, & clamans voce magna dixit, quid mihi & tibi IESV fili Dei altissimi? Fer. 4. D. 1. c. 1, n. 9.

Cap. 7.

v.34. Et suspiciens in cælum ait illi: Epheta, quod est, Adaperire. Dom. 3, in Exord.

Cap. 10.

v 40. Sedere ad dexteram meam, vel ad sinistram non est meum dare vobis. Fer. 2. D. 5 c. 3. n. 7.

v.46. Filius Timæi Barrimeus cæcus sedebat iuxta viam mendicans Fer. 6. D. 1 c. 3. n. 5.

Cap. 11.

v.1 Et circumspectis omnibus, cum iam vespera esset hora, exiuit in Bethaniam cum duodecim.

Cap. 15.

v.29. Et prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua & dicentes. Vah qui destruis templum Dei. Fer 6 cin c. 1. n 18.

Cap. 16.

v 5. Et introeuntes in monumentum viderunt iu e em, sedentem à dextris, coopertum stola candida Sabb cin. c 3 n. 8 & D 2, c. 2. n 5.

v.6. IESVM quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic. Fer. 4. cin. consid. 3. num. 14.

LVCÆ

Cap. 1.

v.28. Aue gratia plena Dominus tecum benedicta tu in mulieribus, Sabb. cin. c. 1. n. 1. & sequentibus.

v.29. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio

v.30. Inuenisti gratiã apud Deum, Sabb. cin. c. 2, n. 4. & Sabb. D. 2, c. 2, n. 3.

v.32. Vocabis nomen eius IESVM, Fer. 3. D. 2. c. 1, n. 9.

v.43. Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Sabb. D. 1, c. 3, n. 10.

Cap. 2.

v.16. Et venerunt festinantes & inuenerunt MARIAM & IOSEPH, & infantem positum in præsepio Fer. 3, D. 1, c. 3, n. 9.

v.25. Ecce Homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus. Fer. 6. D. 2, c. 1, n. 8.

v. 51. Et erat subditus illis. Fer. 4. D. 2, c. 2. n. 3.

Cap. 4.

v. 34. Sine, quid nobis & tibi IESV Nazarene, venisti perdere nos? scio quis sis, sanctus Dei, Fer. 5, D. 1, c. 3, n. 3.

Cap. 5.

v. 12. Et ecce vir plenus lepra, & videns IESVM, & procidens in faciem suam rogauit eum. Fer 5, D. 1, c. 2, n 6.

Cap. 6.

v. 21. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Fer. 6, D. 1, c. 3, n. 6.

Cap 7.

v 27. Hic est, de quo dictum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, D. 1. c. 1, n. 10

v 39. Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est, Fer. 5, D. 3, c. 2, n. 11.

Cap 8.

v. 30. Interrogauit autem illum IESVS dicens: Quid tibi nomen est? at ille dixit Legio. D. 3. c. 1, n. 11.

v 37 Rogauerunt illum omnis multitudo Gerasenorum, vt discederet ab eis, Fer. 2, D. 1, c. 1, n. 7.

Cap 9.

v. 32. Petrus verò & qui cum illo erant, grauati erant somno. D. 2. c. 3, n 9.

v. 54. Nescitis cuius spiritus estis, Fer. 6, cin c. 1, n. 4.

Cap. 10.

v 4. Neminem per viam salutaueritis, Fer. 4. D. 1, c. 3, n. 4.

v. 30 Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, Fer. 4, D. 2, c. 2, n. 2, & Fer. 4, D. 3, c. 3, n. 3.

v. 41. Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit. Fer. 5, cin. c. 3, n. 8.

Cap. 11.

v. 3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Fer. 2, D. 2, c. 1, n. 4.

v. 6. Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me. Fer. 5, D. 1, c. 1, n 9.

v. 9 Ego dico vobis: Petite & dabitur vobis; quærite & inuenietis; pulsate & aperietur vobis, D. 2, c. 1, n. 6.

Cap. 12.

v. 33 Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Fer. 5, D. 2, c 1, n 15.

Cap. 13.

v. 7. Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio; succide ergo illam; vt quid terram occupat? Fer. 2, D. 2. c. 1, n 6.

v. 8. Domine dimitte illam, & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Fer. 6 D 2, c. 1, n. 10.

Cap. 14.

v. 16 Homo quidam fecit cœnam magnam. Fer. 6, cin. c. 1, n. 3.

v. 18. Villam emi, & necesse habeo exire. Fer. 4. D. 2, c. 2, n. 3.

Cap 15.

v. 8. Gaudium est in cælo pro vno peccatore pœnitentiam agente Fer. 6, D. 2, c. 2, n. 1.

v. 20. Accurrens cecidit super collum eius, Fer. 3, D. 1, c. 3, n. 5.

Cap. 16.

v 21. Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat Fer. 6, D. 1, c. 3, n. 3.

v. 22. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Fer. 4, cin. c. 2. n. 7.

v. 23 Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè & Lazarum in sinu eius. Fer. 6, D. 1, c. 1, n. 4.

v. 24. Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam. Fer. 5, D. 2. c. 1, n. 11.

v. 28. Rogo te Pater, vt mittas eum in domo patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant & ipsi veniant in hunc locum tormentorum, Fer. 5, D. 2, c. 3, n. 8.

Cap. 18.

v. 31. Ecce ascendimus Ierosolymam &c. D. 1, c. 3, n. 5.

Cap 19.

v. 41. Videns ciuitatem fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu. Dom. 3, c. 3, n. 8.

Cap. 23.

v. 9. Interrogabat eum multis sermonibus, at ipse nihil illi respondebat, Fer. 4, D. 1 c. 2, n. 13.

v. 18. Exclamauit vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabbam. Fer. 2, D. 1, c. 2 n. 7, & Fer. 3, D 3, c. 3. n. 5.

v 43. Hodie mecum eris in paradiso. Fer. 5, D 3, c. 2.

3,c.3,n.13,& Fer.5,D.3,c.3,n 2,& Fer. 4, D. 2,c.1 n.6.

v.46. In manus tuas commendo spiritum meum, Fer.4,cin.c.3,n.9.

Cap.24.

v.5. Quid quaeritis viuentem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit Fer.4,cin c.3,n 14.

v.29. Et coegerunt eum dicentes: Mane nobiscum, Fer.3, D.3,c.1,n.7.

v.36. Stetit IESVS in medio eorum, & dixit illis; Pax vobis ego sum, nolite timere Fer.6, D.2, c.3,n.3,&c. Fer.4, D 3,c.1,n.4.

IOANNIS

Cap.1.

v.10. In mundo erat & mundus per ipsum factus est & mundus eum non cognouit, Dom.3, in exordio.

v.39. Venite & videte, D 2,c.1,n.5.

Cap 2.

v.3. Et deficiente vino. Sabb. D.2,c.2,n.5.

Ibid. Vinum non habent. Ibid.

v.4. Quid mihi & tibi est mulier? Sabb D.1,c. 2,n 10.

v.15. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo, Fer.2, D.1,c.1,n.8.

Cap.4.

v.35. Leuate oculos vestros & videte regiones quoniam albae sunt ad messem. Fer.2, D.2,c. 2. n.2.

Cap.6.

v.14. Illi ergo homines cum vidissent quod IESVS fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta qui venturus est in mundum, Fer 6, D 1,c.1,n.11.

v.68. Domine ad quem ibimus; verba vitae aeternae habes, Fer.3. D.3,c.1,n.6.

Cap 7.

v.3. Dixerunt ad eum fratres eius: Transi hinc & vade in Iudaeam. Fer.6, D.1,c.2,n.6.

v.14 Iam die festo mediante ascendit IESVS in templum, D.1,c.3,n.7.

Cap. 11.

v.45. Facies illius sudario erat ligata. Fer.5, D.3,c.2,n.8.

v.50. Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo Fer.5,cin.c.1,n.8.

Cap.13.

v.2. Cum Diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas, Fer,2, D.1,c.2,n.15.

v.6. Domine, tu mihi lauas pedes? Fer.5 cin,c. 3.n 10.

v 35 In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem, Fer.5,cin.c.1,n.12.

v 38. Do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos Fer 5,cin.c.1 n.6.

Cap.18.

v 5. Quem quaeritis? At illi dixerunt IESVM Nazarenum. Respondit eis: Ego sum Fer.3, D.1, consi. 1.num 8.

v 6. Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram, Fer.2, D.1,c 3.n.9.

v. 10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, & percussit pontificis seruum & abscidit auriculam eius dexteram: erat autem nomen seruo Malchus, Fer.3, D.2 c.1,n.13.

v.15. Discipulus autem ille erat notus pontifici, Fer.6 D.1,c.1,n.8.

Cap 19.

v.19 Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem, Fer.3, D.1,c.1 num.4.

v.25 Stabat autem iuxta crucem IESV Mater eius, Sabb.cin.c.3,n 1,& seqq.

v.26. Mulier, ecce filius tuus. Sabb. D.1,c.2, n.10.

v.27. Dicit discipulo: Ecce mater tua, Sabb. cin.c.3,n.7.

Ibid. Ex illa hora accepit eam discipulus in sua Fer.5,cin.c.3,n.11.

v.30. Et inclinato capite tradidit spiritum. Fer.3 D 1,c 1,n.12.

v.34. Vnus militum lancea latus eius aperuit. Fer.5,cin.c.3,n.10.

Cap.20.

v.13. Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum, Fer.5,cin.c.3,n.14.

v.15. Domine, si tu sustulisti eum, dicit ei mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam, Fer.5, D. 3,c,2,n.2.

Cap.21.

v.6 Mittite in dexteram nauigij & inuenietis, Fer.3, D.3,c.2,n 5.

ACT. APOSTOLORVM

Cap.1.

v.11 Viri Galilaei quid statis aspicientes in caelum? D.2,c.1,n.1.

v.18 Suspensus crepuit medius, Fer.2. D.3,c. 2,n.3.

v.25. Praeuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum, Fer.2, D.2,c.3,n.2.

Cap. 4.

v.32. Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna. nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia: & virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis IESV Christi Domini nostri. Fer.3,D.3,c.2,n.7.

Cap. 5.

v.5. Audiens autem Ananias hæc verba cecidit & expirauit. Fer.5,D.2,c.1,n.13.

Cap. 6.

v.15. Et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem angeli. Fer.6,cin.c.3,n.8, & Fer.2, Dom.2,c.3. num.1.

Cap. 7.

v.58. Domine IESV suscipe spiritum meum, Fer.3,D.2,c.3,n.7.

Cap. 9.

v.3. Cum iter faceret contigit vt appropinquaret Damasco, & subito circumfulsit eum lux de cælo, & cadens in terram, &c. Fer.2,D.1,c.1,n.12

Cap. 10.

v.9. Cum esuriret cecidit super eum mentis excessus, & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam. D.1,c.1,n.6.

Cap. 12.

v.5. Petrus autem seruabatur in carcere, Fer.6,D.2,c.2,n.5.

v.6. Erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus, Ibid.n.4.

Cap. 13.

v.22 Inueni Dauid filium Iesse secundum cor meum. Fer.6,cin.c.1,n.17.

Cap. 16.

v.37. Cæsos nos publicè indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos eiiciunt? Non ita, sed veniant, & ipsi nos eijciant. Fer.5.cin.c.2,n.7.

AD ROMANOS.

Cap. 1.

v.1. Paulus seruus IESV Christi, Fer.6,cin.c.1,n.12.

Cap. 18.

v.16. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei, si autem filij, & heredes. D.2,c.1,n.9.

v.38. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, &c. poterit nos separare à charitate Dei. Fer.5,cin.c.1,n.10, & Fer.4. D.2,c.2,n.9.

Cap. 9.

v.3. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, Fer.5,cin.c.1,n.10.

I. AD CORINTHIOS

Cap. 5.

v.1. Omnino auditur inter vos talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita vt vxorem patris sui aliquis habeat: & vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Fer.3,D.3,c.3,n.6.

Cap. 9.

v.24. Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium, Fer.3,D.1,c.3,n.11.

Cap. 11.

v.10 Debet mulier velamen habere super caput propter angelos, Alia lectio. Fer.4,D.2,c.1,n.8.

v.14. Ipse enim Sathanas transfigurat se in angelum lucis. Fer.4,cin.c.1,n.vlt. & Fer.3, D.1,c.1,n.7.

Cap. 13.

v.1. Si linguis hominum loquar & angelorum. D.3,c.2,n.3.

v.5. Charitas non quærit quæ sua sunt. Fer.5, cin.c.1,n.4.

II. AD CORINTHIOS

Cap. 11.

v.20 Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis vos in faciem cædit. Fer.4,D.3,c.3,n.4.

Cap.12.

v.4. Raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. D.1,c.1. n.14.

v.7. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui. Fer.5,D.2,c.2,n.3.

AD GALATHAS

Cap.2.

v.20 Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus, Fer.5,D.3,c.2,n.4.

AD EPHESIOS

Cap.5.

v.27. Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam. Fer.4. cin.c.1,n.10.

AD PHILIPPENSES

Cap.1.

v.29. Vobis datum est pro Christo non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. Fer.5,D.3,c.3,n.3.

I. AD

I. AD TIMOTHEVM

Cap. 5.

v.19. Aduersus presbyteros accusationem noli recipere. Fer.3, D.2, c.3, n.11.

AD PHILEMONEM

Cap. 1.

v.1. Paulus vinctus Fer.5, cin.c.1, n 7.

AD HEBRÆOS

Cap.12.

v.22. Ecclesiam primitiuorum. Fer.3, D.1, c.3, n.3.

I. PETRI

Cap. 1.

V.12. In quem desiderant Angeli prospicere. D.2, c.3, n.5.

I. IOANNIS

Cap. 3.

v 12. Non sicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum, & propter quod occidit; quia opera eius maligna erant. Fer.2, D.3, c.1. num.6.

IVDÆ

v.9. Cum Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemia, sed dixit: Imperet tibi Deus. Fer.6, cin.c.3, n.7.

APOCALYPSIS

Cap.1.

v.13. Vidi similem filio hominis vestitum podêre. Fer.3, D.1, c.2, num.11, & Fer.3, D.2, c.3, num 2.

Ibid. Præcinctum ad mammillas zona aurea. Fer.5, cin.c.1, n.8.

v.14 Capilli eius candidi tanquam lana alba. Fer.5 cin.c.3.n.3.

v.16. Habebat in dextera sua stellas septem. Fer.5, cin.c.1, n.8.

Cap.2.

v.1. Angelo Ephesi scribe. Fer.5, D.3, c.2, n.6.

v.17 Vincenti dabo manna absconditum. D.2, c.1, n.7.

Cap. 3.

v.1. Scio opera tua quod nomen habes quod viuas & mortuus es. Fer.3, D 1, c.1, n.6.

v.19. Ego quos amo, corrigo & castigo. Fer.3, D.3, c.1, n.4.

Cap. 4.

v.3. Et iris erat in circuitu sedis. Fer.3, D.2, c.2, n 3.

v.6. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile Chrystallo. Fer.3, D.1, c.3 n.10.

Cap. 6.

v.8. Et cum aperuisset sigillum quartum, ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors. Fer.2, D.2, c 1, n.11.

Cap.12.

v.1. Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Sabb. D.1, c.2, n.7. & cons.3. n.4. & Fer.3 D.2, c.1. n 11.

Cap.14

v.13. Beati mortui qui in Domino moriuntur. Fer.2, D.2. c.3. n.5.

v.14. Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam Fer.3, D.1, c.2. n.5.

Cap. 17.

v.3. Veni ostendam tibi damnationem meretricis magna, & abstulit me in spiritu in desertum. & vidi mulierem sedentem. Fer.4. Dom.2. c.1. n.5.

Cap.21.

v.2. Ecce ego Ioannes vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam, descendentem de cælo. Dom.2. in exordio sermonis. D.2. c.2, num.4. & c.3. num.4.

v.16. Ciuitas in quadro posita est. Dom.2, consid.2. num.1.

INDEX
MATERIARVM APPLICABILIVM

Ad Euangelia singularum Feriarum totius Quadragesimæ residuæ.

FERIA 6.
Post Dominicam 3. Quadragesimæ.
THEMA 1.
IESVS ergo fatigatus.

NEcessario consequitur quod cum sit IESVS, sit quoque fatigatus. Omnes enim ærumnæ & miseriæ, quas vsque in Crucem tolerauit, eo tantum nomine sustinuit, vt obligationibus quas nomen IESV secum infert correspondeat. *Vide serm. 7. Considerat. 1 per totam. pag. 95*

THEMA 2.
Nemo tamen dixit illi quid loqueris cum ea?
Sciebant enim curiositatem grauissimorum damnorum baiulam, Deoque valde exosam esse. *Vide serm. 8. Considerat 2. pag. 119*

THEMA 3.
Quia albæ sunt ad messem.
Homo qui vsque in decrepitam senectutem (cum præter mortis falcem aliud nihil expectat) vitam mutare differt, pilum potius quam vitam postea commutabit. *Vide serm. 13. Considerat. 2. pag. 196*

SABBATHO
Post Dominicam 3 Quadragesimæ.
THEMA 1.
Perrexit IESVS in montem.
Factum id est, quando de cælo in ventrem Reginæ nostræ descendit, quæ mons quidam est adeo sublimis & altus, vt cuncta creata subtus se habent. *Vide serm. 11. Considerat. 1. pag. 161*

THEMA 2.
Venit in templum.
Sanctissima Dei mater quasi ingens quoddam templum, in quo omnium primo adoratus est Deus incarnatus. Asyli priuilegio gaudet, intra cuius mœnia peccatores ab ira Dei optime sunt defensi. *Vide serm. 18. Consid. 3 pag. 279.*

THEMA 3.
Digito scribebat in terra.
Thema istud mysticè significat mysterium Incarnationis, quæ in terra viscerum Patronæ nostræ facta est opera spiritus sancti, vnde oportebat, vt hæc terra esset pura, sancta, & immaculata. *Vide ser. 4. Consid. 2. pag. 54.*

DOMINICA 4.
Quadragesimæ.
THEMA 1.
Quia videbant signa.
Homines huius mundi adeo vehementer proprium suum commodum & interesse consectantur, vt ne quidem ipsummet Deũ recognoscerent, nisi illo summè indigerent. *Vide serm. 10. Consid. 1. pag. 147*

THEMA 2.
Vnde ememus panes?
Ad hoc vt turbas pasceret, præter panem aliud nihil requisiuit, Deus namque sicuti est magnus abstinentiæ amicus, ita modo Dæmoni è diametro contrario, magnus est inimicus gulæ. *vide ser 5 Consid 3. pag. 72*

THEMA 3.
Fugit iterum in montem.
Optime enim sciebat quod mundi huius dignitates non exaltent, sed præcipitent. *vide serm. 15. Considerat. 2. pag. 225*

FERIA 2.
Post Dominicam 4. Quadragesimæ.

THEMA

THEMA 1.

Et cum fecisset flagellum.

Non eos admonuit, nec repræhendit sed percussit, peccatum enim auaritiæ est incorrigibile, vtpote è cuius carcere difficillimus exitus datur. *Vide serm. 16. Considerat. 1. pag. 236.*

THEMA 2.

Responderunt ergo Iudæi.

Euangelista non dicit quod se defenderint, sed solum quod responderint, cæterum fustibus & flagellis se pelli & cædi permittentes, idque quia Christi Maiestatem quæ sê in facto isto prodidit, valde timuerunt. Porro quod si quæuis maiestas terribilis existit quam tremenda erit maiestas Diuina? *Vide sermonem 6. Considerat. 1. pag. 78.*

THEMA 3.

Non credebat semetipsum eis.

Quia sciebat illos esse traditores, quorum mundus est plenus. *Vide serm. 10. Consid. 2. pag. 152.*

FERIA 3.

Post Dominicam 4. Quadragesimæ.

THEMA 1.

Ascendit IESVS in templum & docebat.

Non erat in templo propter lucrum aut propter quoduis aliud humanum interesse, sed ad prædicandum & subueniendum populis. Quotquot enim propriæ student vtilitati, fructum animarum facere nequaquã possunt. *Vide serm. 21. Considerat. 12. pag. 320.*

THEMA 2.

Si quis voluerit voluntatem eius facere.

Deus vult vt sibi secundum beneplacitum suum & sicut ipse vult inseruiamus non vero id vult fieri iuxta arbitrium nostrum & sicuti nos volumus. *Vide serm. 2. Considerat. 3. pag. 277.*

THEMA 3.

Nolite iudicare secundum faciem.

Hac enim via verum nequaquam discerni aut iudicari poterit, quippe cum mundus fictionibus sit plenus, in quo nemo viuere potest, nisi qui fingere nouit. *Vide serm. 1. pag. 2.*

FERIÆ 4.

Post Dominicam 4. Quadragesimæ.

THEMA 1.

Venit nox quando nemo potest operari.

In hora mortis, quæ est nox quædam vitæ humanæ, nihil boni pro salute animæ fieri potest. Vnde in illa hora Christianus idem prorsus erit, qui fuit in vita. *Vide serm. 13 Considerat. 3. pag. 200.*

THEMA 2.

Venit videns.

Eo ipso quo hic oculorum lumen à Christo recepit, maximo locupleratus est bono quod desiderari in terra possit. *Vide serm. 19. Considerat. 3. pag. 297.*

THEMA 3.

Adorauit eum.

Orationes cum humilitate ad Deum fusæ obtinent ab eo quicquid volunt. *Vide serm. 9. Considerat. 2. pag. 137.*

FERIA 5.

Post Dominicam 4. Quadragesimæ.

THEMA 1.

Ecce defunctus.

Præterquam vita hominis sit breuissima attamen homo peccato obnoxius de momento in momentum morti proximus est. *Vide serm. 13. Consideral. 1. pag. 198.*

THEMA 2.

Adolescens tibi dico surge.

Quod si hic mortuus senex quidam fuisset, tunc ad ipsum à peccato resuscitandum verba vtique non suffecissent, senex enim magnam in resurgendo patitur difficultatem, hic namq; pilum potius mutabit quam vitium. *Vide serm. 13. Considerat. 2. pag. 196.*

THEMA 3.

Accepit autem omnes timor.

Deus homines timidos fecit, alias enim difficillime forent saluandi. *Vide ser. 17. Considerat. 1 pag. 251.*

FERIA 6.

Post Dominicam 4. Quadragesimæ.

THEMA 1.

Non est ad mortem, sed pro gloria Dei.

Tribulationes enim huius mundi ordinatæ sunt pro animabus nostris purgandis, ne post hanc vitam aliquod ijs insit impedimentum, quo minus Paradisi gloria frui possint. *Vide serm. 21. Considerat. 3 pag. 357.*

THEMA 2.

Voce magna clamauit.

Vox Dei adeo est terribilis, vt ne placida quidem & blanda sustineri possit. *Vide serm. 6. Considerat. 3. pag 90.*

THEMA 3.

Et statim prodijt, qui erat vinctus.

Non enim erat in Inferno, eo enim si quis semel ingressus fuerit, egredi nunquam poterit. *Vide serm.16 Consid 3 pag 247.*

SABBATHO

Post Dominicam 4. Quadragesimæ.

THEMA 1.

Ego sum lux mundi.

Quid mirum quod Deipara adeo fuerit luminosa, cum in sacro claustro suo mundi lucem reclusam habuerit *Vide serm 11. Considerat. 3. pag* 170.

THEMA 2.

Testimonium perhibeo de me ipso.

Dicere quoque poterat se esse testimonium innocentiæ suæ sanctissimæ matris cum enim ab illa gigni & parturiri dignatus sit, euidenter satis suam testificabatur immaculatam Conceptionem. *Vide ser. 4. Considerat. 1. pag. 54.*

THEMA 3.

Vbi est Pater tuus?

Etiam interrogare potuissent: vbi est mater tua? siquidem sanctissima mater eius adeo se abscondebat & subtrahebat ab hominum oculis, vt videri nequeat vbi moretur. *Vide serm. 11. Considerat. 2 pag 165.*

DOMINICA PASSIONIS

THEMA 1.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

Honor non solum ab hominibus, sed etiam à Deo æstimatur, qui pro conseruatione illius facere solet, quod ad nullius faceret instantiam. *Vide serm 2. Consid 2. pag 21.*

THEMA 2.

Samaritanus es tu?

Id est, custos es tu? Deus enim per admirabilem protectionem suam sanctos suos non solum saluat ab ore lupi, sed etiam per os ipsiusmet lupi. *Vide sermonem 17. Consideratione 3 pag. 262.*

THEMA 3.

Tulerunt lapides.

Ciuitas aliqua maius flagellum habere nequit, quam eiuscemodi principes, siquidem vitam proximi quasi nihili æstimant, *Vide serm. 8 Considerat. 3 pag. 124.*

FERIA 2.

Post Dominicam Passionis.

THEMA 1.

Vt apprehenderent IESVM.

Non tamen appræhenderunt, idque forte ex reuerentiali metu contigit quem ex diuina eius concepêre præsentia, quam ipsæ etiam creaturæ insensibiles expauescunt, *Vide serm. 6. Considerat 2. pag. 83.*

THEMA 2.

Stabat IESVS & clamabat.

Clamare hic idem est, quod cum cordis attentione loqui, idque vt nos eodem modo loqueremur cum Deo, cui vox nostra minime placet, nisi cum cordis attentione sociatam esse videat. *Vide serm. 9. Consid. 1. pap. 137.*

THEMA 3.

Si quis sitit, veniat ad me & bibat.

Deus gratiarum suarum aquas ad bibendum non exhibet, nisi in nobis prius tribulationis sitis præcedat, neque enim illas concedere consueuit, donec easdem promeruimus. *Vide ser. 17. Consid. 1. pag 251.*

FERIA 3.

Post Dominicam Passionis.

THEMA 1.

Transi hinc & vade in Iudæam.

Hoc ei consilium suggerebant, quia ipsum inimicorum suorum manibus tradere cogitabant. Vnde liquet mundum traditoribus adeo esse refertũ, vt etiam fratres, & qui proximi sunt consanguinei dolos tibi struãt & fraudes. *Vide ser. 10. Consid. 2 pag. 152.*

THEMA 2.

Si hæc facis manifesta teipsum mundo.

Verba isthæc adulatoria erant non enim, vt Euangelista iam dixerat, in Christũ credebant. Consequenter vero erant verba Diabolica, adulatio enim diabolicum potius quam humanum est vitium, *Vide serm. 8. Considerat. 1. pag 114.*

THEMA 3.

Murmur multum erat de eo.

Sicut melius nihil esse potest quam lingua ad bonum applicata, ita eâdem ad malum adhibita peius nihil est. *Vide serm. 19. Consid. 2. pag. 192.*

FERIA 4.

Post Dominicam Passionis.

THEMA 1.

Quousque animam nostram tollis.

Si Iudæi Christum tanto amore quanto odio prosecu tifuissent, bene vtique verba

thematis

thematis pronuntiare potuissent, Anima enim quæ amat egredi videtur è corpore quod animat & in eo viuere quod amat. *Vide serm.1. Considerat,3 pag 11.*

THEMA 2.

Sustulerunt ergo lapides.

Manus earum qui malum irrogãt proximo, cuiusmodi hæ Iudæorũ erant, non hominum, sed ferarum & Dæmonum manus sunt, oppositæ scilicet ijs manibus quæ proximis benefaciendo delectantur, hæ enim sunt manus humanæ, Angelicæ, imo & diuinæ. *Vide ser.3. Consid.2.pag.38.*

THEMA. 3.

Dixi Dij estis.

Hoc de Eleẽmosynariis propriè dicitur nam hi virtute Eleẽmosynæ non solum sunt homines sancti & perfecti & veluti Angeli, verum etiam vocari Dij possunt. *Vide serm. 1. Consid,2.pag.7.*

FERIA. V.

Post Dominicam Passionis.

THEMA. 1.

Mulier in ciuitate peccatrix.

Vna peruersa mulier non solum est ad damnandum & peruertendum hominem maximum quod haberi potest, Dæmonis instrumentum. Verum etiam ipsissimus quidam Dæmon esse videtur. *Vide serm.15 Considerat.1.pag.218.*

THEMA. 2.

Dilexit multum.

Charitas tam ingens est thesaurus, vt sancti homines ex ipsius instinctu omnia bona derelinquant quibus frui possunt siue in cælo, siue in terra. *Vide serm.2. Consid.1.pag. 17.*

THEMA 3.

Quia peccatrix est.

Magnopere deceptus est Pharisæus dum Magdalenam pænitentem vocauit peccatricem, persona namque quæ de peccatis suis agit pænitentiam, longe est alia, & diuersa à semetipsa peccatrice. *Vide ser.23 Cõsiderat.2.pag.351.*

FERIA. VI.

Post Dominicam Passionis.

THEMA 1.

Quid facimus quia hic homo multa signa facit?

Hi ob inuidiam qua stimulabantur ex operibus Christi, non homines sed Dæmones infernales esse videbantur. Inuidia enim est Circes quædam, quæ homines in Dæmones transformat. *Vide serm.20. Considerat. 1.pag 302.*

THEMA. 2.

Expedit vobis vt vnus moriatur homo.

Caiphas Christum hominem appellat vtpote qui nouerat quantopere mansuetus esset, cor enim hominis natura sua mansuetum est, si vero secus est, iam non hominis sed pessimæ feræ alicuius cor est. *Vide serm. 3, Consid 1 pag. 32.*

THEMA 3.

Tollent locum nostrum & gentem.

Sciebat enim bona huius vitæ in continuo esse perditionis periculo, cum sint orbicularia & instabilia, ad oppositum bonorum cælestium, quæ quadra sunt. *Vide serm. 12, Consid.2.pag.181.*

SABBATHO

Post Dominicam Passionis

THEMA. 1.

Noli timere filia Syon: ecce rex tuus veniet tibi.

Vti legitur in Zacharia, cuius hæc est Prophetia. Christus enim pro sua sanctissima matre specialiter mortuus est, ac proinde licet absque peccato concepta sit nõ tamen à peccato non fuit ab ipso redempta. *Vide serm 4 Consid 3.pag 58.*

THEMA. 2.

Domine volumus IESVM videre.

Tanta erat Christi Domini pulchritudo, vt illius videndæ causa homines gentiles Patriam suam lubenter desererent. Cum igitur arborem ex fructibus suis cognoscamus, facilis est coniectura, quanta fuerit pulchritudo Deiparæ Virginis, quæ diuinũ hunc fructum produxit. *Vide ser.18.C.1.p.269.*

THEMA 3.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuũ fuerit ipsum solum manet.

Verbum æternũ fuit granũ istud frumenti quod in terrã ventris suæ sanctissimæ matris cadens adeo huius augustissimæ Virginis fauores ibidem multiplicauit, vt inde inexhaustum quoddam fecerit granariũ, vnde quotquot sub eius protectione degunt, nullius rei pati possunt penuriam. *Vide serm. 18 Consid 2.pag.275.*

DOMI-

DOMINICA PALMARVM

THEMA. I.

Soluite & adducite mihi.

Eo ipso quo Christus sacerdotibus authoritatem largitur à peccatis absoluendi, ipsos sibi persimiles efficit. Sacerdotes enim viua sunt Filij Dei Christi IESV Domini nostri simulachra. *Vide ser. 14. Consid. 3. pag* 213.

THEMA. II.

Quia Dominus his opus habet

Christus se iumentorum istorum Dominum fecit, quodsi enim horũ dominium in eorũ qui illa possidebant manibus reliquisset, nunquam illa ad suum accepisset obsequium; homines namque huius mundi tantis obnoxii sunt obligationibus, ad vanitatũ suarum prosecutionem, vt pro Dei obsequio & seruitio aridi semper sint & sicci. *Vide serm.* 10. *Consid* 3. *pag.* 155.

THEMA. 3.

Et adduxerunt Asinam.

Ad condemnandum videlicet humanam ambitionẽ & demonstrandum quod humilia semper loca tenere debeamus, quisquis enim se in sublime valde erigit, non se exaltat, sed præcipitat. *Vide serm.* 15. *Consid.* 2. *pag.* 225.

FERIA IV. PARASCEVES.

Respice in Indice S. Scripturæ Caput 26. & 27. Matthæi; Caput 15 S. Marci Caput 23. S. Lucæ. Et caput 19. S. Ioannis. Circa quæ Capita multas inuenies materias huius diei sermonibus facile admodum applicabiles.

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

THEMA. I.

Et valde mane.

Via & methodus diuinas gratias obtinẽdi est sollicitudo, *Vide serm.* 7. *Considerat.* 3. *pag.* 108.

THEMA. 2.

Viderunt iuuenem.

Res cælestes in iuuenili semper flore perseuerant, nec vnquam inueterascunt. *Vide serm.* 12, *Consid.* 2. *pag.* 181.

THEMA. 3.

Qui dixit illis: Nolite expauescere.

Venit hic Angelus vt bona nuntia referret mulieribus deuotis, vtpote cui valde displicebat videre eas mœstas: Angeli enim tam magni amici nostri existunt, vt si doloris capaces essent, vtique conspectis doloribus nostris plangerent ob dolorem quem inde persensuri essent *Vide serm.* 17. *Consid.* 2. *p.* 258.

FERIA. 2.

Post Dominicam Resurrectionis.

THEMA. I.

Oportuit pati Christum.

Tribulatio & sanctitas stricto adeo vinculo adinuicem coniuncta sunt, vt homo in hac vita secundum cursum ordinarium sanctus esse nequeat si non sit tribulatus. *Vide serm.* 16 *Consid.* 2. *pag.* 242.

THEMA. 2.

O stulti & tardi corde ad credendum.

Verba quibus Christus hosce discipulos repræhendebat adeo erant suauia & dulcia, vt cor eorundem accenderint. Vnde similia esse debent verba illius, qui defectibus proximorum corrigendis debet superintendere. *Vide serm.* 21. *Consid.* 1. *pag.* 316.

THEMA 3.

Accepit panem.

Non carnem accepit, aut simile quid quod apparare solent qui ventri inseruiunt: Gula enim est quædam saturitas cuncta secũ peccata trahens, præcipue vero putridum Luxuriæ lutum. *Vide serm.* 5. *Considerat.* 2. *pag* 68.

FERIA 3. POST PASCHA.

THEMA. I.

Stetit IESVS in medio.

Bonus superior esse debet magnus partialitatis & cuiusuis alterius Passionis inimicus, siquidem Respublicæ maiorem inimicum habere nequeunt, quam superiorem passionatum. *Vide serm.* 22. *Consid.* 1. *pag.* 330.

THEMA 2.

Mirantibus præ gaudio.

Quia in Christo pulchritudinem Paradisi conspiciebant, quæ adeo est ingens, vt si à sanctis viatoribus posset conspici, præ nimio iubilo obstupescerent, & præ excessiuo illam reuidendi desiderio morerentur. *Vide serm.* 12. *Consid.* 3. *pag.* 185.

THEMA 3.

Oportebat Christum pati.

Non solum vt hominem redimeret, sed etiam vt exemplo suo demonstraret, quam vtiles sint tribulationes, per quas animæ nostræ adeo expurgantur in hac vita, vt ijsdem in altera vita opus non sit purgatorio. *Vide serm.* 23. *Consid.* 3. *pag.* 357.

INDEX

MATERIARVM SEV RERVM

Notabilium quæ in hac Prima Parte continentur.

Aaron.

CVr Moysen fratrem suum Dominum & non fratrem appellauerit? *F.5. D.1,c.2,n.3.*

Promptus & sollicitus fuit pro fabricando vitulo aureo, & cur? *Feria 6.Dom 1. Consid 3.n.1.*

Cur Deus vestimenta illius pulchra esse voluerit? *Sabb.Dom.2.consid.1.n.5.*

Ratio ob quam Deus peccatum illius remittere noluerit, *F.3.D.2,c 2.n.10,*

Abel.

Cur se aduersus Cainum fratrem suum non defenderit, cum tamen vires ad id sufficientes haberet. *F.6 D.1,c.2,n.8.*

Dæmon effecit vt occideretur, eo quod hominem mortuum desideraret videre. *Dominica 3.Quadr consid.1.n.3.*

Abraham.

Non se reputabat perfecte beatum nisi etiam in Cælis existens sese in officiis hospitalitatis exercuisset. *Fer.4 Cinerum.consid. 2.num.7.*

Nequit Deus humana lingua gaudium illud exprimere quod ex eo concepit, quod videret eũdem cum Diuina voluntate prorsus conformem. *Feria 5.post cin.c.3.n.4.*

Cur discordias inter ipsum & nepotẽ impedire volens dixit, quod homines essent, *Feria 6.post cin.c.1.nu.7.*

Deus voluit vt filium suum in sacrificium offerret, vt sic ex ratione iustæ correspondentiæ filium suum vnigenitum pro hominibus sacrificaret, *F.2 D.3,c.3.n.3.*

Deus terram Promissionis illi dare noluit, quamdiu Loth nepos eius cũ ipso erat. *F.4.D.3,c.1,n.6.*

Absalon.

Cur dicatur rapuisse corda hominum? *Fer.4.D.1 c.1,num.11.*

Ob honorem quo terra peccatum eius detestabatur in aëre suspensus est mortuus? *Fer.2,D.3,c.2,n.2.*

Achab.

Die quo furatus non fuerat, manducare nolebat, *F.4,D.1,c.3,n.10.*

Adam.

Corpus eius exquisita cum diligentia & præparatione formatum fuit & cur? *Sabb. post cin. c.2.n.6.*

Quam caro pretio Christo gula eius constiterit. *Dom.1.Quadr consid.3,n 5.*

Cur sese diuinam vocem audiens abscõderit? *Feria 2,D.1,c.3.n.8.*

Post mortem Abel centum annis vixit quibus coniugem suam non cognouit, & cur eam postea cognouerit? *Sab.D.1,c.1,n.2.*

Prius factus est sacerdos quam Rex. *Fer. 3,D.2,c.1.n.4.*

Dum exaltare se volebat præcipitatus est. *Fer.4.D 2 consid.2,n.2.*

Feræ omnes quotquot faciem eius conspexerunt mansuetæ factæ sunt. *F.3,D.3.c 3, num.7.*

Propter peccatum suum omnes feræ degenerarunt. *Fer.3,D.3,c.3,n.7.*

Adamas.

Cur Infernus dicatur ex Adamantibus esse constructus. *F.5,D.2 c.3.n.7.*

Adonides.

Allegoriam fabulæ Adonidis. *Vide Dom.1. Quadr.consid.2.n.9.*

Adulatio, Adulator.

Quia Christus in sermonibus suis nulli

 adula-

adulabatur, ideo neminem qui hospitio illum exciperet, Hierosolymis reperit, *Fer.4, cin.c 1, num.7.*

Vitium profectò Diabolicum est, & non humanum, *Fer.4, Dom.1, consid 1, nu. 1, & sequentibus.*

In lingua adulatoris Diabolus residet, & cur? *Fer.4, D,1, con.1, nu 6.*

Ad instar Dæmonis in varias formas trãsmutatur, *Fer.4, D,1.c.1, n 7.*

Adulatio ad inuictum animum superandum plus energiæ habet, quam rationes ab Aristotele & Cicerone excogitatæ, *Fer.4, D.1, consi.1, n. 10.*

Dæmon credebat se Christum adulatione mediante superaturum, *Fer 4, D.1. consid. 1, n.9.*

Adulator est raptor cordium, *Fer, 4, D,1. consid.1.n. 12.*

Aduocati.

Quotquot ex Aduocatis auaritiæ in prædam cedunt fures sunt & latrones, *Fer.4, D. 3.consid, 3, per totam.*

S. Agnes.

Cur contra temeritatem & audaciam filij præfecti Romani à Dæmone sit defensa. *Fer.6, D, 2, consid 2, n 9.*

Ægyptij.

Cur ventrem non vna cum aliis membris sepeliuerint? *Dom, 1, Quadr. Consid.2, n.4.*

Alexander magnus.

Exemplum quo vsus est, in conseruanda regnorum suorum tranquillitate, *Fer.4, D 3. c.1, n, 3.*

Aman.

Volebat adorari sicut Deus, *F.4, Dom 1, c.3, n.11.*

Ambitio, ambitiosus.

Vt gradum desideratum assequatur fictionibus & simulationibus vtitur, *Fer. 4, cin. consid 1, n. 3.*

Cum ambitio homines in sublime erigit, non exaltat, sed præcipitat, *F. 4, D, 2, consid. 2, per totam.*

Cum ambitiosus quærit imperare hominibus, videtur quærere vt imperet Deo, *F. 4, D.2, consid. 2, n, 3.*

Maiorem prætensionem ambitiosus quam Lucifer habet, *Fer, 4, Dom. 2, consid. 2, n.3.*

Ambitio hominẽ ad furcam defert, *ibid.*

Cui huius vitæ offeruntur & præsentantur dignitates, si saluari cupit illas non recipit, *ibid. n.6.*

Ex Ecclesiarum Cathedris difficillime ad cælum ascenditur, *ibid n 7.*

Ambitiosus ad damnationem necessitatus esse videtur, *ibid. n, 8.*

Locus ambitionis Inferno vicinus est. *ibid.*

Nullum est scelus cuius commissionem seu patrationem ambitio non procuret, *ibid. num. 11.*

Omnia scelera de ambitioso præsumuntur, *ibid.*

Amen.

Cur sacerdos orationem Dominicam in Missa recitans, Amen tertet aut submissa voce dicat? *Fer. 4, Dom 2. considerat. 3, nu.8.*

Amor amare.

Anima potius est vbi amat, quam vbi animat. *Fer. 4, cinerum con.3, per totam.*

Qui inimicum non diligunt, non habent cor hominum, sed syluestrium & indomitarum ferarum. *Fer. 6 post cineres Considerat. 1.n.1. & sequent.*

Amando inimicum demonstramus quod simus sancti & perfecti Christiani. *ibid. n. 12.*

Qui amant malefacientes sibi Angeli sunt, *ibid n.14.*

Tales cor diuinum habent, non humanũ. *ibid n 18 & 19.*

Nihil homines ex amore faciunt, sed ex timore omnia, *F.5, D.2, consid.2, num.2, & seqq.*

Amor hominem excæcat ne videat verũ. *Fer. 4, D 3.c.1, n.1, & seqq.*

Separari à re amata maius tormentum est quam Infernus, *Fer. 5, Dom.3, consid.1, nu.12.* Vide inferius verba *Charitas.*

Amor Lasciuus. Vide *Luxuria.*

Anastasius Imperator.

Qua de causa illi decerpti fuerint quatuordecim anni vitæ. *Fer. 2. Dom. 2. consid. 2. num.14.*

Angeli.

Qui inimicos amant eisdemque ignoscunt, Angeli esse videntur. *Fer. 6. post cineres, consid 1, n.14, & seq.*

Manus quæ inimicis benefaciunt Angelicæ manus videntur, *Fer. 6, post cineres, consid. 2, num 9*

Lingua quæ aduersario suo non nocet angelica est, *Fer. 6, post cin. consid. 3, n. 7.*

Angeli iubilos excitarunt in die Conceptionis Deiparæ Virginis, *Sabb, post cineres consid. 1, n. 5.*

Præsentia angelorum ipsis quoque rebus insensibilibus est terribilis, *Fer. 2, Dom. 1, consid. 2, num, 3*

Cur Angelus in Resurrectione Christi veste candida amictus apparuerit? *Sabb. post cineres consid 3, num, 8*

Magnum in cœlo gaudium habent, dum Prælatum aliquem aut alium Rectorem eo ingredientem vident, & cur? *Sabb. Dom. 1, consid 1, num, 5*

Sacerdotes ob dignitatem suam angelis comparantur, *Fer. 3, Do. 2, consid. 2, per totam.*

Sunt veri amici nostri, qui nimirum in ærumnis nostris condolent nobis & in prosperitate collætantur, *Fer. 6, Dom. 2, consid. 2, per totam*

Quodsi doloris possent esse capaces, dolor illorum excessiuus esset, dum nos ærumnis vident esse expositos, *ibidem*

Quando aduersus nos mittuntur tanquã executores diuinæ iustitiæ, tardi sunt & pigri, *ibid. n. 3, & seqq.*

Doleat de honoribus suis damno nostro sibi comparatis, *ib. n. 5*

Missi ad nos castigandos viam se nosse dissimulant, *ib. n. 6*

Tribulationes nostras haud secus ac si propriæ essent, cordi sibi ducunt, *ib. n. 7*

Primi sunt qui de malis nostris dolent, *ib. n. 8*

Meliores amici nostri, quos inter homines habemus frigidi sunt in amore in comparatione angelorum, *ibid.*

Non solum nos amant, sed enim res nostras, *ibid n. 9*

Coram diuina præsentia plorant, vt gratias nobis obtineant, *ibid n. 10*

Angeli per inuidiam Dæmones facti sunt *Feria 2, Do, 3, consid. 1, n. 13*

Venatores sunt animarum bonarum, *Fer. 5, Dom. 3, consid 1, n. 2*

Angerona

Dea est fabulosa quæ pellebat melancholias, *Sabb. Do. 2, consid. 2, n. 7*

Anima

Plus est vbi amat, quam vbi animat, *Fer. 4, cinerum consid 3, per totam*

Quantum illam Deus honorauerit, quãdo corpus Adæ formauit, *Sabb post cineres consid. 2, nu. 6*

Anima damnata non quærit saluari ne Deus de bono ipsius lætetur, *Fer. 2, Dom. 3, consid. 1, nu. 12*

Animæ in purgatorio inimaginabilia sustinent tormenta, *Fer. 5, Do. 3, consid. 1, num. 3, & sequentibus per totam considerationem.*

S. Anna

Inexplicabilem in Conceptione Virginis Deiparæ sensit dulcedinem in corde suo, *Sabb post cineres consid. 1, n. 7*

Apis

Amica est puritatis, *Sabb post cineres considerat. 2, n. 3.*

Apostoli

Tot ideo animas acquisiuerunt, quia magni proprij commodi seu interesse fuere inimici, *Fer. 3, Do 3, consid. 2, n. 7*

Aqua

Ob horrorem quo hominum detestatur peccata sterilitatis terræ causa esse videtur. *Fer 2, Dom 3, consid 2, n. 13*

Cur aquæ diluuij altitudine sua omnes montes terræ inundare aut superexcedere debuerint, *Fer. 3. Do. 3, consid. 3. n 8*

Quo fine piscator aquas conturbet, *Fer. 4; Do. 3, consid. 3, n. 8*

Arbor

Arbor scientiæ boni & mali Euæ semper diuersa apparebat, ab ea qualis antea erat demonstrata *Fer. 6, Do. 1, consid 1. nu. 5*

Homines arbores sunt contrariæ tamen proprietatis ab alijs, *Fer. 6, Do. 2, consid. 1, n. 11.*

Quodsi Dæmon perspectam habuisse virtutem arboris vitæ, vtique Adamum induxisset, vt de fructibus illius comederet & quare? *Do, 3, consid. 1, n. 14*

Cur arbor Hermopolitana in terram se inclinauerit transeunte IESV infante, *Fer. 2 Do. 1, consid. 2, n. 5*

Auaritia, auarus

Auari cor ibi est, vbi est eius thesaurus, *Fer. 4, cin. consid, 3, n. 3*

Homines pro Dei seruitio promouendo auari sunt, liberales autem pro obsequio & vanitate mundi. *Fer.6. Dom.1. consid.3. per totam.*

Auaritia Labyrinthus quidam est, vnde homines se extricare nequeunt, *Fer.5, Dom. 2, Consid.1, per totum.*

Auarus omnia possidet præterquam vnum sibi valde necessarium, & quodnam illud sit, *Ibid.n.2.*

Omnia bona facere potest excepto eo, quod de suo nihil dare possit, *ibid.*

De omnibus peccatis pænitentiam agere potest, præterquam de auaritia. *ibid.*

Auari non arbitrantur auaritiam esse peccatum. *ibid n.5.*

Prædicatores conuertere non possunt auaros, *ibid n 6.*

Auarus est sicut infirmus quidam à Medicis desperatus. *ibid n.9.*

Inferni pænam patitur. *Ibid num.11.*

Diuitiæ auari domum haud secus ingrediuntur, ac si infernum intrarent. *ibidem.*

Et vitium incorrigibile, *ibid n.13.*

Christus auaros per auaritiam saluat, & quomodo. *ibid n.15.*

Auaritia sacerdotum & prædicatorum impedit animarum salutem, *Fer.3. Dom.3. consid.2, n.3, & sequentibus.*

Iudices auari sunt fures & latrones. *Feria 4. Dom.3, consid.3. per totam consid.*

Aulici.

Vt sic viuere possint, fingere posse debent. *Fer.4, cin. consid.2. per totam.*

Obnoxij valdè sunt studio proprij interesse & valde ingrati, *Fer.6. Dom.1. considerat. 1, num.3.*

Cum hominem qui illis hactenus seruiuit, vnico tantum verbo liberare possint à patibulo, non tamen id faciunt, *ibid n.9.*

Homo nobilis & sceleratus, maximum est Reipublicæ alicuius flagellum, *Fer.4, Do. 1, consid.3, per totam.*

Aurora.

Quid hoc nomen aurora significet *Sabb. cin. consid.1. n.4.*

Nihil est in mundo aurora pulchrius. *Sabb. Dom.1, con.1, n.11.*

Aurum.

Valde terribile est aurum coronarum & cur, *Fer.2, Dom.1, consid 1, num.4*

Homo cor aureum habere debet. *Fer.5, cinerum consid.1, num.10.*

Ea quæ pulchra sunt, aurea esse dicuntur. *Sabb. Dom.2. consid.1, num.2.*

B.

Barathrum.

Cur Infernus Barathrum vocetur? *Fer.5, Dom.2, consid.3, num.6.*

Basiliscus.

Sic appellatur Rex serpentum, & cur, *Fer.2, Dom.1, consid.1, num.3*

Quomodo occidatur, *Dom.3, consid.3, num 9.*

Beatitudo beatus.

Beati semper in iuuenili perseuerabant ætate, nec vnquam consenescent. *Dom.1. consid.2, num.4, vide verbum Gloria Beatorum.*

Benedictio.

Quamobrem benedicatur mensa, *Dom 1, consid.1, num.5.*

Quibusnam verbis Christus cibum benedixerit, *ibidem.*

Benignus.

Vnde deriuetur hoc nomen Benignus, *Fer.2, Dom.3, Consid.1, num.6.*

S. Bernardus.

Lingua loquebatur angelica, *Et cur, Do. 3, consid.2, num.6.*

Bona huius vitæ.

Adeo sunt instabilia, quanto stabiliora sunt bona cœlestia *Dom.1, consid.2. num.1.*

Similia sunt fluuio, *ibid num.2.*

C.

Cain.

Huius sacrificium Deo displicuit, eo quod illud obtulerit tristis & melancholicus, *Fer.5, cinerum consid.3, num 9.*

Post huius occisionē homines Deū cognoscere cœperunt, & cur. *Fer. 6. Dom.1. Consid.1. n.3.*

Quantum terra sui peccati horrorem habuerit. *Fer.2, Dom.3, Consid.2, n.8.*

Cardamus.

Quidnam hæc herba succum aliarum vicinarum arborum absumens significet. *Fer. 4, Dom.1, num.5.*

S. Catharina.

Hæc in cunctis Diabolicis machinis sese inui-

inuictam exhibuit. *Fer. 4, Do. 1, consid. 1, n. 10.*

Cauda.

Litem siue processum quem cauda capiti intentauit *Vide Fer. 4, Dom 3, in Exordio sermonis.*

Cerberus

Canis Inferni portarius, auaritiæ symbolum. *Fer. 5, Dom. 2, consid. 1, n. 12.*

Charitas.

Nihil illa reperiri pretiosius potest, *Fer 5, cinerum consid. 1, per totam.*

Est panis hominis. *Ibid num. 3.*

Nulla re indiget. *Et cur Ibid. n. 4.*

Per famem saginatur. *Ibid.*

Qui illam possidet ditissimus est totius mundi. *Ibid num. 5.*

In cœli thesauris nihil est illa pretiosius. *Ibid. n. 6.*

Tribulationes pretiosas reddit & illustres *Ibid num. 7.*

A sanctis pluris æstimatur, quam ipsamet beatorum gloria. *Ibid. num. 8.*

Est peculiare signum sancti & perfecti Christiani. *Fer. 6, post cineres consid. 1, num. 12.* vide *Amor.*

Cherubini.

Cur ij qui erant in tabernaculo ex oliuæ ligno facti fuerint *Fer 4, cin consid 2, num 6.*

Cur in foribus paradisi positus sit quidam Cherubinus, & non fera quædam terribilis. *Fer. 4, Dom. 3, consid 2, num 6.*

Chymæra.

Fabulosum hoc monstrum, synagogæ est symbolum. *Fer. 4, Dom. 1, in Exordio sermonis.*

Monstrum est infernale, & quid significet.

Christus.

Quia inimicus est adulationis & fictionis neminem Hierosolymis reperit, qui hospitio illum exciperet. *Fer. 4, cin consid. 1, n. 7.*

Anima Christi degebat in corpore matris, & quomodo *Fer. 4, cin consid. 3, n 9.*

Nagnifaciebat Christus suam reputationem. *Fer 5. post ci. consid. 2, num. 10.*

Pro conseruando matris suæ honore sese Iosepho subijcere voluit, *Ibid n 12.*

Pati & mori pro honore voluit. *Ibid. n. 13.*

Veram hominis formam per peccatum deperditam, ad instar vrsæ in eundem introducit. *Fer. 6, post cin. in Exordio sermonis.*

Hominem se vocat, vt mansuetudinem suam insinuet. *Fer 5, post cin consid. 1, num 8.*

Deum se esse in eo exhibuit, quia eos qui illum crucifixerant, non male tractauit. *Fer. 6, post cin. consid. 1. num. 18.*

Deum se in eo ostendit, quia pro inimicis suis orauit. *Ibid consid. 3, n 9.*

Assimulatus est api, eo quod amicus sit puritatis *Sabb. post cin. consid 2, num. 3.*

Matrem ad instar cœli effecit, *Ibidem num 4.*

Cur Enoch non fuerit promeritus Christum in sua transfiguratione videre. *Dom. 1, consid. 3, num 1.*

In diuersas se figuras transformauit iuxta quod merebantur illi quibuscum tractabat, *Dom. 1, in Exordio serm.*

In vniuersali iudicio erit quasi leo. *Dom, 1. consid. 1, num, 1.*

A regibus huius mundi timebitur, *Fer. 2, Dom, 1, consid 1, num 11.*

Quam terribilis sit eius Majestas, *Ibidem num, 7.*

Cur sacerdotes quos templo pellabat, non sese defenderint, *Ibidem num, 8.*

Cur lictores in horto nomen suum audientes retrorsum ceciderint, *Ibidem num 9.*

Cur dictus sit Gigas, *Ibidem num, 10.*

Terribilis aspectu erat etiam cum infans esset, *ibidem num. 11.*

Timori fuit inimicis suis etiam cum quasi toto corpore vnum vulnus esset, *Fer. 2, Dom. 1, consid. 2. n 7.*

In die iudicij vniuersalis maximum præscitorum tormentum erit vulnerum suorum conspectus, *ibidem num. 17.*

Quem effectum produxerit vox illa quã in cruce dedit, *ibidem consid 3, num. 7*

Cur IESV nomen magnum vocetur, *Fer. 3, Dom. 1, consid 1, num. 2.*

Vt magni nominis huius satisfaceret obligationibus inimicorum suorum manibus ad patiendum & moriendum vltro se obtulit, *ibidem consid. 1, per totam.*

A S. Matthæo in titulo crucis vocatur causa, Et cur? *Ibidem num 7.*

Cur à S. Ioanne IESVS vocatus sit titulus, *ibidem.*

Ad demonstrandum ingens pondus huius nominis Christus moriens caput suum in cruce inclinauit. *ibid. num.* 12.

Nomen IESV est vas electuarij contra nostram pestem. *ibid. num* 11.

Cur in pictura nominis IESV erecta videatur arbor sanctæ Crucis, *ibid. n* 12.

Antidotum est nomen IESV aduersus venenũ, quod Dæmon cibo vetito, immiscuit.

Qua de causa Christus in iudicio vniuersali exhibendus sit quasi Cruciaffixus, *Fer.* 3, D.1, *c.*2, *n.*15.

Traditus est ab omni populo Ierosolymitano. *Fer.*6, *D,*1, *c.*2, *n.*2.

Ciuitatem Paradisi de cælo in terram transtulit, *D* 2, *in Exord. sermonis.*

In mundum venit præmijs erogandis onustus, & quare. *Fer.*6, *Dom.*1. *considerat.*1, *num.*12.

Facies eius instar stellæ micabat, *Fer.*3, *D.*2, *consid.*3, *n.*4.

Cur Dæmon ad Christi passionem impediendam Pilati coniugem adhibere voluerit, *Fer.* 4, *D.*2, *c.*1, *n.*11

In cruce pendens Orientem versus respiciebat. *Sabb. D.*1, *c* 2, *n.*2.

Moriens Dæmonibus præcepit, ne electis suis quicquam damni inferrent; Et cur? *D,* 3, *consid.*1, *n.*15.

Planctu suo planctum insinuauit peccatorum nostrorum; Et quomodo? *D.* 3, *consid.* 3, *n.*8.

Pœnæ ipsius speculum quoddam sunt in quo peccatoris pœnæ conspiciuntur, *ibid. num.*10.

Crucifixus est ex instinctu inuidiæ, *Fer.*2 *D.*3, *consid.*1, *n.*3.

Crucifixus & occisus est vt pulcher fieret *ibidem.*

Cur labia eius lilijs comparentur, *Fer.*3, *D.* 3, *consid.*1, *n.*3, *& seqq.*

Verbis eius inerat dulcedo admirabilis, *ibidem.*

Loquens rosas spargebat, *ibid. n.*5.

Ex ore eius quædam dulcedo Paradisi egrediebatur, *ibid. n.*6.

Verba quibus mensam benedicebat *vide* D.1, *consid.*2, *n.*5.

Cur ad festum tabernaculorum prima die non abierit. *Domin.* 1, *considerat.* 3, *num.*7.

Verba eius instar fulguris erant, quæ ignem vibrabant, *Fer.*2, *Dom.* 1, *consideratio* 3, *num.*6.

Os eius ignem euomebat quo ficum conflagrauit *Ibidem.*

Vt homines in hac vita castiget, falcem adhibet. Et cur? *Fer.*3, *Dom.*1, *consideratio.*2. *num.*5.

Cur cum discipulis suis acturus se in medio eorum collocauit, *Fer.*4, *Dom.*3, *consid.* 1, *num.*4.

Tormenta Passionis Christi & omnium aliorum matyrum, nihil sunt in comparatione ad pœnas Purgatorij, *Fer.*5, *Dom* 3, *considerat.*1. *n.*8.

Ciuitas

Ciuitas cæli à Christo in terram delata est, & quomodo, *D.*2, *in Exordio serm.*

Cur cælum ciuitas noua vocetur. *Dom.*2. *consid.*2, *n.*4.

& Ciuitates refugij cur assignatæ fuerint. *Fer.*2, *D.*3. *consid.*2, *n* 4.

Clerici

Cur illorum detondeantur capilli, *Fer.* 5, *D.*1, *consid* 1, *n.*3.

Corona clericalis à S. Syluestro maioris æstimata fuit quam corona imperialis, *Fer.* 3, *D.*2, *consid.*1, *n.*9.

Cælum.

Cœli sudant ad Dei præsentiam. Et cur? *Fer.*2, *D.*1, *consid.*2, *n.*2.

Cor.

Cor quod inimicum non amat, cor bestiæ est, *Fer.*6, *post cin. consid.*1, *per totam.*

Cor hominis aureum esse debet. Et cur. *ibidem n.*10.

Cor quod inimicum amat, cor est diuinum, *ibid n.*17.

Vt quod volumus obtinere à Deo possimus, opus est, vt lingua in nobis cordi nostro correspondeat. *Fer.*5, *D.*1, *con.* 1, *per tot.*

Crocodilus.

In aquis cœcus est, foris autem videt, & quid mysterii in hoc lateat. *Fer.*6. *D.*1, *c.*1. *num.*2.

Crux

Cur pictura nominis IESV Crucem exaltet. *Fer.*3, *D.*1, *consid.*1. *n* 12.

Christianus in Cruce appellit ad Paradisum, *Fer.*5, *D.*3 *consid* 3, *n.*1.

Scala est quæ sufficit vt in illa perringamus ad cælum. *Ibid. n.*3.

Curiositas, Curiosi.

Qui curiosè scire vult, quæ ad eum non spectant, ruinam incidit quam minime cogitauit, *Fer.4, D.1 consid.2, per totam considerationem.*

Quodsi Salomon damnatus est, id ei accidit ob nimiam curiositatem, *ibid.n.2.*

Curiosi similes sunt lamiæ Angeli Politiani. *ibid.n.6.*

Quantum malum curiositas domui Iacob attulerit *ibid.n.7.*

Torquet Dæmonem ad instar inferni, *ibid num.9.*

Facit hominem sui ipsius & propriæ salutis obliuisci, *ibid.n 10.*

Fuit multis viris illustribus occasio mortis, *ibidem.*

Ad hunc defectum respexerunt Poëtæ in fabula Promethei, *ibid.n.11.*

Curiosi Deo sunt exosi, *ibid n.13.*

Melius est esse ignorantem quam curiosum, *ibid.n.14.*

Est maximum quod inueniri possit tormentum, *ibid.n.12.*

D.

Daniel.

Per leones à leonibus defensus est, *Fer.6, D.2.consid.3, n.12.*

Dauid

Dauid fictis laudibus traditus est, *Fer.4, cin.consid.1 num.5.*

Sanctum se esse dicebat, quia Eleemosynarius erat. *ibid, consid.3, n.3.*

Cor eius simile erat cordi diuino & cur? *Fer.6, post cin consid 1, n.17.*

Malum eius a gula originem traxit, *D.1, consid.2.n.7.*

Adulatores Dæmones esse reputabat. *F. 4, D.1, c 1.n.13.*

Peccata eius ex curiositate processerunt, velut ex occasione, *F 4, D.1, c.2, n.3.*

Filij eius dicti sunt Sacerdotes, & cur? *F 3, D.2 c.1.n 3.*

Remissum ei fuit peccatum ob sollicitudinem Pœnitentiæ. *F.3, D.1.c.3, n.4.*

Rex esse nolebat quod si vel minimum vindictæ appetitum in se depræhendisset, *F 4. D.3, c.1, n.8.*

Dæmon.

Qui malum irrogat proximo suo is Dæmon est, *F.6, post cin.c.2, n.7.*

Fugit ad conspectum ieiunij *D.1, consid.3, num.8.*

Intrat in humana corpora vt fruatur in ijs gula & luxuria, *ibid.*

Cur vocetur Beelzebub. *ibid.*

Maius tormentum non habuit quam quod Deum incarnatum in terra videret, *F. 2, D.1, c.2, n 15.*

Adulatio potius Dæmonum quam hominum opus est, *F.4. D 1, c.1, per totam.*

† Palpat non pulsat in oppositum eius quod Deus facit, *F 4, D.1, c.1, n.4.*

In qua specie serpentis deceperit Euam, *Fer.4 D.1, c.1, n.8.*

Torquetur curiositate *Fer.4, D.1, consid. 2, n.9.*

Spurius dicitur. Et cur. *Fer.4, Dom.1.c 3, num.7.*

Optimum Diaboli instrumentum est mulier, *F 4, D.2, c 1, per totam.*

Metum hominibus incutiendo se veluti Deum adorari fecit, *Fer.6, Dom.2, c.1. num.5.*

Cur petierit sibi facultatem vt Iob affligeret. *ibid.*

A Deo constitutus est custos animæ Iob. *F.6, D.2, c.2, n.8.*

Constitutus est defensor S Agnetis Virginis, *ibid num.9.*

Tantum est odium Dæmonis in hominem, vt maius gaudium habere nequeat quam videre illum angustiatum, nec malus sentire possit tormentum, quam dum illum affligere non valet, *D.3, consid.1, per totam.*

Ex desiderio quo cupiebat homines videre mortuos instigauit Cain vt Abel occideret, *D.3.consid.1, n.3.*

Cum singulari beneplacito Carnificis officium a Deo recepit, *D 3, c.1.n 4.*

Perpetua bella inter homines videre desiderat, vt semper homines mortuos videat, *ibid num.6.*

Cur habitet in sepulchris, *ibidem.*

Sæpe pulchræ mulieris formam induit, & cur. *ibid n.8.*

Si in vitam S. Iob potestatem habuisset, vtique illum subito occidisset, *ibidem num. 10.*

Si cunctis Dæmonibus, quotquot illorum in inferno sunt permitteretur vt vnu-

vnicum solum torquerent hominem infernus vtique totaliter solitarius remaneret. *ibidem.*

Dæmon exigua mala reputat illa quæ corporaliter infligit. *ibid. n. 12.*

Ante incarnationem homines nonnunquam viuos ad infernum portabat. *ibidem num. 13.*

Si virtutem arboris vitæ habuisset perspectam, vtique Adamo etiam persuasisset de eadem comedere. *ibid n 14.*

Nisi ipsi à Christo Crucifixo fuisset prohibitum, occidisset vtique omnes electos, & cur *ibid n. 15.*

E cœlo pulsus est, quia sedere voluit priusquam laborasset *F 2, D 3, c. 3, nu 8.*

Per dilationem seu procrastinationem in negotijs animæ nostræ salutem nostram impedire conatur. *Fer. 4, Dom. 1. Considera. 3. num. 8.*

Moriretur vtique, dummodo mori posset quando videt se non posse offendere. *D. 3, c. 1, n 16.*

Saginatur per gulam, & per ieiunium occiditur. *ibid n. 17.*

Tametsi tantum malum alicui inferat, quantum in sua est possibilitate, nunquam tamen suæ satisfactum est rabiei. *ibid.*

DEVS.

Illos amat ijsque benefacit, qui fingere nesciunt, *Fer. 4, cin. consid. 1, n. 10, & sequentibus*

Quod serui sui, neglectu fictionis victoriam minime reportent, parum curat. *ibid. num. 12.*

Facies sua absque Eleemosynæ elargitione non videtur, *Fer. 4, cin. c, 2, n. 5.*

Deus Diuinitatem suam vult à nobis cognosci, per donationes nobis ab eo factas, *ibid. n. 9.*

Valde offenditur quando sui reputationem suam nihili æstimant, *Fer. 5, cin. c. 2, n. 8.*

Multa pro fama non perdenda facit, quæ alias nunquam facturus esset, *ibid n 12.*

Tantum sibi in ijs complacet qui se suo conformant beneplacito, quantum sibi ij displicent, qui idipsum negligunt facere. *Fer. 5 cin. consider at. 3, per totam.*

Tunc Deus à nobis honoratur, quando quod placitum est ei, præstamus, *ibid. num. 7. 8. & seqq.*

Nonnunquam vocatus est vrsus, Panthera, leo, aliquando homo. Et cur. *Fer. 6, cin. consid. 1, n. 5.*

Qui proximo suo benefacit, est veluti quidam alter Deus. *ibid. n, 17, & seqq.*

Omnes Eleemosynarij totidem Dij esse videntur, *Fer. 4, cin. Consid. 2, n 9.*

Deus valde abominatur peccatum, *Sabb. post cin Consid 2, n. 7.*

Quantum abominatur gulam, tantundem amat ieiunium, *Dominica, 1. Considerat. 3, per totam.*

Valde tremenda est diuina præsentia, *F. 2, D. 1, c. 2, per totam.*

Verba Dei quam sint horrenda, *ibid. c. 3, per totam.*

Abominatur curiosos, *F. 4, D. 1, c. 2, num. 13 & sequentibus.*

Ad solum Deum spectat priuare homines vita, *F 3, D. 1, c. 3, n 11.*

Vbi Deus est ibi quoque est Paradisus, *Sabb. D. 1, c. 3, n 12.*

Deus in paradiso quasi mortuus esse dicitur. Et cur. *D 2, c 1, n. 9.*

Nunquam suos in hac vita satiat. Et cur. *F. 5, D 2, c 1, n. 9.*

Siccis oculis damnatos intuetur, *ib. consid. 3, passim.*

Facit vt nos illum cognoscamus & adoremus illũ, quia baculũ tenes, *F 6, D. 2, c 1. n 7*

Ex ore lupi suos per os lupi defendit, *ibid. consid. 3, per totam.*

Qui Deum secum habet, nihil prorsus timet, *ibid.*

Amat pulchra, *Sabb. D. 2, consid, 1, passim.*

Priusquam vnigenitum suum in Cruce sacrificaret, voluit vt Abraham prius filium suum offerret, *Fer. 2. D. 3, c, 3, n. 3.*

Diuina præsentia facit Cherubinos tremere, *F. 2, D. 1, c. 1, n. 6.*

Verba quæ Deus ad Moysen loquebatur videbantur ab Hebræis, & quomodo, *ibid. consid. 3, n. 4.*

Oculis immundis videri non potest, *F. 5, D. 3, in Exordio serm.*

Cur sit in medio Ecclesiæ, *F. 4, D. 3, c 1, n. 3.*

Cur viris mammas ac papillas dederit, *ibid. n. 5.*

Adeo est in castigando terribilis, vt ad ictuum suorũ vehementiam nulla vis creata pertingere possit, *Fer. 5, D. 3, c. 1, n. 4.*

Debi-

Debitorem se facit illorum qui pro eo laborant aut tribulantur, *ibid.c.3,n.6.*

Vide Misericordia Diuina aut Protectio Dei.

Dina.

Per nimiam curiositatem fuit occasio ruinæ domus paternæ *Fer.4,D.1,c.2,num.7.*

Diuitiæ Diuites.

Animæ diuitum potius in ærario quam in corpore sunt, *F.4,ciner.c.3,n.3,& seqq.*

Amissis diuitijs quasi seipsos perdiderunt. *Ibid num.4.*

Relinquendæ sunt pro tuendo honore. *F.c,cin. consid.2,n.4.*

Acquiruntur cum magna populorum paupertate. *F.3,D.1,c.3,n.5,& seqq.*

Diuites fures sunt, qui si non furantur nõ manducant, *F.4,Dom.1,c.3,n.10.*

Vident per perspicilia proprij inter esse, *F.6.D.1,c.1.per totam.*

Diuitiæ efficiunt vt quis traditor fiat, proprij sanguinis. *Ibid c.2,n.7.*

Male perduntur, nisi pars illarum adhibeatur in Eleemosynam. *Ibid.c.3,num.2.*

Consumuntur per vanam gloriam per luxuriam, & per inimicitias. *ibid.*

Diuites mendicant vt floreant. *Ibid n.5.*

Nunquam satiantur ob immoderatas expensas *ibid.n.6.*

Opulenti diuites sunt pro vitijs & pauperes pro Deo *ibid n 7.*

Pauperibus sese inimicos declarant, vt superbe & fastuosè vestiantur *ibid.n.8.*

Facultates ipsorum non pariunt laudabiles fructus. *ibid.n.11.*

Adhibentur pro hominibus sceleratis. *ibid.*

Quando veniunt in domum auari in illa sunt velut in Inferno. Et cur *Fer.3, Dom.2,c.3,n.11.& 12.*

Vide Auaritia.

Diues Epulo

Cur Lazarum nunquam aspexeris nisi quando erat in cælis. *Fer.6,D.1.c.1.n.4.*

Non poterat dare micas quæ cadebant de mensa sua. Et cur. *F.6,D.1,c 3,n 3.*

Expertus est infernum vere labyrinthum quendam esse, *Fer.5.D.2,c.3,n.7,& 8.*

Dona.

Infectæ sunt manus superiorum illorum qui dona recipiunt. *F,4,D.3,c.3,per totam Considerationem.*

Iudices qui iustitiam propter dona administrant fures sunt & latrones. *ibidem.*

Vide Munera.

E.

Ebur.

Admirabilis est Eboris proprietas quod pannum ab igne defendat. *Sabb.D.2.consid.3, num.6.*

Ecclesia.

Quia hæc fingere nescit, ideo à Christo amatur & honoratur *F.4,cin c 1,n.10.*

Festiuitas quam Ecclesia de conceptione Deiparæ Virginis celebrat, quid significet, *Sabb.cin.consid.1.n.7.*

Electio.

Vt sint boni superiores qui eliguntur à nobis, opus est vt à Deo quoque eligantur. Et cur. *Fer.5,cin.c.2,n 10.*

Eleemosyna.

Hominem sanctum facit, quia illum ad sanctitatem disponit, *Fer.4,cin.consid.2, per totam.*

Hominem facit Angelum, *ibid.num.7.& 8.* Cherubinum, *Ibid.*

Efficit vt homo faciem Dei videat, *ibid, num.6.*

Facit hominem veluti Deum quendam in terra. *Ibid.num.10.*

Eripitur pauperibus per vanitatem mundi huius, *Fer.6,D.1,consid.3,num.3,& num.7, & 8.*

S.Elias.

Cur Cœlum verbis suis obedierit, *Dom.1,c.1,n.8.*

Deus ipsum opera corui nutrire voluit. Et cur, *Fer.6,D.1.consid.3.n.12.*

S.Elisabeth.

Ex quo signo cognouerit B.Virginem esse matrem Dei, *Sabb Dom.1,c.3,n.10.*

S.Elzearius

Habitabat in vulnere latero, Christi, *Fer.5,cin.c.3,n,13.*

Erebus

Cur infernus appelletur Erebus, *Fer.2,D.3,c.1,num.10.*

Esau

Subiectus est fratris sui Dominio eo quod esset ignorans, *F.4,D.3,c.2,n.2.*

Eua.

Mundus ob suam curiositatem actus est in ruinam, *F.4,D,1,c.2,n.8.*

f

Ter

Ter intuita est arborem vetitam quam semper vidit esse diuersam, Et cur. *Fer, 6, Dom.1, Consid.1.n.5.*

Euangelista

Pennis siue calamis suis facti sunt gloriosi, *Sabb. cin in Exord. serm.*

F.

Fama.

Fama bona non solum apud homines sed etiam coram Deo æstimatur, *F.5, cin. consid.2, per totam.*

Sanctitatem illam quæ cum bona hominis fama nō est coniuncta Deus non æstimat. *ibid. num.8.*

S. Paulus bonam famam maioris æstimabat quam vitam *ibid n.7.*

Festa.

Christus festa hominum exosa habet ob nimiam hominum illis diebus ingluuiem. *Dom.1. consid.3, n.7.*

Fictiones

Quisquis in domo huius mundi fingere nescit, viuere etiam nescit: in domo Dei autem qui scit fingere nescit viuere. *Fer.4, cin. consid.1, per totam.*

Quis nesciat regnare. *ibid n.6.*

Adeo necessaria est fictio ad sæculariter viuendum, vt qui hanc nouit, eo ipso ad integrū regnū gubernandum sufficiat. *Ibidem.*

Ambitiosi sese in altum extollunt per artem fictionis *ibid n.3.*

Pisces fingere didicerunt vt viuere possint *ibid n 8.*

Tametsi quis in mundo nollet fingere vt viuat, tamen nonnulli fingere cogantur. *ibid. num 9.*

Deus amore & beneficijs prosequitur illos qui fingere nesciunt. *ibid. n.10 & seq.*

Flumina

Sunt symbolum instabilitatis rerum mūdanarum *D.2, c 2, n. 2.*

Cur Nilus tempore Theodosij sese retroxerit, *F.2, D.3, c.2, n 13.*

Fons.

Fons Paradisi qui prius irrigabat terram extraparadisum, cur id modo non amplius faciat, *F.2, D.3, c.2, n 12.*

Fur vide Latro.

Furia.

Festa quæ furiæ in ruina Troiæ excitabant. *D.3, c.1, n.9.*

G.

S. Gabriel.

In quali habitu venerit ad salutandum B. Virginem, *Sabb. D.3, c 3, n.5.*

Per verba salutationis suæ insinuat immaculatam conceptionem Virginis Mariæ *Sabb. cin. c.1, per totam.*

Gentiles

Nouerant quod perseuerātia in odiis ferarum quædam proprietas esset. *F.6, post cin. c. 1, n. 6.*

Dicebant hominem ignoscendo inimicis suis, fieri quendam in terra Deum, *F.6, cin. c. 1, n 19.*

Cur Dæmonem adorarint, *F. 6, D.1, c.1, num 4.*

Cognouerunt pœnitentem esse alium longeque diuersum à seipso dum adhuc in peccatis hæreret, *F.5, D 3, c.2, n.15.*

Gigas

Interpretatio huius nominis, *F.2, D. 1, c.1, num. 11.*

Quia superbi erant vocabantur cadentes, *Fer. 4, D. 2, c.2, n. 5.*

Gloria Paradisi.

Hac nullus sine Eleemosyna fruitur, *Fer. 4, cin c 2, n. 7.*

Cur beati dicti sint primitiui, *F.3, D.1, c.3, num 3.*

Ratio ob quam aditus in cælum fiat per mare, *F.3, D 1. c.3, n.10.*

Adeo est sublimis, vt illam nulla eloqui possit lingua humana, *D.2, c.1, n.1, & per totam considerationem.*

A Christo de cælo in terram delata est, & quomodo. *D.2, in Exord sermonis.*

Oculi nostri eo non possunt pertingere. *D.2, c.1, n.1.*

Eius apparatus explicari non possunt, *D. 2, c.1, n.3.*

Non reperitur vlla comparatio ad bona eius explicanda. *ibid. n 5.*

Nescire possumus quid sit, donec videamus. *ibid.*

Cur appelletur manna absconditum *ibid. num.7.*

Cur Dauid balbutiuerit de eius bonis loquens, *ibid n. 8.*

Deus in cælo cum beatis haud secus se habet, ac si esset mortuus. Et cur *ibid. n. 9.*

Is quo humana lingua de illa loqui præsumit.

sumit magnam vtique illi iniuriam facit. *ibid num.* 10.

Aurum, monilia, coronæ, aliæq; similes diuitiæ nihil sunt in cõparatione illius, *ibid.*

Beati de eo quo fruuntur, aliud dicere nequeunt quam quod Deum videant. *ibid. num.* 12.

Cur in quadro fabricata sit. *ibid. Consid.* 2, *num.* 1.

Bona illius stabilia sunt, in oppositum illorum quibus hic in terra fruimur. *ibid.*

Cur appelletur ciuitas noua. *ibidem num.* 4.

Bona cæli nunquam inueterascunt. *Dom.* 2, *c.* 3, *n.* 4.

In ea nullus locus est sinister. Et cur ita. *ibid. c.* 1, *n.* 7.

Diuitiæ illius nunquam deficient. *ibid.*

Consolationes cælestes quia in Deo fundantur, nunquam deficient. *ibid. n.* 10.

Maxima pulchritudo in cælis conseruatur. *D.* 2, *consid.* 3, *n.* 3.

Est ciuitas à Regibus duntaxat inhabitata. *ibid. n.* 2.

Nostræ elegantiæ & decores, sursum in cælis nihili fiunt. *ibid. consid.* 3, *n.* 3.

Qui vident pulchritudinem cælestem hanc terrenam derident. *ibid.*

Eius aspectus homines obstupescere facit. *ibid. n.* 6.

Si sancti illam in hac vita conspicere possent, stultorum opera facerent. *ibidem num.* 9.

Et præ magnitudine desiderij illam reuidendi morerentur. *ibid. n.* 11.

Gratia diuina.

Cum sollicitudine acquiritur. *F.* 3, *D.* 1. *c.* 3, *por totam.*

Non conceditur sine nostro merito *F.* 2, *D.* 3, *c.* 3, *per totam.*

Cur tribulatio dicta sit gratia. *Fer.* 5, *D.* 2, *c.* 2, *n.* 3.

Gula, Gulosi.

Secum defert diluuium quoddam omnium vitiorum, præcipuè vero lutum carnalitatis, *D.* 1, *c.* 2, *per totam considerationem.*

Mater est infinitarum enormitatum, *ibid. num.* 3.

Ægyptij ex detestatione gulæ, ventrem cum alijs membris nunquam sepeliebant, *ibid. n.* 4.

Gula & luxuria semper vna incedunt *ibid. num.* 10.

Perdit sanctos

Est abominabilis Deo. *D.* 2, *c.* 3, *n.* 4.

Gula Adæ caro valde pretio Christo stetit. *ibid n.* 5.

Propter Gulam mundus consummabitur. *ibid. n.* 6.

Quantum beneplacitum Dæmon in gula habeat. *ibid. n* 9.

Gulosi qui mensam non benedicunt venenum comedendo accipiunt. *ibid c.* 2, *n.* 5.

Dæmon saginatur per gulam. *Dom.* 3, *c.* 1, *num.* 17.

H.

Hannibal.

Crudelitas eius admirabilis erga inimicos. *Dom* 3, *c.* 1, *n.* 7.

Hæres.

Quomodo cum Deus sit immortales Dei possimus esse hæredes *D.* 2, *c.* 1, *n.* 9.

Hebræi.

Saluari nolunt, quia vident saluari gentiles. *F.* 2. *D.* 3, *c.* 1, *n.* 15.

Cur in vno loco firmi stare nequeant.

Herodes.

Cur moriens occidi voluerit cunctos nobiles totius regni sui, *F.* 2, *D.* 1, *c.* 3, *n* 7.

Turbatus Herodes totam Ierosolymam turbauit & quomodo, *F.* 4, *D.* 3, *c.* 1. *n.* 2.

Homicidium, Homicida.

Homicida vsurpat potestatem diuinam. *F.* 3, *D.* 1, *c.* 3, *n.* 12.

Terra abominatur homicidium, *F.* 2, *D.* 3, *c.* 1, *n.* 2.

Homo.

Eius proprietas naturalis est misericordia. *F.* 6. *cin c.* 1, *n.* 7. & 8.

Non est natura sua vindicatiuus, *ibid. n* 9.

Cur natura bestias armauerit, hominem vero inermem procreauerit. *ibid,*

Debet habere cor aureum. *ibid. n.* 10.

Non est homo quando nocet hominibus alijs *Fer.* 6, *cin consid.* 2, *n.* 2.

Quomodo verificetur Maiestas hominis super pisces. *F.* 2. *D,* 1. *c.* 1. *n.* 1.

Est in mundo sicut Crocodilus in aquis *Fer.* 6, *D* 1, *c.* 1 *n* 1.

Similis est noctuæ, *F.* 2. *D.* 2, *c.* 1. *n.* 7.

Similis est trocho *ibid. n.* 6.

Potius in senectute pilos quam vitiũ mutabit.

tabit, *ibidem considerat.2, per totam.*

Honorat & adorat Deum ex timore, *F. 6, D.2, c.1, per totam.*

Est animal timidum: & quare. *ibid nu 15,*

Exosus est Dæmoni, *D.3, c.1, per totam.*

Honor.

Tanti valet quanti cunctæ res pretiosæ huius vitæ, *F.5, cin. c.2, per totum.*

Pro honore conseruando deserendæ sunt diuitiæ, *ibid. n.3*

Pluris valet quam vita, *ibid. n.5*

Cur res ad honorem spectantes dissimulentur, *ibid n.6*

Christus pro honore pati & mori voluit. *ibid. n.13, vide v. Fama.*

Humilitas.

Valde necessaria est ad bonam orationem *Fer.5, D.1, c.2, per totam.*

Impetrat gratias hominibus, *ibid. n.3*

Efficit vt homo cito obtineat pro quo rogat, *ibid. n.6*

Incarnatio facta est ad instantiam humilitatis, *ibid. n 8*

Effecit Moysen Deum quendam, *ibid. n.9.*

I

Iacob.

Ne recuperando honorem perderet vitam, surdum se finxit, *F.5. cin. c.2. n.6*

Cur cum Pharaone tractans se Iacob & non Israël appellauerit, *Dom.2, consid.2, num.6*

Timebat & reuerebatur locum in quo dormiuerat, & cur? *F.2, D.1, c.2, n.9*

Fratrem suum appellabat Dominum. Et cur, *F.5, D 1, c.2, n.4*

Precibus suis Deum vinctum tenebat, *ib. c.3, n.6*

Dominus factus est fratris sui quia sapiēs erat, *Fer.4, D 3, c.2, n.6*

Ieiunium.

Facit hominem sanctum & perfectum, *D.1, c 1. per totam.*

Sanctos & perfectos sanctiores & perfectiores efficit, *ibid. n.5*

Vnus ieiunat, & per illud ieiunium alterum sanctificat, *ibid. n.7*

Facit homines miraculosos, *ibid. n.8*

Ieiunans non homo, sed angelus esse videtur, *ibid n. 9. & 10*

Quodsi angeli manducare possent quid manducaturi essent, *ibid n.11.*

Est vita Paradisi, *ibid.*

Ieiunantes sunt sicut beati in cælis, *ibid. num. 12*

Moyses & Elias per ieiunium faciem Dei videre meruerunt, *ibidem.*

Incutit formidinem Diabolo, *Dom.1, c.3. num. 8*

Occidit Dæmonem fame & quomodo, *D.3, c.1, n.17*

Ignis.

Ignis Inferni est ignis chymæricus? Et cur, *F 5, D.2, c.3, n.2*

Mulier ignem secum defert, *F.4. D.2, c. 1, n.15*

Ignorantia ignorans

In superiore peior est tyrannide *F 4, D.3, c.2, per totam.*

Ignorantes non debent imperare sed subesse, *ibid n.2*

Superior ignorans, fera est strictum in manu gladium vibrans, *ibid. n.6*

Ignorans non est homo, sed statua, *ibidem num 8*

Superior ignorans onerat subditos peccatis. *ibid. num.9*

Imperator.

Coronam à Pontificis summi pedibus sibi impositam accepit, & cur, *Fer.3, D.2, c.1, n. 12*

Infernus.

Ignis Inferni nullum habet extinctionis remedium, *F.5, D.2, c.3, per totam.*

Deus siccis illum aspicit oculis, *Ibidem num, 2*

Peccata hominum quæ in hac vita remedium habent irremediabilia sunt in Inferno, *ibid. n.3*

In inferno septimana Sabbatthum non habet. Et cur? *Ibid n.4*

Pœnæ inferni augeri non possunt, *ibidem num.5*

Cur appelletur Barathrum, *ibidem n 6*

Cur ex Adamantibus constructus esse dicatur, *ibid n.7*

Sanguis Christi infernum iuuare non potest, ibidem.

Diues Epulo cognoscebat satis se ex inferno egredi non posse, *Ibid. n 8*

Vulpis astutiam imitari oportet ne ingredamur infernum, *ibid. n 9*

Timor inferni vtilis est hominibus, *F.6, D.2, c.1, n.9*

Intrare debemus infernum vt euadamus infernum, *ibid. n.12.*

Inui-

Inuidia est viuus quidam infernus. *F.* 2, *D.3,c.1.per totam.*

Cur dicatur Erebus, *ibid.n.* 10

Cur animæ Purgatorij dicant se esse in inferno, *F.5,D.3 c.1,n.10*

Inimicus.

Qui amat inimicum, & pro illo orat, illique benefacit, homo, imo Angelus & Deus quidam in terra est. Econtra qui inimicum odit, ipsi maledicit, aut illum damnificat, non homo sed Dæmon quidam est, *Vide omnes consid, Fer.6 post cineres.*

Seminator inimicitiarum non homo sed Dæmon esse videtur.

Interesse mundanum.

Efficit vt homines magni æstimentur, *F. 6.D.1,c.1,n.3*

Nisi obstaret interesse, nullus pauper vel semel aspiceretur. *ibid.*

Homo propter proprium interesse aliqua facit quæ nunquã alius esset facturus *ib. n.6.*

Homo omni interesse seposito, ne ipsum quidem Deum cognosceret, *F.6,D.1,c.1.per totam.*

Interesse sacerdotum impedit omnem exercitiorum suorum fructum, *F.3.D,3 c.2, per totam.*

Sacerdotes qui interesse suum attendunt non bene ambulant. *Ibidem n 9.*

Inuidia, Inuidi.

Locus in quo regnat inuidia infernus est, *F,2,D.3.c 1,per totam.*

Inuidi sunt tenebræ, Et cur, *ibid n 3*

Sunt in infernum priusquam ingrediantur infernum, *ibid n.5.*

Cur vocentur maligni. *ibid nu.6.*

Ardent igne inferni, *ibid.*

Viuunt in perpetua morte, *ibid n,2*

Non reperitur maius tormentum, quodque sit sine omni remedio, *ibidem.*

Inuidi sunt sicut Dæmoniaci, *ibid n.9*

Inuidia est furia infernalis, *ibid n* 10

Inuidus maius habere tormentum non posset, quam si poneretur in Paradiso *ib n.11*

Si posset tamen nollet saluari, ne Deum de bono suo lætificaret, *ibid.n.12.*

Inuidia hominem in Dæmonem transformat, *ibid n.13.*

Angelum in Dæmonem transformauit, *ibidem.n.13*

Inuidus dolet de lætitia quam proximus ex bono suo capit, *F.2,D.3,c.1.n.14.*

Cur inuidus vocetur senior, *ibid.n.15.*

Hebræi per inuidiam saluari nolunt, *ibid.*

Inuidia inter subditos oritur ex partialitate superiorum, *F.4,D.3,c.1,n.6*

Iob.

Quid Dæmon intenderit, quando hunc affligebat. *F.6,D.2,c.1,n.5*

Ionas.

Cur conseruatus fuerit in ventre ceti. *F. 6,D.2,c.2.n.6.*

Ioannes Baptista.

Propter ieiunium æstimabatur Angelus, *Dom.1,c 1,n.10.*

Ioannes Apost & Euang.

Anima Christi plus in Ioanne quã in proprio corpore erat, *F.4,cin.c.3,n 11.*

Erat summè dilectus à Christo, *ibid.*

Notus erat Caiphæ, Et cur, *F.6,D.1,c,1.n.8*

Vna cum Iacobo repræhensus est à Christo Et cur, *D.2,c.2.n.7*

Ioseph sponsus B V.M.

Christus illi obediuit vt matris suæ conseruaret honorem, *F.5,cin.c.2,n.12.*

Cur non cognouit B. Virginem postquã facta fuit mater, *Sabb.D,1,c.3.n.11.*

Ioseph Patriarcha.

Adoratus est à fratribus suis propter interesse, *F.6,D.1,c.1,n.6*

Cur pincerna Pharaonis ipsius fuerit oblitus, *ibid.n.7.*

Ira.

Spoliat hominem sua humanitate, *F 6, Cin.c.2.n.3.*

Itterus, siue Icterus.

Auis miræ valde proprietatis, *Sabb.D.2. c.1,n 12.*

Iudices.

Eo ipso quo sese passionibus humanis dati in prædam, incapaces sunt vt determinent verum, *F 4.D 3,c.1,n,1.*

In administratione iustitiæ debent animũ retinere tranquillum, *ibid.n,9.*

Cum sunt auari infectas manus habent, *ibid.c.3 n.1.*

Recipere iudicium non est recipere sed prædari & furari, *ibid c 3.per totam,*

Munera petunt sicut milites armati. *ibid. num.7.*

Sunt accipitres. Et cur, *ibid.n.6.*

Pro lucro habendo populos commouẽt, *num.8.*

Iudicium vniuersale.

Mundo aduenict propter peccatum Gulæ, *D.1,c.3,n.6*

Innocentis in illa die timebunt, Et cur *Fer.2,D.1,c.2,n.10*

Visio vulnerum Christi erat maximum peccatoribus in illa die tormentum, *ib.n.17.*

Quam tremenda vox Christi illa die futura sit, *ibid consid 3, per totam*

Christus in illa die se exhibebit crucifixum, Et cur. *F.3,D 1,c.2,n.15*

Vide Feriam 2, Dominica 1, per omnes considerationes

L.

Lachryma.

Gaudium magnum Deus è lachrymis nostris concipit, *F 3,cin.c.3, num 2*

Faciunt homines beatos, *F 5, D.3,c.2,n.5.*

Vide Pœnitentia

Lætitia

Hæc in nobis à Deo requiritur non in corde tantum, sed etiam in facie. *F.5,cin.c.3.nu.9*

Lamech

Cum esset cœcus & decernitur adhuc exercitijs vacabat venationis, Et cur, *Fer.2, D.2,c.2,n 7*

Lamia

Oculos suos in arcula quadam tenebat, Et cur, *F,4,D,1.c.2,n 6*

Antiqui dicebant quod Lamiæ essent Dæmones, *D,3,c.1,n.8*

Latro

Vir nobilis & vitiosus est pessimus latro qui inueniri possit. *F.4,D.1,c.3,per totam*

Cur Iudices auari sint dicti latrones, *F.4, D.3,c.3,per totam*

Recipere superiorum non est recipere sed prædari, *ib per totam*

Leges

Obseruantur à paruis & pessundantur à magnis, *F,4,D.1,c 3,n.3,*

Sunt instar telæ aranearum, *ib.*

Lex erat Romanis quod sacerdotes aliorum ciuium dignitates habere non possent, Et quæ illius causa, *F.3,D.2,consid.1, num.5.*

Leo

Symbolum est hominis vindicatiui, *F,6, cin c.1,n.4*

Adeo est terribilis, vt nulla se illi fera associet, *F 2,D.1,c.2,nu.1*

Oculi leonis semper sunt terribiles licet ipse sit mansuefactus, *ib.n.5*

Quantum terrorem adferat eius rugitus, *F.2,D.1,c.?,n.1*

Cur occiderit Prophetam & non asinam. *F.2,D.2,c.1,n.13*

Lepus

Vnde deriuetur hoc nomen Lepus, *F.5, D.1,c.3,n.2*

In ore leonis saluatur à canibus, *F.6,D,2, c.3,nu.10*

Boni superiores dicuntur lepores Et cur *F.4,D.3,c.2,n.10*

Labia ipsorum sunt in motu continuo, *ibidem*

Lingua

Lingua cuius non est vsus nisi in damnum proximi, est lingua bestialis, *F.6, cin c 3, per totam*

Lingua pro inimico orans est lingua angelica & diuina, *Fer.6,cin.c.3,n 7,& seqq.*

Qualis lingua hominis talis erit & ipse Homo in Inferno, *ibid.*

Sicut non est bonum maius, lingua bona, sic nec malum deterius lingua mala, *D.3,c.2,per totam considerationem*

Lingua hominum spiritualium est angelica, *ib.num.3*

Cur lingua Hebræa appelletur sancta, *ibid n.4*

Lingua bona digna est esse in cœlo inter Angelos, *ib n.5,& 6*

Lingua humana beatorum gloriam explicare non potest, *D.2,c.1,per totam*

Auiculæ dicuntur lingua Dei, Et cur, *Do.3,c.2, num.7*

Lingua mala est lingua Dæmonis *ib.n.8.*

Cur Pauo dicatur habere linguam Dæmonis, *ib.*

Linguam murmuratorum oderint tam boni quam mali, *ibid.nu 10*

Mala lingua peior est quam lingua Dæmonis, *ib.n.11.*

Linum

Cur sacerdotes vestiantur veste linea, *Fe.3,D,2,c.2, nu 5*

Flos lini quid significet, *ibid.*

Litterati

Torquentur à curiositate *F.4,D,1,c.2.n.11.*

Superiores debent esse literati, *F,4,D,3,c.2,n 6,& 7*

Lumen

Qui illud perdidit & miserias suas non videt derelictus est à Deo, *Do.3, c.3.n.2*

Qui carent lumine quo peccata sua videant nequeunt etiam pro illis inuenire remedium, *D 3, c 3, n 3*

Qui habet lumen habet flumen, *ibidem num. 11, & 12*

Luna

Symbolum est Regiæ potestatis

Symbolum est Deiparæ Virginis, *Sabb. D. 2, c 1, n. 12*

Quando plena est, rorem stillat, *Sabb. D. 2, c 1, n 12*

Luxuria, luxuriosi.

Luxuriosi non habent Cor, Et cur, *F. 4. cin c 3, n 6*

Luxuria est filia gulæ, *D, 1, c. 2, n. 4, & seqq.*

Luxuriosi sunt Equi, Et cur, *ibid n. 6.*

Gula & luxuria semper vna incedunt sicut amatæ & amantes, *ib. n. 9*

Fuit secundum peccatum quod in mundo est commissum, *ib n. 10*

Magnum inde Dæmon concipit gaudiũ, *D 1, c 3, n 8 & 9*

M.

Malogranatus

In Sicilia hæc poma non sunt gabellis subiecta, E cur? *Sabb. cinerum, c. 2, n. 8*

Quid significarint ij qui ex fimbria vestis sacerdotalis suspensa erant, *F 3, D. 2. c. 1, n. 10.*

Mammilla

Sunt propugnacula cordis, *F 4, D. 3, c. 1. nu. 5*, Cur Deus mammillas æque viro ac mulieri dedit, *ibid.*

Manus

Manus vindicatiuæ bestiales sunt & Diabolicæ: mansuetæ autem sunt humanæ Angelicæ, imo diuinæ, *Fer. 6. cinerum consid. 2, per totam consid.*

Manna

Cur beatorum gloria appelletur manna *D. 2, c 1, nu 7*

S. Maria

Anima Christi plus in matre quam in proprio corpore erat, *F. 4, cin c, 3, n. 9*

Anima Virginis vulnerata fuit lancea qua vulneratum est latus Christi Et cur, *ibid.*

Quid Deus fecerit pro eius reputatione conseruanda, *F 5, cin c 2, n, 12*

A Christo plusquam aliæ mulieres honorata, *Sabb cin. c. 3, n 7*

Corpus eius sicut aurum resplendebat, & capilli illius velut radij solis, *Sabb. D 1, c 3, n. 2*

Splendores illius angelos obscurabant, *ibid n. 6*

Pulchritudo eius opus non habebat ornamentis, *Sabb. D. 2, c. 1, n. 7.*

In ijs à quibus conspiciebatur libidinosa extinguebat incendia, *ibid, n. 9, & seqq.*

Est vera Angerona, *ibid. c. 2, num. 7*

Multimammia verè dici potest, *ibidem num. 10*

Christus caput in Cruce inclinans Matrem indicare volebat. Et cur. *ibid. consid. 3, n. 5*

Conceptio B. V. M.

Similis est auroræ ob gaudium quod in illo Conceptionis puncto S. Angeli fecerũt, *Sabb. cin, c 1, n. 5*

Extraordinaria dulcedine sua cælos impleuit, *ibid n. 6, & 7*

Dulcedinem istam animæ S. Annæ communicauit, *ibid.*

Ob Dei matrem tempus illud quo ipsa viuebat dici poterat ætas aurea, *ibidem num. 4*

Festum quod Ecclesia illo die instituit, insigne est innocentiæ suæ argomentum, *ibi. num. 8*

Vitam accepit cum benedictione, *ibide num. 10.*

Ob id digna est omni laude, quod aliis sanctis minime competit, *ibid n. 11.*

Monile adinstar Murenæ fabricatum, significabat hoc mysterium, *ibidem num. 16.*

A peccato præseruari debuit eo quod sit Domina Angelorum, *ibidem numer. 12.*

Vide Sabbatho post Cineres, vbi per omnes considerationes, de hac materia tractatur.

Annuntiatio B. M. V.

Ex salutatione facta à S. Gabriele Archãgelo optime explicatur eius immaculata conceptio, *Sabb. post Cineres. c. 1. per totam Considerationem.*

Cur turbata fuerit de sermone Angeli, *F. 4. D 1, c. 1, n. 3*

Angelus de cælo descendit, vt suam in terris pulchritudinem videret, quæ postquã in cælos introducta fuit omnes angelos in stuporem adegit, *Sabb D. 1, c. 3, n. 9*

Deus cum omnibus cælis ventrem illius est ingressus, *ibidem nu. 12.*

S. Gabriel in serui habitu B. Virgini apparuit, *ibidem. num 5*

Mater-

Maternitas B.V.M.

Ex quo electa est vt fieret mater Dei à quocunque peccato præseruari debuit, *Sab. post cineres consid.2, per totam*

Ob hanc dignitatem à Deo præ cunctis alijs mulieribus honorata fuit, *ibid con.3, n 7.*

Maternitatis honor tam ingens est, vt sit incompræhensibilis, *Sab.D.1, c.1, n 9*

Quodsi mundus ipsa adhuc in hac vita degente maternitatis dignitatem intellexisset, illam vtique Deam æstimasset, *ibid.c.2, n.9, & 10*

Cur à Christo crucifixo vocata sit mulier & non mater, *ib n.10*

Vt digna esset quæ mater Dei fieret opus fuit, vt esset omnium pulcherrima, *Sab. Do: 2, c.1, per totam consid.*

Visitatio B.V.M.

S. Elisabeth illam matrem Dei agnoscebat ex ingenti lumine quod è vultu illius radiebat, *Sab.D.1, c.3, n 10*

Purificatio B.V.M.

Quomodo S. Simeon B.Virginem inter tot matres templum ingredientes dignoscere potuerit, *sab. D 1, c.3, n.3*

Cur Ecclesia in hoc festo tot luminaria accendat, *sab.D.1, c.2, n.5*

Non indigebat Purificatione, *sabb. D.1, consid.2. per totam*

Sola inter omnia creata est purissima, *ib. num.7*

Videbatur incola esse regni cælestis, *ibid. num.8*

Videbatur esse Angelus quidam incarnatus, *ib.n.9*

Assumptio B. V. M.

Nullus oculus ad locum istum pertinere potest vbi B.Virgo modo in cælis sedet, *sab. D.1, c.1, n.5*

Subtus se habet omnes altitudines, *ibid. per totam considerationem*

Subtus se tenet omnes Angelos & electos Dei qui sunt in cœlo, *ibid n.1, & 2*

Homines ad sedes seraphinorum pertingere possunt, non tamen ad sedem B. Virginis Mariæ, *ib n.5*

Vide primam Considerationem Sabbathi Dominica secunda per totam

Intercessio B.V M.

Qui habitat in adiutorio & protectione B.Virginis, nulla iam re amplius indiget, *Vide sabb.D.2, c.1, per totam*

Ad sinistram Crucifixi filij sui stabat, vt nos adiuuaret, *ibid.n 1, & 2*

Nullum est tempus in quo pro nobis non intercedat, *ib.n 2*

Gratiæ quarum B.V. est plena, sunt nostræ; & cur, *ibid n.3*

Succurrit etiam non rogata, *ib.n.5*

Priusquam constituamur in necessitate ipsa procurat remedium, *ibi n.5*

Deuotos suos tristes videre non potest, *ib.n.6*

Vere Consolatrix est afflictorum, *ib.*

Plus pro nobis apud Deum obtinet, quã nos ab ipso postulemus, *ibid n.8*

Vbera habet sicut turris, *ibi.n.9*

Habendo ipsam panem quoque nostrum secure habemus, *ibid.n 11.*

Protectio B. V. M.

Iustitia illos tangere non præsumit, qui ad ipsam confugiunt: Et cur, *sabb. D.2, c.2, per totam*

Non est qui percutientem Dei manum impedire possit, sicut ipsa, *ibid.n.3*

Vbera illius sunt sicut munimentum quoddam, quod defendit & conseruat humanam generationem, *ib n 2*

Quo ad ipsam accedit ab igne diuini furoris nequaquam læditur, *ibid n.6*

Est fortalitium quod omnem nobis præstat securitatem, *ib.n 8*

Visitat animas Purgatorij, *F 5, D 3, c.1, n.8*

Symbola B V M.

Significatur per auroram, *sabb post cineres consid.1, n.4*

Per lunam plenam, *sabb Do.2, c 1, n.12*

Per fiscellam scirpeam Moysis, *sabb. cinerum c.2, n.2*

Per ieiunium, *ibidem*

Per thronum sapphirinum, *ib.c.3, n 2*

Per cœlum, *ibid n.4*

Per verticem cedri, *sabb.D.1, c.1, n.1*

Per coronam Paradisi, *ib.n.2*

Per vas luminosum, *ib.c.3, n.1*

Per facem accensam, *ib. c.2, n.5*

Per solem, *ibid n.6*

Per domum auream, *sabb.D.2, c.1, num.2.*

Per rorem, *ibid.n.10*

Per turrim eburneam, *ibid c.3, n.6*

Maria Magdalena.

Erat

Erat corpus quoddam sine anima, Et cur, *F.4, cin.c. 3, n.14*

Plus ipsa Christo sedendo placuit quam Martha laborando, *F, 5, cin. c.3, n 8*

Cur ipsa Christum, quem hortulanum existimabat Dominum vocarit, *F.5, D.1, c.2, num.2*

Postquam Peccatum suum defleuisset facta est alia à semetipsa antea peccatrice, *F. 5, D 3.c.1, n.10*

Merito à S.Luca appellata est peccatrix & immerito talis vocata est à Pharisæo, *ibid. num. 11*

Martyres Martyrium

Habitabant in corde Christi, Et quo modo, *Fer.4, cin.c.3, n.12*

Videbantur nullum in tormentis sentire dolorem, *ibidem*

Vide Tribulatio

Mater

Præ alijs mulieribus plus honorari debet, *Sabb. cin, c.3, n.7*

Medusa

Allegoria fabulæ, de Medusa quod videlicet illam aspicientes in saxa fuerint transformati, *D.2, c.3, n.8*

Mel

Combustum fœtet, *F.5, cin.c.2, n.8*

In puncto quo concepta fuit Virgo Deipara, cœli stillauerunt mel, *sab. cin.c.5, 1, n.7.*

Mel colchicum Græcos insanire fecit, *D. 2, c.3, n 11*

S. Michael

Cur Dæmoni maledicere noluerit, *Fer.6, cin.c.3, n.7*

Quantam habeat eorum curam, quos custodit, *F, 6, D.2, c.1, n.7*

Misericordia Dei

Quanto plus Deus irascitur tanto magis miseretur, *F, 4, D, 1, c.2, per totam*

Iustitia est manus Dei sinistra misericordia autem est dextera eiusdẽ, Et cur, *ib. n.1*

Semper monet priusquam flagellet, vt euadere possimus, *ib. n.2*

Diluuium fuit opus misericordiæ, *ibid. num.3*

Deus Adamum punire volens aspirante Zephyro veniebat, *ibid n 7*

Arma manu sua tenet quasi vindicaturus, & intercessores quærit *ib. num.11*

Quærens Adamum clamabat, *ibid.*

Cum Deus à facienda iniustitia non impeditur affligitur, *ibid num.13*

Castigaturus adueniens venit cum sonitu campanellarum, *ib n.11*

Plorat quando castigat, *ib. num.14*

Falce vtitur ne obliuiscatur misericordiæ, *ib, n.5*

Moyses

Pluris æstimabat, salutem proximi quam gloriam Paradisi, salua nihilominus diuina gratia, *F.5, cin.c.1, n.9*

Difficillimas à Deo impetrabat gratias, Et quomodo, *ibid. c.2, n.11*

Dum Deum pro inimicis oraret Deus quidam reputabatur, *ibid c.3, num.9*

Meruit diuinam videre faciem, Et quo merito, *ibid. c.1, num 13*

A Deo constitutus est Deus, Et cur *ibid. c.2, num.9*

Impediebat Deum, ne irasci posset Et cur *ibid. c.3, n 7*

Contemnebat coronas Regum

Habebat Angeli officium

Referebat Christum, *F.3, D.2, c 3, n.1*

Cur tantas mouerit difficultates quando Deus illum in Imperatorem elegerat, *F.4, D.2, c.2, n.6*

Monarchia

Sunt veluti rotæ, Et cur, *D.2, c.2, n.9*

Mors, Mortuus

Cur homines post mortem suorum nigris vestiantur, *F.4, cin. c.3, n.2*

Sancti de momento in momentum mortem expectant, *F.2, D, 2, c 1, n.5*

Peccator mortem sibi vicinam habet, *F, 2, D.2, c.1, per totam*

Mors semper est vitæ valde comformis, *F, 2, D.2, c.3, per totam*

Qui cum Deo viuit, sine Deo mori nequit, *F.2, D.2, c.3, n.5*

Mulier

Mulier quæ sese exornat Dæmonis faciẽ habet, *F.4, cin.c, 1, n.13*

Quæ honorem perdit omnia amisit, *F, 5, cin.c.2, nu.3*

Solemnitates frequentat, vt videatur, *D. 1, in Exordio sermonis.*

Cur mulieres iuxta portas tabernaculi stantes pulchræ fuerint, *ibid. c.3, n, 2*

Est validissimum instrumentum quo Dæmon vti potest, *F.4, D,2, c.1, per totam*

Mulieribus mediantibus Dæmon animas turmatim ad infernum perducit, *ib.n.3.*

Mulier est causa cur mundus sit veluti sine Deo, *ib.n.5*

Quod si Dæmoni in cœlis vel vna mala mulier ad manum esset, & Beati peccare possent spoliaret cœlum electis, *ib.n.7*

Apta est vt peccare faciat hominem quãtumuis sanctum, tametsi is ipsis quoq; Angelis foret æqualis, *ibid n.8*

Stupenda prorsus res est virum ab hoc instrumento fuisse à Dæmone infestatum, nec tamen fuisse superatum, *ib.n.9*

Dæmon illa mediante impedire voluit mortem & Passionem Christi, Et cur, *ib. n.* 10, *&* 11,

Dum viro insidias struit, iam non mulier sed Dæmon quidam esse videtur, *ib n.12*

Non sufficit mulier præcipitasse viros in afflictiones temporales, *ib.n.13*

Est Dæmon qui deteriorem secum ignẽ defert, quam fuerit ignis Sodomæ, *ib.n.14*

Incendit sanctuariũ Dei & quomodo *ib.*

In India mulieres Dæmonum nominibus appellantur, Et cur, *ib n.16*

Est Dæmon delectabilis, *ib.n.17*

Mundus Mundani

Quisquis in mundo fingere nescit viuere nescit, *F.4, cin c.1, per totam*

Mundus non videt nisi per conspicilia proprij interesse, *F.6, D.1, c.1, per tot consid.*

Mundus te adorabit, cum tui opus habuerit, *ib n.6*

Mundus vt vult sibi inseruiamus suis tamen seruitijs tibi non correspondet, *ib.n.7.*

Mundani similes sunt Poliphemo, Et cur, *ib n.10,*

Mundus ne ipsum quidem Deum fine proprio interesse agnosceret, *ib.n.11, & 12.*

Mundus plenus est traditoribus, *ib.consid. 2, per totam*

Mundus est mari similis, in quo nemo pedem solidè figere potest, *ib n.3.*

Illos duntaxat tradit, qui ipsum amant *ibid.*

Est velut alter quidam Vespasianus Imperator, Et cur, *ibid c.3, n.1.*

Omnia sibi vendicat, adeo vt Deo nihil reliquum supersit *ibid.c.3, per totam considerationem*

Depauperat diuites atque ad inopiã & mendicitatem illos redigit, *ib.n.6, & seqq.*

Munera vide Indices

Murmuratio Murmurator

Murmurator bonis æque ac malis exosus est, *Do.3, c.2, n.10*

Murmuratio subditorum oritur ex partialitate superiorum, *F.4, D 3, c.1, n.4*

Vide Lingua

N.

Nabuchodonosor

In quam speciem bestiæ transformatus fuerit, *F.4, D 1, c.3, n.4*

Nemroth

Per artem faciendi primam sibi mundi coronam acquisiuit, *F 4, cin c.1, n.3*

Nobilis

Nobilis vitiosus maximum est populi alicuius flagellum, *F 4, D.1, c.3, per totam*

Est latro crudelissimus qui inueniri possit, *ib, n.2*

Nec diuinas nec humanas leges timet, *ib, num 3*

Est latro viarum, *ibid n.4*

Similis est Cardamo, *ib n.5*

Est sicut splen infirmum, *ib.n.6*

Qui agit cum illo cum Dæmone tractat *ibidem*

Inimicitiæ nobilium in damnum plebis resultant, *ib n.8*

Diuitias acquirunt magno pauperum damno, *ib.n.13.*

Magna etiam cum Reipublicæ pauperie, *ibid.n.6*

Volunt Dij quidam in terris æstimari, *ibid n.11*

Bona & vitam omnium aliorum in suis manibus tenent, *ib n.12, & 13*

Quilibet insolentiam illorum patienter suffert ex metu deterioris mali, *ibid.*

Noe

Fabula quæ vulgo circumfertur de Noe plantante vitem, *D.2, c.2, num.8*

Nomen

Magnum nomen magnam quoque obligationem secum infert, *F,3, D.1, c.1, n.2*

Opera correspondere debent nomini, *ib, num 6, & seqq.*

Oculi

Allegoria Fabulæ Poliphemi qui vnico tantum oculo præditus erat, *F 6, D,1, c.1, n.10*

Lamia

Lamia vetula quæ oculos suos iu arcula quadam domi reclusos habebat, *F.4,D.1. c.2,n.6*

Vide lumen.

Odor.

Cur odor Deiperæ sit odor suus, *Sabb.cin. c.1,n.13*

Nonnulli ex vestium odore agniti & capti, *F.3.D.1,c.1,n.8.*

Odor bonæ famæ optimus thesaurus, *F.5 cin.c.2,per totam.*

Opera.

Quæ fiunt ad nostrum beneplacitum Deo non placent, *F.5,cin.c.3,per totam.*

Deus gratias suas sine nostro merito nequaquam donat, *F.2,D.3,c,3.per totam.*

Oratio.

Quomodo fieri debeat, vt impetremus quod volumus, *F.5,cin c.2,n.11*

Exauditur à Deo dum se homo conformat diuinæ voluntati, *Ibid.c 3,n.4*

Quæ fit aduersus inimicum voce bestiæ funditur, *F.6,cin.c,3,per totam.*

Qui pro inimico Deum orat, se veluti Deum quendam exhibet, *ibid.n.9*

Vt placeat Deo cordi quoque consona esse debet, *F.5,D,1,c.1.per totam.*

Nimiæ cogitationes orationem impediunt, *ibid n.2*

Ad id insinuandum clericis coma detondetur, *ibidem.n 3*

Homo dum orat semetipsum abnegare debet. *Et cur, ibid.n.10*

Cur Dauid dixerit quod voce sua orasset *ibid.n.11*

Orationes aliquorum fiunt voce Psittaci, *ibid.*

Anima orantis humiliare se debet, vt in rectum scopum collimare possit. *ibid.c.2,per totam.*

Humilitas efficit vt oratio citius impetret, *ibid.num.6*

Humilitas obtinuit vt Deus homo fieret, *ibidem.n.8*

Fecit Moysen Deum quendam, *ib. n. 9*

Oratio peccatorum parum Deo placet, *ibid.consid 3,n.2*

In ore peccatoris turpis est. *ibid.n.3*

Oratio sanctorum ligat Deum, *ibi. n.6*

Facit vt Deus irasci non possit, *ibidem nu. 7.*

Et tantæ efficaciæ vt Deus illam vereri videatur, *ibid n.9*

Videtur posse mutare decretum diuinæ iustitiæ, *ibidem.*

Videtur efficere vt Deus id faciat, quod alias nollet, *ibidem n.11*

P

Panis.

Est pretiosissimum eorum quæ sunt in mundo, *F 5.cin c.1,n.3*

Tribulatio est panis iustorũ, *F.5,D.1,c.1 n.6*

Mater Dei est panis noster, *Sabb.D.2,c.2. num.11.*

Sapientia est in domibus Prælatorum instar Panis, *F.4,D.3,c.2,n.1*

Parentes.

Hi qui proprius sanguis tuus sunt, tui quoque traditores existunt, *F.6, D.1, Quad. Consid.2,per totam.*

Qui libenter parentes auscultant, valdo Deo placent,

Quam sint tremendi.

Passiones humanæ.

Superior passionatur est maximus communitatis alicuius inimicus, *F.4,D.3,c. 1 per totam.*

Passio excœcat hominem, *ibid.n.1.*

Non permittit vt Iudices videant veritatem, *ibid.n.7,& seqq*

Pastores.

Cur cum tanta festinatione iuerint, ad præsepe, *F.3,D.1,c.3.n.9.*

Patria.

Multum adiuta à sanctis, *F.2,D.3,in Exord.sermonis.*

S. Paulus.

Afflictiones haud secus ac honores imperiales æstimabat. *F.5,cin.c.1,n.7*

Nihil metuebat damnari, dummodo proximus saluaretur, *ibid.nu,10*

Maioris honorem quam vitam æstimabat, *ibid c.2,n.7*

Qua ratione mortalis adhuc, Deum videre meruerit, D.1,*c.1 n.14*

Qua in forma Christus ipsi apparuerit in sua conuersione, *F.2,D.1.c.1,n,12*

Cur in Ecclesia dies conuersionis S. Pauli celebretur, & non dies conuersionis aliorum sanctorum, F.6,D 2,*c.3,n 11*

Postquam à peccatis surrexit erat longe alius quam esset quando cecidit, F.5,D. 3,*c. 2,n.3.*

Pauo.

Habet vocem Dæmonis, *Et cur*, *D.3,c.2, num.8*

Pauperes,

Pauperes spiritu in cælo habitant, licet hic in terris degant, *F.4, cin.c.3, n.8*

Pauperes pro obsequiis Deo præstandis & diuites ad inseruiendum mundi quinam sint, *F.6, D.1, c.3, n.7*

Qui superbe vestiuntur sunt pauperum inimici, *ibid.num.8*

Peccatum peccatores.

Abominatur illud Deus, *Sabb.cin.c.2, n. 7*

Peccatores maius habere tormentum nequeunt, quam quod diuinæ assistant præsentiæ, *F.2, D.3, c.2, n.7*

Non debent esse læti. *F.5, D 1, c 3, n.2*

Orationes ipsorum Deo non placent, *ib.*

Defenduntur per orationem iustorum, *F.5, D.1.c, 3, n.7*

Proteguntur per iustorum societatem, *ibid.n.7, & seqq.*

Peccatum diminuit vitam, *F.2, D.2, c. 1, num 8*

Tenet hominem ligatum ne fugiat mortem, *ibid n 9, & 10.*

Societas peccatorum magnam adfert iustis vtilitatem, *F.5, D.2, c.2, n.2*

Nullum malis suis curandis inuenire remedium poterunt, nisi ea prius viderint, *D.3, c.3, n.1, & 2,*

Quod si Animæ suæ statum viderent, semetipsos exhorrescerent, *D.3, c.3, per totam.*

Peccatum ipsis quoque Creaturis insensibilibus exosum est, *F.2, D.3, c.2, per totam,*

Terra abominata est peccatũ Absalonis, & quomodo, *ibid.num.2*

Iudas ob suum peccatum in medio aëre mortuus est, *Et cur, ibid.*

Hebræi ob peccatum suum in nullo loco firmi stare possunt, *ibid.n.5*

Peccatum Cain abominata est omnis natura. Et quomodo, *ibid.num 8*

Vt peccator à Deo exaudiatur precibus indiget sanctorum, *F.2, D 3, n.6*

Ad pænitentiam cũ dulcedine reducitur, & non cum asperitate, *F.3, D 3, c. 1, per totam.*

Peccatum est pestis animæ, *F.3, D.3. per totam.*

Peccatorum vnius integram mox inficit ciuitatem, *F.3, D.3, c.3, n.8*

Peccatum idololatriæ quomodo inter Hebræos fuerit introductum, *ibid.n.3*

Peccatum transfertur simul cum mercibus. Et cur, *ibidem.*

Peccator non debet esse facie disco operta *F.5, D.3, c.2, n.8*

Non est idem qui fuit, postquam fecit pænitentiam, *ibid consid.2, per totam.*

Pericles.

Habebat fulgur in lingua. Et cur, *F.1, D.1, c.3, n.5*

S. Petrus Apostolus.

Christo volenti suos lauare pedes immerito repugnauit, Et cur, F.5, *cin. consid.3. num.10.*

Sanctior factus est postquam ieiunauit, quam antea, *D.1, c.1, n.6*

Cur Deus ipsi cito propitiatus fuerit, Adæ vero tardius, *F.3. D.1, c 3, n.7*

Ambulare super aquas potuit, Et cur, *F.6, D.1, c.2, n.5.*

In eodem quasi temporis momento beatus appellatur est sathanas, *F.4, D.2, consid.3. num.2*

Cur Ananiam occidit, & non potius correxit.

Cum Herodes illum decreuisset occidere, ipse dormiebat. Et cur, *F.6. D. 2 c, 3, num.4*

Causa cur in mari sustinuerit tempestatẽ, *F 2, D 3, c 2, n.9*

Quomodo intelligendum sit quod S. Ioan. Chrysost. de illo dicit: quod scilicet abiecerit claues cæli, quos bonus latro tandem inuenit, *F.5, D.3, c.3, n.7*

S Petrus Cœlestinus.

Vt cælum conscenderet è Petri sede descendit, *F.4, D.2, c.2, n.7*

Pyralis.

Est animalculum quod in igne viuit extra ignem vero moritur, *F.5, D.2, c.2, n.6*

Pisces.

Vt viuere possint fugere didicerunt, *F. 4, cin c.1, n 8*

Quomodo verificetur dominium quod homo habet in pisces, *F.2, D.1, c. 1, n.1*

Auari similes sunt piscibus, *F.5, D.2, c.1, num.10*

Sancti similes sunt piscibus, *ibid.c.2, n.5.*

Pluto.

Allegoria Fabulæ Matrimonij Plutonis cum Proserpina, *F.6, D.1, c.3, n.11.*

Pœnitent-

Pænitentia.

Sollicita quantum conducat, *F.3, D.1, c 3, passim per totam.*

Timor inferni optimum est ad concipiēdam pænitentiam remedium, *F.6, D, 2.c.1. num.9*

Pænitens debet respicere B, Virginem Et cur, *Sabb.D.2, c.1, n.9*

Nemo pænitentiam agere potest, quin oculos suos primo aperiat, *D.3, c.3, n.3*

Pænitens non est amplius idem qui fuerat dum esset peccator, *F.5, D.3, c.2 per totam.*

Pænitentia facit homines sanctos, *ibid. n. 2,* & *seqq.*

Pænitentia facit homines immortales & beatos, *ibid. n.5*

Facit pænitentes angelos, *ibid. n.6*

Pænitens post pænitentiam de peccatis suis non debet amplius erubescere, *ibid, n.8*

Poliphemus.

Ciclops qui vnum tantum oculum habebat, quid significet, *F.6, D.1, n.10,*

Pontifex.

Imperatori Coronam pede porrigit: Et cur, *Fer.3.D.2, c.1, n 12*

Prædicatores.

Qui proprium interesse respiciunt, nihil in cura animarum proficiunt, *F.3, D, 3, c. 2, per totam.*

Quales sint ij qui salutant per viam, *ibid. num. 4*

Piscari debent ad dexteram & non ad sinistram, *ibid num.5*

Vt bene ambulent debent habere pedes mundos, à luto, *ibid. n.9*

Prælati.

Pauci saluantur, *Sabb.* D.1, *c.1, num. 5*

Nonnulli vtuntur ecclesijs ac si essent vmbraculum, *F.3, D.3, c.1, n.10*

Cum passionati existunt, non sunt superiores, sed inimici, *F.4, D.3, c.1, per totam.*

Si sint partiales, murmurabunt subditi, *F. 4.D.3, c.1, n.4*]

Procrastinatio.

Hæc conseruatio gratiarum diuinarum multum obest. *F.3, D.1, c.3, per totam.*

Proletarij.

☛ Instituti sunt à Romanis singulari Diaboli instigatione. Et cur, *D.3, c.1, n.5*

Prometheus.

Allegoria tormenti quod patitur Prometheus, *F.4, D.1, c.2, n 11*

Cur Poëtæ dixerint homines ab illo fieri, *F, 4, D.3, c, 2, n.8*

Protheus.

Est symbolum adulatoris, *F, 4, D.1, c.1, n.7*

Christus erat veluti Protheus quidam, *F. 2, D.1, in Exordio serm.*

Protectio Diuina.

Deus suos non solum ex ore lupi, sed etiā per os lupi defendit, *F.6, D.2, c.2, per totam.*

Defendit amicos in imminentibus periculis, *ibid n.2*

Vt Moysen ab inimicis suis tueretur ipsū inter medios ablegat inimicos, *ibid,*

Qui Deum secum habet nullum sibi malum debet metuere, *ibid. n.3*

S. Petrus sub Dei cura consistens dormiebat, *ibid. n 4*

A manibus Pharaonis inter ipsas Pharaonis manus securus erit, *ibid. n.7*

Diaboli opera vtitur ad custodiendas animas, *ibid. n.8*

Amicos per inimicos defendit, *ibid. n.9*

Pulchritudo, pulcher.

Deus in mulieribus fictam abominatur pulchritudinem, *F, 4 cin. c.1, n.13*

Maxima pulchritudo quæ videri possit, in cælo est, *D.2, consid 3, per totam.*

Pulchritudo huius mundi videtur in cælo deformitas, *ibid. num.* 3.

Res nouæ semper pulchræ sunt, quæ tamen suam perdunt venustatem, cum suam perdiderint nouitatem. *Ibid. n.* 5.

Allegoria de pulchritudine Medusæ cæterarumque fororum suarum *ibid. n.* 8.

Deus amat pulchritudinem, deformitatem vero odit. *Sabb. D.* 2 *c.* 1, *n.* 3, & 4.

Nihil apud Deum toleratur quia pulchrũ sit. *ibid. n.* 4, & 5.

Cur Deus vestimenta Aaronis adeo pulchra esse voluerit. *ibid. n.* 5.

Pulchritudo Deiparæ remedium est cõtra luxuriam. *ibid. n.* 9.

Purgatorium.

Grauitas pœnarum ignis illius exponitur. *F.* 5, *D.* 3, *c.* 1, *per totam.*

Est domus venatorum. Et cur. *ibid. n.* 1.

Animæ illic non à Dæmonibus, aut ab Angelis, sed ab ipsomet Deo torquentur. Et cur. *ibid. n.* 3.

Pœnæ huius vitæ, respectu pænarum purgatorij nihil sunt *ibid. n.* 8.

Est quoddam tormentorum mare. *ibidem num.* 8.

Ignis huius vitæ respectu ignis purgatorij pictus censetur. *ibidem.*

Cur Deus se erga animas purgatorij quasi inimicum exhibeat, cum tamen amicus earum sit *ibid. n.* 9.

Pœnæ purgatorij à pœnis inferni nihil differunt sola æternitate excepta. *ibidem num.* 10.

Non infliguntur ad correctionem sed ad vindictam. *ibid. n.* 9.

Mora quæ in purgatorio sustinetur adeo longa apparet, vt animæ ibi detentæ merito existiment Deum ipsarum eximendarum esse oblitum *ibid. n* 9.

Pœna damni quam sit grauis, *ibid. n.* 12.

R.

Recipere.

Recipere Iudicum non est recipere, sed prædari. *Fer.* 4. *Dom.* 3. *c.* 3 *per totam considerationem.*

Reges.

Horum magnificentia sacerdotali æqualis est. *Fer.* 3, *Dom.* 2. *c.* 1. *passim per totam.*

Tribus rebus carent quæ sunt principaliores in hoc mundo. *Sabb Dom.* 2, *c.* 1, *num.* 11.

Regum maiestas subiectis populis valde est terribilis. *Fer.* 2, *Dom.* 1, *c.* 1. *num.* 1. & *seqq.*

Religiosi.

Contemnuntur à mundo eo quod non reddant malum pro malo, *Fer.* 6. *cin. consid.*

Rosa.

Symbolum est gratiosi sermonis, *Fer* 3. *D.* 3, *c.* 1, *n* 5.

S.

Sacerdos Sacerdotium.

Sacerdotalis dignitas vertex est honorũ omnium, ad quos euehi possumus, *F.* 3, *D.* 2. *in Exordio sermonis.*

Æqualis est regiæ dignitati, *Ibidem c.* 1. *per totam.*

Sacerdos in latino sonat Princeps, *ibidem num.* 3.

Adam prius factus est sacerdos, & postea Rex. Et cur *ibid, n.* 6.

Sacerdotium est dignitas maior regia *Ibidem n.* 6. & *seqq.*

Reges sunt subditi sacerdotibus, *Ibidem num.* 8.

Corona mundi ad pedes sacerdotis stare debet. *ibid. n.* 12.

Corona clericalis sublimior est corona regia. *ibidem. n.* 9.

Sacerdotalis dignitas intelligitur per solem. *ibid. n.* 11.

Sacerdotium est ingens quædam Monarchia *ibid. n.* 12.

Sacerdotes sunt Angeli, *Fer.* 3, *D.* 2. *c.* 1. *n.* 1. & *per totam consid.*

Cur

Cur vocentur Presbyteri, *ibid n* 4.

Conducant nos per viam cæli. *ibid.*

Pro animarum salute alas habere debent. *ibid. n* 7.

Cur lineas vestes portent. *ibid n.*5.

Non videntur homines terreni, sed cælestes. *ibidem.*

Cur Deus noluerit eos calceatos esse. *ibid. n.* 6.

Stolas ad instar Seraphinorum deferunt. *ibid. n.*7.

Cur mundus adeo ex ipsorum peccatis scandalizetur. *ibid. n.*8.

Peccata sacerdotum sunt sicut peccata Angelorum. Et cur. *ibid n* 9. *&* 10.

Malus sacerdos appellatur Dæmon. Et cur *ibid. n.*11.

Viuum est filij Dei simulachrum. *F.*3, *D.* 2. *c.* 3, *per totam consid.*

Cur homo sanguinolentus sacerdos esse nequeat, *ibid n.*3.

Cur vngitur oleo *ibid n* 4.

Antiquitus non ordinabatur nisi in mense Decembri Et cur. *Ibid. n.* 6.

Sacerdotes sunt sicut totidem Dij. *ibid. num.* 8.

Faciunt homines Angelos *ibid.*

Quando absoluunt à peccatis Deos se esse declarant *ibid n.*9.

Non debent habere peccatum, Et cur. *ibid. num.* 10.

Salomon.

Quod si damnatus est, id euenit ei ob curiositatem. *F.* 4, *D*, 1. *c*, 2. *n.* 2.

Cur volens occidere Ioab, dixerit ipsum duo commisisse homicidia, cum tantum tria commiserit, *F.* 4, *D.* 3, *c.* 1. *n.* 7.

Sancti.

Quomodo pluris æstiment salutem proximi quam cælum. *F.* 5. *cin c.* 1. *n.* 9.

Cum homo sanctus mala fama laborat Deus illum haud secus ac peccatorem æstimat *F.* 5. *cin. c.* 2. *n.* 9.

Locus quem ij, qui se Deo conformant in cælo habent *ibid. c*, 3, *n.* 2.

Laborant quia non sunt vindicatiui. *F.* 6, *cin.* 2. 1, *n.* 3.

Quanti à Deo æstimentur. *F.* 5, *cin c.* 3. *n.* 5

Orationes eorum Deo valde placent & cur *F.* 5, *D.* 1. *c*, 3, *n.* 6.

Deum ligatum tenent Et quomodo. *ibid.*

Non sinunt Deum irasci, *ibid n.* 7.

Peccatores ab ira Dei defenduntur per sanctorum præsentiam. *ibid. n.* 8.

Tantum suis orationibus possunt, vt Deus ipsos timere videatur. *ibid. n.* 9. *& seqq.*

Videntur mutare posse diuinæ iustitiæ decretum. *ibid n.* 9. *& seqq*

Videntur hoc posse efficere, vt id faciat quod alias non volebat. *ibid*, *n*, 11.

Quoadusque viuunt de salute sua securi esse non possunt *F.* 4, *D.* 2, *c.* 3, *per totam.*

Semper afflicti erunt, quamdiu sancti esse perseuerabunt. *F.* 5. *D.* 2, *c.* 2, *per totam*,

Indigent societate hominum sceleratorum; Et cur. *ibid. n.* 2.

Absque afflictione sunt sine pane. *ibidem num.* 6.

Similes sunt animalculo Pyrali. *ibidem num.* 7.

Peccatores indigent orationibus sanctorum. *F.* 2, *D.* 3. *c.* 3, *n* 6.

Oculi sanctorum miraculosas habent proprietates. *Sabb*, D. 2, *c.* 1. *n.* 12.

Sunt specula à quibus emendamus vitia nostra D, 3 *c*, 3, *n.* 2.

Sapientia.

Adeo est cuiuis rectori necessaria, vt minus malũ censeri debeat, gubernari à Tyrãno, quam ab ignorante. *F.* 4, *D.* 3, *c.* 2, *per totam considerationem.*

Cur appelletur panis, *Ibid. n.* 1.

Fulcrum est sustentans ciuitates & regna *ibid. n.* 3.

Confert homini veram hominis formam sine qua homo bestia est. *ibid. n.* 8.

Sathaniani.

Adorabant Dæmonem Et cur *F.* 6. *D.* 1, *c.* 1, *num* 6.

Senes.

In cælo ignoratur quid sit senectus. *Dom.* 2, *c.* 2. *num* 4.

Potius pilum quam vitium mutant. *F.2, D.2, c.2. per totam.*

Pilus albus neminem saluat *ibid. n.1.*

Præter mortis falcem aliud non expectant *ibid. n.2.*

Qui in iuuentute vitæ malæ assuescit, illam senex factus minimè deseret. *ibidem num.3.*

Diuinas inspirationes non audiunt, quia surdi sunt, *ibid. n.4.*

Sunt foris extra sensus, seu sensibus destituti. *ibid. n.5.*

Serpens.

Quam figuram serpens ille habuerit in cuius specie Dæmon Euæ locutus fuit. *Fer. 4, D.1, c. n 8.*

Hebræi serpentem pro recuperanda sanitate respicere debebant. Et cur. *Fer.2. D.3, c. 3, num.4.*

Est serpens cui natura in cauda campanellam addidit. *F.3, D.1, c.2, n.11.*

S. Siluester.

Cur sibi coronam à Constantino Magno donatam imponere noluerit. *F.3, D. 2, c.1, num.9.*

S. Simeon.

Ex quo signo B. Virginem inter plures mulieres Matrem Dei esse cognouerit. *Sabb. Dom.1, c.3, n.3.*

Cur vocatus fuerit vir religiosus. *F.6. D. 2, c.1, num.8.*

Societas.

Ex societate hominis dignoscere possumus quis aut qualis sit. *D.1, in Exordio serm.*

Sancti indigent societate hominum malorum Et cur. *F.5, D.2 c.2, n.2.*

Societas peccatorum instar pestis vitari debet. *F.3, D.3, c.3. per totam.*

Sollicitudo.

Est vera via pro diuinæ gratiæ consecutione. *F.3, D.1, c.3, per totam.*

Debet habere pedes leporinos, *ibidem num.2.*

Ob hanc causam Beati vocantur primitiui. *ibid n.3.*

Est necessaria propter impedimenta quæ semper possunt occurrere. *ibidem num.4 & 5.*

Dæmon sibi nostram promittit damnationem vbi nos non viderit esse sollicitos. *ibid n.8.*

Quia Iudas sollicitus non fuit vt postularet veniam, ideo spem veniæ amisit. *ibid. num.6.*

Quantum S. Petro sollicitudo profuit, tantum tardatio Adæ nocuit. *ibidem num.7.*

Negotia animæ sollicitudinem postulant. *Ibid n.8.*

Ad cælum non peruenitur nisi per viam sollicitudinis *ibid. n. 10. & 11.*

Vt saluari possimus, ne quidem interijci debet breuis morula qua respiremus. *ibid.*

Sol.

Cur nomen eius ex tribus literis S.O.L. sit compositum. *Sabb. Domin. 1, c. 3. num. 4.*

Cur nominetur Apollo & Phœbus *ibid. c.2. num.6.*

Præsentia sua omnes stellas obscurat *ibid. c.3, n.6.*

Depingitur iuuenis. Et cur. D.2, c. 2, *num.3.*

Per illum intelligitur dignitas sacerdotalis. *vide V. sacerdos.*

Splen.

Splen infirmum est rapacis Principis symbolum. *F.4. D.1, c.3. n.6.*

S. Stephanus.

Cur visus sit habens faciem quasi vnius angeli. *F.6, c. in.3, n 9.*

Eo tempore quo iam moriturus erat de cælo minime erat securus. *Fer.4. Dom.2, c.3, num.7.*

Superbia.

Defert hominem deorsum non vero in

ro in altum, F.4, D.2, c.2, per totam

Vide Ambitio.

Superiores

Pauci saluantur, Sab. D.1, c.1, n.5,

Si propter bonum priuatum publicum non curat, non est aptus regimini, F.3, D.3, consi 2, n 6,

Pasionatus est maximus Reipublicæ alicuius inimicus, Feria 4, Domin.3, consid. 1, per totam.

Si non fuerit pasionatus subditi in pace consistent, ib. n 4,

Regimen ignorantis intolerabilius est, quam regimen Tyranni, F.4, D.3, c.2, per totam

Ignorans potius subesse quam præesse deberet, F.4, D 3, c.2, n 2,

Sapientia rectoris conseruat Ciuitates & regna, ib n 3,

Stultus superior peior est cupido, vel auaro, ibid. n.4,

Stultus superior est fera stringens gladium ibid n.6,

Est statua quædam insensibilis, ibid. num. 7, & 8,

Non timetur, ibid. n 8,

Onerat subditos peccatis, ib. n 9,

Superiores sunt oculi populi, ibid.

Cur vocentur lepores, ib, n.10,

Ignorantes dicuntur pueri, Et cur, ibidem num 11,

Simoniaci sunt fures, ibid c 3, n.4,

Auari pacem populi oderunt, ibidem num.8,

Cur eadem Dei manu castigati, F.5, D.5, c.1, num, 4,

Susanna.

Deflebat honoris, non vero vitæ iacturam, F.5, Cin. c 2, num.5,

T.

Templum.

Deus cum Maiestate in templo residet Et cur, F.1, D.1, c 1, n 2,

Terra.

Abominatur peccatum, Fer.2, Dom.3, c 2, per totam

Absaloni & Iudæ locum ad moriendum indulgere noluit, ib. n.2, & 3,

Hebræos ab omni sui parte propellit, Et cur, ibid. n.5,

Theseus

Nauis Thesei symbolum est pœnitentis, F.5, D 3, c.2, n.9,

Theologia.

Est diues rerum, verborum inops, Et cur, D, 2, c.1, n 11,

Timor.

Quem res insensibiles erga Deum habent, Feria 2, Domin.1, considerat. 2, passim exponitur.

Custodit vineam non vinitor, Fer.6, D.2, c 1, n.1, & seq.

Nisi hic hominibus inesset, pauci ad modum Deum cognoscerent, ibidem per totam consid.

Dæmon timore mediante se ab hominibus adorari fecit, ibid. n.5,

Homines non faciem, sed manus Dei respiciunt, ibid. n 7,

In tantum sumus religiosi, in quantum sumus timorati, ibid, n 8, & seq.

Homines naturaliter timent, Et cur, ibid, num.15,

Traditores.

Fraudem suam ordiuntur à fictionibus, F.4, cin, c 1, n 5,

Cur vocentur claudi, Fer.6, Dom.1. consid. 2, num, 1,

Rari sunt qui fidelitatem seruent, ibidem num.2,

Totus mundus plenus est traditoribus, ibid. num, 2,

Denarius est esca tradimentorum, & proditionum, ib, n.5,

Nonnunquam proprij parentes sunt traditores, *ib.n.7*,
Imo Patres filiorum & filij Patrum traditores existunt, *ib.n.8, & 9*,

Tribulatio.

Illustris est quæ ob proximi toleratur amorem, F.5, *cin c.1,n.7*,
Ex conspectu tribulationis alienæ addiscenda est, *F.4, D.1,c,3,n.13*,
Quamdiu homo aliquis sanctus erit, tam diu quoque tribulatus erit, *F.5,D.2,c.2, per totam consid.*
Sancti indigent tribulationibus, *ibidem num.1*,
Tribulatio vocatur gratia Dei, Et cur, *ibid.n.3.*
Sancti extra tribulationem sunt veluti pisces extra aquas constituti *ibidem num. 5.*
Est panis sanctorum, *ib.n 6*,
Qui est extra tribulationem constitutus, simul quoque est extra viam quæ ducit ad cœlum, *ib.n.10*,
Vt sedere possimus in cœlo, necesse est vt primo tribulemur. *Feria 2, Domin.3, c.3, num.7.*
Tribulatio cum maiori energia prædicat, quam angelus aliquis aut quidam S.Paulus, *F.6, D.2,c.1,n.14*,
Inter Paradisum & animam tribulatam nihil interijcitur quod ipsam à beatifica Dei visione retardare possit, *Fer.5,D.3,c.3, per totam.*
Tribulatio est purgatorium animæ, *ibid. num.4*,
Transformat hominem in Angelum, *ibi. num.3*,
Est medicamentum purgans, *ibidem num. 4, & 5.*
Tribulati habent claues Cœli, *ibidem num.5*,
Deum habent sibi debitorem, *ibidem num.6*,
Meliores sunt quam donum miracula patrandi, aut suscitandi mortuos *ibidem*
Faciunt tribulatos euadere purgatorium *ibid.num.8, & 9*,
Emundant maculas in prosperitate contractas, *ibid, num.9*,

Trochus.

Symbolum est vitæ humanæ, *F.2, D.1,c. 1,num.6*,

V.

Verecundia.

Pœnitens post pœnitentiam non debet de peccatis suis amplius verecundari, *Fer.5, D.3,c.2,n.8*,

Vespasianus.

Vtebatur diuitibus veluti spongijs, *Fer. 6, Dom.1,c.3, num.1*,

Vestis.

Qui superbe vestiuntur, inimici sunt pauperum. Et cur. *F.6, D.1,c.3,num.8*,
Pompa superbi vestitus difficulter emendatur, *F.6, D 2,c.1,n.14*,

Vinum.

Italiæ facit Gallos insanire, *Dom.2, con. 3, num.11.*
Plus contra Loth præualuit, quam Sodomitarum exemplum, D.1,*c.2,n.11.*
Facit hominem leonem, agnum, simiam, & porcum, *D.1,c.2,n.8*,

Virgilius.

Poëma Virgilij pretiosum deforis intus autem venenosus plenum est serpentibus, *F.4,D.1,c.2, num.5*,

Vita.

Solus Deus homines vita priuare potest, *Fer.4,D 1,c.3,nu.12*
Vita humana quam sit breuis, *F.2,D.2,c. 1,passim*
Deus vitam palma occlusa dedit, *ibidem num 2*,
Dedit dies caducos & antiquos, *ibidem num.3*,

Non

Non sumus securi de vita vsque in vesperam, *ibidem*

Est vita vnius diei, *ibidem nu.4.*

Est instar motus cuiusdam trochi, *ibidem num.6.*

Abbreuiata est per peccatum, *ibidem num.8.*

Vitis

Non est arbor quæ se adeo extendere possit in altum sicut vitis, *Sabb.Dom.1,c.1, num.7,*

Voluntas.

Locus quem ij in cœlo habent qui se diuinæ voluntati conformant, *Fer.5,cinerum consid,3,num.3.*

Consistunt in capite Christi. *ibid.*

Gaudium illud explicari non potest quod Deus concipit ex talibus qui se Deo conformant *ibidem,*

Vulpes.

Ne incidamus in Infernum imitari videbimus astutiam vulpis, *Fer,5,D.1,consid.3, num 9.*

Didicit bene diuidere sumptibus Asini, *F.4 D 1,c.3,n.13,*

Z.

Zelotypia.

In ea domo minime regnat, vbi vir & mulier simul ieiunant, *D.1,c.2,n.10.*

FINIS INDICIS PRIMÆ PARTIS.

Sit Nomen Domini Benedictum.

COLONIÆ,

Sumptibus IOANNIS BVSÆI,

Ex Typographia

HENRICI KRAFFT, ſub ſigno Solis

Facultatis Theol. Typograph. 1657.

QVA-

QVADRAGESIMALIS
Siuè
CONSIDERATIONVM
Super Euangelia totius Quadragesimæ
PARS PRIMA

SERMO I.
In Feriam IV. Cinerum,
THEMA
Cum ieiunatis nolite fieri sicut Hypocritæ tristes,
Matth. 6. v. 16.

1. Opinatur Origenes Redemptorem nostrum, cum discipulorum suorum lauare dignatus est pedes, à Iudâ traditore fecisse initium, ad instar nimirum prudentis cuiusdam medici, qui dum plures curæ suæ commissos habet infirmos, prima medicamentorum suorum remedia ijs præcipuè adhibet, qui grauiori & periculosiori morbo laborant? *Sicut medicus plurium ægrotorum intentus curæ, ab ijs qui magis indigent, propriam curam incipit: sic & Christus, qui fœdos abluit pedes discipulorum, exorditur ab ijs qui erant fœdi.* Eundem porrò modum Christus quadragesimali hoc tempore obseruare videtur; interioris namque hominis curæ eo præcipuè tempore intentus, hodie, hoc est, primo totius quadragesimæ die, à corde exorditur, vtpotè cuius maiori plerumque periculo obnoxia esse solet infirmitas. Hoc igitur à melancholico inprimis humore (quo Hypocrisis vt plurimum artificiosè solet esse vestita) expurgat dicens: *Nolite fieri sicut Hypocritæ tristes.* Demùm quia ad instar saxi rigidum, ac durum, omnisque compassionis expers illud esse deprehendit; ideò cælestis expectatione præmij Eleemosynarijs specialiter destinati, idem emollit, atque liquefacit dicens: *The-*

Orig. ex ...nt. 8.
...Tho. in ...p. 13. Io-...nis.

saurizate vobis thesauros in cœlo. Denique ab imperfectionum terrenarum spurcitie, cui ipsum insordescere conspicit, emundat, dum modum illi sese erigendi in cœlum, vbi solum purum, ac mundum conseruare se possit, commonstrat, id quod præclarâ hâc propositione prorsus persuadet: *Vbi est enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* quæ tria medicinalia documenta sermone isthoc totidem considerationibus perscrutari Deo dante conabimur.

CONSIDERATIO I.

Nolite fieri sicut Hypocritæ tristes.

Qui in hoc mundo fingere nescit, viuere nescit, in domo Dei verò qui fingere nescit, verè is viuere norit.

1. 2. VAldè diuersus viuendi modus est, quem mũdi istius homines, in domibus suis vsurpant, ab eo quem serui Dei in Dei domo instituunt: cum enim in mundo is, qui fictionibus vti nescit, nunquã assequi possit quod prætendit, contrarium omnino in domo Dei accidit; vbi sola simplicitas & synceritas ad fœlicem negotia portum perducit. Vndè Christus Dominus noster cum discipulis suis loquens, eosdemque modum in domo suâ rectè viuendi edocens, inter alia quæ ijsdem post se reliquit documenta, hoc præcipuè tradidit, vt suis in negotijs meminissent, cor semper exhibere candidum & syncerum, omnemque à se melancholicæ fictionis laruã procul abijcerent: quippè cum longè aliæ debeant esse seruorum suorum viuendi leges, mores ac ritus, quam sint eorum qui huic mundo inseruiunt. Qui enim in mundo isto nesciunt fingere, nesciunt viuere: verè autem in Domo Dei viuere nouit, qui fingere nescit.

3. Loquens scriptura sacra de Nemroth, qui fuit magnus ille Gygas ad omnes mundi mores, & leges exactissimè compositus, qui primus tyrannidis iugo homines onerare præualuit, quiq; haud dubiè totius factus fuisset vniuersi monarcha, nisi à multiplicatarum linguarum impeditus fuisset supplicio. De hoc inquam homine scriptura loquens, sic inquit: *Porrò Chus genuit Nemroth, ipse cœpit esse potens in terrâ, & erat robustus venator coram Domino.* Gen. 10. v. 8. Vbi notandum, quod dum Moyses gygantem istum venatorem appellat, illum non ferarum aut brutarum pecudum, sed hominum venatorem dicere, simulque eam quam hoc venandi conatu exercebat tyrannidem, insinuare velit; id quod facit dicendo quod hanc suam peragebat venationem in ipsiusmet Dei conspectu: *Coram Domino.* Verum enimvero hunc loquendi modum, absque bonâ aliquâ ponderatione præterire nequeo. Quâ enim ratione Moyses dicere potest Nemroth insolitas istas, atque inauditas in ipsiusmet Dei præsentia fecisse tyrannides? fortè Deus aliquod in venationibus istis habuit vereplacitum? An verò homines tantâ cum tyrannide opprimi, gaudens vidit, ideoque tali spectaculo curiosus spectator astitit? Quâ ratione possibile est, ex immanis ac sæui tyranni illius manifesta iniustitia, complacentiã aliquã haurire potuisse illũ, qui tãtam semper iustitiæ curã habuit.

Caietanus dicit verba ista: *Coram Domino,* idem significare, quòd *simulatè,* aut fictè, & subdit: *Ad significandum quod Nemroth, hinc simulabat se esse Deicolam, indè autem exercebat tyrannidem: oportet autem secundum Philosophorum documenta, Primùm se esse Deicolam, vt populus minùs putet se pati iniustum.* Caiet. Tametsi igitur Moyses dicat Nemroth coram Domino suam exercuisse tyrannidem, per hoc tamen nequaquam vult dicere, Deũ vllam in tali tyrannide habuisse complacẽtiam, aut in eiusmodi quas faciebat oppressionibus, fuisse delectatũ: sed solam exprimere vult fictionẽ, quã mediante suũ obtinuit regnũ, dùm vnâ ex parte se deuotũ, religiosum, timentẽ Deum, legumq; diuinarũ zelotẽ esse finxit: alterâ autẽ ex parte facilitate quâdam admirabili conculcabat, opprimebat & subiugabat homines, vtpotè quorum nullus imaginari sibi poterat, fieri posse, vt homo talis, qui adeò videbatur deuotus, diuinoq; cultui deditus ac dedicatus, quicquam posset committere, quod in ipsis Dei oculis acceptum non esset aut gratũ, qui proindè patiẽter adinodũ tolerabatur.

tur, quantumuis insolenter opprimens ac dominans. Nemini igitur mirũ esse videatur Nemrothi, tanti scilicet simulatoris cõsilia, prosperos adeo in mundo progressus habuisse, vt primus hominum rex & monarcha euaserit, quandò hæc est mundi cõstans conditio, vt commodissimè viuere, & quicquid vult aut desiderat assequi possit, qui fingere nouit.

4. Moyses mox se moriturum considerans, de subrogando in locum suum successore, qui Hebræorum populum suam post mortem gubernaret, anxiè deliberabat. Vt autem ad tanti fastigii dignitatem dignus optimeque meritus eligeretur, electionem illam solis Dei manibus ordinandam reliquit, dicens: *prouideat Dominus Deus tuus spiritum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc.* q. d. In locum meum ô Domine, priusquam moriar, alium quendã superiorem eligere digneris, qui ad populum hunc tuum gubernandum vtilis sit atque proficuus. Quærit hoc loco Abulensis, cur non ipsemet Moyses successorem suum elegerit, sed electionem istam vni & soli Deo relinquat? an non enim ipse totius populi facilè optimum inuenire & nominare, eundemque regimine ilthoc honorare potuisset? neque enim timendum erat, ne fortè electio talis infeliciter cederet, vtpote facta ab homine sancto, zeloso, sapiente, integerrimo, atque in illorum subiectorum, quæ ad honorem istum sublimari poterant, notitia optime practico. Vndè igitur oritur, quod electioni huic manum adhibere nequaquam voluerit Moyses, sed totam electionis illius curam Deo reliquerit?

Num. 27. v. 15.

Et respondet optimè id factum esse à Moyse; neque enim felix electionis illius sperari potuisset euentus, si Moyses per semetipsum eandem absoluere præsumpsisset, cuius equidem pulchram adducit rationem; *Quia pro tanta multitudine regenda, requirebatur optimus vir, qui erat in populo, Moyses autem non cognoscebat hoc, quia istud non appareret sufficienter in actibus exterioribus.* Bonũ eligere principem, aut Prælatũ idoneum, siue quemuis alium dignum superiorem, Dei solius ars est; neque enim huic actioni aut Moyses, aut alius Moysi similis homo aptus erat, quippè cum mortales oculi vltra actiones exteriores extendi nequeant, ex quibus tamen quisnam aut qualis homo sit, cognosci minimè potest; sed considerandum cor est, cuius notitia soli Deo est euidens, qui proindè solus decipi non potest, cum homines pectora minimè penetrare valentes deludantur sæpissimè.

Tost. ibid. q. 38.

Et ratio est, quia quotquot ad mundi huius dignitates aspirant, vt ad gradum quem ambiunt, sublimari possint, millenis sese fictionum laruis induunt, adeò vt si in crudelitatem atque sæuitiam procliues sint & proni, suam in se naturam supprimant, seque comes exhibeant, & beneuolos, si sint luxuriosi, haud aliter quam si castissimi virgines essent viuant, licet iracundi sint, admirabilem tamen exteriùs patientiam & longanimitatem in se ostendant, & sic per alia vitia discurrere licet, quæ admirabili quodam cum artificio, fictæ virtutis pallio, in ambitiosis eousque conspicietis velata & tecta, donec se ad eum quem ambiuerant honorẽ euectos esse conspexerint. Estque in illis clara & euidens experientia, quod hac via facilis sit ad eum quem desiderant gradum ascensus; in mundo namque quicquid peti aut desiderari potest, haud alia quam fictionis & simulationis arte obtinetur.

5. Sauli regi à Dæmone vexato, persuasum à nonnullis fuit, vt pro mali sui subleuamine peritum quendam in palatium suum accerseret musicum, tam plectri quam vocis canoræ peritum, eam namque mali sui naturam, vt haud alio quam solius harmoniæ remedio mitigari queat. Dum autem aliquis professionis istius homo requiritur, ecce mox ex aulicis nonnemo prodit, Dauidem hoc fine regi proponens, eundemque magnificis, non tantum in eâ, de quâ agebatur, professione, sed in centenis quoque aliis virtutibus, præconiis extollens: *Et respondens vnus de pueris ait: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere & fortissimum robore, & virum bellicosum & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cũ eo.* q. d. Quia ô Domine mi rex, de musico aut Psalte agitur, videtur mihi difficulter inueniendum esse aliquem filio Isai excellentiorem, vtpotè qui non solum voce & ple-

1. Reg. 16. v. 18.

plectro aures tuas demulcere valeat, sed insuper artis bellicæ est peritissimus, in actionibus & consiliis prudens, pulcher gratiosusque in vultu, & quod omnium cæterorũ caput est, homo bonus & sanctus, atque in moribus suis virtuosus.

Quærat hic aliquis, quis aut qualis forte erat homo iste, qui Dauidem adeò sollicitè intra Saulis conabatur introducere regiam? videturque ex iam dictis facilis responsio, hunc scilicet alium esse non posse, quam ex aulicis quendam Dauidis amantissimum, quippe quem tantâ cum energiâ & efficaciâ, in egregias Dauidis laudes perorantem audiuimus. Hoc tamen non obstante, Rupertus Abbas omninò sentit contrarium, vultque hunc fuisse maximum Dauidis inimicum, quem vnquam habere posset, Doech videlicet Idumæum nomine; & hunc quidem ea omnia, quæ in Dauidis commendationem & laudem edixerat, nõ ad illum promouendum aut honorandum, sed ad tradendum eundem dixisse.

Rup. Abb. lib. 2. in c. 1. Reg. *Omnia quæ Dauidis in laudem dixisse videtur, in odium ipsius dixisse dicitur, quia volebat inimicitiæ causa, & inuidiæ liuore, vt ad Saul veniret, quatenus illi qualibet data occasione necaretur.* Fictis hisce Dauidis encomiis, sceleratus orator iste haud spectabat aliud, quã vt Dauidem in Dæmoniaci regis introduceret curiam, futurum sperans, vt ab eodem per dæmonem agitato & perturbato rege, pro nata tandem aliquando occasione occideretur, & quidem nisi particularem Deus vitæ Dauidis curam habuisset, maligni hominis illius conatus suo persæpe minime frustrati fuissent effectu, siquidem Saul eundem multoties è medio tollere tentarit.

Verùm enimuerò iterum peto: cur Doech inimici sui Dauidis mortem non ordiebatur manifestè & apertè, sed consilia sua tot tantisque obtegebat dolis, fraudibus & artibus? Fecit hoc quia veluti in rerum mundanarum commercio bene practicus optimè nouerat, quod aperto marte procedens nihil penitus acturus erat, consilia namque hominum frustra agitantur, quæ simulationibus non obteguntur, nec viuere aut negotiari nouit, qui fingere non nouit.

Petrus Matthæi. 6. Carolum VIII. Gallorum regem referunt latini sermonis prorsus fuisse ignarũ, paucülis hisce verbis exceptis: *Qui nescit dissimulare nescit regnare.* Quæ autem, dic obsecro, causa fuit, quod potentissimus princeps iste, tot inter sermonis latini sententias, quæ sunt innumerabiles, præter prædictam, nullam aliarum appræhenderit? quia videlicet, ut aliam addisceret opus ei minimè fuit, adeo namque ad hoc vt bene commodeque quis viuere possit, ars dissimulandi sufficit, vt ad integrum regnum gubernandum regi alicui, vel ... abſque eo quod aliam aut inquirat aut addiscat Politicam, sufficiat.

7. Postquam Christus insolitis & extra ordinarijs turbatum ritibus & cæremonijs associatus & honoratus Hierosolymorum vrbem gloriosissimè fuisset ingressus, ipsum S. Marcus templum introijsse scribit, vbi postquam ad vesperam vsque demoratus fuisset, Hierosolymitanorum tentaturus beneuolentiam & vrbanitatem, si fortè ciuium non nemo esset, qui ad suam illum cænam inuitasset, aut hospitio pro illa nocte excepisset: cum autem frustra id ipsum præstolatus fuisset, nec vllus eã ipsum humanitate dignaretur Hierosolyma Bethaniam versus vna cum discipulis suis, vt ibidem in Lazari domo quietem caperet, sese recipere debuit. *Et introiuit Ierosolymam in templum, & circumspectis omnibus, cum iam vespera esset hora, exiuit in Bethaniam cum duodecim.* Marc. c. 11. Mira hæc profectò & prodigiosa res est, quæ enim causa est, quod mundi redemptor in ciuitate quadam tam ampla & opulenta, cuiusmodi Hierosolymi erat existens, in quã, ob illius præcipuè diei triumphum, celebris adeò erat atque famosus, ne vel vnicum repererit hominem, qui illum vel inuitasset, aut domi suæ hospitatus fuisset?

Huius verò inurbanitatis causam Glossa assignat, dicens: Gloss. ibi. *Tanta paupertatis fuit, & ita nulli adulatus, vt in tanta vrbe nullũ hospitium inueniret.* Tantam namque suis in prædicationibus & familiari conuersatione præ se ferebat synceritatem, tantaque passim simplicitate vtebatur, vt nulla in occasione aut facti cuiuscunque contingẽtia fingere posset, aut adulari; nullam intermittens repræhendendi occasionem, quando id exposcere videbatur necessitas, atque ideò nõ tan-

tantum neminem, qui illum ad hospitium inuitaret, reperit, sed ne quidem aliquem qui suo illum dignatus fuisset obtutu. Idque vt demonstretur eos qui hoc in mundo fingere nolunt aut nesciunt, ne siccum quidem panem vnde viuere valeant posse inuenire.

Albert. Mag de animalibus lib. 4. 8. Albertus Magnus scribit, quod Dentice Polypum piscem de sub saxo suo euocare & deuorare volens, neque tamen id ipsum per vim & violentiam obtinere valens ad fictionem & simulationem sese mox recipiat: *Natat ante os antri, ac si sit moriens*, in conspectu latentis intra cauernulam suam Polypi palpitans sese extendit, atque ab aquis haud aliter quam si mortuus esset agitari se permittit. Id quod incautus alter piscis Polypus nimirum conspiciens, sibique id verum esse persuadens, sumpturus aliquã rei huius experientiam, egreditur, moxque à Dentice, vt egressus est, capitur & deuoratur, vnde perspicuum est, adeò verum esse quod hoc loco persuadere molimur, scilicet eum qui in hoc mundo nescit fingere, viuere quoque nesciat, vt ipsimet quoque pisces vt viuere possint fingere didicerint.

9. Audito in Ierosolymis & diuulgato illo nuncio de nato naturali Iudæorum rege à tribus illis Orientalibus Regibus allato sacer textus, turbatum Herodem, vnaque cum illo omnes Hierosolymæ ciues & incolas esse asserit: *Herodes rex turbatus est & omnis Ierosolyma cum illo.* Matth. 2. v. 3. Hunc scripturæ locum Tostatus optimè considerat, dicitque Herodem nouo hoc audito rumore turbatum esse, haud adeo mirum est, vtpote qui timere meritò poterat, ne sua à recens nato rege purpura exueretur, atque à regni sui exturbaretur solio: at verò quod tota insuper cum eo turbata fuerit Hierosolyma, quæ potius ob nouum illud diuulgatum nũcium gaudendi beneque sperandi occasionem habuit, se hâc ratione a crudelis, sæuique Herodis tyrannide, atque intollerabili iugo fore liberandos, hoc inquam, quâ ratione subsistere possit, minimè video.

Respondetque præfatus hic Doctor, Hierosolymæ ciues minimè turbatos fuisse, sed potius finxisse, aut simulasse turbatos se esse, tametsi interius gauisi supra modũ fuerint; atque fictionis istius hanc ipse assignat rationem, dicens: *Nemo ausus est ostendere se gaudere, licet in corde suo gauderent, quia Herodes erat crudelis valdè, cum etiam filios suos occideret.* Tost. q. 25. ibid. Tametsi ergo miseri illi Hierosolymæ ciues de noui Regis sui natiuitate magnum in corde suo sentirent iubilum, hunc tamen apertè manifestare aut palam facere noluerunt, sed potius finxerunt seu simularunt dolorem, ex timore huius tyranni adacti, qui adeò crudeliter sæuiebat, vt ne propriorum quidem filiorum suorum vitæ parceret; probè namque sciebant, quod si populum Hierosolymitanum vel ex minimo signo in hac nati noui regis occasione iubilantem intelligeret, omnes ad vnum vsque ense internecioni traditurus esset. Notandum igitur ex hactenus dictis, quam sit ingens hominum huius mundi miseria, qui tametsi nonnunquam fingere nollent id tamen facere coguntur, si viuere velint. Quisquis enim in hoc mundo nescit fingere, viuere quoque nescit.

10. Contrarium illius in domo Dei accidit, vbi is solum verè viuere nouit, qui fingere nescit. S. Paulus Apostolus ad Ephesios scribens, & de Sanctâ Dei Ecclesiâ loquens, dicit: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro eâ, vt ipsam Sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam.* Ad Ephes. 5. v. 27. Ad quem locum si benè reflexeritis, vtique vidistis, Apostolum ibidem pulchritudinem describere sanctæ Ecclesiæ, in quantum illa consistit tum in priuatione macularum, tum in rugarum carentia.

Porrò Sanctam Dei Ecclesiam nullam prorsus in personâ suâ maculam habere; ideoque valdè venustam esse, optimè dictum; sed quod ipsa nullam omninò in veste suâ plicam habeat aut rugam, idque ad pulchritudinis suæ extremam perfectionem pertineat, nequeo intelligere. Quis enim est, qui nesciat pulchram aliquam in veste plicam adeò necessariam esse, ut dum in se plicam talem vestis aliqua non habet, artificiosè in eâdem componi aut fingi soleat? Quâ ratione igitur laudatur in eo, quod sileri potius debuisset atque contemni? verum enim verò quia Apostolus hoc loco non de corporalium vestimentorum plicis,

sed de plicis animæ loquitur, ideò Ecclesiæ descripturus pulchritudinem & venustatem, efficacius loqui minimè poterat.

Author olim incognitus, nunc verò famosus in sacro Carmelitarum ordine scriptor P. Michael Ayguanus de Bononia, existimat S. Paulum in illo scripturæ loco laudare Ecclesiæ Sanctæ simplicitatem & veracitatem adeò synceram, vt ne vel minimum fictionis aut duplicitatis, per vestimenti plicas significatæ, habeat vestigium. *Non habentem maculam neque rugam, id est, nec per peccatum habentem maculam, nec per duplicitatem rugam: quia & per iustitiam munda est, & per simplicem intentionem tensa.* Agedum ergo hæc talis tantaque Domina, Ecclesia videlicet, adeò simplex & syncera, omni prorsus simulationis plica aut ruga carens, adeò diuinis oculis complacuit vt spōsa facta sit Christi, digna in magnam eius domum introduci, in qua illi duntaxat commorantur, qui nihil prorsus in animo suo occultare norunt, vbi denique illi soli viuunt, qui fingere nesciunt.

Incognitus in Psalm. 44. v.

11. S. Petrus Apostolus vtique in domo Christi optimè viuere nouit, in cuius moribus magnus hic Dominus mirè adeo sibi complacuit, vt eidem claues regni cælorum dare non dubitaret, ipsum hic in terris militantis Ecclesiæ fundamentum & caput, suumque veluti locum tenentem & vice Deum creando, eoque tempore quo viator atque mortalis erat, Beati nomine seu titulo magnificè honorando, vti S. Matthæus scribit: *Beatus es Simon Bariona; ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claues regni cœlorum.* Quod si scire cupitis, quâ viâ S Petrus sublime adeo euectus fuerit, tantumque in aula Christi bonum obtinuerit, vt nec suo tempore nec deinceps vllum in suis dignitatibus & honoribus habiturus sit æqualem? Dicam; obtinuit idipsum gradiendo per vnicam synceritatis ac veracitatis viam, vtpote qui simplicis, puri ac synceri cordis semper extitit, nullaque in re fingere aut dissimulare nouit. *Id* quod ex nomine, quo Christus, bonitatem illius cognoscens, ipsum dignatus est appellare, facile elicitur: vocauit enim illum *Bar-Iona, quod interpretatur*, inquit S. Vincentius Ferrerius: *Filius simplicitatis, non duplicitatis.* Noli itaque mirari S. Petrum in Christi domo tantorum bonorum fuisse possessorem, quando is fingere minimè nouit. *Ibi* namque illis duntaxat bene omnia cedunt, qui dissimulare nesciunt.

Matth. 16. v. 17.

S. Vinc. serm. de Petro.

12. Moysi Deus quondam præceperat, vt curaret exercitum suum quotiescunque cum inimicis suis præliaturus procederet, semper tubis clangentibus insonare. *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis.* Negari equidem minimè potest, tubarum vsum in militiâ valdè esse necessarium; veruntamen quod vsus illarum semper necessarius sit, quoties aggrediendus est inimicus, nemo facile dixerit, neque enim hoc bonum semper euentum habere posset in stratagematibus nonnullis, præcipue quando ex improuiso aggrediendus est id minimè cogitans hostis, tunc enim tubarū clangor non solum non esset vtilis, siue proficuus, sed potius damnosus & inutilis, occultasque prudentis cuiusdam Archistrategi paratas retardaret machinationes. Quod cum ita reuera sit, meritò quæritur cur Deus exercitui suo præceperit, vt quotiescunque aliquis in hostem ceurandus esset insultus, id tubis semper clangentibus atque sonantibus faciendum esset. Cum præceptum istud seruari nequeat, quia sæpenumero multæ bonæ perdantur hostem vincendi occasiones.

Num. 10. v. 9.

Philippus Abbas præcepti huius congruā assignat rationem, dicens: *Non vult Dominus eos, nisi tubis clanxerint, ad bellum procedere, non furtim & cum silentio aduersantes hostes impetere:* quasi diceret: Deus nullo alio fine hunc Hebræis bellandi ordinem constituit, quam quia noluit, vt suus exercitus hostiles copias, furtim, silenter, & sub quibusdam fictionum aut simulationum palliis aggrederetur, vti plures facere consueuerunt, qui se fideles amicos fingendo & mentiendo, fraudulenter alios vincunt; sed apertè, & manifestè, sine fictionis laruâ, tubisque sonantibus vt hac ratione velut inimici cognoscantur ab omnibus. Deus enim tantus est fictionum fraudulentiarumque omnium inimicus, vt

Philippus Abbas.

suos

suos quoque milites velit in omni simplicitate cordeque aperto tractare cum suis inimicis, tametsi etiam inde persæpè multæ perdendæ sint inimicum vincendi occasiones.

13. S. Vincentius Ferrerius dum de fœminis faciem suam varijs colorum, vnguentorumque pigmentis depingentibus agit, inter cætera dicit, easdem dum ad Ecclesiam sese recipiunt & in Diuinæ Maiestatis præsentia genua sua flectunt, non solum à Deo non exaudiri, sed Deum quoque ne fortè aspiciat eas, faciem suam abscondere, eo quod Dæmonis vultum omninò referant. *Quandò oratis, Christus abscondit faciem suam à vobis, quia habetis faciem Diaboli.*

S. Vincent. serm. de S. Simeone.

Sed videri posset non nemini, sanctum hunc Doctorem grauiter errasse, dum mulieres illas Dæmonis vultum referre dixit, quæ faciem suam stibio, cerussa, alijsque colorum pigmentis adornant. Namlicet ob deformitatem naturalem Dæmoni simillimam faciem haberent, illam tamen deformitatem, studijs, picturis & ornamentis suis contegunt, adeò vt pulchritudinem Angelicæ simillimã acquirant; Quomodò ergo dici possunt in vultu Dæmoni similes esse? verius dicturus videbatur, si dixisset illas Angeli non verò Dæmonis faciem habere.

Hoc tamen non obstante, optimè dictum est à S. Vincentio, tales mulieres dæmonis referre faciem; sicut enim Dæmon homines decipere parans, eisdem Angeli vultum repræsentans se sistit, dicente Apostolo: *Ipse enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis.* Ita quoque mulieres, quæ facies, ementitis & fictis venustant coloribus facere videntur. Cum enim instar Dæmonum, fœdæ, turpes sint atque deformes, attamen vt ficta & ementita sua pulchritudine homines, per adhibitas colorum, vnguentorum, stibij & cærussæ elegantias decipiant, Angeli videri volunt, id est, eæ quæ non sunt, ac proindè facie sua Dæmonem referunt.

2. Corint. 11. v. 14.

Quia verò Deus fictiones, simulationes, dolos, & fraudes adeò vehementer abominatur, & execratur, hinc consequenter odio habet & detestatur fictas & simulatas mulierum illarum facies, adeò vt si coram ipso in templo nonnunquam appareant, ipse faciem suam ab eis abscondat, ne videre eas cogatur: *Abscondit faciem suam à vobis.* Vnde è templo secedere coguntur, nequicquam à Deo impetrantes. Fictiones enim & simulationes in Domo Dei non tantum malæ sunt, sed insuper quoque noxiæ. Illi namque ibi duntaxat possunt viuere, qui nesciunt fingere, cæteris ipsum quoque secum pacem ibi frustra quærentibus.

CONSIDERATIO II.

Thesaurizate vobis Thesauros in Cœlis.

Eleemosyna adeò mirabiliter Eleemosynarium exaltat & magnificat, vt illum ad sublime sanctitatis euehat fastigium, faciatque in cœlo beatum. Imò quod magis stupendum est, illum quodammodò Deificare videatur.

1. CHristus Dominus noster, qui in nostram exaltationem toto fertur cordis desiderio, ac proindè nullo alio fine nos humiliari voluit, nisi vt pro ratione factæ humiliationis tantundem exaltemur; Is inquam dum hodiè emplastro compassionis ergà pauperes & egenos, operum Eleemosynæ exercitio, corda nostra emollit & colliquefacit, dicens: *Thesaurizate vobis Thesauros in cœlis.* aliud nihil intendit, quam vt eousque exaltemur, vbi nihil restet vltrà, quod assequi possimus. Manus siquidẽ Eleemosynarij tã sunt admirabiles & prodigiosæ, vt ipsum non tantùm ad sublime sanctitatis fastigium eleuent, sed plus vltrà inter beatas nimirum cœlestis patriæ sedes eundem collocent. Et quod maiori admiratione dignum est, ipsum certo quodam modo Deificent, & alium quendam veluti Deum in terris efficiant.

2. Dum in S. Matthæo de rigorosissimo illo, in vniuersalis iudicij die habendo examine fit mentio, expresè dicitur, illos tãtum homines, in beatam paradisi patriam introducendos, qui in exercẽdis misericordiæ

diæ operibus quam maximè inuenientur assidui. Ideò namque Christus de solis quoque misericordiæ, non verò alterius cuiuscunque virtutis exercitijs examen instituet: *Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere &c.* (Matth. 25. v. 35.) vbi meritò inquirendũ, cur de solius virtutis huius, nõ verò de alterius exercitio instituenda sit quæstio? Cur non ijsdem quoque dicetur: Fuistis pacifici, humiles, casti, atque in alijs Christianis virtutibus perfecti, atque ideò in regni mei ingrediamini gloriam, sed potius seposito omni rerum aliarum ad cœlorum regnum necessariarum respectu, ad hoc vnicum sola fiet reflexio an videlicet Eleemosynarij fuerint vel non?

Erit certè hâc ratione periculum ne in cœlorum regnum multæ à iudice admittantur personæ indignæ, videlicet quæ tametsi vnâ ex parte hâc misericordiæ virtute sint præditæ: alterâ tamen ex parte pluribus vitijs, alijs virtutibus è diametro oppositis possunt esse obnoxiæ; sic namque in plerisque hominibus communiter videmus, quod qui sunt casti, sint superbi; aut qui humiles, luxuriosi; auari denique, qui alias sunt pacifici. Vt proinde vnius duntaxat boni operis interrogatio minimè videatur sufficere, sed alia quoque plura opera necessario sint requirenda. Vnde ergò venit quod examen in nouissimo iudicij die, super vnico duntaxat Eleemosynæ opere instituatur, de alijs verò non minus necessarijs operibus ne quicquam inquiratur?

S. Petrus Chrysologus dicit, in die illâ huius solius virtutis examen necessarium futurum, non verò opus esse vt de pluribus alijs vlterior fiat interrogatio. Eo ipso enim quo iusto iudici constat hominem esse Eleemosynarium, & misericordiæ operibus deditum, insuper vtique constabit, ipsum alias quoque perfectiones necessarias habere coniunctas, nec non sanctum omnisque defectus & culpæ esse expertem. *De crimine non præstabit causas, cui de misericordia causa constabit.* (Petr. Chrys. sol. ser. 42.) Non est quærendum peccatum in eo, in quo erga pauperum necessitates subleuandas relucet pietas; neque enim peccatum aliquod inueniri in eodem poterit, cum aliter fieri nequeat, quin is qui est Eleemosynarius, eo ipso quoque sit sanctus; quippè cum Eleemosyna animam ab omni humanâ imperfectione purget atque emundet dicente Christo: *Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* (Luc. 11. 41.) q. d. Eleemosynas libenter largiamini sic namque pura semper & sancta erit anima vestra. Siquidem ipsa de se ad sanctitatem disponit.

3. David Propheta grauia quædam mundi huius pericula præuidens, ex ijsdemque graue quoddam, sibi imminens damnum formidans, ad Deum pro auxilio impetrãdo recurrit dicens: *Custodi animam meam quoniam sanctus sum.* (Ps. 85.) Quo in versu nobis in vulgata legentibus: *Quoniam sanctus sum.* Pagninus leg t; *quoniam misericors sum.* (Pagnin.) seu quod idem est, *quia Eleemosynarius sum.*

Vndè patet quod conformiter ad sacram scripturam, vnum & idem sit, & quo ad rem significatam synonimum, esse sanctum, & esse Eleemosynarium. Et istud quidẽ conuenienter admodum, vt videlicet per hoc innuatur, omnem Eleemosynarium, mediante virtute misericordiæ & operibus Eleemosynæ, quæ admirabili cum artificio, ab omni humanâ imperfectione animam purgant, simul quoque sanctum esse: neque id mirum, non enim regnare peccatum potest, vbi misericordia hospitatur. *Quoniam sanctus sum: Quoniam misericors sum*

4. Idem quoque Propheta dicit, quod in magno illo vniuersalis iudicij die, Deus præcepturus sit Angelis, vt sanctos suos ad dexteram cõgregent iudicis: *Congregate illi sanctos eius.* (Ps. 49.) Quærit hic S. Augustinus. Quinam sint hi sancti, qui congregandi dicuntur? Respondetque id verbis immediatè sequẽtibus sufficienter insinuari. *Qui ordinant testamentum eius super sacrificia.* (D. Aug. ciuit. lib. 20. cap.) q. d. In die illâ ad dexteram Christi congregandi, ij nimirum erunt, qui ordinant testamentum Dei super sacrificia, per hos autem S. hic Doctor Eleemosynarios intelligit: *Qui disponunt, inquit, eius testamentum super sacrificia, opera enim misericordiæ sunt super sacrificia, id est sacrificijs præponenda, iuxtà sententiam Dei dicentis: Misericordiam volo plusquam sacrificium.* Vndè euidenter liquet,

quet, adeò verum esse, Eleemosynam reuera sanctificare eos qui illam exercent, vt Eleemosynarius ideò in scripturâ per excellentiam vocatus sit sanctus. *Congregate illi sanctos eius.*

Neque hic sistit Eleemosyna postquam Eleemosynarium ad tantum sanctitatis euexit fastigium, sed euehendo illum plus vltrà progreditur, in cœlestis namque gloriæ patria ipsum quoque valde sublime exaltat, ipsumque beatos inter recenset.

5. Refert Moyses Iacob Patriarcham è Mesopotamiâ reducem, Esau fratri suo factum fuisse obuium, & quia antiqua adhuc inter vtrumque vigente inimicitia, nondum extra omnem mali inferendi erat formidinem, statuisse sibi fratrem suum Esau opulento quodam donario reconciliare, verum Esau id acceptare detrectante, tandem post multas sollicitationes & instantias, dixisse: *si inueni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis: sic enim vidi faciem tuam, quasi viderem vultum Dei.* q. d. Nihil adeò in votis habeo, ô frater amantissime, quam vt modicum istud donum meum acceptare digneris, quod eo præcipuè fine sic præparaui, vt viderem faciem tuam eo modo sicut faciem visurus sum Dei. *Gen. 33. v. 10.*

At verò videtur S. hic Patriarcha faciem Esau, vtpote hominis reprobi & scelerati, ipsiusmet Dei vultui perperam valdè assimilasse, quæ enim est conuentio lucis ad tenebras? Ad hoc respondet Oleaster, Iacobum nequaquam voluisse dicere, faciem Esau Diuino vultui similem esse, cum inter vtramque tanta sit differentia, quãta infernum inter & paradisum esse posset. Quin potius verbis supra dictis fratri suo locutum esse, vt ostenderet se eo prorsus modo venire ad contuendam faciem suam, quam si ad ipsiusmet Dei faciem contemplandam procederet. Sicut enim qui faciem Dei videre contendunt, vacuis ad illum manibus minime accedunt, sed illas donis saltem aliquibus instructas auferunt, neque enim aliter ad illam videndam admitterentur. Eodem prorsus modo donis sese atque muneribus ad intuendam iracundi fratris sui faciem disposuerat. *Sicut enim* *Oleast. ibi.* *qui volebant Dei faciem videre, non debebant apparere vacui coram eo, ideò voluisse se munus offerre, quod faciem eius ad placationem suam viderit, ac si vidisset faciem Dei.*

Etenim id quod in isthoc scripturæ loco venit notandum est, Diuinam videlicet faciem videri minimè posse, nisi bonorum nostrorum Deo aliquid præsentemus. Atque hinc liquet, spiritum sanctum euidenter hoc loco insinuare voluisse, neminem vnquam æternâ frui beatitudine posse, quæ in clarâ, & reuelatâ vultus diuini visione consistit, nisi eidem in personâ pauperum, Deum in hac terra præsentantium, aliquam de bonis nostris Eleemosynam obtulerimus; Quippè cum particulare Eleemosynæ officium atque virtus sit vt ad Christianum beatificandum, in cœlestem gloriam eundem introducat.

6. S. Bruno magnus Carthusianorum Patriarcha Cherubinos illos quos Salomon in templo collocarat & formarat, considerans, eosdemque ex lignis Oliuarũ factos esse cernens, dicente scripturâ: *Fecit in oraculo duos Cherubin de lignis Oliuarum.* *3. Reg. 6. v. 23.* quærit: *Quare de lignis Oliuarum Cherubin isti facti sunt?* Cur non ex Cypresso, Cedro, alioue maioris pretij ligno sunt facti, quam ex Oliua? Respondetque: *Magna est virtus misericordiæ, sine quâ nec ipsi Cherubin esse possunt.* *S. Bruno de laud. Eccles. c. 4.* Necessarium prorsus fuit, vt Cherubini isti ex Oliua, non verò ex alio lignorum genere fierent; tametsi plures sint arbores oliua longè pretiosiores; Oliua namque misericordiam significat, id est, Eleemosynam, cuius tanta tamque efficax virtus est, ut sine illa ne ipsi quidem Cherubin esse possint.

Notandum autem, sanctum Carthusianorum Fundatorem videri hunc suum conceptum fundasse in significatione huius nominis *Cherubin*, quod in sermone latino idem significat, quod plenitudo scientiæ; denotatque hominem beatum atque glorificatum in cælis. Sancti in hac vita Cherubini minimè dici possunt, quippè qui quamdiu hic nobiscum in terris sunt, totam scientiæ plenitudinem habere minimè queunt, sed partem duntaxat, Apostolo id affirmante, cum dicit: *Ex parte enim cognoscimus,* *1. Corinth. 13. v. 9.*

noscimus, & ex parte prophetamus: In altera autem vita, in Cherubinos euadent, ibi namque omnem habebunt scientiæ plenitudinem, eodem Sancto Paulo Apostolo clarè id affirmante: *Cum autem venerit quod quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Vndè ad hoc vt homines Cherubini, idest, Beati & glorificati in cælis esse possint, necessum est, vt sint de lignis Oliuarum, hoc est, in virtute misericordiæ per Oliuam significatæ exercitati. Eleemosyna namque est, quæ in illa cœlesti patria animas beatas efficit, siue beatificat, absque cuius exercitio, nemò isthuc vnquam appellere poterit. *sine qua nec ipsi Cherubin esse possunt.*

7. Lazaro mendico mortuo, Abraham Patriarcha, vti sanctus Lucas scribit, eundem beato gremio suo, veluti hospitio suscepit: *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Enimuerò Abrahamum eo quo in hoc mundo degebat tempore, hospitalitate præstita, seu erogata Eleemosyna delectatum fuisse, mirum non est; quippè qui tunc amplum illius in cœlo præmium expectabat; verum quod idem beatus iam existens, suoque iam fruens & gaudens præmio, adhuc eadem charitatis officia exerceat, nec sufficiat ipsi quod in hac terra mortalis existens, pauperes domus suæ exceperit hospitio, sed eosdem quoque nunc in cælo hospitio, sinuque suo excipere gaudeat, res est magna consideratione dignissima.

Luc. 16. v. 22.

Sanctus Petrus Chrysologus existimat Abraham Patriarcham nulla alia de causa misericordiæ operibus erga egenos & pauperes, intendere voluisse, quam quia se in ipso quoque glorioso cæli palatio existens, minimè existimabat complete beatum, nisi iisdem esset deditus pietatis officiis, quibus dum viator in terra degeret, fuerat dedicatus. *Parum se beatum credidit si in ipsa superna gloria ab hospitalitatis pio cessaret officio* vt hac nimirū ratione demonstraretur, adeo verū esse quod hominem eleemosyna in cælis glorificet; vt ipsimet quoq; beati in cœlis existimēt, se nisi misericordiæ opera exerceant, cum exercere possint, perfectæ atque comp'etæ beatitudinis culmen adeptos minimè esse. *Parum se beatum credidit.* Id quod Sanctus Archiepiscopus de accidentali, non verò de essentiali beatitudine intelligit, sicut & meritum supponit.

S. Petrus Chrysol. serm. 121.

8. Sanctus & Seraphicus Bonauentura de sanctissimo Patriarcha meo Francisco refert, ipsum dum domos ostiatim panem mendicando obiret, dicere solitum fuisse, in illo actu illam Dauidis Prophetiam reuera adimpleri: *Panem Angelorum manducauit homo. Vbi oportunitas aderat mendicare, solitus erat dicere: Panem Angelorum manducauit homo.* Illum videlicet panem quem ostiatim, siue de domo in domo ex puro Dei amore colligebat, Angelorum panem esse & vocari volebat. Sed cur panis ille dicetur panis Angelorum? existimo Sanctum Franciscum ad manna respexisse, quod panis Angelorum ideò dicebatur, quia manibus administrabatur Angelorum: per hos autem magnus ille paupertatis amator eleemosynarios significare volebat, à quibus sibi panis ille erogabatur, quem vocabat panem Angelorum & non hominum, quia probè sciebat admirabilem eleemosynæ valorem, cuius ea est virtus, vt homines faciat esse Angelos, hoc est, gloriosos & beatos, ad eū propè modum, quo Angeli in cœlis beati existunt.

Psal. 77. v. 25. Bonauent. vit. S. Frans. cap. 7.

9. Verum enimuerò, parum adhuc est quod de huius excellentiâ virtutis hactenus dixi, plus vltra in eius virtute prædicāda eundum est; dicendum videlicet quod qui illam sibi acquisiuit virtutem, per eandem non duntaxat sanctificatus fit & beatus, sed & insuper Deificatus, factus alter quidam per participationem Deus in terra.

Deus Hebræorum populo præ fame tantum non morienti delicatum manna in cibum daturus, eundemque desideratis saturaturus carnibus, prius Moysi dixit, vt bonum hocce in populo diuulgaret nuncium, atque hoc fine sequentia ori eius verba inseruit: *Loquere ad eos, vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus: scietisque quod ego sum Dominus Deus vester.*

Exod. 16. v. 12.

Oleaster hoc loco obseruat, Deum in nullo alio signo se veluti verū Deū agnosci voluisse, quam in eo quod est dare, alteriusque necessitati succurrere: *Considera quæso, in quo se Dominum suum ostendat; non in bonis*

Oleaster ibid.

nis auferendis, sed dandis, non in exigendo ministerium, sed in donis exhibendis. Vnde colligitur, quod homini sua in necessitate succurrere tantum diuini in se contineat, quod tametsi Deus mille Diuinitatis suæ signa habere possit, voluerit tamen tunc præcise veluti Deus cognosci, quando ad succurrendum & subueniendum hominibus egenis, manum suam extendit.

Matth. 5. v. 7. 10. S. Gregorius Nyssenus super illa verba Matth. 5. v. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* acute notat, solitum esse spiritum Sanctum in varijs sacræ scripturæ locis Deum absolute nominare appellatione misericordis. vnde colligit appellationem illam proprium esse diuinæ maiestatis nomen, ac tandem concludit: *Si ergo misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo hortatur, nisi ut Deus fias, tanquam formatus & insignitus propria nota Deitatis.* *Nyssen. Orat. 5. de bon.* q. d. Quod si nomen misericordis, nomen proprium est diuinæ Maiestatis, vtique dum misericors esse moneris, atque erga pauperes pius, satis perspicue vides, moneri te vt Deus aliquis fias. Id quod S. hic Doctor dixit, ad demonstrandum admirabilem Eleemosynæ valorem, quod videlicet Eleemosynarium Dei ficet, eundemque alterum quendam in terra Deum per gratiam efficiat. *Tanquam formatus & insignitus propria nota Deitatis.*

11. Petrus Damiani huius dictionis *Eleemosyna* (vnde deriuatur *Eleemosynarius*) ethymologiam curiose inuestigat, tandemque deprehendit, quod *El* dictionis prædictæ principium, in Hebræo idiomate, vnum sit è præcipuis Dei nominibus. *El Hebraicè Deus.* *Pet. Dam. serm. 71.* Ac proindè, cum id verissimum sit & indubitatum, Eleemosynarius in suo nomine Dei nomen participat. Nec quisquam sibi persuadeat, id casu accidisse fortuito, sed ob magnum quoddam mysterium, atque ad efficaciter probandum confirmandumque valde propositum nostrum. videlicet Eleemosynarium adeò diuinum quid participare, vt ipsum quoque Deo nomen eidem communicatum esse cernatur, veluti si Deus quidam existat.

Mar. Polus lib. 2. c. 4. 12. Marcus Polus scribit, quod in magna Tartarorum regis aula, tot tantæque fiant Eleemosynæ, vt res sit prorsus stupenda. Ob hanc autem munificentiam & liberalitatem adeò admirabilem, quam Princeps ille erga pauperes exhibet, dicit eundem ab omni populo haud secus ac si Deus esset adorari. Vnde clare & euidenter liquet, quod Eleemosyna Eleemosynarium adeo Deificet, vt & ipsimet gentiles aliquod huiusce veritatis in se lumen experiantur, tametsi hi à Dæmone illusi perperam faciant, quod Principem siue Regem suum adorent. Proinde dum hodie Christum auditis misericordiam erga personas miserabiles persuadentem: *Thesaurizate vobis Thesauros in cœlis,* facile est videre, quantum vos extollere desideret, faciendo vos ex peccatoribus Sanctos, ex viatoribus beatos, ex hominibus denique veluti totidem Deos.

CONSIDERATIO III.

Vbi est enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

Anima plus est vbi amat, quam vbi animat, & corpus informat; id quod varijs Patrum, scriptorumque profanorum authoritatibus, demum exemplis ex S. Scripturâ desumptis Historijs denique tam ad corporalem quam ad spiritualem sensum applicatis probatur.

1 QVia clementissimus Dominus noster magnopere indoluit, cor nostrum ob nimium sui ad terrena affectum, abiecto adeo puluere & sordibus conspersum videns, hinc vt idem purum nitidumque à nobis conseruaretur, ad cœlum nos illud eleuare iussit, bonorumque cœlestium amorem animis nostris inserere studuit; futurum enim hac ratione sciebat, vt cor nostrum nobis etiam hic in terra remanentibus, amoris illius virtute à sordibus & terrenorum puluere eleuatum, in illa cœlesti & beata patria facillime collocaretur, atque in suo nitore & puritate conseruaretur illibatum. Quocunque enim amor fertur, eo quoque cor dirigitur & auolat amantis,

vbi est enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Ita hunc locum explicat sanctus Fulgentius, qui per thesaurum amorem nostrum (quem *dilectionis thesaurum* appellat) intelligens, subiungit: *Thesaurum nostrum fratres in calis ponamus, vt etiam cor in calis habere possimus:* q. d. quod si, fratres charissimi, cor nostrum & animam nostram in cælis habere volumus, necessum est, vt eo quoque affectum & amorem nostrum reponamus. In hunc scripturæ locum diuino Dionysio Areopagitæ facilè fuit pulchram illam & admirabilem facere propositionem, siue maximā; *Anima verius est vbi amat quam vbi animat:* Id quod tanta ab illo cum veritate dictum fuit, vt per plures quam mille experientias non sacras duntaxat, sed etiam profanas confirmetur.

S. Fulgent. serm. de Confessor.

2. Quærit Guilielmus Durandus, quæ causa sit, quod in parentum amicorumue morte homines ex cōmuniter vsitato more nigris vestiti esse soleant? & respondet: *vt per nigredinem & dolorem consepulti mortuo videantur.* Color enim niger tenebras significat intra amici sepulchrum latentes & reclusas; Hoc autem colore nigro amici & parentes haud alia de causa amiciuntur, quā vt demonstrent quod sub vno eodemque saxo, in parentis & amici sui societate, corde & animo sepulti lateant. Vnde nigra illa vestis amorem significat, quō erga mortuū afferunt, totique mundo notum ac manifestum faciunt, quod tametsi ab amico sepulto, corpore tenus longè sint auulsi, corda tamen sua intra easdem cum mortuo amico tenebras reclusa verè consistant; siquidem proprium sit amantis animæ, vt verius magisque propriè adsit amato, quam corpori quod animat. Neq; aliam ob causā antiquis sepulchris seu cenotaphiis cor insculpebatur, aut pingebatur, quam ob eam quam modo diximus.

Duran. de diuin. offic. lib. 7. c. 35.

3. Dauid Propheta cum diuitibus & opulentis loquens, vtilissimum hoc illis saluandisque animabus illorum apprimè necessarium tradidit documentum, videlicet: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* q. d: quod si diuitiæ vestræ torrentis instar inundauerint, vigilantes estote, ne cor ijsdem diuitiis coniungatis aut affigatis, vtique enim perdetis illud, vtpote quod hæ suo secum impetu sunt raptaturæ. Verum dicat aliquis: qua ratione vir diues cor ex pectore, intra quod natura ipsum plantauit & collocauit, euellere, idemque scriniis, seu auri & argenti repositoriis, aliisque locis in quibus diuitiæ custodiuntur & reseruantur, includere poterit?

Psal. 61. v. 11.

Franciscus Titelmannus dicit cor è pectore velut euelli & amoueri posse per amorem quo fertur erga diuitias: *Apponit autem cor diuitiis, omnis qui affectu inordinato eis adhæret.* Quādo homo bonis & thesauris quos possidet amorem suum adfigit, tunc inquāt ex vi amorosi illius affectus, anima à corpore quasi discedit, eoque se recipit vbi sunt bona illa transitoria, iisdemque ibidem tenaciter adeò adhære, vt verius dici possit animam in thesauris reclusam esse quos amat, quam intra membra quæ animat.

Titelmannus ibid.

S. Bernardus scribit S. Antonium Paduanum veritatem istam ingenti quodam confirmare voluisse miraculo. Dum enim occasione præsentis cadaueris auari cuiusdam damnati, die quadam ardenter valde cōtra humanam cupiditatem detonaret, quibusdam præcepit, vt in domum auari huius mortui cito concederent, atque repositoria illa in quibus defunctus ille pecunias suas argentumque suum congregatum reliquerat, aperirent, certo nāque & indubitatè futurum, vt in iisdem vna cum pecuniæ thesauris ibi reconditis, cor quoq; adhuc calidum inuenirent: prouti & ipso facto id ipsum miraculosè ibidem depræhenderunt.

S. Bernardin. tom. 4. serm. 19

4. Vnde Seneca veritatem istam considerans, hominem quendam auarum sic alloquebatur: *Mihi diuitiæ si abfuerint, nihil auferent nisi semetipsas, stupebis & videbis sine te relictus, si illæ à te recesserint:* q. d: Quod si diuitias meas perdidero, præter diuitias nihil mihi deperibit. Tu tua perdendo, te quoque vnà cum ipsis amittes, miraberisque videns te, sine re. Volebat nimirum Philosophus ille pulchro isto loquendi modo demonstrare, se cor suum liberum omnino possidere, atque à laqueis affectus illius solutum, quo auarus rei à se possessæ tot nodis conspicitur illigatus. Id quod se experientia teste promittebat demonstraturum, hac

Sen. de vita beat.

hac videlicet ratione. Ille namque qui bonis suis per affectum minime adhæserat si bona sua amittat, quia non amabat illa, præter illa nil prorsus amittit: Auarus autem in simili prorsus euentu simul amittit seipsum hoc est animam suam. Anima namque eius ex vi amoris illius verius inter possessionum arbores radicata, suisque thesauris scepta & inclusa erat, quam in pectore proprio. Vnde necessum erat, vt hæc sua bona amittens, se quoque ipsum necessario pariter amitteret, hoc est animam suam, quæ bonis amissis inordinato affectu mediante præsentissima erat & alligata: *Videberis sinete relictus.*

5. Samson Dalilæ amasiæ suæ multoties vehementem quo illam deperibat prædicabat amorem: ipsa autem, vtpote in dignoscendis veri amoris affectibus admodum experta & practica, verbis suis nullam prorsus fidem adhibere voluit, atque huius suæ diffidentiæ rationem assignans, dicebat ei:
Iud. 16. v. 15. *Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum?* q. d. qua ratione mihi persuadere potero me à te amari, cum anima tua non sit mecum? sciebat namque hæc mulier, quod si Samson illam, vti sæpe protestabatur, amore deperiret, necessum esset, vt anima Samsonis secum esset, & quia videbat animam eius longissime à se remotam & dissitam, hinc ipsa se ab illo nullatenus amari conijciebat. Anima enim quæ vere & ardenter amat, verius est in re amata, quam in carne animata.

6. Ex ijs qui ad cœnam regis illius, nuptias filio suo celebrantis, inuitati erant, postea que venire renuebant, vt refert S. Lucas, *Luc. 14. v. 20.* is qui iuga boum emerat, simul cum illo, qui nouæ villæ factus fuerat Dominus, vrbanæ se apud Regem veluti legitime impeditos excusauit, alius vero qui vxorem duxerat, pro eiusmodi vrbana excusatione facienda minime fuit sollicitus. vbi quærendum, cur sese alij duo excusarint, hic vero minime? Respondet Gulielmus Durandus, per eum qui vxorem duxerat intelligendos esse homines carnis libidini deditos, qui de excusatione exemplo aliorum ciuiliter facienda minime curant, sunt enim excordes.
Durandus ibid. lib. 6. c. 116. *Luxuriosi non se excusant, quia non habent cor.* Cum enim lasciuo amore alienam carnem prosequantur, amor ille cor illis ereptum in l. sciuè amaram reposuit meretricem, cui verius & intimius præsens esse reperitur, quam corpori proprio. Vnde omni prorsus destituti sensu remanent, vt de excusatione iure facienda cogitare minime possint. *Quia non habent cor.*

7. Ioannes Bocacius Plautum citat, qui *Plaut. apud Bocac. in Gene. lib 3.* dum ab infernalibus carnalis lasciuique amoris stimulis agitaretur, de semetipso hūc in modum loquebatur: *Nullam mentem animi habeo; vbi sum, ibi non sum; vbi non sum, ibi est animus.* Videor mihi deinceps iam non homo, sed lignea quædam siue marmorea statua esse, sine mente & sine anima. Et vbi sum ego, ibi non esse videor, ibi vero commoror, vbi non sum, ibi namque degit animus meus, corpore licet alibi in remotissimis partibus existente. Ex quo discursu euidenter liquet, quam hic perspicue & palpabiliter expertus fuerit; verissimum esse quod dicitur: Animam scilicet verius esse vbi amat, quam vbi animat.

8. Neque veritas ist hæc in carnali duntaxat amore elucet, verum insuper per effectus magis stupendos in spirituali quoque & diuino amore se prodit, vtpote qui maiori cum violentia corda euiscerat, atque ab animatis corporibus separat animas.

Christus cum Apostolis suis de ijs loques, qui amore ac desiderio cœlestis gloriæ, omnia huius mundi bona sua vltro reliquerunt, ita aiebat: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* *Matth. 5. v. 3.* Vbi notandum Dominum in præsenti tempore loqui, non vero in futuro: cum tamen contrarium potius dicendum fuisse videatur, neque enim voluntarij hi pauperes cœlum in hac vita præsenti possident, sed post mortem possidebunt in altera vita, vnde dicendum potius erat. *Quoniam ipsorum erit regnum cœlorum.*

Hugo Cardinalis difficultatem hanc optime intelligens, eandem ita dissoluit: *Nam etsi corpore sunt in terra, mente tamen sunt in cœlo.* *Hugo Cardin. in Cap 35. Gen.* q. d. Christus nullam aliam ob causam dicit pauperes spiritu etiam in hac vita regnum cœlorum possidere, nisi quia tametsi corpore tenus in terra sint, mente tamen in cælo habitant, atque hoc quidem ex amoris

 moris

moris virtute accidit. Cum enim terrenarum rerum prorsus obliti sint, omniaque bona caduca contempserint ac deseruerint, omnem suum affectum in rerum cælestium amorem adhibent. Hic amor ergo animas ipsorum in cælestem illam patriam subuexit, vbi verius magisque quam in proprijs suismet corporibus præsentes existunt. Vnde est quod tametsi in terra sint viatores, in cœlis tamen veluti beati habitare dicantur: *Mente tamen sunt in cœlo.*

9. Priusquam Christus in crucem suffixus moreretur animam suam Patri recommendare voluit, dicens: *In manus tuas commendo spiritum meum.* S. Anselmus vult Filium Dei verbis prædictis simul cum anima virginem matrem in manus patris æterni recommendare voluisse: *In hac commendatione cum hostia sanguinis commendabat Christus Deo Patri Matrem dulcissimam.* verum ex quo Christus de spiritu suo loquebatur, quomodo stabit D. Anselmi opinio, scilicet, quod illis verbis simul etiam locutus fuerit de Matre, certe si simul etiam de ipsa locutus fuisset, dixisset vtique in hunc modum: *In manus tuas commendo spiritum meum & Matrem meam*, non vero absolute *Spiritum meum*, prouti iam de facto dixit. Enimuero minime dubium est, quin conformiter ad mentem huius Sancti Doctoris dici possit, Christum hisce verbis præter spiritum suum, subintelligere potuisse simul & matrem; Tametsi enim solum dixerit *spiritum meum* & non etiam subiunxerit, *& matrem meam*, dici tamen potest, id factũ esse, qui matrem suam sub nomine spiritus vel Animæ, intelligi voluit, vt vel sic Patri suo efficaciter persuaderet, illam vtpote tenerrimè à se dilectam, impense sibi recommendatam esse debere. In cuius amoris indicium, vocare illam voluit animam suam, *spiritum meum.* vtpote quæ vere pretiosus ille Thesaurus esset, in quem vi amoris translata erat anima sua. Loquebatur autem sic, conformiter ad modum loquendi ordinarium eius, qui amat, qui obiectum amatum vocare solet animam suam, quia videt verius animam suam tali inesse & inhærere obiecto quam sit in se ipso.

Luc. 23. v. 46.

Anselm. Dial. de Passione.

10. Confirmaturque hoc per id, quod dicit S. Bonauentura, in illum Euangelij S. Ioannis locum, in quo refertur crudelis illa lateris mortui Christi à Longino facta transfixio, scilicet: *vnus militum lancea latus eius aperuit:* Nunc vere, dicit S. Cardinalis. *Filij corpus & Matris animam huius lancea gladius perforauit.* q. d. vere lancea ista, vnico quem intulit ictu, duo fecit horrenda vulnera, vnum scilicet in corpore filij, in matris anima alterum. Estque hoc maximum, inter cætera argumentum, quod in huius considerationis nostræ confirmationem adduci posset. Qua enim ratione lancea Longini, Christi latus aperiẽdo, Deiparæ virginis animam vulnerare potuisset, nisi in eodem Christi latere, veluti in nidulo suo indubitatè resedisset? Hæc autem virginis in latere Christi commoratio, in virtute fiebat amoris illius, quo Mater erga Filium ardentissime flagrabat. Sicut enim anima Christi per amorem erga matrem, matris in pectore habitabat: ita pariter anima matris, ex vi amoris erga filium morabatur in pectore Christi; ita vt illo percusso & vulnerato, ipsa quoque simul percussa & vulnerata esset: *Matris animam huius Lancea gladius perforauit.*

Ioan. 19. v. 34. Bonau. in medit. vita Christi c. 80.

11. Ab hoc capite decimo nono Euangelij S. Ioannis minime recedamus, quin prius aliud quoddam apprime efficax inde eliciamus argumentum, ad præsens propositum nostrum valde accomodatum. Refert enim S. Euangelista ibidẽ, Christum in cruce suspensum matrem suam dilecto discipulo suo impense recommendasse, quæ ex tunc ab eodem amantissime dulciterque recepta, inseparabiliter cum eodem habitare cœpit. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Super quem locum magnus ille Mediolanensium Archiepiscopus ita discurrit. *Neque enim mater Domini Iesu ad possessorem gratiæ demigraret, nisi ibi Christus haberet habitaculum.* q. d. Mater Dei nequaquam cum S. Ioanne habitare consensisset, nisi dilectum Filium suum in eodem Ioanne habitare sciuisset. At vero dicat aliquis, si Christus tunc pendulus erat in cruce, quomodo sibi virgo persuadere poterat, quod habitaret in Ioanne? Respondeo, quod tametsi tunc Christus esset in cruce, anima nihilominus Christi, in Ioanne

Ioan. 19. v. 27.

Ambr. exhort. ad virg.

anne potius, quam in moribundo suo degebat corpore; idque ob ardentem quo illum prosequebatur amorem, propter quem etiam ad perpetuam sui gloriam vocatur *discipulus quem diligebat Iesus*. Cum itaque anima verius est, vbi amat, quam vbi animat, hinc S Doctor Christum eo tempore quo pendebat in cruce, simul in Ioanne habitasse dicit. *Vbi Christus haberet habitaculum.*

Ioan 21. v.7.

12. S Bernardus, dum sanctos Martyres tot tormentis, ac pœnis humanitus insupportabilibus subiectos, nec tamen inde dolentes aut afflictos, sed potius præingenti quo in ipsis tormentis perfundebantur, gaudio exsilientes, lætosque considerat, valde miratur, ideoque quærit: *vbi tunc anima Martyris?* Quod si illam in corpore fuisse respondeas huic obstat, quod salua veritate id minime dici posse videatur; corpus enim Martyris, in tormentis existentis ad instar saxi insensibile quasi, & impassibile esse videbatur, haud aliter, quam si anima prorsus destitutum fuisset, nihilo à cadauere differens. Melius igitur ipse respondet: ipsam in amati Iesu latuisse visceribus; *In visceribus Iesu nimium patentibus ad introeundum.* Nihil igitur mirum, si non doluerit corpus, quando ab illo tam procul anima aberat? verum quis illam in ipsa Iesu Christi viscera introduxit? Respondet idem Bernardus; Fecit id amor: *Neque hoc facit stupor, sed amor.* Amor quo sanctus Martyr ferebatur erga Dominum, idipsum admirandis violentijs suis effecit: Ardens enim præ amore fortis Athletæ anima, in diuino potius pectore abscondita, quam in corpore suo reclusa erat, atque inde prouenit, quod tormenta minime sentire aut dolere videretur. *Anima magis est, vbi amat.*

S. Bern. serm 61. in cant.

13. Cum S. Elzearius Comes Ariani, vnus ex pretiosioribus gemmis quibus Tertius seraphici Patris S. Francisci, Ordo insignitur & decoratur, à Comitissa lectissima Sponsa sua procul abesset, eaque ob diuturnam Sponsi sui absentiam magno eius videndi teneretur desiderio, ideoque illum literis ad ipsum directis domū reuocaret, ipse per reciprocas suas hunc in modum eidem inter alia respondit: *Sanus corpore sum & sospes, quod si videre me cupis, quare me in vulnere lateris Christi, ibi namque inuenire & videre me poteris.*

Lippom. 29 Septemb. c. 30.

Qui nullam eius, de qua discurrimus, Philosophiæ haberet notitiam, merito illam huius magni serui Dei responsionem mirari posset & dicere. Quod si sanctus hic comes in monte Pessulano morabatur (hinc enim Sponsæ suæ per literas respondebat) qua ratione igitur Comitissæ compari suæ, se in plaga seu vulnere lateris Christi commorari respondet? sed considerandum, quod licet S. Elzearius corpore tenus in monte pessulano fuerit, attamen eo, quo erga Iesum dilectum suum ardebat, amore supposito anima tenus in vulnerato corde seu latere Christi, præsens aderat: Anima enim dum amat, potius in obiecto amato præsens est, quam in corpore per illam informato.

14. Dum Maria Magdalena in aliarum deuotarum mulierum Societate ad condiendum & inungendum amantissimi Domini sui corpus sese recepisset, atque ad aliquod sepulchri latus nonnihil secessisset, mox eidem Angelus quidam apparuit, Dominum suum à mortuis surrexisse annuntians: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum? surrexit non est hic.* Quod fœlix nuntium mox alij duo Angeli eidem apparentes confirmauere dicentes: *Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit:* Ipsa autem post omnia isthæc nuntia, à sepulchro nihilominus discedere noluit, sed amarissime collacrymans iuxta sepulchrum perseuerauit; Quando ecce iterum alios duos Angelos conspexit, planctus sui causam interrogantes: *Mulier quid ploras?* Quibus ipsa respondit: *Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.*

Marc. 16. v. 6.

Luc. 24. v. 5.

Ioan 20. v. 13.

Sanctus Bonauentura dicit: *paulò ante audierat ab vno Angelo, quod resurrexerat, & postea à duobus, quod viuebat, & nō recordabatur, sed dicit, Nescio.* Mira res est hæc S. Ma-

Bonau. ibi. c. 89.

riæ Magdalenæ tam subita obliuio! paulo ante Christum esse resuscitatum ab vno Angelo intellexerat, & mox duo alij ipsum viuere annunciabant, & tamen illa nunc, se quicquam scire negat. Cur quod audierat non recensebit? cur non dicit: Iam resuscitatus est à morte, viuit iam gloriosus, non iam deinceps dicendus est mortuus? An forte insensata suique impos erat? Seraphicus Doctor affirmatiue respondet. Huius autem dementiæ vera causa erat ingens amoris erga Christum vehementia; hæc enim illam à se ipsa velut abire faciebat. *Amor hoc faciebat, quia anima sua non erat, vbi ipsa erat, sed ipsa erat, vbi Magister suus erat.* Vnde quod sancta hæc mulier læta Angelorum nuntia minime perceperit, mirum non est; Amor namque quo erga amantissimum Magistrum suum ferebatur, illam prorsus reddiderat sensus expertem, quia animam sibi ereptam, dilecto suo præsentem constituerat. Vnde mirum non est, si absente anima non senserit, nec audierit, aut aliquam auditorum memoriam habuerit. *Anima enim verius est vbi amat, quam vbi animat.*

SERMO II.

In Feriam V.

POST CINERES

Cum introisset Iesus Capharnaum accessit ad eum Centurio.

Matth. 8.

Nonnunquam contingit, vt præmaturus seu præcoquus aliquis in viridario seu horto extra consuetum seu ordinarium anni tempus præcociter productus fructus sacræ Imperatoris Maiestati à fideli quodam eius vasallo siue subdito præsentatus, tanto is eidem sit gratior, quanto magis genuinos in illo colores, odores, & sapores, qui ijs quoque fructibus insunt, qui in proprio anni & maturitatis consuetæ tempore producuntur, deprædendit. Neque enim dubium est, quin magna sit principis talis recreatio, ingens quoque complacentia & admiratio, qua cum nouum illud atque tali tempore inexpectatum recipit fructus eiusmodi donarium. Ad propositum præsens; S. Ioannes Damascenus hunc in modum discurrit. *Damasc. Orat. 2. de dormit. Mariæ Virg.*

Simile quid mihi in præsenti Euangelio accidere videtur, in quo S. Matthæus scribit, deuotissimam gentilium Ecclesiam, magno cælorum Imperatori primum viridarii sui fructum, qui in eodem anticipate ante expectatum solitæ maturitatis tempus excreuerat, præsentasse, Centurionem videlicet, ita ab authore operis imperfecti appellatum: *Centurio primus fructus ex gentibus.* Quanta autem magno illi cælorum Regi ex fructu illo subnata fuerit recreatio, quam ingens illi fuerit gaudium & admiratio, dum ad pedes suos prostratum vidit præclarum adeo atque nobile dona- *Author operis imperf. hom. 22.*

donarium, S. Euangelista recensere minimè negligit, dicit enim: *Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.* Et quomodo admiratione dignus non esset fructus iste, dum in extraordinario illo tempore iucundissimi in illo producuntur colores, fragrantissimi odores, deliciosissimi sapores, quibus in naturali anni tempore, illo videlicet quo hortus sanctæ Ecclesiæ Sanctorum suorum fructibus onerandus erat, meliores expectari minimè potuissent. *Iesus miratus est.* Admiremur quoque & nos fructum hunc admirabilem, eiusque excellentias, & primò quidem colorem.

Matt. 8. v. 10.

CONSIDERATIO I.

Domine puer meus iacet in domo paralyticus.

Charitas erga proximum colorem habet in oculis Sanctorum adeò pretiosum, vt nihil hi pretiosius reperire valeant, vnde pro ipsa omne bonum creatum, vbicumque demum illud sit, siue in cælo, siue in terra, libenter deserunt.

1. Fidelis Centurio, ab amore quo ergà infirmum ferebatur seruum excitatus, impetrandæ eidem sanitatis causa ad cælestem medicum requirendum se recepit. Ad cuius pedes prostratus tanta cum efficacia perorauit, vt non tantum pro voto suo omnia obtinuerit; verum etiam per eum quem erga proximum seruum exhibuit affectum, in admirationem rapuerit eum, cuius animus nullius plane est capax admirationis. Admirabilis profectò est color charitatis: color vtique verè purpureus, qui inter omnes alios maximè est pretiosus, & gratus; quo inflammati omnes serui Dei, ob sui pretium quod in illo attendunt, omne bonum creatum, tam quod in cælo, quam quod in terra est, despiciunt ac derelinquunt.

2. S. Ambrosius nomen istud *Charitas*, altius considerans & ponderans ethymologiam eiusdem, & vnde deriuetur, diligenter indagat. Tandem illud à nomine *charius* deriuari dicit: non aliunde charitas dicitur, quàm quia *illa charius inueniri non potest*, ex omnibus, quæcumque tandem illa demum sint; ipsa enim cuiuis opulentissimo thesauro comparata, maioris semper pretii atque valoris esse reperietur.

Ambr. præf. 2, ad missam.

3. Super illa verba Apostolis à Christo dicta: *Quis ex vobis homo quem si petierit filius panem, nunquid lapidem porriget ei?* S. Remigius scribens per Patrem Deum, per panem verò charitatem intelligit, dicitque: *Non est timendum si petamus à Deo Patre panem id est charitatem, quod porriget lapidem, id est, odii duritiam.*

Mat. 7. v. 9.

Remig. ex Cat. S. Thomæ.

Cur obsecro charitas panis appellatur? Quia pane nihil ad sustentationem humanæ vitæ melius, aut vtilius vspiam inueniri potest. Id quod Diogenes Philosophus Cynicus optimè cognouit, quando panem, quo nihil in mundo pretiosius reperitur, vili pretio vendi admirabatur: nam Diogene, Laërtio referente dicere solitus erat: *Quæ sunt pretiosissima minimo vænire & contra; nam statuam tribus millibus emi, farinam verò candidam duobus æris.* In mundo omnia hysteron protheron aguntur, idest, è diametro contrarium ei, quod fieri meritò deberet; res enim pretiosæ minimo væneunt, caro autem venduntur, quæ nullum in se pretium habent. Statuam aliquam tribus seu torum millibus, farinæ verò mensuram duobus solidis vendi videbis. Ac proinde cum panis res sit, eorum quæ in hac vita habemus pretiosissima, charitas quoque panis nomine non aliunde intelligitur, quam quia est rerum omnium, quas in hac vita homo christianus possidere potest, optima & pretiosissima: *Quia illa charius inueniri non potest.*

Diog. Laer. de vita Phil. lib. 6.

4. S. Paulus Corinthiis scribens, atque præclaram quandam excellentiarum charitatis panegyrin texens, inter alia dicit: *charitas non quærit quæ sua sunt.* q. d. charitas de rebus ad se pertinentibus, sibiq; necessariis minimè curat. Vbi Hugo Cardinalis interrogat: *Quamobrem non quærit?* Ergone forte obligatus homo erit, vt quærat & curet ea quæ spectant ad proximum, suiipsius propriarumque necessitatum oblitus? Respondet hic Doctor: *Quia nihil ei deficit,*

1. Cor. 13. v. 5.

Hugo. Card. ibid.

eit, *non quærit quod habet charitas.* Homo syncero erga proximum amore flagrãs, non ideo sua non quærere dicitur, quasi alterius commodo studere duntaxat, sui verò ipsiũs obliuisci debeat, sed quia omne bonum in se habet, & ideo nullius eget, non enim quæritur quod habetur. Quisquis igitur charitatis thesaurum possidet, omnia mundi huius bona habet, omnes cæli thesauros manibus tenet, nulliusque rei necessitate premi potest, *Quia nihil ei deficit.*

Quidnam è rebus corporalibus magis necessarium pane esse potest, vtpote sine quo homo vitam minimè valet producere? & tamen charitas ne illius quidem necessitatem vllam habet, nam vt inquit S. Zeno Martyr, illa non tantum fame non emaciatur, sed saginatur etiam: *Tibi fames saginatio est.*

S. Zeno. serm. de fide &c.

5. Super illa negotiatoris Euangelici verba, qui multas inquirendo margaritas, vnam tantum inuenit, & tamen pro illa comparanda omnes facultates suas & quicquid vspiam possidere poterat, vendere statuit, prout in S. Matthæo dicitur: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas; inuenta vna pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit & emit eam.* S. Augustinus quærit: Cur negotiator iste multas margaritas quærens, vnam duntaxat sibi comparauit? Plures emere debuisset, præcipuè cum pluribus quærendis incumberet. Respondet autem, per margaritam hanc pretiosam, charitatem merito intelligendam esse, vtpote quæ sancti tamque immensi pretij gemma est, vt pretio ac valore suo, omnes Christianarum virtutum gemmas immensum exsuperet. Nec est quod post inuentam illam, quæratur alia; illa namque inuenta, reperitur quicquid ab aliquo quæri, aut necessum cupiam esse potest; quippe quæ cuncta in se bona complectitur, quæ anima aliqua Christiana ad Spiritualem sui locupletationem valet desiderare. *Præcepta iustitiæ quærens, quibus seruatis cum hominibus rectè conuersatur, inuenit dilectionem proximi, in quo vno dicit Apostolus omnia contineri.* Qui

Matth. 13. v. 45.

August. qq. lib. 9. quæst. q. 13. in Matth.

Margaritam istam inuenit, Cræso aut Mida se opulentiorem esse existimet, opulentior namque aut ditior esse nequit, vtpote diuitiarum spiritualium omnium quæ inuestigari aut desiderari vnquam possunt, complementum in se complectens. *Quia illa charius inueniri non potest.*

6. Voluit Christus Dominus noster mortem suam auspicaturus, prius ad instar amantissimi patris suum condere testamentum. In quo Apostolis velut vniuersalibus hæredibus fraternum legauit amorem, ita scribente S. Ioanne: *Do vobis vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Vbi Oleaster quærit, cur Christus adeò diues existens, omnesque cæli terræque thesauros in manu sua habẽs, cur inquam Apostolis in testamento suo non legauerit rem aliquam maioris valoris, quam sit fraterna charitas? *vt diligatis inuicem.* Ioan. 13. v. 38.

Et respondet: ideo Apostolis aliud bonum præter charitatem minimè reliquit, quia neque in cælo, neque in terra quicquam, quod charitate pretiosius aut præstantius esset, habere potuit; *Cum quod relinqueret eis, melius non haberet, reliquit mutuam dilectionem.* Voluit Christus dilectissimæ familiæ eam quam in toto dominio suo haberet rem pretiosissimam post se relinquere. Et ideo omnes suos thesauros magna cum industria & sedulitate circumspexit, quærens in ijs pretiosissimam, quam in tota gaza sua haberet margaritam; nec tamen in omni terra, sicut nec in vniuerso cælorum regno inuenire aliquid potuit, quod ipsa charitate pretiosius aut præstantius esse possit, cum hæc virtus optima & pretiosissima gemma esse credatur, quæ in cunctis Dei thesauris reperiatur aut conseruetur: *Quia illa charius inueniri non potest.*

Oleast. in cap. 23. Genes.

7. S. Paulus Apostolus Romæ existens, prouti scribit S. Ioannes Chrysostomus, mulierem quandam, quæ Neronis Imperatoris concubina erat, sacro baptismatis lauacro tinxit. Quæ Christiana iam effecta, cũ antiquis renuntiare statuisset luxurijs, impuros sæuissimi Tyranni dedignabatur amores. Qui cum Apostolum huius tam perfectæ conuersionis causam fuisse, plurimorum relatu & informatione didicisset, mox eundem capi & in carcerem

Aduers. vitup. vit. monast.

conijci

conijci fecit, necnon ingenti quadam & ponderosissima catena onerari & ligari, atque in optima custodia conseruari præcepit. In qua eadem persecutione gentium Doctor postea tandem occubuit.

Contigit autem, vt dum hoc modo catenis onustus atque ligatus esset, epistolam quandam ad Christianum quendam Asiæ nobilem, discipulum suum, Philemonem nomine exararet, cui hunc præfixit titulum: *Paulus vinctus.* Os Chrysostomi aureum dicit, verba ista posita esse in epistolæ primo limine, ad eum fere modum, quem Reges & Principes vsurpare solent, qui variis titulis litterarum suarum caput honorare consueuerunt, varias ibidem dignitates & dominatus suos, quibus in hoc mundo præfulgent, recensendo, ex quibus ipsorum conspicua gloria resplendeat.

ad Philem. 1. v. 1.

Verum enimuero, quisnam est gloriosus ille titulus, quem Apostolus ad litteras suas honorandas sibi est vendicaturus? Hic videlicet, *Paulus vinctus.* Sed videbatur inde verecundiæ potius rubore suffundendus, quam magnificandus; magisque de catenis erubescere, quam gloriari debuisset. An forte magnifici & gloriosi tituli magno huic & incomparabili viro deerant? Cur non appellabatur ad tertiam vsque cælum à Deo raptus? in paradisum introductus? denique diuinorum secretorum auscultator? quos honores cæterorum hominum nullus sibi arrogare poterat.

Respondet S. Archiepiscopus: *Multa ipsum alia splendidum faciunt, in cælum rapi tertium, in paradisum deferri, verba audire ineffabilia, sed horum nihil posuit, sed pro omnibus Catenam: hæc enim magis quam illa illustrem reddebant* ac splendidum. Indubitatum est Apostolum his alijsque similibus titulis honorari potuisse, vtpote qui multis à Deo modis supra modum fuerat magnificatus: attamen titulum illum à catenis desumptum, omnibus quibus à cælo dignatus fuerat honoribus, præferre maluit. Longe namque illustrius & gloriosius existimabat, se pro Christo vinctum esse, quam esse eleuatum in cælum, introductum in paradisum, aut ineffabilium secretorum diuinorum factum se esse auscultatorem.

Chrysost. Hom. 16. ad populum.

At verò qua de causa gloriosiorem, magisque illustrem reputabat catenam, quæ ipsum veluti reum & malefactorem stringebat, quam magnos quos de cælo receperat honores? Nulla huic alia causa subest, quam quod catenam illam charitatis titulo, & non aliter sustinuerit, quia videlicet salutem animæ iuuenculæ illius meretricis procurauerat; Charitas enim tantæ merito est æstimationis, adeoque sanctis & electis Dei grata est & accepta, vt ipsi quoque labores & tribulationes, quibus ex charitatis motiuo subiacent, tametsi ex mundanorum hominum arbitrio viles censeantur, ac probrosæ, apud ipsos tamen pretiosæ æstimentur & splendidæ, adeò vt easdem cunctis alijs honoribus, quos vnquam receperunt, tametsi cælestes illi etiam sint & diuini, liberrimè præferant: Illa charius inueniri non potest.

8. Vir ille qui in capite primo Apocalypseos S. Ioannis apparuit, similis filio Dei saluatori nostro; *Vidi similem filio hominis,* in manibus suis, Apostolo referente cælum quoddam habebat stellatum, ad pectus autem zona aurea præcinctus erat, *Habebat in dextera sua stellas septem; præcinctum ad mamillas zona aurea:* Per zonam istam auream, Doctor Angelicus charitatē intelligit: *Zona aurea, id est cingulo charitatis.*

Apocal. 1. v. 16.

D. Thom. ibid.

Vbi notandum virum illum zona illa supra pectus, regionem scilicet cordi vicinā, fuisse præcinctum: ad significandum, sanctos Dei qui Filio Dei per imitationem similes euadunt, charitatem adeo pretiosam, tantique valoris æstimare vt illam multo maioris faciant, magisque cordi ducant, quam omnia cæli præmia, omnesque cælorum diuitias: *Illa charius inueniri non potest.*

9. Audiens Moyses Deum ob idololatriam circa vitulum aureum commissam, statuisse Hebræorum populum castigare grauiter, aut potius stirpitus delere, vt diuinam tanti criminis vindictam impediret, ad orationem confugit & coram diuina Maiestate prostratus, veniam pro

pro illis est deprecatus. At verò quia Deum in exaudiendo valde reperit durum, ideoque obtinere post multas preces nihil potuit, mirum tandem concepit animi propositum, dixitque: *Obsecro peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos, aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti.* q. d. Tametsi negare non possim, ô Domine, quin populus iste ingens contra infinitam Maiestatem tuam scelus commiserit, dum vt vitulum adoraret, debito te honore & religionis cultu prosequi neglexit: Ego tamen hanc enixè à te exposco gratiam, vt alterutrum horum mihi concedere digneris, videlicet aut noxam hanc idololatriæ illis dignare remittere; aut verò, si id non facis, ex catalogo me beatorum deleto. Quod si enim damnandi sunt isti, ego in illorum societate damnari malo, quam sine ipsis saluari.

Exodi 32. v. 31.

Ita prædicta hæc verba explicat S. Ioannes Chrysostomus. *Cum ipsis*, inquit, *perire volo magis, quam sine ipsis saluari.* Quam Moysis inauditam resolutionem valde admiratus S. hic Doctor, persuasum sibi habere videtur, Moysen hoc dicendo nonnihil velut delirasse Vnde eundem reprehendendo dicit: *Quid dicis? cælum contemnis? expungi petis?* q. d. An tibi forte ô Moyses, cerebri accidit deliquium? delirasne fortasse? Nostine ad quid te resolueris? num forte cælum contemnes, teque è libro vitæ æternæ deleri petes. Quodnam est conceptum illud propositum tuum, perpetuam scilicet animæ tuæ ruinam propria lingua ordiri? Qui hactenus debito seu obligationi boni prælati, tanta cum efficacia satisfeceras? Esto enim quod Deus deinceps te audire noluerit, quænam est in hoc culpa tua? Sceleratam nationem istam iuxta sua demerita castigari ne impedias, neque enim vlla ratione conuenit, vt eam tantum ob causam, quod nationem istam in infernum condemnandam intelligas, tuam procures damnationem, quin potius æternam, quam toties tibi Deus promisit, salutem tu conseruare studeto.

Chrysost. hom. 7. Ephes.

Porrò os illud aureum, postquam his ferè verbis Moysen interpellasset, eundem sic introducit respondentem: *Vtique*, inquit, *diligo siquidem illos, licet iniustè egerint. Et quid patior? Amor enim est.* q. d. Tu ex me, num cælum contemnam sciscitaris, eo quod è libro vitæ deleri postulem? Cui quæstioni ego respondeo: Ne dubites, vtique enim cælum contemno. Cur autem id faciam, si quæras, respondeo, charitas eius rei causa est, qua erga hunc populum meum ardeo.

Idem loc. cit.

Vbi nota, quanti sanctus hic Dei propheta amorem proximi fecerit, & quam is supra quoduis aliud bonum creatum ei gratus fuerit, cum illo vrgente, cælum generose contemnere non dubitarit, nihili prorsus faciens, si è cælis perpetuo sit excludendus, quippe qui ab amore nunquam cessauit, neque charitatis producere effectus vnquam prætermisit.

10 S. Paulus Apostolus ad Romanos scribens, deque vehementi, quo impænitentium Hebræorum salutem percupiebat, desiderio agens, miram hanc protulit sententiam: *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem qui sunt Israelitæ.* *Rom. 9. v. 3.*

Porrò scripturam istam velim nonnihil ponderemus, primo namque intuitu videri posset S. Paulus hæc scribens, superfluè & frustra posuisse nomen hoc. *Ego ipse*, siquidem etiam hoc nomine omisso, sufficienter intelligebatur, ipsum, non verò alium aut alios hoc flagrasse desiderio. Cur ergo idipsum adiecit. An non sufficeret, si dixisset: *Optabam anathema esse*. Theodoretus vult, nomen istud, *Ego ipse*, minimè superfluum, sed potius ad intelligendam Apostoli mentem maxime fuisse necessarium. Et rationem assignat dicens: *Apposuit illud. Ego ipse, ea quæ de charitate in Christum antea dicta sunt, in memoriam reuocans.* Superius namque gloriatus fuerat, nullam siue in cælo siue in terra reperiri creaturam posse, quacumque etiam violentia armatam, quæ illum à dilecti Christi sui arcere aut separare societate posset. Et huius quidem erat certissimus: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* q. d. stricto adeo vinculo cum Deo meo coniunctus sum, & conglutinatus, vt tametsi mors, & vita,

Theodor. ibid.

Rom. 18. v. 38.

vita, Angeli, Principatus, Virtutes, omnesque aliæ creaturæ simul vnitæ, in mei à Deo meo solutionem coniurarent, & armarentur, de vano tamen irritoque ipsorum conatu sim omnino securus.

Iam ergo dicit hic Doctor: Apostolus amore erga proximum inflammatus, diuinum hunc amoris ignem tam gratum habuit, tantique æstimauit, vt secluso peccato, eundem ipsi quoque vnioni cum Deo præposuerit, minime curans se à Deo in æternum separatum esse, in casu quo Deus ipsos quoque fratres suos separare decreuisset. Quasi diceret, inquit Theodoretus: *Ego ipse, quem nec mors, nec vita, nec præsentia, nec futura, nec alia creatura separare poterat à charitate Dei, libentissime pro Iudæorum salute ab ipso separarer. Suum in eos amorem ac desiderium declarans.* Ego ipse qui supra, audax ille, gloriosus, & iactabundus ille, qui tantopere de vnione cum Deo paulò ante gloriabar, qui omnes despexi creaturas veluti impotentes ad dissoluendam aut rumpendam catenam illam, quæ strictò adeo cum æterno bono meo me fœdere astringebat, dicens: *Quis me separabit à charitate Christi?* Ego, inquam, ipse pro salute gentis meæ, à charitate, qua erga illam feror, impulsus, quantumuis me iactauerim, nunc tamen à proposito & verbis me defecisse competior: vltro enim citroque ego ipse absque aliqua violentia, aliunde siue extrinsecus illata, separari à Deo desidero.

Vnde colligitur amorem proximi à sanctis tanti æstimari, vt illius instinctu, non tantum ad bona terrena & caduca contemnenda se vltro exponant, verum etiam ipsas cælestis gloriæ diuitias generosè (absque vlla tamen Dei offensa) despiciant. Siquidem nihil siue in cælo, siue in terra, sub Deo illa pretiosius præstantiusque cognoscunt. Probè namque norunt, quod dum animas suas admirabili hoc colore tingunt & exornant, increati Dei sui oculis mirum in modum sint placituri, sicuti placuit Centurio, quem pretiosa hac purpura amictum Christus obstupuit, & veluti hominem singularem, & in toto Hebræorum populo rarissimum laudauit.

CONSIDERATIO II.

Diligit enim gentem nostram & Synagogam ipse ædificauit nobis. Lucæ 7.

Bona fama odor, thesaurus est adeo pretiosus, vt pro conseruatione illius, quoduis aliud bonum merito contemnatur. Tantique à Deo & sanctis est æstimatus vt pro conseruatione illius talia præstent, qualia ad nullam alterius instantiam præstituri essent.

1. Refert quidem S. Matthæus Centurionem in propria persona ad Christum accessisse: S. Lucas verò scribit, quod Centurio præcipuos vrbis Capharnaum ad illum miserit, qui vt ad obsequium huius nobilis viri omnia pro voto obtinerent, multa Christo de hoc Centurione retulere præconia, ipsum eidem veluti personam dignissimam atque gratiam istam optimè meritam proponendo; vtpote qui tametsi Romanus esset & aduena, deuotus tamen magnusque nationis Hebræorum amicus esset, quique Synagogam illis propriorum suorum sumptuum impendio ædificasset. Porrò virum hunc valde inter suos honoratum, optimaque fama inclytum fuisse necessum est, quem tanta cum dicendi libertate laudarunt ac celebrarunt. Dignus omnino fructus proinde erat, qui diuinæ Maiestati insignis doni loco præsentaretur, non tantum ob iucundissimum spectabilemque sui colorem, de quo præcedenti consideratione egimus, verum etiam ob pretiosum optimæ integerrimæque famæ ac nominis odorem, de quo in præsenti videbimus. Estque hic boni nominis odor, ab omni Christiano homine, vtpote omnium pretiosissimus thesaurus magni æstimandus, integreque conseruandus, vtpote pro quo ingentes diuitiæ, imò vita ipsa contemni & postbaberi ab omnibus soleat. Qui etiam

etiam à sanctis imò à Deo ipso tanti semper est æstimatus, veluti si sine illo tanquam sancti haberi & cognosci minimè possint. Ipsamet denique diuina Maiestas tanta pro illius conseruatione effecit, qualia in nulla vnquam occasione alias facturus fuisset.

2. Scriptura sacra sexcentorum ex tribu Dan conscriptorum militum iter, nec non & ordinem, quo cum in via procedebant, describens, inquit, ipsos iumenta, pueros suos, aliasque res quas maioris prètij & momenti habebant, ante se præmisisse: *Qui cum pergerent & ante se ire fecissent paruulos ac iumenta & omne quod erat pretiosum.* Dicit autem Tostatus, quod vbi vulgata legit: *Et omne quod erat pretiosum:* Aliam quandam litteram sic legere: *Et honorem.* Fortasse vt idem Doctor inquit, mulieres seu coniuges suas, vna cum infantibus seu pueris suis ante se præmittebant, veluti quæ magna ex parte viri sui conseruant honorem. Vides igitur, qualiter idipsum quod alia littera appellat honorem, hoc vulgata dicit fuisse omne id quod maximi pretij inter res suas habere poterant. Idque, vt hac ratione demonstraretur honorem tantundem æstimandum esse, quantum omnes quas in mundo possidere possumus res pretiosissimæ, nec pilo quidem minus.

Iud. 18. v. 21.
Tostatus ibid.

3. Postquam Lucretia matrona Romana à Tarquinio Romanorum Rege oppressa fuit, à marito (quem magna cum instantia aduocari fecerat) interrogata, num bene cum ipsa ageretur, eidem, vt Titus Liuius scribit, respondit: *Quid enim salui est mulieri amissa pudicitia.* Quasi dicere voluisset: honore amisso, omnia in ruinam aguntur & præcipitium, quippe cum nihil pretiosius habere quis possit, quam nomen, & famam bonam & integram, adeo vt pretiosissimo hoc thesauro amisso, perditum quoque censeri debeat, quicquid homo antea boni possederat, cum honor non sit aliud, quam *omne quod est pretiosum*, seu quicquid homo in mundo boni aut pretiosi possidere potest.

Titus Liuius Decad. 1. l. 1.

4. Postquam Iudas Patriarcha Thamar nurum suam, quam publicum scortum esse crediderat, lasciue cognouisset, nihilque pænes se haberet, quod Arrhabonis loco eidem relinqueret, annulum illi, armillam, & baculum pignoris loco cessit, donec mitteret hædum quem illi promiserat. Domum autem reuersus, misit ex seruis suis aliquem, qui & promissa expediret, eaque quæ pignoris loco illi cesserat, simul repostularet. Qui cum mulierem illam minimè inuenisset, vtpote quæ de loco isto subito recesserat, domum irrito effectu vnà cum hædo reuersus est. Cui vti Moyses refert, Iudas ait: *Habeat sibi, certe mendacii arguere nos non potest, ego misi hœdum, quem promiseram, & tu non inuenisti eam.*

Gen. 38. v. 23.

Vbi dubitari merito potest, vnde id venerit, quod Iudas adeò facilè, vltro citroque annulo & armillæ suæ cesserit, cum tamen illa, vtpote talis viri monilia, magni vtique valoris & pretii fuerint? Quæ causa est, quod ad monilia illa recuperanda, totam susque deque non inuerterit patriam, omnesque scrutatus sit domos, donec inuenisset eam, quam quærebat mulierem? Cur diligentiorem non instituit inquisitionem? sed potius veluti si nihil amisisset, ne minimum quidem pro arrhabonis recuperatione adhibuit conatum? Rationem huius Oleaster assignat dicens: *Admonemur hic, non debere multam inquisitionem facere, vbi honor & fama periclitantur; maximè in rebus carnis: & potius temporalia perdenda sunt, quam homo veniat in opprobrium.* Vti hac in re præfatus Patriarcha, ne famæ propriæ maculam aliquam incurreret, prudenter fecit. Quod si enim ea, quæ ad rerum suarum pretiosarum recuperationem opus erat, inquisitione, aliquem excitasset rumorem aut strepitum, proprii mox factus fuisset præco peccati, miserumque fecisset famæ & existimationis suæ naufragium. Perdere igitur omnia maluit, quam periclitari de fama, idque rationabiliter valde. Honor namque talis ac tanti est pretij, vt viri sapientes, pro illius conseruatione suas nihili faciant, imò contemnant diuitias. Imo quod plus est, ipsam quoque vitam minimè æstiment.

Oleast. ibi.

5. Dum purissimum illud castarum mulierum speculum Susanna, à lasciuis illis iudicibus accusata, falsò fuisset, suamque

quæ iam mortis præstolaretur sententiam, oculis in cælum subleuatis, vti Daniel Propheta refert, amarissimè fleuit; *Flens suspexit ad cælum.* Cur adeò est lachrymata? fortassè quia iniustè se condemnandam esse conspexit, & quidem ad genus mortis adeò sæuæ & crudelis, qualis erat mors lapidandæ ab omni populo? minimè inquit Sanctus Ioannes Chrysostomus, non erat hæc causa, quæ illam in tam amaras resoluebat lachrymas, sed potius quia videbat totalem se propriæ reputationis ac famæ fecisse iacturam. *Multa cum verecundia ingemiscens & afflicta, non quod obitura mortem esset, verum quod parentibus famam relinqueret, quod infamia notam generi suo esset inustura.* Non quod vitam amissura esset, afflicta Susanna plorauit: verum indè cordis hic dolor nascebatur, quod videret se vna cū tota sua familia ingenti notatam esse infamia, vtpote quæ iam mortis condemnanda esset velut adultera. Personis namque honoratis vitæ iactura pro nihilo æstimatur, vtpote qui honori duntaxat conseruando insistunt, pro quo veluti thesauro omnium maximo mille vitas si haberent libenter exponerent.

Dan. 13. v. 35.

D. Chrysost in pane. tract. 17.

6. Patriarcha Iacob Dinam filiam suam à filio Principis Sichimitarum defloratam esse intelligens, vti Moyses refert, surdum esse finxit. Vbi enim nos conformiter vulgatæ legimus: *Quod cum Iacob audisset, absentibus filiis & in pastu pecorum occupatis, siluit.* Oleaster loco ly *siluit*, legit, *surduit.*

Gen. 34. v. 5.

Ast cur bonus hic Patriarcha surdum se finxit? Fortè vt hanc irrogatam molestiam dissimularet, aut ne illam nimium æstimaret? aut verò vt leniùs illam ferret? Respondet præfatus Doctor Patriarcham munus explesse viri prudentis, dum surdum se esse finxit: Nam *oportet prudentem hominem multa nolle audire, ne cogatur cum discrimine vitæ suæ honorem tueri. Quæ honorem tangunt, melius dissimilantur, quam dicuntur. Qui enim de his conqueritur, opprobrium suum diuulgat.* Pro honore enim tuendo vita nihili æstimatur, vtpote qui longè maioris valoris ac pretii sit, quam quæuis vita.

Oleast. ibi.

Vnde postquam miseria mulieris alicuius adulteræ in publicam totius ciuitatis notitiam peruenit, marito nihilominus aut fratribus eius se ne quicquam ob id mouentibus, minimè credendum est, ideò id ab illis fieri, quia id omninò nesciant, imò sciunt, viderunt, manibus palparunt, surdos tamen interea se esse, seque id scire dissimulant, quia periculo vitam suam exponere nolunt, quod ex mundi consuetudine, postquam se criminis illius faterentur esse conscios, obligarentur facere. Commune enim id est totius mundi iudicium, pluris honorem quam vitam æstimandam esse.

7. Atque huius sententiæ se sanctus quoque Paulus Apostolus esse demonstrat, qui dum in Macedonia vna cum Syla suo scelerati hominis instar captiuus esset, tanquā talis pessimè tractatus, atque equuleis aliisque suppliciis immaniter cruciatus fuit. Iudices autem die sequenti iniustitiam suam nec non & iniuriam sanctis irrogatam agnoscentes, suis mandarunt ministris, vt eosdem à vinculis absolutos occultè dimitterent. Verum sanctus Paulus hoc pacto è carceribus manumitti detrectans, iudicibus generosè respondit, vt si ipsum à vinculis absolutum cuperent, ipsimet personaliter compar ant publiceque illos, non vero clam pristinæ restituant libertati, sicut publicè ignominiis aliisque tormentis affecerant. *Cæsos nos publicè indemnatos, homines Romanos, miserunt in carcerem, & nunc occultè nos eiiciunt? non ita, sed veniant & ipsi nos eiiciant.*

Act. 16. v. 30.

Magna erat isthæc Apostoli generositas. Cur enim putas exire noluit? inter infestos sanctæ fidei suæ hærebat inimicos, idq; cū euidenti vitæ periculo, & tamen cæremonias requirit & solemnitates, ad hoc vt è carcere egrediatur.

Theophylactus existimat, Apostolum non ideò propriè clam à carcere absolui detrectasse, quod quæreret cæremonias, sed *ne videretur dimitti tanquam maleficus & reus.*

Theophyl. ibid.

Meritò, inquit hic Doctor, Sanctus Apostolus clam è carcere exire noluit. Facilè enim dici de illo potuisset, ipsum veluti sibi pessimè conscium, è carcere fugisse, suamq; libertatē non iure, sed ex speciali

li, Officialium gratia clam obtinuisse. Agedum igitur, inquit Apostolus, id ego de me dici aut existimari nolo. Non egrediar hinc vnquam, nisi debitis in id adhibitis solemnitatibus. Volo enim vt prius causa mea reuideatur, perspiciatur factum, incarcerationis examinentur merita, meaque tandem iuridicè declaretur innocentia. Hac ratione, & non aliter hinc discedere decreui; idque ad hoc, vt honor meus mihi saluus remaneat. Hoc enim destitutus, vtique iam dudum in carcere mortuus fuissem. Fama enim & honor tum pro Dei gloria, tum ad proximi ædificationem, tanti meritò æstimatur, vt potius mori, quam illam commaculare, ne dicam perdere quis malit. Idque iure meritò, non tantum ideò, quia honor thesaurus est ipsamet vita longè præstantior: verum etiam quia Deus omninò vult, vt serui sui absque omni prorsus infamiæ macula viuant, vti deinceps plenius videbimus.

8. Deus cum Moyse de sacrificiis suis tractans, inter alia ordinauit ne mellis quicquam in aliquo eorundem adoleretur: *Nec quicquam mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Leuit. 2. v. 11. Vbi non abs re erit si quæramus causam, cur Deo mel displicuerit, cùm idipsum dulce adeò sit & suaue? nam si amarum fuisset, in promptu causa est, cur illud sibi adoleri prohibuisset, cum Deo nihil proponere oporteat, quod nauseam illi siue fastidium creare possit.

Oleaster hic notat, Deum non absolutè vetuisse, ne mel in sacrificiis suis adhiberetur, sed ne adoleretur: *Nec quicquam mellis adolebitur.* Quia tametsi mel natura sua liquor sit palato humano suauissimus, attamen cū adoletur, tantum fœtorem excitat, vt sustineri vix valeat. Fuit igitur id à Deo sic ordinatum, vt vult Doctor iste, vt insinuaretur, quod *nihil adeò Deo displicet quam si mali odoris & famæ sis: expende non tibi sat esse si bonus sis, si mel dulcissimum retineas, nisi cum hoc benè audias.* Oleast. ibi. Nihil ita Deo displicet, quantū malæ famæ fœtor. Vndè tametsi tu sanctus sis, & mellis instar in dulcedine sine vlla amaritudinis peccati permixtione perfectus; æternæ tamen Dei Maiestati acceptus minimè eris, nisi etiam odoriferus fueris, atque tum pro gloria eius, tum ad proximi ædificationem, æstimationem nominis tui sartam, tectam & illibatam custodieris. Nō enim Deus solum vult, vt sanctus sis, sed etiam vt famam existimationemque sancti habeas, odorem & fragrantiam honoris veri serui Dei de te spargendo.

9. Ne Sacerdotes olim in iudicanda lepra errarent, aut deciperentur, Deus certas illis dare notas seu signa voluit, ita vt si hæc in carne infirmi sese integrè non proderent, caro scabie correpta esse iudicaretur, quam proindè vt talem certis quibusdam cum cæremoniis Sacerdos purificare debebat. Purificatione autem illa peracta infirmus, vt mundus esset, insuper ad vestimenta sua lauanda obligabatur. *Et die septimo contemplabitur, si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum, quia scabies est, lauabitque homo vestimenta sua, & mundus erit.* Leuit. 13. v. 6. Quibus in verbis postrema tantum attendenda sunt, vtpote præsenti proposito apprimè seruientia. Super quæ idem Doctor pulchrum format conceptum, & dicit, *Si mundus est Domine, quid lauari præcipis vestimenta sua?* Oleast. ibi. q. d. Quod si talis homo conformiter ordinationi tuæ à Sacerdote purificatus, factus est mundus, cur illum ad vestimenta sua lauanda astringis, vt mundus fiat? Ergo ad nihilum iuuit purificatio prima, si vlterius lotio requirebatur vestimentorum.

Ad hunc scripturæ locum intelligendum notandum est, quod in hoc casu sacerdotis munus erat, lauare interius, atque in ipsamet carne: ad infirmum verò pertinebat exterius & in vestimentis sese lauare, atque hac duplici ratione, & non aliter, leprosus purificari & perfectè emundari debebat: ita vt interior munditie absque munditie exteriori esset inutilis. Quia, vt Oleaster subiungit: *Non solum timendum est, ne malus sis, sed ne malus appareas, quoddam enim genus culpæ esse videtur etsi non sit, si malus appareas.* Non solum tibi cauendum est, ne reuera sis malus, sed etiam ne foris malus esse videaris. Quia tametsi homo mundus sit interius, & in conscientia, sitque sanctus, & ab omni peccati scabie liber, nihilominus cum foris immundus sit, malaque famæ nota obnoxius, Deus illum pro homine sancto haberi nequaquam vult. Quantumcumque enim homo interius sit iustus, apud

Deum

Deum tamen certum quoddam contrahitur genus peccati, quod si quis proprij honoris curam negligens, occasionem subministret, vt ab alijs vitiosus & malus existimetur. Videte quantum Deus sanctorum suorum æstimet famam, adeo videlicet, vt nisi illam fideliter sollicitèque seruare studeant, illos tanquam sanctos minimè honorari velit.

10. Pretiosus hic famæ odor procul adeo sese dilatat, vt in ipsa quoque diuina Maiestate pretii sui specimen reddat, dum Deus ipse mirabilem in se conseruandi honoris sui zelum palam exhibet. Vti in eo inprimis quod capite 8. Euangelij sui S. Matthæus describit. Refert enim quod Christo vna cum discipulis suis existente in mari tempestas quædam adeo terribilis & periculosa repente surrexerit, vt Apostoli (tametsi Christus ea non obstante suauiter dormiret) de vita saluanda dubitarint, ipsumque magna voce clamantes à somno excitarint, atque pro adiutorio in periculosa ista necessitate præstando enixè rogarint; *Et suscitauerunt eum dicentes: Domine salua nos perimus.* Quando ecce Christus subito euigilans, vt inquit S. Euangelista, ventis & mari, vt quiescerent, motusque suos compescerent, præcepit. Vnde mox tranquillitas vtrimque subsecuta est admirabilis.

Matth. 8. v. 25.

Abulensis in hunc locum scribens quærit, num Apostoli quamdiu ipsis Christus præsens aderat, mali aliquid pati potuerint, prouti formidabant, & propter peccata sua etiam forte merebantur? Et respondet: *Quantumcumque mali essent, Christus non permitteret eos tunc se præsente perire, quia esset dedecus sibi.* Impossibile erat ipsos periclitari; quantumuis enim millenis onusti peccatis fuissent, totidemque promeruissent mortes: nihilominus quoad vsque Christus ipsis præsens aderat, nihil tale ipse permittere debebat, siquidem hoc in magnam cessisset sui ignominiam, audireque haud dubie debuisset id ideò factum quia illos saluare minime potuerat, cui dare causam abhorrebat; Deus enim adeo est honoris sui zelotypus, vt nec minimum quid vnquam sit permissurus, quod gloriam suam commaculare aliqua saltem ex parte possit.

Tostat. q. 45. ibid.

11. Quod si huius aliquam facere velitis experientiam, aliquem per orationes vestras ab infinita Dei Maiestate fauorem obtinere contendite, qui vobis difficulter à Deo impetrari posse videatur. Et quidem vt eundem facillimè obtinere valeatis, sub aliquo tali illum motiuo postulare memineritis, scilicet persuadendo fore, vt si Deus fauorem illum vobis deneget, honorem suum inde sit grauiter commaculaturus: sic enim perspicuè videbitis, vos à Deo admirabili cum sollicitudine mox exaudiendos esse. Estque hoc secretum quoddam valde notabile & vtile, ad impetrandum à Deo quiduis, quod ab ipso humiliter postulaueris.

Populus Hebræus quondam contra Moysen & Aaron insurgens, iam lapidibus manus ad eosdem lapidandos armauerat. Quia verò intolerabilis illa populi illius insolentia Deo, qui particulariter seruorum suorum curã habebat, valde displiceret, seuerissimè eosdẽ rebelles castigare decreuit: vnde Moysen aduocans eidem dicebat, decretum sibi esse perniciosam gentẽ istam pestilentiæ flagello delere. Moyses autẽ, vtpote mansuetus & benignus, tametsi offensus esset, lubens tamen pronoque animo omnibus illatã sibi condonabat iniuriã: diuinamque sententiam audiens, coram æterna illa Dei Maiestate in genua procidit, magna cũ instantia rogans & deprecans, vt inobedienti illi populo placatus parceret, non vero, vti statuerat castigaret. Quod vt maiori cum facilitate obtineret, ita subiunxit.

Absit à te ô Deus vt conceptam à te in populum mihi commissum sententiã executioni mandes: quia si Ægyptij sanctissimi nominis tui hostes iurati populi huius occisionem inaudierint, dicent vtique: *Non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat, idcircò occidit eos in solitudine.* Quã impotens ac debilis est ille Hebræorum Deus, qui postquam populo huic iurasset, se illum in terram Chanaam introductur ũ, videns sibi pro isthoc adimplendo consilio vires non esse, vt hanc suam occultaret palliaretque impotentiam, artificiosè ad vnũ vsque omnes internecioni dedit in itinere. Vix Moyses loquendo finierat, cum ecce Deus eidem subito respõdit dicens; *Dimisi*

Num. 14. v. 16.

iuxta verbum tuum. Abito in pace, ô Moyses, verba enim tua ego consideraui, & placatus sum, sicut volebas. Mutaui sententiam, & non iam amplius perdere & castigare populum istum, sed paternè commissam ab illis noxam remittere volo.

An non hic perspicuè liquet, quam facilis Deus fuerit ad deserendam iram suam, ad grauissimum illud rebellionis scelus condonandum, atque ad satisfaciendũ ijs, quas Moyses fuderat precibus? Non hic se adeò inexorabilem, sicut alias sæpe, exhibuit. Nõ expectauit vt Moyses in petendo perseueraret, aut sacrificia pretiosa offerret. Nostisne causam? Hanc Oleaster assignat dicens: *Videtur Domino incutere timorem perdendi famam fortitudinis: nouerat enim quanti faciat Deus potentiam suam & nomen seu famam suam: ideo periculum perdendi eã interponit.* Probè nimirum sciebat Moyses, quanti Deus famam suam æstimaret, & quanta cum sollicitudine illam conseruare studeret, ideoque vt petitam facillimè obtineret gratiã, quæ alias impetratu difficillima erat, orationi suæ simul coniunxit argumentũ motum de fama diuini nominis indubie perdẽda, casu quo id quod de populo perdendo statuerat, opere ipso exequeretur. Id quod tantam coram Deo habuit persuadendi efficaciam, vt Deus veluti tantæ iacturæ correptus timore, admirabili cum promptitudine indignationẽ suam remiserit, condonauerit, & pepercerit Hebræis, deniq; omnia præstiterit, quæcumque pro voto suo Moyses optabat. Videte quantæ apud Deũ æstimationis honor sit, tantæ videlicet, vt ipso suadente & vrgente ea faciat, & præste, quæ ob nullũ aliud quodcumque interesse aut commodũ facturus aut præstiturus fuisset. Sed progrediamur vlterius.

Oleast. ibi.

12. Refert S. Lucas Deum incarnatum elegisse in hoc mundo tum virgini matri, tum Iosepho nutritio subditus esse, *Et erat subditus illis.* Matri obediebat, quia eius se facere dignatus est filium, cui proinde omnino conuenit matri debitam reddere obedientiam. S. Iosepho autem morem gessit, tanquã Patri, quia matris sponsus erat, vti S. Bernardus inquit: *Subditus erat Mariæ, sed non tantum Mariæ, sed & Iosepho propter Mariam.* Hoc igitur supposito quæro: An non Christus ex Beata Virgine nasci poterat, tãetsi Iosepho minimè despõsata fuisset? Hoc enim si admittatur possibile, non videtur conueniens, vt alijs præterquam matri subijceretur.

Luc. 2. v. 51.

S. Bern. sup missus est hom. 2.

S. Chrysostomus dicit necessum fuisse Beatam virginem Iosepho desponsari, & rationem assignat; *vt saluaretur Virgo & maligna suspicio tolleretur.* Ad hoc vt non lapidaretur virgo, & ad euitandam infamiã, malorumque hominum suspiciones: qui illam ex vna parte matrem factam esse considerantes, ex alia vero parte illam videntes innuptam, facilè suspectam arbitrari mulierem potuissent. Quæ famæ macula, vtique magna fuisset filio Dei ignominia. Id quod deinceps, maritum in domo videntes, iudicare minimè poterant.

Chrysost. hom. 3. in Matth.

Adeste igitur nunc quotquot estis & rem hactenus inauditam mecum obstupescite. Maiestas illa gloriosissima, coram qua tremunt altissimæ & fortissimæ cæli columnæ cui omnes creaturæ cæli, terræ, & inferni maxima cũ reuerentia genua sua flectunt, & obediunt, hæc inquã, altissima Dei Maiestas, subiicere se voluit humano regimini & quidẽ hominis alicuius talis, qui vilissimum fabri lignarij profiteretur commercium; idque nullo alio fine, quam vt Matris suæ conseruaret honorem, sicque ab omni se conseruaret macula immunem. Qua in re perspicuè videtur, honorem ac famæ integritatem Deo adeo placere, & gratam esse, vt ob illã tuendam res efficiat extraordinarias, quas nullius alterius interesse causa facturus fuisset.

13. S. Vincentius Ferrerius vult, verba illa Christo post resurrectionẽ suam cælum ingredienti dicta, atque à Zacharia propheta compilata, nimirũ: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* eidem ab æterno patre dicta fuisse: Et adiungit Christum respondendo: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me,* eidem patri suo dicere voluisse: *His plagatus sum pro honore tuo in domo eorum, qui diligebant me.* Idest, hæc vulnera, ô Pater æternæ, quæ tu carni meæ impressa conspicis, atque in amicorum meorum domo recepta sunt, pro tui honoris restauratione accepi

Zach. 13. v. 6.

S. Vincentius serm. 4. Domin. in albis.

Verum enimverò ad melius intelligendam

dam huius sancti Doctoris mentem, notandum diuinum honorem ex Adæ peccato valde fuisse læsum, & quia debitas pro hac offensa satifactiones nulla pura creatura præstare potuit, ideo Deū hominem fieri, & variis passionibus subiectū, tandemq; in omnibus corporis sui partibus vulneratū, instar latronis in vilissimo quodam crucis trunco extendi & vituperosissime mori necessum fuit. Ex quo facto euidenter colligitur, quanta in existimatione honor apud Deum existat, tanto nimirum, vt pro illius recuperatione ac restauratione, instar latronis ignominiosissime mori voluerit, resque diuina Maiestati adeo indignas & insolitas obire, qualia sunt pati & mori.

Meritò igitur Centurio adeo honoratus & celebratus à præsentia se subducit saluatoris, quippe qui homo erat honori & reputationi propriæ conseruandæ intentus, quæ non tantum ab hominibus mundanis, verum etiam à sanctis, imò à sancto sanctorum tanti semper æstimata fuit.

CONSIDERATIO III.

Non inueni tantam fidem in Israël.

Sicut Deo optimè placent qui sua se voluntati accommodant: ita maximè displicent qui id facere detrectant.

1. A Deo varii ac diuersi sunt hominum gustus, vt excogitari ferè nihil posit, quod omnibus vniuersim palatis placeat, aut arrideat; sic enim tibi fructus & liquores nonnulli, etiam dulcissimi, veluti mel & saccarum, multis non bene sapiunt, sed nauseā prouocant. Ille vero cibus hominiali cui dicendus est sapidus, qui ad particularem talis hominis gustum & palatum est præparatus. De huius igitur euangelici fructus, Centurionis videlicet sapore tractaturi, dicere necessariò debemus, hunc Regis cælestis palato sapidissimum, acceptissimumque fuisse, vtpote ad Christi gulā optimè accommodatus. Nihil enim in nobis adeo Deo sapit, quemadmodum fides, dicente Apostolo: *sine fide impossibile est placere Deo.* Ac proinde Centurio hic vtique Christi palato conuenientissimus erit, vtpote qui tanta tamque stupenda fide plenissimus extitit; vnde non tantum illum approbat & admiretur; verum etiam se in toto hoc mundi viridario suauem adeo atque dulcem fructum minime comedisse iurat: *Amen dico vobis, non inueni tantum fidem in Israel.* Hebr. 11. v. 6.

2. Vnde colligimus, quod si Centurionis huius exemplo Deo placere volumus, necessum sit, vt ad diuini palati gustum nos præparemus. Quippe cum certissimum sit, quod sicuti Deus sibi in ijs, qui gustui suo suæque se voluntati accommodant, magnopere complacet: ita è contrario insipidi & stomachosi sint alij, qui se diuinæ voluntatis palato conformare minime student. Explicari non potest, quantopere is Deo placeat, qui in hac miseriarum valle, siue ex proprij peccati occasione, siue ob aliā piam causam similem amarè dolet ac plangit. Vnde cum Dauid vice quadam, ea quæ in vita sua sibi acciderant, recenseret, deq; lachrymis dictionem ordiretur, tantū inde Deus gustum, tamque deliciosum saporē percepit, vt ad hoc vt illis veluti potu quodam omni nectare & ambrosia pretiosiori frequentius & sæpius frui, atque ex earumdem conspectu promptius recreare se posset, ordinarit, vt Dauid lachrymans in diuini sui tribunalis conspectu collocaretur, prouti ipsemet Propheta idipsum plenius affirmat, dicens: *Deus vitam meam annunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Vide in quantam sublimitatem Dauid per lachrymas in cælo sit euectus. Ps. 55. v. 9.

Hoc igitur supposito, S. Gregorius dicit, eum qui diuinæ se voluntatis gustui cōformarit, habiturum in cælo locum supra illos qui in terra fuerint lachrymati: *Qui perfectè voluntatē Præceptoris sui implere didicit, in cælesti regno ieiunantibus & flentibus superextollitur.* Quod si igitur ij, qui plangunt, ob suauitatem quam Deus ex lachrymis percipit, adeò in cælis exaltati sint, vt in diuini tribunalis conspectu locum suum habeant, quantum igitur fructus conformitatis voluntatis nostræ cum diuina gustus & voluptatis daturi sint, exindelicet arguere, quod ij qui se conformabunt cum eo, quod Greg. in lib. 1. Regum c. 15.

vult Deus, ipsis præferantur plangentibus. *Flentibus super extollitur.*

3. Rex cœlestis dilecto Apostolo suo S. Ioanni quondam apparuit habens capillos ad instar lanæ albos, prouti in Apocalypsi cap. 1. ipsemet scribit: *Capilli erant candidi tanquam lana.* Optarem me causam nosse, cur capilli Christi non fuerint aliorum iuuenum capillaturæ similes, nigri videlicet, fusci, aut alterius coloris ordinarij, sed albi? Causa autem illius ex eo quod glossa dicit colligitur. Hæc enim existimat, per capillos Christi sanctos intelligendos esse, qui sunt sicut lana alba. Quia sicut lana alba ad quemcumque colorem recipiendum disposita est, haud aliter quoque cum sanctis sese res habet. *Sicut lana alba apta est ad quoscumque colores accipiendos, sic sancti.*

Apocal. 1. v. 14.

Glossa ibi.

Veri serui Dei in cogitationibus & inclinationibus suis proprium gustum aut voluntatem non habent: sed ad arbitrium ac voluntatem Domini sui semper dispositi viuunt, ad quemcumque colorem ipsi libitum recipiendum idonei. Si ipsos vult confessores, ipsis quoque tales esse collibet. Quod si illos martyres velit esse, proprium mox sanguinem dare sunt parati. Si cupiat ipsos virgines esse, cupiunt & ipsi. Si ipsos velit esse coniugatos, mox coniugium ineunt. Si ipsos alieno subijciat imperio, promptissime obediunt. Si verò in aliquam ipsos dignitatem euehat, prouidè pro libitu Domini gubernant. Lana alba sunt, in omnibus rebus diuinæ se voluntati conformare studentes. *Candidi tanquam lana.* Hi ergo qui sunt eiusmodi, adeo ob id Deo grati sunt & accepti, vt illos loco capillorum suorum habeat, hoc est, in capite suo illos ferat, eosdemque veluti pretiosam quandam coronam æstimat atque honorat, admirabili quodam cum stupore illis collætando.

4. Quando Deus Abrahæ præcepit, vt vnigenitum dilectumque filium suum Isaac sibi in sacrificium offerret, bonus ille seniculus, diuino huic imperio sollicite se conformans, absque omni repugnantia mox ensem suum lætus strinxit, eundem pro diuina voluntate complenda, in dilecti filij sui ceruicem mox vibraturus. Deus autem, qui in hoc facto nihil aliud, præterquam hanc cum diuina sua voluntate conformitatem spectabat, ictum hunc gladii, ita referente Moyse, impediuit, eidemque è cælo clamās dixit: *Per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem & non pepercisti filio tuo vnigenito, propter me, benedicam tibi &c.*

Genes. 22. v. 16.

Oleaster duo hæc verba: *Rem hanc* considerans, Dominum Deum hunc in modum interrogat: Quidnā ô Domine Deus per rē hanc, quā Abrahamū propter te fecisse dixisti, intelligis? Cur illam non explicas? cur non declaras? aut cur illam nominatim non exprimis? Quod si per verba ista, de conformitate voluntatis suæ cum tua, quam in sacrificio filij sui exhibuit, loqui statuisti, id certe verbis expressis innuendum à te nobis erat, vt non adeo suspensos relinqueres te auscultantium animos.

Mox verò idem Doctor Deum ita loquentem introducit: *Non inuenio nomen operi dignum* q. d. Non ob aliam causam me non explico, nec me declaro, nisi quia nomē aut verbum generoso huic facto seu operi dignum non inuenio. Deus Abraham in omnibus, & per omnia voluntati suæ perfectè conformatum conspiciens, adeò delectatus est, tantumque inde in corde suo gaudium sensit, vt ad id declarandum, & ad explicandam operis talis excellentiam, dignum aliquod aut congruum verbum minimè inuenerit. *Non inuenio nomen operi dignum.*

Oleast. ibi.

Videtur mihi Deo, dum generoso huic ausui spectator assisteret, idē euenisse, quod olim Hebræis, qui dum primitus manna gustantes, extraordinarias in illo cupedias atque delicias experirentur, nec tamen verba occurrerent, quibus illas aut significare, aut nominare possent: tandem cibum illum manna appellarunt, quod in latino sermone idem est quod *Quid est hoc?* quasi in tot vocabulis, res alias quascumque dulces ac delectabiles significantibus, nullum prorsus verbum reperissent, quod ad delectationem suam, nouique nectaris suauitatem exprimendam sufficeret.

Exodi 16. v. 15.

Simili modo dum Diuina Maiestas aliquem seruorum videt qui suæ se conformat voluntati, mox ipsi verba deficiunt, quæ

quæ delectationem & complacentiam, ex tali seruo Dei conceptam, ad sufficientiam exprimant, *Non inuenio nomen operi dignum.*

5. Prophetha Regius de Oratione, qua Deum pro peccatorum suorum remissione rogauit, quam etiam mox admirabili cum facilitate obtinuit, tractans, dicit: *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et mox subiungit: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.* Quasi diceret: ad hoc vt eandem mecum gratiam pari cum facilitate alius obtineat, necessum est, vt oret ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Sed qualenam est tempus illud, quod adeò orationibus faciendis, & diuinis obtinendis fauoribus est opportunum? Explicat hoc Eustathius presbyter dicens: *Illud autem tempus est opportunum cum petuntur à Deo, quæ illi placent.*

Ps. 31. v. 5.

Eust. Pres. in vita S. Eu. apud Lipp. 6. April.

Tempus diuinis gratiis petendis opportunum est, quando id petitur, quod gustui ac placito diuinæ voluntatis conformatur: Id est, ad fructuosam orationem instituendam, & ad obtinendum à Deo quicquid desideraueris, tempus illud conueniens est, & opportunum, in quo tuis in precibus te Dei tui arbitrio ac beneplacito committis: tunc enim admirabili cū facilitate obtinebis, quicquid petieris; illud enim tēpus dūtaxat est id, in quo Deus manus plenas habet & apertas: magnam enim ab illis hominibus haurit satisfactionem & gaudium, qui voluntati suæ suisque placitis conformantur, quibus proinde ob eiusmodi conformitatem nihil abnuere potest eorum, quæ ab illo petuntur: *Cum petuntur à Deo quæ illi placent.*

6. E contrario verò insipidi valdè & fastidiosi Deo erimus, si gustui diuino sanctisque placitis suis conformari nolimus, vti in Hebræi populi exemplo liquet; hic enim postquam ingenti cum mortificatione rigidum quoddam valdeque solemne ab omnibus cibis celebrasset ieiunium, summopere illud Deo gratum futurum esse equidem sperabat, cum ecce contrarium eius omninò euenit. Infinita namque Dei Maiestas illud non tantum est aspernata, sed ne quidem illud dignata est respicere. Vnde Hebræi se contemni à Deo & despici existimantes, grauiter per os Isaiæ coram Deo conquesti sunt dicentes: *Quare ieiunauimus & non aspexistis? humiliauimus animas nostras & nescisti.* Et certè Hebræorum querelæ istæ iustæ satis fuisse ac rationabiles videri poterant. Neq; enim Deus opus aliquod tam arduum; & serio sæpeque præceptum, adeoque animabus curandis salutare contemnere & dedignari debeat.

Isa. 58. v. 3.

Veruntamen si hunc scripturæ locum benè attendamus, reperiemus vtique, Hebræos nullam aduersus Deum lamentandi habuisse rationem. Id quod perspicuè ex responso, quod Deus querelis ipsorum subiecit, videri & intelligi poterit: *Ecce in die ieiunii vestri inuenitur voluntas vestra.*

Indignor valde ieiuniis vestris, eademque abominor, & abhorreo, non quia illa ex se & natura sua non sint opera saluti vestræ adeò à me desideratæ salutaria, & necessaria; sed quia iuxta vestram instituta & celebrata sint voluntatem, non verò ex meæ voluntatis præscripto, vnde quantum est ex mea parte, nullum in ijs deprehendi saporem, aut delectabilem gustum. *Etenim,* vt dicit Sanctus Bernardus, *Si in die ieiunii mei inuenitur voluntas mea, non sapit illi ieiunium meum.* Id quod dicitur ad demonstrandum, quod quantumuis opera nostra ardua sint, aut difficilia, siue laboriosa, grata tamen Deo aut accepta nunquam erunt, nisi in eorundem exercitio diuinæ nos voluntati suæ conformauerimus, insipida namque omnisque saporis expertia & fastidiosa in euentu contrario esse comperientur. *Non sapit illi ieiunium meum.*

S. Bern. serm. 71. in Cant.

7. Veri serui Dei præcipuum munus non in benè operando solum, sed etiam in eo quod est conformiter ad Dei gustum operari consistit. Vnde seruus Dei boni coqui instar esse debet. Non is qui cibos bene tantum præparare nouit, bonus censendus est esse coquus, verum insuper requiritur vt cibum quem parat ad Domini sui gustum præparare norit: veluti latinus ille Poëta dicebat:

Martial. lib. 14. *Non satis est ars sola, Coqui seruire palato:*
Namque Cocus Domini debet habere gulam.

Quantumuis enim extraordinaria cum diligentia cibis bene parandis studeret, attamen, nisi eius cui seruit gustui siue palato cibus præparatus arriserit, frustra laborabit. Simili quoque modo Dei seruus, non tantum vt bene operetur, sed etiam vt diuinæ voluntati conformiter operetur attendere debet, omnibus nimirum in rebus Dei gustum & beneplacitum quærendo, secus enim seruitium illius gratum Deo minime erit. *Domini debet habere gulam*.

8. Cum Christus Rex cælestis in Marthæ & Mariæ Magdalenæ domum diuertisset, Martha domi suæ tam illustrem hospitem cernens, toto mane prandio parando insistebat. Econtra verò Magdalena ne vnum quidem pedis passum mouens, tranquilla & immota semper ad pedes Domini resedit. Accidit autem interea vt post varios de otio Mariæ, Marthæq; laboribus & industria vltro citroque habitos sermones Christi inter vtramque discernentis expectaretur oraculum: Dumque singuli sententiam à Christo in fauorem Marthæ pronunciandam expectarent, Saluator noster in partem determinauit omnino contrariam. Mariam namque laudauit, Martham verò reprehendit dicens, *Martha, Martha sollicita es & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit.* Luc. 10. v. 41.

Quis hic partes Marthæ non defendisset? Ab illa enim hora, qua Christus domum illius ingressus est, pientissima hæc mulier nec vnicam quidem horulam quieuit, sed occupatissima semper nunc huc mox illuc, nunc sursum mox deorsum currendo fuit; nunc enim in triclinium, mox in culinam aduolabat: sternebat nunc mensam mox cibis parandis operam dabat, omni prorsus adiutorio vel ope destituta. Et tamen veluti si nihil fecisset, reprehendebatur. E contra verò Maria otiosa tota die remanens laudata fuit, & honorificè deprædicata. Vnde quæso id accidit?

Respondet Oleaster: *Quoniam Martha seruiebat Domino in ijs, quibus ipse non delectabatur, nempe in cibo & potu: Maria vero in audiendo verbum illius, quod illi maxime cordi erat.* Oleaster in cap. 12. Genes. Martha enim toto mane exercitiis implicabatur domesticis, in quibus Christus nullum prorsus gustũ habebat, idest in præparatione cibi & potus. Maria verò occupabatur in rebus Christo admodum acceptis, in audiendis nimirum eius sermonibus. Vnde mirum non est, quod laudet Mariam, Martham vero reprehendat. Ad hæc enim vt Deo eiusque palato aliquis placeat, occupandus est ijs in exercitijs, quæ suo conformia sunt palato, secus enim insipida & fastidiosa erunt operá nostra, sicut & obsequia Marthæ fuerunt.

9. Duo primi Adæ filij Abel & Cain, duo quondam Deo solemnia obtulerunt Sacrificia. Abel quia pastor erat, agnum obtulit: Cain verò homo agricola, primos pomarij sui fructus, vel agri segetes. Refert autem Moyses Abelis Sacrificium singulariter Deo complacuisse, illudque oculis valde benignis dignatum fuisse respicere; alterum vero Caini contempsisse, & faciem suam ab eodem auertendo, nec respicere quidem voluisse, *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: Ad Cain autem, & ad munera eius non respexit.* Gen. 4. v. 4. Cur Deus non eodem vultu Caini dignatus est munus & Sacrificium, quo aliud Abelis?

Respondet Angelicus Doctor: *Huius causa fuit, quia male obtulit, scilicet de corde tristi & facie,* ideoque diuino gustui nequaquam placuit. D. Th. de sacram. Alt. c. 19. In oblationibus enim nostris, Deus vultus nostri hilaritate admodum recreatur, dicente Apostolo: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* 2 Cor 9 v. 7.

10. Dum Christus Saluator mundi discipulorum suorum lauare pedes constituisset, S. Petrus veluti penes quem præ cæteris discipulis abundabat affectus, factum istud valde dedecens inopportunum & inconueniens arbitratus, nullo prorsus id modo volebat permittere; vnde præ admiratione quasi in extasin raptus Christo dicebat: *Domine tu mihi lauas pedes?* Ioan. 13. v. 6. Christus autem tametsi Maiestatis suæ perfecte cognosceret Magnitudinem, necnon quam actio illa vilis, suaque Maiestate indigna esset, clare videret: hunc tamen humilitatis actum, pium discipulis dare volens humilitatis exemplum

exemplum exequi omnino statuerat, Vnde Petro Apostolo mox hunc in modum est comminatus: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*. Quod si quis hanc Christum inter & Petrum in humilitate luctam vidisset, haud dubie credidisset Petrum non immeritò abnuisse, vt pedum suorum à tam gloriosa Maiestate spurcities lauaretur. Vtique enim hanc eius repugnantiam non aliò quam ad Deum ac Dominum suum honorandum spectasse credidisset, ac proinde hæc à discipulo exhibita Christo reuerentia, placere potius & laudari quam displicere, & repræhendi debuisset. Os Chrysostomi aureum factum illud Petri considerans, illud tanquam malum quodque nulla queat ratione honestari omnino reprobat. Deus enim tunc verè honoratur à nobis, quando id, quod ei placet, qualecumque tandem illud sit, non verò quod nobis placet facimus. *Nam qui honoratur, eo maximè honore lætatur, quem ipse vult, non quem nos optamus. Petrus honorare Christum credebat, si eum à lotione pedum prohibuisset, quod certè contrarium erat.* Nunquam enim à nobis honoratur Christus, nisi eidem conformiter voluntati suæ inseruiamus. Ac proinde vt Christo placeas, necessum est, vt voluntati ac gustui suo te conformare studeas. Sic enim à nobis verò honorabitur Christus, nosque diuinæ suæ voluntatis palato delectabiles prorsus & suaues fructus ad instar hodierni Centurionis præsentabimus, quem adeo gratum & acceptum fuisse præsens describit Euangelium.

Chrys. 61. in Math.

SERMO III.

In Feriam VI.

POST CINERES

Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros

Matth. 5. v.

1 ADmirabilis certe proprietas & in cæteris animalibus brutis nūquam notata industria est illa, quam rerum naturalium inuestigatores communiter de vrsa scribunt, quod cum illa informem aliquam & rudem carnis massam communiter parere soleat; hanc tamen non solum non abhorreat & negligendo derelinquat; sed potius sensim & paulatim lingua, veluti naturali quadam lima patienter lambat, sicque lambendo eiusque disponat, & formet, donec naturalis vrsi figura, proportionataque speciei suæ in illam forma introducatur Vnde vt inquit Sanctus Isidorus, Vrsa non aliunde vocatur; quam quod *ore suo formet fœtus. Vnde Orsus.* Vere Christus Dominus noster vrsæ instar se erga nos habere videtur; postquam enim nos per mortis dolores, è cordis sui amantissimi vulnere, in Crucis lecto in gratiæ lucem pariendo edidisset vidissetq; quod ob naturales passionum impetus, qui in nobis vigent, nihil aliud quam in formis quædam carnis massa essemus: *Recordatus est quia caro sunt,* per limam linguæ suæ, siue per cælestem suam doctrinam, omnia interioris hominis membra disponere, formare, & expolire cæpit, donec ad naturalem nos speciem naturæque humanæ

Isid. Ethi. Lib. 12. c. 2.

Ps. 77. v. 39.

manæ perfectionem reduceret. Porrò oculos, quos otium & somnus clauserant, reformat, dum orationis & vigilantiæ exercitium illis persuadet: *Quid dormitis? surgite & orate ne intretis in tentationem.* Exonerat & alleuiat ventrem; quem gula monstrosum & deformem valdè reddiderat: *Cum ieiunatis nolite fieri* &c. pedes qui per imperfectiones terrenas titubabant, stabilit & confortat, *Excutite puluerem de pedibus vestris* Et in euangelio quidem præsenti specialiter cordis; manuum & linguæ reformationi videtur intendere; quæ dum odiis litibus, contumeliis, & vindictis de inimicis sumendis vacabant, non iam humana membra, sed ferarum potius & bestiarum esse videbantur. Eo ipso autem dum nobis vt aduersariis nostris, benefaciamus præcipit, idque ex corde ipsos amando; lingua pro ipsis orando, manibus denique bona eisdem pro malis reddendo. *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* quid aliud facit, quam quod ferina illa mébra nostra, non in humanam duntaxat formam, sed etiam in Angelicam & diuinam reducit.

Luc. 22. v. 46.

Matt. 6. v. 16.

Mar. 6. v. 11.

Luc. 6. v. 27.

CONSIDERATIO I.

Diligite inimicos vestros. Luc. 6. v. 27.

Quemadmodum cor hominis odio inimicum prosequens, non humanum sed ferinum est: ita idem cor inimicum suum diligens, non tantum amissam formam recuperat, verum insuper Angelicum apparet esse & diuinum.

1. COelestis Regis doctrina; hoc in Euangelio nobis proposita, ingenti à nobis cum desiderio apprehendi meritò deberet, dum enim per illam inimicos nostros amare iubemur: *Diligite inimicos vestros.* corda nostra (quæ superiori tempore appetitus carnales sequendo, eos verò, à quibus odio habebantur odiendo, in ferina bestiarum corda erant transformata) non ad humanam duntaxat formam reducuntur, verum insuper vera Christianorum, & Christianorum quidem sanctorum imo & perfectorũ, Angelica corda efficiuntur. Et quod plus est, deificantur adeò, vt quasi diuina facta esse videantur.

3. Theophylactus parabolam illam, in qua Christus Dominus hominem quendam proponit diuitem, cœnam magnam instituere volentem à S. Luca descriptam: *Homo quidam fecit cœnam magnam*, explicans dicit: per hominem istum Deum intelligendum esse. Atque hunc quidem multoties in Scriptura sacra ex varijs occasionibus, leonem, vrsum, pantheram, alijsque similibus horribilium ferarum nominibus appellari aduertens quærit; quænam sit causa, ob quã Deus, qui in Scriptura sacra terribilium ferarum nominibus appellari solet, ab eadem Scriptura hoc in loco, non leo, vrsus, aut panthera sed homo vocetur? *Homo quidam fecit cœnam magnam.*

Luc. 14. v. 16.

Ad hoc Theophylactus respondet *quando vindicatiuam Dei virtutem Scriptura significat, pantheram, vrsum & Pardum eum vocat; quando autẽ misericordiam vult insinuare, hominẽ inducit, sicut & nunc.* Homini enim proprium est etiam illis, à quibus mala recepit, benefacere. Vnde quando Scriptura Deum clementem & pium, qui hominibus etiam offensus benefacit, vult repræsentare, hominem ipsum appellat: cum verò iracundum atque ad vindictam paratum illum vult exhibere, non iam hominis, sed feræ alicuius, pantheræ nimirum vel vrsi vel pardi nomen illi tribuit; vt hac ratione simul nobis insinuetur, eos qui cor ira plenum habent aut vindictas meditantur; non hominis sed animalis bruti aut sæuæ alicuius feræ cor habere.

Theop. ibi.

4. Refert Pierius Valerianus antiquos hominem iratum & furibundum ac vindictam spirantem, depingere volentes, Leonem quendem vulnere saucium depingere solitos fuisse: *Vlciscendi studium per leonem telo confossum, plerique pingere studuerunt.* cuius quantum mihi fas est conijcere, in hæc est ratio, quia cupiditatem vindictæ, non hominis sed bestiæ, seu potius sæuæ alicuius feræ appetitum esse indicare volebant. vnde non hominem sed feram, præcipue verò leonem illum formabant, annon enim

Leo naturale & proportionatum est hominis iracundi Symbolum? hominis inquã præ iræ furore rabidi; igneos in capite oculos ferentis, ferro & armis onusti?

5. Duo Zebedæi filij Iacobus & Ioannes, ingratos Samaritanos Dominũ nostrum intra ciuitatis suæ mœnia recipere nolle vidẽtes, mox indignati Christo dixerunt: *Domine vis dicimus vt ignis descendat de cœlo & comburat illos?* Christus qui natura sua clementissimus erat, id audiens reprehendit eos, dixitque eis; *Nescitis cuius Spiritus estis.* Nescitis quale animæ genus habeatis. Sed dicat aliquis, quomodo animæ suæ conditionem vel qualitatem ignorare poterant? quodnam poterant hac in re habere dubiũ? An ignorabant se homines esse? vtique ergo se animam rationalem habere concludere poterant. Quomodo igitur illis dicere poterat: Nescitis qualem animam habeatis? *Nescitis cuius Spiritus estis.*

Venerabilis Beda hunc in locum notat Christum dominum hæc verba ideo dixisse quia duos illos discipulos, vtpote adhuc imperfectos; consilium istud non ex iustitiæ & correctionis fraternæ zelo, sed ex appetitu vindictæ & odio proposuisse aduertit. *Animaduertens eos non amare correptionem, sed ex odio desiderare vindictam.* Idque ideo Christus dixit: Nescitis qualem animam habeatis: non quasi non fuissent homines, aut animam rationalem non haberent, sed quia odio ardentes & vindicatiuos se demonstrando, simul se non hominis sed bestiæ, aut feræ alicuius anima præditos esse insinuarent. Talem enim animam, taleque cor se habere demonstrant illi; qui erga proximum odium conseruant, inimicitias fouent, & spirant vindictas.

Bed. ex Cat. S. Tho ibid.

6. Vnde Zeleucus Pythagoræ discipulus & legislator, inter alia, quæ in legibus, Locrensibus compatriotis suis traditis post se reliquit, fuerunt (referente Diodoro Siculo) verba sequentia: *Cum vnoquoque suscipiendas inimicitias, tamquam sint breui rursus in concordiam & beneuolentiam redituri; sin quem secus agentem conspexerint; hunc pro indomito & fero, agrestisque & inhumani ingenij habendum censendumque.* Ex quibus verbis colligitur, adeo verum esse, quod cor illius, qui eum à quo offensus est, amare detrectat, inhumanum sit ac bestiale, vt ipsi quoque gentiles, alijque qui Christianæ legis cognitionem numquam habuere, illud tamquam certissimum approbarint, suisque legum tabulis ac pragmaticis inseruerint.

Diod. Sic. l. 12.

Porro hæc adeo monstrosa & bestialia corda, admirabili lunæ cælestis, id est, linguæ Saluatoris artificio (quæ odio abolito inimicum amare docet) corda hominum efficiuntur; vtpote quæ ad amandum, non vero ad odiendum inimicum inclinabitur.

7. Quondam rumores & contentiones aliquæ inter pastores Abrahæ & Loth obortæ fuerant, quæ tandem, nisi Abraham easdem sollicite sopiuisset; inter ipsos quoque eorumdem pastorum dominos gliscere cæpisse. Abraham igitur, vtpote iuratus discordiarum inimicus, vt illas extingueret, ad Loth nepotem suum se contulit, dicens: *Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos, fratres enim sumus.* Quo in loco, vbi conformiter ad vulgatam legitur; *Fratres enim sumus.* Septuaginta vertunt. *Quia homines fratres sumus,* quasi diceret, non bene conuenit, vt inter nos & pastores nostros discordiæ & contentiones exurgant, homines enim sumus. Cur quæso Abraham vt natis remedium porrigeret erroribus, ad Loth dicebat, quod homines vtrimque essent. Causam huius S. Ambrosius assignat dicens. *Quia causas concordiæ sapiens adhibet; vnde præmisit, homines enim sumus.*

Gen. 13. v. 8.

Transl. Septuag.

Amb. de Abraham lib. 2. c. 6.

Abraham causam insinuare volebat, cur mutui rumores illi conuenientes minimè essent, atque ideo dixit *homines sumus,* quasi dicere voluisset; Attende ô Loth & vide, quia inter nos & pastores nostros discordiæ & turbulenti rumores inchoati minimè tolerandi sint, *homines enim sumus* & non bestiæ; atque ideo mansueta & humana corda habere debemus; ad amandum & mutua præstanda auxilia, non verò ad odiendum & persecutionibus infestandum. Qua ratione demonstrare voluit; vera corda hominum in nulla umquam qualicumque subnata occasione locum odijs dare, sed in continua potius tranquillitate, atque in perpetua beneuolentia contineri, *homines fratres sumus.*

8. Caiphas sceleratus ille pontifex dum in infami illo concilio Christi mortem determinaret, hominem illum appellauit: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo.* Cur non appellauit illum Iesum, Christum, Nazareum, aut alio quodam nomine, quod facile occurrere poterat? S. Antonius de Padua hominem appellatum esse dicit, vt Christi Domini nostri innatam dulcedinem & mansuetudinem demõstraret: *Verè homo quia mansuetus & dulcis.*

Io. 11. v. 50.

Ant. de padua serm. 6. de passio.

Iniquissimus ergo iudex iste significare volebat, mortis aduersus Christum sententiam haud difficulter pronuntiari, eundemque ad Crucis supplicium facili negotio absque vlla formidine condemnari posse. Quia licet Christus in huius determinationis ab ipsis factæ cognitionem venisset, inde tamen metuendum ipsis minime erat, vt aliquam ob hoc vindictam aut rancorem conciperet, vtpote qui natura sua mitis & mansuetus erat, illisque quibus vlla ratione offensus videri poterat, promptissime ignoscebat, id quod repetitis multoties experientijs frequenter comprobatum fuit. vt igitur hæc omnia vnico verbo innueret, ipsum hominem esse pronuntiauit. *Vnus homo*; naturalis enim hominis proprietas est, mansuetum & mitem esse, omnibusq; etiam iuratis hostibus suppetias ferre: præ sui dulcedine fel omne nescire, e contra vero charitatis melle refertum esse, imo vero quidnam vindicta sit prorsus ignorare. *Quia mansuetus & dulcis.*

9. Vnde quæso fit: quod Deus qui boui cornua, dentes apro, serpenti venenum, vngues leoni dedit, cunctaque cætera animalia naturalibus armis suis non defensiuis tantum sed & offensiuis instructa nasci fecit, nihil eiusmodi homini dederit, quin potius inermem illum & debilem nasci voluerit, adeo vt ad se ab aduersarijs defendendum vel ad offendendum eosdem, ipsi vtpote à naturâ quoad eiusmodi nudo & derelicto ad artem confugere necessum sit? Quomodo natura principalissimæ ex omnibus, quas in amplissimo gremio suo enutrit, creaturæ suæ in eiuscemodi necessitatibus obliuisci potuit?

Responsionem ad hoc ex ipsomet ore Chrysostomi aureo velim auscultare. *Bruta corpore gerunt arma, puta bos cornua, dentes aper, vngues leo. Mihi vero non in corporis natura Deus arma reposuit, sed extra corpus demonstrans: quod animal mite sit homo.* q. d. Deus non ob aliud sua cuiuis animali bruto arma concessit, cornua boui, dentes, apro, leoni vngues, hominem iuxta hæc prorsus relinquens inermem, nisi vt demonstraret, quod offendere alios, alios lædere, nutrire discordias ferina & bruta sit indoles, non vero hominis. Homo armis non indiget, quia animal est mansuetum atque pacificum, in cuius proinde corde, præter amorem, & erga proximum beneuolentiam, nutriri nihil debet. *Animal mite sit homo.*

Chrysost. hom. 1. ad pop.

10 Refert Macrobius, solitos fuisse antiquitus nobiles Romanos quandam auri laminam, ad formam cordis alicuius formatam, ex collo puerorum suorum, velut pectoris aliquod ornamentum suspendere, eaque ab ipsis *Bulla aurea* appellabatur. Dicit autem, bullam hanc puero muti alicuius monitoris loco fuisse, videlicet vt illam exterius aspiciens, eandem cum corde, quod intus habebat, conferret, & si illud laminæ huic vel bullæ simile esse deprahenderet, eo ipso cor hominis esse existimaret, secus vero si non. *Quam inspicientes, ita demum se homines putarent, si corde præstarent.*

Macrob. satur. lib. 1 c 6.

Veluti si dicere voluissent, in tantum esse censeberis, in quantum cor in pectore tuo aureum habueris, illi persimile, quod foris in pectore suspensum geris; caue ne sit saxeum, ferreum, aut sanguinolentum, quod ruminet vindictas, quod homicidia machinetur, quod in odijs durum sit & obstinatũ; sed aureum hoc est, mansuetum, pacificum, mite, amoreque qui per aurum significatur semper imbutum. verum enim cor hominis aureum est, id est, quemlibet amat, neminem odit.

11. Verum enim vero cor hominis aduersarium suum diligentis, non tantum hominis, verum insuper veri Christiani cor esse censetur. S. Paulus Romanis scribens hunc in modum suam exorditur epistolam. *Paulus seruus Iesu Christi*; vbi notandum S. Paulum primitus appellatum esse Saulum, postquam vero ad Sanctæ Matris Ecclesiæ reductus est gremium, mutato Sauli nomine Paulũ vocatum esse. Cur iam non deinceps

Rom. 1.

Saulus, sicut prius vocabatur? An non tot ante ipsum alij Apostoli primigenia sua retinuêre nomina, veluti Andreas, Ioannes, Iacobus, Matthæus & alij? cur igitur S. Paulo potius quam alijs primum nomen mutatum fuit? quodnam est huius mutationis tam necessario faciendæ mysterium?

Mysterium istud facilè inuenies si notaueris, quod Sanctus Ambrosius in hunc Scripturæ locum scribens obseruat, qui dicit, quod nomen hoc *Saulus* in latino sermone idem significet quod *Inquietudo. Paulus* verò idem quod *quietus*, ac rationem, cur primũ nomen illi ineptè quadrauit, ideòq; illum potius decuerit secundum, hanc esse dicit: *Quia pax est fides nostra.* q. d. Quod alijs Apostolis nomen mutatum non sit, ideò id euenit, quia eorundem nomina illos non dedecebant, quia potius optimè quadrabant. Paulo autem, postquam factus est christianus, nomen Saulus (quod idem est, ac homo inquietus) minimè conueniebat, atque ideò necessario Paulus quod significat quietus appellari debebat. Hominem aliquem qui christianam non profitetur fidem, inquietum esse, cor habere rixis & discordijs obnoxium; & quandam esse vindictæ officinam subsistere aliquo modo potest. at verò quod aliquis legem Christi, quæ ipsamet pax est, professus, idem sit, qui antea fuit, hoc est, inquietus, iniuriosus & vindicatiuus, indecens & inconuenientissima res est. Vndè si esse vis christianus, desine esse Saulus, & fias Paulus, vt sis quietus & mansuetus. Tale enim christiani hominis cor esse debet. *Quia pax est fides nostra.*

Ambr. ibi.

12. Imo cor hominis pacifici est cor sanctissimi & perfectissi christiani, dum Christus suos per totum mundum ablegaret & dispergeret Apostolos, signum vnde ab omnibus facili negotio discerni & tanquam veri sui discipuli agnosci possent, illis tale dedit: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

Ioan. 13. 35.

Quæro hic, cur illis pro signo demonstratiuo non dedit signum miraculorum aut diuersitatis linguarum, aut expulsionis dæmonum, aut suscitationis mortuorum, aut aliud quoddam humanam actiuitatem seu potentiam superans, prodigium, quod in stuporem agere cunctos possit? Hæc enim mira magisque efficacia Apostolicæ dignitatis propria esse videbantur; eaque magnam Apostolorum, qui ob admirabilem sui excellentiam à Christo & sancta Dei Ecclesia vera mundi lumina vocantur, perfectionem significare potuissent. Vndè ergo venit, quod Christus posthabitis miraculis ad vnum duntaxat attenderit mutui amoris symbolum?

Sanctus Ioannes Chrysostomus scripturam istam explicans, vult, perfectum & infallibile hominis apostolici signum, non miracula sed amorem mutuum esse; ideòque Christum relictis miraculis sanctos discipulos suos infallibili hoc fraternæ charitatis charactere significare voluisse. *Omissis miraculis quæ ipse esset facturus, dilectionis eos signo notat; quoniam hoc maximè sanctorum hominum est indicium; Etenim non omnis virtutis fundamentum est.* Proprium dignitatis & Sanctitatis Apostolicæ signũ non est gratia miraculorum, nam etiam Iudas traditor, tametsi apostata & schismaticus fuerit, hoc signo refulsit, sed amor & beneuolentia erga proximum. Fallere nonnunquam omnia alia signa possunt: istud verò quod vnicum & solum est: quod christianum perfectum & Apostolicum hominem digito velut demonstrat, fallere nunquam potest. Cor enim hominis Sancti & perfecti, alteri homini nũquam indignari nouit; nunquam cognouit quid sit odium aut discordia vel inimicitia, didicit: vniuersim & pariformiter omnes diligit, illos verò quam maximè, à quibus mala recipit & persecutionibus agitatum se esse cognoscit. *Hæc Sanctorum hominum est iudicium.*

Chrysost. hom 31.

Vndè amor iste à quolibet christiano corde longè pluris æstimandus est quam miracula patrandi virtus. Neque hoc loco prætermittendum est, quod hoc, quod est inimicis ignoscere, eosdemque amare; ingens quoddam esse miraculum videatur. Nam plusquam humanis viribus opus esse videmus, ut quis hanc perfectè assequatur virtutem.

13. Super illum Scripturæ textum quo Ammonitæ regis Dauidis Legatis grauem illam contumeliam, ob quam indignatus Dauid, memorabilem illam stragem commisit, 1 Paral. 19 v. 14.

 misit,

misit, intulisse dicuntur. Abulensis quærit, cur ammonitæ magnam Dauidis potentiā, grauemque quam in ipsum commiserant offensam agnoscentes cum irreparabilem aliquam, qualis illis postea accedit, ruinam timere debuissent, non se humiliauerint, veniamque supplices exorauerint? cum enim Dauid adeo mansuetus, & clemens fuerit princeps ipsū vtiq; facili negotio ad ignoscendum permouissent, ruinamque suā cui postea omnes sublacuere, potuissent euadere. Cur igitur pro impetrandā veniā minime fuere solliciti? Respondetq; *Ammonitæ non petierunt veniam à Dauid quia videbatur eis quasi contra naturam hoc remittere.* Tostat. q. 12. ibid.

Adeo existimarunt arduum esse à Dauide obtinere efficaciter veniam; vt ipsis res aliqua miraculosa naturæq; vires longe superās esse videretur. Vnde nō credebāt humanas vires eo posse attingere vt homo ab alio grauiter offensus; malumq; insigne recipiens: non solū non offendatur, malūque pro malo vicissim referat; sed potius ab omne odium deponat, ignoscat, & aduersariū ex inimico in amicum mira quadam metamorphosi transformatū amet. Vnde ingens adeo beneficiū obtinere, desperantes, veniā petere neglexerunt, persuadere sibi minime valētes in potestate sua esse miracula facere, cū tamen amare eum, qui amantem grauiter odit, haud dubie miraculum esse credatur. *Videbatur eis quasi contra Naturam.*

14. Quod si igitur amor inimicorum vires superet humanas, concludamus necessum est: eundem amorem Angelicum potius quam humanū opus esse, & reuera ita se res habet. Nescio an sæpius legeritis, Hebræos Malachiam prophetam Angelum appellare fuisse solitos, hoc enim Malachias in latino sermone significat. cur illum non vocabant hominem?

S. Epiphanius ideo ipsos prophetam appellasse angelum dicit quia mansuetum illum esse videbant *Cæterum cum populus vniuersus non minori Sanctimonia, quam mansuetudine prædictum coleret, indiderunt illi nomen Malachi, quod, si quis interpretamentum requirat, sonat Angelus.* Idq; factum est ad significandum hominem mansuetum; qui non irascitur, nec se de iniuriā vindicat: neque malum pro malo reddit, sed amorem odij loco in corde suo rependit, tametsi reuera homo quidam sit, nequaquam tamen hominem æstimandum esse, sed angelum opus enim istud angelicū potius, quā humanū est, humanæq; naturæ vires immensum superat. Epiph. de vit proph.

15. Ob hanc causam S. Ioannes Chrysostomus persuasurus Imperatori, vt populo Antiocheno: cui ob suam in vrbe deiectam statuam, siue imaginem horrendum comminabatur excidium, parcere dignatur, inter alias, quas ad ipsum placandum adferebat rationes; hanc quoque adduxit, *Quod autem tot ac talia passus, iram dimittas, hoc omnem naturam excedit.* Moxque subiungit futurum fore, vt si parcat, totus mundus generosum hunc atque magnanimum cordis sui actum inaudiens, obstupefactus exclamaturus sit *Papæ! quanta Christianitatis potentia! vere magnus Christianorum Deus qui ex hominibus Angelos facit* Num forte sacra Maiestas vestra persuadere poterit se præstantius aliquid facere posse quam facit, dū iram cordis sui sedat & mitigat, ijs à quibus grauiter se offensum esse sentit, ignoscit? vtiq; non. Hoc enim faciendo, actum cōmittet adeo generosum, vt de eo locuturus, eūque prædicaturus sit totus mundus, qui iam deinceps ipsum non sicut hominem, sed veluti Angelū quendam respiciet & venerabitur. Denique Deū vnusquisque laudabit, qui suo de remissione iniuriarū præcepto admirabili quadam cum metamorphosi homines commutare in Angelos nōrit. *Ex hominibus Angelos facit.* Chrysost. hom. 30. ad pop.

16. Adhuc maius aliquid & præstantius iā dictis adiungere mihi liceat hoc videlicet, quod qui inimicum suū diligit, opus aliquod cōmittat adeo stupendū & excellens, vt certo quodā modo, non tantum humanæ, sed & Angelicæ quoq; naturæ superare vires videatur. Oleaster verba illa considerās, quibus Deus populo Hebræo, Angelum quendam qui illis per viam continuo adsit, ipsisq; suis in necessitatibus succurrat, & custodiat in periculis missurum promittit. *Ego autē mittā Angelum, qui præcedat te, & custodiat via.* Refert quod tametsi Caietanus per Angelum illum Moysen intelligat, ipse tamē contrariæ prorsus opinionis sit, nec vllâ ratione sibi persuadere possit, quod per Angelum istum Moyses possit intelligi. En rationem quam adfert: *Quia de hoc Angelo textus dicit, quod non parceret iniquitatibus eorum, constat autem* Exod. 23. v. 20. Oleast. ibid.

Moysen

Moysen iniquitatibus eorum sæpius pepercisse. Ex hac autem opione colligimus, Angelum quendam ira percitum, tanquam Dei ministrum, nequaquam parcere; imò aliam quoque insignem inde consequentiam elicimus, nimirum quod parcere & ignoscere inimicis nostris actio sit adeò illustris & sublimis, vt Angelicæ virtutem naturæ valdè superexcedere videatur. Actio igitur diuina, non vere humana, aut Angelica sit necesse est. Et vera ita est.

17. Dum Sanctus Paulus Apostolus Antiochiæ in Hebræorum synagoga verbum Dei prædicaret, in tractatum de Rege Dauide incidens; ipsum sequentibus à Deo præconijs celebratum esse dixit: *Inueni David filium Iesse secundum cor meum* idest cor eius cordi meo simillimum est. *Act. 13. v. 22.*

Vbi meritò quæritur ad quamnam ex omnibus quibus Dauid à Deo dotatus erat virtutibus Deus respexerit, qnando Dauidis cor diuino cordi suo simile esse pronunciauit *secundum cor meum.*

Diuinus Areopagita opinatur illum respexisse ad virtutem mansuetudinis, in qua magnus hic Dei seruus adeo mirabilem se exhibuit & illustrem, vt per hanc solam virtutem di inâ se fecerit amicitia dignum. *S. Dionys. Areop. Ep. 8.* *Quid verò Dauid Dei parentem fecit diuina amicitia dignum? nempè cum esset bonus atque etiam in hostes benignus, inueni, inquit, ille summe bonus, ac benignitatis amator, hominem secundum cor meum.* quasi diceret: Aliud nihil Dauidem Dei amicitiâ dignum effecit, præterquam bonitas & benignitas suâ, quâ suis exhibebat inimicis, quos odio licet erga se flagrantes amabat. Vndè ob hanc solam mansuetudinis & benignitatis virtutem dicere voluit, Dauidis cor suo simillimum esse. Ex dictis igitur concludere & dicere possumus: Quodsi cor Dauidis ideo præcipuè cordi Dei simile dicitur, quia ergo aduersarios suos mansuetum erat & benignum, diuini ergo aliquid vtrique habebit. Vnde cōsequenter cōcludere licebit, omne cor mansuetum & pacificum, à quo procul abest omne odium; diuinum magis quam humanum esse: *secundum cor meum.*

18. S. Bernardinus de Senis Christum eo tempore, quo ab impiâ illa lictorum & carnificum turba cruci affixus erat, non solum in omnibus corporis partibus truculenter afflictum, verum ad incrementum dolorum suorum ab omnibus infamatum, conuitiatum & prorsus derelictū fuisse considerans, prouti S. Marcus refert: *Et prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes, Vah qui destruis templum Dei.* in hunc modum discurrit: Quod Rex cœlestis Christus Dominus noster tormenta, liuores & vulnera sufferre ac tolerare possit, id quidem magnum quid est valdeque admirandum: quod vero insuper derisiones, contumelias & blasphemias, quas contra illum euomebāt, tanta cum patientiâ sufferre potuerit, res est talis, quæ omnem prorsus imaginationem nostram longè transcendit. *Mar. 15. v. 29.*

Quî enim fieri potuit vt tanta tamque tremenda maiestas, non irasceretur delusa, contumelijs affecta non indignaretur, nec se contemptum cernens meditaretur vindictam? cur cælo non præcipiebat, vt fulgura, quæ illos absumerent, emitteret; aut terræ vt sese aperiens illos dehisceret; aut Dæmonibus vt illos simul vinctos in inferni præcipitarent incendium?

Vultisne scire causam? hanc ergo à prædicto sancto Doctore assignatam velim auscultare; *Nec mouebatur animus eius, vt occultam potentiam vellet demonstrare derisus.* q. d. Tremenda Christi Maiestas se derisā vidēs, non ob aliud non irascebatur aut indignabatur, nisi vt aliquam suæ potentiæ, quam sub carnis mortalis velo recludebat & occultabat, ederet demonstrationem, seque Deum esse iniurias sustinēdo testaretur. Quo supposito notandum est, Christū cui mille suppetebant argumenta, quibus suam demonstraret Diuinitatem, alia tamē probationē, quam solius mansuetudinis, vti noluisse. Idque vt innueret, non humanū sed superhumanum & diuinum esse cor illud, quod offensum non irascitur, iniurijs agitatum non mouetur, nec vindictam desiderat. *Vt occultam potentiam vellet demonstrare derisus.* *Bern. Senensis de Pass. C. p. 2.*

9. Vulcatius Gallicanus scribit, quod dum Marcus Anton. Rom Imper. à Faustinâ coniuge suâ interrogaretur per literas, num de Auidio Cassio seditioso & rebelli, qui in Oriente proclamatus Imperator fuerat, iustam capere deberet vindictam? ipse Imperator eidem respondertt nolle se in occasione ista vllam adbiberi vindictæ significa-

ficationem: vtpote qui iam dudum eidem ex toto corde ignouerit, vnde subiunxit: *Non enim quidquam est, quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quam clementia Hac Cæsarem Deum fecit, hac Augustum consecrauit.*

Vulcatius Gallic. in studio Cassio.

Romanis olim hæc consuetudo erat, vt Imperatores illos, quos Cæsar ob particularem aliquam virtutem Diuinis honoribus dignos esse iudicasset, fictorum Deorum suorum insererent catalogo; Vnde quia Cæsar & Augustus singulariter erga aduersarios suos mansueti & benigni extitisse notabantur, Diuinos per hāc virtutē meruere honores, ijsdemque publice veluti D.js immortalibus acclamatum fuit.

Videte igitur, obsecro, quale quantumque sit de mansuetis benignisque hominibus iudiciū, quādo ipsi quoq; gentiles, licet nullam sanctæ fidei nostræ cognitionem haberent, iudiciumque ipsorum proinde millenis mixtum esset erroribus, superhumanum aliquid atque diuinum illis inesse iudicabant. *Hac Cæsarem Deum fecit.*

Quisnam igitur is erit, qui cum terrenis discordijs cor suum contaminarit, adeoque deformarit, vt Syluestri feræ, quam rationali creaturæ similior sit, præceptum tamen Christi de inimicorum dilectione lubens non audiat, seque à maledicto odij fomite exinaniens, fraterno viscera sua non adimpleat amore? præcipue cum non sit alius se ad naturalem suam reducendi formam modus reliquus; seque inimicos diligendo, vere Christianos, & Angelicos homines probent, imo ipsiusmet quoque diuinitatis, se faciant esse participes. *Diligite inimicos vestros.*

CONSIDERATIO II.

Benefacite his qui oderunt vos.

Quemadmodum homo per vindictam monstrosas adeo sibi manus adsciscit, vt bestiales esse videantur & Diabolica: Ita qui ijs à quibus mala recepit, beneficum se prabet, non solum ad pristinam illas formam reducit, sed ipsas angelicas quoque facit & Diuinas.

1\. QVantum manus hominis alicuius vindicatiui sunt deformes & turpes, tantundem aliæ hominis mansueti manus, quæ malum, quod ab aduersarijs suis recipiunt, bonorum atque vtilium operum moneta sol vere student, pulchræ sunt & gratæ. Vnde sicut manus hominis vindictam spirantis, dum ad executionem vindictæ ferrum & enses tractant, manus feræ cuiusdem Syluestris, vngues leonis, aut adunci Aquilæ pedes seu quod terribilius est, horrendorum dæmonum manus esse videntur. Ita cum eædem manus conformiter ad Christi præceptum, bonorum se operum exercitio, ad iuuandum & promouendum illos, à quibus damna acceperunt, occupant, non solum ad humanam formam, verum etiam ad manuum angelicarum, imo Diuinarum similitudinem reducuntur.

2\. Lactantius Firmianus de ira scribens, sic loquitur: *Ira non modo boni sed hominis appellatione despoliat; siquidem nocere alteri, non est secundum hominis naturam, nam & pecudes si lacessas, aut calce aut cornu repugnant.* Vbi notanda sunt verba illa. *Nocere alteri non est secundum hominis naturam.* Erit ergo id Contra humanam naturam; adeoque erit actio bestialis, non vero humana.

Lact. Firm de vero cultu lib. 6. c. 18.

3\. Cum Semei firmiter sibi persuasisset, fore vt Abner & Isboseth, vtpote ex hostili Saulis sanguine prognati à Dauide ad complendam de Saule vindictam interficerentur, hisce illum iniuriosis verbis lacessere non dubitauit. *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial; reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul.* Quod hic obsecro nomen Belial significat quocum Semei Dauidem conuitiabatur? Tostatus dicit, Belial in latino sermone idem significare, quod *Homo indomitus* & rationis impos. *Vocatur Vir Belial homo indomitus, vel sine iugo; quia nulli rationi vel legi subijcitur.* Talis autem Homo indomitus, rationis impatiens, quid erit aliud nisi fera aliqua fera syluestris. Quod si enim Homo in hoc ab alijs differt animalibus; quod nimirum dotatus sit ratione, deficiente illi ratione haud dubie à bestiâ minime differet.

2. Regum c. 16. v. 7.

Tostatus q. 9. ibid.

Supponamus igitur veram fuisse Semei calumniam, videlicet Dauidem duos illos è Saule natos principes trucidasse, vt de suo se inimico vindicaret, tametsi id de facto sit

sit falsissimum. Tunc certe haud irrationabiliter vir *Beliál* seu homo rationis impos vocatus fuisset, homo enim vindictæ appetens, non homo est, sed fera quædam Sylvestris & indomita.

4. Deus per os Isaiæ Prophetæ loqués, magniq; e illius Iudæorum hostis, Assur videlicet, mentionem faciens ita loquitur:
Isa. 31. v. 8 *Cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum.* q. d Non est quod populus meus crudelitatem Assur inimici sui expauescat; iamiam enim tempus illud imminet, in quo cadet & morietur. Nec tamen populus meus sanguine illius manus suas tinget aut commaculabit, sed alij loco ipsorum acrem de illo vindictam exposcent.

Oleaster hunc locum explicans Deum in hunc modum interrogat: Cur ô Deus non vis, vt serui tui proprijs manibus suam exequantur vindictam, sed potius illos vindicari vis manibus alienis? Et respōdet.
Oleast. ibi. *Dominus tanti sanctos suos facit, & tam vili hostes eorum, vt non patiatur eos in manus suas viles reddere in sanguine eorum.*

Valde bene hæc omnia dicuntur. Enim vero quis erit ille, qui pro sanctis tuis vindictam de hoste eorum sumpturus est? Non id homo aliquis faciet: *Cadet Assur in gladio non viri & gladius non hominis vorabit eum.* Sed cur vindex iste non est futurus homo? Certe non ob aliud, nisi quia ille futurus esset vindicatiuus, homo autem vindicatiuus, non est homo, non enim simul potest esse vindicatiuus, & homo. Erit igitur bestia quædam.

5. De Alexandro Magno scribitur, hunc siue ex irâ & indignatione, siue ex naturalis & ingenitæ truculentiæ inclinatione Lysimachum leoni cuidam exposuisse ad deuorandum Tametsi Quintus Curtius, vtpote rebus ab Alexandro gestis apprimè deuotus, id pro fabula haberi velit. Seneca tamē qui hanc veram censet esse historiam, Alexandrum in hunc modum interrogat: *Quid*
Seneca de clem. lib. 1. c. 25. *enim interest, o rote Alexander, leoni Lysimachum obijcias, an ipse laceres dentibus tuis? Tuum est os tuū illa feritas.* Quibus verbis Seneca inferre voluit, Alexandrum ex odio quo ferebatur in Lysimachum, eundem infœlicem hominem leonibus exponendo, leonem fuisse & non hominem, vt ipse quidem existimabat, ipsumque Alexadrum huius truculentæ feræ os fuisse Lysimachum dilacerans.

Et merito quidem sic arguebat, homo enim iracundus & vindicatiuus, non est homo, licet talis extrinsecus appareat, sed sæua quædam & truculenta fera.

6. Christus Saluator noster Regis illius, qui primogenito Filio suo nuptias fecit, parabolam describens, dum nuptiarum apparatum, conuiuij magnificentiam, & illustrem conuiuarum consessum à Rege prædicto ordinatum introducit, Regem illum hominem appellat. *Simile factum est Regnum cælorum homini Regi; qui fecit nuptias filio suo & misit seruos vocare inuitatos &c.* At vero quando postea eundem Regem se vindicare volentem proponit, qui aduersos ingratos conuiues illos, qui nuptiale conuiuium non solum contemsperunt, sed etiam seruos ad inuitandum emissos occiderunt, acerbissimâ irâ exarsit; non iam illum deinceps hominem, sed Regem duntaxat appellat; *Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos.* Matth. 22. v. 2. & 7.

Quæro hic, quis mihi causam assignabit, ob quam Rex ille prius appellatus fuerit homo & non postea? Deseruit ne ipsum postea esse hominis, quod antea habebat? Imo vero Auditores sic est.

Audite obsecro; hoc enim vobis Glossa insinuare velle videtur, dicens: *supra homo dum inuitabat, & opera clementiæ agebat: nunc in vltione Rex tantum.* Quam diu Rex ille de beneficijs homini conferendis agebat, tam diu homo erat: quando veró ira succensus vindictam de hominibus capere cōstituit, suasque manus ad inimicorum suorum fundendum sanguinem applicuit, iam non amplius homo fuit; adeo namque vere & naturaliter proprium est homini bene facere ijs, à quibus mala recepit, vt dum contrarium illius facit, non iam amplius homo, sed fera existimetur; Et manus illius quæ iræ suæ sunt instrumenta, ferinæ quoque sint; Neque enim aliter fieri potest, quin membra corpori, cuius sunt membra, correspondeant. *In vltione Rex tantum.*

7. Et quod magis mirandum est, non tantum bestiæ, sed Dæmonis manus esse videntur, dum inuidi Hebræi Christum ob miracula & prodigia, quæ passim & vbique non solum infirmos sanando, & resuscitando mortuos, sed etiam dæmones ab Energumenorum expellendo corporibus operabatur, valde ab omnibus glorificari viderent; vt hanc eius tantam obscurarent gloriam, hæc omnia à Christo per secretũ, quod cum Dæmone haberet pactum & intelligentiam, non vero sicut mundo persuasum erat per diuinam virtutem fieri, populo persuadebant. *Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Ingens fuit hæc, quam scelerati isti cœlorum Regi impegerunt, iniuria proinde iniuria illa minime dissimulari, sed potius à Christo per bonam & solidam responsionem retundi debuisset, prouti alias ab illo factum fuit; quando similiter iniuriatus, sapienti & generoso illos responso confusos reliquit. Modo autem omnino silet, nec verbum quidem respondet, multo minus illos confundit. Eccur ita?

Matth. 9. v. 34.

S. Ioannes Chrysostomus dicit, Christum optime & solidissime respondisse, seque nullam cum Dæmone habere intelligentiam euidenter illis demonstrasse. Et quidem responsio, quam dedit, tanto fuit efficacior; quia non verbis, sed operibus & factis ipsis reddita fuit. Nunquid videtis, inquit hic Doctor, quod subito vt iniuriatus fuit, absque vllo morulæ alicuius puncto, ad prædicandum cælorum Regnum, ad benefaciendum, & sanandum iniuriosæ gentis illius infirmos se receperit: à quâ iam iam tanta mala, nec non famæ ac honoris sui acceperat detrimenta? Quænam poterat hac responsione, qua se ab omnibus, quas in ipsum euomuerant, calumnijs, efficacissime purgabat, dari solidior & efficacior? Subito postquam Pharisæi Christo dixissent: *In principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia.* S. Matthæus subiungit. *Et circuibat Iesus omnes ciuitates & Castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.*

Hæ lectiones, prædicationes istæ, hæ inimicis suis præstitæ & collatæ gratiæ, efficacissimæ responsionis loco fuerunt, quâ se purgauit Christus, sibique nihil cum Dæmone necessitudinis intercedere, prout ipsi alias sparserant, efficacissime ostendit. Et quidem S. Chrysostomus pulchram quandam huius adducit rationem, dicens. *Dæmones si contumeliaueris, quam ab ipsis sperabis veniam: qui vel cultoribus suis exitio sunt? Christum autem videmus his aliisque contumelijs & iniurijs affectum, non modo non vltum fuisse, sed nec commotum quidem: quippe qui etiam post hæc maledicta vrbes & villas Iudeæ circumiret, vt scribitur: Prædicans in Synagogis Euangelium regni cœlorum, & curans omnem morbum, omnemque languorem: qua quidem mansuetudine animi accusationes eorum facile refellebantur.* quasi dicere vellet. Quod si ita constituta est naturalis dæmonum conditio vt malum illis referant à quibus mala receperunt, certe optimè Christus oppositæ sibi respondit infamiæ, scilicet nihil sibi cum dæmone intercedere familiaritatis aut intelligentiæ, hic enim semel offensus non pro malo bonum, sed malum reddit: Christus autem etiam postquam à Iudæis male fuit tractatus, ad benefaciendum illis se subito recepit.

Chrysost. hom. 33. in Matth.

Vnde colligimus, quod si dæmon numquam ignoscat, sed semper de receptis offensis se vindicet, etiam hominem illum qui nunquam ignoscit, sed continuo vindicis excogitandis studet, nihil esse aliud præter viuam quandam dæmonis imaginem, quippe qui Diabolicas imitatur proprietates, suasque manus non minus deformes esse atque monstrosas, quam sint dæmonis alicuius manus.

Harum autem manuum suarum deformitas, quam sibi ex vindictæ studio homo adsciuit, emendari facili negotio poterit, si diuinum auscultando præceptum benefaciat illis, à quibus damna aliaque mala recepit, hac enim duntaxat via, & non alia, manus hominum fieri poterunt.

8. Quatuor illa animalia sancto Ezechieli Prophetæ demonstrata, ex mente Hugonis Cardinalis quatuor mundi monarchas, Nabuchodonosorem Chaldeæ, Cyrum Persidis, Alexandrum Græciæ & Iulium Cæsarem Romanum Monarchas significant. Eaque vt sanctus Propheta

scribit

scribit pennas habebant, & sub pennis manus hominis. *Et manus hominis sub pennis eorum.* Et quidem pennati describuntur, inquit præfatus Cardinalis, vt velocitas quacum mundi acquisiuere dominium significetur, prouti in Alexandro specialiter videre est. Ezech. 1. v. 8.

Quod si autem quæramus, quidnam illæ, quas sub pennis habebant, humanæ manus significent, respondebit Hugo: *Quia sub ferocitate & rapacitate fuerunt, etiam mansueti.* Hugo Card. ibid.

Quantumuis principes illi in acquirendo imperio suo feroces fuerint & truculenti, non tamen se illis, quibuscum confligebant, minus mansuetos ac beneuolos exhibere studebant; sed multis illis varijsque modis benefecerunt, vnde vt sanctus Propheta aliquod daret hominis alicuius aduersario suo benefacientis symbolum, manum hominis statuit. *Manus hominis sub pennis eorum.* Idque ad significandum, quod illæ manus vere proprieque sint hominis manus, quæ pro malo bonum referunt. *Manus hominis.*

9. Scribit Plutarchus Octauium Augustum post subiugatum sibi Marcum Antonium, Cleopatram Ægypti Reginam coniugem eius coram se adduci voluisse. Quæ ne viua caperetur, atque alios captiuos inter ad imperialis triumphi augendũ splendorem publicè circumduceretur magnopere formidans, cultro quem ex latere suo habebat suspensum, semetipsam conata est occidere. Quam Proculeus egregius Augusti miles fortiter aggressus, ab impio conatu suo pro tunc prohibuit, sequentibus eam verbis affatus: *Iniuriam facis ô Cleopatra, & tibi ipsi, & Cæsari, cui occasionem aufers humanitatis & probitatis suæ ostendendæ, & calumnians mitissimum principem, vt infimum & implacabilem.* Plutarchus in Anton.

Vbi notandum, militem hunc ex eo quod Cleopatra nolit aliquod à Cæsare inimico recipere beneficium, bene inferre, eandem quoque Cæsari omnem aliquod humanitatis suæ erga ipsam exhibendæ occasionem adimere. Vnde colligitur quod velle benefacere inimico vere proprium & naturale hominis opus sit, neque alias quam humanas manus, ad talis consilij siue conatus executionem adhiberi posse. *Et manus hominis sub pennis eorum.*

10. Imo manus eiuscemodi manus sunt Angelorum. Quærit Tostatus qualis Angelus fuerit ille, qui in vna nocte de exercitu Sennacherib centum octuaginta quinque millia virorum cecidit, prouti refert scriptura sacra. *Factum est igitur nocte illa, venit Angelus domini & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Fuitne Angelus bonus an vero Dæmon?* 4. Reg. 19. v. 35.

Dicitque non fuisse Angelum bonum sed Dæmonem & rationem reddit. *Melius autem dicitur, quod fuerit malus quam bonus quia esse ministrum Dei in afflictione pœnarum, magis conuenit Dæmonibus, nam angelis bonis competit ex conditione sua benefacere.* Tametsi Deus illo loco ensem in gentem illam stringi iusserit, à qua enormiter valdeque turpiter offensus & blasphematus fuerat, attamen Angelum bonum talis stragis fuisse ministrum minime creditur: Angeli enim boni naturaliter ad benefaciendum, non vero ad inferendum malum inclinant, ne quidem suis inimicis quales sunt, qui Dei manifesti inimici existunt.

Agedum igitur, quod si Angeli naturali hac polleant proprietate, & ne quidem inimicis suis damnum aut malum aliquod inferre norint, certe concludere oportet, manus illas Angelorum & non hominum manus esse, quæ licet grauiter offensæ, se tamen vindicare nesciunt. *Angelis bonis competit benefacere.*

11. Denique vt huic considerationi finem tandem imponam, dicendum restat mansueti hominis manus adeō esse dignas & excellentes, vt diuinum quid in se continere videantur. Vnde S. Petro Damiani S. R. Ecclesiæ Cardinali dicere placuit: *Diuinum quiddam sapit: benefacere his qui oderunt nos.* Pet. Dam. serm. 1. de exalt. S. Crucis.

Deus de nonnullis Dauidis virtutibus agens, sic loquitur: *Veritas mea & misericordia mea cum ipso.* q. d. seruus hic meus Dauid veritatis & misericordiæ meæ exemplar & speculum erit. Reuerendissimus P. Michael Ayguanus alias incognitus cognominatus, sacri Ps. 88. v. 25.

sacri Carmelitani Ordinis quondam Prior Generalis & scriptor illustrissimus, prædictum hunc locum interpretans dicit: Idipsum quod Deus de Dauide dixerat scilicet se in Dauide facturum misericordiæ suæ specimen & demonstrationem in persecutionibus Saulis irreconciliabilis inimici sui, videri manifeste potuit; Cum enim ab hoc continuo offenderetur, & suas in ipsum multoties libere exerere posset vindictas, eidem tamen semper ignouit, nec vnquam illum vel in minimo capillo capitis sui offendere voluit. *Quod autem fuerit Misericors apparuit in persecutione Saulis, quem pluries habuit in manibus & pepercit.*

Mich. Ayguanus Carm. alias Incognitus ibid.

Hoc iam supposito quæro: Num misericordia illa, qua Dauid erga inimicum suum vtebatur, fuerit misericordia Dei, an vere Dauidis? Certe dubium non est, quin Dauidis misericordia fuerit, siquidem a Dauide exercebatur. Cur igitur Deus illam misericordiam suam appellat? *Misericordia mea.* Cũ Dauidis fuerit, non vero Dei? verũ est misericordiam illam Dauidis vere fuisse, Deus tamen illam suam vocat, eo quod valde differt misericordia, qua erga inimicos nostros vtimur, ab alia quam exercemus erga inimicos. Quando beneficia conferimus amicis nostris, hæc sine dubio est misericordia nostra, hoc est humana, naturaliter homines ad similem effectum inclinans. Dum vero agitur de misericordia inimicis nostris exhibitâ, illa non est nostra, id est humana. Sed Dei, id est Diuina. Quia erga Dauidis erga Saulem exercita misericordia, in inimicum collata fuerat, ideo non dicebatur misericordia Dauidis, tametsi Dauid illam exercuisset, sed misericordia Dei *Misericordia mea.* Non enim humanum quid, sed diuinum erat, quod humanitus assequi homo non potest. Vnde patet, quod quotiescunque homo pietatem & misericordiam inimicis suis exhibet, benefaciendo illis, cum iuxta naturales suos impetus vindicta ei quærenda fuisset, hoc ipsum non humanum sed diuinum opus esse. Et consequenter manus, quæ diuini huius operis futuræ sunt ministræ, Diuinæ quoque erunt; *Diuinum quiddam sapit Benefacite his, qui oderunt vos.*

CONSIDERATIO III.

Orate pro persequentibus & calumniantibus vos Matth. 5. v. 44.

Sicuti lingua quæ aduersus inimicum laxatur inhumana est & bestialis sic dum inimici seruitio impenditur, non solum esse reacquirit humanum, verum insuper in Angelicam, & diuinam se linguam transformat.

1. POstquam Christus, qui summum & æternum bonum nostrum est, veluti vrsa quædam ingeniosa, admirabilis doctrinæ suæ limator nosttum & manus nostras, quæ per vindictas & odia monstrosa facta erant, præclare adeo reformasset, vt non solum esse recuperarint humanũ, verum etiã Angelica & quasi diuina quædam membra euaserint; linguam, quæ in monstrositate suâ eousque remanserat, in sua deformitate & turpitudine impolitam relinquere noluit, sed potius vna cum alijs corporis partibus reformare illam statuit, atque ideo vt pro nostris etiam persecutoribus oremus, præcepit dicens *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, vt videlicet hac ratione, Matth. 5. v. 44.
sicuti in proximi damnum relaxata, inhumana facta fuerat, & bestialis; ita deinceps præcepto Christi obediens, non solum esse humanum recuperaret, verum etiã linguis Angelorum, imo ipsiusmet quoque Dei persimilis fieret.

2. Dauid Propheta sceleratum quendam hominem, qui ad se vindicandum, famam proximi linguæ gladio ordinarie obscurabat, reprehendens, hæc illi inter alia verba improperat: *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris.* Hugo Cardinalis verba hæc, *Aduersus fratrem tuum* ponderans, dicit: *Ecce inhumanitas*, quasi dicere vellet, lingua, quæ Ps. 49. v. 20.
aduersus proximum relaxatur, non humana, sed inhumana & bestialis est lingua. Si enim homo esset, utique humanum aliquid spiraret, hæc vero nihil tale refert, dum alium aliquem hominem inuadere & impugnando aggredi cernitur; *Ecce inhumanitas.*

3. Re-

3. Refert Plinius Leonum & Pardorum similiumque bestiarum linguam limæ alicui persimilem esse. *Imbricata asperitatis ac limæ similis.* Tametsi lima asperum aliquod sit instrumentum, nunquam tamen artifices illa vtuntur, ad coniungendum vnum alteri, sed ad tollendum aliquid ab alio, neque alium vsum habet. Limæ persimilis est lingua viri maledici, semper enim aspera est, discordias semper accendit, excitat rumores, inimicitias suscitat; nunquam est amabilis, nunquam pacifica, semper aliquid proximo adimit, nunc verba, nunc famam, mox vitam, nunquam vero paum aut vnionem addit, neque concordiam, atque ideo nihil est aliud quam lima quædam. Et consequenter linguæ leonum atque pardorum similis erit, adeoque bestialis & non humana.

4. Confirmemus idipsum per Regij Dauidis locum Ps. 14. v. 1. vbi refert, quod Dominum suum orans & inuocans, sua semper illum voce inclamarit: *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum.* Qui locus non nihil à nobis ponderandus erit, vt causam assequi valeamus, cur sibi non suffecerit tantum dicere. *Ad Dominum voce clamaui* vel oraui, sed insuper addat *Voce mea*? Anne aliqui fortasse inueniuntur, qui sine voce sua orare soleant, quique tametsi homines sint, voce tamen bestiæ alicuius in oratione sua vtantur: vt proinde Dauidi, ad demonstrandum vocem suam in oratione humanam, non vero bestialem fuisse, operæ pretiũ visum fuerit dicere, quod voce sua orauerit? *Voce mea ad Dominum clamaui.* Vere hæc est ipsissima causa, inquit S. Ioan. Chrysostomus, redditque rationem dicens: *Qui clamat aduersus inimicos, non edit vocem hominis sed feræ & serpentis.* q. d. qui Deum in oratione sua rogat, vt malum illi, à quo est offensus, inferat, seque vindicet, talis non hominis, sed feræ, sed serpentis vocem habet.

Chrysost. ibid.

Chrys. ibid.

Quia ergo orationes Dauidis, ab hoc vitio immunes erant, vtpote qui Dominum suum, pro inimicorum suorum semper precabatur fauore, prout alibi expresse dicebat: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Ideo dicit se voce sua orasse, lingua enim, quæ in diuinâ præsentia pro aduersariorum suorum vtilitate & commodo laxatur, & soluitur, lingua est vere humana: *Voce meâ ad Dominum clamaui.*

5. Multoties vtique de tauro æneo sermonem fieri audistis, quem pro communi hominum tormento Perillus Atheniensis eo tempore, quo Phalaris crudelis Agrigentinorum Tyrannus dominabatur, fabricauit; Erat bos iste eo artificio factus vt post accensum subtus ignem miserabilis reus, candenti boui huic inclusus, ob nimium incendij ardorem ad miserrime eiulandum cogeretur: eiulatus autem, siue clamor iste prout foris audiebatur, non humanus, sed bouino mugitui persimilis erat. Ita scribit Paulus Orosius: *Pulsuque ferali competens imagini murmur emitteret, nefandoque spectaculo mugitus pecoru, non gemitus audiretur.* Magnum vtique clamor iste penes circumstantes causare horrorem & admirationẽ debebat, & quidem potissimũ penes illos, quibus artificium absconditum erat: hi enim dicere potuissent. Quod si intra metallum istud homo recluditur, cur ille foris resonans clamor, non hominis alicuius eiulatum, sed potius bestiæ & tauri cuiusdam refert mugitum?

Paulus Oros. lib. 1.

Talis porro & non alius est clamor, quem lingua illa edit, quæ passionis iræ & odij igne, ardens vindictam contra inimicum expostulans, nonnunquam laxatur, Deumque plurimis perfusa lachrymis vt inimicum confundat, castiget & occidat, exorat. Vnde quin lingua talis in magnam auditores suos raptura esset admirationem, nequaquam dubito, nec enim dicere quis immerito posset. Quæ est lingua ista adeo monstrosa & prodigiosa? quod si qui loquitur, homo est, eiusdemque proinde verba consequenter humana, hoc est, pia, benigna, & compassione erga proximum suum plenissima esse deberent. Eccur igitur à natura sua adeo degenerat? licet enim homo sit, tamen postquam ira efferuescere, & odij præda fieri cœpit, verbaque eius nil nisi vindictam sonant & sperant, talem prorsus rugitum edit, vt leonem aut tygridem audire te crederes.

Ferina igitur & bestialis procul dubio est

est lingua humana, eo ipso quo homo illâ in damnum vtitur alienum. Veruntamen quod si Diuinum auscultando præceptum, in obsequium & fauorem proximi linguam suam adhibuerit, vsumque priorem in meliorem conuerterit, humanam haud dubie mox recuperabit.

6. Spiritui Sancto, dilectissimæ sponsæ suæ lingua valde placebat, dum illam hunc in modum deprædicabat. *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua.* q. d. O sponsa mea, & vnicum cordis mei delictū, mox vt linguam tuā soluere, & mouere incipis, tantam ego inde dulcedinem & delectionem percipio, quasi non iam verba, sed mel & lac spargeres & diffunderes.

Cant. 4. v. 11.

Hugo Cardinalis dicit, dulcedinem linguæ sponsæ suæ in tantum à Deo laudatam fuisse, in quantū aduertebatur, mel istud & lac, quod ab illa spargebatur & dimanabat sincerum & purum, absque vlla veneni aut toxici alicuius permixtione fuisse, nec enim alias linguæ eiusmodi fragrantiam deprædicasset: *Vt sic sit mel & lac sub lingua eius, non venenum intoxicans.* Vnde Deus hoc linguæ elogio innuere volebat, à sponsæ suæ lingua mortiferum diffamantium verborum venenum procul admodum abfuisse. Ex ordinario namque sponsæ colloquio sponsus obseruauerat, ipsam omnia facta aut verba aliena in meliorem semper partem interpretari, cum quocunque demū homine ipsa dissereret, proximi sēper salutē, bonumque illius vtile sollicite semper procurando. Quia ergo hanc in lingua eius dulcedinem semper probarat, videbatur ipsi linguam eius melli & lacti semper fuisse immersam. *Mel & lac sub lingua tua.* Verum enimuero lingua hæc adeo suauis & dulcis, tantæque charitatis melle referta, quæ nullum vnquam venenum cognouit, nulli vnquam proximo molestiam intulit, cuiusnam erat? *Lingua tua* inquit. q. d. lingua tua humana lingua est, cum tu verum te hominem esse ipso facto probes, lingua tua est, quia egregie humanæ linguæ præstat officium, quæ erga ipsos quoque inimicos absque vllo maledicentiæ toxico aut malæ imprecationis veneno dulcis semper esse debet: *Non venenū intoxicans.*

Hugo Card. ibid.

7. Præterea ea, qua similis aliquâ lingua prædita est, sermonis suauitas adeo est admirabilis, vt non tam hominis, sed Angeli lingua esse videatur, neque terreno deinceps melli, sed cælesti immersa videatur esse nectari. *Hæc est lingua Angelorum,* inquit Chrysostomus; *quando nihil acerbum, iucunda autem omnia loquitur; quando pro his qui faciunt iniuriam, & probris persequuntur, venit* supplicans.

Chrysost. in ps. 4.

S. Iudas Apostolus in Epistola sua canonica ingens quoddam refert quod S. Michaelem Archangelum inter & Dæmonem intercessit certamen; cum enim Archangelus ille ad corpus Moysis sepeliendū nec non ad occultandum sepulchri Mosaici locum à Deo missus esset; Dæmon econtra, vt eundem ab hoc conatu impediret, cunctas vires suas exeruit, nolens magni illius prophetæ corpus sepeliri, ne hac ratione Hebræorum populus, ad idololatriam admodum inclinatus, & pronus, diuinos cadaueri isti consecrasset honores, idemque adorasset.

Archangelus hic igitur in hac lucta inquit S. Apostolus truculentæ huic belluæ tametsi bene merenti, maledicere aut iudiciū inferre blasphemiæ noluit, nec ausus fuit, sed potius verbis benignis & mansuetis, in Dei opt. Max. nomine eidem, vt à cœpto desineret, & abiret, præcepit. *Cum Michael Archāgelus cū Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Deus.*

Iuda v. 9.

Cur obsecro S. Michael irreconciliabili aduersario suo qui alias infinitis de causis pœnas & maledicta longe atrociora merebatur maledicere ausus non fuit? S. Hieronymus dicit: *Merebatur Diabolus maledictū, sed per Angeli os blasphemia exire non debuit.* Tametsi Diabolus millies blasphemari, & maledici mereretur, nō tamen id per Angelum conueniebat fieri; siquidem nullum ab Angelico ore verbum dimanat, quod dulce, placidum, siue benignum non sit, etiam aduersus aduersarios suos prolatum. Lingua namq; Angelica maledicentiæ aut imprecationis malæ verbū proferre nescit; tametsi etiam ipsi cum tanto inimico negotium intercederet, qualis aut quantus ipse quoque Dæmon erat. Cum igitur Angelorum lingua placidis adeo prædita sit proprie-

tati-

tatibus, vt nullum contra inimicum suum verbum, quod aliquam illi natum sit creare molestiam, formare possit, clare sequitur quod lingua hominis alicuius, eandem prorsus erga aduersarium suum, affabilitatem spirans, Angelica quoque lingua futura sit. Qua de re nullum dubium esse debet. *Hæc est lingua Angelorum.*

8. S. Lucas de S. Stephano protomartyre scribit, quod dum hic ad mortem ex duro quodam lapidum imbre obeundam condẽnatus esset, omnes eidem morituro astantes, cumque intuentes vultum eius Angelicum prorsus esse, conspexerint. *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, videbant faciem eius tamquam faciem Angeli.* Quod si forte quæsieris, cur Sanctus hic Prothomartyr numquam Angeli faciem referre visus fuerit, præterquam in illa mortis suæ horâ? Mox S. Ioan. Chrysostomus respondebit, vultum hunc in illo tunc præcise notatum fuisse; quando pro inimicis suis ipsum lapidantibus Deum exorabat: *Cum male patiebatur, tunc pro eis orabat dicens. Ne statuas eis hoc peccatum: eis itaque non irascens, sed pro eis dolens ac mœrens hæc loquebatur, propterea dicit, quod viderunt faciem eius quasi faciem Angeli.* Opus erat vt cælum magni huius Athletæ faciem in angeli cuiusdam faciem transformaret, quia, vt dicit os aureum tunc pro inimicis suis orando Angelum se esse probabat, cum id nulli præter Angelos & angelicos homines facere queant. Lingua enim quæ ad opus tam egregium sese applicat, Angelica potius quam humana est. *Hæc est lingua Angelorum.*

Act. 6. v. 5.

Chrysost. hom. 30. ad pop.

Quod si verum est id quod Seneca scribit, scilicet, *Imago animi sermo est, qualis est vir, talis oratio.* Certe oportebat vt S. Stephanus in formâ demonstraretur Angelicâ, quia sermo illius, sicut sermo Angeli alicuius erat; ille namque sermo Angelicus esse censetur, qui ad persecutorum suorum obsequium depromitur.

Seneca in iron.

Verum rem adhuc longe magis stupendam audiamus, sic enim linguam istam adeo videbimus sublimatum, vt diuini quid habere videatur.

9. S. Ambrosius de extraordinarijs Moysis honoribus loquens, ita fatur: *Merito æstimatus est supra homines, vt vultui eius non possent intendere, & sepulturam eius non repertam crederent.*

Vbi rationem merito inquirere quis posset, ob quam Moyses, tantam quantam ante ipsum nullus æstimationem in mundo habuerit? equidem responderi posset factũ id esse, quia tantorum prodigiorũ, totque miraculorum quorum Aegyptus & desertum, in quo annos quadraginta populum illum prodigiose gubernauit, testimonia perhibent, author & artifex fuit. Ob hæc enim tot tantaque miracula viresque humanas prorsus excedentia prodigia, necessum erat, vt extraordinaria illius penes omnes esset æstimatio. Verum enimuero non puto hanc fuisse tantæ huius æstimationis causam, inquit S. Archiepiscopus, sed potius hanc suâ sibi mansuetudine adsciuisse existimo. Vnde subiungit: *Quia sic sibi totius plebis mentes euincerat, vt plus eum pro mansuetudine diligerent, quam pro factis admirarentur.*

Admirabilis prorsus erat magni huius serui Dei mansuetudo, quippe qui non solum omnes suas offensas, nihili faciebat, verum etiam quia licet Deum sibi adeo addictum, aduerteret vt rigidas semper pro ipso de aduersariis suis sumeret vindictas, ipse tamen imminentes ijs plagas per orationem suam auertere, Deum inimicis suis offensum placare & ne puniret impedire non prætermittebat. Atque hac de causâ non solum magnopere ingente suâ amatus & in admiratione habitus, verum etiam non vti vulgaris homo quidam, sed vt alter aliquis in terrâ Deus honoratus fuit. Et merito quidem. *Merito æstimatus est supra homines.* Homo enim qui cum offensus sit, non solum non spirat vindictam, sed etiam linguam suam in orationem fundendam soluit, Deumque pro venia illius, qui offensam commiserat, orat, tanti merito æstimandus venit, veluti si diuinitatis alicuius particeps existeret.

Gloriosus Pater S. Anselmus quadam vice Serenissimam cœli terræque Reginam contumeliosa & probrosa illa verba quæ maledicti Hebræi in conspectu amantissimi in cruce pendentis Filij sui euomebant, recensentem auscultans, specialiter vero illa, quæ S. Matthæus cap. 27. v. 40. refert.

Matth. 27 u.40. *Vah qui destruis templum Dei & in triduo illud readificas, salua temetipsum: si filius Dei es, descende de Cruce.* Eidem sacratissimæ Virgini quæstionem sequentem proponit, & dicit: Quid ad huiusmodi insultus respondit filius tuus? Cui illa. *Dilectus meus orauit pro eis* Ambr. dial. de pass. *dicens: Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* q. d. Aliud illis responsum non dedit nisi quod faciem suam ad patrem conuerterit, atque ab eodem pro peccatis ipsorum veniam postularit.

In quem locum quæri posset, quare Christus pro suis crucifixoribus non orauit anticipate, priusquam insolentia verba illa à S. Matthæo, vti audiuimus, descripta protulissent? Ratio huius ni fallor esse potest, nimirum quia Hebræi curiosi & auidi erant sciendi, num Christus verus Dei filius esset. *Si Filius Dei es* atque aliquam hac de re certitudinem expectabant. Et tametsi modus, quocum scelerati illi veritatem hanc nosse quærebant, loco responsi, cœleste quoddam tonitru mererentur, aut cœlestem è fulmine vibratum ignem, quo absumerentur & interirent, attamen Christus, vtpote qui naturali suæ obsistere non poterat clementiæ & benignitati, veritatem hanc quam indagabant illis certo quodam signo manifesta revoluit; Est igitur verus Dei filius declaratus, per orationem quam pro suis inimicis ad patrem suum fundebat. Vt hac ratione insinuaret, adeo verum esse, quod linguam ad preces pro inimicis fundendas laxare aliquid in se super humani & diuini habeat; vt ipsemet ad declarandum se verum Deum esse, alio argumento quam isto vti noluerit. Ac proinde quis non videt Christum nobis præcipientem vt oremus pro aduersarijs nostris: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos,* aliud nihil prætendere, quam vt nos supra naturæ nostræ terminos extollat, atque esse quoddam nobis supernaturale & diuinum conferat.

SERMO IV.

In Sabbatum post Cineres

Cum sero esset factum erat nauis in medio mari.

Marci. 5.

1. IVlio Cæsari Romanorum Imperatori, cuius tam apud Romanos, quàm Græcos scriptores, celebris fit mentio. Vt illustre illud, & gloriosum, affecutus est nomen, sibi iure vendicaret, necessarium fuit, vt calamo simul vteretur & ense; adeo vt alterutro horum deficiente, ad tantam sublimari nominis sui gloriam minime potuisset. Vnde statuam illi, quæ dextera sua gladium, sinistra vero calamum in altum extolleret, erexerunt hac eidem subiuncta Epigraphe. *Ex vtroque Cæsar.*

At vero sacri Euangelistæ, qui absque vlla comparatione, & Cæsaris gloriam, & cuiuscunque alterius profani & mundani herois excessere illustrem nominis famam, solo calamorum siue pennarum vsu, illustres euasere & celebres. Vt proinde Ezechiel Propheta, gloriæ triumphum, sub symbolo currus à quatuor animalibus protracti,

tracti, describens, dicat illos, ad gloriæ, & honoris, siue meritorum suorum ostentationem, præter pennas siue calamos aliud
Ezech. 1. nihil in altum extulisse: *& pennæ eorum ex-*
v. 11. *tentæ desuper*: vtpote quæ simul & pennæ, & ensis munus præstabant. Neque enim calamis suis inaudita tantum prodigia, aliaque ipsis quoque cœlestibus spiritibus occulta, secreta, & abscondita mysteria manifestarunt; verum etiam ijsdem pennis Dæmonum fastum debellarunt, & superbiam, falsorum Deorum supplantauere honores, confuderunt gentilium poëtarum mendacia, sanctam denique Dei Ecclesiam, aduersus insurgentes hæresum tyrannides, generose defenderunt.

Et quidem an non id hisce nostris temporibus, in magna Dei parente (quæ sub nauis symbolo in præsenti Euangelio haud incongruè intelligitur) in perplexæ quæstionis illius de immaculata eius conceptione perturbato pelago, donec Deo optimo Max. per occulta prouidentiæ suæ iudicia tranquillitatem facere, eandemque definire placuerit, periclitante, clare videtis? *Erat nauis in medio mari, erat enim ventus contrarius.* An non inquam clare videtis, qualiter sacri Euangelistæ, pennarum siue calamorum suorum remis, veluti tot strictis & in hostes vibratis ensibus, pro immaculatæ huius conceptionis defensione laborent & fatigentur. Id quod saluatoris quoque nostri oculos non fugit: *vidit discipulos suos laborantes in remigando.*

S. Lucas pennæ suæ remum ad proram, quæ prima & potior nauis pars est, applicuit; & dum virginis Annuntiationem, quæ primum salutis nostræ in se mysterium cōtinet, describens, laudes quas sanctus Gabriel Archangelus eidem è cœlo detulit,
Luc. 1. v. 28 recenset, nimirum: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Singulari in id verborum impetu & vi conniti videtur, vt ab originali illam peccato saluet. S. Matthæus ad puppim se collocat, vtpote quæ cœlestis Imperatoris peculiaris est locus & domicilium. Dumque illam dignam fuisse dicit, quæ Deum in ventris sui hospitio corporaliter reciperet, fieretque vera
Matth. 1. & naturalis Dei mater: *De qua natus est Iesus*
v. 16. *qui vocatur Christus.* mirum in modum pro illa ab originali peccato seruanda laborare videtur. S. Ioannes malo sanctæ crucis vicinus existens, illam, dilecto filio suo patiente & moriente, subtus crucem refert stetisse immobilem: *stabat iuxta crucem Iesu mater* Ioan. 19. v.
eius. Atque sic vna cum alijs, communi consensa, paribusque votis, volantis pennæ 25.
suæ, veluti ancipitis gladij acie, eandem Dei matrem, generose etiam protegere & defendere conatur. Attente hoc sermone consideremus hæc prædictorum sanctorum Euangelistarum remigia. Et primo quidem à remo S. Lucæ faciamus initium.

CONSIDERATIO I.

Laborantes in remigando.

Purissima Beatissimæ Virginis Mariæ conceptio ex verbis Gabrielis Archangeli ad B. Virginem prolatis probatur.

2. AD proram huius admirandæ nauis S. Lucas sedet, qui dum verba illa, quæ Gabriel Archangelus tanquam legatus cœlestis, ad annunciandam verbi incarnationem à Deo missus, sanctissimæ Deiparæ dixit, describit, pro immaculatæ conceptionis Marianæ defensione & tutela pennæ suæ remo laborare censetur. Sunt autem verba illa, quæ sequuntur. *Aue gratia plena Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus.*

3. *Aue.* S. Bonauentura Archangelum Gabrielem per verbum istud *Aue*, initio salutationis positum, nihil aliud intendisse opinatur, quam vt significaret immaculatam eius ab omni culpa non solum actuali, sed etiam originali innocentiam: *Propter* Bonau in
omnimodam culpæ carentiam & immunitatem, specul. c. 2.
propter omnimodam innocentiam & puritatem, merito ei in principio salutationis dicitur: Aue. Et merito. *Væ* enim, vti S. Cardinalis explicat, significat *peccatum*: *Aue* autem est idem, quod *sine væ*, hoc est *sine peccato*. Vnde dum ei *Aue* dicitur, innocentia eius, qua ab omni & qualicunque culpa & peccato præseruata esse dignoscitur, declaratur.

4. Quod

4. Quodsi ex me quæsieritis, quonam modo mysterium istud Gabriel Archangelus scire potuerit? Respondeo varijs id illum modis scire potuisse. In particulari quidem ex gaudio & iucunditate, quam ipse in fœlicissimo conceptionis suæ die, vna cum cæteris Angelis in cælo inexplicabilem habuit. Quod si enim Deipara in conceptione sua ab vllo peccato maculata fuisset, vtique non solum non gaudere, sed potius contristari debuissent.

Spiritus Sanctus Deiparæ generationem sacro auroræ symbolo in canticis honorat: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* q. d. Qualisnam est ista, quæ haud aliter, quam aurora, generata est & nata? cur cælestis reginæ generatio ortui auroræ similis esse dicitur? Quantum mihi quidem videtur, ex nominis huius, *Aurora*, significato, causa eius facile conijcitur. *Aurora* enim imprimis idem significat, quod *aurea hora*. Hora aurea, non est hora argentea, ænea, aut ferrea, sed aurea. Adhæc hora nihil est aliud, quam tempus; vnde conceptio Beatissimæ virginis, ob nullam aliam causam, auroræ similis fuisse dicitur, quam vt per hoc, illam ad instar temporis vel ætatis aureæ fuisse innuatur; Et sicut nullum in ætate aurea regnabat flagitium, aut aliquem coinquinans peccatum, sed potius latino quodam Poeta teste puriſſima tunc præditi homines erant innocentia, & innocentissima simplicitate, in contrarietatem quasi ætatis argenteæ aliarumque.

Cant. 6. v. 9.

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo.
Sponte sua, sine lege fidem, rectumque colebat.

Ouid. metamorph. lib. I.

Sic in Dei magna parente, vtpote quæ in miraculosa sua conceptione fuit: *Quasi aurora consurgens*, hoc est, *quasi aurea hora*, sicut in ætate aurea nullum regnabat peccatum, haud secus quam si in statu originalis innocentiæ vixisset: *Quasi aurora consurgens.*

5. Quod si vero eidem nomini aliam interpretationem dare velimus, quæ ad nostrum apprime conducat propositum, reperiemus, hoc nomen *Aurora* etiam idem significare, quod *auium hora*. Idque significare poterit, quod sicut auium cantus nullam magis propriam sui horam habet, quam dum aurora nascitur, ipsamet Ecclesia dicente:

Aurora lucis rutilat,
Cœlum laudibus intonat.

Ita quoque Deiparæ conceptio auroræ orienti similis esse dicitur: *Quasi aurora consurgens*, quia in puncto siue hora conceptæ virginis, auiculæ paradisiacæ, idest, cælites & beati spiritus, præ gaudio cantarunt & iubilarunt. Id quod graue quoddam est argumentum, ipsam in Adam nequaquam peccasse, Quia si ipsa peccasset in Adamo, Angelis non gaudendi, sed potius flendi, occasio fuisset, prouti Origenes ex hac verbi incarnati sententia clare deducit, quæ dicit: *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pænitentiam agente.* vbi Adamantius dicit: *Si ergo gaudent pro conuerso, necesse est, vt lugeant pro peccante.*

Luc. 15. v. 7. Orig. Hom. 23 in Num.

6. Ecclesia Franciscana dicit cœlos ipsa hora conceptionis Matris Dei, ad instar mellis dulcoratos esse: *Mellifluique facti sunt cæli dum manu Domini fabricata es mater tanti Dei.* Sed vnde cælis in generatione Reginæ suæ tanta dulcedo accidit?

Breuiar. Francis.

Nostis vnde? vtique intellexistis aliquando id, quod in hac nostra Siciliæ Insula quondam accidit. Die enim qua Dionysius Tyrannus, vt Plutarchus refert, imperio Syracusano spoliatus & exutus fuit, tam ingens & vniuersalis fuit hominum insulæ illius lætitia, vt ipsum quoque mare iubilare & gaudere videretur; prodigiose namque à naturali se amaritudine purgauit, & instar mellis in dulcoratum fuit: *Mare vna die dulces potus & peramœnas præbuit aquas.* Simili modo, & pari quoque ex causa, cæli, cœlorumque habitatores, Angeli, in die illa, qua manibus altissimi fabricata est ipsa cælorum Regina, veluti saccaro & melle delibuti, indulcorati sunt. *Mellifl*ui *facti sunt*: Dæmonem quippe, crudelem mundi huius tyrannum, Dominio, quod sibi in animam virginis huius, illam, sicut & alios Adæ posteros sub peccati iugo constringendam credens, vendicabat, spoliatum & exutum viderunt; vnde ob fæliciſſimum hunc euentum, tantum Angeli in cælis fecere iubilum, tantaque lætitia gestierunt,

Plutarchus in Dione.

vt propter extraordinariam, insolitamque lætitiam, in saccarum conuersi & melle dulciores facti sint: *Melliflui facti sunt.* Et quidem quodsi aliter in Conceptione Virginis accidisset, certum est, potius amaritudinis & doloris felle, vti iam diximus, quam gaudij & lætitiæ, melle adimplendos fuisse.

7. Notandum autem in superiori Ecclesiæ Franciscanæ cantu non dici: *Mellei facti sunt: sed melliflui facti sunt. Melleus* enim significat rem melleam, *Mellifluus* vero dicit aliquid, quod mel distillat & spargit, cum igitur dicit, quod in die Conceptionis Patronæ nostræ, cœli melliflui facti sint; innuitur, cælos in fælicissimo hoc die, non solum indulcoratos, verum etiam melleam quandam dulcedinem foris & extra se sparsisse, & distillasse. Ad demonstrandum, ingentem adeo fuisse ipsorum lætitiam, iubilum & exultationem, vt illam intra paradisi margines continere non valentes, in terram abunde effuderint, mundumque hunc nostrum gaudij huius participem reddiderint.

Vnde Deipara Virgo cum S. Birgitta de conceptionis suæ puncto loquens, ita aiebat: *Cum anima mea sanctificaretur, & corpori iungeretur, tanta Matri meæ aduenit lætitia, vt impossibile esset dictu.* q. d. In illo puncto, quo anima mea creata fuit, & ne sordibus Adæ conspurcaretur, gratia fuit præuenta & corpori meo coniuncta, tanta fuit lætitiæ dulcedo in S. Anna matre mea, vt sit inexplicabilis. Quæ dulcedo de cælis procul dubio illi communicata, non vero à terra subministrata (vtpote quæ inexplicabilis erat) atque in eius animam instillata fuit, quippe quæ intra cælestium marginum terminos continere se non potuit.

S. Brig. Reu. l. 1, c. 9.

Imo mel istud in ipsiusmet quoque militantis Ecclesiæ cor dimanauit, atque descendit, vt proinde ex communi consensu, magnum in reginæ nostræ conceptione, solemneque gaudium & festiuitas in cælo pariter & in terra celebraretur. Enimuero quodnam in veritatis huius confirmationē maius argumentum habere possemus, quam quod diem illum, in quo ipsa concepta fuit, in cælo & in terra summo in honore habitum fuisse videamus?

8. Iob conceptionis suæ punctum, in quo ipse, sicut & omnes alij Adæ filij, originale contraxit peccatum, considerans, amarissimo ex corde plangere cæpit, & dixit: *Dies ille vertatur in tenebras, nec requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine.* Iob. 3, v. 4.

Quidnā obsecro Iob dicere voluit, quando Deum, ne conceptionis suæ diem de cælo vnquam requireret, rogabat? S. Thomas dicit: postulabat à Deo, ne Deus illum diuino vnquam cultui consecraret, aut solemnem illum atque festiuum faceret: *Deum non exposcere eum diem, vt sibi consecraretur aut festus dies solemnisque institueretur.* Valde igitur rationabile fuit huius sancti hominis desiderium, nec enim conueniebat, vt festiuus sit dies ille, quo anima illius in inimici Dæmonis potestatem reddita & captiua facta fuit, cum illa potius plangendi materiam subministret. Id quod de cuiusuis etiam alterius hominis conceptionis die, quo passim omnes in originalis peccati sordes incidimus, obseruari debet. D. Tho. apud Pined.

Deus conceptæ matris Dei diem, non solū, vti hodie passim videtur, valde honorauit in cœlis, illum inter omnes anni dies requirendo & numerando, tam glorioso illum lumine illustrando, illumque diuino suo cultui consecrando, & solemnem festiuumque faciendo, Verum etiam melleam tanti gaudij dulcedinem, fidelium suorum cordibus instillando, vult, vt pari consensu ipsa quoque terra vna cum Angelicis choris diem istum Diuinæ suæ consecrent maiestati, nec non & solemnissimam inde faciāt festiuitatem, prout fit de facto. Vnde & cōcludamus necessum est, Aduocatam nostram illo die puram ab originali macula conseruatam esse; nec enim alias tantopere festiuus atque solemnis hic dies esset.

9. Ordinauerat regius Dauid quondam solemnem quandam festiuitatem, quam cū vniuersali quodam totius populi iubilo celebrari, atque psalmorum cantibus, Psalteriorum sonis, tympanis, cytharis, buccinis, omnibusque alijs instrumentis musicis honorari volebat, dicebatque: *Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob. Sumi-* Psalm. 80, v. 2.

te psalmum & date tympanum, psalterium iucundum cum cythara. Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ. Ecquænam forte fuit ista festiuitas, quam magnus ille Iudææ Rex tanta volebat cum solemnitate celebrari? nimirum festum erat tale, quod lunæ nouæ consecrari debebat. *In Neomenia.* Festum igitur erat conceptionis immaculatæ Deiparæ Virginis, iam iam recens & nouiter generatæ, vtpote quæ à Salomone lunæ assimilata fuerat: *Pulchra vt Luna* Verum dic sodes mihi, ô Dauid, cur in die conceptæ Matris Dei tanta merito celebranda sit solemnitas, cum id dici conceptionis aliorum sanctorum minime videatur esse concessum?

Cant. 6. v. 9.

Auscultetis velim eam quam assignat rationem; nimirum: *Diuertit ab oneribus dorsum eius.* q. d. Ideo exultate, quia ab ingente originalis peccati pondere, quo omnes nos vniuersim, à primo generationis nostræ die grauatos esse conspicimus (ob cuius molestiam, quippe quod pondus habet in se insupportabile,) plangebat Dauid, dicens: *Miser factus sum & curuatus vsque in finem* Mater Dei ex singulari suo priuilegio exempta fuit, & libera, nam *Diuertit ab oneribus dorsum eius.* Nunquam horrendo illi iugo subiacuit, semper libera manens, semper sancta, pura, & immaculata: Atque ideo Iubilate, cantate, psallite, festiua gaudia celebrate. *Exultate Deo adiutori nostro.*

Psalm. 80. v. 7.

Psalm. 37. v. 7.

Quod si cœli & terra solemnem conceptionis cœli terræque reginæ diem, communibus paribusque votis & vocibus honorant & celebrant, iure merito ipsi cum S. Gabriele acclametur: *Aue*, hoc est, *sine va* sine culpa concepta, generata sine peccato, pura & immaculata.

10. Prosequitur Archangelus vlterius, dicens ei: *Gratia plena.* S. Hieronymus vult, plenitudinem istam, omnes continere diuinas gratias; *Cæteris per partes, MARIÆ vero tota se infudit gratiæ plenitudo.* Quod si vero omnes diuinæ gratiæ in anima virginis Matris sint congregatæ, affirmare certe necessum est, quod simul cum alijs, gratia originalis Innocentiæ congregata in illa fuerit, Quia, *Qui totum dicit, nihil excludit.* Estque hæc consequentia omnino necessaria. Gabriel ergo dicendo illi: *Gratia plena* vna cum alijs gratijs, puritatem quoque explicat gloriosæ huius animæ ab omni sordis originalis macula immunis.

S. Hieron.

Propheta de Syonis monte loquens, dicebat, *Quia illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in sæculum.* Vel meo iudicio, per montem Syon Mater Dei intelligi debet. Et quidem S. Gregorius Magnus vult, illam sub montis symbolo venire intelligendam: *Potest montis nomine Beatissima semper Virgo Maria, Dei genitrix designari.* Quæ insuper quoque Mons Syon vocari potest. *Syon* enim in sermone latino *speculum* significat, Beata virgo autem à sancta Dei Ecclesia symbolo speculi sanctitatis honoratur. *Speculum Iustitiæ.* Verum enim vero quid prodigiosi in magno isto monte videre est? *Illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam.* q. d. Huic Virgini, quæ per montem Syon significatur, cum totius mundi stupore, vno eodemque tempore simul concessa est benedictio, & vita.

Psalm. 132.

Greg. lib. 1. in 1. R. c. 1.

Eo tempore, quo Deus cunctis alijs hominibus vitæ concedit beneficium, id ipsum illis non aliter, quam cum pensione maledictionis originalis peccati concedere dignoscitur, vt proinde simul ac viuere incipimus, maledictioni quoque subiaceamus: cælorum Reginæ autem per fauorem quendam extraordinarium, simul cum vita concessit benedictionem: *Mandauit Dominus benedictionem & vitam* Nihil omnino de maledictione vniuersali participando, quia Deo illam ab Adæ peccato præseruare complacuit. Cuius quoque benedictionis ipsam oportuit esse participem, vt inueniretur in ea, vti dicit Archangelus, gratiæ plenitudo. *Gratia plena.*

11. Vnde maiori cum fundamento Matri Dei applicare id possumus, quod Iob de semet ipso dicebat: *vitam & misericordiam tribuisti mihi.* q. d. vna cum vita tu mihi ô Domine dare voluisti simul & misericordiam. Iob 10. v. 12

Qualis hæc vita, & qualis gratia fuerit illa, de qua sanctus propheta loquebatur, Hugo

Hugo Cardinalis hunc locum exponens, optime explicat: *Vitam scilicet naturæ, misericordiam scilicet gratiæ.* Quomodo tamen verba ista, non solum à Iobo, verum & à quolibet alio mortali homine, dici possint, non satis capere possum, cum non nisi ab ore Deiparæ Virginis, in hunc sensum dici valeant, quasi dicere vellet: O summe rerum omnium creator Deus, in eodem prorsus instanti quo me generasti, ex particulari tuo in me fauore, simul æque prompte inuentæ in me sunt vita naturalis, & vita gratiæ, cum enim omnes alij viuere incipientes, per peccatum quod contrahunt, spiritualiter moriantur: ego præter vitam aliud nihil cognoui, cum mors culpæ originalis, ad figendum in me pedem suum, nec tempus, nec locum habuerit, vtpote quæ per infinitam misericordiam tuam, per vitam gratiæ sollicite præuenta fuit: *Vitam & misericordiam tribuisti mihi.*

Hugo Card. ibid.

12 Sancta Ecclesia in officio B. Virginis, magnam hanc Dei parentem laudans, sic ait. *Felix namque es Sacra Virgo MARIA, & omni laude dignissima.* Mente retinete verba illa: *Omni laude dignissima*, & inuenietis, omnes quidem sanctos laude dignos esse, sed non omni laude dignissimos.

In off. B. Virg.

S. Petrus dignus est laude, vtpote qui fuit Apostolus, Sanctæ Ecclesiæ Dei fundamentum, princeps senatus Apostolici, ostiarius Paradisi, tantopere Christum diligens, vt præ nimio amantis sui amore, dolorosissimam crucis mortem, & tormenta libens sustinere voluerit: Non tamen est omni laude dignissimus, siquidem tribus vicibus amantissimum sui Magistrum negasse noscatur. S. Paulus laude dignus est; vtpote qui ab ipsomet Deo vocatus est vas electionis, & collum suum carnificis ensi submittens, sanguinem suum simul cum vita in fidei Christianæ confirmationem sparsit: Non tamen dignus est omni laude, quippe qui crudelis sanctæ Ecclesiæ persecutor extitit. S. Ioannes Euangelista dignus laude fuit, veluti qui virgo semper mansit, dilectus quoque Christi nepos extitit, cui denique cælum ipsum, alta adeo & occulta secreta manifestauit: sed non omni laude dignus fuit, ob ambitionem, qua locum super omnes Apostolos digniorem occupare prætendit. S. Ioannes Baptista laude dignus extitit, vtpote præcursor Christi, qui ab incunabulis mundum fugit, vitamque ipsam pro veritatis defensione contempsit: Non tamen omnem laudem meritus fuit, ob maculam originalis culpæ, quam sicut alij homines contraxit. Et sic quoad cæteros sanctos omnes discurrere licet, certissimè namque in vnoquoque Sanctorum suus reperietur næuus, qui suas sibi laudes quadantenus diminuat.

Sola duntaxat cælorum Regina, omnibus gratiis adeo repleta est, nec non & ab omnibus maculis sic aliena reperitur, vt sine vlla exceptione omnia præconiorum genera mereatur, vtpote *omni laude dignissima*; Nec enim laus aliqua valet excogitari, quæ de ipsa dici non possit. Nullus est honos aut gratia, aut virtus, aut innocentia, quæ de ipsa non valeant prædicari. *Gratia plena.*

13. Enimuero tametsi omnes sancti gratia respondeant sanctitatis, in hac tamen sine vlla comparatione Deipara magis refulget.

Id quod ipsa hisce primi capitis canticorum v. 11. altissimis verbis declarare voluit, dicens: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Qui locus ab Episcopo Christo-politano de incarnatione verbi explicatur, in qua Deus in Beatissimum Deiparæ virginis ventrem, velut in spatiosam deliciarum aulam descendit: *In accubitu suo, scilicet in thalamo Virginalis vteri mei.* Agedum cum in fælicissimo isthoc thalamo Rex noster cælestis reclusus esset, quid boni accidit? *Nardus mea dedit odorem suum*, hoc est, humilis persona mea, odoris sui sparsit fragrantiam.

Cant. 1. v. 11.

Valentia ibid.

Notate verbum illud suum, in hoc namque tota huius scripturæ vis & energia continetur. Imprimis tamen sciendum est, res odoriferas non eodem modo odoriferas esse: Alia namque habent odo-

 rem

rem suum, alia habent non suum odorem: Pelles & Chyrothecæ sunt quidem odoriferæ, sed odor ille non est odor suus, hoc est naturalis, sed artificialis, vtpote quo tales res ad pellendum naturalem fœtorem suum imbutæ sunt per condicturam ambræ, vel zibetij, vel albi ligustri: sunt denique alia odorifera, quorum odor est odor suus, non artificialis aut aduentitius, sed naturalis, qualis est odor rosæ, & aliorum florum, quorum illos natura generauit & produxit.

Nulli dubium est, quin omnes Sancti odoriferi sint, ex gratiæ sanctificantis odore, qui proinde vniuersim dicere possunt illud
2 Cor.2. v.15. Apostoli 2. Cor. 2. v. 15. *Christi bonus odor sumus.* Hic tamen sanctitatis odor, non est odor suus, quia animabus ipsorum à Deo est inditus, vtpote à ventre matris suæ peccatis obnoxijs, ad tollendum peccati fœtorem. Solus duntaxat Deiparæ virginis odor, est ex particulari sibi concesso priuilegio, odor suus: *Nardus mea dedit odorem suum.* Non quidem quasi fuerit independenter à Deo sancta, sed quia ipsi fuit congenitus, & in primo suæ conceptionis instanti ex ventre S. Annæ matris suæ concreatus, quasi naturalis, non vero artificialiter ad remouendum fœtorem peccati alicuius, quod in ipsa regnasset, aut notatum in ipsa fuisset, illi concessus, quo modo aliorum sanctorum animabus est infusus. Vt proinde gratia sanctitatis longe perfectius in Regina nostra resplenduerit, quã in aliorum sanctorũ animabus, vtpote quæ eo modo sancta existit, vt pro nullo vnquam tempore, aut instanti temporis peccatrix extiterit, Et ideo *omni laude dignissima est*; diuinisque gratijs ita repleta, & plena, vt in ea nec minima imperfectio aut effectus notari potuerit. *Gratia plena.*

14. Et merito quidem talis ei sanctitas & gratia obtigit. Quia Deus semper fuit cum ipsa, prouti subiungit Archangelus: *Dominus tecum:* quo igitur modo peccatum, aut alius qualiscunque defectus ibi locum habere potuit?

Audistis superius spiritum sanctum ipsam auroræ assimilasse; *Quæ est ista, quæ pro-*
Cant.6.v.9. *greditur quasi aurora consurgens?* Qua metaphora significare volebat, quod sicut omnis pulchritudinis, omnis splendoris & coloris qui in aurora conspicitur, sol causa sola existit, vtpote, qui radiorum suorum penicillis illam depinxit & colorauit. Cuius quidem operis in aurora perficiendi, curam & zelum tantum sol habet, vt à primo instanti, quo illam formauit, illam ne ad vnicum quidem temporis punctum derelinquat, sed semper illi assistens, vicinus perseueret, non solum illius conseruando pulchritudinem, sed illam quoq; tali modo augendo, vt nullæ ibi tenebræ reperire locum possint, quæ suam vel minimum obscurarent, aut deturparent venustatem.

Eodem modo Deipara virgo, haud secus ac aurora quædam: *Quasi aurora consurgens*, ab illo die, quo illam summus sol Deus manibus suis psalmauit; ab illo instanti quo illam formauit, & possibili ipsam decore & venustate decorauit, nunquã eam deseruit; sed pro maiori gratiarum & fauorum suorum incremento, semper sibi vicinam sibique coniunctam illam tenuit. *Dominus tecum.* Adeo vt peccati tenebræ, ad honores suos obscurandos, nunquam vllum in ea locum inuenerint.

Sistite hic nonnihil, totum enim istud lõge adhuc euidentius conspicietur, vbi duo hæc verba: *Dominus tecum*, nonnihil ponderauerimus. Quæ vti procul dubio vos quoq; obseruatis, ibi sine vllo verbo posita, aut terminata consistũt, quod tempus determinet, quo Deus Gloriosæ virgini præsens adfuturus esset. Notate enim Archangelum non dicere: *Dominus est tecum*, aut *erit*, aut *fuit* tecum, sed tantum *Dominus tecum*: vt proinde nonnemini videri posset, cælestis huius legati sermonem truncum esse, suoque complemento debito destitutum. Quo fine igitur non declarauit tempus, quo Deus vna cum ipsa futurus erat?

Id breuiter edicam, voluit S. Gabriel vti imperfecto hoc loquendi modo, idque non alio fine, nisi vt innueret per hoc Deum quouis tempore, absque vlla temporis determinatione esse cum Beata Virgine, tam tempore præsenti, quando cum illa Angelus colloquebatur, quam in præterito, aut in futuro; nunquam discessit ab illa, semper cum illa fuit, eique proximus astitit, ad eum prorsus modum, quo

sol

sol auroræ proximus semper est atque vicinus.

Vt proinde Doctor Seraphicus dicat, quod dum Archangelus Reginæ ac Dominæ suæ dicebat: *Dominus tecum*, idem id fuerit, ac si dixisset. *O Maria Dominus tecum fuit, tecum est, tecum erit, tecum vtique sicut sol cum aurora.* Deus enim à prima hora, qua illam creauit, semper ei astitit, illam diuinæ suæ gratiæ splendoribus illuminãdo, neque per quoduis minimum instans illam deserendo. Adeo vt tempus non fuerit, quo in Beata isthac anima, qualiscunque tandem culpæ tenebræ ad illum obscurandam & à primæua pulchritudine deijciendam, aliquem obtinere locum potuerint. *Dominus tecum.*

Bonau. in speculo virt. c. 9.

15. Vnde nulla alia creatura conformiter ad hunc sensum, sola Deipara excepta, dicere vnquã poterit id, quod Dauid Psalm. 138. dicebat scilicet: *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.*

S. Bruno in hunc locum dicit, quod formare, non significet absolute facere, sed rem aliquam pulchram facere, vnde à verbo *formare* deriuatur ly *formosus*. Vnde cum Deipara creatori suo diceret: *Tu formasti me*, dicere volebat: Tu me super omnes creaturas alias incomparabiliter pulchram facere voluisti, prouti reapse verè fuit, siquidẽ mundus quoadusque stetit, nunquam creaturam aliquam, ex ijs, quæ de manibus eius egressæ sunt, vidit ipsa pulchriorẽ. Et quidẽ hæc omnia optime dicta sunto. Verũ enimvero, qui fit, quod Deus postquam vltimum perfectionis & pulchritudinis suæ complementum Beatæ virgini attribuit, suam tamen super ipsam extensam manũ retinuit? *Posuisti super me manum tuam.*

Respondet S. Patriarcha prædictus: *Ne aliquatenus à formositate illa deficiat.* q. d. Postquam Deus illam creauit, manum suam iam deinceps ab ipsa remouere noluit, non enim illam pulchram duntaxat facere, sed etiam concessam pulchritudinem conseruare voluit, eandemque ab omni eo, quod deformare illam poterat, defendere, semper illi potenti manu sua assistendo, nec se quicquam ab ipsa elongando. *Dominus tecum.* adeo etiam, vt ob ordinariam omnipotentis Dei assistentiam, nec originalis culpæ macula, nec vllus peccati actualis, tametsi venialis & minimi, defectus, admirabile pulchritudinis suæ lumen, vel vnica etiam duntaxat vice obscurare potuerit.

S. Bruno ibid.

16. *Benedicta tu in mulieribus* (quæ sunt S. Gabrielis postrema verba, ad probandam Aduocatæ nostræ ab originali peccato innocentiam apprimè seruientia) inquit S. Bonauentura: id est *Benedicta plusquam omnes mulieres.* Soli ipsi namque admirabile istud concessum est priuilegium & negatum omnibus aliis.

De hoc priuilegio, quo nostra cælorum Regina, ad inuidiam omnium cæterarum mulierum perfruitur, Spiritus Sanctus cap. 1. Cantici Canticorum tractabat, dicens: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* q. d. O sponsa mea dilecta, ad maiorem pulchritudinis tuæ gloriam, decreuimus aliqua tibi fabricare monilia aurea, murenularum figuram referentia. Cant. 1. v. 11.

Vbi notandum, quod Clemens Alexandrinus & Iulius Pollux dicant, veteres Mulierum monilia & torques antiquitus formari solitos fuisse ad formam vnius serpentis, qui in circulum sese retorquens, & caudam ori inserens, illarum circumdabat & ornabat collũ. Vnde hoc supposito, quod videlicet monilia ad formam serpentis cuiusdam fieri consueuerint, merito quæri potest, qua de causa Spiritus Sanctus, virgini sponsæ suæ monile aliquod fabricare parans, illud in serpentis figura formare noluerit, sed potius in murenæ cuiusdam figurã illud conflauerit: *Murenulas aureas faciemus tibi.*

Clemens Alexan. ped. lib. 2. c. 12. Pollux lib. 5. c. 6.

Audite causam, si placet, inquit S. Basilius Murena namque filia est serpentis, qui dum pro murenæ generatione mari appropinquat, veneno prius euomito, postea pisci commiscetur. *Venenum iacutante bestia vnitur.* Vnde accidit, quod tametsi murena serpentis sit filia, ipsa tamen venenosa minimè existat, ad instar aliorum partuum, quos retento secum veneno generauit. Hoc igitur supposito notandum, quod dum Spiritus Sanctus Deiparam alloquens dicit: *Murenulas aureas faciemus tibi*, idem hoc sit, ac si diceret: suæ alijs mulieribus, ad ipsarum ornamentum maneant serpentum imagines, vtpote talibus, quæ origina-

Basil. hexam. hom. 7.

ginalis peccati contraxere culpam, & veneni toxico imbutæ existunt, accepto nimirum à parentibus suis peccati veneno: Ex particulari tamen gratia nostra, monilia tua sub noua & insolita hactenus murenæ figura tibi fabricabuntur, vtpote cui plurimum persimilis existis. Tametsi enim ex patre & matre peccatoribus sis progenita, non tamen ob id in te transfusum est peccati venenum, haud secus enim quam si te generando, nullo imbuti veneno fuissent, ita tu post generationem tuam sancta & immaculata permansisti, absque vlla culpa & sine macula: *Murenulas aureas faciemus tibi* Vnde magnus ille Damascenus altissimum hocce mysterium obstupescens, exclamat: O *beatos Ioachimi lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen profluxit! O præclarum Annæ vuluam, in qua tacitis incrementis ex ea auctus atque formatus fuit fœtus sanctissimus.* O beatos vos Ioachim & Anna, vtpote qui sanctam adeo & innocentem genuistis filiam? cum enim cæteri patres & matres vtpote peccatores, similes quoque sibi, peccatores generent filios & filias: Vos aliorum quidem hominum instar, primo peccato obnoxij, & peccatores, immaculatam & sanctam, atque à primo peccato maxime alienam produxistis MARIAM. Ecce tibi igitur gratiam, qua cælestis Paradisi Regina cunctis alijs supereminuit mulieribus *Benedicta tu in mulieribus*, id est, *benedicta plus quam omnes mulieres.* Verum enimuero sat temporis S. Lucæ indultum fuit, quo calami sui, siue pennæ remo, magnam Dei Matrem ab originali peccato defendendo, fæliciter remigauit. Nunc ad puppim quam S. Matthæus occupat transeamus:

Laborantes in remigando.

Damasc. orat. 1. de natiuit. B. Virg.

(⁂)

CONSIDERATIO II.

Laborantes in remigando.

Maternitas Dei Achilleum est, in confirmationem immaculatæ conceptionis Reginæ cælorum, argumentum.

1. CVm Deus ad saluandum genus humanum, de cælis in terram descendere, ibidemque futurus homo, carnem & sanguinem, de carne & sanguine Beatissimæ virginis assumere, atque ab eadem nascens, eandem in matrem suam eligere dignatus fuerit, valde conueniens, rationique consentaneum videtur, vt exinde vel vt Achilleo argumento originalem tam gloriosæ matris innocentiam concludamus; nec enim scirem, quo rationis pallio me possem obtegere, si contrarium huius præsumerem asserere. Meo etenim iudicio, omnes vniuersim rationes, cunctæque congruentiæ suadent, & euidenter euincunt, ab originali macula præseruatam esse illam, atque immunem, quam cælum ad admirabilem maternitatis Dei elegit honorem. Vnde S. Matthæus Euangelista, dum diuino pennæ suæ remo, ad magnam & mysticam hanc nauim, à peccati originalis periculoso naufragio saluandam laborat, efficacissimum hoc maternitatis altissimi argumentum efformat. *De qua natus est IESVS.*

2. S. Ambrosius per fiscellam illam, cui Moyses adhuc infans inclusus, & super Nili aquas expositus fuit, Beatam Virginem intelligit, in cuius ventre Christus, per Moysen significatus, inclusus fuit. *Per fiscellam vero scirpeam B. Virgo Maria designata est, Moyses Christum figurabat.* Vocata est fiscella hæc *Scirpea*, eo quod de iuncis esset facta; *Scirpus* enim est iuncus virgula nimirum nota, quæ inter aquas nasci & germinare solet. Verum enim verò, quodnam est istud mysterium, quod Dei mater scirpeæ siue iunceæ fiscellæ assimiletur? Nunquid melius ab armario quodã ex Ebano, cedro, aut alio quodam pretioso ligno fabricato duxissent analogiam seu comparationem?

Exodi 2. v. 3.

Ambr. in c. 6. Apoc.

Mysterium hoc penetrari, seu capi non

pote-

Tostatus ibid. poterit, nisi id quod Tostatus in hunc locũ scribit, annotetur. Hic enim dicit, quod iuncus sit herba, *sine nodo*, de qua Terentius ait: *Inimicus nodum quærit in scirpo, quasi dicat,* *Terent. in Andria act. 5 scena 4.* *quærit inuestigare, quod impossibile est.* Vnde Deipara nulla alia de causa non comparatur armario cuidam ex Ebano, Cedro, aut alia pretiosa arbore facto, sed fiscellæ scirpeæ, nisi quia sicut cunctæ aliæ arbores nodos suos habent, solo iunco siue scirpo excepto, in quo nodum inuenire impossibile est. Ita quoque impossibile sit, nodum inuenire in Dei matre, tametsi in alijs cunctis hominibus inueniatur.

Per nodum Ecclesia Franciscana peccatum originale intelligit, dum enim de immaculata Beatissimæ Virginis agit conceptione, dicit: *Hæc est virga in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Vnde quando Deipara fiscellæ scirpeæ, in qua impossibile est nodum reperiri, similis esse dicitur, hoc solum innuitur, quod in Beatissima ipsius anima, non solum originalis peccati nodus non reperiatur de facto, sed etiam quod impossibile sit eiusmodi turpem nodum in eadem reperiri posse. Et merito quidem dare debebat Deus Beatissimæ Virgini tantæ puritatis & innocentiæ donum, vtpote quæ mystica illa fiscella, siue armariolum futura erat, in qua Moyses mysticus seu potius Deus Moysis recluderetur. *De qua natus est IESVS.*

3. Seraphicus Pater S. Bonauentura de Deipara loquens, inquit: *O lilium Angelicum, O vere flos cœlestis, quem tantum dilexit* *Bonau. in spec. cap. 16* *apis illa super cælestis, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum, quando ad ciuitatem Nazareth, quæ interpretatur flos, aduolauit, & ad suaueolentem perpetuæ virginitatis florem peruenit illic insedit, illic inhæsit.*

Quid existimatis sanctum hunc Doctorem demonstrare voluisse, quando verbum æternũ pro sui incarnatione de cælo descendens, sub Apis descripsit symbolo quæ in terrã deuolans, nullibi præterquam in gremio, Beatæ Virginis, veluti floris super cælestis: requiescere voluit? Aliud certe nihil demonstrare intendit, nisi immaculatam ipsius puritatem.

Marcus Varro refert de apibus, illas adeo puritatis amantes esse, vt nũquam in loco aliquo malo odore imbuto, aut alijs sordibus inquinato, visæ sint morari aut requiescere: *sequuntur omnia pura; itaque nulla earum* *Mar. Varro de re rustica, c. 10.* *assidebit in loco inquinato, aut in eo qui male olet.* Ecce tibi rationem, cur sub Apis symbolo descriptum sit verbum æternũ, vt videlicet per hoc innueretur, puritatem apud ipsum tantæ esse existimationis & ponderis, vt non tantum non resideat in loco aliquo impuro, verũ ne quidem etiam in eo, qui aliquem impuritatis habeat odorem vel speciem. Et vt per hoc, quod de cælo deuolãs, in florido Beatæ virginis gremio requiescere, & commorari voluerit, ibidẽq; homo factus, nouẽ mensibus [illegible] ludi, eundẽ præbeat puritatis virgineæ, quã in hoc cælesti flore reperit, argumentũ, vtpote quæ procul omni dubio tanta est, vt non solũ nulla in ea videri possit peccati alicuius impuritas, sed ne vel minimum quidem peccati vestigium, seu fætor, secus enim illam haud dubie dedignatus horruisset.

4. Hanc gratiam, quã S. Gabriel Archangelus dixit B. Virginẽ inuenisse: *Inuenisti gra-* *Luc. 1. v. 30. Idiota consid. 6. de B. Virg.* *tiam apud Deum* Eruditissimus Idiota de immaculata eius conceptione vult intelligendã esse: *Inuenisti virgo Maria gratiam cælestem, quæ fuit in te ab originali labe præseruatio.* Porro quisquis ad vim huius verbi: *Inuenire* Bene attendit: vix poterit locum istum absque profunda quadam ponderatione dimittere:

Nonnemo apud Alexandrum Neapolitanum dicit: Ly *inuenire*, idem esse, quod rem *Alex. ab Alex lib. 6. c. 21.* aliquam prius magno cum studio & diligentia quæsitam, reperire. Et quidem ne multos prophanorum authorum libros reuoluamus, in ipsomet Euangelio exemplum ad manus habetur, de bono pastore, qui inuenta oue, quam tot diebus, tantaque cum diligentia & laboribus quæsierat, hoc eodem verbo vti voluit, & dixit *Inueni ouem meam quæ perierat.* *Luc. 15. v. 6.*

Quod si igitur Inuenire, idem significet, quod rem aliquam, prius cum diligẽtia non modica quæsitã, reperire: Ex altera vero parte indubitatum sit, atque certissimũ, cælorum Reginam suæ conceptionis puritatem, non solum nunquam quæsijsse; ipsa namque antequam genita esset, nequaquam in

rerum

rerum natura existebat, quod autem in rerũ natura reuera non existit, nihil quoq; petere potest, cum ipsum nihil sit. Quomodo igitur Angelus dicit, ipsam gratiam immaculatæ conceptionis & quæsiuisse & inuenisse? *Inuenisti enim gratiam apud Deum*, cum illam nunquam quæsierit.

Nulli dubium est, quin B. Virgo gratiam istam nunquam quæsierit, aut etiam quærere aut petere potuerit, vtpote quæ eo tempore, quo petere gratiam illam debebat, nondum creata fuerit; nihilominus tamen B. Virginem hanc gratiam quæsijsse dicit, eo quod meritum & excellentia admirabilis dignitatis, quam vt mater Dei habebat, & ad quam Deus ipsam ab æterno eligeret, honorem istum excellentissimum & requirebat & expetebat. Sicut enim dum nobilis aliqua mulier, ex pretioso quodam panno, quantum pro vestimento sufficere possit, decerpit, cui alias ratione status talis ornatus meritò conuenit, in tali casu dici communiter solet; pannus hic talem vel talem expostulabat, aut petebat nobilem Dominam; non quasi pannus ille linguam habeat, & verba articulatè formando, tale formando, tale ornamentum exposcat; minime: sed ita dici solet ob panni præstantiam, quæ talem Dominam censetur exquirere. Simili modo postquam Deus semel magnā hanc Dominam nostram, in suam sibi matrem adoptauit, mox supercælestis dignitatis huius excellentia, originalis innocentiæ in illa puritatem expostulabat; siquidem minimè conueniret, vt vel culpa, vel macula, aut defectus aliquis notaretur in ea, quæ Deum paritura erat, cui meritò omnis possibilis conuenit innocentia.

5. Dum spiritus sanctus B. Virginem ad altissimam maternitatis Dei vocaret coronam, ita illam alloquebatur: *Veni de Libano, Sponsa mea veni de libano, veni coronaberis.* S. Hieronymus hunc Scripturæ locum explicans dicit: *Non immerito igitur venire de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur, erat enim candidata multis meritorum virtutibus, & dealbata niue cãdidior.* Notate verba illa: *Niue candidior.*

Cant. 4. v. 8.

Hieronym.

Quî fit quod sanctus hic Doctor candorem Deiparæ declaraturus, analogiam non à lino, aut bysso, quæ sunt candidissima & albissima, sed à niue desumpserit? quantum ego quidem persuadere mihi possum, nec à lino, nec à bysso comparationem desumere voluit, quia tametsi illa valde sint alba, non tamen semper alba fuêre, prouti in lino facile est videre, quod prius nigrum est, postea verò album redditur; neque albedinem valet in se recipere, nisi post multas longasque purgationes. Idemque de bysso dici potest, vtpote quæ certa quædam est lini species, tametsi lino longe sit pretiosior. Nix autẽ nunquam nigra, sed semper alba extitit, neque ex quo in aere fuit genita, siue producta vllius vnqum pro sui candidatione purgatione opus habet.

Huiuscemodi erat candor puritatis in sanctissima aduocata nostra: *Niue candidior*, imo incomparabiliter fuit illâ maior. Ex quo concepta & genita fuit, semper candida & sancta, semper pura fuit & immaculata, absque eo quod vlla vnquam sanctificationis purgatione opus haberet, vtpote quam Deus semper custodiuit, & ab omni possibili macula præseruauit. *Niue candidi* Et merito tali candore adornata illa esse debebat, quæ vt maternitatis Dei honoraretur corona, à spiritu sancto vocata erat: *Veni de Libano, sponsa mea, veni de libano, veni coronaberis.* Valde namque qualiscunque impuritas cæleste illud dedecebat palatium, quod cælesti puritati nouem mensibus hospitandæ dedicatum erat. *De qua natus est IESVS.*

6. Refert Philo Hebræus, quod postquā Deus corpus Adæ formare iam decreuerat, veluti si opus aliquod maximi & extraordinarii ponderis & momenti facturus esset, non quamlibet sibi obuiam terram pro hoc opere faciendo adhibere voluerit, sed cum exquisitissima diligentia, ex omnibus mundi partibus selectam quandam & puram terræ portionem adduci fecerit, indeque adhuc meliores partes elegerit, quas ne quibusdam permixtæ essent imperfectionibus, primo diligenter colere & purificare voluit, atque sic tandem ad opus aliquod inde formandum manus suas applicuerit: *Non ex quauis terra parte seu humo sumpta, videtur Deus, hanc humana specie statuam formare voluisse summa cum diligentia, sed selecta vndequaque optima, ex pura materia, & id quod*

Philo de mundi opif.

in erat

inerat purissimum excolasse accurate quod maximè ad hoc opus erat.

Quidnam obsecro magni Deus facturus erat, quod tot hac in re vti voluerit cæremonijs & industrijs? insistebat formando mortali cuidā & corruptibili corpori, quod in puluerem & cinerem mox redigendum erat, vt proinde videri non nemini haud immeritò possit, pro tali fabrica congruam satis fuisse quamcunque cuiusuis terræ speciem. Respondet Philo: Deum in tali opere non ad corpus Adami respexisse, sed ad animam, quam eo in corpore, veluti in sacrario vel templo quodam collocaturus erat, vt dignus esset locus, ad continendam & circūdandam spiritualem hanc substantiam, quæ viuum quoddam diuinitatis esse debebat simulachrum: *Domus enim ac templum sacratum fabricabatur rationali animæ, quo illa diuina imago circumferri debebat.* Quodsi igitur ob animæ ipsius Adæ respectum, quæ breui peccatrix, Deoque futura erat rebellis, & Diabolico subiecta remanere imperio, & mortis esca fieri debebat, cum tanto studio, tantaque cum diligentia, corpus illud formare voluit, cui illam infundere parabat, puram illi adeo quærendo & inuestigando materiam, atque ab omni sorde purgatam: pensate obsecro, quantam in corpore & anima Beatæ Virginis requisierit, quæ non iam diuinæ alicuius imaginis, sed ipsiusmet Dei templum esse debebat & sacrarium? vel ob hunc vnicum respectum duntaxat, caue suspiceris vllam vnquam in Deipara Virgine fuisse cuiuscunque demum culpæ etiam originalis maculam.

7. Quodsi filij Israel causam nosse desiderant, cur illos ex Ægypto egredi & fugere iusserim (ita Deus Moysi quondam loquebatur) dicam eis id factum esse hoc fine, vt manere ac morari possem cum illis: *Eduxi eos de terra Ægyti, vt manerem inter illos.* An non Deus tam in Ægypto, quam foris extra Ægyptum manere in Hebræorum poterat societate? quid igitur impediuit illum, quo minus in Ægypto commorari cum populo suo nequiuerit, necessum fuit, vt pro continuanda sua cum illis societate, foras ex Ægypto se ad interiora deserti reciperet?

Exodi 29. v. 49.

Oleaster huius rationem assignat, & dicit, Deum adeo abominari & exhorrescere peccati spurcitiem, vt ne quidem cum sanctis suis commorari valeat, quādiu hi in ijs sese locis continent, quæ simili peccatorum spurcitie contaminata existunt: *Quamdiu inter immundos versantur pii, licet cum eis Deus sit, non tamen moratur inter eos, quoniam à sordibus abhorret.* Oleast. ibi

Ægypti regnum ab innumeris tunc inhabitabatur idololatris, qui Dæmonem varijs sub formis adorabant, vnde peccatis varijs, innumerisque referta erat sceleribus. Quia vero Deus valde tales abominatur spurcities, ideo in infamibus locis istis nequaquā cum illis demorari sustinebat, quamdiu ipsi, tametsi amici sui essent, inter illos commixti idololatras erant. Ac proinde, vt sua illos iuuare & honorare diuina præsentia posset, inde illos egredi iussit, alias procul semper ab eis absuturus. Adeo namque loci illius, in quo moratur, zelotypus est, vt satis explicari nequeat, quantopere locum illum horreat & abominetur, qui peccatorum sordibus prophanatus esse reperitur. Intelligitisne quidnam ego ex eo, quod hic dico, contendam concludere? Hoc videlicet corolarium: quodsi Deus peccatum tantopere abominatur & horret, vt cum amicis suis in locis ijs, in quibus fœtor percipitur peccati, comorari detrectet, qua ratione concipere vultis ipsum commoratum fuisse in Virgineo matris suæ vtero, si in eius anima locus datus fuerit peccato: ex diuturna illa, quam in gremio Virginis protraxit, mora, facile vobis erit argumentari, adeo procul semper ab ipsa abfuisse peccatum, quantum abest à cælo.

8. Non est dubium, quin eodem prorsus tempore, quo Beata Virgo electa est, vt esset mater altissimi, electa quoque sit in Reginam vniuersi. Vnde vbi ipsa conformiter ad vulgatam dicebat: *Ab æterno ordinata sum.* Prov. 8. v. Alia quædam litera legit: *Ab æterno coronata sum.* 23. Quæ literæ seu modi legendi simul cōiuncti hunc sensum pariunt: ab æterno ad maternitatis Dei honores, & ad regni sui coronam electa sum.

Vnde ex ijs, quæ illa dicit, habemus, quod quando B. Virgo concepta & generata est, eodem quoque momento temporis Domina iam & Regina extiterit; quodsi ita est, quomodo nonnulli ipsam originale pecca-

tum contraxisse volunt? In Regno Siciliæ, antiqua quædam lex est, nostris etiamnum temporibus obseruata, videlicet, quod tametsi omnes omnino fructus, quotquot ciuitatem inuehuntur, certis suis subiecti sint gabellis, vrbemque, vti dici solet, adinstar mancipij subingrediantur. Malagranata tamen & Mespili, ab omnibus eiusmodi exactionibus immunes sint & liberi. Vnde autē existimatis motum fuisse legis illius conditorem, vt fructus hosce ab ordinario tributo, cui cæteri omnes subiacent, exemptos pronuntiarit & liberos? Nimirum mouetur ad id valde rationabili de causa, quia scilicet coronati fructus sunt, vrbemque veluti Reges & Reginæ subinferuntur. Neque enim conuenit, vt ipsi quoque reges & reginæ subiecti sint gabellis aliisque Vasallorū grauaminibus Itane? Quomodo igitur dici poterit, Deiparam per conceptionis portā, in præsentis vitæ vrbem, ingenti illa splendidissimaque corona vniuersalis Dominij Regnorum cœli & terræ, redimitam ingredientem, obligatam esse ad soluendum ordinarium peccati originalis tributum, quod cæteri omnes soluere tenentur.

9. S Bernardus de infamia, quæ generationi humanæ ex Adæ peccato, veluti hæreditariæ adhæsit, loquens, dicit: *Portamus omnes impressum nobis cauterium conspirationis antiquæ:* Cauterium est indelebile quoddam signum, ferro quodam ardenti fronti mancipiorum in signum seruitutis suæ impressum, quod signum, vti scribit Cœlius Rhodiginius, olim Iudices sceleratorum quoque facinorosorumque frontibus imprimere solebant. Vnde *stigmatici* appellabantur.

Bern serm. 72. in cant.

Cœlius Rhodig.

Dicit igitur S. Bernardus, videte in quantam infamiam per peccatum primi parentis nostri Adæ redacta sit humana posteritas, vtpote mancipium facta, & Dæmonis dominio subiugata, infame illud continuo portat faciei suæ impressum cauterium, quod deleri in nobis minime potest, ita vt quocūque eamus, serui & mancipia Dæmonis esse, vel fuisse, passim ab omnibus cognoscamur. Vnde si Deipara non minus, quā omnes alii homines, in Adamo peccasset, originalēque contraxisset culpā, necessariū quoq; fuisset, vt faciei suæ impressū quoq; humanæ ignominiæ, & veteris sub Dæmone perpessæ seruitutis portaret cauteriā Et quid in eiuscemodi casu, de Dei dicendū esset omnipotētia, an non quod in sponsā & in matrē suam talē elegisset fœminā, quæ Dæmonis aliquādo fuisset mancipiū, atq; antiquæ huius seruitutis impressum in fronte deferret vestigium? Nunquid aliquē honoris maiestatis suæ habere debuisset respectū, matremque suam tali ac tanta liberare ignominia? aut cur id facere nollet, cū merito id ab illo & fieri deberet, & facere posset? omnis certe ratio recta vult & conuincit, Deū nequaquā maculam aut peccatū in anima illius permittere debuisse, quā in matrē suam sibi placuit eligere. *De qua natus est Iesus* Vbi tamen aduertendū est, me minime ob hasce rationes dānatam velle contrariam circa hocce mysterium opinionem.

CONSIDERATIO III.

Laborantes in remigando.

Tametsi Deipara Virgo immunis ab omni peccato extiterit, non tamen inde sequitur, ipsam à peccato non fuisse redemptam.

1. EX eo quod sanctissimam aduocatam nostram in Adamo minime peccasse dicamus, nequaquā sequitur, concludendum esse, ipsam pretiosorū fructuum passionis & mortis vnigeniti Dei sui minime fuisse participem. imo quia minime in Ada peccauit, hinc potius sequitur, ipsam maiori cū honore maiori q; cū excellentia participij passionis Christi fuisse consortē, hanc namq; à peccato innocentiā & immunitatē, aliunde nō habuit quā ex virtute mortis & effusi sanguinis filij Dei; hic enim sicut omnes fideliū animas vniuersim purgauit, ita quoq; & ipsā ab vniuersali humani generis macula præseruauit, atq; defendit. Vnde S. Ioannes Euangelista, qui ad malū S. Crucis substitit, dū volāte calami sui remo, sublime fortiterq; remigādo, ipsā eo tēpore, quo filius eius suū in terra spargebat sanguinē, ac moriebatur, iuxta crucē stetisse scribit: *Stabat iuxta crucē IESV mater eius,* honores illius sibi ex præseruatione originalis peccati natos, atque ex efficacia virtutis sanguinis Filij Dei acquisitos explicare videtur. Id quod in præsenti consideratione plenius videbimus. *Ioan. 19. 40.*

2. Hugo Cardinalis docet sublimissimū illū, omniq; maiestate plenissimū thronum

super firmamentum eleuatum, & ab Ezechiele propheta visum, atque ex synceriſſimo, & genuino ſapphyro constructum, & fabricatum. *Et ſuper firmamentum quaſi aſpectus lapidis ſapphiri, ſimi itudo Throni*, Deiparæ Virginis ſymbolum eſſe docet. *Thronus ſapphirinus eſt B. Virgo, quæ exaltata eſt ſuper firmamentum, id eſt ſuper choros Angelorum.*

Ezech. 1. v. 16. Hugo Card. ibid.

Operæ pretium eſſet circa hunc ſcripturæ locum cauſam inquirere, ob quam ipſa Dei matris in cælos eleuatæ pulchritudo, ſub ſapphyri depingatur ſimilitudine? Eſt autē hæc, nimirū, vt innueretur, omnes gratias, quibus anima eius venuſtatur aut honoratur, à valore & merito ſanguinis dilecti filij ſui procedere. Referunt philoſophi naturales, & ſpecialiter quidem Albertus Magnus ſapphyrū eſſe pretioſiſſimarū, quæ vſpiā reperiri poſſint, gemarum præſtantiſſimā, quæ pretium valoremq; ſuum, in nonnullis quas natura in ipſum expreſſit, coloris ſanguinei impreſſionibus explicat *Ad rubedinem declinātes* Hoc igitur ſuppoſito Dico Reginam cælorū ob nihil aliud dici Thronū ſapphyrinū: *Thronus ſapphyrinus*, niſi vt per valorē & virtutē illius gemmæ, ſuarū innuatur cauſa gratiarū; nec non vt vnicuiq; qui illā conſiderās, admiraretur, patefaceret, excellētias ſuas à ſacris illis impreſſionibus proficiſci, quas ſanguis Filij ſui in anima ſua dignatus eſt explicare; vt hac ratione cuilibet innoteſceret, hoc quod eſt ipsā gratijs dignā eſſe, maxime gratia originalis innocentiæ, quæ locū ſuū inter primas habet, ob quas in toto mūndo tantæ eſt dignitatis & excellentiæ, hoc tantū inquā ex virtute ſanguinis filij ſui ipſi fuiſſe conceſſum, tanquā pretioſo cuidā ſapphyro: *Thronus ſapphyrinus*, qui rubicūdis illis impreſſionibus deſtitutus, tantæ præſtantiæ futurus nequaquam eſſet.

Alb. Mag. de rebus natur lib. 2. v. 7.

3 Ipſametin canticis ad fontē, vnde omnes ſuæ venuſtates & excellentiæ deriuātur, reſpiciēs, ita dicebat: *Ego flos cāpi, & liliū conualliū*, vbi Sanctes Pagninus legit: *Ego roſa cāpi, & liliū conualliū* Quibus in verbis notandū, quod primo dicat ſe eſſe roſam, quæ eſt flos coloris rubei, & poſtea ſe lilio aſſimilet, quod eſt mire candidū. Cū tamē duo iſti colores, hoc ordine quo hic recenſentur, non videntur poſſe introduci, tametſi enim id, quod albū eſt, rubeo colore tingi poſſit, attamē quod rubeū eſt, albū fieri nequit. Et ideo quod ſi primo appellata fuiſſet liliū, & poſtea roſa optime dixiſſet, hic vero retrogrado ordine dicit. Quomodo igitur poſtquā rubea fuit, alba ſiue cādida fieri poterit?

Cant. 2. v. 1.

Verū enimuero quia de animæ coloribus loquitur, qui lōge diuerſas ſiue alias diſpoſitiones requirūt, quā colores corporales, ideo facili negotio nodus diſſoluitur. Candidus animæ color, qui nihil eſt aliud, quā ſanctitas & innocentia, per quam gratia diuina illam candidā reddit & albificat, nullo modo introduci poteſt, niſi anima prius rubore tingatur ſanguinis Chriſti. Vnde ſancti illi, de quibus S. Ioannes in libro reuelationum ſuarum loquitur, candorem in veſtimentis animarum ſuārum obtinere nequaquam potuerunt, niſi illa primo in roſeo & pretioſo mūdi Redemptoris ſanguine immerſiſſēt & intinxiſſent. *Lauerunt & dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni* Ad ſpirituales hoſce colores Deipara reſpexit, quando dicebat: *Ego roſa campi & lilium conuallium*. Primo ſe rubeam fuiſſe dicit, poſtea vero albam & candidam, primo Roſam & poſtea lilium: non vero econtrario, innuere volens, candorem & puritatem animæ ſuæ, quæ vti ſupra audiſtis, niuium excedebat candorem, ſibi conceſſam minime fuiſſe, niſi poſtquam immerſa & intincta fuiſſet in pretioſiſſimo ſanctisſimi Redemptoris ſui ſanguine, ad ſignificandū, ſingularem gratiam per primitiuæ innocentiæ candorē ſibi collatā, ex virtute & efficacia, & merito ſanguinis vnigeniti Filij ſui ſibi fuiſſe conceſſam: *Ego roſa campi & lilium conuallium.*

Apoc. 7. v. 14.

4 Beata virgo ſanctiſſimo Archipræſuli Anſelmo reuelauit, quod eo tēpore, quo lachrymabunda & afflicta cruci aſtaret, veſtē ſuam, quæ illā iuxta patriæ illius conſuetudinē, à vertice ad pedes vſq; cooperiebat, ex omni parte tinctā & coloratā fuiſſe ſanguine è vulneribus dilectiſſimi filij copioſe dimanāte: *Ego autē induta fui quadā veſte, qua mulieres regionis illius vti ſolēt qua tegitur caput, & totū corpus. Et fuit iſta veſtis tota aſperſa ſanguine.* Omnino mihi perſuaſum habeo, Deiparā Virginē veſtem illā, pro nulla alia quacunq; veſte, pretioſiſſimis licet gemis & vnionibus diſtincta, & fere rigida cōmutaturā fuiſſe, vtpote quæ maioris pretij & excellētiæ in oculis ſuis erat, quā ſi rubinis & adamantibus fuiſſet onuſta. Haud dubie palliū

Anſelmus dialog de paſſ.

Deiparæ virginis tunc cælum quoddã esse videbatur, siquidem pallium istud cœrulei coloris erat (vti in sacris imaginibus vt plurimum videre licet) qui propriè cæli sereni colorem refert, stillæ autem istæ pretiosissimi sanguinis Christi, pallium istud stellarum instar distinguebãt & ornabant. Vnde sanguis ille Christi Sanctissimam matrem suam veluti cælũ quoddam effecerat, quo nomine à sancto Diacono Ephrem Syro quondam appellabatur: *Dico enim illam esse cælum.* Sed cælum tale artificio sanguinis vnigeniti filij Dei effecta est. Id quod simul etiam innuit, quodsi B. Virgo cælum quoddam extitit, id est, à peccato immunis & purã, digna in qua nouem mensibus ipse Dei filius hospitaretur, haud aliter quam in cælo quodam, in quo nulla vnquam peccati spurcities locum habuit, id inquam efficaciæ & virtuti pretiosi sanguinis vnigeniti sui attribuendum merito esse. In cuius videlicet virtute, à peccato præseruata, & veluti cælum quoddam facta fuit: *Dico enim illam esse cælum.*

Ephrem. apud Lippo. 1. Nou.

5. De hac gratia Deipara sub sponsæ symbolo loquebatur capite 1. Canticorum. Vbi de dilecto suo in passione afflicto agens, dicebat: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* S. Bernardus locum istum explicans, per myrrham, arborem nimirum spinosam, amaram, Deum crucifixũ intelligit, qui amaricatus felle, & spinis coronatus, ad instar fasciculi myrrhæ pendebat è cruce: *Fasciculus myrrha.*

Cant. 1. v. 13.

Cur Deipara Filij sui pœnas & tormenta sub myrrhæ similitudine describit? forte quia cum myrrha, uti diximus, ad instar fellis sit amarissima, cordis sui amaritudinem ex doloroso isthoc spectaculo conceptam demonstrare volebat? Id equidem possibile est. Sed ad meũ propositum aliud significare voluisse videtur, ad aliam nimirũ Myrrhæ proprietatem respiciens, humana scilicet corpora à corruptione & putredine præseruandi, quasi dicat: sicut myrrha naturalem habet proprietatem præseruandi à corruptione carnem humanam, haud aliter dilectus filius meus in tempore mortis suæ erga me sese habuit (vtpote cuius vi & efficacia, omnem mihi acquirebam gratiam & gloriam, quæ sanctis suis conferenda erat) vt fasciculus myrrhæ videlicet, quia à peccati corruptione conseruabar. At vero cuinam eiusmodi myrrham præseruabat? Mihi soli, nimirum: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi.* Cæteris omnibus erat medicamentum purgans, affirmãte id Apostolo ad Hebræos 1. v. 3. *Purgationem peccatorum faciens:* Mihi vero præseruans erat medicamentum, siquidem cum Animæ omnes, vtpote peccato obnoxiæ, mortis suæ remedio à peccato purgatæ fuerit: ego ex fauore suo particulari, ne in vllum peccatũ incurrerẽ, eodemmet medicamento præseruata fui.

Quia illa gratia sanctificationis, inquit Episcopus Christopolitanus hunc locum explicans, *qua fuit Sanctificata, non fuit ipsi collata, nisi per merita passionis Christi, sed per alium modum, nam in omnibus nobis fuit purgatiua peccati, sed in Beata virgine Maria fuit illa gratia ab omni peccato præseruatiua.*

Valent. in 1. Cant.

Deipara nullam aliam ob causam, Filij sui passionem myrrham appellat, nisi quia gratia originalis innocentiæ, nonnisi per mortis Christi merita, ipsi concessa fuit, quæ cũ omnibus cæteris purgans sit medicamentũ, ipsi soli præseruans fuit, vtpote quæ ab omni illam culpa aut peccato præseruauit.

6. Salomon incarnatam sapientiam matrem suam sic alloquentem introducit: *Vulnerasti cor meum soror mea.* q. d. O dulcissima mater & Charissima soror mea, tu vulnus istud inflixisti mihi, quod per lateris mei ianuam, in corde meo factum esse conspicis. At vero, qua ratione dicit se à sanctissima matre sua in corde suo vulneratum, cum certum sit, id impij cuiusdam militis, non vero pientissimæ matris opus fuisse? *Vnus militum*, inquit S. Ioannes, *Lancea latus eius aperuit*, non vero mater. Cum igitur B. Virgo cordis sui vulneratrix minime extiterit, quid Christum mouit, vt id matri suæ dicat? *Vulnerasti cor meum soror mea*, S. Bernardinus de Senis vult, quod Christus matri suæ dicens: *Vulnerasti cor meum non voluerit* significare illam vere fuisse vulneratricem, & non militem, sed quod vulnus istud, sicut & omnia alia, quæ innumera erãt, ex amore eius inflictum fuerit, quasi dicere voluisset; *Pro amore tuo carnem assumpsi, & vulneribus primis in cruce vulnerasti cor meũ.*

Cant. 4. v. 9.

Ioan. 19 v. 34.

S. Bern. Sen. ser. fer. 4. Re-sur.

Hoc supposito quæro: Cum Christus ex

amore erga omnes in vniuersum homines vulneratus fuerit, qua ratione soli matri suæ dicit, se amore eius vulneratum esse? videtur verbis istis præiudicium aliquod illi amori causare, quo erga omnes alias ferebatur animas, vtpote qui ex omnium amore vulneratus fuit. Prosequitur ergo sanctus hic Doctor, & ad quæstionem propositam respondet: *Plus pro ea redimenda in mundum venit, quam pro alia creatura.* Tametsi Christus ex amore, quo erga omnes hominum animas ferebatur, in hunc mundum ad patiẽdum & moriendum venerit, prout de facto passus & mortuus est; nihilominus tamen ob solam matrem vulneratus & mortuus esse dicitur, eo quod potius pro illius, quam pro omnium aliorũ redemptione sustinere voluerit. *Plus pro ea redimenda in mundum venit quam pro alia creatura.*

Notate hic verbũ illud *Plus* nã vti doctissimus Berchorius vult, hoc est significatiuũ certæ cuiusdam excellentiæ & eminentis superabundantiæ: *Plus, signat quandam excellentiam, & superabundantem eminentiam* Cum igitur Redemptio quam Christus in cruce operatus est, plus sanctissimæ matri suæ, quã alijs profuerit, satis videtur, ipsam quoad sui redemptionem, cunctis alijs fuisse excellentiorem, magisque eminentem. Vnde infertur ipsam in hac gratia immunitatis à peccato originali maiorem habuisse progressum, maioremque honorem, præ omnibus alijs hominibus. Quod si ita est, sicuti in facto ipso negari non potest, quam præeminentiam haberet, si tantum simul cum Ieremia & Baptista in ventre sanctæ Annæ sanctificata fuisset? necessario igitur affirmare oportet; quod si aliorum animæ, per sanguinem, quem Christus in cruce pendẽs ex sacris suis effudit vulneribus, à peccato purgatæ fuerint, B. Virgini plus aliquid attribuendum sit, scilicet illam à peccato quocunque præseruatam esse. *Plus pro ea redimenda in mundum venit.*

Berchorius verbo plus.

7. Refert S. Ioannes quod quando Angelorum Domina, iuxta crucem in societate aliarum sanctarum mulierum, vna secum plangentium stabat: *Stabant iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalena*, tunc moribundus Dominus noster plus de Matris suæ doloribus, quam de proprijs suis tormentis dolẽs, atque ex compassione incitatus, illam pro consolatione eius dilecto discipulo suo recommendare voluerit, & vt eam haud aliter quam propriam matrem, in suum gubernium & protectionem reciperet, *dicit discipulo: Ecce Mater tua.*

Ioan. 19. v. 25.

Quærit hoc loco os aureum: qui fit quod in Cruce Matris memor, aliarum quæ simul cum matre sua cruci astabant, mulierum, immemor fuerit? nunquid melius fuisset si alias quoque pias mulieres, vel alteri cuipiã personæ, vel eidemmet Ioanni recommendasset? respondet: *Quiddã amplius matribus tribuendum*, q. d. Cũ de matribus agitur, non bene conuenit illas ad instar aliarum mulierum tractare, sed melius. Quod si alias mulieres S. Ioanni aut alteri viro recommendasset, nullum fecisset matrem inter & alias mulieres discrimen. Id quod minime conueniebat. Cur ita? *Quiddam amplius matribus tribuendum.*

Chrysost. ibid.

8. Cum piæ deuotæque Mariæ ad Redemptoris nostri corpus aromatibus condiendum ad sepulchrum, concederent dicit S. Marcus, ipsas illum reperisse iam suscitatũ, neminẽ enim in sepulchro, quod iã apertum erat, inuenerunt, præterquam Angelum albis vestitum. *Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem à dextris coopertum stola candida.* super quem locum haud abs re foret causam quærere, cur passionis Dominicæ tempore Angeli albis vestiti fuerint indumentis? Probe nouimus Neophytos hoc tempore colore isthoc vestiri solitos esse, ad significandum, ipsis sacro baptismate mediante Saluatoris nostri applicatum esse sanguinem, habereque stolas animæ albas & candidas, de quibus dicitur: *Dealbauerunt stolas suas in Sanguine Agni.*

Mar. 16. v. 5.

Apoc. 7. v. 14.

Fortassis hoc se colore Angeli illo tempore vestire voluerunt, vt inuenirent, se quoque vestimenta sua dealbasse & lauisse in sanguine Domini sui? verum vt inquit S. Bernardus, quod vnquam peccatum Angeli commisere? Quamnam cœlestes spiritus contraxere maculam? Quasnam inciderunt sordes & spurcities, vt redemptione indigerent & lauacro? certum est quod nullas vnquam sordes contraxerint. Quomodo ergo ostenduntur esse redempti? respondeo Ange-

Angelos quidem efficacia & virtute mortis Christi non ideo indiguisse, quasi peccatum aliquod contraxissent, sed vt à peccato in quod alij grauiter prolapsi sunt, præseruarentur. Atque ita S. Abbas prædi- *Bern. serm. 22. in cant.* ctus dicit: *Qui erexit hominem lapsum, dedit Angelo stanti, ne laberetur.*

Idemmet misericors Deus, qui hominem in cœnum peccati collapsum mortis suæ merito dignatus est erigere, idē inquam eiusdē mortis suæ virtute angelū sustinuit & præseruauit, ne caderet aut eadem luti spurcitiæ defœdaretur. Quod Lucifero de cœlis vna cū sequacibus suis cadente, sancti Angeli econtra in gratia sint confirmati, gratia specialis fuit, cuius per Passionis & mortis Christi meritum facti fuere participes: Ac proinde velut recognoscentes, & grata mente protestantes, hunc innocentiæ suæ candorem & albedinem ab huius fontis amplitudine deriuari, eo præcipue tempore, quo suū Christus effundebat sanguinem, stolis albis vestiti comparuere: *Coopertum stola candida.* Ipsi namque simul cum hominibus, tametsi longe excellentiori modo, per Christi sanguinem fuere redempti.

Pater Canisius hoc quod iam diximus *Canis. de Deipara lib. 1. c. 7.* supponens, præclaram quandam format consequentiam: *Si Angeli à peccato fuerunt præseruati, ergo longe magis Maria, quæ super Angelos erat exaltanda.* Si in passione Christi adeo honoratæ fuerunt creaturæ, quanto igitur cum honore tractanda mater erat? si tali respectu dignatus est vasallos, quo non dignabitur Dominam.

9. In confirmationem huius aduertendum est, quod S. Ioannes referens matrem Redemptore moriente erecto corpore cruci astitisse: *Stabat iuxta crucem*, significare voluerit, Redemptionem illius eodem prorsus modo quo Angelorum redemptio facta est, accidisse. Eo namque tempore, quo Christus in virtute sanguinis sui omnes erigebat homines collapsos, matrem à communi præseruabat casu, vt nunquam caderet. Vnde omnibus collapsis ipsa sola in pedes erectæ stabat. *Stabat iuxta crucem.*

Ehem quam bene adhibiti sunt discipulorum Christi pro immaculatæ cōceptionis Matris Domini & Magistri sui defensione magni labores, quam præclare pulchram hanc nauim defenderunt, ab originalis peccati scopulis? Quam secure illam perduxerunt ad portum. *Laborantes in remigando.*

SERMO V.

In Dominicam I. Quadragesimæ.

Ductus est Iesus à spiritu in desertum.

Matthæi 4.

QValis & quanta sit abstinentiæ virtus; qualis & quanta sit gulæ humanæ imperfectio, in præsenti Euangelio bene attendenti clare demonstratur. In quo id mihi describi videtur, quod quondam in Amphitheatro Romano, vti Macrobius refert, spectare licebat. hic namque duæ Imperatoris Augusti comparuere filiæ, Liuia nimirum & Iulia, potius, qui vulgaris mulierum mos est, vt ab alijs conspiciantur quam vt alios videant.

Spectatum veniunt, veniunt spectentur & ipsæ. *Ouid.*

Et

Et profecto curiosè satis spectatæ atque ex societate, qua cingebantur considetatæ, exactissimè quales essent cognitæ sunt, atq; perspectæ. Et Liuia quidem, quia honesta virtuosaq; stipabatur nobiliũ, & procerum corona, honesta æstimata est & virtuosa: Iulia vero quia insolentem quandam lasciuorum impudicorumque post se trahebat iuuenum turbam, lasciua quoque reputata est & vitiosa. quod Augustus illarum parens Imperator, præter alios animaduertens Iuliæ filiæ scripsit dicens: *Videret quantum inter duas fœminas principes interesset.* ipsam nimirum & sororem suam. *Macrob. lib. 2. c. 5. saturn.*

Idem quoque spectaculum hoc mane, totius mundi oculis, in magno illo Hierichuntino deserti amphitheatro spectandum proponitur. Ibi namque duæ comparent fœminæ, Abstinentia nimirum & Gula. Et licet magna inter vtramque sit differentia, qualis nimirum inter pulchrum reperitur & deforme, inter perfectum & defectum, inter virtutem denique & vitium, perfectius tamen idipsum ex ea, quam secum habent, societate cognoscitur. Abstinentia quidem comparet à Rege Cœlorum, à virtutum Domino & moderatore, à Principe sanctitatis, denique à Christo IESV Saluatore nostro associata: *Ductus est Iesus in desertum à spiritu, & cum ieiunasset.* Gula è contra sua in Societate habet ipsum mundi Tyrannum, magistrum omnium vitiorum, maximorumque scelerum caput, & verticem, execrandum, nimirum Dæmonem: *Et accedens tentator dixit ei: dic vt lapides isti panes fiant.* Ex diuersissima isthac Societate, vtraque vt cognoscatur, oportet: quantum inter duas principes fœminas interesset. Ostendemus itaque abstinentiam sanctissimam virtutem esse, quæque hominem sanctum efficiat, vtpote quæ in Societate Christi, sancti sanctorum, ac verticis omnis sanctitatis semper perseuerat: Adhæc gulam omnium scelerum matrem esse, vtpote quæ in scelerati ssimi Dæmonis societate semper consistit; Imo Abstinentiam Deo apprime placere, quippe adhærentem Christo, qui Deo tantopere placet. Gulam vero vehementissimo à Deo odio haberi, vtpote quæ Dæmoni, adeo vehementer Diuinæ Maiestati exoso, cohæret.

CONSIDERATIO I.

Cum ieiunasset.

Ieiunium non solum est magnus sanctitatis Magister, sed insuper in ipsius schola homines sancti & perfecti maiorem sanctitatem & perfectionem acquirunt, longeque ab ijs qui prius erant, admirabiliores euadunt, adeo vt tametsi in terra existant, in diuinis tamen fauoribus, ipsis quoque Angelis & Paradisi comprahensoribus æquales esse demonstarentur.

2. ANimarum nostrarum Saluator CHRISTVS IESVS, non ex necessitate ieiunij, quasi illo indiguisset, desertum intrare, & quadraginta diebus totidemque noctibus ieiunare voluit, sed potius quia omnis CHRISTI actio nostra fuit doctrina & instructio, ieiunando necessitatem docere nos voluit, quam homines habent ad ieiunandum. Ieiunij namque virtute, non solum ij qui peccatores existunt, sancti efficiuntur, verum etiam sancti sanctiores redduntur, adeoque euadunt admirabiles, vt cum veri viatores existant, veri tamen compræhensores cælites esse videantur, non minus quam Angeli alijque beati.

Cum Deus quondam populo Hebræo solemne quoddam præcipere vellet ieiunium, Ioeli Prophetæ in mandatis dedit, vt ad tubæ sonitum idipsum passim per compita diuulgaret, sequentibus populum verbis alloquens: *Canite tuba in Syon, Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum.* Vbi quærendum. *Ioel. 2. v.*

Cur

Cur Deus ieiunium præcepturus dixerit: *Sanctificate ieiunium* non vero ieiunate, aut ieiunium obſeruate, aut abſtinete? viderentur enim verba iſta longe clariora, magiſque ieiunio publicando inſeruientia, quam dicendo: *Sanctificate ieiunium.*

Exiſtimo omnino Deum hunc loquendi modum vſurpare voluiſſe, vt populum ad ieiunij obſeruantiam animaret, illis enim verbis ieiunium obſeruantibus, gratiæ & Sanctitatis promittit præmium: dicendo enim: *Sanctificate ieiunium,* idem eſt ac ſi diceret: ieiunate, futurum namque erit, vt in Virtute ieiunij euadatis ſancti, vt explicat Rupertus Abbas: *Idcirco vt Sancti ſitis celebrate ieiunium.* Ad ſignificandum, quod ſi homo à peccati ſordibus ſeſe purgare, ſuamque Sanctificare animam velit, poſt veram quandam contritionem efficacius ieiunio inſtrumentum reperire nequeat, ipſamet Eccleſia teſte quæ dicit: *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia.* Ieiunium namque ſpecialis quidam Magiſter eſt, qui ex peccatore valde ſanctum facere nouit: *Vt Sancti ſitis celebrate ieiunium.*

Rupert. Ab. ibid.

3. Cum Iezabel Regina ſanctum Naboth iniuſte decreuiſſet occidere, vt hac ratione auarus Achab maritus ſuus pauperculi viri huius vineam, cui adeo ardenter inhiabat, abſque vlla contradictione vendicare ſibi poſſet, inquit ſacer textus, ipſum prius ſolemne quoddam ieiunium publicari, præcepiſſe, actum demum Naboth innocuum occidiſſe: *Prædicate ieiuniũ, & ſedere facite Naboth inter Principes populi &c.*

3. Reg. 21, v. 9.

Quærit hic Abulenſis cur ſceleratiſſima iſthæc Regina, vt rem adeo iniuſtam atque iniquam ordiretur, qualis erat iniuſta innocentis hominis illius occiſio omnes ſubditos ſuos eodem die ieiunare voluerit? Et dicit: *Ideo iuſſit quod prædicaretur ieiunium prius, ad ſignificandum, quod aliquã rem magnam facere volebat, & illam non faciebat ex aliqua paſſione, ſed ex magna maturitate & zelo Dei.*

Toſtatus ibid.

Prætendebat ſceleſtiſſima Regina in peruerſo illo iudicio, quod aduerſus Naboth inſtituerat, ſe iuſtam prius & Sanctam, atque ab omni terrena paſſione ſpoliatam, necnon à Diuini honoris Zelo directam publicè exhibere, ideoque voluit vt paſſim & vbique ab omnibus ieiunium obſeruaretur: vt populus Naboth, ſolemni quodam ieiunij tempore condemnatum conſpiciens, non ſolum nullam ſibi in iſto facto iniuſtitiam perſuadere, ſed omnem potius iuſtitiam & ſanctitatem præſumere poſſet; Probè ſciens, eo tempore quo ieiunatur, peccatum inter homines regnare non poſſe, perfectum namque ieiunium, de quo duntaxat loquimur, animas à peccatis purgat, virtuteſque introducit, & efficit, vt homines è peccatoribus, virtuoſi & ſancti euadant.

4. Vnde S. P. Baſilius dicit: quod dum populus quadrageſimali tempore ieiunat, Angeli de Cœlis & charta & calamo inſtructi deſcendant, & in Eccleſijs commorentur, vt eos quos ieiuniis vacare repererint, Sanctorum catalogo inſerant: *Angeli per ſingulas ſunt Eccleſias, eos qui ieiunant, catalogo militum Chriſti deſcribentes.* Ex quo Angelorum obſequio ſatis liquet, adeo verum eſſe, quod ieiunium Chriſtianum ſanctificet, vt ipſimet quoque Angeli, ad illos canonizandos, atque ſanctorum militum Chriſti catalogo ſeu numero inſerendos, aliam facti ſpeciem ſeu probam non requirant, quam ieiunium.

Baſil ſerm. 2. de ieiun.

5. Quando Chriſtus monebat Apoſtolos, vt ipſiuſmet Dei exemplo ſancti atque perfecti eſſe ſtuderent. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt,* quonam exiſtimatis medio illum voluiſſe hanc ab illis perfectionem & ſanctitatem obtineri?

Matth. 5. v. 4.

S. Vincentius Ferrerius dicit: Chriſtum id monentem ad ieiunium reſpexiſſe. *Eſtote perfecti ſcil. ieiunando,* quaſi dicere illis voluiſſet, nunquam perfectum ſanctitatis ſtatum aſſequemini, niſi ad eum per ieiunij portam ingredi ſtudeatis. Abſtinentia namque eſt ſingularis illa virtus quæ ad Chriſtianæ perfectionis ſtatum hominem euehit.

Vincent. Ferrer.

Verum enimuero, quod ſi Apoſtoli iam de facto ſancti erant, quamnam habere poterant ſanctificantis ieiunij neceſſitatem? neceſſarium illis erat ieiunium vt illo mediante

mediante majorem acquirerent sanctitatem. Christus namque illos sanctiores & perfectiores esse desiderabat, quam de facto erant, id quod absque ieiunij virtute obtinere non poterant. Tanta enim à ieiunio confertur sanctitas, vt nouum quoddam viris etiam sanctissimis, sanctitatis etiam eminentioris adijciat incrementum.

6. Scribit S. Lucas in Actibus Apostolorum, quod Deus S. Apostolo Petro mirum quoddam spectaculum, cœlis coram oculis eius apertis, exhibere dignatus fuerit. Ingēs enim de cœlo demittebatur linteum, in quo multa secretorum mysteriorum symbola nunquam hactenus reuelata recondebantur. Notat autem S. Euangelista S. Petrū visionis illius tempore fuisse ieiunum: *Ascendit Petrus in superiora, vt oraret circa horam sextam: & cum esuriret occidit super eum mentis excessus; & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam &c.*

Act. 10. v. 9.

Quæritur hic: cur S. Lucas notet S. Petrū tunc fuisse ieiunum, quando Deus tantos illi præstare fauores dignabatur? an non æqualis apud Deum meriti erat idem ipse ieiunans ac non ieiunans? S. Chrysostomus dicit S. Euangelistam id notasse ad innuendū quod S. Petrus tunc ieiunio mediante sanctior factus esset, quam hactenus vnquam fuerat: *Vt ostenderet etiam ipsos sanctos cum ieiunant, tunc fieri præstantiores.* Quantumuis enim S. Petrus hactenus sanctus fuerit, nihilominus tantam sanctitatem nunquam est assecutus, nec vnquam ingentem honorem illum tam bene meritus fuerat quam tunc mediante ieiunio cui vacabat. Ieiunium enim tantam in sanctis virtutem habet, vt viris perfectissimis sanctissimisque maiorem addat perfectionem, sanctitatem & meritū. Adeo vt maioris apud Deum sint virtutis, digniores que æstimentur dum ieiunant, quam dum non ieiunant.

Chrysost. ibid.

7. Christus Dominus optimam discipulis suis ad pellendum Dæmonem daturus doctrinam, ita dicebat: *Hoc autem genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium.* q. d. vt genus istud Dæmoniorum pellere possitis, necessum est vt ieiunetis. Vbi bene notandum est Christum non dicere, quod ad pellendum Dæmonem, opus sit vt energumenus ieiunet, sed vt ieiunent Apostoli, alijque quotquot obsessum illum sunt sanaturi & à Dæmonio liberaturi.

Matth. 17. v. 21.

Porro contrarium omnino dicendum videbatur, potius enim ieiunandi necessitas energumenis quam horum liberatoribus videbatur incūbere; quomodo ergo Christus dicit, quod ad hoc vt homo aliquis à maligno spiritu correptus & peccator sanctificetur, & à maligno spiritu liberetur, opus sit vt alij non vero ipsimet peccator aut energumenus ieiunet? S. Ambrosius hunc locum explicans dicit, Christum Redemptorem nostrum hocce loquendi modo voluisse innuere, quanta sit illa sanctitas, quam ieiunium animæ ieiunantis adsciscit: *Videte ergo quanta ieiunii virtus sit, quantam homini præstet gratiam, quod tantam præstat alteri medicinam, quemadmodum proprium sanctificet hominem, quod ita purificat alienum. Mira enim res est, alter ieiunat, & alteri prodest ieiunantis vtilitas* Vnde ieiunium non tantum in viris sanctissimis sanctitatem auget, sed etiam à ieiunante per communicationem transit ad alios, quasi intra abstinentis animæ margines sanctitas talis coerceri nequeat, sic foras extra spondas suas ad alios sanctificandos egreditur. *Alteri prodest ieiunantis vtilitas.*

Ambr. F. 5. Dom. 1. quadrag.

8. S. Carmeli Patriarcha Elias Propheta ingentia populi Hebræi scelera cōspiciens, neque temeritatem tantam, vt erat Diuini honoris zelantissimus, sustinere aut dissimulare valens, tandem publicè eidem comminatus est, fore vt oris sui verbis firmiter adeo obfirmaturus sit cœlum, vt non tantū non pluat, sed ne vnica quidem roris stillula inde descendere valeat, vt hac ratione omnibus necessario pereundum sit fame: *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba*, uti reipsa quoque accidit. Cœli namque velut ænei facti sunt, ita vt non pluerit annos tres & menses sex. Vbi notandum, quod S. Propheta hoc se miraculum patraturum esse in sola verborum suorum efficacia confisus promiserit. *Frustra oris mei verba.*

3. Reg. 17. v. 1.

Vnde tantam in ore suo vim & potentiam habere potuit, vt ab ore suo manantia verba ab ipsis quoque cœlis intelligerentur, & obedientiam obtinerent? S. Basilius vult id

ieiunij virtute accidisse, in quo S. Propheta se illo tempore exercebat: *Ex ore eius ieiuno vox exiens cælum populo peccanti tribus annis & sex mensibus clausit.* q. d. Ieiunum tunc erat os Eliæ, quando illud aperiens, cœlis vt clausi remanerent mandauit, nec pluerent donec contrarium ipsis præciperet. Vnde mirum non erat: quod vox inde egrediens, ieiunio mediante tantam acceperit potentiam & efficaciam, vt illam cœli quoque intelligerent, eidemque promptissime obtemperarent. Ex quo perspicue & clare videri potest, ieiunium non tantum efficere ex hominibus imperfectis & peccatoribus sanctos & perfectos, sed etiam summe admirabiles & prodigiosos.

S. Basil. serm. 2. de ieiun.

9. Videtur præterea in schola ieiunij alia quoque metamorphosis summe admirabilis. mox enim vt illam homines ingrediuntur, esse humanum relinquere, & in Angelos transformari videntur. Hugo Cardinalis id significare voluisse videtur, dum inquit: *Semel in die comedere quasi vita Angelica est: bis vita humana; pluries vita iumentina, siue vita brutorum.* Vnde sanctus Chrysostomus ieiunantem hominem ita alloquitur: *Non es homo sed ferme Angelus, quia ferme Angelus est ieiunans & agens festum Domini.* quasi diceret: dum ieiunas tametsi homo sis, hominem te esse minime existimes sed Angelum, *quia ferme Angelus est ieiunans.*

Chrysost. serm. 1. de ieiunio.

10. Christus Dominus de excellentiis Ioannis Baptistæ præcursoris sui loquens dicit, Prophetam Malachiam capite tertio Prophetiæ suæ de ipso locutum fuisse, vbi illum appellat Angelũ: *Hic est de quo dictum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.*

Luca 7. v. 27.

Non abs re hic esset, si inquireretur causa, cur S. Ioannes homo verus existens, appellatus sit Angelus, & non homo, prout appellari solent alij homines: assignat autẽ illam Titus Bostrensis, dicens: *Angelum appellat hominem, non quia natura esset Angelus, homo enim naturaliter erat, sed quia exercebat opus Angeli.* siquidem ad instar Angelorum non manducabat, neque bibebat, sicut & alibi dicitur: *Venit Ioannes, neq; manducans neq; bibens.* Vita eius continuum quoddam erat ieiunium adeo vt pro corporis sui necessaria sustentatione vix manducaret, atque ideo Angeli nomine est honoratus. & merito quidẽ. Quisquis enim ieiunat, nõ homo, sed Angelus esse videtur *Ferme Angelus est ieiunans.*

Titus Bostrens. ex Caten. Thom. ibi. Matth. 11. v. 18.

Neque ob aliam rationem S. Zeno martyr dicere voluit: *Ipsa Paradisi vita ieiunium est.* innuere volens vitam ieiunantium, vitã esse Angelorum in Paradiso viuentium.

S. Zeno serm. de ieiun.

11. Quid si Angeli manducarent in cælis, quid putas manducaturi essent? vtique respondebis mihi, epulas & fercula exquisitissima quæ vnquam Reges aut terræ huius Imperatores vidissent ne dicam gustassent, aut desiderare vllatenus potuissent. adhæc diceris ite, industriè quærite, & ex omnibus terræ marisque plagis adduci curate, quidquid delicati inuenire potest, denique exquisitissimis illud saporibus & condimentis præparate, vt vel vnica eiusdem stilla suauitate & dulcedine sua vel mortuum hominem ad vitã reuocare aut oscitu illius mouere posset, nec tamen ad infimas accedere poterunt Angelorum delicias.

Sed misere deciperis quisquis ita opinaris, nihil aliud namque manducaturi essent in tali casu, quam panem. *Panem Angelorum manducauit homo*, inquit Propheta. & S. Basilius hunc locum explicans dicit: *si enim Angelorum cibus est aliquis, panis est, ut ait Propheta: Panem Angelorũ manducauit homo, non carnes, non vinum, non deniq; quæcunq; ex iis, qui ventri student, curare solent.* Vult dicere, quod si Angeli comedere possent, certũ est, quod non lautis se curiosisque cibarẽt alimoniis, quibus ventris curiosi cultores delectari solent. Procul ab illorum mensis delicatæ abessent carnes, pretiosa vina, aliaque similia apud Magnates mundi huius gulæ irritamenta. Cibus enim illorum alius non esset, quã panis: & vita ipsorum perpetua quædam esset abstinẽtia, & continuũ ieiunium. Quod si igitur Angelorum quædam continui ieiunii vita est, consequens est, vt & vita virorum abstinentium, non iam hominum sed Angelorum quoque vita sit.

Ps. 77. v. 25. Basil. serm. 1. de ieiun.

Et quidem quod in ieiunio vel maximi æstimandum, hoc est, quod non solum homines simpliciter transformat in Angelos, sed insuper ipsos beatificat, & Angelos facit esse beatos. Vnde Deus viatores hic in terris, mediãte ieiunio, miro omnium stupore talibus honorare prœmiis solet, quibus spiritus beati fruuntur in cælis.

12. Mo-

12. Moysen quondam ingens quoddã, nobisque mortalibus mirũ incessit desiderium, nimirum in hoc mortalis & corruptibilis vitæ statu, in quo etiamnum degebat, diuinam contuendi faciẽ. Vnde ad desiderij huius extinguendũ ardorem, ineffabilem illã Dei Maiestatem sic precabatur: *Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Cui Deus se petitioni suæ satisfacturum spopondit: *Verbum istud quod locutus fuisti faciam, inuenisti enim gratiam coram me.* q. d. Quia te ô Moyses admodũ diligo, huic desiderio votoq; tuo libens acquiescã, tibiq; illã, quam à me postulasti, indulgebo gratiã Faciem proinde meam ad eum modũ ostendam tibi, quo illam Angeli vident in cælis, videlicet: *Per modum transeuntis*, vti sacri dicunt Theologi.

Exod. 33. v. 13.

Verum enimuero qua ratione possibile erat, vt Moyses Diuinam intueretur faciem, quamdiu anima illius alligata erat carceri corporis? An non caro ambiens atque circũdans ipsum à gloriosa visione ista impeditura erat? Certe si solẽ inspicere nequis corporis oculis, quomodo perseuerare poteris ad visionem inaccessibilis illius splendoris?

Respondet S. Ambrosius: *Quamuis enim illum ab obtutibus Dei conditio humana subtraheret, ieiuniorum tamen gratia proximũ illum Diuinitatis consortio faciebat:* q. d. Desine mirari, quod Deus adeo libenter & faciliter beatificare Moysen acquieuerit, ideq; Propheta nullũ prorsus ex parte corporis ad fruendũ beatifico isthoc spectaculo impedimẽtũ habuerit: Et ratio est, quia ieiunus erat, & hoc mediãte ieiunio tantã iure merebatur gratiã, quia tametsi illũ vna ex parte grauedo sui corporis ab admirabili illo fauore obsequendo impediret; hunc tamẽ obiecẽ ex altera parte, & alia quæuis impedimẽta tollebat ieiunium. Huius enim vi & efficacia, tametsi viator & mortalis homo esset in terris, eo præmio frui poterat, quo spiritus imortales & compræhenso fruũtur in cælis.

13. De Carmelitarum Prothoparente Elia similiter dicitur, quod Diuinæ faciei gloriã instar Moysis videre meruerit. Hoc tamen, vt S. Basilius dicit, non nisi solius ieiunij virtute obtinere potuit. *Ipsum namq; ieiuniũ Eliam magnæ visionis spectatorem fecit. Quadraginta namq; dierum ieiunio, animã purgans, in spelunca meruit quantum fas est homini Deum videre.*

Basil. ibid.

S. Vincentius Ferrerius tradit, quod S. Elias Propheta post visam à se Christi trãsfigurati Diuinam gloriam, à monte Thabor in terrestrem Paradisum reuersus, atque ab Enoch consodali suo, vnde veniret, & vbi fuisset interrogatus, hunc in modum respõderit: à Sancto Michaele Archangelo in quendã valde ed tũ translatus sum montem, in quo mũdi reperi saluatorẽ, ibidẽq; faciei suæ, videre gloriam promerui. Considerate autem, subdit hic Doctor, ingentẽ exinde in corde S. Enoch subnatũ fuisse dolorẽ, quod sibi non eadem cum Elia fortuna obtigerit, vt glorioso isthoc spectaculo frui & gaudere licuisset.

Vnde lamentabundus Eliæ dixisse creditur: *ô cur ego non tui! ô cur ego non iui!* cui Elias pari fide vtique respondisse præsumitur: *Quia non ieiunasti.* q. d. Ne mireris te mecum in Thaboris montẽ non fuisse vocatũ, nec enim tantæ gloriæ frui merebaris spectaculo, quia non ieiunasti. Ego vero qui ieiunio diuturno extenuatus sum, dignũ me reddidi. Ex quo discursu S. hic Doctor consequẽter elicit, solam causam, cur Moyses & Elias ad fruendum gloria visionis verbi incarnati vocati fuerint esse, quod in hoc mũdo ieiunarint, cum sine ieiunio gloriosi huius spectaculi participes esse minime potuissent. Vnde si Enoch simul cũ Elia ieiunasset, vtiq; Diuinæ faciei visione gauisus fuisset; solis enim ieiunantibus Deus in hoc mundo nouã hanc gratiam rarumque istud spectaculum concessit.

S. Vincent. Ferrerius serm. I. Dom. I. Quadrages.

14. In triduo illo, postquam S. Paulus ab equo in sua conuersione deturbatus, & ex Ecclesiæ persecutore, eiusdem factus fuisset defensor, & Apostolus, in hoc inquã triduo aliqui volunt, illũ in Paradisum raptum fuisse, id quoq; ipsemet non obscure testatur, dum in persona cuiusdam tertij Corinthijs scribit: *Raptus est in Paradisum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Vbi Haymo Halberstadiensis Episcopus dicit, Apostolum vere Deum vidisse, eodẽ prorsus modo, quo post vniuersalem corporũ resurrectionem illum sancti in cælis videbũt, illoq; perfruentur: *Vidit quomodo Deus Omnipotens Trinitas sit in personis, & vnitas in*

2. Corinth. 12. v. 4.

Haym. ibid.

substantia, sicut videndus est ab omnibus sanctis, post generalem resurrectionem.

Vbi S. Euangelista Lucas notat, Paulum toto illo triduo ieiunum semper fuisse. *Et erat ibi tribus diebus non videns & non manducans neque bibens.* Vnde sicut superius diximus, argumentari licebit, ad quod si Apostolus triduo illo dignus fuit fruitione visionis beatificæ, id sibi vi & efficacia ieiunii solius obtigisse; siquidem priuilegium istud, solis ieiunantibus concessum fuisse cernitur.

Act. 9. v. 9

Atque ne existimetis, consequentiam istam ex meo duntaxat cerebro dimanare, attendatis velim ad id, quod S. Basilius hac in parte dicit; hæc enim est illius opinio: *Paulum inter alia multa ieiunium quod ipse supra suas tribulationes commemorat, in tertium cælum euexit.*

Basil. serm. de ieiun.

Concludamus itaque & dicamus, adeo esse ieiunio proprium, hominem etiam adhuc in terris existentem beatificare, vt quotquot ex hominibus sanctis extraordinario hoc fauore à Deo donati sunt, eundē non alia quam hac vnica duntaxat via obtinuerunt,

---

CONSIDERATIO II.

Dic vt lapides isti panes fiant.

Gula ingens quidam est torrens qui omnis generis spurcities in animam hominis secum adducit, specialiter autem graue olens ac fœtidum morticinium carnalitatis.

1. QVod si à societate qua homo delectatur, facilis est de conditionibus & moribus eiusdem coniectura, adeo ut in communi prouerbio dici soleat: si mihi hominis sodales quibuscum ipsi necessitudo, & familiaris intercedit conuersatio, edixeris, ego tibi vicissim qualisnam sit aperiam. si inquam hoc ita se habeat, ex altera vero parte Gulam in Dæmonis indiuidua constitutam societate videamus, quocum vitia omnia pari passu incedunt, necessum erit idem de gula concludere, quæ post permissum illi à nobis in animabus nostris locum, omnes secum trahere solet humanos defectus; & quidem in particulari turpes illas carnalitatis sordes, quas propinquius & indissolubilius sibi coniunctas habet.

Moyses sancti Iobi historiam describens, dicit: hunc eo præcipue tempore, quo filii eius & filiæ epulabantur, id quod fere in communi & quotidiano more repositum habebant, solliciti patris munus adimplendo, multa quotidie pro singulis Deo obtulisse sacrificia: *Cumq; in orbem transissent dies conuiuii, mittebat ad eos Iob & sanctificabat illos, consurgensq; diluculo offerebat holocausta pro singulis.* Inquiramus hic obsecro rationem, cur Iobus nunquam filios suos Deo recommendare meminerit, nisi quando conuiuia celebrabant, & epulabantur? forsitan tunc malum aliquod illis euenturum specialiter formidabat? minime. conuiuantibus enim filiis suis, quietum cor illius meritò esse debebat; quamdiu namque conuiuia celebrant, non poterant non inter se pacifici esse & quieti.

Iob. 1. v. 5.

Sanctus Gregorius dicit, Iobum veluti sapientissimum Patrem, non solum ad corporis necessitates respexisse, sed etiam & maxime quidem pro necessitatibus animæ filiorum suorum fuisse sollicitum; nouerat que nullum esse tempus, in quo magis indigerent Deo recommendari, quam dum lautè manducabant & bibebant, sciebat enim impossibile esse, vt sine Dei offensa Gulæ vacare possent ineptiis. *Vir quippe sanctus nouerat, quia celebrari conuiuia sine culpa vix possunt, nouerat quippe sine magna purgatione diluendas esse epulas vitiorum.* Certissimum nāque est quod dum epulis & potui vacatur, tametsi corpori eo tempore bene sit & lautè habeatur, anima manifesto perditionis suæ exposita sit periculo; quamprimum enim homo Gulæ locum aliquem dare cœperit, mox diuersis vitiis variisque peccatis, quæ cum hoc vitio necessario coniuncta existunt, portam aperit.

S. Greg. l. 1. moral.

2. Nostisne qualia & quanta peccata Herodes Rex sceleratissimus & iniquissimus commiserit, in die quo eius celebrabatur dies dies natalitius, dum præter dissolutiones & crimina varia, animam suā insper temerario

merario illi subiecit iuramento, nec non & horrendo sanctissimi Ioannis Baptistæ homicidio. Vndę existimatis tam grauia & ingentia, scelera, simul & semel ab Herode commissa, suam traxisse originem?

S. Petrus Chrysologus vult à gula processisse, vtpote cui idem Herodes tota nocte conuiuando & epulando vacauerat: *Ecce quid pariunt totis noctibus protracta conuiuia · ecce quid generat, quod cum mensura emitur & sine mensura bibitur vinum.* Ex quo intemperatissimus homo ille in cæna illa ventris se totum mancipauit seruitio, tot in anima sua sceleribus locũ dedit. Neque hoc mirum cuipiam videri debet, siquidẽ nunquã Gula sola incedit, sed in aliorũ semper vitiorum & enormitatum comitatu & societate. *Chrysolog. serm. 174.*

3. Philo Hebræus de infami Sodomæ ciuitate loquens, dicit: Ciuitas hæc multis retro tẽporibus, in magna illa Diuinæ Iustitiæ aula siue curia, ad flamans, quæ illã post demũ deuorarunt, & deuastarunt, condẽnata fuit, quam quidẽ sententiã promerebatur, quia infinitis erat plena sceleribus, quæ suam ex Gula, cui incolæ eius dediti erant, trahebant origenem: *Infinitis iniquitatibus referta, præcipue propter ventris libidinem cæterarumque voluptatum studia iam diuino calculo iudicata fuerat.* *Philo lib. de Abrah.*

Vbi notanda sunt verba ista: *Infinitis iniquitatibus referta.* Verum quidẽ est, vnum peccatũ sæpius in alterius societate peccati reperiri, nimirũ Adulterium cum homicidio, auaritia cũ latrocinio cũ Ambitione superbia; Et sic de alijs: At vero Gula in omnium reperitur societate vitiorũ, alia omnia scelera secum adducit, & velut ingens quædam sagena, omnes post se iniquitates trahit, ijsdẽq; animã adimplet, vtpote quæ per ipsam tot vitijs dedit ingressum: quod si enim accuratius & maturius rem istã indagaueritis, gulosũ semper inuenietis superbũ, auarum, iracundũ, accediosum, inuidũ, luxuriosum, & à centum alijs vitijs & peccatis, ad instar ciuitatis sodomæ notatum: *Infinitis iniquitatibus refertum.*

4. Plutarchus refert, quod quotiescunque inter Ægyptios homo aliquis moriebatur, talis iuxta solemnem regni illius consuetudinẽ, nunquã terræ sepeliẽdo mandabatur, nisi ventre illius prius à cadauere resecto, quę procul à se abijciebant, nequaquam permittere volentes, vt cum residuo corporis simul sepeliretur & venter.

Quod si curiosi esse volentes, causam nosse desideratis, cur nimirum non simul ventrem cum alijs membris sepeliri voluerint? Plutarchus certe illam adducere minime negligit: *Ægyptij ventrem defunctorum exemptum & excisum, quasi caput scelerum omnium ab homine admissorum, abijciunt, ingluuiem & carnificinam execrantes.* Optime namque Ægytij norant, quod dum homo Gulæ & ventris seruitio, est deditus omnia quæ tũc, vitia videtur committere à sola nascantur ingluuie, vtpote quæ nihil est aliud, quam ingens torrens quidam, cui dum locus in anima conceditur, omnes in animam spurcities secum adducit. *Caput scelerum omniũ.* *Plutarch. lib. de esu. carnium.*

5. S. Vincentius Ferrerius existimat, quod Christus Dominus noster mensæ accumbens, manus suas ad capiendum cibum minime extenderit, nisi prius ijsdem in altũ eleuatis cibum hisce fortasse Psalmi verbis *Oculi omnium in te sperant Domine.* Bene dixisset. Quæ consuetudo deinceps non à personis duntaxat Religiosis, sed à quolibet etiam alio timorato Christiano in vsitatum morem abijt, & etiamnum hodie obseruatur. Causa autem benedictionis istius, à sancto illo Doctore sequentibus relata est verbis: *Quia esca corporalis fuit venenata per Diabolum, ideo debet poni medicina, siue theriaca contra venenum, saltem ad minus dicendo IESVS, si aliam orationem propter tuam gulositatem non potes facere, nec dicere.* *Psal. 144. v. 15.* *S. Vincent. Ferrer. serm. 1. in Dominicã. Lætare.*

Quodnam obsecro est Venenum istud, quod Dæmon in cibum nostrum commiscere tentauit vt nunc sine antidodo isthoc siue theriaca degluriri non possit aut debeat? Venenum profecto non corporale, sed spirituale est, non est venenũ carni nociuũ, sed animæ, non corpus sed spiritum occidit; Estque venenum peccati, iræ, luxuriæ, loquacitatis, acediæ, aliarumque centenarum miseriarum similium, quibus oppressi cernuntur ij, qui gulæ dediti sunt, nimirum vitium istud ingens quædam est sentina, magnã secum trahens turbam enormitatum *Esca corporalis fuit venenata.*

6. Et in particulari quidem turpe secum adducit luxuriæ cœnum, quocum strictiorē quam cum alijs vitijs connectionem habet & familiaritatem. Ieremias Propheta certos quosdam luxuriosos homines repræhendēs ita olim loquebatur: *Equi amatores & emissarij facti sunt, vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat.* q. d. adeo effrenate dati sunt in luxuriæ prædam, vt non iam homines, sed equi amatores & emissarij esse videantur, qui ad proximi sui hinniebant vxorem.

Ierem. 5. v. 8.

Modernus quidam Doctor illud ly *Amatores* considerans dicit: illud à radice Hebræi verbi *Zan*, quod in latino sermone idē quod *saginare vel saturare* significat prouenire. Ad innuendū, quod radix & fons vnde luxuria & turpes carnis spurcities, per quas homines in equos degenerant, nascuntur, & deriuātur, sit nimia cibi ingluuies & extraordinaria satietas. Homo namque gulosus, nihil est aliud, quam equus quidam emissarius, qui post alia currit iumenta: *Equi amatores & emissarij facti sunt.*

Sanctius ibid.

7. S Bruno verba illa Dauidis, pœnitentiam de suis peccatis facientis, nimirum: *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ,* explicans, dicit: per sanguinem istum intelligenda esse peccata adulterij, homicidij, quæ Dauid, cum Bersabea sesē tanquam adulter commiscendo, & Vriæ marito suo necem machinando perpetrauit. Et quidē vultisne, auditores, rationē nosse, cur peccata ista sanguinis appellentur? Rationem istam S. Patriarcha adducit dicens: *Sanguinis dicuntur ideo, quod ex nimio sanguinis humore processerunt,* id quod in luxuriæ peccato quam clarissime cernitur.

Psalm 50. v. 16.

Bruno ibid.

Quia vero sanguinis abundantia, ex nimia cibi oritur ingluuie & gula, vti ipsa docemur experientia, videntes hominē voracē rubicundum semper & ardentē, ad instar coccini, referre vultū, ob nimiā sanguinis copiam, quā lauti cibi & potus per omnia membra ministrant, cum è contra abstinentes, ob sanguinis defectū, ex victus frugalitate, & parsimonia, pallidi semper esse videantur & velut emortui, ideo Dauid de adulterij se culpa accusans, eamque ex nimia processisse sanguinis abundantia agnoscens, consequenter malum istud à gula proficisci demonstrare volebat. Et merito quidē, siquidem gulæ semper indiuisibiliter cōiuncta est luxuria, semper enim qui amicus est ventris, affectum quoque & ductum in omnibus sequitur carnis.

8. Nescio num aliquando hactenus Apologum, quem de Noe vineam plantāte nonnulli effinxerunt, intellexeritis. Dicūt enim Noe labruscam quandam, vitē nimirū syluestrem, fructum producentem valde amarum accepisse, atque ad eam mitigandam & indulcorandam, quatuor diuersorum animalium, Leonis nimirum, Agni, simiæ, & porci, adhibuisse sanguinem, hocque natura sua valde dispari sanguine industrie permixto, terram illam, cui primam implantare vitem decreuerat, sedulo irrigasse, atque ita factum esse, vt vitis hæc deinceps succrescens, dulces & suaues fructus, & generosum produxerit vinum, indeque Noe largius bibentem inebriatum fuisse, qui postea sobrius factus, coram vocatis & congregatis simul filijs suis liquoris istius naturā mox explicuit, & effectus; vinum enim illud conformiter animalium illorū proprietatibus, à quibus ad vitem illam irrigandam, sanguinem desumpserat, operabatur. Vnde prædicebat futurum, vt hominum nonnulli ex potus illius vsu Leones fierent per iracundiam; alij Agni per pusillanimitatem & verecundiam; per curiositatem alij simiæ, nonnulli denique porci per luxuriam. Vnde videre licet, qualiter gulam indiuisibiliter semper comitetur luxuria.

Panari. part.

9. Deus quondam Ezechieli Prophetæ, ingentem quæ ab Hebræis, in sacro templo committebatur, abominationem ostendere & manifestare voluit. Certam nimirum vanarum quorundam mulierum superstitionem, Adonidis mortem deplangentium. *Et dixit ad me, adhuc conuersus videbis abominationes maiores, quas isti faciunt; & introduxit me per ostium portæ domus Domini, & ecce ibi mulieres sedebant, plangentes Adonidem.*

Ezech. 18. v. 13.

Ex quo Hebræi tanto tempore cum Ægyptijs, gente Idololatra, & falsorum Deorū cultui dedita, fuerant conuersati, per continuum cum illis conuersationis & familiaritatis habitū commerciū Diabolicas ipsorū didicerāt superstitiones, quarū vna illa erat, quā S. Propheta hic recenset, quā ipsi quoq;

Poëtæ

Poëtæ inter alias fabulas & cōmenta sua tradiderunt Fingebant enim Adonidē speciosissimū Venerisq; amantē, ab eademq; amatū fuisse iuuenē, Martis quidē opera occisum ad vitā vero postea de nouo resuscitatū. Ob cuius mortē, vti refert Lucianus, cæci gentiles, Assyrij vero præcipuè omni anno certo quoq; statutoq; die magnū facere planctum solebant: nec minorem paulo post exhibebāt lætitiam, veluti quoddam ex ficti eiusdem Adonidis resurrectione conceptum gaudium.

Porro Hugo Cardinalis dicit, Glossam fabulam hanc allegorice interpretantē, velle, per Adonidem intelligendos esse, flores, fructus, segetem, aliaque his similia terræ germina, quam tanta cum venustate honorant & adornant, ex quibus nos cibum vitæ nostræ alimentum abunde accipimus: omnia autem prædicta æstate in autumnum vertente moriuntur, quia hoc tempore exsiccantur, arescūnt & disparent. Vere demum adueniente, de nouo prodeunt, veluti si de nouo resuscitata ad vitam pristinam rediissent. Quod vt Poetæ repræsentarent Adonidem primo finxerunt mortuum, ac demum postea iterum resuscitatum.

Verum vt nonnihil propinquius ad nostrum propositum accedamus, inquirenda nobis est ratio, ob quam hic Adomides, hoc est hi fructus, segetes, cibi, & pastus humani, qui tanta cum abundantia à terra producti sunt dicantur amati & amantes Veneris? ideo nimirum, quia affluentia cibi & potus, per Adonidem intellecta, & Luxuria significata per Venerem, adeo semper inter se connexæ & coniunctæ existunt, vt veluti amans & amata indiuisibiles prorsus sint, & indissolubiles. *Prosperitas mundana*, inquit Hugo, *& temporalis abundantia pulchra est ad videndum, & amatur & amat Venerem, quia abundantia comes est Luxuriæ.* Hæc duo, vel vti par quoddam se vorce amantium, adeo sibi inuicem semper adhærent, vt vnam ab altera diuellere minime possis. Vnde quisquis hominum Gulæ apud se locum dabit, necessum est vt simul cum eodem fœdam quoque Luxuriam recipiat, sibique certo Gulosus persuadeat quod post voluptates ventris alijs quoque Veneris delitiis subiacere debeat: *Quia bundantia comes est Luxuria.*

Hugo Card. ibid.

10. Doctissimus Caietanus locum illum Geneseos, in quo Moyses de primorum hominum luxuria, ob quam mundus fuit submersus, agit, explicans nimirum: *Cumque cæpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent: videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores, ex omnibus quas elegerant.* Existimat carnalitatem hanc, à tempore Adæ, Abelo adhuc viuente suum habuisse principium, quia, inquit hic Doctor, Moyses lasciuias hasce commissas esse scribit à tempore quo homines multiplicari incipiebant: *Cumque cæpissent homines multiplicari*: hoc autem fuit tempore illo quo Abel occisus fuit, & adhuc Adam viuus superstes erat, quod si enim humanum genus tunc mirum in modum multiplicatum non fuisset, Cain vtique in Dei se indignatione ob commissum fratricidium constitutum conspiciens non dixisset: *omnis qui inuenerit me, occidet me.*

Genes 6. v. 1 & 2.

Gens. 4. v. 14.

Postquam autem Caietanus argute satis probabasset, peccatum hoc Luxuriæ suum à tempore Adami habuisse principium, inde vlterius colligit, secundum mundi peccatum fuisse luxuriam, postquam Gula primo loco præcessisset. *Colligitur secundum humani generis peccatum à re Venerea incepisse.* Cui elegantem valde probationem subnectit: *Et quadrat primo, quia incæpit à Gula.* q. d. necessum est vt hoc peccatum sit peccatum secundum, valde namque primo peccato, scilicet Gulæ, correspondet. Neque enim post superfluas epulas aliud quippiam præter luxuriam exspectari debet, nec quicquam est, quod immediatius consequatur ad gulam, quam luxuria.

Caietan. ibid.

11. S. Basilius de ieiunio agens ita loquitur: *Vir vxorem videns ieiunantem vxor item virum idem facientem animaduertens zelotypia nunquam erit*, quam autem ob causam id ô Basili existimas?

Basil ferm. 3. de ieiun.

Causa

Causa hæc est, quia Zelotypia ex suspicione nascitur, qua alteruter alterius castitatem connubialem suspectam habet. Hæc autem suspicio locum habere nequit, dum vtrinque ieiunatur. Ieiunium enim hominem castum, atque à peccatis carnalibus impollutum conseruat. Zelotypia matrimonium inuadit dum alterutra pars epulatur, aut intemperanter comedit, vel bibit. Probe enim notum est omnibus, valde prone appetitus & opera carnalitatis consequi, quam gula sua in societate secum trahere solet.

11. Postquam S. Loth tot retro annis in spurcissima Sodoma caste & continenter habitasset donec ad euadendum ciuitatis illius incendium necessum esset fugere, tandem in montem quendam iuxta Angeli præceptum, vna cum duabus filiabus virginibus, vt vitam saluaret fuga se recepit, ibidemque vt sacer textus inquit, imprægnauit: *Conceperunt duæ filiæ Loth de Patre suo.* Nemo vtique factum istud audire aut considerare sine ingenti admiratione potest. Qua enim ratione fieri potuit, vt qui in tot spurcissimorum sceleratorumque hominum consortio sanctus semper mansit & castus postea ab infami & lubrica tali conuersatione procul remotus & sequestratus, quando in hac castitatis virtute magis se spectabilem probare debuisset, tam faciliter & turpiter lapsus & coinquinatus fuerit? Ratio facti illius, ab ipsomet sacro textu assignata est, qui dicit astutas & sagaces filias eius vt parentem ad carnales actus facerent promptum & procliuum, superfluo illum potu ingurgitasse. *Dederunt Patri suo vinum bibere in die illa.*

Genes. 19. v. 36.

Super quem locum Cardinalis Petrus Damiani dicit: *Pudoris munditiam vinum in solitudine vna nocte suasit amittere, quem inter tot adulteros, ipsa non potuit Sodoma violare.* quasi dicere voluisset: quod si vir ille adeo iustus & sanctus, qui dum inter carnales viueret Sodomitas inuictus, & Adamantina fortitudine præditus adeoque insuperabilis erat ab ijsdem Sodomitis postea elongatus à Gula se superari & vinci permittens, turpiter adeo luxuriæ cœno se commaculauit, vt veluti stupæ cuidam igni propinquæ similis esse videretur; Profecto tibi ô Christiane frater conuenit: inde sic ratiocinandum erit: quod si ego qui viro tam sancto minime comparandus sum aliquem appetitibus ventris locum indulsero ijsdemque satisfecero ad retundendum vtique luxuriæ impetus mihi vires longe minores, aut sanctitas suppetet tametsi sanctitatem Loth adæquare viderer.

Petrus Dam. lib. 6 opusc. 23.

Vnde optime dixit Terentius: *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* q. d. Quoadusque à Gula procul abfueris, ad recipienda veneris Philtra seu incitamenta non iam saxum sed glacies eris: Quod si vero Cereri & Baccho locum dederis, necessario siue volens siue nolens Venerem quoque recipias necessum est.

Terent. Eun. Act. scen. 5.

CONSIDERATIO III.

Cum ieiunasset.

Sicut Deo tanto plus displicet Gula, quanto Abstinentia magis placet, ita Diabolus tanto vehementius hanc fastidit, quanto plus illam diligit.

1. Cum abstinentia in societate semper cõspiciatur esse Christi, in cuius persona Deus Pater eximie sibi complacet, prouti ad Iordanem luculenter satis testatus est dicens: *Hic est filius meus dilectus In quo mihi complacui:* signum est ipsam quoque abstinentiam æternæ Dei Maiestati affatim cõplacere. Et merito quidem, ipsa enim est particulare quoddam ad consequendam animarum nostrarum salutem tantopere à Deo desideratam, tantisque meritorum thesauris procuratam instrumentum. De Gula vero, per comitatum siue societatem Dæmonis repræsentata qui veluti peccatorum Coriphæus infinitæ semper displicuit bonitati, contrarium concludere oportet; illam nempe vitium quoddam esse Deo valde vehementer exosum: Etenim si Dæmonis hac in re consulamus arbitrium, contrario prorsus modo ratiocinandum erit, hic enim cum nostram abominetur salutem, abstinentiam quoque per quam saluamur, abominetur necessum est: In Gula

Matt. 3. v. 17.

vero plurimum sibi complacet, vtpote quæ humanæ perditionis quam totis viribus ipse procurat efficacissimum est instrumentum.

Spiritus S. in Capi. 5. Canticorum virtuosi cuiusdam hominis genus intuens ipsasque valde pulchras esse conspiciens easdem laudaturus terræ aratro sulcatæ & subactæ assimilare voluit. Porro vbi nos in vulgata legimus; *Genæ illius sicut areolæ aromatum*. Pagninus vertit: *Maxillæ illius sicut linea sulci*. Verum quænam obsecro genis illis inesse potuit pulchritudo, si illæ ad instar aratæ terræ siue agri sulcis fuerint distinctæ, certe si tales vt hic describuntur genæ illius fuere faciem habuit rugis sulcisque plenam, terræ nimirum aratæ siue sulcatæ minime absimilem, & consequenter turpissimam; rugæ enim facies pulchras deformes valde turpesque reddere, non vero venustare solent quodsi enim facies rugosa pulchra esset & grata, iam non opus esset vt mulieres vetulæ & annosæ adeo de pigmentis, lixiuijs fucis, alijsque rugis pellendis & poliendis vultibus apprime seruientibus remediis essent sollicitæ. Qua igitur ratione talis facies rationabiliter laudari, atque vt venusta deprædicari potuit, quæ omnium iudicio turpis & deformis iudicatur?

Cant 5. v. 13.

Enimuero me quod attinet, ita opinor, spiritum Sanctum cum talem faciem deprædicat & laudat ieiunia & abstinentias, in quibus nonnemo seruorum suorum exercebatur, mystice indicare & quasi digito monstrare voluisse. Quia dum homo abstinentiæ vacat, ob consueti nutrimenti defectum sese consumit carnemque suam notabiliter diminuit, vnde opus est vt flaccescat cutis, vultusque rugis & sulcis plenus existat, ac demum terræ cuidam aratro sulcatæ similis appareat. Vnde S. Petrus Chrysologus ieiunium *Sanctitatis aratrum* appellat. Eosdem namque ieiunium in vultibus sanctorum producit effectus, quos aratrum in Agris. Atque ideo tametsi accidat imo ordinarie contingat, vt similes facies in oculis hominum minime venusta, quin potius deformis appareat, attamen in oculis ipsius Dei ob maximam quam Deus in ieiunio habet complacentiam, adeo spectabilis est & pulchra, vt se continere à laudibus ipsius nequeat. *Genæ illius sicut areolæ aromatum sicut linea sulci*.

Chrysologus serm. 1.

Nec immerito. Facies enim ieiunantis tabulæ cuidam à pictore venustissimis gratissimisque coloribus depictæ & adornatæ est similis. Postquam enim spiritus Sanctus supra dixisset *Genæ illius sicut areolæ aromatum*, mox subiungit: *Consita à pigmentarijs*. Et reapse quidem ieiunium animæ faciem illustrat candore castitatis cum ieiunij proprius effectus sit quod hominem efficiat continentem, carnem etiam rubedine charitatis tingit cum erogatur & dispensatur pauperi, quod subtrahitur ventri virore quoque spei cælestis præmij, ob ingens quod inde exspectatur meritum, afficit: centenisque alijs pulcherrimis illam coloribus exornat, vt proinde sancta Ecclesia dicat: *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia*. Anne simili aliqua pictura, videri aliquid elegantius & excellentius potest?

2. Inter cætera, quæ Deus Moysi ad vsum Tabernaculi fabricare præceperat, ingens quoddam vas æneum erat speculis mulierũ illarũ, quæ noctu diuque in Diuinæ Maiestatis conspectu vigilare solebant in circuitu adornatum: *Fecit labrum æneum cum basi sua de speculis mulierũ, quæ excubabãt in ostio tabernaculi*. Qualesnam hæ fuere mulieres tanti à Deo æstimatæ & honoratæ, vt coram eo semper mererentur assistere: Hæ vtique omnium selectissimæ raræque pulchritudinis esse debuerunt, vt dignæ essent, quæ in gloriosæ Maiestatis illius tremenda præsentia semper astarent & excubarent, à qua procul omnis abesse debet deformitas. Audite igitur quales fuerint. Exod. 38.

Imprimis vero Notandum, quod vbi nos in vulgata legimus: *Excubabant* Septuaginta vertunt, *Ieiunauerunt*. q.d. Erant mulieres continuo ieiunantes ideoque facie semper videbantur macilenta, lurida, pallida & veluti emortua. Vt igitur Deus significet quantum sibi ieiunium & abstinentia placeat, alias in conspectu suo assistere facies noluit, quam earum duntaxat, quæ ieiuniis vacent. has enim velut spectabiliores, & gratiores, omni alteri humanæ venustati, & pulchritudini anteponebat.

3. Cum Deus olim populum Niuitarum ob grauissima quæ committebant scelera, valde

valde execraretur, tandem eos vna cũ omnibus Niniue ciuitatis mœnijs deuastare & in extremam ruinam & desolationem agere decreuit. Quo fine Ionam Prophetam ad illos ablegauit, in publicis vrbis illius plateis & compitis viarum, horrendum clamantem & vociferantem, atque tristia hæc illis & lugubria annuntiantem nuncia: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Quadraginta autem illis diebus elapsis Niniue nihilominus quam ante integerrime substitit, salui item & incolumes permansere omnes Ciuitatis illius incolæ. Vnde S. Ioannes Chrysostomus dicit: *Dixit enim Deus, subuertetur Niniue, & non subuersa est.* q. d. Cur Deus qui iam Niniuen funditus extirpare & delere decreuerat id conformiter decreto suo non fecit?

Iona 3. v. 4

Chrysost. serm. de ieiun.

Respondet: *Adhibuerunt ieiunium & effugerunt.* q. d. Niniuitæ quantum sibi Deus in ieiunantium faciebus complaceret probe scientes, mox vt Deum aduersus ipsos & ciuitatem eorum indignatum esse, iamq; acerbissimam in ipsos vindictam meditari cognouerunt, omnes vniuersim ad ipsos vsque infantes lactentes & bestias, ieiunare cæperunt. Quæ Niniuitarum rigida abstinentia adeo infinitæ Dei bonitati placuit, vt tametsi illos castigare & perdere decreuisset, admirabili tamen cum facilitate mox illis placatus omnia ignouerit.

Tunc pridem non vero antea homines, veri coram oculis Dei Niniuitæ fiebant. *Niniuitæ* in latino sermone idẽ significat quod *Pulchri.* Ieiunantes enim coram oculis Dei valde sunt spectabiles & pulchri. De quorum pulchritudine infinita illa maiestas adeo gaudet & delectatur, vt quantumuis illis iratus sit, iamque ad sumendam de illis vindictam armata sit manu paratus, hæc tamen quantumuis ardens Dei iracundia mox vt hominis intuetur faciem subito extinguitur, mitigatur concepta indignatio, mensque illius denuo serenatur, & paterne ignoscit: *Adhibuerunt ieiunium & effugerunt.*

4. Quantopere vero altera ex parte Deo Gula displiceat humanitus explicari nõ potest. Cum Rex, Saul vt scribit Samuel, Philisthæorum persequeretur exercitum, vt perfectam & completam de inimicis suis obtineret victoriam, publicum instituit ieiuniũ, idq; sub diuinæ maledictionis reatu omnibus idipsum non obseruantibus: *Maledictus vir qui comederit panem vsque ad vesperam.* Filius autem eius Ionathas Princeps præcepti huius minime conscius eadem die in fauum mellis ex arbore suspensum fortuito casu incidens, lanceam suam quam in sua manu habebat, leuatam melli intingendo ex melle gustato dum victoria quidem magna ex parte non tamen complete obtenta continuis conflictus habiti laboribus lassus & defatigatus esset, aliquantum se cõfortauit. cum igitur die sequenti Rex hostes suos de nouo aggredi decreuisset, id tamen facere noluit, nisi diuina prius maiestate consulta, quæ se offensam & indignabundam exhibuit. Vtpote Deo ne verbum quidem eidem respondente. Quod Saul videns, hanc Dei indignationem ex sola præcepti ieiunij præuaricatione procedere credidit, & rem vt dicunt acu tetigit; Diligenti enim inquisitione facta compertum est Ionathan filium transgressionis istius reum esse, quem proinde, licet filius suus esset, mortis condemnauit.

1. Reg. 14.

Sed quodnam est ingens istud quod miser hic iuuenis commisit peccatum, ob quod Deus adeo se indignabundum exhibet, vt ad ipsum placandum & reconciliandũ opus fuerit Ionathan ab ipsomet Patre suo mortis condemnari? Siccine ob modicum mellis ab eo in extrema necessitate, ob pugnæ labores constituto, nec quicquam de publicato ieiunio conscio, gustatum, hic iuuenis vitam prodigere debebit?

S. P. Ambrosius hunc locum considerans. *Videte, inquit, quanta sit resoluti ieiunij culpa, quæ non nisi sanguinis effusione punitur*, quasi dicere voluisset: quod si Ionathas ob modicum Gulæ peccatum, si tamen peccatum dici potuit, mori debebat, si indicti ieiunij tempore modicum mellis commedendo, Deum tantopere offendit, etiam dum huius præcepti ieiunij prorsus ignarus extitit, vt ipsum nonnisi mortis supplicio placare potuerit, facile coniici poterit, quantum infinita illi Maiestati Gula displiceat, & quantum ex hoc peccato offendatur, qui ob minimam Ionathæ imperfectionem adeo grauiter mox indignatus, tantam postularit vindictam.

S. Ambros. serm. 6. in Domini. 1. quadrag.

etiam? scimus equidem quod ob aliorum peccatorum transgressiones facile per sanguinē & mortem bruti cuiusdam animalis placari solebat, verum ob peccatū Gulæ (adeo magnopere illud detestatur & odit) non placatur, non serenatur, nō ignoscit, nisi videat vna cū vita hominis transgressoris & gulosi sparsum & effusum eiusdem sanguinem. *Non nisi sanguinis effusione punitur.*

5. Adhuc longe maius quidpiam ex S. Vincentio Ferrerio edicam qui pulchrā quādam instituit quæstionē, & dicit: qui fit quod S. Ecclesia Missam in Dominica Quinquagesimæ celebrans, Euangelium illud, in quo de Dolorosa Filij Dei Passione & morte agitur, legi voluerit: *Ecce ascendimus Ierosolymam &c.* Luca 18. v. 31. Illa die totus mundus hilaris est & lætus, & Bacchanalibus celebrandis occupatus, tempus omne iocis, choræis, Comædijs, recreationibus, conuiuijs, alijsque similibus festiuis lætitiæ signis transigit, & S. Ecclesia de doloribus, de sanguine, de Cruce, & de morte tractabit, quasi, vt communiter dici solet, mortuum mensæ adhibeat? Quod si sapiens omnia tempus suū habere dicit, & aliud quidē ridendi, aliud vero plangendi tempus esse, aliunde vero tēpus illud, ridendi tempus sit, quomodo planctus illi cōueniet? Et Respondet: *S. Mater Ecclesia spiritu sancto gubernata & recta, sciens excessum, & Gulositatem filiorū suorum quam faciunt his tribus diebus in cōmedendo & bibendo, cogitauit ponere corā filijs suis Christi passionē, vt fideles restringerentur à gulositate, considerantes quantū constitit peccatū Gulæ primorum parentum, non Gallinarum aut perdicum, sed vnius pomi fructus, quod filius Dei debuit suspendi in patibulo Crucis.* S. Vincent. Ferr. serm. in quinq.

Ex quibus omnibus habemus dolorosam Filij Dei Passionem, & mortem, solū exantlatam esse, ad mitigandam Dei iram, ob solum Gulæ peccatū offensi Vnde colligimus, vitium istud adeo Deo displicere, vt ne quidem etiamnum reconciliatum & remissum esset, nisi vnigenitus eius sanguinem suum effudisset, fuissetque mortuus.

6. Vtique considerastis, qualiter vniuersi huius conditor in mūdi creatione de die in diē vlterius semper progressus fuerit, nouas quotidie formando creaturas; postquā autē sextū diē attigit, mox ab ulteriori creatione manū subduxit, nec quidquā vlterius facere voluit. Cur vlterius non est progressus? nec quicquam vltra facere voluit? quodnam ipsi accidit impedimentum?

S. Ambrosius, impedimētū eius fuisse ipsū hominis comedere dicit. Et ratio est, quia tunc præcise Deus manū suā ab opere creationis continuādo subtraxit, quando hominibus māducandi potestatē concessit, postquam illis dixit: *Ecce dedi vobis omnem herbā, afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem, generis sui, vt sint vobis in escam*, nihil vlterius creare voluit, siue paruum, siue magnum. Genes. 1. v. 29. Fortasse quia præuidit, quantum ab hominibus cibo & potu mediante offendendus esset; vnde indignabundus & iratus creando nihil plus vltra moliri voluit.

Ex his omnibus S. Archiepiscopus quandam elicit consequentiā, & dicit: *sicut* mundus propter cōmedere & bibere finē creationis suæ habuit: ita quoque propter idem edere & bibere, omne id quod eo vsq; creatū fuit, in vniuersali nimirū iudicio, finem suum habebit: *Vbi cibus capit, ibi finis factus est mundi; quo indicio declaratum est, quod per cibos mundus haberet imminui, per quos desijt augeri.* S. Ambros. de Elia. cap. 4. Id quod totum ad innuendum dicitur, quātopere Deus Gulæ peccatū abominetur, cū in fine mundi, quando tametsi magna eaque grauia futura sint hominum peccata, nullum tamen aliorum adeo illum offendet, atq; ad deflagrandū igne mundū vltimāq; vindictā sumendā commouebit, quēadmodum peccatum istud.

7. Cum in Ierusalem festū Tabernaculorū præ foribus esset quod septem diebus integris immense Septēbri ab vniuerso populo Hebræo ingenti cū solemnitatis pompa celebrabatur, Christus quoque vt ad eandē se vna cū aliis reciperet solemnitatē, à fratribus suis vrgebatur. verū, vt inquit, Ioannes, qui historiā hanc refert, primis illis solemnitatis diebus eo ire noluit sed postea: *Iam die festo mediante ascendit IESVS in templū &c.* Ioann. 7. v. 14. Quod si causam scire cupiatis ob quam sapiētia incarnata, ad festū hoc omnino se receptura, non primis se diebus eo receperit, sicut cæteri sed postea? allata est hæc à S. Vincentio Ferrerio dicente: *Noluit ascendere prima die quia illa die sedebant singuli ad comedendum & bibendum.* q. d. illis diebus Hebræi non intendebant deuotioni, pro ratione obligantis

solemnitatis, sed cibo tantum & potui, potius ventris & Gulæ quam animæ siue Dei festum erat. Cum igitur superfluũ cibum & Crapulam summopere abominetur ideo ne rem adeo sibi exosam & horridam videre cogeretur, ad festiuitatem illam se recipere distulit, donec iam finirentur dissolutiones, & crapulæ remitterent.

8. Verum enimuero si de Dæmone deinceps sermo sit, omnino reperiemus contrarium, quod de Deo diximus; hic enim summopere abominatur ieiunium, Gula autem ei maxime placet. Cum Apostoli die quadã pauperculum quendam infirmum siue Energumenum à Dæmone, a quo is obsessus, maleque habitus erat, liberare statuissent, quantumcunque hac in re laborando se fatigarent, nihil tamẽ efficere potuerunt. Videns autem idipsum infirmus ad Magistrum illorum recurrit, & sanitatem subito accepit. Completo isthoc miraculo, dicit S. Matthæus, Apostolos secrete Christũ accedentes eundem rogasse, vt causam diceret, ob quam Dæmonem illum è corpore isto pellere nequiuerint. Quibus Christus respondit: *Hoc autem genus non eiicitur nisi per orationem & ieiunium*; q. d. quod si vos Dæmonem istum ex corpore isto intendebatis eiicere prius ieiunare debebatis, nec enim Dæmon efficacius pelli potest, quam virtute ieiunij.

Matth. 17. v. 21.

Verum enimuero quænam est virtus illa peculiaris, quam ieiunium Exorcistæ tribuit, ob quam necessum est ipsum ieiunare priusquam Dæmonẽ expellere valeat? Responsio allata est à S. P. Chrysostomo, quilo- quens de formidine, qua Dæmon ieiunium execratur & timet dicit: *Si quis spiritu fuerit correptus immundo, & ieiunij perspexerit vultum, seu lapis ipse indurabitur; ideo Christus dixit: hoc genus non exit nisi in oratione & ieiunio.* Ob nullam aliam causam ieiunare debet quisquis ad Dæmonem pellendum laborat, quam quia Dæmon tantopere ieiunium abominatur & odit, idemque adeo formidat & fugit, vt si is qui ieiunat faciem illi suam duntaxat exhibeat, alias ad illum è corporibus pellendum adhibere vires nequaquam indigeat; siquidem solo vultus sui obtutu illos terret, tremere facit, ac denique in fugam adigit, vtpote, qui ieiunantem videre, aut audire nullo modo potest.

S. Chrysost. serm. 2. de ieiun.

9. Quod si deinde de Gula loquamur, indubitatum est, aniquum aduersarium nostrum, maiores illa delitias non habere, adeo nempe magnum est quod inde capit gaudium. Quærit Eusebus Cæsariensis, quænam sit ratio, ob quam Deus in scriptura sacra adeo magnopere ieiunium & castitatẽ suadeat atque deprædicet? Cum certissimum sit Deum sibi in prædictis virtutibus minime principaliter complacere, vt proinde illas super omnes alias recommendare minime debuerit. Et respondet: *Non quia principaliter Deus bonis istis placaretur, sed vt recedant illi, qui sanguine & immunditia gaudent ac vt his fruantur, viuentium corpora ingrediuntur.* q. d. Tametsi Deus in Ieiunio & castitate sibi principaliter nequaquam complaceat, non tamen ideo virtutes illas nobis deprædicare & recommendare plusquam alias intermittit. Idque nullum alium ob finem, quam ad pellendos à nobis Dæmones, qui ob gaudium quod ex gula & lasciuijs nostris concipiunt, & ob eam quam inde hauriunt recreationem, hominum frequenter corpora ingrediuntur: *Vt his fruantur, viuentium corpora ingrediuntur.*

Eusebius Cæsar. de præpar. Euang. lib. 4. cap. 12

Nunc itaque causam pridem intelligere mihi videor, ob quam Princeps Dæmoniorum Beelzebub appelletur, quod in latino sermone idem significat quod Idolum Muscæ, vel Deus Muscarum; quippe spirituum infernalium, veluti totidem Muscarum Princeps existit, quia videlicet ad instar Muscæ, nullam aliunde capit delectationẽ, quam de cibo & potu nimio, seu de hominum gulositate non quasi ventrem habeat & palatum sicuti nos, aut cibos gustet, prouti nos illos gustamus, sed quia de humana gaudet perditione, quæ à nimio cibo & potu, ab epulis & crapula principaliter dependet. *Idolum Muscæ.*

SERMO

SERMO VI.

In Feriam II. post Dominicam I. Quadragesimæ.

Cum venerit filius hominis.

Matthæi 25.

VEtustissimus Origenes, dum traditorem discipulum, cum impia carnificum turba, ad tradendum & capiendum mansuetissimum agnum Dominum suum progredientem, profundius considerat, præcipue vero, quod ad omnem præcauendum errorem, & ne fortasse alius pro eo ligaretur, osculi ipsum signo prodiderit: *Quemcunque osculatus fuero ipse est, tenete eum*, pulcherrimum quendã difficultatis nodum conficit & proponit, dicens: *Dignum est quærere, cũ secundum faciem notus esset omnibus habitantibus in Iudæa, quare sicut non cognoscentibus effigiem eius, dedit eis signum*; q. d. Cum ipse mundi saluator illis temporibus adeo fuerit tota Ierosolymorum vrbe manifestus & notus vt ipsi quoque illum infantes cognouerint Qua ratione fit, quod Iudas ad ipsum indicandũ, osculi signum carnificibus pro notitiæ tessera dederit, veluti si ipsum nunquam aut vidissent, aut cognouissent?

Matth. 26. v. 38.

Orig. Orat. 15. in Matth.

Tandem per antiquam quandam traditionem, temporibus suis valde solemnem respondet: *Venit traditio talis ad nos de eo, quod vnicuique apparebat, secundum quod fuerat dignus & cum fuisset ipse, quasi non ipse omnibus videbatur*. q. d. Veram nouimus esse traditionem, quod dum Christus cælorum Rex, cum hominibus conuersaretur in terris, velut cælestis quidam Protheus diuersas induere solitus fuerit figuras & formas, secundum quod eorum id poscebant merita, quibuscum tractabat. Cumque talium Metamorphosum Iudas probe conscius esset, ideo ne forte dum capiebatur, ex propria effigie in aliam se formam transformaret, sicque præparatos sibi laqueos euaderet, necessarium osculi signum esse existimauit.

Semper eiusmodi transformationes verbum Incarnatum amasse comperitur. Dum quondam in discipulorum suorum periclitantium conspectu fluctibus marinis inambularet, sub terribili quadam phantasmatis forma eisdem apparuit: *Putauerunt phantasma esse & exclamauerunt*. Duobus discipulis in castellum Emmaus abeuntibus se demonstraturus, quasi alienus & ignarus esset rerum earum, quæ sua in persona Ierosolymis non ita pridem contigerant, in peregrinum se viatorem transformauit: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem?* Mariæ Magdalenæ, cuius anima delitiosum quoddam erat variarum virtutum viridariũ, sanctis suis manibus plantatum, & cultiuatũ, in forma hortulani cuiusdã apparuit: *Existimans quia hortulanus esset*. Atque hoc modo per alias Euangelij partes discurrendo, in diuersas semper formas mutatum, inque varias transformatum figuras cõspicere licebit: *vnicuiq; apparebat secundum quod fuerat dignus*.

Mar. 6. v. 40.

Luc. 24. v. 18.

Ioan. 20. v. 15.

Imo ipsimet quoque Prophetæ veritatem istam prævidentes, sub diuersis illum figuris

guris varijsque sub symbolis, conformiter ad ea quæ de ipso tractabant mysteria, repræsentabant. In Incarnatione enim, vbi in gremio virginis velut captiuus quidam vinctus manebat, ipsum Dauid propheta sub

Ps. 28. v. 6. Monocerotis proposuit effigie: *Dilectus quẽadmodum filius vnicornium.* Quia vero in natiuitate sua instar floris cuiusdam pulcherrimi, à cælo nimirum terraque magnopere desiderati, comparuit, ideo Salomon ipsum

Cant. 2. v. 1. sub floris cuiusdam forma descripsit: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* In passione sua ob admirabilem eius patientiam, ab Isaia

Isai. 53. v. 7. sub ouis forma figuratus extitit: *Quasi ouis ad occisionem ducetur.* In resurrectione, quãdo humanitatis suæ venustates recuperauit & elegantias, Iob illum sub phœnicis forma

Iob 29. v. 18. descripsit: *In nidulo meo moriar, & sicut phœnix multiplicabo dies.* Quia denique in ascensione, propriæ virtutis pennis in altissima cælorum sublimandus erat, ideo ab Ieremia transformatus in Aquilam visus fuit:

Ierem. 49. v. 22. *Ecce quasi Aquila ascendit & expandi talas suas.*

In summa vt ad propositum reddeamus; Quia in vniuersalis iudicij die, truculentũ, crudelem, & terribilem se exhibiturus est, ideo ab Isaia Propheta per horribilem tre-

Isa. 31. v. 4. mendi leonis formam descriptus fuit: *Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædã suam, sic descendet Dominus exercituum, & præliabitur.* Et tametsi leo in cunctis actionibus suis terribilis sit & truculentus, in tribus tamen specialissime se talem esse demonstrat. Primo quidem in maiestate: secundo in præsentia: Vltimo denique in rugitu. Ita magnus ille Iudex, Christus Dei filius, veluti truculentus quidam & terribilis leo, in horrendo die illo, ob easdem circumstantias terribilis demonstrabitur. prouti in S. Matthæo dicitur. Et primo quidem ob maiestatem, quacum ad iudicium ingredietur: *Cum venerit filius hominis in maiestate sua.* Secundo propter præsentiam: *Et congregabuntur ante eum omnes gentes.* Vltimo propter rugitum: *Ite maledicti in ignem æternum.*

Quæ sunt tres illæ considerationes, quæ præsentem conficient discursum.

CONSIDERATIO I.

In maiestate sua.

Quod si vnaquæque Maiestas terrorem coniunctum habeat, facilis est coniectura, quam terribilis futura sit diuina Maiestas, quando mundum iudicatura sedebit.

1 TAnta est leonis maiestas, vt illam suo etiam nomine præ se ferat, cum nomen istud, *Leo*, nihil aliud significet, quam Rex, prouti S. Isidorus notat, dicens: *Leonis vocabulum græcum est, latine Rex interpretatur, eo quod sit princeps omnium bestiarum.* Isid. Ethy. lib. 2. c. 2. ita quoque iustus Iudex in vniuersalis iudicij die, ad instar leonis, cum tanta ac tali maiestate considebit, vt ne ipsum quidem nomen à tali Maiestate futurum sit vacuum, *Christus* enim nihil aliud significat, quam *vnctus*; Vnctus autem in scriptura sacra idem est, quod *Rex.* Vnde arguere licet, quantum in tremendo illo die futurus sit horrendus & terribilis, quando coram totius mundi oculis, tanta se Maiestate repræsentabit circumdatum. Et profecto quod si terribilis est omnis Maiestas, quanto terribilior futura est Maiestas diuina, præcipue vero, quando ira & indignatione contra sanctarum legum suarum transgressores exardescet.

Super illum Genesis locum, vbi Deus post Adamum formatum eidem non tantum super bestias terræ & volucres cæli, verum etiam super pisces maris dedisse imperium dicit: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Gen. 1. v. 28. Super hunc inquam locum, S. Doctor Gregorius Nyssenus quærit. Quomodo piscibus imperamus? q. d. Quantumuis super cæli terræque animalia hominis verificetur imperium, attamen qua ratione dici poterit, quod ad ea quoque quæ in mari sunt, se extendat? Cum enim status hominum à piscium conditione adeo remotus existat, non videtur, quomodo illum

illum veluti Dominum suum cognoscere, eidemque obedire, & reuerentiam exhibere possint. Respondet: *Si prope lacum aliquem conspexeris, facile poteris animaduertere, quomodo ad vmbram tuam omnes trepident.* Ex quo timore atque formidine Dominium & Imperium, quod super creaturas illas homo obtinet, facile colligitur, cum solus Maiestatis aspectus, populis subiectis naturaliter terribilis esse soleat & formidabilis.

Nyssen. orat. super faciamus hominem.

2. Refert Isaias Propheta, se Deũ admirabili quadam maiestate præfulgidum, regio in folio, tapete quodam abinde per totũ pauimentum diffluente, strato considentem à sublimissimis quoque magnæ aulæ suæ spiritibus infinitam eius Maiestatem collaudantibus incessanter circumdatum vidisse: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum Seraphim stabant super illud.*

Isa, 6. v. 1.

Circa quem scripturæ locum quærere oportet, quidnam Deus magnificam hanc quam in templo exhibuerat visionem prætenderit? Oleaster idipsum explicat dicens; *Præ se fert in templo quandam Maiestatem, vt cum illud fueris ingressus, id cum timore & Reuerentiâ facias.* Aspectus namque Maiestatis terrorem afferre solet & reuerentiam.

Oleast. ibid.

3. Nossetisne reddere rationem, cur Basiliscus, venenosissimum illud animal, Rex appelletur serpentum? scio quod dicere possitis; Id fieri, quia vt dicit Plinius: Natura caput Basilici candido quodam circulo, veluti, regiâ quâdam corona circumdedit. *Candida in capite macula vt quodam diademate.* Admitto hanc esse ex rationibus, quæ dari possunt.

Plin, lib. 8. c. 21.

Verumtamen aliam quandam ab Alberto Magno relatam auscultate rationem: *Vocant eum Regulũ, inquit, eo quod est Rex serpentum: quem alij serpentes, etiam magni fugiũt, cum tamen longitudine non excedat digitum.* Vbi sicut videtis hic Doctor Maiestatis in Basilisco argumentum ex timore, quem deo habent alij serpentes, desumit. Et merito? Vera enim & naturalis Maiestatis proprietas est, quod formidabilis & terribilis sit ijs, quibus ipsa principatur.

Albert. Mag. de animal. lib. 7. c. 5.

4. Ad hoc propositum negligi minime debet, quod in Daniele legitur, qui mirabilem illam statuam, quam Nabuchodonosor in somno viderat, describens, postquam ipsam aspectu horribilem fuisse, & tremendã, retulisset: *Intuitus eius erat terribilis.* subito subiungit, caput statuæ illius fuisse aureum. *Huius statua caput ex auro optimo erat.* Quasi dicere voluisset, nulla erat alia ratio, cur statua illa oculis intuentium illam visa fuerit terribilis, nisi quia caput eius aureum erat. Sed quomodo id verum esse potest, scilicet quod statua illa ideo terribilis fuerit, quod Caput eius aureum fuisset? cum ob id iucunda potius esse debuisset, oculisque grata, nihil etenim obtutui humano iucundius, aut magis recreatiuum esse potest, quam auri aspectus, dicendo nimirum S. Basilio: *Sic enim aurum pulchrum esse constat, quod suo solo probo colore visum inuitat ac allicit aspectuq; iucundũ est.* Contrariũ igitur potius dicere debebat.

Dan. 2. v. 31.

Basil. Exa. congres. 2.

Vt igitur huius loci assequamur intelligentiam, notandum est, caput istud aureum significasse regiam Nabuchodonosoris maiestatem, prouti in somnij eiusdem interpretatione Sanctus Propheta eidem Regi edixerat. *Tu es ergo caput aureum.* Hoc autem supposito dico, quod tametsi verum sit, quod aspectus auri oculis idipsum intuentibus, gratus sit ac delectabilis: Coronæ tamen ex eodem metallo fabricatæ regioque hominis alicuius vertici superimpositæ, non iam amplius gratæ sunt & recreatiuæ, sed terribiles & formidandæ, regiam enim referunt maiestatem, quæ nonnisi terribilis & horrenda subditorum oculis esse potest, *Intuitus eius erat terribilis.*

Ibid. v. 38

5. Scribit Macrobius, olim quendã, certis quibusdam necessitatibus pressum, cum quoddam Octauio Augusto Imperatori memoriale daturus esset, panico adeo correptũ fuisse terrore, vt totus quantus erat, à capite ad calcem vsque tremeret, idemq; memoriale nunc anxius traderet, mox vero retraheret tremulus. Quod Imperator cernens subridẽdo dixit; *Putas te istud Elephanto dare?* q. d. quid est quod trepides adeo, & timeas? an forte persuasum tibi habes, quod fero alicui Elephanti appropies, quod tantam toto corpore formitudinem significes? Veruntamẽ tametsi Pauperculi sollicitatoris illius timor, per iocum ab Imperatore fuerit

Macrob. lib. 2. c. 4.

recep-

receptus non tamen omni carebat ratione, vtpote quæ hominem istum in tantæ Maiestatis præsentia constitutum corripiebat, quæ se sola quacunque alia causa absente terrorem nata est incutere & formidinem.

Ex hactenus dictis colligere est? quodsi omnis Maiestas terribilis sit, quã Dei Optimi Maximi, Regis totius vniuersi, & cuiusuis alterius maiestatis supremi Monarchæ maiestas futura sit expauescenda.

6. Id quod per throni illius considerationem plenius intelligetis, super quo Isaias Propheta Diuinam maiestatem vti mox diximus, duobus Seraphinis circumdatam sedere conspexit, qui variis instructi alis erant, quarum quatuor ad Dei faciem & pedes cooperiendos, duas vero alas reliquas ad volandum adhibeant? *Seraphim stabant*
Isa. 6. v. 2. *super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.*

Quod cœlestes hi Spiritus in diuinæ maiestatis præsentia constituti pedes & facies Dei contexerint, per hoc ut S. Ioan. Chrysostomus inquit, magnam reuerentiam, quacum in Dei sui præsentia astabant, indicare voluerunt: *Faciem quidem & pedes, ob ingentem reuerentiam tegentes.* Quod vero deinceps duabus reliquis alis, coram diuina maiestate volarint; id mihi non tantum nullam significare reuerentiam, sed etiam ingens fuisse videtur irreuerentiæ, & certæ cuiusdam insolentiæ, siue leuitatis argumentum. Sicut enim pro debito Principis alicuius respectu requiritur, vt aulici in eius præsentia & conspectu firmi stent & immobiles, ita frequens motus, membrorumque instabilitas indecora valdeque inconueniens esse indicatur.

Chrys. lib. 2. de adorando Deum.

Respondetur cum eodem sancto Doctore illum Seraphinorum volatum, non volatum aut motum propriè, sed certum quendam fuisse reuerẽtialem timorem; hic enim efficiebat, vt se in præsentia tremendæ illius Maiestatis constitutos videntes, tremulas alas suas quodam trepidationis motu incessanter mouerent: *Volatu vero, dum non valent in quiete permanere, magnum tremorem declarantes:* Ex quo colligitur, adeo terribilem atque tremendam esse Maiestatem diuinam, dum illa creaturarum suarum oculis manifeste obijcitur, vt sublimes quoque ac gloriosi ciuitatis cælestis spiritus, ex eiusdem conspectu timeant & tremant. *Magnum tremorem declarantes.*

Chrysost. ibid.

7. Verum enimuero vt ad propositum nostrum accedamus proprius, ad contemplandam Dei incarnati Maiestatem, sermonem nostrum conuertamus, de quo S. Lucas scribit; quod cum nonnulla in Gerasenorũ regione fecisset miracula, homines regionis illius certiores de illis facti, mox sua egressi sint ciuitate & oppidis, vt hominem talem adeo prodigiosum, tantorumque patratorem miraculorum conspicerent. Mox vero vt ipsum viderũt, magna quoque cum instantia eundem vt ab illa Regione sua diuerteret, rogare cœperunt: *Rogauerunt illum omnis multitudo Gerasenorum, vt discederet ab eis.* Equidem magno hi mihi iudicij laborasse deliquio videntur. An enim bene illis esse poterat, nolendo ipsum? neque ipsum in sua societate aut communitate desiderando? Nunquid melius ab illis factum fuisset, si illum abs se discedere parantem, catenatum vi vinctum retinuissent, prouti Tyrij Herculis sui catenis astrinxerant imaginem? Luc. 9. v. 37.

Ratio huius à Seraphico Cardinale Bonauentura allata est, dicente: *Postquam cognouerunt maiestatis imperium formidabant; vnde rogauerunt eum vt discederet ab eis.* Tantam enim adeoque insolitam in ipso Maiestatem conspexerant, vt ad primum illius obtutum tremere cœperint, ac trepidare; & veluti mihi persuadeo, si vel modicum longiori cũ illis mora commoratus fuisset, sese morituros fuisse credebant, adeo formidabilis atque tremenda esse solet diuina maiestas, affirmante id ipsum quoque S. Ecclesia, dum ab illa Deus *Rex tremendæ Maiestatis* appellatur. Bonauen. ibid.

Verbum incarnatum die quadam templum Hierosolymitanum ingrediens, flagello manu præhenso, è sacro loco isto auaros pepulit sacerdotes, aliosque homines irreligiosos, qui loco isto, velut foro, abutentes eundem prophanabant? *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Vbi Rupertus Abbas, Christum eodem tempore, quo hoc fecit, in vilissimo apud Hebræum populum conceptu & æstimatione fuisse notat, adeo vt veluti maxime infa- Ioan. 2. v. 13.

infamis, vituperosissima crucis morte, supplicio nimirum latronibus & homicidis proprio, dignus ab omnibus haberetur. *Homo tunc vilis & in tantum vilis vt postea crucifigeretur.*

Rup. Abb. in 4. Euãgel. lib. 1. c. 27.

Hoc tanquam verissimo, vti reuera est, supposito; quæro, qua ratione fieri potuerit, quod potentes illi Pontifices, superbique sacerdotes ex templo suo se pelli adeo leuiter permiserint? cur nullam illi cernuntur fecisse resistentiam? cur non conuolarunt ad arma vt se defenderent? cur veluti canes flagello se foras pelli permisere? quo modo homo aliquis adeo apud ipsos vilis & infimæ reputationis tantam illis incutere potuit formidinem?

Dicit porro hic Doctor, illos Christo resistere minime potuisse, eo quod Filius Dei in hoc opere *Regni, sui hostibus suam significauit magnitudinem.* q. d. scelestis sacerdotibus illis diuinæ maiestatis suæ manifestauit magnificentiam, quæ illis adeo tremenda visa est & terribilis, vt ad solum eius conspectum linquerentur animo, & non tantum nullum molirentur resistendi conatum, sed tremuli ac formidolosi, è domo Dei sui flagello se abigi sinerent: *Rex tremendæ Maiestatis.*

9. Cum idemmet Deus ac Dominus meus in horto constitutus, à sceleratis ministris illis, qui tanta cum animositate, audacia, & furia ad crucifigendum eum venerant, iam iam capiendus atque ligandus, quemnam quærerent, interrogasset; ipsi vero Iesum Nazarenum se quærere respondissent, vix illis, quod Iesus esset, palam aperuerat, inquit Ioannes, cum ecce mox veluti si à terribili quodam fulmine correpti fuissent, pedibus insistere minime valentes in terram prostrati corruere. *Vt ergo dixit eis Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Vbi quæso nunc est animositas & fastus audacissimæ illius lictorum cohortis? vbi illa, quam in armis suis confisi habere videbantur, temeritas? vbi illa à Dominis suis amplissime in Iesum concessa capiendi authoritas? Itane exierunt, vt caperent, & tamen illi potius caperentur? vt opprimerent, & opprimerentur potius ipsi? quid vspiam viderunt terribile in Christo, quod illos velut præ formidine mortuos prosternere poterat? Dionysius Carthusianus dicit, Maiestatem illam, quam in Christo manifestam viderunt, admirabilem hunc peperisse effectum. *Christus vultum suum ostendit Iudæis in terrore & Maiestate, egredientibus ex oculis eius igneis radiis, atque diuino quodam fulgore in eis mirabiliter radiante & apparatu sui vultus illos exterruit & prostrauit.* Tametsi Dominus illo tempore, vt caperetur & ligaretur, paratus esset, intermittere tamen noluit, quia illis personæ suæ, cui capiendæ suis tanta cũ temeritate manibus inuolarant, excellentiã demonstraret; Quo fine vt sui illis vultus maiestatem manifestaret ignei quidam radii, cum diuino quodam ex facie eius emicante splendore coniuncti, ex oculis eius vibrari conspiciebantur: vnde vilis illa lictorum plebecula tanto concussa est terrore ac metu, vt tametsi magna cum animositate & audacia accessisset, mox tamen omni despondens animo, miserabiliter in terram ceciderit. Adeo nempe magna & terribilis est illa Christi maiestas, vt in eius conspectu nullus, quiscunque tandem ille sit, valeat consistere, sed in semetipso confusus & stupefactus corruere debeat.

Dionys. Carth. art. 18. in Luc.

10. Porro hinc mihi causam, cur Dauid Christum gygantem appellet, facile est intelligere. *Exultauit vt gygas ad currendam viã à summo cælo egressio eius.* quotquot linguæ sanctæ interpretandæ periti existunt, dicunt quod nomen illud *Gygas* à radice *Naphal* deriuetur, quod proprie vti Oleaster obseruat *cadere* significat; vnde *Gygantes* in Hebræo idem significant quod in latino *cadentes.* Rabbi Abraham, vti idemmet Doctor notat, vult Gygantes nullam aliam ob causam *cadentes* appellatos esse; *nisi quia homines timore oppressi, eos videntes, caderent.* Homines enim illi, quos antiqui Gygantes appellabant, adeo erant vultu terribiles, atque tremendi, vt quando ab aliis hominibus videbantur, ob ingentem corporum suorum magnitudinem, tanta se intuentes percellerent formidine, vt mox perterriti, in terram conciderent. Ecce tibi igitur rationem ob quam Christus Rex cælestis Gygas esse dicatur: *Exultauit vt Gygas.* Adeo namque immensa & interminata est magnificentiæ suæ maiestas, vt quotquot corã eo prodeunt veluti coram facie magni cuiusdam Gygantis

Psal. 18. v. 6.

Oleast. in 6. Gen.

gantis pauidi & tremuli in terram corruant? *Abierunt in terram, & ceciderunt retrorsum.*

11. Christo in Bethlehem nato, tres ab Oriente Magi illum adoraturi accesserunt, qui Ierosolymam pertranseuntes, industriè de loco, in quo Christus natus esset, interrogare cœperunt; *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Dicit autem Sanctus Euangelista, Herodem Regem hoc nuntio audito, & cũ eo omnes Hierosolymæ incolas & ciues turbatos fuisse. *Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo* Locum istum obsecro, non nihil ponderemus, & quidem Ierosolymitanorum si attendamus timorem, satis illum rationabilem esse comperiemus, vsitatissimum enim est, subditos valde trepidare, visa principis sui Maiestate: At vero, quod præter vulgares & plebeios ciues, ipsemet quoque Herodes Rex vehementer timuisse dicatur, quâ ratione id intelligi possit, aut debeat, ignoro; Nunquid enim Herodes Rex erat in terris? Quomodo igitur alium in terris Regem timet? præcipuè vero Regem qui Infans sit recens natus? potius intrepidum se exhibere, seque ad regni sui defensionem, & noui sui hostis impugnationem præparare, non vero timere debebat. Vnde ergo est, quod vehementer adeo timeat? *Herodes rex turbatus est.*

Matth. 2. v. 2.

S. Gregorius Magnus hunc nodum dissoluit, dicens: *Cæli rege nato Rex terræ turbatus est, quia nimirum terrena celsitudo confunditur, cum celsitudo cælestis aperitur.* Quod si natus iste infans, Rex mundi huius fuisset, minime profecto Herodes Rex timuisset, nunc autem cæli Rex erat. Adeo autem magna est maiestas diuina, vt ea in terris apparente, non vulgus tantum, aut plebei homines timeant, sed ipsæ quoque coronæ regum tremant ac trepident. In eius namque comparatione in nihilum resoluitur omnis humana maiestas, prouti Dauid de regiâ suâ loquens potentia dicebat. *Et substantia mea tanquam nihilum ante te.* Aquila legit. *Et latibulum meum tanquam nihil est ante te.* Hoc est, maiestas mea (quæ latibulum appellatur, quia ad illam obtinendam & custodiendam, Reges à subditorum suorum oculis procul stare solent remoti, & occulti) in conspectu maiestatis suæ, nomen maiestatis amittit & nihilum esse videtur. *Tanquam nihilum ante te.*

Greg. hom. 10. in Euang.

Ps 38. v. 6. Aquila transl.

Quod si maiestas Dei eo etiam tempore, quo mortalis, passibilis, ac pacificus erat, seque ad mundũ saluandum, operibus impendebat pietatis, tantum nihilominus timorem attulit, atque formidinem, quam igitur terribilis, atque horrendus erit, quando se immortalem manifestabit? quando in iudicio illo vniuersali flammis iræ & indignationis accensus, sedebit mundum iudicaturus? Explicari id minime valet.

12. Quando S. Paulus adhuc Saulus, nondum Apostolus, sed Apostolorum, totiusque Christiani nominis persecutor, ex zeli, quo flagrabat, Hebraicæ legis, abundantia, ex potestate sibi à magna Ierosolymæ curia commissa, in Damascum, quoslibet sibi obuios Christianos capturus, & vinctos secum in Hierusalem ducturus, abibat, Christus illi in viâ, tantâ maiestate, & formâ adeo terribili & tremendá circumdatus, apparuit, vt referente id S. Luca, præter amissum inde oculorum suorum lumen, tanto insuper perculsus sit timore ac formidine, vt se in equo suo continere non valens, veluti mortuus in terram ceciderit. *Et cum iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco & subito circumfulsit eum lux de cælo, & cadens in terram &c.* Moxque hanc Christi vocem audiuit; *Saule Saule cur me persequeris?* Act. 9. v. 4.

Grandis profecto erat visio ista, pauoreque & terrore plenissima. Ecquænam enim obsecro, aut qualis forma illa fuit, quæ S. Paulo exhibita adeo visa fuit terribilis? S. Vincentius Ferrerius Christum in eâdem forma apparuisse dicit, in quâ toti mundo in iudicio exhibendus est vniuersali. *Christus ostendit se, vt dicunt Glossa, sicut stabit in iudicio.* Ex quo clare ediscere poteritis, quam horrendus in vniuersali iudicio futurus sit, magnæ illius Maiestatis incarnati Dei aspectus. Quod si enim nullam creaturam quantumuis insensibilem & inanimatam, subsistere in conspectu eius vllatenus posse dicerem, nequaquam fallerer, aut errore deciperer; Et tamen incomparabiliter horribilius in tremendâ illâ die conspicietur spectaculum, quam fuerit illud S. Paulo exhibitum. Christus enim S. Paulo in formâ amantissimi cuiusdam patris apparuit, nihil

Vincent. Ferrer. serm. 3. in Sexages.

nil circa ipsum aliud moliturus, quam vt à noxio, quo tenebatur errore, illum corrigeret; vt iniquum illius zelum emendaret; vt brachijs suis illum amplexatum gregi suo adiungeret; denique vt illũ ex lupo Agnellũ, ex persecutore apostolum faceret. At vero in nouissimo iudicij die, non iam deinceps vt pater, sed potius vt hostis & inimicus veniet, non ad emendandũ, sed ad puniendũ; non vt legis suæ transgressores, inter Ecclesiæ suæ referat Apostolos, sed inter inferni damnatos collocet Dæmones; Præcursor Christi, vt Iudæos, quibus Christi prædicabat aduentum, diuinum faceret timere Iudicium, dicebat illis; *Iam enim securis ad radicem arboris posita est.* Quidnam obsecro Mysterij securim istam significasse existimas? Author operis imperfecti, qui existimatur esse S. Chrysostomus, dicit, significare vindictam, quam Christus in vniuersalis Iudicij die facturus est. *Securis autem est acutissima ira consummationis, quæ totum præcisura est mundum.*

Auct. operis imperf.

Huic igitur explicationi insistendo, sanctissimus Ioannes Baptista dicere voluisse videtur, Christum hac adhibita cæremonia ad mundum iudicandum, faciendamque de sceleratis hominibus vindictam, esse venturũ, vt nimirum ingens ante ipsum valdeque limata præferatur securis, adeo vt ad eum fere modũ ad iudicium venturus sit, quo prætores Romani ad tribunal se conferre solebant, quos minister aliquis, fascem quãdam, ex virgis securim in medio sui complectentibus compositam præferens præire consueuerat. Porro inter hanc Christi securim, & Romanorum fascem, hæc intercedit differentia; quod ante officiales Romanos, nunquã portaretur securis absque virgarum societate: ante Christum vero securis sola portanda sit absque virgis. Sed eccur sine virgis? Huius rationem facile intelliges, dũmodo notaueris id, quod Plutarchus significationem virgarum, & securis, ante prætores Romanos portari solitarum, declarans dicit: *Virga inquit, quod emendari potest, corrigunt, securis autem quod emendari non potest, abscindunt.* Virgæ significabant supplicia, ibi applicari solita, vbi emendatio sperabatur, atque ideo leuium suppliciorum, cum pietate & misericordia adhibitorum sunt symbola. Securis autem illa supplicia denotabat, in quorum vsu nullus est ad emendationem respectus, sed quæ adeo crudelia sunt & rigorosa, vt absque vllâ pietate aut miseri cordiâ infligantur.

Plutar. in prob.

Ecce tibi igitur causam, ob quam iudex ter maximus, in vniuersali iudicio solam virgis proiectis ante se portari patietur securim. *Securis ad radicem arboris posita est.* Tunc namque non agetur de castigãdis hominibus, propter aliquam, quæ inde expectetur, emendationem, vti fit in hac vita, vbi solus est virgarum vsus: Non iam amplius veniet, vt corrigat, aut vt emendet, sicuti venit ad visitandum S. Paulum: sed ad extremum miserrimorum peccatorum faciendum excidium, ad dimittendam deinceps omnem circa illos clementiam aut pietatẽ, quibus satis superque fuere abusi: ad non parcendum illis, ad lacerandum, eradicandam & morte æternâ occidendum illos. *Securis ad radicem arboris posita est.* O tremendam maiestatem, quæ adeo terribilis & horrenda in tremendo quodam throno sedere conspicietur, coram quâ totus sistendus erit mundus. *Cum venerit filius hominis in Maiestate,*

CONSIDERATIO II.

Congregabuntur ante eum.

Quod si creaturæ sensus expertes illæque quæ nullam timendi causam habent, adeo ad diuinam timeant tremantque præsentiam, quantus igitur sceleratorum hominum coram irato & indignabundo Deo congregandorum timor futurus erit?

1. S. Pater Ambrosius de leone tractans dicit: *Aliarũ ferarum generibus miscere se nescit; sed quasi Rex quidam plurimorum dedignatur consortium. Quæ autem ei fera sociare se audet,* q. d. Tametsi ita sit, quod videlicet leo pro regia maiestate sua alijs sese feris associare prorsus dedignetur, veruntamẽ adeo etiam est eius præsentia omnibus animantibus terribilis, vt tametsi illa in suam

Ambros. Exam. lib. 6. c. 3.

admittere societatem vellet, nulla tamen ex bestiis esset, quæ aut coram ipso comparere, aut iuxta ipsum auderet consistere. Quod cum ita sit, quid de præsentiâ fiet diuinâ ipsius Dei, qui in iudicio vniuersali, vti diximus leoni simillimus erit? quid de sceleratorum peccatorum horrore atque pauore dicemus, quando ad maximam confusionem suam coram Deo ipsis irato sunt comparituri? Qando ad æternam ipsorum damnationẽ præter vindictas aliud nihil machinabitur is, cuius præsentiā ipsa quoq; sensus expertia, imo & amicorum suorum charissimi, quantumuis se illis benignũ exhibeat, absque timore & formidine sustinere minime queunt? Explicari profectò idipsum nequaquam potest.

2. Debora in libro Iudicum transitum quendam, quem Deus per regionem Edom facere instituerat, recensens duo valde mira, tunc è cæteris enarrat prodigia; primo, terrã ad diuinam præsentiã concussam tremuisse. Secundò cœlos ipsasque nubes in aquas resolutas, fuisse: *Domine dum exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, cæli ac nubes distillauerunt aquis.* Estq; locus iste consideratione dignissimus. Terram enim, ad præsentis Dei conspectum tremuisse, nemo negare potest ingens reuera fuisse prodigium. Cum enim terra naturâ suâ stabilis sit & firma absque ingenti miraculo moueri nunquã aut tremere potest: vero quod cæli insuper ac nubes, vno eodemque tempore in aquas resolutæ, pluuias terræ dederint; quodnam hac in re esse aut reperiri poterit portentum? quod prodigium? quis stupor? siquidem pluuia terras rigare ordinarium ac naturale cælorum nubiumque munus existat:

Iudic. 5. v. 4.

Profectò nisi quoad hunc locum forte fortuna in Rupertum Abbatem incidissem, nescirem, vtique qua ratione mihi nodus iste dissoluendus esset: Hic enim vult Aquas illas, quas cæli ad diuinam præsentiam distillauere, nequaquam aquas naturales, aut pluuias fuisse de cælo decidúas, sed potius quosdam ex metu, & formidine, ac diuinæ præsentiæ appræhensione causatos, sudores, vtpote quam sufferre nequaquam poterant. *Cæli ac nubes distillauerũt aquis, ad præsentiam Domini cæli, quia quasi quodam pauore sudorem emittentes aquis distillasse dicuntur.* quasi diceret: postquã cæli Deum cognouere præsentem, quasi rationales, sic gelido mox sudore, præ nimio quo corripiebantur timore, madescere cæperũt. Ad innuendũ adeo horrendam ac formidabilem esse diuinam præsentiam, vt dum ipsis quoque irrationabilibus insensatisque creaturis præsentatur, illæ mox non aliter; quam si ratione ac sensu præditæ essent, timeant, tremant, ac præ nimio pauore perculsæ sudore madescant.

Rup. Abbas ibid.

3. S. Euangelista Matthæus de magnalibus, quæ circa Christi Domini contigerũt anastasin, loquens dicit, ingentem inter alia prodigia terræ motum visum fuisse. *Et ecce terræ motus factus est magnus.* Et ne nos causæ istius terræ motus relinquat ignaros, dubios, vel ambiguos, eandem subito subiungit. *Angelus enim Domini descendit de cælo:* q.d. Causa magni illius terræ motus, per quem tota terra visã est commoueri, Angeli illius, qui ad reuoluendum à Sancto sepulchro lapidem venerat præsentia fuit. Terra namque formidine atque terrore perculsa fuit quando se in cælestis cuiusdam Angeli præsentia & conspectu constitutam vidit, vt illam sustinere nequaquam valens, haud aliter, quã si intellectu & ratione prædita fuisset secundũ totam sui molẽ contremuerit. *Terra motus factus est magnus.*

Matth. 28. v. 2.

Hisce omnibus suppositis S. Petrus Chrysologus efficax format argumentum, dicẽs: *Qua conserui, hoc est Angeli præsentiam sustinere non valuit, quemadmodum Deum Iudicem sustinebit?* quasi dicere vellet, Idipsum explicare nemo valet, inexplicabilis enim est terror ille, quem diuina præsentia ipsis quoque rebus inanimatis incutere consueuit.

Chrysol. serm. 77.

4. Sancta Dei Ecclesia ingens illud periculũ, quod in vniuersalis Iudicij die eidẽ iminebit, considerans, Deũ sponsum ac Dominum suum ita precatur: *Libera me Domine de morte æternâ, in die illa tremenda: Quando cæli mouẽdi sunt & terra.* Circa quæ verba S. Vincẽtius Ferterius quærit; Cur Ecclesia dicat in vniuersalis iudicij die cælos mouẽdos esse & terrã? Quâ in ratione se fundat, vt ingentem illam commotionẽ prædicere non dubitet?

Et respondet quod Ecclesia id dicẽs, super vniuersali illo terrore fundetur, quo omnes

per-

percellētur creaturæ, quando Deū suum sibi cernent esse præsentē. Tūc enim cœli & terra *Non poterunt sustinere ipsius aduentum*. Vnde mox vt cœli & terra se Deum suum coram se habere aduertent præsentem, tanto terrore & horrore turbabuntur, vt eundem sufferre minime valentes, quasi sensus alicuius capaces essent extreme turbandi & concutiendi sint, veluti tremuli, & præ nimio metu trepidantes: *Non poterunt sustinere ipsius aduentum.*

Vincent. Ferrer ser. 1. Dom. 1. Adu.

5. Cum dulcis puer Iesus à truculento & rabido Herode persecutionem sustineret, ipse inter dulcissimæ matris suæ brachia constitutus, in Ægypti regno suum requirebat refugium. Cum autem ad vrbis Hermopolitanæ appulisset portas, iuxta quas ingens quædam arbor, persides dicta, excreuerat, cuius folia humanis infirmitatibus curandis non solum medicinalia erant, sed etiam miraculosa. In historiâ namque Tripartitâ insolitum hocce describitur miraculum. *Non ferens hæc arbor maximum Christi Saluatoris aduentum, inclinata est vsque ad terram.* Verum enim vero quidnam terroris arbor isthæc, in dulcissimo hoc puerulo videre potuit, vtpote qui mansuetus inter suauissima charæ matris suæ brachia ad viscera eiusdem suspensus, ligatus fascijs requiescebat tantâque cum humilitate in vili quodam portabatur Asello? quid inquam horroris in eo notauit, vt tantâ eo viso trepidaret formidine? Respondeo quod tametsi verum sit, Christum in ætate illâ, illoque tempore, nihil in se habuisse horroris aut formidinis, imo potius pietate, mellitque dulcedinis fuerit plenissimus, negari tamen minime potest, quin verus fuerit Deus, cuius præsentia tam est tremenda, atque horribilis, vt tametsi sub humili & mansueta forma compareat, terribilis tamen esse, & manere nequaquam desinat, ipsis quoque creaturis insensatis, veluti qui vetri refert præsentiam Leonis.

Histor Tripart. lib. 6. c. 42.

De Leone Pierius Valerianus scribit, huius præsentiam tantum cæteris animantibus adferre horrorem atque tremorem, *vt etiamsi ferum nihil moliatur, intuentes tamen terreat, ea est in oculis eius vis atque maiestas.* Sic & non aliter diuina facit præsentiâ, in quâcunque se tandem formâ exhibeat, quantumuis clementi & mansuetâ, tremenda tamen semper erit, manebitque terribilis.

6. Manue Samsonis pater & vxor eius tanto post visum Angelum mox pauore correpti sunt, vt iam iam se morituros existimarent. *Intellexit Manue Angelum Domini esse, & dixit ad vxorem suam: Morte moriemur.* Quærit hoc loco Hugo Cardinalis. *Vnde metuebant mortem? non enim dictum est, non videbit homo Angelum, & viuet*, tametsi id de Dei legatur visione. Vnde quod si solummodo Angelum, non vero Deum vidit, cur dixit: *Morte moriemur.*

Iud. 13. v. 21.
Hugo Card. ibid.

Respondet cum S. Augustino: *In Angelo intellexerunt Dominum propter quod ita perturbati fuerunt, & ideo dixerunt, morte moriemur.* Non illis Angeli obtutus, sed Dei cōspectus tantum incusserat terrorem, quem in persona Angeli nouerant esse repræsentatum, Deus enim hominum oculis obiectus, adeo est terribilis, vt tametsi sub cuiuscunque demū siue angeli, siue hominis, siue pueruli, siue adulti, aut quâuis aliâ formâ appareat, homo tamen ille cui sic exhibetur, subito se moriturum esse formidet: *Morte moriemur.*

7. Præses Iudææ Pilatus rabidam Hebræorum contra innocentissimum Christum peruersitatem optime noscens, memor ampli illius priuilegij, quo populus, eo quo Paschalia ab illis festa celebrabantur, tempore, gaudebat, quo vnum quendam sibi bene collibitum mortis condemnatum hominem, à latâ mortis sententiâ liberare poterant, omni conatu, Christum vt liberaret, est molitus. Id quod rabida illa & furiosa plebecula inaudiens, vnâ quasi voce & ore clamauit, *Tolle hunc & dimitte nobis Barrabam.*

Luc. 23. v. 18.

S. Gregorius Nyssenus causam, ob quam Hebræi Christum occidi & interimi absolute voluerint, adfert, dicitque id illos ideo fuisse molitos, vt vel hac ratione illum ab oculis suis, veluti qui nimio illos terrore corriperet, submouerent. *Grauis enim ipsis erat Diuinitatis cum carne conuersatio.* Diuina namque præsentia, tametsi nostra esset humanitate cooperta, valde illis grauis erat & molesta, videbaturque illis, quod quoadusque Deum sibi haberent præsentem, magnum quendam, altumque humeris suis incum-

Greg. Nyss. in dom. Resur.

cumbentem montem haberent, à quo confestim opprimendi essent, ideoque morituros, atq; in extremam se redigendos ruinam credebant, sed quamnam habere poterant tanti pauoris atque formidinis rationem? Ecce tiam Christus in illorum manibus; mortis iam condemnatus erat; tantamque in se exhibebat mansuetudinem, vt tametsi in cunctis corporis sui membris se læsum, grauiterque vulneratum conspiceret, nunquam tamen aliquam exinde vindictam, non iam dico in factis, sed ne vel minimo quidem aut simplicissimo verbulo appetere visus fuerit. Quid ergo adeo in ipso timebant? aut per quid illis poterat esse grauis atque molestus?

Certe non sine graui rationis momento sceleratus hic populus Christi timebat præsentiam; quantumuis enim homo fuerit, attamen etiam Deus erat. Tametsi etiam Deus illo tempore sub habitu videretur hominis alicuius contemptibilis, neglecti, in manibus carnificis constituti, mortis deniq; condemnati, & in vnicum fere merumque vulnus toto corpore redacti, sola tamen eius præsentia erat insupportabilis, quocunque enim modo se Deus præsentem faciat, semper humanis sensibus est insupportabilis, maxime vero sceleratorum hominum oculis. *Grauis enim ipsis erat Diuinitatis cum carne conuersatio.*

8. Confirmemus id ipsum per hoc, quod Moyses de Iacob Patriarcha refert, hic enim cum prolixum, cum Deo per Angelum repræsentato, sermonem habuisset, nec tamen inde quicquam sibi accidisset incommodi, quin potius viuum, sanum & incolumem se videret lætus dixit: *Vidi Deum facie ad faciem & salua facta est anima mea.* q.d. O quanta est isthæc felicitas mea! Tota hac nocte cum Deo conuersatus sum, & tamen mortem euasit anima mea; super quem locum Oleaster dicit: *Quam terribilis sit aspectus diuinus, docet locus iste, vt nemo citra mortem eum videre possit.* Docet hoc loco scriptura sacra, quam sit terribile coram diuina præsentia astare, atque infinitam illam intueri maiestatem, quam nullus hominum se salua vita aut sine mortis sequela vidisse gloriari potest. Porro quod si illum Iacob vidit, & viuus remansit, gratia hæc fuit illi particularis, res memoranda, dignaque quæ veluti insolitum quoddam prodigium adnotetur. Siquidem terror ille, quem secum gloriosæ præsentiæ suæ visio adfert, potens est, eum qui visurus illam esset, interimere, adeo est tremenda atque horribilis.

Genes. 32. v. 30.

Oleast. ibid.

9. Enimuero cum de Iacob loqui cœperimus, alium quendam ad hoc propositum nostrum scripturæ locum, in quo alia quædam visio, quæ eidem sanctissimo Patriarchæ accidit, refertur, consideremus: Dum enim sanctus hic vir Mesopotamiam versus eundo accinctus esset, contigit, vt adueniente, nocte post multos labores, quietis causa somno se dederit; Dormienti autem se Deus per scalam quandam valde miram & mysticam in somnis exhibuit, cuius culmini Dei infinita bonitas, prolixos cum ipso miscens sermones, multaque illi cœlestia & occulta aperiens Sacramenta innitebatur. Dieque illucescente Iacob expergefactus, tanta se illius loci formidine atque terrore perculsum persensit, vt locum istum terribilem appellarit. *Quam terribilis,* inquit *est locus iste.*

Genes. 28. v. 17.

Quod si nosse desideratis causam, cur Iacob locum istum adeo pertimuerit, hanc S. Vincentius Ferrerius assignat dicens: *Iacob excitatus à somno timuit ac tremuit de illa visione, quia diuinitus ei fuit reuelatum, quod Christus Saluator mundi ibi ieiunaret & dormiret.* Existimat sanctus prædictus locum illum, in quo nocte illa Patriarcha quieuerat, fuisse desertum illud Ieruchuntinum, in quo Christus Dominus post longam ibi protractam vitæ moram tentari à Dæmonio voluit. Vnde terror ille, quem Iacob in hoc loco persensit, suum inde ortum habuit, quia videlicet sua Deus eundem locum annis plurimis elapsis honorare præsentia decreuerat. Ex quo facile est intelligere, adeo terribilem esse claram & euidentem Dei præsentiam, vt non solum hominibus sit formidabilis, tunc cum actualiter exhibetur, sed etiam loca ista, in quibus post longum tempus aliquod manifestandus esse cognoscitur, terribilia reddat. Quot effluxere anni, à diebus quibus Iacob vixit, vsque ad tempora Christi? Et tamen Iacob in supradicto deserto commoratus, Deum incarnatum in eodem deserto

Vincent. Ferrer ser. 1. dom. 1. quadr.

deserto aliquando ad futurum, & ieiunaturum inaudiens, mira mox formidine & terrore percussus fuit *Quam terribilis inquit est locus iste.*

Ex hactenus dictis hunc in modum arguere licet. Quodsi Dei non irati, nec furibundi, sed Clementis & benigni diuina præsentia tremenda atque horribilis adeo existit, vt ad insensatas etiam creaturas vsque omnia trepidare faciat; ipsimet quoque amici sui intimi, ob nimium timoris excessum mori timeant: Qualis erit præsentia irati; arma manibus suis præseferentis, ad sumendam de mundo vindictam accincti Dei, qualis in nouissimo Iudicij die palam omnibus exhibebitur? Quod si illo tempore ipsis quoque incutere timorem possit innocentibus, qualis tunc in peccatoribus pauor erit?

10. Augustissimus ille Thronus à Salamone fabricatus, atque à scriptura sacra tantopere celebratus, ex ebore constructus, & auro purissimo coopertus, duas vtrimque manus habebat, regalem sedem firmiter sustinentes, vnam in sinistra parte, in dextra vero alteram, iuxta quos eodemmet ordine duo dispositi erant Leones: *Et duæ manus hinc atque inde tenentes sedilia, & duo leones stabant, iuxta manus singulas.* (3. Reg. 10. v. 19.) Ecquid autem thronus iste tantis cum mysterijs fabricatus nobis innuit? Rupertus Abbas vult per illum significatum esse Christi Iudicis æterni Thronum, cui in vniuersali iudicio insidebit. Per manum autem, quæ ex sinistra parte egredi conspiciebatur, diuina intelligitur, iustitia, quæ impios pro ratione transgressionum suarum est iudicatura; per alteram vero positam à parte dextera, misericordia intelligitur, per quam suos in Cœlorum regnum recepturus est sanctos: sub vtraque autem manuum istarum, tam sub sinistra, quam sub dextera horribilis quidam videbatur Leo: *Et duo Leones stabant iuxta manus singulas.*

Equidem sub sinistra Leonem videri mirum non est, imo ad propositum nostrum melius collocari non potuisset. *Iudex* enim quasi formidabilis Leo quidam erit, talemque se sceleratis exhibebit hominibus, eosdem mortis æternæ condemnando: At vero quod sub alio quoque latere dextro nimirum alius quidam Leo videatur, (cum tamen Christus sanctis veluti amicis suis Charissimis, dulcem se, placidū, & misericordem sit demonstraturus) qua ratione verificari possit, ignoro. Potius enim agnellus vice Leonis collocari debuisset. Ad hoc præfatus Doctor respondet: in spectabili Throno isto non minus apte & congrue ad dexteram, quam ad sinistram constitutum esse Leonem. Et rationem assignat dicens *Duo Leones iuxta manus singulas id est vtrobique fortis ac formidabilis Iudicij veritas, nam & à sinistra omnis iniquus condemnabitur & à dextrâ vix iustus saluabitur.* (Rupert. Ab. in lib. Reg. lib. 3. c. 3.) Terror ille quem Christus Iustus Iudex augustissimum illum conscensurus Thronum, toti mundo coram facie sua collocato adferet, tantus erit, vt non solū illis, qui ad sinistrā eius collocati erūt, hoc est, ad infernum præscitis, sed & alijs, qui statuti sunt ad dextram, seu quos efficaciter saluare contendit, Leo futurus sit truculentus; hi enim tantæ Iustitiæ rigorisque obseruantiam in iudice attendentes adeo trepidabunt, vt veluti in dubio positam valdeque ambiguam suam æstimaturi sint salutem; *Vtrobique fortis ac formidabilis Iudicij veritas.*

11. Dauid Propheta opinatur sanctos eo tempore, quo vna cum Christo in vniuersali iudicio congregandi erunt, singulos gladios in manibus suis habituros esse, eo quod & ipsi suum ad iudicandum alios cum Iudice habituri sint consessum: *Et gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* (Ps. 149. v. 6.) Vbi notandum gladios illos appellari *ancipites. Anceps* idem est quod *dubius* vel *ambiguus* vocabulum nimirum securitati contrarium. Vnde cum dicit sanctos habituros in manibus suis gladios ancipites seu dubiosos aut ambiguos, dicere velle videtur, ipsos ne tunc quidem de sua iustitia fore securos. Sed vnde iste securitatis defectus? An non Apostolus gladium suum censebat certumatque securum quando dicebat: *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia?* (1. Corinth. 6. v. 3.) quasi dicere vellet. Quod si ego certus sum atque securus, quod iudicaturus

tus sim Angelos, cur de hominibus per me iudicandis certus aut securus non ero?

Tametsi extra omne dubium sit, gladios illos, vtpote futuræ iudiciariæ potestatis signa, sanctorum manibus nunquam eripiendos esse, cum de sua sint salute omnino securi. Gladij tamen illorum appellantur *gladij ancipites*: licet enim sancti in tremendo illo die, velut iudices quidam assessores diuino assistent tribunali, gladiosque veluti futuræ illius dignitatis insignia manibus suis sint portaturi, attamen videntes se in rigorosæ adeo maiestatis constitutos præsentia, tanto se pauore atque terrore perculsos esse ostendent, vt gladij isti in manibus eorum tremere ac trepidare videantur, quasi non securi, sed dubij, ancipites & ambigui essent, timentes ne ijs sint destituendi, atque ex iudicibus clientes, ex innocentibus rei declarandi. *Et gladij ancipites in manibus eorum.*

12. Ad huius propositi nostri confirmationem, alium quendam ex S. Matthæo Euangelista scripturæ locum adducamus; Hic ergo Euangelista refert, quod dum animarum nostrarum Saluator, cœnam cum discipulis suis haberet; illam, quam contra se auarus discipulus suus moliebatur, traditionem, ijsdem decreuerit reuelare, ita tamen vt traditoris nomen prorsus sileret atque

Matth. 26. v. 21. supprimeret: *Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est: væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Quæ verba mox vt ab Apostolico fuerant inaudita collegio, omnes ingens repente dolor invasit, ac timor, quilibet enim de se ipso dubitabat, num forte ipse traditor talis futurus esset, vtque de hoc certificarentur, singuli seorsim mox Christum interrogauerunt: *Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine?*

Ponderemus hunc locum bene, & indagemus rationem, ob quam Apostoli ad hanc quæstionem Christo proponendam moti fuerint? Primo namque intuitu superflua esse videtur. Quod si enim de Collegæ ac Coapostoli sui dubitassent conscientiâ, vtpote quæ occulta illis erat, intelligi quidem aliquo modo posset, cur hac de re Christum interrogarent: nunc autem dubitabant de conscientiâ propriâ; quis hoc intelligat? Ipsimet igitur ignorabant, quid in corde suo statuissent? An nesciebant se non solum non esse dilectissimi magistri sui traditores, verum insuper promptos & paratos se esse, vt suum pro illo effundant sanguinem, proque illius defensione moriantur prout Christo Petrus promiserat? Illi ne nesciebant tale scelus, ne somniando quidem illis vnquam in mente venisse? cur igitur hac de re dubitabant, hancque veritatem à Christo pridem intelligere volebant? Cum quilibet eorum ex sinceri cordis sui securitate dicere illi potuisset, Domine non sum vtique ego is, de quo maiestas tua in præsenti loquitur. Non sum, certe non sum.

S. Chrysostomus respondet: *turbatur omnium discipulorum sensus, & licet nossent propriam conscientiam, timuerunt tamen Christi sententiam.* q. d. licet Apostoli probe satis sibi haberent perspectum, propriam suam conscientiam procul à tali scelere abesse, nihilominus eorum quilibet dubitare cœpit, num forte ipse traditor esset, idque ob ingentē quem ex sententiâ Christi, veluti fulmine, conceperant, terrorem & formidinem. Quippe adeo Christus in pronuntianda aduersus Iudam traditorem æternæ mortis sententiâ, terribilis extitit, vt ipsi quoque innocentes Apostoli ibidem præsentes, tanto correpti terrore fuerint, vt existimare cœperint, sententiam istam aduersus eorum singulos veluti reos, & inchoatæ atque cōceptæ proditionis authores, pronuntiatam fuisse, quantumuis à tali fuissent crimine purissimi, & innocentissimi; *Timuerunt tamen Christi sententiam.* Chrysost. serm. 2 fer. 5 passi.

13. Idem tunc Christi discipulis accidisse videtur, quod Plutarchus in exercitu Imperatoris Scipionis Africani die quadam visum fuisse scribit. Cum enim multa grauia in eodem commissa fuissent delicta, varijque excitati turbulenti motus, Imperator vniuerso coram se congregato exercitu, militum causas cogniturus & iudicaturus, pro tribunali sedens, adeo in pronuntiandâ iusta aduersus delinquentes sententia sæuum & terribilem se exhibuit, vt ipsimet quoque innocentes panico timore oppressi, imperatoris intueri faciem minime audentes, culpabiles sese & reos esse existimauerint:

Vt

Plutarch. in Scip. Afri. *Vt nemo miles ex inermi exercitu esset, qui aut è terra oculos erigere, aut dicentis vultum sustinere per pudorem posset, conscientia enim perpetratæ rei & suppliciorum metus terrebat animos, & optimi ducis præsentia, noxiis pariter & innoxiis ruborem incutiebat.*

14. Ex hoc igitur timore, qui in admirabili illo iudicio, homines etiam innocentes & sanctos tremere faciet, concludi facile potest, qualis & quantus sceleratorum & inimicorum Dei futurus sit timor, id quod per sequens exemplum perspicue patebit.

Refertur enim apophtegma tum lib. 1. quod Argiuis ab Agide Rege in memorabili quodam conflictu superatis, hi victi vires suas de nouo recolligendo, iterata vice nouo hostem insultu aggressi sint. Cumque vtroque exercitu in ordinatam aciem ad bellandum dispositо, Agides suos tremere & timere animaduertisset, vt illos animaret & excitaret; hisce milites suos affatus est verbis. Apoph. lib. 1. *Cum enim nos qui vicimus trepidamus, quid facere censetis eos, qui à nobis victi sunt.* Eodem plane modo dicam ego; quod si sancti, qui in spirituali suo certamine semper fuere victores, ideoque securi se tremendæ sententiæ Christi minime subiiciendos, atque de æternæ gloriæ præmio certi existunt, nullamque habent timendi occasionem, nihilominus in diuina se præsentia constitutos conspicientes, tantopere trepidabunt, cogitate qualis sceleratorum peccatorum timor esse debeat, qui semper victi, nunquam victores fuere, qui continuatarum transgressionum intime sibi conscij existunt, in quos proinde horrendum illud fulmen præcipue dirigetur, quos denique infernus ad deglutiendum exspectabit? *Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ, inquit S. Gregorius Magnus, aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si huius pauoris turbine etiam Cedri quatiuntur.* Greg. lib. 14. c. 7. Moral.

15. Id vobis certo persuasum habeatis velim, hoc solum, nimirum in Dei præsentia peccatis esse obnoxium, infelicibus animabus illis horribilius fore tormentum, quam vel ipse infernus esse possit. S. Ioannes de proditione Iudæ agens dicit, impijssimum illum discipulum, à Dæmone instigatum, diuino Magistro suo mortem machinari & Ioan. 13. v. 2. texere cœpisse. *Cum Diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas.*

Vnde autem Diabolus motus sit vt tantum contra Deum ac Dominum suum scelus procuraret, eius causam Rupertus Abbas clare assignat dicens: *Percuti fecit, tormenta, quæ ex eius præsentia patiebatur, ferre non sustinens.* Ruper. Abb. de Spir. Sancto lib. 1. c. 4. Id quod consideratione dignissimum est; cùm enim Dæmonis tormenta, tametsi adeo magna & grauia sint, vt explicari prorsus nequeant, ab ipso tamen non tantum Christo viuente, sed etiam nunc quoque sufferantur & tolerentur, econtra vero tormenta illa, quæ ex Christi præsentia patiebatur, pati & tolerare minime possit; num aliam hinc consequentiam elicere possumus, quam hanc, nimirum ex omnibus inferni tormentis nullum esse maius, aut intolerabilius, quam quod peccator aliquis in Dei præsentia statuatur! *Tormenta, quæ ex præsentia patiebatur, ferre non sustinens.*

Estque hoc certissimum, inquit Chrysostomus: *Nam si quis est, qui sensu & mente præditus sit, is certe gehennæ pœnam tolerare mallet, quam aduerso Deo stare.* Chrysost. hom. 5. Rom.

16. Priusquam Dauid Propheta gloriosam Dei faciem sibi ostendi efflagitaret, à suis primo petebat purgari & iustificari peccatis; sic enim orabat; *Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.* Ps. 79. v. 8. Quo fine Dauid, priusquam Dei faciem videre petat, à peccatis suis purgari postulat? hoc enim significat, cum dicit. *Conuerte nos.* Fortasse bonitas illa infinita, cum peccati reatu videri non potest? imo vero absolute videri posset, dicit sanctus Vincentius Ferrerius, sed tibi, peccator cum sis, melius foret, & expedientius, centum mille Dæmoniorum videri faciem, quam vt Dei faciem peccatis obnoxius intuearis: Audite ipsamet Sancti Doctoris verba: *Domine Deus virtutum conuerte nos. Nota: conuerte nos scilicet ad bonam vitam, quia alias melius esset animæ in iudicio videre centum millia Dæmonum, quam faciem Christi irati.* Vincent. Fer. in vigil. natalis Christi. Hinc concludere licet, quam sit futurum graue hominum præscitorum tormentum, quando in tremendo illo die, conscientiam habentes millenis sceleribus in vita commissis coinquinatam, coram iracundo & ferociente iudice Christo præsentandi sunt. Et est hoc haud dubie ipsomet inferno maius ac

horribilius tormentum: *Gehennæ pœnam tolerare mallet, quam aduerso Deo stare.*

17. Hisce aliam quandam circumstantiam adiungere licet, ob quam miserabili peccatori diuina terribilior erit præsentia, videlicet quod se peccatori cum ijsdem exhibebit vulneribus, quæ per claues & lanceam ipsi in Cruce suspenso inflicta fuère, hæc enim à Christo veluti formidandum peccatoribus illa die spectaculum industriè reseruata creduntur. Recenti vtique memoria tenetis, quod paulo ante dixi, scilicet Christum in vniuersali iudicio, veluti ferocissimum quendam futurum leonem, hoc autem veluti indubitato supposito, notandum veteres referente Pierio, quotiescunque vindictam aliquam ingentem, implacabilem, nulliusque propitiationis depingere volebant, leonem quendam vulneribus grauiter saucium efformasse, prout alibi, licet ad aliud quoddam propositum diximus: *Vlciscendi studium, per Leonem telo confossum plerique pingere instituerunt.* Hæc autem priscorum consuetudo, in memorabili quadam bestiæ huius proprietate fundabatur: inter cuncta enim animantia nullum adeo receptarum memor offensarum, implacabile, & vindictæ appetens, sicuti leonem, inueniebant.

Pierius lib. 1.

Vnde in vniuersalis iudicij die, non iam deinceps vulneratum Agnellum, qui ob admirabilem mansuetudinem suam patienter semper condonet offensas: sed leonem videbunt, qui non solum nunquam reis suis ignoscet, verum insuper indignatione succensus vindictam implacabilis quæret, sanguinisque Crucifixorum suorum auidissimum se & sitibundum exhibebit: *Prima enim erit in reos intoleranda sententia, reuerendarum præsentia cicatricum*, inquit S. Cæsarius, quasi dicere vellet, tametsi impij peccatores coram oculis Christi congregati, ob omnigenas ibi occurrentes circumstantias, varia passuri sint tormenta, attamen illud, quod ob sacrorum vulnerum præsentiam passuri sunt tormentum, primum erit, atque inter cætera molestius & intolerabilius: *Congregabuntur ante eum.*

Cæsar. Episc. Arelaten. hom. 27.

CONSIDERATIO III.

Ite maledicti in ignem æternum.

Quod si vox Dei placati est insupportabilis, qualis irati Dei vox erit?

1. DVm Ieremias Propheta Deum incarnatum aduersus peccatores in vniuersalis iudicii die iratum sub leonis symbolũ describit & repræsentat, non ad solum maiestatis terrorem, aut ex præsentia incarnati Dei incussam respicit formidinem, sed etiam ad horrendum vocis illius rugitum, quo cum miserabiles illos ad perpetuos præcipitabit inferni carceres, attendere voluit, sanctus Ambrosius de leonis rugitu loquens dicit: *Eius voci tantus naturaliter inest terror, vt multa animantium, quæ per celeritatem possunt impetum eius euadere, rugientis eius sonitu, velut quadam vi attonita atque icta deficiant.* Eheu quam truculentus leonis rugitus erit illa vox filii Dei, quando ad sinistram suam conuersus, præscitis dicet: *Ite maledicti in ignem æternum*, si mansueta & placida vox Dei ordinarie insupportabilis æstimetur; qualis erit illius horror, quando ita & vindicta armatus, suam contra inimicos suos promulgabit sententiam?

Ambros. exam. lib. 6. c. 3.

2. Tempore illo, quo Christus in monte Thabor transfigurabatur, Apostoli, quos pro ingenti illo spectaculo vidẽdo dignatus fuerat eligere, Deum patrem, referente sancto Matthæo, in hæc verba audiuere loquentem: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Subdit autem Euangelista, Apostolos, vt verba illa primitus perceperunt, tanto mox terrore fuisse perculsos: ut in terram, velut mortui corruerint; *Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam & timuerunt valde.*

Vbi notandum illa à Deo pronuntiata verba prædicta, omnino dulcia, suauia, ac placida fuisse; neque enim cum de dilecto filio suo ageret, aliis vti potuit. Qua igitur ratione fit, quod Apostoli ad suauem

ama-

amabilissimæ vocis illius sonum, tanto correpti pauore fuerint, adeoque trepidarint, vt veluti mortui in terram corruerint. S. Ephrem dicit, ad sonum vocis illius, non solum tremuisse Apostolos, sed totam quoque terram, veluti terribili quodam sonitu ac fulmine percussam, trepidasse, atque commotam fuisse, *Ad hanc vocem Apostoli proni ceciderunt in terram, erat enim sonitus terribilis; quamobrem voce eius terra tremuit, & hi ceciderunt in terram.*

Responderi potest, quod tametsi sacra illa verba suauissima & dulcissima fuerint, nō tamen absque ratione adeo fuisse terribilia, atque tremenda, vt non solum inde tremuerint & prostrati sint Apostoli, sed ipsa quoque terra tametsi immobilis illa sit, inde prorsus concussa sit & collisa. Erant enim verba diuina voce formata, quæ dum in terrâ resonat, quantumuis dulciter enunctietur, adeo tamen terribilis est, vt non homines duntaxat, sed ipsas quoque res insensibiles terrore atque stupore percellat. *Voce eius terra tremuit.*

3. Exodi 20. v. 19. accedentes Hebræi ad Moysen, hanc ab eo poposcerunt gratiam, videlicet vt efficeret, vt quotiescunque Deus loqui ipsis statuisset, non ipsos immediate, sed mediante ipso alloqueretur: Secus enim futurum timebant, ne nimio horrore correpti morerentur: *Loquere tu nobis, & audiemus non loquatur nobis dominus.* Genes. 20. v. 19.

Tostatus hanc Hebræorum petitionem optime considerat, vidensque illos potius ad seruum, quam ad Dominum audiendum esse paratos, exigui illos iudicij ac prudentiæ esse coarguit, cum omnes subditi particularem sibi fauorem & gratiam fieri existiment, dum princeps familiariter & ore ad os non vero per tertiam interpositam personam illis loqui dignatur Ergone dicit hic Doctor vox Moysis dulcior erit atq; delectabilior ipsa Dei voce, vt proinde Moysen quam Deum audire malint?

Respondet: *Non petebant vt loqueretur eis Moyses, quasi magis delectarentur audiendo Moysen, quam Deum, sed quia vox Dei erat eis terribilis valde. Volebant enim Iudei audire Deum loquentem, si voces eius fuissent tolerabiles, sed quia nullus homo eas tolerare poterat, petebant, vt non audirent eas.* Merito igitur in hac petitione sua excusandi erant Hebræi petentes, ne Deus ipsis nisi Moyse mediante loqueretur, id enim rogarunt, non quod illis gratias esset Moysen audire, quam Deum, sed quia nouerant verba Dei, quacūque etiam occasione vigente prolata adeo horribilia esse atq; tremenda, vt nullo modo auscultari ab aliquo possint. Tostatus ad. quæst.

4. Porro sicut ignis in oculo repositus sustineri nequit, ita quoque diuinam vocem sufferre nemo potest, illa namque nihil est aliud, quam ignis Dauide Prophetâ dicente: *Ignitum eloquium tuum vehementer.*

5. Consideremus obsecro locum quendam Capitis 20. libri Exodi; vbi Moyses refert, quod dum in vertice montis Sinai, cum Deo misceret colloquia, populus, qui ad radicem vel pedem montis morabatur, viderit voces Dei; *Cunctus autem populus videbat voces.* Vbi obseruandum Moysen non dicere, *audiebat voces, sed videbat voces.* Exod. 20. v. 18.

Videtur hic loquendi modus primo intuitu valde improprius. Quomodo enim populus Hebræus voces diuinas videre poterat, siquidem vox non oculi, sed auris, siue auditus obiectum sit, ideoque non videatur, sed audiatur?

Philo Hebræus opinatur, populum Iudæorum tunc vere vidisse, non vero audiuisse vocem illam diuinam, & dicit: *Vox ex medio ignis è cælo dilapsa, profusa est maximo cum terrore, idque ob flammam, quæ in propriam loquelam auditoribus assuetam, articulatim distincta erat; quæ quidem ea, quæ dicebantur, adeo clare & perspicue efferebat, vt populus illam oculis cernere potius, quam auribus accipere videretur.* Philo Heb. lib. de decem præc.

Cum Deus cum Moyse colloquens legem eidem daret, ex caligine totum montē illum cooperiente ingens quædam visa est prodire flamma, quæ in alto remanens, in multas distinguebatur figuras, quasi in totidem literas, seu grammata Hebraica, quæ postea simul coniuncta, tam pulchre atque concinne fuere disposita, vt omnia illa verba, quibus Deus Moysen alloquebatur, in aerē veluti in membrana quadam depicta esse viderentur. Vnde populus oculos suos eleuans, suumque in

verba illa figens obtutum, videbat & legebat, quicquid ab ore Dei & domini sui verborum emanabat. Atque ideo Moyses dicit populum Hebræum vidisse, non vero audiuisse vocem diuinam: *Cunctus populus videbat voces.* Vnde colligitur verba diuina flammam veram esse & ignem. Quod si igitur ignis quidam est verbum Dei, quomodo sustineri poterit à carnis auricula? caro namque ignem minime sufferre valet.

6 Antiquitas olim de Pericle magno illo Græcorum Heroë & Capitaneo dicebat, illum in sermone suo adeo fuisse terribilem & horrendum, vt dum verba faceret, non iam loqui, sed fulminare, igneaque linguæ suæ vibrare fulgura æstimaretur: *Coruscationes effundere, ciere tonitrua horrendum in lingua fulmen gerere putabatur,* inquit Plutarchus, qui tamen etiam aduertit, hæc de Pericle scripta præconia, minime quoad ipsum veritati fuisse conformia sed potius fuisse *Poëtarum eius ætatis* adulationes & hyperboles. Vox enim miseri cuiusdam hominis, tantam assequi nequit potentiam, neque illas vires habere potest lingua carnis, vt vibrare fulgura, aut tonitrua ciere possit. Prodigia isthæc diuinæ voci propria sunt, & naturalia, non vero vocibus aliorum. In capite vndecimo S. Matthæi Christum Dominum, dum è Bethania in Hierusalem secedens fameret, ad ficum quandam iuxta viam positam substitisse, inuenietis lustrantem, si aliquo onusta fructu esset; dum vero illam in fæcundam repetit, & sterilem, maledixisse illi, vnde & post maledictionem subito exaruit: *Mane autem reuertens in ciuitatem, esurijt & videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea, nisi folia tantum, & ait illi: Nequaquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuo ficulnea.*

Plutarch. in Pericle.

Matth. 21. v. 19.

Scire hoc loco percuperem, vnde prodierit ignis ille, qui arborem istam tam subito & expedite combussit & arefecit? Num de cælo fortasse descendit, aut ex inferno, aut ab alia quâdam mundi parte prosilijt? Quis illum hunc in locum detulit? Quis viam illi aperuit, aut quonam cum instrumento arbori huic applicatus fuit? Author operis imperfecti in Matthæum existimat, ex nullo dictorum locorum, sed ex solo Christi ore prodijsse: *Sermo eius quasi flamma descendit ad radicem ipsius.* Fortissima igitur hæc Christi vox, instar tonitrui, siue fulminis alicuius fuit, quod ab oris sui cælo vibratum, ficulneam illam violentia quâdam invisibili, eodem prorsus modo afficiens, quo in alijs similibus arboribus facere tonitrua, solent, id est, in vno eodemque instanti desuper & cecidit, & accendit, & arerecit, vnde obseruari facile potest, quam terribilis & horrenda sit vox diuina. Imo vero fulmine seu tonitruo longe est vox diuina terribilior, magisque tremenda.

Auct. operis Imperf. hom. 39.

Neque enim tonitru illum terrorem incutit, dum nubes rumpit & diffindit, qualem Deus infert, dum linguam suam soluit & loqui incipit.

7. Inter alia, quæ tempore illo, quo Animarum nostrarum redemptor in cruce pendebat suspensus, visa sunt prodigia, etiam terræ motus quidam fuit, adeo magnus, vt saxa inter se collidens, atque impellens, omnia rumperet & comminueret. *Terra mota est & petræ scissæ sunt.* Veruntamen vnde obsecro extraordinarius hic terræ motus suam traxit origenem? S. Ambrosius existimat, insoliti prodigij istius causam, fuisse validam illam vocem, quam Christus priusquam moreretur, edidit, vt Sanctus Euangelista scripsit, dicens: *Iesus autem clamans voce magna, emisit spiritum.* Ecce ipsissima Sancti Doctoris verba: *Dedit vocem suam in passione Dominus, & vniuersa elementa tremuerunt, omnis terra commota est.* Tametsi vox illa à debili, omnibusque viribus exhausto, ac moribundo Domino formata fuisset, quia tamen veri Dei vox fuit, tanto omnibus terrori extitit, vt illam ne terra quidem absque terrore audire vllatenus potuerit. Quod si ergo terra, quæ cælo velut indignabundo tonitruante, variaque in illam fulminum sagittas vibrante, nequaquam timet, nec concutitur, aut mouetur, sed impauida semper & constans permanet; Si inquam illa ad vnā incarnati & moribundi Dei vocem commouetur, conturbatur, & tre-

Matth. 27. v. 51.

Ambr. in Ps. 45.

& tremit; facile est inde conijcere, quam terribilis & tremendus Deus existat, quando os suum aperit & loquitur? *Omnis terra commota est.*

8 Cum Diuina maiestas in terrestri Paradiso, Adamum quærendo obambularet, atque inter arbores illas clamaret: *Adam vbi es?* sacer textus dicit, Adamum se vna cum sua coniuge abscondisse: *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso, ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius.* Genes. 3. v. 8.

Valde vtique terribilis vox illa fuit, ob quam primi homines timore incredibili correpti fugerunt, & in abscondita sua se receperunt latibula? minime, optimi auditores, imo dulcior, gratior, & suauior vox esse non potuit; dicit enim Moyses Barcepha, quod cum Deus diceret: *Adam vbi es?* perspicue ostenderit, esse modo Adamum quærere; quo amantissimus Pater perditũ suum requirit filium: vt illum inter amabiles denuo recipiat amplexus. *Vbi es? vt ostenderet ita se Adamum quærere, vt pater amissum filium.* Moyses Barcepha de parad. c. vlt.

Vnde si Deus hunc in modum Adamo se se exhibuit, dulcior profecto aut pientior vox eius esse non potuit. Qua ratione igitur fit, quod Adam tanto ex voce illa correptus fuerit timore, vt in fugam prorsus actus se absconderit, cum potius inde gaudium haurire debuisset & peculiarem lætitiam? Aliter ad id respondere nequeo, quam quo modo supra respondi, videlicet; quod tametsi vox diuina maxima cum affabilitate & dulcedine prolata sit, illa tamen natura sua adeo sit tremenda, atque horribilis, vt illam ab auricula mortali sufferri posse sit impossibile; vnde mirum non est quod licet Deus Adamum quærens, suaniter eundem affatus, Adamo tamen tunc visum fuerit, quasi omnia cæli tonitrua simul coniuncta audiret.

9. Cum Christus scelestos illos carnifices atque lictores, qui ad illum ligandum & crucifigendum, in hortum conuenerant, interrogasset, quem quærerent, ipsique respondissent, Iesum se quærere Nazarenum, vix ipse absoluerat dicendo se esse illum, qui ab ipsis quæreretur, cum ecce, referente S. Ioanne, mox veluti mortui omnes corruere in terram. *Vt ergo dixit, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Ioan. 18. v. 6. Dispiciamus hic obsecro, si forte subodorari possimus, vnde nam illa prouenerit tanta violentia, quæ tanta cum vi peruersos homines illos in terram postrauit. Num forte ad Dominum suum defendendum Angelici de cælo descenderunt exercitus? An vero fulgura & fulminum è nubibus eiaculatæ, iuxtaque illos prolapsæ sunt sagittæ? Aut forte sub eorumdem pedibus terra adeo tremuit, vt cum pedibus non valerent insistere, cadere necessum fuerit? *Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram?* Nihil horum turbationis illius causa extitit, inquit sanctus Ambrosius, sed solus duntaxat sonus verbi illius, *Ego sum*, tanta cum mansuetudine à Christo pronuntiati, vt illud ob admirabilem, quem in illis produxit effectum, nulla potuerint ratione sufferre.

Ceciderunt retrorsum, quia vocem præsentis Dei ferre non potuerunt. Quo mihi legiones Angelorum? Quo mihi cælestem exercitum? Vox Domini sola plus terret: Ambr. in cap. 22. Luc. quasi diceret: Ideo hi tanto cum impetu in terram corruerunt, quia pro sufferendâ Dei præsentis & cum ipsis loquentis, voce, illis nullus omnino animus erat. Hæc enim maiori illos terrore perculsit, quam si omnes Angelorum turmæ & cunei, armatique omnes cælorum exercitus de cœlo descendissent. Quamuis enim nihil voce illa esse poterat dulcius aut mansuetius, quia tamen vox illa Dei vox erat, ideo carnificum illorum auribus, adeo horribilem atque tremendum sonum impressit, vt ob nimium inde illis incussum terrorem, sustinere se in pedibus minime potuerint. Adeo os suum duntaxat aperiens & loqui incipiens, tremendus est & formidabilis Deus.

Ex hoc scripturæ loco Doctor Angelicus, citans sanctum Augustinum, elicit, seu colligit, quantus ex voce Christi incutiendus sit horror, quando in vniuersalis iudicij die, ira & indignatione plenissimus, tremendam illam contra homines impro-

S. Thom. de human. Christi opusc. 60. improbos est promulgaturus sententiā? *Vna vox turbam odijs ferocem, armis terribilem, sine vllo telo percussit, repulit, ac strauit virtute latētis Diuinitatis. Quid faciet iudicaturus, qui hoc fecit iudicādus? Quid regnaturus poterit, qui moribūdus hoc potuit?* Quod si vnica & sola omnipotentis Dei vox, tanta cum pietate ac mansuetudine, eo adhuc tempore, quo iudicandus & occidendus erat, prolata, absque vlla alterius bellicæ machinæ adhibita violentia, ferocem quandam, & insolentem tot armatorum & audacium hominum turbam prosternere, & deijcere potuit, quid in vniuersalis Iudicij futurum est die, quando ad iudicandum mundum in augustissimo Regno suo sedebit exaltatus? O quā terribilis & horrenda vox illa erit, quæ infœlices peccatores æternæ Dæmonum alligabit societati?

Ite maledicti in ignem æternum.

SERMO VII.

In Feriam III. Dominicæ I. Quadragesimæ.

Cum intrasset IESVS Ierosolymam. Matthæi 21.

INdubitatum est, quin infirmi illi, de quibus in præsenti Euangelio fit mentio, stulti valdeque imprudentes ab aliquibus sint æstimandi, dum eo præcipue tempore ad Christum, gratias & beneficia ab eo postulaturi accedunt, quo incarnatus hic Dei filius, ira & furore accensus, flagello in auaros & perfidos templi ministros atrociter animaduertit, ideoque manifesto se periculo exponunt, ne non solum ab irato Christo non audiantur, sed etiam velut molesti & importuni reijciantur & repræhendantur. Experientia namq; constat, aulicos semper cauere, ne pro postulandis fauoribus coram principe eo se tempore sistant, quo illum iracundum & furore percitum esse conspiciunt. Quis enim nisi extreme stultus gratias & fauores ab illo homine expectet, quem ira accensum videt furere? verum enim vero omnino contrarium illis accidit, siquidem non tantum non fuere repræhensi, aut repulsam passi, verum etiam extraordinaria quadam cum promptitudine & beneuolentia recepti, desideratæ salutis obtinuere beneficium: *Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos.*

Idquod tribus potissimum rationibus persuasi, futurum sperare poterant. Primo, quia magnum illius nomen iam inaudierant, vtpote quod per publica Ierosolymæ compita ab omni populo pleno ore diuulgabatur: *Populi autem dicebant: hic est IESVS à Nazareth* nomen certe benignum pietate plenum, veræque salutis baiulū, nam IESVS in latino sermone nil aliud significat quam saluator. Saluator videlicet qui vitam promittit & salutem. Quod infirmi isti optime intelligentes, sine vlla repulsæ formidine, secure pro postulanda salute ad Christum accessere, firmiter sibi persuasum habentes, fore, vt à nobis ad ea facienda rogatus, quæ per nomen suum publice promittebat, a suo se furore & ira nequaquam impediri aut morari permitteret. Secundo Christum verum Deum esse scientes, consequenter propriam Dei conditionem esse sciebant, vt

tanto

tanto sit ad misericordiam pronior, atque pientior quanto ira magis inardescit; ideoque tempus iracundiæ misericordiæ tempus esse nouerunt. Vltimo denique in gratiæ prætentæ postulatione nequaquam illis videbatur tardandum, quia probe sciebant, quantum ad cœli consequendos fauores necessaria, Deoque grata sit sollicitudo; certũ namque esse credebant, quod si petitionẽ differrent, vsque dum ab ira ad mentis rediret serenitatem, semper cogerentur esse infirmi, Christo nimirum subito & facillime ab illis ad alios se diuertente: *Et relictis illis abijt foras extra ciuitatem.* Vnde quam fuerit prudens quod infirmi isti suis in cogitationibus voluebant consilium, quamque fœliciter illis, ex animi sententia cesserit, in sequentibus considerationibus plenius videbimus.

CONSIDERATIO I.

Hic est IESVS

Deus homo factus, vt magno IESV nomini apte correspondeat, vltro ad patiendum & moriendum, in crudelium, ac inimicorum suorum manus tradere voluit.

1. VAlde prudenter fecerunt, qui in templo morabantur cœci & claudi, quod diuinum IESV Christi nomen à deuoto populo passim laudari & celebrari audientes *Hic est IESVS à Nazareth*, ad Christum, desideratam ab ipso expetituri salutem, se receperint. Hic enim quantumuis iratus valde esset, manuque flagello armata, sanctum templi locum zelo ardens expurgaret; attamen nec ab ira, nec ab alia quacunque passione impediri poterat, quominus id ipsum, quod in admirabilis nominis sui significatione promittit, reapse adimpleat, id quod salutem omnibus eandem ab ipso postulantibus impertiendo præstat.

Neque incarnatum Dei verbum hac solum vice, obligationibus nominis sui correspondere studuit, sed in omnibus quoque alijs operibus suis cogitatione sua eo collimauit, adeo vt hoc solum fine, ad patiendum & moriendum, inimicorum suorum se manibus tradere voluerit, ne videlicet inani insignitus nomine videretur.

2. Regius Propheta Dauid cum Christo loquens, eidem magno se desiderio teneri dicebat, vt ab vnoquoque hominum magnum eius laudaretur ac celebraretur nomen: *Confiteantur nomini tuo magno.* Vbi notandum nomen IESV appellari magnum, non duntaxat ideo, quod ab ore diuino expressum, demum vero per Angelum quendã è cœlo in terram delatum sit, verum etiam ad significandum, magnas grauesque obligationes, quibus ob impositũ sibi nomẽ Filiũ Dei subiacere compulit. Magna quippe nomina incredibile in se pondus continent, suntque illis qui talibus sunt nominibus insigniti, ad extraordinarios subeundos labores continuo fodicantia calcaria. *Psal. 98. v. 3.*

Refert Iulius Capitolinus, quod Alexander Seuerus Imperator à senatoribus Romanis vehementer admodum rogatus, vt celeberrimum illius temporis, atque à tot Imperatoribus, per facinora immortalem sibi memoriam relinquentia nobilitatum, & illustre sibi Antonini nomen dignaretur adsciscere, nequaquam illis acquiescere, taleque nomen sibi vendicare voluerit, hac potissimum excusatione prætensa, quod ferendis laboribus & oneribus, quæ nomina eiusmodi illustria, magnaque, quale illud Antonini nomen temporibus illis erat, adferre secum assolent, impar esset, humerorum suorum infirmitatem & debilitatem tanto oneri portando insufficientem imparemque optime agnoscens: *Ne quæso patres conscripti, me ad hanc certaminis necessitatem vocetis, vt ego cogar tanto nomini satisfacere, cum etiam hoc ipsum nomen licet peregrinum, tamen grauare videtur: hæc enim nomina insignia onerosa sunt.* Qua in re Seuerus sapientissime egit, quod si enim semel magnum illud nomen recepisset, vt se illo dignum probaret, magnificentiæque illius corresponderet, per heroica magnaque facinora ipsum continuo fatigari necessum fuisset. *Iulius Capitol. in Seuero.*

Videtur ergo Dauidem Prophetam, dum sanctissimum IESV nomen, nomẽ magnum appellat: *Confiteantur nomini tuo magno,*

dicere

dicere voluisse: Cum ita sit quod nomina magna onerosas valde ijs qui talibus sunt insigniti obligationes imponant; aliunde quoque certum sit, quod Christus magno IESV nomine semel sibi assumpto, ineffabili nominis illius magnificentiæ responsurus, difficillimum & arduum humeris suis onus imposuerit, vniuersum scilicet mundum saluandi, seque, donec animam suam, in infami crucis trunco suspensus æterno Patri suo tradiderit, mortuusque fuerit, mille tormentis millenisque opprobrijs subijciendi; Valde clarè & perspicuè videtur, qualiter illi, vt nominis sui magnificentiæ per omnia exactè responderet, in aduersariorum sese manus tradi, torqueri, crucifigi, occidi, opus omnino fuerit.

3. S. Matthæus Euangelista de ea, quam Pilatus in crucis vertice statuit, tituli scripturaagens, ita loquitur: *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est IESVS Rex Iudæorum.* quibus verbis, vti videtis, scripturam istam causam appellat. Cur autem illam causam vocat, neque illi aliud nomen tribuit aut vocabulum? Rationem eius Origenes sequentibus verbis subindicat: *Et cum nulla alia inueniatur causa mortis eius, nec enim erat, hæc habetur sola.*

Matth. 27. v. 37.

Orig. tract. 25. in Matth.

Vultque dicere, quod filius instar malefactoris cuiusdam captus & ligatus sit, quod tanta fuerit perpessus, quod ad mortem crucis inter duos latrones sustinendam, velut princeps latronum condemnatus sit, huius alia assignari causa nequit, præterquam sanctissimum IESV nomen, quod de cœlo ipsi inditum fuit: *IESVS Rex Iudæorum*; Hoc enim ipsum debito humanum genus saluandi obstrinxit. Vnde ex vnica & sola causa magni istius nominis, infinitorum se tormentorum doloribus subijcere, horrẽdamque atque pœnosam mortem eligere voluit. *Hic est IESVS.*

4. Obseruare vos quoque velim Tabulam illam cruci incrustatam & affixam, in qua IESV nomen legebatur explicatum, vti diximus à Matthæo causam, à Ioanne vero Titulum vocatum esse: *Scripsit autem & titulum Pilatus & posuit super Crucem, erat autem scriptum IESVS Nazarenus.* Vt autem intelligatis cur S. Euangelista illud appellare voluerit hoc nomine Titulus, notare prius oportet, quænam sit huius vocis *titulus* significatio. Hæc autem teste Ruperto Abbate, deriuatur à verbo *Titan*, quod idem est, quod sol. *Dicitur Titulus à Titane, id est, sole, quo mundus iste illuminatur, quia videlicet præscriptione, quam Titulum dicimus, quasi præmisso lumine, libri sequentis introitus aperitur.* Titulus igitur qui ante cuiuslibet libri initiũ poni solet, solis officium præstat; sicut enim sol mundi huius illuminat tenebras: sic Titulus veluti alter sol quidam, rebus libro tali contentis, vtpote quæ priusquam legantur occultæ sunt & obscuræ, lucem adfert perspicuam.

Ioan. 19. v. 19.

Rupert. Abbas in Gen. lib. 1. c. 2.

Vnde dum S. Ioannes nomen IESV supra crucem explicatum, appellat titulum: *scripsit autem & titulum*, idem hoc fuit, ac si tacitus affirmare voluisset, Christum in Cruce suspensum, veluti librum quendã fuisse, qui clauorũ & lanceæ calamis, pretiosissimi sãguinis sui atramento, innumerorumque vulnerum caracteribus, Hebraicã in se crudelitatem habebat descriptam. Liber autem iste, vtpote obscurus valde, à nemine legi aut intelligi poterat, ipsomet S. Ioanne affirmante: *Nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum.* Ecquænam enim ex substantijs creatis rei illius assequi potuisset intelligentiam, per quam species & pulchritudo illa, cuius conspectu totum cœlum recreatur, adeo deformis est reddita? Quis capere potuisset, cur tantum perpessa fuisset ipsamet innocentia, cur vnicus & dilectus ille Dei Filius, tunc cum inter Angelos regnabat in cœlis, proprio suo sanguini immersus & mortuus, inter latrones suspensus hæreret in terris? nisi positus super eum fuisset titulus, qui ignorantiæ istius tenebras lumine suo pepulisset? Causam igitur nunc nosse desideras, cur adeo deformata sit totius mũdi pulchritudo & venustas? Cur iustus ad instar criminosissimi peccatoris inter duos latrones pendeat suspensus? Cur moriatur immortalis Dei filius? legito titulum, hic enim lumen subministrabit tibi: *IESVS Nazarenus*, sic enim mox optime intelliges, quod cum ipse hominum destinatus fuerit Saluator, necessum pariter fuerit, vt adeo deformaretur, tam atrociter pateretur, tamque probrosam & ignominiosam subiret mortem.

Apocal. 5. v. 3.

Vnde similiter cognosci poterat, quam ingentis ponderis Dei filio magnum istud nomen fuerit, quando ad correspondendum iis, quas nomen istud adiunctas habet, obligationibus, necessum fuit, vt signum se faceret vel metam, in quam omnes collimarent dolores.

5. Dauid cum redemptore animarum nostrarum, à quo solo sui præstolabatur redēptionem peccati, in spiritu colloquens, dicebat: *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim* q. d. ô Domine Deus meus pro honore & glorificatione nominis tui, obligata est Diuina Maiestas tua, ad liberandum me à peccato meo, id quod admodum est graue. Ex quo infertur, Christo, ad glorificandum & honorandum nomen suum, fuisse necessarium, vt tot tantisque subiectus tormentis moreretur, morteque sua ab æterna morte humanū genus redimeret. Hoc igitur nunc supposito, quæritur, an non Christus honorare & glorificare nomen sanctum suum poterat, absque eo quod homines redimeret, & moreretur pro iisdem? famosissimus incognitus P. Michael Ayguanus Carmelitanus negat, & rationem adfert, dicens: *Ille qui nomen virtutis alicuius habet, & non rem nominis, suum nomen inhonorat.*

Psal. 24. v. 11.

Incogni. Mich. Ayguanus ibid.

6. Cuius veritas probatur ex loco quodā Apocalypseos, vbi dicitur Christum die quadam apparuisse dilecto discipulo suo, eique præcepisse, vt Episcopum reprehenderet Sardicensem, diceretque: *Scio opera tua, quod nomen habes quod viuas & mortuus es.* Ecquodnam erat nomen istud, significans vitam eius, cuius tamen opera erant mortua, ideoque à nomine admodum differebant? sanctus Vincentius simul cum Glossa dicit: Nomen eius appellatum esse *Mellitus: Dicit Glossa quod vocabatur Melitus, idest, dulcior, & ipse erat amarus per malam vitam.* Habebat Episcopus iste nomen sicut mel dulce, & suaue, cum felle amariora opera eius essent, ob malam vitam quam in prauis factis suis publice referebat, contradicendo gratissimo honorati nominis sui sono, idemque per opera sua vituperando. Id quod Christo tantopere displicuit; vt de cælo venire, suumque Apostolum veluti Legatum mittere voluerit, ad reprehendendum mouendumque illum, vt nomini suo in vitæ actionibus correspondere satageret, turpe namque dedecus est, valdeq; ignominiosū, pulchro insignitum esse nomine, eidemque operibus ipsis contradicere.

Apoc. 3 v. 1.

Vincent. Ferrer. Serm. de S. Luc.

7. Optime id ipsum Alexander Magnus Macedonum rex intellexit, de quo scribitur, quod dum in exercitu militē quēdam vilis & abiecti animi, valde ignauū & imbellem depræhendisset, & nomē eius ab ipso sciscitatus, Alexandrum vocari illū audiuisset, mox illi præcepit, vt vel animum mutaret, atq; ignauia & socordia cordis sui deposita generosus fortisque euaderet: vel nomine illo tam generoso omisso, nomē sibi aliud assumeret. Videbatur igitur magnanimo Heroi huic, generosum illud Alexandri nomē, quod per facta sua heroica tantopere ab ipso magnificatum fuerat & exaltatum, per vituperosi militis istius ignauiam prorsus vilescere. Fuitq; præceptum istud rationabile valde. *Alexander* enim latino sermone idem significat, quod *fortissimus*, vnde cū ipse totus iners & ignauus fortissimi nomini minime responderet, necessum erat, vt nomen hoc illum deturbaret, probrosumque redderet.

Cum igitur certissimum sit, hominem illum, qui cum illustri magnoq; insignitus sit nomine, factis tamē & operibus suis illi minime correspondeat, non solum tale nomen non honorare, verum etiam deturbare magis, magisq; confundere, optime certe concludit magnū illud Carmelitani Ordinis iubar Michael Ayguanus prædictus dicens, *Cū ergo Christi nomen sit Iesus, quod idem est, quod Saluator, ad gloriam sui nominis spectat, saluare à peccatis credentes in eum.* Cū enim is, qui factis suis gloriæ nominis sui non correspondet, idē nomen suū magnopere defœdet, ideo vt Christus suū illud Iesu nomen, quod idē significat, quod Saluator, honoraret & glorificaret, necessum fuit, vt factis & operibus suis significato illius corresponderet, humanumq; genus ab æterna saluaret ruina, & per consequens mortē atq; amarā sustineret passionē, vt vel sic magnū illud honoraret & glorificaret nomen. Vnde perspicue cognoscitur, nullā aliā assignari causam posse, ob quam ad tantos patiendū dolores, tāque ignominiosā mortem obeundam obligatus fuerit Dei filius, præterquam sanctissimum

Incogn. ibi.

ſimum Ieſu nomen? *Hic eſt Ieſus.*

Plin. lib. 13 c. 3. 8. Legiſtiſne aliquando id, quod de Plotio Equite Rom. ſcribit Plin? refert hic quod ille mortis condẽnatus, fuga ab vrbe Romana dilapſus mox ſit, cumq; ad illũ inſequendũ & accipiendum expediti fuiſſent lictores & miniſtri, qui illum Iuſtitiæ denuo ſiſterent, ijdemq; exquiſita cũ diligentia, diuerſis illũ in locis requiſiuiſſent, tandẽ eundem aſſecuti fuerint, nimirũ per relicta poſt ſe odorũ fragrantiſſimorũ veſtigia ad illum producti, quos vnguenta illa, quibus inungere ſeſe & profumare cõſueuerat, ſpirabãt, ſine quibus illum denuo captiuum reducere impoſſibile fuiſſet.

Iouius p. 2. lib. 44. Idipſum Reuerendiſ. Iouius accidiſſe deſcribit Muleaſſi Barbariæ regi, qui dum vna cum exercitu ſuo proſtratus, diſſipatuſque fuiſſet, intra fugientium militum turbas fugiebat & ipſe, qui vtiq; incognitus omnino abſconditusq; ſemper mãſiſſet, niſi ab odoramentorũ fragrantisſimorum ſuffitu, quo admodũ delectabatur, inimicis ſuis proditus fuiſſet & manifeſtatus, qui ex tali duntaxat indicio, illũ vinctum perduxerunt ad carceres. Eodem prorſus modo accidiſſe mihi videtur, illa Saluatoris noſtri in horto montis Oliueti captura.

Prius tamen ſupponendum vobis eſt, ſponſam ſanctisſimum Ieſu nomen, cõformiter admodum legendi Saintis Pagnini, vnguẽto oleoque odorifero aſſimilare voluiſſet *Propter odorem vnguentorum tuorũ; oleum effuſum nomen tuum.* q. d. Cæleſte nomen tuũ, quod inter pretioſa diuinaq; ſeruatur vnguenta, ob odorũ quos omni ex parte ſpargit fragrantiam, odorifero oleo ſimillimum eſſe iudico. Hoc ſuppoſito, notate modum, quo Chriſtus eſt captus. Appropinquãtibus enim in horto truculẽtis miniſtris, & Chriſto cælorum Rege illos interrogante, quem quærerent; illi reſponderunt: *Ieſum Nazarenũ.* Cui dũ ipſe ſubiungeret: *Ego ſum.* illi mox vt audierunt Ieſum eſſe, aggreſſi ſunt illũ & vinculis eum ſtrinxerunt & ligarunt. *Comprehenderunt ergo Ieſum & ligauerunt eum.* Vnde ex veſtigiis odorũm pretioſi nominis Ieſu exploratus, deprehenſus, & captus mihi fuiſſe videtur. Quod ſi enim illũ odorũ nominis illius fragrantia non prodidiſſet, impoſſibile fuiſſet capi illum aut ligari potuiſſe. Quæ enim vis aut violentia ligare potuiſſet Dei filium, aut cogere, vt ſe iudicari, ad mortẽ condemnari, ac tandẽ crucifigi permiſiſſet, niſi Ieſus, hoc eſt, Saluator mundi fuiſſet? niſi morte & paſſiõe ſua homines ab antiqua ruina liberare debuiſſet? Vnde quicquid hac in re diſcurrimus, ſemper nobis concludendum erit, Chriſtũ cælorũ Dominũ ſeſe ad patiendũ & moriendum inimicorum ſuorum manibus ideo tradidiſſe, vt nominis ſui per omnia magnificentiæ correſponderet *Hic eſt Ieſus.*

Cant. 1. v. 2, Pagn.

Ioan. 18. v. 5.

9. Rupertus Abbas dicit, B. Virginem eadem hora, qua Dei effecta eſt mater, omnia tormenta atq; dolores cognouiſſe, quos vnigenitus filius ſuus in Paſſione ſua toleraturus erat, vnde illam hoc modo loquẽtem introducit: *Ex quo mater eius facta ſum, ſciui eũ iſta paſſurum.* Verum quod ſi ita eſt, Cælorũ Reginã notitiam eiuſmodi, ea hora qua facta eſt Dei mater, perfecte habuiſſe, neceſſẽ eſt, quod illam habuerit ex ore S. Gabrielis Archangeli: at vero Gabriel Archan. de dilecti filii ſui paſſione nihil prorſus locutus fuiſſe legitur, qua igitur ratione dici poteſt, illam talem à Gabriele habuiſſe notitiam? *Ruper. Ab. in Cant. lib 9. c. 1.*

Opinor, niſi forte errẽ, ipſam vtpote quæ à ſpiritu S. valde illuminata erat, idipſum cõpræhendiſſe ex SS. Ieſu nomine, quod Gabriel ab illa diuino filio ſuo imponendum prædixerat: *Vocabis nomen eius Ieſum* *Luc. 1. v. 31.*

S. Vincen. Ferre. docet, quod eo ipſo quo ab Archangelo magnum illud nomen Virginis auriculæ intonuit, ſimul quoq; pœnas atq; dolores, quos paſſurus erat Chriſtus, in eodem cõpræhenderit; *Vocabis nomen eius Ieſum: ecce paſſionẽ quia Ieſus idẽ eſt, quod Saluator, ex cuius paſſione ſaluati ſumus.* Potuit igitur Deipara, audiẽs quod nomẽ iſtud ei ipſa impoſitura eſſet, ſic intra ſemetipſũ argumẽtari, atque concludere; vtique dilectus Filius meus, vt nomini huic ſibi imponendo correſpondeat, ab antiqua perditione mundum ſaluabit, adeoq; vt diuinæ Iuſtitiæ valde à nobis offẽſæ ſatisfaciat, obligatus erit, ſatisfactio autem iſta, ob culpæ grauitatem præſtari ab ipſo non poterit, niſi grauiſſimos patiendo & ſuſtinendo cruciatus atque dolores ſola morte terminandos. Tale namque nomen iſtud obligationem ſecũ infert. Atq; hac ratione Deipara in vir- *Vincen. Fer. ferm. de Incarn.*

tute

tute nominis IESV, omnia mala cognouit, quæ vnigenitus suus ad mortē vsque in hoc mundo passurus erat, idq; ex nullo alio capite, quā ex solo nominis sui titulo, ob quem ad tātos sufferendos labores obligatus erat.

10. Cum septuaginta duo discipuli die quadā ex prædicationis, quā obierant, munere læti prorsus & alacres reuerterentur, non tantū ob ingens quod pepererant animarum lucrum, verū etiam quia viderant se in virtute nominis Diuini Magistri sui Dæmonis pepulisse, inquit S. Lucas eosdem omne id quicquid illis in via acciderat Christo retulisse: *Reuersi sunt autem septuaginta duo cū gaudio dicentes: Domine etiam Dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Quibus Christus respondit: *Videbam sathanam sicut fulgur de cælo cadentem*, quasi dicat inquit S. Bernardinus: *Nolite mirari si nomen meū Diaboli expauescāt, & eos ab homine pellat, cum virtute eius sathanas cum omnibus Angelis suis de cælo pulsus, ceciderit sicut fulgur.*

Luc. 10. v. 17.

Ibid. v. 18.

S. Bernardin. to. 1. serm. 40.

Quam interpretationem sanctus Doctor prædictus huic loco adhibet, supposita nimirū ea, quā hac in re habet, opinione, videlicet in magno illo horribiliq; conflictu, qui Angelos inter & Dæmones intercedebat, quē S. Ioan. in Apocalypsi describit, Angelos magna voce clamasse: *Viuat, viuat IESVS*, modo nimirū militibus flagrātis certaminis tēpore vsitato, quo ad hostiū suorum confusionē, gloriosum Imperatoris sui nomē insonare solent. Has igitur Angelorum voces & clamores dæmones sufferre, aut ijsdem resistere nō valentes, pauidos & veluti trepidos, in infernalē vsq; abyssum præcipitatos fuisse: *Imaginor quod Angeli boni dicebant, viuat IESVS, viuat IESVS, & ad vocē huius nominis Dæmones resistere non poterant, quia de Paradisi apice in abyssum caderent.*

Apoc. 12. v. 7.

Idem. tom. 4. serm. 41.

Quod si causam inquiramus, ob quam dæmones tantum semper ex supercælesti illo IESV nomine conceperint formidinē, inueniemus illā inde præcipue oriri, quia videlicet præuidebant, in diuini illius nominis virtute & potentia subiugandum fore ipsorum regnum, destruendum imperium, ipsosq; amplo illo spoliandos esse dominio, quo super terræ huius hominibus potiebātur. Optime namque sciebant, ex nullo alio motiuo & causa passurū & moriturū Christum Dei Filiū, & nostras consequenter animas, ab impia dæmonis potestate liberaturum, ac tādem antiquas eius, tyrannicasque vires diminuturum, præterquam ob solam magni huius nominis nomenclaturam, quia videlicet IESVS erat, hoc est redemptor & saluator. *Hic est IESVS.*

11. S. Bernardus cum anima sua de supercælesti IESV nomine colloquens, ita eam alloquebatur: *Hoc tibi electuarium habes, ô anima mea reconditum in vasculo vocabuli huius, quod est IESVS, salutiferum certe, quodque nulli unquam pesti tuæ inuenitur inefficax.*

S. Bernar. serm 15 in Cant.

Verum enimuerò ex quibus simplicibus compositum est spirituale istud electuariū certe ex quo contra venenum & pestē euidens fuit antidotū, ex rebus admodum venenosis compositū fuisse necessū est. Theriacā enim quæ aduersus venena adhibetur, ex venenosis animalibus, viperis nimirū, & similibus alijs serpentibus compositam esse constat. Ex venenosis itaq; simplicibus, electuarium istud in vasculo nominis IESV reconditum, compositum erat. Venena pestis nostræ alia non erant, quam lachrymæ, labores, infirmitates, dolores, deniq; mors ipsa, quā ob peccatū, in hoc mūdo pati debebamus, & in altero vnde vt antidotum istud, per quod ab hisce venenis, & à pestis illius toxico liberandi eramus ex ijsdē venenis esset cōpositum, opus erat, atq; re ipsa ita factum est; Christus nāque lachrymis suis atq; laboribus, infinitisq; alijs, quos ad mortem vsque sustinuit doloribus, a talibus nos liberauit, purgauitque venenis. Quare cum sanctus hic & mellifluus Abbas dicit, nomē IESV vas quoddam esse, in quo istud asseruatur antidotum, significare vult, omnes dolores, cunctasque pœnas & labores quos Christus pro nobis sanandis pati debuit, in hoc ipsi nomine præsentatos, atque in hoc vocabulo reclusos & velut in vasculo quodam conseruatos fuisse. *Reconditum in vasculi vocabuli huius.*

12. Ob hanc forte causam factum est, quod cum Pilatus, vti diximus, nomen IESV tabulæ cuidam inscriptum in crucis statuisset vertice, Dominus noster iam moriturus, vti S. Ioannes dicit, caput suum sub eo inclinare voluerit: *Et inclinato capite*, haud aliter quam si dicto sanctissimo nomini humeros suos demonstrare, eidem

Ioan. 19. v. 30.

dem,

demque dicere voluisset; Vide ô sacratissimũ nomen, cuius graue onus ac pondus per experientiam nulli hactenus compertũ fuit, vide inquam humeros meos, qui cũ hucusque totũ licet mundũ continuo semperque portantes, nunquã defatigati sint, nunc tamen vtpote sub graui tuo, quod mihi imponis, onere fatiscentes, debilitate, atque deuicti, ne quicquam amplius possunt. Ac si significare per id voluisset, nullam esse aliã tormentorum suorum suæque mortis causam, quam magnum & tremendum nomen istud, cui vt responderet, hominesque saluaret, pœnarum incomparabilium, infinitorumque tormentorum fieri signum debuit: *Hic est IESVS.*

In vulgari nominis IESV pictura, tres nomen istud componentes conspiciuntur literæ, in quarum media in modum arboris erecta crux Christi conspicitur. Ad intelligendum autẽ Christianorum pictorum in hac inuentione reclusum conceptũ, notare oportet, militibus in prælio victoribus in more positum esse, quod arma illa, quibuscum magnam quandam valdeque singularẽ obtinuere victoriam, in sublime suspendant & erigant. Sic Dauid adhuc adolescentulus, detruncato Goliathi gigantis capite, ensem suum, quo ad patrandum facinus istud vsus fuerat, sacro loco, ipsimet nimirum Dei tabernaculo intulit. Ad eundem quoque modum nomen IESV Crucem Christi exaltat, vtpote ensem, qui Christum occidit. Ad significandũ quod hoc, quod est filium Dei fuisse occisum, nominis huius fortitudini, & efficaciæ tribuendum sit, ipsique non vero alteri, huius rei deberi gloriã, & gloriosi facinoris illius victoriã. Nunquã enim Christus mortuus fuisset, nisi obligatio, qua significato nominis sui respondere debebat, eum ad hoc excitasset & coëgisset. 1. Reg. 21. v. 9.

Vnde infirmi illi, de quibus in hoc Euangelio fit mentio, de magna obligatione, qua Christus rex cælestis ad respondendum imposito sibi nomini, tantopere à deuotis turbis celebrato obstringebatur, securi & certificati: *Hic est IESVS à Nazareth*, tametsi iracundum illum cernerent, ad illum tamen propius accedere, ab eodemque salutis suæ beneficium exposcere minime dubitabant, probè scientes, virum quendam tã excellentem, tantisque qualitatibus prædità, qualis erat cælorũ monarcha Christus, nec ira aut indignatione, aut alio quouis simili passionis impedimento tardari posse, quominus reapse & in factis illi respondeat, quod in nominis sui significatione promittebat, prouti reuera respondit; *Et sanauit eos.*

CONSIDERATIO II.

Et sanauit eos.

Deus ad misericordiam tunc magis est pronus, cum vehementius irascitur.

1. ALia ratio, ob quam infirmi isti & miserabiles homines, de quibus in Euangelio, tametsi Christi Domini indignationẽ optime sibi haberent perspectam, nullam tamen timentes repulsam, pietatẽ ab ipso deposcere voluerunt & salutem, prouti eandẽ de facto quoq; obtinuerunt, fuit quia norant, quod nõ accederent gratiã à terreno quodam aut mortali principe postulaturi, sed à vero Deo cælorũ Domino, scientes ordinariam Dei proprietatẽ esse, vt iratus ad misericordiã & pietatem longe pronior: existeret, quam alias vnquã; conformiter illi, quod quandã Abacuc propheta eidem dicebat: *Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.* Habacuc 3. v. 2.

Aliacus Episcopus Cardinalis, illa psalmi verba: *In manus tuas Domine commẽdo spiritũ meũ*; explicans, docet duas illas Dei manus de quibus Dauid loquebatur, Iustitiam esse & misericordiam; eundemque Iustitia veluti læua; misericordia vero tanquam dextera vti: *Manu Iustitiæ quasi sinistra, manu misericordiæ quasi dextera vtetur.* Vnde vt scias, qua ratione Deus duobus hisce attributis vtatur, videndũ prius est, quomodo vos vtraque hac manu vtamur. Res euidens est, nos persæpe dextera manu vti absque adhibita in opus illud societate sinistræ, vti à nobis fit dum depingimus, aut scribimus, aut manducamus, aut dum centenas alias actiones similes exercemus: Econtra vero sinistra manũ nostra nunquã vtimur, quin illi dexterã mox quoque adhibeamus, ordinarie namq; laborantẽ sinistram dextera manus adiuuat. Psal. 30. v. 6. Aliac. ibi

Cum itaque Deus Iustitia ad instar manus læuæ, misericordia vero instar dexteræ vti dicitur, hoc solum innuitur, videlicet: Deũ quidem misericordiæ operibus absque adhibita

hibita iustitiæ societate intentum esse, nunquã tamen eundem Iustitiæ opera exercere, quin intermixtam quoq; illi misericordiã vsurpet. Verissimum namque est, quod in cũctis irati DEI operibus diuinæ pietatis resplẽdeãt radij, quippe qui irasci nunquã potest, quin in eodem et prorsus tẽpore misericors existat: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.*

2. Cum DEUS olim crudeli & indurato Pharaoni valde iratus esset, Moysen legatũ suum ad eũ misit, qui eidem ex parte sua terribilẽ quandam grandinis pluuiam, in tota Aegypto, a prima die qua primitus inhabitata fuit, vsq; in illud tẽpus hactenus nunquã visam notificaret, qua omnes homines, atque iumẽta, & animalia, super quæ cecidisset, subito occiderentur. Hæc autẽ Moysi dicẽs præcepit, vt hoc tyranno consilium suggereret, videlicet, vt iumenta & pecora sua, in locũ securũ, vbi salua essent, mature satis congregaret, secus enim fore, vt omnia quæ palam grandini essent exposita, internecioni traderentur: *Mane consurge, & sta coram Pharaone, & dices ad eũ: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorũ: En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Aegypto, à die qua fundata est, vsque ad præsens tempus. Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro, homines enim & iumenta & vniuersa quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritq; super ea grando, morientur.*

Exod. 9. v. 18.

Est hic locus vnus ex ijs scripturæ locis, qui in admirationẽ merito rapiũt, quotquot attento illũ oculo legunt & considerãt. Quod si enim diuina Maiestas comminatam grãdinis pluuiam immittere intendebat, ad castigandum & damnificandũ sceleratũ illum, qui grauius longe suppliciũ cõmeritus fuerat, quo fine illũ voluit moneri, vt securum in locum pecora, & iumenta sua agat? quod si enim ipse sua in saluũ coacturus esset iumẽta & pecora, quodnã illi grãdinis pluuia adferre poterat nocumentũ? certũ enim est, pluuiã istam non potuisse Regẽ ipsum in persona offendere, vtpote qui sub palatus sui tectis tutus satis erat atque securus. Neque possessiones suas, vtpote quas post præmonitionẽ illã in securitatem redegerat. Quid igitur? Num ergo suppliciũ istud frustra ipsi immittendũ erat? vnde videtur, quod si DEUS volebat illum castigari, nõ bene fecerit ipsum præmonendo, sed potius illũ ex improuiso, & repente inuadere debuerit. Vnde ergo venit quod illũ primo de eo quod sibi imminere debebat, præmonuerit, ipsumque rationem euadendi flagelli edocuerit? *Congrega iumenta tua.*

Oleaster ad hunc locum attẽdens, diuinãque pietatem obstupescens, exclamant: *O admiranda Dei pietas, antequã sauiat, mõet inimicos flagella sua vitare, & in media ira misericordiæ memor est.* Verũ quidẽ est, quod si DEUS ingentẽ hanc tempestatem immissurus, humano debuisset modo procedere, nequaquã inimicũ suum præmonere, sed ex improuiso, ac de repente, nihil minus cogitantẽ aggredi debuisset, probe sciens præmonitionẽ eiusmodi verũ esse plagæ immittẽdæ remedium, iacula enim præuisa minus feriunt, aut nocent, prouti reapse euenit. Verũ enim verò, cũ magnus hic DOMINUS ea sit præditus proprietate & natura, vt dum vel maxime iratus existit, tũc vel maxime misericors cernatur & pius, ideo tametsi optime nouerit, comminatũ Pharaoni suppliciũ, ob præmonitionẽ præuiã, nullum inimico Pharaoni illaturũ nocumẽtum, nihilominus ne cõnaturalis sibi obliuisci videretur pietatis, eo præcipue tẽpore, quo opus exercere volebat iustitiæ, non neglexit puniendum præmonere: *In media ira misericordiæ memor est.*

Oleast. ibid.

3. S. Augustin. causam, ob quam DEUS vniuersali mundũ diluuio submergere voluerit considerans, ita loquitur: *Pro misericordia enim factum est.* q. d. Motiuum ruinam mundo totalem conciliandi, suam ex misericordia DEI traxit origenem. Mira profecto doctrina! qua enim ratione sanctus hic Doctor dicere potuit, diluuium fuisse diuinæ opus misericordiæ, cum haud dubie fuerit opus iræ & grauissimæ indignationis, & ardentem vindictæ sapiat zelum? An non in totalem ruinam tunc totus redactus est mundus? nunquid cuncti homines, paucissimis exceptis, fuere submersi? occisa omnia terra animantia? Potius ergo dicendum erat, suppliciũ istud rigorosæ iustitiæ, non vero pietatis & misericordiæ opus extitisse. Ad declarandum igitur hunc suum conceptum, mox subiungit: *Vt iusti euaderent, & iniqui amplius non peccarent.*

August. serm. 69. de temp.

Negari equidem minime potest, quin diluuium ex ingenti Dei ira profectum sit, veruntamen principale supplicij illius motiuum, suum à misericordia initium duxit. Iusti enim, hoc est Noë, & familiares domus suæ, ab hac ruina fuere reseruati, id quod misericordiæ opus fuit: scelerati vero moriendo hoc assecuti sunt, vt peccare, suasque animas tot alijs horrendis sceleribus aggrauare cessarent, quod certe si longius ipsis vitæ tempus indultum fuisset, minime fecissent, id quod diuinæ pariter misericordiæ tribuendum venit. Vnde perspicuum fit, quod eo tempore, quo Deus homini magis irascitur, eodem quoque se erga hominem magis misericordem & pium exhibeat. *Pro misericordia enim factum est.*

4. Ob nimiam tot scelerum inundantiam, quæ homines temporis illius, ante diluuium nimirum, committebant, Deus (vti mox diximus) mundũ submergere statuit. Vnde illos diutius sustinere aut ferre nolēs, intra semetipsum dixit: *Delebo hominem quem creaui à facie terræ.* Vbi mihi operæ pretium esse videtur quærere, cur Deus non dixerit: eradicabo homines de terra, sed tantum dixerit à facie terræ? *A facie terræ.* Melius dicturus videretur, si diceret de terra, quam à facie terræ. Tam enim moriendum erat, viuentibus super terram, quam alijs qui subtus terram in concauis illius partibus fuissent occultati.

Nullum est dubium, quin per supplicium istud omnibus moriendum fuerit, tam ijs, qui supra terram, quam alijs qui subtus terram reperiebantur. Veruntamē dicit S. Ambrosius, ad hoc in prædictis verbis non respexit, sed ad humani generis cōseruationem, erga quod, tametsi ira atque furore in illud exarserit, tamen in ipsomet quoque tempore concepti furoris, æque se misericordem & pium exhibere non prætermisit. Postquam enim illud delere decreuisset, illud non à terra eradicare voluit, sed à facie terræ; truncare quidem florem voluit, ita tamen vt integram eius relinqueret radicem, id est, Noemum eiusque filios, vt alio quodam Deo placito tempore germinare & florere, ijsdemque mediantibus humanum genus restaurari valeret: Ecce ipsissima sancti Archiepiscopi verba: *Indignatur Deus peccatis nostris sed non obliuiscitur pietatis; deleturum se dicit omnem carnem, non à terra, sed à facie terræ, florem decutit, sed radicem seruat.* An non hic aduertitis, Deum eo tempore, quo vel maxime ad castigandos homines iustissima ira excandescebat, de hominibus quoque iuuandis maxime fuisse sollicitum? Neque id cuiquam mirum videatur, naturalis siquidem eius est proprietas, nunquam adeo vehementer indignari, quin non æque pium se & misericordem exhibeat. *Florem decutit, sed radicem seruat.*

Ambros. de Arca & Noe c. 13.

Rex Paradisiacus Christus Dominus noster S. Ioanni dilecto suo discipulo, vti is suarum reuelationum capite decimo quarto refert, vbi cuidam candidæ veluti regio tribunali insidens, habens coronam auream in capite & falcem in manu, iustam de sceleratis quibusdam hominibus sumpturus vindictam apparuit. *Et vidi & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.* Apocal. 14 v. 14.

Sistite hic nonnihil, locus enim iste, attēte consideranti non tam facilis erit intellectu, vti prima quidem facie videri posset. Et quidē ratio difficultatis est, quia nimirum Dei Filius vna ex parte repræsentatur in Maiestate regia, non tantũ sublimi cuidam insidens soli, verũ etiam regio redimitus diademate: ex altera vero parte falcē quandam manu sua tenens: *Et in manu sua falcē acutam.* Quod si enim instar Regis comparere vult, cur hominis alicuius rustici siue agricolæ instrumēta manu tractat. Reges enses, sagittas, hastas, lanceas, aliaq; similia manibus suis tractare solent. Falces autē hominũ rusticorũ atque messorũ sunt instrumenta, nō vere principũ aut Regum, in qua se forma Dei filius spectandũ præbuit: Num fortasse magnum illud cœlorum armamentariũ, nulla alia tunc ad manum instrumenta bellica præter falces habebat? vt proinde Dei filius ad inuadendum inimicos suos in hanc terram descensurus, aliud ferrum sibi nequaquam esse videns falcem quandam corripuerit, eademque armatus in arenam cum hoste conflicturus descenderit.

Haud quaquam dubium est, quin in instructissimo illo regni cœlorũ armamētario

Omnis

omnis generis reperiantur arma, quorũ diuina aliquãdo iustitia necessariũ sibi exposcere vsum posset. Quod autem Dei filius in arenam cum hoste suo descensurus, non ense, lancea, arcu, aut alio simili ferro sed falce quadam acuta armatus existat, huius S. Bernardinus de Senis causam fuisse dicit, quia nimirum infinita illa Maiestas in administratione iustitiæ, ab ea quæ est Regum & principũ huius mundi, valde diuersa est; Hi namque de receptis iniurijs se vindicaturi, iustitiam ita exercent, vt pietatis & clemētiæ prorsus obliuiscantur; siquidem hoc fine alijs non vtuntur armis, quã lanceis, arcubus ensibus, quæ hominē ita anima destituunt, vt omnem quoque vitæ recuperandæ spem eidem adimant. falces autē tametsi herbas succidant, detruncent, demetãt, bonã tamen illarũ partē radici coniunctam relinquunt, vnde vitã recuperare & renasci possint. Familiaria nimirũ sunt falces tales diuinæ Maiestatis instrumenta, quippe quæ in qualicũq; indignationis suæ exhibitione, Iustitiã exercere nunquã assolet, quin suum quoque misericordiæ locũ semper cedat, adeo vt si hominē vna ex parte affligat, ex altera parte afflictionē eandē moderetur & tēperet. Verba Doctoris sancti sunt ea, quæ sequuntur: *Quid enim per falcem acutam, nisi iudicium agendorum exprimitur? sicut falx in præscindendo partem incidit, partemq; hærentē terræ demittit: sic Dominus IESVS Christus iustus, & pius, nunquam iustitiam absque misericordia facit, sicut ipse per Prophetam ad patrem ait: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.*

Bernardinus serm. de torm. Carn. art. 1. c. 2.

6. Similem prorsus locum Isaiæ capite septimo inuenire licet, vbi sanctus Propheta certis quibusdam hominibus ex Dei nomine

Isai 7. v. 20 minas intentans, ita loquitur: *In illa die radet Dominus in nouacula conducta, in his qui trans flumen sunt in regno Assyriorum caput: & pilos pedum, & barbam vniuersam* Circa quem locũ talis fieri posset instantia. Nunquid cum iam apud Deũ omnino decretum esset, castigare homines illos, grauius suppliciũ, maiorq; pœna fuisset, pilos & capillos eisdē radicitus euellere, quã radere? vtiq; pœna isthæc grauior fuisset ea, quã comminatus fuerat, capilli namq; qui absque vllo doloris sensu raduntur, nō nisi cum maxima doloris vehementia euelluntur stirpitus; veruntamē quia nunquam Deus suam iustitiæ operibus admouere manum consueuit, quin pietatem ijsdem semper commisceat, ideo eos qui Regis Assyriorum assistebant partibus castigaturus, eorundem pilos non euellit, sed radit. *Radet Dominus.*

Intelligetis idipsum optime per id, quod Oleaster hunc locum explicans ait dicens: *Quanta est Dei in puniendo miseratio, qui pilos resecat, & relinquit radices eorum, quibus renascantur:* q. d. Quam ingens est diuina clemētia, qui dum conceptam exequitur iustitiã, pietatis nequaquã obliuiscitur! Tollere quidē vult ab ijs capillos, nec tamē illos radicitus extrahit, aut euellit, sed nouacula abradit vt hac ratione renasci valeant, dũ reliquæ manēt eorũ radices. Quod si Deus eosdem euelleret, nō remanerēt superstites radices, adeoq; nec renasci vllatenus possent, quod tametsi cōsentaneũ fuisset rigori iustitiæ quē scelerati isti cōmeruissēt, quia tamē per hoc misericordiæ diuinæ omnis fuisset præclusus aditus, ideo velut opus à pia Dei manu nunquã patratũ, nequaquã fuit ad missũ; Deus enim arma ad dãnificãdũ nũquã corripit, quin mox altera ex parte ad damni illati restaurationem misericordiæ subinferat remediũ.

Oleast. ibid.

Atque hac ratione videbitis, Deũ nonnunquam huic mulieri per mortē eripere charũ quē habet maritum, radices tamen honoris, integerrimæq; famæ, & existimationis eidē relinquere, vt in defuncti locum facilē negotio accipere possit alium. Facit vt nauis huius mercatoris submergatur in vndis, in qua cũctas suas repositas habebat diuitias; Creditũ tamen bonamque apud alios fidem illibatam conseruet, vt vel sic de nouo negotiari, suamque valeat reparare iacturam: per varias infirmitates hominibus sanitatem eripit, integra tamen relicta medicamentorum radice, qua sanitas amissa recuperetur. Atque hoc modo per cuncta discurratis diuina supplicia, quæ conspiciuntur in terris, semperq; videbitis, quod tametsi plantã siue arborem detruncet, radicem tamen eiusdem minime tangat, suum semper in administratione iustitiæ, pietati locum dando. *Pilos resecat & relinquit radices.*

7. Quando Deus primã omnium aduersus homines executurus iustitiam prodibat, & ca-

& castigaturus nimirum Adamum & Euam, veluti præcepti sui præuaricatores, dicit Moyses illum simul cum zephyro vento sano atque salubri, quique ad florum generationem magna polleat virtute, in publicum processisse: *Et cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso, ad auram, post meridiem.* Sic enim idipsum exponit Abulensis: *Videbatur venire de illa parte, de qua ille ventus flabat, qui est post meridiem; & iste ventus vocatur zephyrus, qui valde sanus & laudabilis est, maxime ad generationem florum.*

Gen. 3. v. 8. Tostat. q. 54. ibid.

Ponderemus nonnihil scripturam istam, videamusque cur Deus protoparentes nostros castigaturus à meridionali plaga suum adoriri iter, atque in supplicij illius executionem, cum simultaneo zephyri venti flatu prodire voluerit. Prima namque facie rem hanc consideranti, videri posset expedientius, si pœnas de parentibus nostris adeo atroces sumpturus, ab Aquilone venisset, idque in societate Boreæ, venti nimirum frigidi, & turbulenti, atque herbis exsiccandis, elanguidandis floribus, arboribusque denudandis aptissimi. Poterat quoque ventus iste Aquilonaris, Deo transgressores istos mortis sententia mulctaturo, carnificis loco subseruire, vtpote qui ad solum indignantis Dei nutum, primos hosce humanæ generationis flores vnico duntaxat flatu potuisset extinguere. Cur igitur non Boream, sed zephyrum potius secum adduxit, ventum nimirum, qui ad germinandum, suggerendam vitam, nascendisque arboribus aptior erat, quam ijsdem eradicandis aut extinguendis?

Promptum ad id responsum mihi subministrat præsentis materiæ consideratio. Dico igitur, quod tametsi verissimum sit, Deum tunc eruendis & detruncandis duobus illis humani generis floribus, & pronunciandæ aduersus ipsos mortis sententiæ fuisse deditum, attamen quia in omnibus suis iustitiæ facinoribus, suam semper notari vult misericordiam inde motus est, vt ad prosequendam seueri illius iudicij executionem à meridionali plaga zephyri venti societate stipatus progrederetur, ita vt dum iustitia vna ex parte sese accingit ad detruncandum mortis gladio Adamum & Euam, misericordia ex altera parte ex Adamo & Eua filios nasci faceret & nepotes.

8. Et quidem ne sine fundamento loqui videar, notate ea, quæ Deus in Euæ iudicio locutus est verba: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios.* Quem scripturæ locum Magister Historiæ Scholasticæ explicans, vult verba illa partim in se maledictionem, partim vero benedictionem continere, in quantum enim doloribus ipsam subijciunt, Deus illi maledicit, ijsdem demum, in quantum parturiendi virtutem illi tribuunt, benedicit eidem, singularis enim gratia & benedictio est, concessa fœcunditas. *Quod dictum est ei: in dolore maledictio est; sed paries, benedictio est.*

Gen. 3. v. 16.

Mag. histor schol. in Gen. c. 23.

In eandem cum præcedenti difficultatem circa hunc scripturæ locum incidimus. Quod si enim Deus iratus ad maledicendum Euæ venerat, cur simul benedicit eidem? si inflicturus erat hominibus istis mortem, quomodo alijs ipsorum posteris vitam donat? si ob magnam sui offensam & indignationem inter viuos relinquere noluit parentes, vtpote quos vita prorsus iudicabat indignos, cur eidem complacuit vitam indulgere radici, ex qua filij nascerentur & nepotes? Respondet autem Doctor ille præfatus *In puniendo non est oblitus misereri Deus* q.d. Deus haud aliam ob causam maledictionem benedictioni commisceri & associari voluit, quam quia hæc illius natura est, atque proprietas, vt iustitiam administrans, pietatis nequaquam obliuiscatur; vnde si vna ex parte ad continuorum laborum & ærumnarum triremes, atque ad mortis patibulum prothoparentes nostros condemnat per Iustitiam: per misericordiam econtra, ex parte altera, generandi pariendique illis tribuit facultatem: Et si vna manu iracundiæ ignem portat ad nouellas hasce plantulas comburendas & incinerandas, ex altera parte zephyrum spirat, ad concedendam illis pro nouorum partuum productione fœcunditatem. *In puniendo non est oblitus misereri Deus.*

9. Quando Moyse cum Deo in monte loquente, ingratus Hebræorum populus, admirabilium fauorum quos à Deo suo optime

cimo Maximo acceperat, oblitus, vitulum aureum adorare cœpit, dicit sacer textus, Deū eidem Moysi huius idololatriæ prorsus nescio, eandem reuelasse, dicendo: *Peccauit populus tuus, feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt.*

Exodi 32. 7. 29.

Circa quem locum inquiro: Quam ob causam Deus Hebræi populi peccatum reuelare Moysi voluit? num forte eundem in conceptæ iracundiæ carnificem eligere, atque ingratam hanc populi fæcem proprijs Ducis sui manibus occidere statuerat?

Dicit Oleaster Deū id ipsum hac de causa minime fecisse, vtpote qui illo tempore ab eiusmodi cogitationibus valde procul aberat: sed potius *reuelauit peccatum populi, vt ipse apud eum pro eo intercederet.* q. d. Deus peccatū istud Moysi reuelare voluit, quod nosset illum populo suo apprime deditum, velletq; vt is veniam & culpæ illius remissionem eidem procuraret, diuinasq; manus ad vindictam sumēdam iam pronissimas impediret. Pape! Et vbi tunc erat indignatio & iracundia Dei, qua aduersus sceleratum populum istum exardescebat, si idem Deus ad hoc, vt ijsdem ignoscere posset, intercessores illi sollicite procurabat, atque quærebat? negari equidem non potest, Deum illo tempore vehementer populo huic indignatum fuisse, fieri tamen minime poterat, vt indignatio isthæc à solita eius dissociaretur pietate, vtpote cuius naturalis proprietas est, vt æque semper inueniatur misericors & pius, quantum conspicitur iracundus, vt proinde mirum non sit, quod eodem prorsus tempore, quo iustam aduersus populum suum machinabatur vindictam, eidem sollicite procurauerit veniam. *Vt ipse apud eum pro eo intercederet.*

10. Refert sacer Chronista Moyses Deū dum ira plenus ad castigandum Adamum veniret eundem è longinquo vocando, alta voce clamasse: *Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, vbi es?* Ecquidnam de clamore isto vobis videtur? Iudexne latronē præsto & ad manum esse desiderans, elata voce eundem inclamat? vtique Adamus, si bene sibi sapit, iracundi & tantopere offensi Dei vocem audiens, sese abscondet, vti & re ipsa sese occuluit. Cur igitur eundem non aggreditur taciturnus omnino & silens, ne abscondere se possit?

Gen. c. 3. v. 9.

Os illud vere aureum respondet, Deum altum adeo clamasse, vt hoc clamore Adam de aduentu Dei præmonitus atque perterritus, ad fugiendum seseque abscondēdum, tempus sufficiens haberet. *Finxit quasi indignabundus strepitum, ita vt Adam sui sceleris conscius fuga tempus haberet* q. d. Tametsi Deus illo tempore aduersus præuaricatorem Adamum vehementer esset iratus, non tamē ideo se æque pium eodē tēpore exhibere destitit, dedita opera & studio, alte adeo de longinquo vociferādo, vt hic voces illius audiens, abscondere ac subducere se posset, ne in illius incidat manus. Atque hac ratione erga Adamum se habere voluit, vt sicut vna ex parte sese exhibebat iudicē, ita quoque aduocatum sese ostenderet ex parte altera, eodemque tempore, quo leges exequebatur iustitiæ, misericordiæ quoque fauores illi ministrare non intermitteret.

11. Confirmatur hic Scripturæ locus ex alio quodam Apocalypseos omnino simili, vbi filius Dei die quadam adeo iracundus & furore aduersus non nullos Episcopos percitus, de cælo descendisse dicitur, vt oculos suos habere igneos, atq; de ore illius exire videretur gladius anceps, vtraq; parte acutus, qui læderet quacūq; vibraretur. S. Ioannes autem qui visionem istam vidit & scripsit, insuper notat eundem Dei filium venisse vestitum podere, id quod erat certū quoddam vestimenti genus, ad antiqua legis sūmum sacerdotem spectans. *Vidi similem Filio hominis vestitum podere.* Apoc. 1. v. 13.

Quo in loco omnino mihi persuadeo, quod sicut pro debito huius aduentus sui apparatu, Christus armis indutus fuit iustitiæ, ita quoque vestem negligere noluerit misericordiæ. Quod vt melius intelligatur, notandum, quod ex vestimenti huius lymbo seu fimbria, plurimæ suspensæ erant nolæ seu campanulæ, ob quarum continuum sonum summus Pontifex ambulans, vix passū vnum progredi poterat, quin omnes circum vicinos præsentiæ suæ siue aduentus commonefaceret. Ac proinde dum Christus prælatos illos castigaturus in viam se recipiens, hac amictus veste podere scilicet, comparuit vtique per tot campanularum ad pe-

pedes illius suspensarum sonitum ac strepitum, dum ambulabat, singulos præsentiæ siue aduentus sui commonebat.

Vnde videtur mihi Christum se hic habuisse ad instar Romanorum illorum militum, qui vt scribit Plinius, ensibus suis cāpanulas alligatas habebant argenteas, vnde fiebat, illos nec ensem mouere aut in hostem vibrare posse, nisi præmonito prius per nolæ sonitum inimico. *Plin lib. 33. c. 12.*

Aut vero ad instar venenosissimi illius serpentis, quem Boiuningum vocant, in Brasiliæ insula primitus conspecti, qui mox vt hominem mordet, omni quoque motu & sensu destituit; atque viginti quatuor horarum spatio interimit & occidit. Caudæ autem illius, naturæ prouida mater nolulam siue campanulam quandam appendit, vt per illius sonitum in omni loco, cui appropinquaret, aduentus sui daretur signum, hacque ratione homines, aliaque animantia fugere, suamque saluare vitam possent. *Maiolus colloq. de serp.*

Aut denique ad instar veterum Florentinorum, qui vti refert Petrus Matthæi quando armis capescendis præparabantur, in more positum habebant, non prius in campum prodire, quam præmisso à longe campanæ cuiusdam, quam Martinellam vocabant, diuturno sono, vt videlicet hostis hoc sono excitatus sibi prospiceret, seque mature satis ad bellum pararet.

Videtur igitur Christus eodem prorsus modo ad septem illos Episcopos castigandos, processisse in publicum, sacra Podere amictum: *Vestitum Podere*, vt videlicet hoc campanularum, fimbriis vestis eiusmodi affixarum, sono monerentur, ad fugam mature satis ineundam, atque ad declinandum ab ira sua, & gladio ancipite vtraque parte acuto & feriente. Id quod omittere nequaquam poterat, naturalis quippe & innata benignissimi huius Domini nostri proprietas est, vt eo se tempore, quo hominibus indignatur, grauiterque irascitur, pium se & misericordem pariter exhibeat; dumque aduersus legum suarum transgressores Iustitiæ stringendus est gladius, misericordiæ campanulam sonare faciat, qua puniendi fugæ mature satis capescendæ, & supplicii per pœnitentiam aliaque virtuosa opera declinandi commoneantur. Sicuti inter Niniuitas contigit, dum enim diuina Iustitia suum aduersus hosce strinxisset gladium, ad vrbis suæ subuersionem moliendam, Diuina mox misericordia prædicationis Ionæ campanulam sonare fecit, per quā Niniuitæ commonefacti, in pœnitentiæ portum, vt securitati suæ consulerent, sese mox receperunt. Eadem quoque fuga à vindicta diuina sibi imminente consuluit sibi Dauid, postquam correctionis Nathan Prophetæ campanula eiusdem auribus insonuisset. Atque huiusmodi exempla centena alia in medium adferre possem, è quibus perspicue satis cernitur, nemini vnquā de cœlo immissum supplicium, nisi diu ante satis superque præmonito. Vnde liquet quam verum sit, Deum nunquam irasci, quin misericordem se pariter piumque in homines exhibeat.

12. Theodoretus Episcopus Cyrenensis, verba Dei à Moyse Gen. 1. cap. v. 11. relata scilicet: *Germinet terra herbam virentem*, exponens, pulchram circa eadem quæstionem mouet: dicitque cum Deus herbas eo fine produxerit, vt hæ brutis animantibus in pascua cederent, cur illas non pascua, sed herbas appellat? Aptius enim illas specifico pascuorum, quam generico herbarum nomine indigitasset, vtpote animantium pastui specialiter destinatas. *Gen. 1. v. 11.*

Et respondet longe conuenientius & aptius fuisse nomen herbarum quam pascuorum, cuius hanc assignat hisce verbis rationem: *Prauidens Dominus, quod homines in morbos prolaberentur, vtpote qui sententiam mortis propter peccatum receperant, iussit terram herbas producere, non tantum esui aptas, sed etiam morbis depellendis.* q. d. Eodem tempore, quo Deus homines in maximam diuinæ Maiestatis suæ indignationem lapsuros, ac proinde supplicij millenorum morborū iuste cōdemnādos præuidebat; Eodem inquam tempore, per virtutem quam herbis indiderat, medicamenta pariter morbis pellendis procurare disposuit. Ideoque herbas, non tantum vt animalibus cederunt in pascua, verum *Theodoretus q. 13. ibid.*

rum

verum etiam vt in medicinam essent hominibus, produxit. Eandemque ob causam illas non specifico pascuorum, sed generico nomine herbarum appellare voluit, vtpote vtriusque rei prædictæ significatiuo.

Qua in re notanter obseruo, quod Deus vno eodemque tēpore, quo homines propter peccatum corporalibus affligere infirmitatibus statuerat, eisdem recuperandæ sanitatis pariter prouiderit remedium, adeo vt si vna ex parte iudex esset, Medicum se præberet ex altera, & dum vna manu ad vulnerandum, ferrum tractat, altera oleum defert quo inflicta vulnera sanet. Vbi perspicue & clare videtur, Deum ex naturali sua innataque proprietate nullo vnquam tempore irasci, quin beneficium se pariter & misericordem commonstret.

13. Ad idem propositum nequaquam intermittendus est locus quidam Isaiæ Capite 59. v. 15. vbi sanctus propheta de Deo aduersus Hebræorum scelera indignante tractans, ita loquitur: *Vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium: & vidit quia non est, & aporiatus est, quia non est qui occurrat.* Circa quæ verba Hugo Cardinalis dicit. Isaiam prædictis verbis describere Deum, veluti iratum in populum suum, & expeditum manu sua flagellum tractantem, eundem vero priusquā flagellum istud immittat, respicientē, si forte ex amicis suis nonnemınem, inueniat, qui suis illum orationibus, ab illius iudicij quod facere statuerat, executione efficaciter impediret; quod vero nullum talem inuenisset, adeo afflictum, vt instar angustiati, grauiterque laborantis sudare videretur, hoc enim innuunt verba illa: *Aporiatus est. Aporiare* enim inquit hic Doctor, *Laborare est, vel angustiari vel affligi.* Vultque quod verbum istud *Aporiari* deriuetur à dictione *Porus*, quod idem est, quod quidam pellis siue cutis meatus, vnde sudor egreditur, quos etiam nos poros vulgo vocamus; sudor quippe laborantibus duntaxat proprius est. veram autem esse Doctoris illius circa prædictum locum expositionem, toties certo quodam modo experimur, quoties Deum iracundū, manumq; eius ad castigandum homines ense veluti ob armatam conspicimus. Nisi enim tunc amicorum suorum nonnullos inueniat, qui extentam illius brachium impediant, ictumque gladij intentatum, precibus suis auertant, tantopere affligi & laborare cernitur, vt veluti sudare videatur. Atque hic est proprius scripturæ illius sensus. *Quasi enim labor* (inquit Cardinalis præfatus) *& afflictio grandis est Deo, quando nullus orando animaduersioni eius obuiat.*

Isai. 59. v. 15.

Hugo Card. ibid.

Vnde colligitur adeo verum esse, quod æterna illa Bonitas, tempore iracundiæ pronissima sit ad exercendum opera misericordiæ, vt dum armatā iam in vindictam manu sua, nulla ei ad exhibendam pietatem & misericordiam offertur occasio, vehementer affligatur, sudet, vltraque omnem modum laboret. *Afflicto grandis est Deo, quando nullus orando animaduersioni eius obuiat.*

14. Postquam Deus cum Ezechiele Propheta suo de extraordinarijs sæuisque Tyro ciuitati immittendis supplicijs deliberasset, mox hisce verbis concludit: *Tu ergo fili hominis assume super Tyrum lamentum.* q. d. Agedum igitur mi dilecte propheta, mox vbi me iratum, manusque super Tyrum stringentem gladium, ciues illius & incolas male tractādo & grauiter castigādo cōspexeris, tu altera ex parte mox lamentaberis, earundemq; deplorabis misericordiā.

Ezechielis 27. v. 1.

Vbi merito inquirendum, quid planctus Prophetæ huius, quem eo præcipue tēpore facere iubebatur quo Deus subuertendæ vrbi Tyriæ instabat, innuerit? Theodoretus idipsum pulchre innuit, dicens: *Ipse iure & iustissime iudicans, Propheta præcipit, vt ciuitatem punitam lamentetur, declarans, qua animi afflictione ipsum puniret,* q. d. Volebat Deus, vt Propheta Tyrum destructam deplorans, diuinam suam referret seu repræsentaret Maiestatem, vtpote cuius hæc est conditio, vt tametsi ex vna parte ad dandum suum Iustitiæ locum, & castigandos homines impios, gladiū non vibrare non pōssit, ex alia tamen parte erga eosdem quos castigat, tanta vrgetur misericordia & pietate, tantumque pro ijs laborat, vt vehementer plangere videatur. Vt proinde Prophetæ planctus, planctus diuini quoddam fuerit symbolum. Id quod ita ordinatum à Deo fuit, ad demonstrandum, quanta sit diuina misericordia, illo

Theodoret. ibid. sect. 11.

illo etiam tempore, dum aduersus mundum irascitur; tanta videlicet, vt flagellum ad castigandos homines, sine planctu adhibere nequaquam soleat. *Declarans qua animi afflictione ipsam puniret.*

15. Finem considerationi huic, per visionem quandam Danieli Prophetæ cap. 7. prophetiæ suæ exhibitam, imponamus, vbi se in medio cælorum thronum grandem vidisse scribit, in quem se Deus Pater æternus, quasi mundum iudicaturus reposuit, ad eũ fere modum, quo in vniuersali iudicio fieri videbitur, coram quo vnigenitum filium eius, à nonnullis eidem oblatum venire conspexit: *Ecce in nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum.*

Daniel. 7. v. 13.

Quæritur hic, quid significent verba illa: *obtulerunt eum?* Qualis fuit illa oblatio, quæ tunc in præsentia Patris circa Christum facta est? Hugo Cardinalis illam declarat: *Obtulerunt eum, quia talem in iudicio se repræsentabit, qualem se Patri pro nobis obtulit in cruce.* q. d. *Obtulerunt eum* nihil aliud significat, quam sacrificarunt eum: in vniuersali namque iudicio, Christus eodem modo demõstrabitur, quo in monte Caluariæ vulneratus exhibitus est, & crucifixus, vbi vere sacrificatus fuit.

Hugo Card. ibid.

Vnde tametsi potentissimus illi cælorum Rex, in horrendo illo spectaculo, aduersus homines sceleratos futurus sit totus iracundia & furore armatus, vt illos gehennæ incendio adiudicet, attamen etiam ibidem eodem modo exhibebitur crucifixus, quo à Iudæis in Caluariæ monte in crucem actus fuit. Quia quantumuis ex vna parte totus, volut in prædam dandus sit furori & indignationi, ex altera tamen parte nihil de naturali suo pietatis sensu & compassione remittet, non minus de infælicium peccatorum malo, cui subijcientur, dolendo, quam doluerit in cruce, vbi crucifixus & crudeliter fuit occisus. Idque ad demonstrandum, adeo verum esse, quod Deus dum irascitur & indignatur, misericordem pariter semper exhibere se soleat, quod in ipso quoque vniuersali iudicio iram sit habiturus pietate & misericordia permixtam. *Talem in iudicio se repræsentabit, qualem se Patri pro nobis obtulit in cruce.*

Huius igitur admirandæ proprietatis diuinæ infirmi in hodierno Euangelio optime conscij, desideratam sanitatis gratiam à Christo petere minime dubitarunt, tametsi indignationem illius minime ignorarent, quam proinde facili quoque negotio obtinuerunt, & ipsa experientia teste cognouerunt, quam sit Deus etiam in ipsamet indignatione pius & misericors. *Et sanauit eos.*

CONSIDERATIO III.

Et relictis illis abijt foras.

Vt quis ad diuinarum gratiarum pertingat possessionem, sollicitudinis viam ingrediatur necessum est.

1 TErtia denique & vltima ratio, quare claudi & cœci, qui in sacro templo commorabantur, tametsi viderent Christũ vehementer iratum, auaros è templo exturbantem sacerdotes, in poscenda nihilominus ab ipso sanitatis gratia, tempus illud expectare noluerint, quo animus eius ira deferuescente iterum serenaretur, fuit, quia non ignorabant, quam sit ad diuinas obtinendas gratias, cura & sollicitudo ingentis ponderis & momenti, quantæque necessitatis. Cum enim viderent mox Christum è templo discessurum, vt sceleratam illam relinqueret nationem, prout ipse facto reuera postea discessit, persuadere sibi facile poterant, quod si vel modicam petitionem suam differrent, futurum vtique vt ingenti suo infortunio, infirmi semper remansuri essent. Vnde morale quoddam elicimus documentum, videlicet, quod ad obtinendũm à Deo id, quod desideramus alia minime gradiendum sit via, quam via sollicitudinis.

2. Dauid Propheta de mundi saluatore sub petræ symbolo differens, prouti Apostolus Cor. 10. v. 4. exponit: *Petra autem erat Christus*, dicit, ipsum fortissimum esse leporibus asylum, conformiter lectioni sancti Augustini: *Petra asylum leporibus.* Circa quem scripturæ locum, inquirenda est causa,

1. Cor. 10. v. 4.

Psal. 103. v. 18.

sa, cur Christus leporibus tantum, non vero aliis animalibus asylum sit & refugium, cum enim cuncta alia animantia, non minus quam lepores; Christi sint opera, & creaturæ, inconueniens esse videtur, quod asylum istud leporibus duntaxat, non vero alijs animantibus patere debeat.

Sed ratio huius est, quia lepores, quoad pedes leuiores sunt, atque in cursu velociores omnibus animantibus cæteris. Et hinc est, quod vti notat S. Isidorus, leporum sibi nomen acquisiuerint: *Lepos quia leuipes, quia velociter currit, velox est enim animal.* Dum igitur Propheta dicit, diuinum hoc Christi asylum solis patere leporibus: *Petra Asylum leporibus*, non vero animantibus cæteris, demonstrare vtique voluit, nullos præterquā leues, expeditos, valdeque sollicitos & festinantes, aliquod apud infinitam bonitatem illam inuenire posse adiutorium, refugium, gratias, aliaque bona cælestia, quibus animæ nostræ indigere noscuntur. Vnde nisi homines feruentes fuerint, atque circa diuina pedibus veloces, nisi lepores fuerint, foris vtique semper remanebunt, atque à cælestibus fauoribus denudati, inopes, atque famelici. *Petra asylum leporibus.*

Isidor. Etym. lib. 12. c. 1.

3. Vnde Apostolus Hebræis cap. 12. v. 22. scribens, atque de Hierosolyma cælesti tractans, vocare illam voluit *Ecclesiam primitiuorum:* Ecclesiam primitiuorum. Per quos primitiuos, os aureum Chrysostomi spiritus beatorum intelligit, qui fœlici illa ciuitate gloriosi fruuntur & gaudent: *Primitiuos autem quos dixit? fideles videlicet & spiritus perfectorum:* sed vnde motus est Apostolus, vt beatos illos spiritus primitiuos appellaret?

Hebr. 12. v. 22.

Chrysost. ibid. hom. 32.

Ratio eius quantum ego persuadere mihi possum hæc fuit; quia videlicet ij, qui hodie in cælo sunt sancti, quamdiu in hac vita inter nos sunt commorati, in omnibus salutis suæ negotijs semper fuere primi, hoc est solliciti, festini, atque veloces, primi in fuga peccati, primi in executione præceptorum diuinorum, primi in Eleemosynis erogandis; primi in condonandis iniurijs; primi denique in cunctis alijs Christianis operibus absque vllo tardationis vitio, sine vllo negligētia næuo, nunquam inter pigros fuere, aut in numero postremorū. Vnde ob hanc illorum sollicitudinē, tantis se dum in hoc mundo viuebant, reddere gratiis dignos, vt post huius vitæ consummationem, in cælestem illam gloriam fuerint introducti; Diuinæ namque gratiæ aliter, quam per eiusmodi accelerationem, acquiri nequeunt: *Ecclesiam primitiuorum.*

4. Gloriosus Martyr S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis in epistola quadam, quam ad Angliæ regem scripsit, pulchrum hoc mouet dubium videlicet: Qui fiat, quod cum Deus ob Salomonis peccata, decem ingentis regni sui partes, ad eiusdem hæredibus sustulerit, easdemque alterius cuiusdam regis subdiderit imperio, non iisdem propter enormia Dauidis peccata, eiusdem Dauidis hæredibus euenire decreuerit? Cur soli Salomoni dictū fuit 3. Regū 11. v. 11. *Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi; disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo:* Dauidi ne vel minimum quid ex hisce verbis dictum fuit, nunquam illi eiusmodi comminationes, fuerunt intentatæ; aut castigati illius posteri, & tamen clarum & euidens est cunctis eundem æque ac Salomonem diuinorū præceptorum grauissimum præuaricatorem extitisse? Respondet igitur sanctus hic Archiepiscopus, Salomonem non aliunde gratia Dauidi concessa fuisse indignum, quam: *Quia non quæsiuit subito post delictum placare Dominum.*

3. Reg. 11. v. 11.

S. Thomas Cantuar. apud Baron. Anno 1165. 4.

Quia Salomon post peccatum commissum ad postulandam veniam & iram Dei placandam sollicitus non fuit atque festinus; ideo Deus ob hunc acceleratæ conuersionis defectum, filijs suis integram regni sui possessionem permittere noluit: Dauid vero econtra, quia ne vnam quidem horam post peccatum pænitere distulit, hanc gratiam promeruit, quæ Salomoni ob dilatam pænitentiam denegata fuit.

Qua in re perspicue videtur, illis duntaxat diuinas fuisse concessas gratias, qui in animarum suarum negotijs, per viam incedunt sollicitudinis, quiq; in ijsdē feruētes, festini, veloces, & diligentes existunt.

5. Cum prodigus ille iuuenis cōmissi erroris pœnitens, abiret, vt amantissimi Patris

eris sui manibus sese submitteret, Pater eius, vti S. Lucas cap. 15. v. 20. scribit, de aduentu illius certior factus, festinus eundem amplexurus occurrit: *Vidit illum Pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius.* Cur adeo festinus cucurrit? Cur illum in domo sua non est præstolatus, vt ibi illum exciperet, qui in illam iam ingredi disposuerat? Sanctus Ambrosius ibidē dicit, cucurrisse hunc patrem, quia metuebat, ne filius ab aliquo impediretur: *Accurrit ne quis impediat.*

Luc. 15. v. 20.

Ambros. ibid.

Misericors Deus, qui aliud nihil æque desiderat, quam vt inter gratiæ suæ brachia perditos suos recipiat filios, perditum hunc filium, non ea, qua decebat, celeritate accurrere, animaduertens dubitansque ne post diutinam moram siue delationem, aliquod ipsi, vel à mundo, vel à Dæmone poneretur obstaculum, siue impedimentum, quod gratiæ suæ obex esset, hoc inquam periculum cernens, ut filii sui non accurrentis defectū currendi suppleret, ipse ad eum amplexandū currere voluit. Per hoc ostendens, quanti momenti & ponderis res sit acceleratio, illis præcipue, qui diuinarum gratiarum cupiūt esse participes, siquidem ex diutina boni operis dilatione, vti vulgari paræmia dicitur, nil aliud quam malus successus expectatur: *Accurrit ne quis impediat.*

6. Est quorundam apud Theophylactum opinio, existimantium, quod tametsi Iudas traditor, auaritia ad horrendum scelus istud perpetrandum exstimulatus fuerit, ingentē inde sibi pecuniarum summam promittens, nunquam tamen is sibi persuaserit, fore, vt Christo ex horrenda illa machinatione, moriendum certo esset, quia nimirum credidit, illum, vti hactenus sæpe fecerat, ex inimicorum suorum manibus elapsurū esse. Quando autem illum postea mortis condemnatum, mortique vicinum vidit, adeoque negotium quod moliebatur, secus quam sibi persuasū habebat, euenire conspexit, vehementer de commisso scelere doluerit, sesequein templum receperit, inuentisque ibidem inimicis Christi, acceptos ex traditione denarios refuderit, prout id S. Matthæus cap. 27. v. 3. his verbis refert: *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitētia ductus, retulit triginta argenteos.*

Matth. 27. v. 3.

Verum quicquid de opinione ista sit, loquamur in præsenti de pœnitentia *Iudæ*, inquiramusque causam, cur *Iudas* licet facti sui iam pœnitens, veniam tamē ab offenso Domino suo non requisierit, cum tamen is vt pote benignissimus & pientissimus, tametsi scelus *Iudæ* grauissimum esset, eundem pœnitentem libentissime vtiq; recepisset, fuissetque amplexatus; neque enim auditum est hactenus, cor aliquod contritum & pœnitens aliquam à misericordia eius passum esse repulsam. Cur igitur ad sanctos illius pedes sese non prostrauit, aut ad instar Mariæ Magdalenæ peccatum suum non defleuit, illiusq; petiit remissionem, sed sui ipsius carnifex potius esse, ac semetipsum, male vtiq; consultus, propriis manibus in furiam agere, atq; occidere voluit? Quænā cogitationes cor eius inuaserunt, aut quid prætendere potuit?

Respondet Theophylactus, *Iudam* quidem statuisse à Christo poscere veniam, non tamen in hac præsenti vita, sed in inferno; eo negotium salutis animæ suæ differre voluit: vnde laqueo se suspendi priusquam moreretur Christus, vt ante Christum apud inferos appelleret, ibidemque aduentantem illum expectaret. Quia enim Christum pro animabus sanctorū Patrum liberandis, post mortē suam ad inferos descensurum audierat, *Idcirco se strangulauit, vt praueniat Iesum in inferno, ut ibi orando salutem assequatur.* Verum ignarus hic *Idiota*, per tantas deprecandæ veniæ interiectas moras & dilationes deceptus est, atque vt merebatur delusus. Non enim aduertit, quantæ necessitatis sollicitudo sit, ad obtinendas gratias cœlestes, illi præcipue, qui ad infernum vsque de conuersionis suæ negotiis tractare differebat. Quod si in modico illo vitæ tempore, quod ipsi post inchoatam traditionem erat reliquum, accelerasset, à tradito Magistro suo petere veniam, de obtinenda vtique gratia fuisset securus. verum quia hanc veniæ deprecationem, in alteram vsque vitam, (si tamen quæ apud inferos vita agitur, vocari vita meretur) differre voluit, bono illo, quo soli donantur vigilantes atque solliciti, & spoliantur pigri, priuatus in sempiternū fuit.

Theoph. ibid.

7. S. Ambrosius S. Petrum & protoplastum

plastum Adamum à peccatis suis resipiscẽtes considerans, argute deprehendit, Petrũ ad pœnitentiam summo diluculo, imo sub noctis crepusculũ, gallicinij tempore per motũ esse; Adamũ vero ad pœnitentiã tarde, post meridiem videlicet, seu circa vesperam, sollicitatum. Vnde curiose inquirit, cur Deus non æque cito & festinanter Adamum ad resipiscentiam inuitauit, sicut permouit Petrum? aut vero cur non post diuturnam moram succurrit Petro sicut subuenit Adamo? Respondetq;: *Adam reus facti nudus erubuit; Petrus conscius delicti correptus ingemuit, ille tãquam deprahensus festinat ad latebras, hic tanquam emendatus prorumpit ad lachrymas.* q.d. Ratio cur Deus Adamo tardiuscule ignouerit, est, quia Adã morose ac tardè satis à peccato suo resipuit, quippe qui prius sibi persuaserat, quod diuinum supplicium, quod transgressione sua merebatur, sese occultando euadere posset. S. Petrus autem festinanter & sollicite, absque eo quod è loco in quo delictum commiserat, discederet, resipuit à malo, quod patrarat, miraque cum velocitate, veniam delicti amarissime flendo poposcit. Vnde cum in salutis nostræ negotijs Deus sollicitudinem maximi faciat, morã autẽ & tardationem detestetur, mirum non est, quod prompte adeo Petrum in suam gratiã recipere festinet, tardet autem ad condonandum tardanti & moranti Adamo.

Ambros. serm: fer. 3. hebdom. sanct.

8. Animis hic vestris mihi adestote, qui pulchrũ ex capite octauo Matthæi adductus sum locum, obseruatione dignissimum. Ibi nãq; de certo quodã deuoto homine dicitur, ꝙ conspectis Christi miraculis, nec non cœlesti eius doctrina audita, eũdẽ verũ Deũ esse agnouerit, ipsumq; proinde cũ alijs discipulis deinceps sequi, eidẽq; perpetim adhærere decreuerit. Quia tamẽ defuncti patris cadauer domi suæ insepultũ reliquerat, ideo priusquã nouam hanc vitam adoriretur, à Christo tantillum temporis pro Patre suo sepeliendo sibi indulgeri rogauit.

Matth. c. 8. v. 22.

Cui Saluator: *Sequere me & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* q.d. Ne quæso ad vnicam etiam duntaxat horulam à me te separes: neque enim mors Patris tui eiusdemque sepeliendi necessitas ad te attinet, sed ad mortuos, id est, ad huius mũdi homines, qui dum viuunt peccatis obnoxij, sũt veluti mortui. Hoc sibi volunt verba illa. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Verum difficultas, quam ego hoc in loco inuenio, in hisce verbis, vtpote quæ ad præsentem materiam nihil perinent, minime latet, sed potius inuestigatione causæ, ob quã Christus tantillum temporis huic suo discipulo indulgere noluerit, in quo tali cuidam operi vacaret, quod non solum in se laudabile & pium erat, vti in Tobia videre est, verum etiam adeo obligatorium, quale erat sepultura paterna. Num forte Christus illius, quod Hebræis dederat, præcepti oblitus erat, quo patrem & Matrem honorare iubebantur? Ecquis maior honor ipsa sepultura exhiberi vnquã personæ patris poterat? ergone permittendũ erat vt filius in sepultum patrẽ auis rapacibus & feris in prædam & escam relinqueret? Quod si irrationales Delphini, vti de ijs dicitur, cũ aliquem suæ speciei mortuum vident, huic sese officio, eundẽ sepeliendi, ordinarie impendũt; quomodo à sepultura alterius hominis prohibebitur homo, & quidẽ filius à sepultura patris?

Diuinè prorsus difficultati huic respõdet os Ioannis Chrisostomi aureũ, dicitq;, Christũ per hæc verba non voluisse, vt huius discipuli sui Pater maneret insepultus, nec enim deerunt in mundo homines alij, vti Saluator optime dixit, qui loco Filij idẽ cadaueri illi deferre poterant, quod præstitisset Filius.

Quod igitur officium istud debitũ non permiserit Filio, factum id est, quia ad damnum quod modica illa mora, in quã impediendus hic iuuenis erat, à sanctissimorum vestigiorũ suorum sequela, causare poterat, respexit; per hanc enim euidens creabatur periculũ, ne in feruido suo proposito deferuesceret, ac denique eadẽ occasione retraheretur ad mundũ, in eodemq; detineretur, vnde discesserat Dæmon namq; ad infrigidandum cor illius, ad seducendum & impediendum illum à statu viæ inceptæ, oculis apertis stabat, nil aliud adeo considerans, diligenterque expectans, præter quam tantillum mora, & tardationis in consectanda cœpta Christi sequela: *Patrem sepelire discipulus voluit. & nec istud Christus concessit, licet nihil tam necessarium videatur esse, quam Patris sepultura, attamen hoc non concessit.* Cur tandem? *quoniam acer instat Diabolus, ingressum aliquem capere volens, si vel breuem arripuerit*

Chrysost. hom. 57. ad pop.

puerit vacationem & dilationem, magnum inducit torporem.

Quia igitur magno animarum nostrarum moderatori & Domino perspicuum erat, quòd quantum sollicitudo figendi gressus nostros in via virtutum, saluti nostræ esset necessaria, tantûdem damnosa & periculosa esset tardatio & in exequendo mora, vtpote per quam, tametsi modica sit, Dæmon bonum propositum labefactare & impedire procurat, ideo cauit ne hic, qui iam cœlum versus iter suum instituerat, paternæ sepulturæ occasione, vel dimidiæ horæ spatio à cœpta via impediretur aut tardaretur. Per hoc nobis innuens, meliorem nos aut commodiorem ad diuinas acquirendas gratias viam ingredi minimè posse, quam sollicitudinis semitam consectando; fastidiosæ enim tardationes, dilationes & moræ, propter impedimenta quæ communis inimicus noster ijs, qui cœlestium bonorum sectantur diuitias, per eas communiter adfert, incredibilium damnorum spiritualium causæ existunt.

9. De fœlicissimis Pastoribus illis, qui nocte illa, in qua augustissimus cœlorum Rex nasci dignatus est, ad ingentem hunc thesaurum in Bethlehem spectandum, ab Angelis excitati fuerant S. Lucas dicit, eosdem, quia admirabili cum festinatione & velocitate in Bethlehem se receperant, fœliciter illum inuenisse: *Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* Sed cur obsecro pastores illi in itinere isto mox complendo adeo fuere solliciti? An forte illum non inuenissent, si in via tardius processissent? num forte timebant, ne ipsis in via tardantibus, Christus cœlos, vnde venerat, repetijsset? Minime. Multis enim diebus Christus commoraturus erat in præsepio, expectando ibidem munera & honores, quibus ab orientalibus Regibus afficiendus erat. Quid igitur illos ita festinare coëgit, quando etiam tardiuscule & pro bona sua commoditate ambulando ibi appellare poterant? Isidorus Clarius respondet: *Venerunt inquit festinantes, nam spiritualia in primis negotia feruidum animum requirunt.* Aliam non habuerunt festinandi rationem, quam quod scirent, negotium istud spirituale esse, atque ad animam pertinens, in quibus summe necessariam sciebant sollicitudinem & festinationem, vt quis assequi desiderata posiit. *Spiritualia negotia feruidum animum requirunt.*

Luc. 2. v. 16.

Isidor. Clar. orat 9. in Luc.

10 Refert S. Euangelista Ioannes, quod ante augustissimum thronum illum, tot gemmis exornatum, tot coronatis Regum verticibus, qui infinita pulchritudine eius qui ad beatificandum & glorificandum illos in eo sedebat, fruebantur, circumdatum, tranquillum quoddam & quietum mare conspexerit: *Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile Chrystallo.* Totum autem istud quædam cœlestis gloriæ figura fuit, in cuius conspectu non ob aliud mysterium, mare & non terra fuit, nisi vt per hoc significaretur, nobis ex hac vita in alteram traijcere volentibus, ad fruendum visione Dei necessarium esse, vt per mare non vero per terram iter nostrum instituamus, quippe cum ad illam nullum aliud quam maritimum iter deducat.

Apocal. 4. v. 6.

Sed cur talibus per mare & non per terram eũdum est? Vt videlicet innuatur, quod ad cœlum nulla alia via nos ducat, quam via sollicitudinis & festinationis. Inter iter quod per mare conficitur, & quod absoluitur in terra, ingens est differentia. Licet enim viator aliquis iter facturus, æque cõmode iter suum, siue terra, siue mari conficere posit, eo quod terra marique aura æqualiter forte faueat, indubitatum tamen est, quin citius & velocius iter suum per mare absoluturus sit, quam per terram. Vnde non ob aliud mysterium dicitur, quod contendenti in cœlum, per mare, non vero per terram eundum sit: *Et in conspectu sedis tanquam mare;* nisi vt per hoc moneamur, neminem nostrum ad cœlum pertingere posse, nisi per semitam ambulet sollicitudinis, certissimum namque est, quod qui in hoc itinere morantur & tardant, in via semper hæsuri, terminum autem nunquam sint assecuturi. *Et in conspectu sedis tanquam mare.*

11. Via ad cœlestem gloriam, per quam ad consequendum æternæ beatitudinis pallium currendum est, à S. Paulo Apostolo in Epistola prima ad Corinthios, vocata est stadium: *Nescitis quod hi, qui in stadio currunt omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauiũ?* 1. Corinth. 9. v. 24.

Eccur

Ecur illam stadium & non circulum, aut alio simili vocabulo appellat?

S. Bruno hunc scripturæ locum explicans declarat, quid significet stadium, dicitque: *Stadium dicitur spatium ducentorum viginti quinque passuum, quantum Hercules vno anhelitu cucurrit, & non respirauit.* Vnde colligitur Apostolum, dum viam, quæ ducit ad cœlum, stadium & non aliter appellat, significare voluisse, quod quisquis tandem aliquando augustum illud cœlestis gloriæ pallium assequi desiderat, necessario tanta cum velocitate, tantaque cum sollicitudine currere debeat, vt ne vno quidem puncto aut momento, ne quidem ad respirandum illi tardandum sit. Ad acquirendam enim salutem nostram, tam est necessaria sollicitudo, vt omnis mora, quantumuis leuis & modica, magnopere sit damnosa. Deus namque gratia & gloriæ suæ dona solis dat ijs, qui pro illorum assecutione sunt solliciti & festini. Vnde quia infirmi in hoc Euangelio fuere solliciti, desideratam assecuti sunt salutem, qua semper fuissent orbati, si illam petere tardassent.

S. Bruno ibid.

SERMO VIII.

In Feriam IV. Dominicæ I. Quadragesimæ.

Accesserunt ad eum Scribæ & Pharisæi. Matthæi 12.

VIdeor mihi in præsenti Euangelio magnum illud monstrum videre, quod scriptores quidam prophani multo tempore, ingentique clade, Liciæ regnum infestasse finxerunt, vocatum Chymæra, quod tria præseferebat capita, è quibus vnum Capram, serpentem aliud, vltimum denique referebat Leonem. Vere namque eiuscemodi monstrum est scelerata Hebræorum Synagoga, vtpote quæ grauissimis obnoxia defectibus, valde monstrosa extitit: Chymæræ autem, ob tria præcipuè capita, quæ in sublime erigit, similis esse dignoscitur. E quibus adulatio primum est, intellecta per caput Caprinum. Adulator enim instar Capræ est animal familiare, & inimicum, vtpote qui fallacibus dentibus suis absque vllo respectu, domestica bona cōsumit & perdit. Cui Scribæ illi & Pharisæi persimiles sunt, qui incarnatam Dei sapientiam, quam interius in animo Idiotam & ignorantem existimabant, Magistrum hodie vocitant: *Accesserunt ad IESVM Scribæ & Pharisæi, dicentes: Magister.* Secundum est curiositas, insinuata per caput serpentis, qui Adamum & Euam prothoplastos, in mundi exordio curiosis quæstionibus aggressus est. Hāc autem curiositatem demonstrarunt, quia tametsi iam dudum ante sufficientia ad cognoscendum Christum signa habuerint, ipsi nihilominus alia insuper signa, ex mera vanitate petere non dubitarunt: *Volumus à te signum videre.* Tertium est turpis illa à nobilissima maiorum suorum indole degeneratio & defectio, per caput Leonis indicata, qui licet cuncta inter animantia nobilissimus sit, vitiosus tamen, rapax, & sanguinolentus esse non desinit, quales Scribæ & Pharisæi erant, qui licet ab Abraha

braha Patriarcha suam ducerent originem, ab hac tamen antiqua stirpe adeo degenerarunt, vt ob id spurij & illegitimi à Christo fuerint appellati *Generatio praua & adultera.* Tria isthæc Monstri huius adeo horrendi capita, Iudæam non illo duntaxat tempore infestabant, quo Christus nobiscum conuersatus est hic in terris, sed his quoque temporibus modernis, quoadusque enim vigent & regnant in terris, vniuersum humanæ generationis regnum vehementer affligunt. Agedum primum caput inprimis consideremus.

CONSIDERATIO I.

Magister.

Adulationis vitium tantam enormitatem præsefert, vt Diabolicum potius quam humanum esse videatur.

1. SCeleratissimos Scribas & Pharisæos, qui Christum Dominum Magistrum appellantes, adulatores se esse probabant, idem Dominus noster vocauit generationē infamem atque adulteram *Generatio praua & adultera.* Per hanc appellationem innuere volens, ipsos esse adulterinos infernalis Dæmonis filios, quomodo quondam ijsdem dixerat: *Vos ex Patre Diabolo estis,* & non Abrahæ filij, prouti alias inaniter gloriabantur. Siquidem pessimo adulationis vitio, Dæmonis patris sui veros se imitatores atque sequaces esse demonstrabant, eo quod adulatio ob sui enormitatem Diabolica potius, quam humana sit imperfectio.

Ioan. 8. v. 44.

2. Chrysostomi os aureum expresse dicit assentationes & verborum blanditias, quibus scelerati adulatores ad circumueniendum alios vtuntur, non hominum, sed Dæmonis opera esse, sicut e cōtra verba dura, acria, & reprahensiua, quæ pro iuuandis & dirigendis animabus homines sancti adhibent, inter Dei non vero hominis opera numeranda veniunt: *Blandiri enim vt noceat, Diaboli est; corripere vero vt prosit Dei.* Quibus in verbis nulli dubium esse debet, quia de adulatoribus sermo fit, qui mendaci suo & ementito laudum genere, in vitijs quibus obnoxiæ sunt animæ, confirmare easdem solent, dum pigros & tardos celebrant veluti maturos; temerarios tanquam animosos collaudant: superbos quasi magnificos altæque indolis homines sine vllo vultus rubore deprædicant: atque ad aliorum circumuentionem, alia vitia virtutum confictis nominibus baptizant. Has itaque blanditias & adulationes, vtpote quæ tantum hominibus damnum adferunt, dicit Chrysostomus, non humana sed Diabolica opera videri. *Blandiri enim vt noceat, Diabolicum est.* Potius enim Diabolicum, quam humanum vitium est adulatio.

Chrysost. hom. 13. in Matth.

3. S. Gabriel Archangelus ad gloriosam Virginem à Deo missus, vt eandem de admirabili Incarnationis verbi mysterio (quod in sacratissimo vtero eius, vtpote singulari præ cunctis alijs mulieribus priuilegio, in matrem Dei prælecta, consummandum erat) certiorem redderet, hisce verbis laudum suarum contextum exorsus est: *Aue gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus.* Virgo autem, mox vt hisce se laudibus extolli persensit, vt refert S. Lucas, turbata est, & velut attonita, cogitabat, quænam verba sunt ista? *Turbata est in sermone eius & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Verum enimuero, eccur turbatur Virgo? *Turbata est,* quia humillima erat, atque demissè valdeque profunde de semetipsa sentiebat, ideoque laudes illas, valde à se alienas, minimeque conuenientes existimabar, atque ideo intra semetipsam ambigebat, de illis, numquē syncerae aut adulatoriæ essent. Vnde vt hunc illi ambiguitatis scrupulum Archangelus tolleret, subiunxit *Ne timeas Maria.*

Luc. 1. v. 28

S. Andreas Hierosolymitanus Archiepiscopus Cretensis postrema hæc S. Gabrielis verba considerans, sic explicat: *Ne timeas Maria; Non sunt hæc fallentis verba; non veni vt te decipiam, non loquitur tibi fallax serpens, è terra tibi non loquor, sed bonum ex altissimis nuntium affero.* q. d. Ab omni metu procul esto Maria, veri namque, non autem ficti, siue adula-

S. Andr. Archiep. apud Lippom. 25. Martij.

adulatorij sunt sermones mei, è labijs beati cuiusdam spiritus, non vero ex fallacissimi Dæmonis ore dimanant, vbi notandum, quod cum Archangelus dicere vellet, verba sua non fucata seu adulatoria esse diceret eadem à Dæmone minime fuisse pronuntiata, idque haud alio fine, quam vt significaret, quod verba adulatoria, quocunque demum illa ore pronuntiarentur, vere Dæmonis ore pronuntiata esse censeri debeant: Adulatio namque Diabolicum potius facinus est, quam humanum. *Non loquitur tibi fallax serpens.*

4. Deus nocte quadam ad fores dilectæ Sponsæ suæ, vt domum illius ingrederetur, appropinquans, easdemque
Cant. 5. v. 2. pulsans dicebat: *Aperi mihi soror mea.* Ipsa euigilans & pulsum factum inaudiens mox dixit: *Vox dilecti mei pulsantis.* Verum vnde, obsecro, accidit, quod Sponsa adeo resolute & firmiter iudicabat, eum, qui ad fores domus suæ pulsabat, reuera dilectum suum, & non alium esse. Cur non potius dubitabat, num forte inimicus suus esset, qui vtpote malignus & astutus, vt tanto magis illi noceret, personam dilecti sui, eiusdemque vocem fingere, atque sub hac decipula ad fores domus sponsæ pulsare potuisset.

Gilbertus Abbas dicit, Sponsam mox vt pulsum audiuit, vere cognouisse hunc à dilecto excitatum seu factum fuisse; Eratque pulsus iste infallibile signum, vnde Sponsa desideratam sponsi sui præsentiam colligere poterat, adeo, vt sub hoc optime fundato securoque suo iudicio, nullum prorsus erroris subesset periculum, nullusque esset dubij aut suspicionis locus, ne forte pulsasset
Gilbert. Ab serm. 43. in cant. inimicus; Inimicus namque *palpat non pulsat.* Deus animam hominis subingredi gestiens, correctionibus, supplicijs, pœnis ac tribulationibus mediantibus pulsare semper solet, Dæmon vero econtra, nunquam pulsat, vti facere Deus consueuit, sed palpat, & leniter atque suauiter tangit, assentationum adhibendo delitias, vtendo lingua mendaciter laudante & adulante. Vnde quotusquisque est qui tecum tractando & conuersando te non pulsat, sed palpat, tibi abblandiendo, teque inanibus verborum lenocinijs deliniendo, certo tibi persuadeas talem esse Dæmonem quendam, inimicum tuum: talis namque loquendi atque agendi modus, Diabolicus potius est, quam humanus, quia Dæmon *Palpat non pulsat.*

5. Balaam Magus à Rege Balac vt Hebræo populo malediceret sollicitatus, id neutiquam facere voluit, nisi Dæmone, qui vnicus erat rerum suarum moderator & rector, prius consulto. Cui Deus loco Dæmonis respondit, præcipiens, ne populo isti vlla ratione, etiam Balac rege rogante, maledicere præsumeret, eo quod iam pridem benedictus esset: *Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus est.* Balaam vero re- Num. 22. v. 12.
sponsum istud à Deo profectum esse ignorans, imo potius credens à Dæmone fuisse suggestum, vtpote qui id persæpe facere solebat, valde responsum istud est admiratus, inquit Origenes, & rationem admirationis Balaam Magi, sequentibus notatu dignis verbis assignat dicens: *Stupescit Balaam, & miratur prohibentis authoritatem, non enim solebat malum Dæmonibus displicere.* Orig. ibid. apud Gloss.
q. d. Merito magus ille, persuasus responsum istud, vti communiter fieri solebat, à Dæmone profectum esse, admirabatur, vtpote, qui per continuam experientiam cognouerat, Dæmonem cunctis rebus ad malum tendentibus, de quibus cum Dæmone consiliabatur, semper applaudere, & ad earundem executionem vehementer incitare, cuius è diametro oppositum siue contrarium iam fieri videbat. Vnde duo præcipue elicere possumus; Primo hanc esse Dæmonis proprietatem & conditionem vitijs atque sceleribus applaudere, Secundo Adulationem Diabolicum potius, quam humanum facinus esse, adulator enim veluti Dæmon quidam incarnatus, nulli rei adeo incũbit, quã vt alienis applaudat defectib⁹, & imperfectionibus

6. Petrus Cardinalis Damianus dicit, Dæmonem linguæ adulatoris ad

 cum

eum fere modum insidere, quo auicula in ramo cuiusdam arboris considere solet: *Sæpe malignus spiritus, velut auis in ramo arboris sic in lingua ponitur adulatoris* q.d. Quotiescunque O Christiane frater, te ab adulatione quadam deliniri sentis, à qua tibi suggestæ laudes falsæ adeo placēt, teq; extollūt mox adulatoris linguam nonnihil attende, ibidemque exitiosam inferni merulam quam primum residentem conspicies, quæ in tui præcipitium atque ruinam falsa illa laudum tuarum cantica, mendacesque versus componit. Verum obijciat aliquis cur Dæmon non dicatur linguam insidere nugiuenduli, detractoris, blasphemi &c. sicuti adulatoris linguæ insistere dicitur? Num forte Dæmon omnes prædictas linguas minus, quam illam adulatoris linguam moderatur & gubernat? Respondeo hoc totum verum quidem esse, & tamen bene dici, quod Dæmon adulatoris linguæ specialiter immoretur, ad num fere modum, quo anima in corde esse dicitur; Neque enim id ita intelligendum est, quasi non eodem modo anima in alijs animalis partibus resideat, quo est in corde, sed quia in corde potius, quam in alijs corporis membris magis sese conspicuam reddit & manifestam: Ad eundem quoque modum, tametsi Dæmon in cunctis linguis sceleratis resideat, in sola tamen adulatoris lingua specialiter considere dicitur, quia in hac lingua potius, quam in linguis alijs vitiosis, euidentiores & manifestiores sunt Dæmonis operationes. Aliæ namque linguæ, veluti Blasphemorum, detractorum, aliorumque similium peccatorum, scelera sua publicè & absque vllo fuci pallio committunt: pessima vero adulatoris lingua adeo artificiose suam tegit & cooperit malignitatem, vt notari vix possit, subque varijs palliolis & technis alteri illudit & decipit, quod naturalis est Dæmonis proprietas, facinusque prorsus Diabolicum.

Petrus Dam. opusc. 50. c. 8.

7. Confirmemus idipsum per hoc, quod de Protheo quondam Poëtæ finxerunt, quem cæci gentiles inter Deos mari præpositos adorabant, dicebantque eundem in diuersas formas, variasque sese figuras transformare, adeo vt nunc in forma aquæ, alias in ignis specie, nonnunquam vt fera, frequenter vt serpens, aut instar auiculæ commorantis in arbore, & in centenis alijs similibus speciebus cōspiceretur, ita vt à semetipso semper videretur esse diuersus. Per quam fabulam, vt Atheneus inquit, naturam explicare volebant adulatoris, qui frequentissimè non in vultu duntaxat, sed in ipso quoque sermone diuersas referre figuras solet: *Vere adulator idem ac Protheus esse videtur, fit enim non facie solum semper sibi dissimillima, verum & sermones semper habet diuersissimos.* Ecquis igitur ambigere poterit, quin adulatio vere Diabolicum sit vitium, quando adulator ad instar Dæmonis, in varias diuersissimasque sese frequenter figuras & formas transmutat? Qua de re Apostolus de Dæmone agens Corinthijs scripsit dicens: *Ipse enim Sathanas transfigurat se in angelū lucis.* Porro, quod si innumerabilem formarum vairetatem, quam humani generis inimicus sibi adsciscere solet, videre libet, legatis obsecro S. Athanasium in vita S. Antonij Magni, ibi namque illum veluti alterum quendam Protheum videbitis, qui vix vllam præterit, aut negligit formam, in quam sese trāsfigurare nō contenderit vt vel sic magnum illum Dei seruum illaqueare potuisset, licet id frustra semper fuerit conatus. Ne igitur affirmare dubitetis, vere adulationem vitium esse Diabolicum; cum adulator Dæmonem adeo expresse & ad viuum imitari videatur, in tot diuersas variasque formas ad instar Dæmonis sese transformando.

Athenæus lib. 6. c. 6.

2. Corinth. 11. v. 14.

8. Mox à diuulgata Hierosolmis noui Iudæorum Regis natiuitate, inquit S. Matthæus Herodem cum omnibus dictæ vrbis incolis fuisse turbatum: *Audiens autem Herodes Rex, turbatus est & omnis Ierosolyma cum illo.* Hugo Cardinalis opinatur, Herodem ideo hoc nati Regis Iudæorum percepto nuntio doluisse, quia nimirum timebat, ne fortasse per Regem recens natum regno pelleretur, quod si ita est, iustam certe habuit dolendi causam: sed nescio quamobrem Hierosolymitani ciues turbari aut dolere potuerint, vtpote qui potius in legitimi & naturalis Regis sui Natiuitate gaudere & exultare debuissent.

Matth. 2. v. 3.

Respondet præfatus Hugo illos minimè veraciter doluisse, sed, potius vt Herodi

Regi,

Regi suo adulando placeren; dolorem duntaxat finxisse: *In veritate turbati non sunt, sed turbationem simulauerunt, vt Herodis haberent fauorem.* Vnde omnes illi ciues, de quibus Euangelista loquitur, veri erant Herodis adulatores, qui particularem habent regulã, vt in illam sese personam transformẽt, quam fallere & decipere prætendunt; vt proinde speculo verè assimilandi sint, quod vultum & speciem suam variat, pro varietate eorum, qui illud intuentur. Sic enim & hi Domino suo indignante, indignantur ridente, rident: eodem quoque dolente dolent; hisque studiis continuo immorantur, ad procurandum fælicem dolis & fraudibus suis effectum. Vnde quia Hierosolymitani tunc Herodem ex nuntio noui nati Regis dolentem & afflictum conspexerunt, ipsi quoque in eundem se subito transformarũt affectum, atque ideo turbatos se esse finxerunt.

Hugo Card. ibid.

Quisquis hanc adulatorum proprietatem bene considerat, illos vtique Dæmonis Naturam ad viuum imitari deprænhendet, qui in illius personam transformari vt plurimum solet, quem decipere intendit. Quo artificij genere, in ipsomet mundi creati exordio vsus est. Vult enim Magister Historiæ scholasticæ, quod Dæmon cum Eua prima vice locuturus, formam assumpserit cuiusdam serpentis, qui virginem quandam Euæ in vultu suo simillimum ad viuum repræsentabat, vt videlicet hac ratione in illam veluti transformatus decipere illam facilius posset: *Elegit quoddam genus serpentis, virgineum vultum habens, quia similia similibus applaudunt.*

Petr. Comestor. in Genes. c. 21.

Vnde cum adulatores adeo viuaciter Dæmonem repræsentent, illiusque artem adeo perfecte ab eodem addiscant, concludamus necesse est, Diabolica potius quam humana esse eorundem artificia.

9. Dæmon ille, quem Christus Dominus noster in Gerasenorum regione inuenerat, prout refert S. Marcus, mox vt omnipotentem Domini nostri Maiestatem vicinam esse percepit, de longe occurrit, ac coram eadem in terram prostratus illam adorauit, elataque voce ita vt ab omnibus audiretur, Iesum altissimi Dei filium esse confessus est. *Videns autem IESVM à longe cucurrit & adorauit eum, clamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi Iesu fili Dei altissimi.* Verum enimvero vnde infernali superbiæ tanta accidit humilitas & deuotio? Qua ratione fieri potuit, vt is qui cum esset excellentissimæ pulchritudinis, tantisque gratiæ donis ornatus Angelus, potius in Dæmonem transformari quam æternum Dei verbum adorare voluit, in quam nunc ad Domini nostri pedes humiliter sese prosternat, eundemque adoret? S. Petrus Chrysologus dicit; hunc non fuisse humilitatis, aut deuotionis actum, sed adulationis: *Vt adulator, non vt deuotus & obsequẽs sic adorat.* Sed obsecro, quidnam boni prætendere aut sperare per eiusmodi adulationem poterat?

Mar. 5. v. 6.

Petr. Chrysol. serm. 17.

Audite id mox subiungentem præfatum sanctum Pontificem: *Credens infelix vt eum quem tentatione vincere, quem muneribus nequiuit inflectere, possit adulatione pulsare.* Infelix ille spiritus sibi futurum persuadebat, vt Dei filium quem in deserto tot donorum honorumque oblationibus, nullo prorsus modo à recto tramite detorquere poterat, per adulationem prosternere forsitan posset. Tantam proinde fortitudinem ac efficaciam Dæmon adulationi inesse existimabat, vt ipsummet Dei filium, quem per alia quæuis media insuperabilem atque inuictum esse agnoscebat, per illam superandum esse speraret. Vnde facile cuiuis argumentari licet, adulationem vere Diabolicum, & non humanum vitium esse, ex nullo namque humano opere tantum quis sibi facinus promittere potest.

10. Maxentius Romanorum Imperator ex cunctis mundi partibus doctissimos, sapientissimos, & in omni scientiarum humanarum genere versatissimos, quos reperire poterat, Alexandriæ congregauerat, vt B. Catharinam virginem confunderet, atque ad falsos Deos suos adorandum induceret: At veto quia res hæc secus quam opinabatur accidit; siquidem admirabilis hæc virgo, non solum per adducta à quinquaginta hoc fine accersitis Philosophis argumẽta, ad Christũ sponsum suum abnegandum non fuit persuasa, verum insuper omnibus illis veræ fidei suæ Confessionem, tanta argumentorũ vi &

vi & efficacia persuadere nouit, vt omnes vnanimiter, parique consensu, legis nostræ veritate cognita atque perspecta, caput & vitam suam pro Christi amore prodegerint) iuratus ille Dei hostis, Catharinam argumentorum efficacia, literatorumque virorum tentatis congressibus & disputationibus ad sceleratum propositum suum inflectere posse desperans, aliis consiliis animum suum adiecit, nam referente Simeone Metaphraste, qui author est vitæ Virginis illius, adulationibus virginem aggredi cœpit: *Cum itaque vi dicendi & disputationibus desperasset se eam posse inducere, eam blanditiis aggreditur allicere. & apud egregiam Martyrem verbis est vsus huiuscemodi: crede mihi pulchra filia qui tibi consulo, tanquam tibi bene volens pater, magnis Diis sacrifica.* q. d. videns tyrannus quod illam tot eminentissimorum ingeniorum argutiis conuincere non posset, tandem eandem blanditijs, ac fictis adulatorijsque verbis aggredi conatus est, dixitque ei: crede mihi venustissima filia mea, consilium meum nil nisi maius bonum tuum spectare, vnde haud aliter verba mea quam si ex Patris tui ore dimanarent, accipito nec quicquam morare sacrificium magnis Diis nostris offerre.

Simeon Metaph. apud Lip. 25. Nove.

Porro quod Tyrannus sanctam hanc Virginem decepturus, adulatorios hosce sermones, post tot celebrium Philosophorum, magnorumq; oratorũ rationes & argumenta adhibita, vltimo loco reseruauerit, id nõ alio consilio factum fuisse mihi persuadeo, quam quia nouit, quod ad illustrem quandam personam conuincendam, & ad inclinandum inflexibilem & inuictum alicuius animum, plus duo verba adulatoria prævaleant, quam omnes Platonis vel Aristotelis doctrinæ, aut enthymemata Demosthenis & Ciceronis. Quo supposito, facillimum est hanc elicere consequentiam, & dicere, res vtique plusquam humana & consequenter Diabolica, est pessimum adulationis vitiũ, vtpote quod in persuadendo ac fallendo omnes superat humanarũ scientiarũ argutias.

11. Enimuero cum iam præsto nobis sit Simeon Metaphrastes, inoportune videbor facturus, si illum dimisero, priusquam ab eodem, quidnam de sanctissimo Menna martyre recenseat, audiuerimus; de hoc igitur refert, quod cum Tyrannus martyrem ad sacrificium falsis Diis suis offerendum per tormentorum violentiam diu frustra inducere laborasset, tandem ad verba recurrerit adulatoria, atque inter cætera eidem dixerit: *Fortasse enim propterea quod sint tormenta intolerabilia, Deus quoq; tuus tibi ignoscet, quod id feceris.* q. d. An non vides impossibile tibi esse vt aliter facias, quam vt Diis nostris sacrifices? vnde si Deum tuum vereris offendere, frustra id times, nec enim Deus tuus adeo omnis humanitatis expers erit, vt non ignoscat quod fecistis intolerabilibus adactus tormentis, quibus subiacuisti, excusatum is vtiq; animum tuum habebit, quippe cui notum est, te aliter facere non potuisse, videte quot verborum technis & fictionibus quot deniq; artificiose constructis dolis æternam magni huius Christi Athletæ machinatus fuerit ruinam.

Metaphr. apud Lip. 11. Nouem

Aloysius Lipomanus illa Tyrãni verba marginalibus scholiis postillãs & glossans, dicit: *O linguam sathanæ.* Tametsi lingua, qua ad decipiendum dulciter sanctum hunc martyrem, verba isthæc formabãtur, non Dæmonis, sed Tyranni lingua fuerit, Dæmonis tamẽ lingua appellata est, eo quod verba quæ proferebantur, verba essent adulatoria. Lingua enim quæ hoc vitio commaculatur, Diabolica potius, quam humana appellanda est. *Linguam sathanæ.*

Lippom. ib.

12. Quando ambitiosus Absalon Patrem suum regno pellere, exuere purpura regiũque diadema è paterno vertice tollere statuerat, vt faciliorem scelerato huic proposito viam sterneret totos ipse dies regii palatii foribus continuo astabat, omnesq; litigãtes quotquot intrabãt & exibãt de suis in regia pertractandis negotiis sollicitè interrogabat, imo veluti iustas & rationabiles omnes approbabat singulorum, quas adducere poterant prætensiones, rationibus illorũ adductis nec quicquam examinatis; subdebatque, se pietate motum causatum eiuscemodi sibi vendicare cognitionem & arbitrium, eo quod Pater suus neminem in tota aula regia cognoscendæ & decernendæ illis Iustitiæ officiarium præfecisset ministrum. Subdit autem scriptura sacra, Absolonem hisce verborum blanditiis & lenociniis, corda virorum fuisse furatum, prouti legit Pagninus: *Furabatur Absalon cor virorum Israel.* 2. Reg. 15. v. 6.

Verum

Verum enimuero dicat aliquis, ad quid Absaloni corda seruire poterant, quod corda furaretur? vera enim re homo aliquis magis indiget, cordibusne, an potius diuitijs, honoribus, dignitatibus, alijsq; similibus rebus tẽporalibus & corporalibus? Haud dubie respondebitis, neminem indigere cordibus, alijs autem prædictis rebus tẽporalibus omnes indigere. Solus Dæmon est ille, qui cunctis alijs bonis nobis vltro relictis, corda furari & acquirere molitur. *Da mihi animas* dicebat Abrahæ Rex Sodomorũ, Dæmonem significans: *Cætera tolle tibi.* Hoc igitur supposito, videlicet, quod rapina seu furtũ cordium soli Dæmoni, & non hominibus sit propriũ, euidenter sequitur, facinus Absalonis, quod cõmittebat furando, corda virorũ, Diabolicũ potius quam humanũ fuisse. Et reuera ita est, nam latrones seu fures rapiendo denarios, murmurator item aufferẽdo honorẽm, Homicida deniq; eripiendo vitam, humana furta cõmittunt: Adulator autem dum suis verborũ blanditijs, falsisque laudibus in propriis defectibus & vitijs hominẽ confirmat, imo ad maiora cõmittenda animat & erigit, corda furatur & animas, quod est furtum vere Dæmoniacum & Diabolicum opus.

Genes. 14. v. 21.

13. Vbi nos in Psalmo decimo septimo legimus Dauidem dixisse v. 4. *Laudans inuocabo Dominum*, Felix vertit: *Laudatus inuocabo Dominum*, quasi dicere voluisset: Adeo adulatorem execror & horreo, vt dum illum coram oculis meis intueor, laudibus suis me decipere molientem audio, subito elata voce exclamaturus sim, ô bone Iesu adiuua me, defende me, & protege me, ô Deus meus: hoc enim sibi volunt verba illa: *Inuocabo Dominum.* Ad eum fere modum, quo is qui vmbram aliquam obscuram, aut phantasma seu spectrum aliquod conspicit, Dæmonem esse existimans, nomen Iesu inclamat, Deique adiutorium & subsidium expostulat. Ita Dauid facturum se dicebat ad conspectum adulatoris, haud aliter, quam si ipsummet Dæmonem conspexisset. Nec profecto id faciendo decipiebatur, adulator enim est veluti Dæmon aliquis, cum adulatio Diabolica potius sit, quam humana actio.

Ps. 17. v. 4.

Quanta ergo cum sapientia Christus Dominus noster adulatores in præsenti Euangelio Dæmonis filios appellat, vtpote qui in suis actionibus artes & astutiás exhibẽt Patris sui. *Generatio praua & adultera.*

CONSIDERATIO II.

Volumus à te signum videre.

Qui cupidus est sciendi quod ad se non pertinet, ruinam quam minime præuiderat sibi adsciscet.

EX quo Hebræi nouerant, quam admirabilis & stupendus miraculorum prodigiorumque patrator esset animarum nostrarum saluator, ordinario isthoc tot miraculorum quæ tempore præterito operatus fuerat, spectaculo minime contenti, vana quadam curiositate moti, alia insuper signa à Domino exposcere non dubitarunt. *Volumus à te signum videre.* Veruntamen dum hi miserabiles homines, id quod ad illos minime pertinebat, gestiebant scire, idipsum quod propriæ necessarium erat saluti, negligebant curare, vnde merito à Christo repræhensi fuerunt & vocati *Generatio praua & adultera.* Misericors Dominus noster, salutis nostræ cupidissimus, vtpote pro cuius conseruatione & recuperatione tot tantaque ad mortem vsque perpeti & sustinere voluit, iure merito humanã curiositatem exosam valde habuit, & execratus est; optime namque nouit ruinam plerorumque hominum, suam ab eadem habere originem, & dependentiam. Ita namque plerumque accidit, vt qui proni sunt ad sciendum ea, quæ illorum nihil interest, sibi ipsis ruinam, quã minime præuiderant, adsciscant.

2. Multorum est opinio, Salomonem Regem æternæ damnationi iusto Dei iudicio adiudicatum esse: Quæ quidem sententia si veritati consonasset, de quo tamen certi nihil constare potest, vtique omnibus eandem intime considerantibus tremorem simul & stuporem incuteret. Qua enim ratione tali tantæq; personæ cuiusmodi Salomon erat, horribilis adeo ruina accidere potuisset; cui Deus tantas talesque gratias, cunctis alijs denegatas, elargiri digan-

ri dignatus est, quocum familiarissimè veluti cum charo admodum amico colloquebatur, cuius manibus augustissimum illud Hierosolymorum templum sibi erigi & fabricari voluit, ipsum hoc in munere Dauidi sanctissimo maximoque seruo suo anteponendo, cuius ore Deo complacuit cunctos fideles suos erudire atque instruere? Quidnam obsecro in tali homine damnatione dignum notari, aut qua ratione talis anima perdi, aut denique tanta ruina vnde nasci potuit?

Ex curiositate, inquit seraphicus Doctor, & quia nimium videri sapiens voluit: *Salomon qui voluit omnia scire, & disputauit à Cedro quæ est in libano, vsque ad hyssopum, & oblitus est principij, & ideo factus est vanus & oblitus est sui.* Bonau. de Lu. Eccles. q.d. Miserrimus Rex ille in obliuionem Dei, suæque propriæ salutis ex desiderio multa sciendi ex studio inuestigandi rerum omnium naturalium effectus, & causas, totumque vitæ suæ tempus similibus vanitatibus impendendo infælicissimè perijt. Vnde per curiositatem, veluti proprijs manibus suis sibi fabricauit infernum; dum enim ea, quæ ad se non pertinebant, scire concupiuit, æternam sibi ruinam quam nequaquam præcogitauerat, accersiuit: *Factus est vanus, & oblitus est sui.*

3. Scire à vobis percuperem, quænam Dauidem vrserit necessitas sciendi, quænam aut qualis esset mulier illa, quam ex solario palatij sui conspexerat? quid sua interérat? aut quam habebat necessitatem hanc de muliere illa inquisitionem faciendi? vtique respondebitis: Nullam prorsus habuisse illud sciendi necessitatem, sed simplicem quandam curiositatem illum ad hanc de muliere illa faciendam inuestigationem permouisse. Itane? Ergo curiositas quædam illum id fecit inquirere? Certe si ita est, vt est verissimum, expectate nonnihil, & videbitis ad quas turpitudines & miserias curiositas illa eum sit traductura. Subiungit igitur scriptura Sacra, Dauidem deinceps ex hac curiositate, in adulterium cum muliere illa, de qua paulo ante curiosè inquisierat, commissum, turpiter lapsum esse; præterea vt eandem mulierem sibi iungeret vxorem crudelem innocenti marito suo præparasse necem: denique Deum ob hæc grauissima Dauidis regis flagitia grauiter offensum, magnam subditorum suorum partem morte variè illata puniuisse. Videte in qualem calamitatum abyssum, Dauid & regnum eius per simplicem quandam curiositatem fuerit prolapsum, & quomodo conatus ea quæ ad se non pertinent curiose sciendi ingentis ruinæ, maximæque cladis, quam minimè præuidisset causa extiterit.

4. Inter cætera quæ Deus in veteri lege determinata esse voluit, etiam modus quidam fuit, quem Deus in pignorum repetitione obseruari iussit. In casu namque repetendi pignoris, Moysi præcepit, ne creditorem debitoris domum ingredi permitteret, sed foris potius ad portam consistens pignus præstolaretur, donec adducerent: *Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, quando debet tibi, non ingrediaris domum eius, vt pignus auferas, sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit.* Deuteron. 24. v. 10. Optarem hic scire, qua de causa Deus hanc legem facere seu condere voluerit? Neque enim per hoc vllum inconueniens accidere posse conspicio, si nimirum rē suam requirens, & pecuniæ suæ securitati prospectum esse cupiens creditori, siue fortuito siue ex industria ad pignus suum repetendum domum ingrediatur debitoris.

Oleaster dicit, Deum hanc legem condendo & publicando, humanam respexisse curiositatem, easque quæ ab hac deriuari & dependere solent, ruinas & strages impedire voluisse: *Non solum pietatem, sed etiam vrbanitatem docet hac lex. Admonet enim non debere nos scrutari interiora domus proximi nostri, eo inuito: sunt enim homines in hac re tam curiosi, vt omnia quæ in domo proximi sunt, scire velint.* Oleast. ibid. Probè sciens Diuina Maiestas, quanta sit humana curiositas, quantumque homines alienarum domuum secreta perscrutando & sciendo delectentur, ac denique infinita esse quæ inde nascuntur inconuenientia atque incommoda creditori domum debitoris ingredi prohibuit, quantumuis, is rationabiliter recuperandi nimirum pignoris sui causa eandem ingredi prætenderet. Et reuera ita est. Quod si enim duo illi senes Ioachimi castæ Susannæ mariti domum ingressi minime fuissent, videre quoque

quæ non curassent, quando bona hæc mulier ex pomerio seu viridario suo res suas curatura, ingressa aut egressa fuisset; reliqua etiam, quæ Daniel Propheta de sancta hac muliere scripta reliqui, non contigissent. Neque curiosi & luxuriosi viri illi, eodem Propheta attestante ex hac curiositate sua, veluti quæ omnium malorum consequentium excitit principium, cum tanta eorundem ignominia & dedecore lapidati & mortui fuissent.

Daniel. 13. v. 6.

5. Ioannes Monachus Italus, apud Lipomanum 18. Nouemb. scribit, quod S. Odoni Virgilij poëmata curiose legenti vas quoddam de cælo monstratum fuerit, quo nihil quoad exteriorem sui speciem pulchrius, pretiosius, aut elegantius esse poterat, interius autem serpentibus refertum venenosissimis. Cumque Angelus eidem præciperet vt aperiret, illudque vix aperuisset, mox hi serpentes virum sanctum à capite ad calcem vsque circumdederunt & strinxerunt adeo, vt magnopere se ab ijsdē interficiendum & intoxicandum timeret. Æ qua visione, dicit idem Author: *cognouit serpentes doctrinam siue scripta Poetarum: vas in quo latitabant, Virgilij Poema significare.* Voluitque Deus sancto huic Abbati magnum ostendere periculum, in quod per suam se curiositatem præcipitaret, quisquis enim per hanc vltra id, quod sua interest, scire prætendit, ruinæ proximus est, quam non præuidit.

Ioan. Monach. Italus apud Lipom 18. Nouemb.

6. Vnde quotquot, quæ ipsorum nihil referunt, scire desiderant, Angeli Politiani Lamiæ persimiles mihi esse videntur, de qua ait: *Quoties domo egreditur, oculos suos sibi affigit: domum vero vt reuertitur, in ipso statim limine demit illos abijcitque in loculos.* Adeoque eadem quæ oculis prædita est ad cernendum facta aliena, pro proprijs contuendis totaliter cœca existit.

Angel. Politia. in Lamia.

Tales prorsus sunt ij, qui curiosi sunt & cupidi sciendi negotia & commercia aliena, interea quæ semetipsos proxime cōcernunt nihili curantes; quique res à se procul remotas, atque à seipsis alienas optime audientes, quicquid in domo propriæ animæ suæ sit aut fiat, nihili curant. Ideoque salutis propriæ animæ obliti, in vicinam sibi inferni abyssum seu foueam, quam tametsi ad conspiciendum ea, quæ procul ab ijs absunt, pedem suum figerint, minime præuiderunt, facillime & ex improuiso præcipites ibunt, digni qui cum illo quondam Astrologo stellas contemplante, foueam autem, cui pes eius imminebat, minime aduertente, à sapienti illa è simplici auicula videantur & repræhendantur.

7. Refert vetustissimus Chronista Moyses quod cum Iacob Patriarcha è domo soceri sui cum tota familia sua se recepisset, iamque in terra Chanaan, vbi ciuitas erat Sichem, appulisset. Dina filia eius, virgo pulcherrima pariter & castissima ad conspiciendum terræ illius mulieres foras processerit: *egressa est autem Dina vt videret mulieres regionis illius.*

Genes. 34. v. 1.

S. P. Bernardus virginem hanc hisce verbis interrogat: *O Dina quid necesse est vt videas mulieres alienigenas? qua necessitate? qua vtilitate? an sola curiositate?* q. d. O Dina, quænam te vrget necessitas, vt domum tuam, Matris tuæ societatem, curam quoque patris tui, tuorumque fratrum oculos deseras, ad videndum mulieres alienigenas? Certe quantum ego video, ad hoc te nihil aliud, præterquam simplex quædam vanaque curiositas compulit.

Bern. de diligendo Deum.

Vnde prædictus sanctus Pater subiungit: *Quis crederet tunc illam tuam curiosam otiositatem, vel otiosam curiositatem fore post sic non otiosam, sed tibi, tuis, hostibusque perniciosam?* Quis vanam istam curiositatem tuam aspiciens, malum istud, quod exinde te, tuos & ipsos quoque inimicos manebit & accidet non diuinarit? Et quidem diuinatione minime cassa aut irrita: Dina namque defloratа domum reuersa est, Fratrum quoque bona fama, honorque commaculatus remansit, inimici denique in minutissimas truncati partes occisi fuerunt. Tantorum nimirum malorum curiositas, est machinatrix, tantamque iacturam patitur, quæ quod sua minime intererat curiose scire desiderauit.

8. Rupertus Abbas quærit, qua ratione serpens cum Eua tractare, & colloqui, vniuersalemque totius mundi ruinam illa mediante machinari potuerit, cum ille Euam tentans atque in diuinæ offensæ barathrum præcipitans, serpens non in terrestri paradiso fuerit, sed foris steterit? quod vel inde con-

conuincitur, quia certum est quod si locus iste ab eiuscemodi perniciosis bestijs inhabitatus fuisset, deliciarũ profectò hortus minime fuisset. Procul igitur pro assecurandis paradisi delitijs serpens è Paradiso arceri debebat.

Ruper. Ab. lib 3. c. 2. in Gen. Respondetque: *Mulier corpore & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, foris prospectans qualis ext a paradisum mundus haberetur; & serpens vtpote astutus, dulcedini terra propius vel ambitiosius innititur, locus Diabolo datus est, & occasio porrecta, vnde tentaret*, q. d. Infælix mulier post sui creationem amœna pulcherrimi huius viridarij loca videndi percupida, huc illucque obambulabat, dumque illã libido qualis mundus foris extra paradisum esset videndi incalesceret ad sepẽ qui Paradisum ambiebat propius accessit, sepimẽtoq; vicinũ serpentẽ inuenit. Optimã igitur nunc decipiendæ mulieris occasionẽ Diabolus videns, eandẽ hac bestia mediante est allocutus, atque hinc inde variè cum ipsa disserens, ad diuini tandem præuaricationem præcepti permouit.

Vnde per vanam vnus duntaxat mulieris curiositatem, factum est vniuersalis hominum ruinæ principium, introductum in mũdum peccatum, nec non & labores & dolores, imo mors ipsamet, cælum occlusum est, & apertus est infernus. Vt proinde hinc facile concludi possit, verissimum esse, quod cupiditas sciendi ea, quæ ad se nequaquam pertinent, causa sit ruinæ minimè præuisæ, merito tamen præuidendæ.

9. Ex Dæmonibus è cælo pulsis & exterminatis, pars quædam in inferni præcipitata est abyssum, pars vero alia, in medio aëre detenta fuit, & etiamnum detinetur. Nulli vero dubium est, quin sicuti omnes vniuersim Deum Creatorem suum offenderũt, ita quoq; omnes Dæmones pariter sint castigãdi. Et quidẽ certũ est quoad eos, qui sunt in inferno, illos ab ignis doloribus torqueri & puniri: quoad alios vero, quos Deus in aëre veluti suspensos detinet, dubitari potest, qua pœna affligantur, aut quale sit illud, quod ibidẽ patiuntur supplicium? S. Bernardus dicit Deum Opt. Max. Dæmoni locum in aëre assignando, eundem suspensum tenere veluti medium inter cælum & terram, vt ibidem torqueat & affligat seipsum, dum enim infelix eiuscemodi spiritus, oculos suos in altum extollit, mox gratias videt, quæ in gloriosa illa patria continuo fiunt & indulgentur spiritibus beatis, dũ vero eosdem deorsum defigit in terram, mox quoq; illos ibi aduertit, videtque fauores, qui incessanter sanctis viatoribus communicantur, quorum spectaculorum aspectu, supra omnem modum torquetur & affligitur. *In pœnam siquidem suam, locum in aere isto medium inter cœlum & terram de cælo cadens, sortitus est. Quam miser cum suspicit cælos, in quibus innumeros montes intuetur, diuina claritate fulgentes, diuinis laudibus resultantes, sublimes in gloria, abundantes in gratia? Quam miserior dum respicit terram, montes nihilominus quamplurimos de populo acquisitionis habentes, fide solidos, spe excelsos, charitate spatiosos, cultos virtutibus bonorum operum fructibus refertos?* *S. Bernard. serm. 54. in Bant.*

Vnde tota pœna qua Dæmon torquetur, à sola ipsi curiositate infligitur; Nisi enim curiosus esset, & auidus videndi ea, quæ in cœlo sunt, & quæ super terram, tantis vtique calamitatibus & miserijs minime esset subiectus. Vnde liquide & euidenter cõcludi potest, quantæ & quali pœnæ curiositas hominem vanum & otiosum subijciat, siquidem illa ipsummet quoque Dæmonem, veluti alter quidam infernus cruciet & torqueat, tametsi vltra hanc pœnam suum quoque ignem, quocunque vadit, secum continuo deferat.

10. Exodi 28 v. 42. voluit Deus vt Moyses, par quoddam fæminalium lineorũ fieri curaret, quibus Aaron summus sacerdos, dũ pontificalibus indueretur vestimentis, amiciendus esset: *facies & fæminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ à renibus vsq; ad fæmora, & vtantur eis Aaron & filij eius.* *Exod. 28. v. 42.* Vbi merito quæritur, quo fine Deus ad ipsa vsque fœminalia curam habeat de vestiendo sacerdote? (Enimuero non sum nescius, vocabulum istud quarumlibet honestarum aurium offensiuum esse, attamen, cum sacra scriptura illo vtatur, neminem offendere aut in admirationem trahere debet, si ego eodem vsus fuero) Nunquid Deus fæminalia ista ex pontificalium indumentorum apparatu cõmittere poterat? Quænam enim illorum erat necessitas, siquidem Aaron verecundas corporis sui partes,

tes, alijs vestimentis quibus superinductus erat, cooperire facile poterat? Veruntamen dilectissimi, nisi fæminalia isthæc necessaria fuissent, vtique Deus nullam illorum vnquam mentionem fecisset.

Rupertus Abbas conformiter illi, quod sapiens dicit, existimat, vestimenta summi Hebræorum sacerdotis, totum mundum repræsentasse, cælum videlicet, terram, mare, & cunctas creaturas alias, quæ in eis sunt Elementis. Fœminalia quæ partes tegebant seminales, secretum significabant, quo Deus cunctas res naturales contectas esse voluit, quarum virtute rerum omnium generationes accidunt, ne videlicet, illas assequi aut attingere possit oculus humani intellectus: *De fœminalibus lineis hoc solent dicere. Ratio seminum & generationis ad carnem pertinens, terra per eam deputatur. Causasque huius rei, quomodo vel de paruulo semine, ac fœdissimis initijs, tanta hominum vel diuersarum rerum pulchritudo nascatur, esse obuolutas, & humanis oculis non patere.* Porro quæro ex vobis, quam ab causam Deus causas generationis omnium rerum huius mundi adeo voluerit esse occultas? Vix aliam mihi causam assignare poteritis, præterquam curiositatem humanam. Deus enim nos ijs rebus, quæ nobis vtiles non sunt, aut ad nos non pertinent, nequaquam intentos esse voluit, vt hac ratione oculi nostri, ad id duntaxat considerandum essent intenti, quod ad consequendam beatitudinem æternam est necessarium. Dum enim curiositas corda nostra obtinet, & illaqueat, adeo est artificiosa & attractiua, vt totum hominem suo sibi seruitio vendicet & detineat: eundemque sui ipsius æternæque salutis adeo reddat immemorem, & obliuiosum, vt haud immerito timeri possit, ne aliquando dum alijs ad se non pertinentibus toto animo vacant, extremo præcipitio, dum minime crediderint sint vicini & propinqui, ad eum fere modum, quo Agrigentino Empedocli Philosopho legitur accidisse, qui dum ex curiositate percupidus esset sciendi causas earum flammarum, quas Æthna mons perpetuo euomit, nec ad præsentaneum cui inhærebat, attenderet periculum, sui ipsius prorsus oblitus, in illam ignis abyssum incidit, in eodemque igne consumptus & mortuus est. Ob eiuscemodi etiam curiositatem, Plinius Nepos, dum Vesuuij montis ignem inuestigaret, simili prorsus modo occubuit. Denique an non Homerus, referente Plutarcho, à curiositate occisus fuit, dum videlicet ænigma à duobus Insulæ Iouis piscatoribus propositum soluere aut interpretari minime posset?

Rupert. Abb. lib. 4. c. 22. in Exod.

11. Vnde veteres Poëtæ (qui in fabularum suarum compositione non tam humanorum ingeniorum satisfactioni, quam corrigendis intendebant moribus) finxerunt Prometheum in caucasi montis vertice constitutum fuisse, in quo eidem ad columnam quandam alligato aquila quædam ingens viscera continuo deuorauit, vti Apollonius scribit, dicens:

Culmina caucasii, vinclis, vbi membra Prometheus
Praduris, ferreoque miser iacet ipse ligatus
Sæpius atque aquilam redeuntẽ pectore pascit.

Apollonius lib. 2. Alexand. Aphrod. probl. sect. 1.

Alexander Aphrodisæus fabulam istam considerans apte admodum moralitatem illius explicuit, dicens: *Prometheus cum sapiens quidam esset, & cœlestis aquila causam, & naturam, & situm exquireret, discendi auiditate absumptus est*; adeo vt ob nimiam naturæ aquilinæ addiscendæ curiositatẽ, ab aquila continuo excruciatus esse dicatur. Curiositas namq; præter alia quæ secum adferre mala solet, continuũ est tormentum, atque vulgaris curiosorum hominum afflictio.

12. Dum quondam Proconsuli cuidam Romano sceleratissimum quendam hominem condemnaturo, nulla sceleribus eius condigna pæna occurreret, accidit vt eidem cogitabundo & de pœna infligenda maturè deliberanti Polemon Philosophus forte fortuito occurreret, sequens eidẽ consiliũ suggerens: *Iube illũ ediscere veterum scripta.* Optime namque Philosophus iste sciebat, quã ingens pœna & tormentũ sit hominũ in voluendis & reuoluendis Bibliothecarũ chartis curiositas, quam proinde ad quemlibet, quantumuis sceleratũ, & flagitiosum hominem,

Apoph. li. 8

nem, condigne castigandum, sufficientem iudicabat, cum maiori enim afflictionis sensu hominem c.u.iat, quam si in Equuleo torqueretur aut suspensus esset. Vnde tametsi curiositas secum, vti diximus, nullum aliud malum afferret, ipsa sola sufficiens esset curiosa pœna atque tormentum.

13. Quando Herodes Christum, quem Pilatus, quod sub suam iurisdictionem non videntur pertinere, iudicare detrectabat, coram tribunali suo præsentem vidit, *valde gauisus est*, vt inquit S. Lucas, *erat enim multo tempore cupidus videndi illum.* Cumque de varijs interrogaretur, ne vel vnicum verbum ex diuino eius ore audire meruit: *Interrogabat eum multis sermonibus, at ipse nihil illi respondebat.* (Luc.23.v.9.) Sed eccur nihil illi respondit? Quodsi lictoribus & carnificibus, qui capere, & ligare illum volebant, respondit, cur Regi alicui, qui ipsum, si pro voto & desiderio suo, se erga illum habuisset, honorare decreuerat, noluit respondere?

Variæ, à varijs sacris expositoribus, adferuntur huius rationes, cur videlicet Christus Herodi regi respondere noluerit. Inter cæteros autem nostro proposito conuenientius loquitur Dionysius Carthusianus, dicens, Christum illum responso minime dignatum esse, eo quod curiosum se esse palam ostenderat: *Ipse Iesus nihil ei respondebat, quia Herodes indignus fuit, eo quod ex curiositate fuerit motus.* (Dionys. Carth. ibid.) Adeo Deo exosi sunt omnes homines curiosi, vt illos vere suos existimet esse inimicos, eosdemque ad instar hominis iracundi tractet, qui inimicum suum ne verbulo quidem vnico dignatur.

14. Optime huic proposito seruit, quod de Euclide Philosopho scribitur, hic enim aliquando à certo quodam homine interrogatus, qualesnam dij essent, & qua potissimũ re quam maximè delectarentur, respondit: *Cætera quidem ignoro, at curiosos illis odio esse certè scio.* (Apoph. Al. di Manutij) Optima certe responsio, vere namque eiuscemodi homines abominabiles sunt coram Deo, nunquid enim videtis Christum, qui vnicuique, quantumuis abiectæ & vili personæ, semper respondit, homini tamen curioso, tametsi is coronatum quoque habeat verticem, respondere minimè voluisse?

15. Vnde omitti minimè debet magna illa S. Gregorij Nazianzeni sententia, qui de nimia curiositate loquens, dicere non dubitauit: *Auersos immodestiam & insatiabilitatem, malimque ignauior quam curiosior haberi* q.d. Mantus immodestiæ & insatiabilitatis nimirum sciendi sum inimicus illamque adeo abominor, vt malim indoctus & ignorans, quam curiosus censeri. (Greg. Nazianz. de Modern. disput.) Quia enim sanctus hic Doctor probe sibi perspectam habebat ruinam, quæ capiti hominis curiosi imminet, ne tam ingenti eius se subijceret periculo, potius nihil scire, quam curiose res perscrutari eligebat, malebatque ignorans & idiota quam superfluè curiosus esse.

Nemini ergo mirum videatur, quod Christus Dominus noster Hebræos in hodierno Euangelio adeo vehementer repræhendere & obiurgare voluerit, qui vana quadam curiositate incitati, scire volebant, quæ ad ipsos nequaquam pertinebant, atque immodicæ vanitati intenti, suæque propriæ salutis obliti, periculum, quod ceruicibus illorum imminebat, minime considerabant. *Generatio praua & adultera signum quærit.*

CONSIDERATIO III.

Generatio praua & adultera.

Vir nobilis & sceleratus, est flagellorum, quibus aliqua affligi potest Respublica, maximum.

1. NVllus quidem est, qui antiquam Hebreæ gentis nobilitatem negare possit, vtpote quæ ab Abraha magno illo Patriarcha, & tot alijs generosis magnisque viris suam trahit originem: veruntamen, quia in diuersa variaque se præcipitantes vitia, ab illustrium progenitorum suorum virtutibus degenerarunt, ideo Christus Dominus noster eosdẽ in præsenti Euangelio nequaquam tanquam nobiles recognoscit, imo ipsos Generationem sceleratam & adulteram appellat, dicens: *Generatio praua & adultera.* Nõ est dubiũ, quin etiamnũ quoque mũdus multos habeat prædictis similes, qui in

profundam vitiorum sentinam sese immergentes, atque à generosa stirpe sua, vnde progeniti sunt, degenerantes, nobilitatis titulo sese prorsus reddunt indignos. Et sicuti fælix est illa Respublica, in qua nobiles, antiquorum patrum suorum sequentes vestigia, virtuosi existunt: ita econtra væ illis Respublicis, in quibus simul cum earūdem capitibus & nobilitate coniuncta sunt vitia, prouti videre erat in populo Hebræo. Certum namque est quod populus tali regimini subditus, maius sustinere flagellum, aut truculentiorem tyrannidem non possit, quam ab adeo vitiosis gubernari Reipublicæ capitibus. Id quod restabat considerandum pro supra memorati monstri tertio capite.

2. Postquam Nabuchodonosor ingentē illam auri erexisset statuam, mox voluit vt singuli coram illa genua sua flecterent, & ab omnibus regni sui magnatibus, cunctisque regiæ suæ officialibus adoraretur, quos hoc fine omnes in vnum locum, vt dicit Daniel propheta, simul congregari iussit: *Itaque Nabuchodonosor misit ad congregandos satrapas, Magistratus, & Duces.* Dan. 3. v. 2.

In quo scripturæ loco, ad præsens propositum, aliud considerandum non inuenio, quam dictionem illam, *Satrapas*, quæ à Nicolao de Lyra hunc in modum explicatur: *Satrapas, idest, nobiles & barones, & dicuntur satrapæ, quasi satis rapientes, quia solent bona inferiorum rapere.* Dicit itaque Lyranus per ly *Satrapas*, huius mundi, nobiles esse intelligendos, & non nobiles quoscunque, sed nobiles pessime morigeratos, sceleratos, fures & latrones, qui non mediocriter, sed excessiue nimis bona ad se subditorum suorum rapere solent, qui profecto insupportabiles prorsus sunt, quippe quorum latrocinia nullis moderationis limitibus terminantur. *Satis rapientes.* Inficiari nemo potest, quin magnum æstimari infortunium debeat, si vir aliquis syluam pertransiens in manus latronum ibidem incidat, qui ipsum rebus omnibus, quas habet, exuant & spolient; attamen in hoc adhuc fortunatus est vir talis, quod vxorem suam, quam domi suæ reliquerat, auferre eidem non soleant; nec census, aut annuos prouentus, vnde illatum sibi Lyran. ib.

damnum resarcire possit: nec possessiones è quibus ipsi fortasse panis subministratur. At vero quisquis in manus incidit satraparum, id est, nobilium horum latronum, rebus omnibus, tam ijs quas domi, quam alijs, quas secum foras extulit misere denudatur, vt ne terræ quidem palmum, vbi post mortem sepeliri honeste possit, eidem relinquant: Nec vxori eius parcentes, si eadem in viuis adhuc superstit, *Satis rapientes;* nihil ipsi relinquunt, sed omnia violenter rapiunt.

3. Isaias de ea, quæ hodie in mundo committitur, iniustitia loquens, dicit: Legislatores dum pro communi Reipublicæ bono leges condunt, aranearum telas texunt: *Telas araneæ texuerunt*: S. P. Cyprianus causas explicans, ob quas Propheta leges mundanas telas aranearum appellet, dicit: *Quæ parua & leuia capere potest animalia, vt muscas, culices, & cætera huiusmodi, à fortibus autem rumpitur.* Sicut igitur aranearum telæ vel retia, licet paruula animalcula, vt muscas, culices, & similia capiant, magnis tamen resistere nequaquam possunt, quin illa in centenas partes rumpant. Eodem prorsus modo, licet leges à tenuis fortunæ plebeisque hominibus obseruentur integerrimè, Magnates tamen & nobiles, illas quauis occasione oblata temere præuaricantur, & transgrediuntur impune. Quæ Cypriani sententia à multis Soloni Philosopho Atheniensiumque legislatori attribuitur. Isa. 59. v. 5. Cyprian. Epist. 139.

Hoc igitur supposito, tanquam verissimo sic ratiocinari licet. Indubitatum est, rem esse fastidiosissimam, summeque difficilem, si quis conuiuere necessario debeat, alteri cuipiam homini flagitioso, in cuius mente Timor Dei extinctus iam dudum fuit, quique nullam prorsus obseruantiæ diuinarum legum curam habet: veruntamen quod si talis alia ex parte terrenam timeat iustitiam, qua illum, secundum quod leges determinant, punire & castigare pro demeritorum ratione potest, sæpissime retrahi, & coerceri solet, quo minus sceleratam suam adimpleat voluntatem: At vero cui cum tali homine, continuum est commercium siue conuictus, qui

nec diuinas, nec humanas timet aut reueretur leges; qui nullo prorsus, siue Dei, siue hominum timore coercetur, idque ita, vt simul sit vnus ex magnatibus, & tamen Tyrannus; Nobilis & vitiosus, de hoc vere dici potest, nullum prorsus malum esse, quod de manu ipsius merito formidari non debeat; nec scelus quod velle possit, & non faciat; estque flagellum sæuum valde, & præ cunctis alijs incomparabiliter maximum.

4. Vtique Danielem prophetam euoluendo legistis, qua ratione Diuina Maiestas ob peccata Nabuchodonosoris Regis vehementissimè offensa in irrationalem bestiam eundem transformare decreuerit. Quod si vero scire desideratis, quodnam illud bestiæ genus fuerit, in quam Rex ille transformatus fuit? Respondet Dorotheus Episcopus, bestiam illam monstrum quoddam fuisse, quod ex anteriori parte bouem, in posteriori vero corporis parte Leonem referebat: *Erat in anterioribus membris & capite similis boui, pedes vero cum posterioribus referebant leonem.*

Doroth. de Daniele.

Sed quidnam, obsecro, Diuina sapientia varijs hisce diuersisque membris, in hac vnius duntaxat corporis compositione simul coniunctis, significare voluit? Nil profecto aliud, quam viri alicuius nobilis & peruersi explicare proprietates, & conditiones. Quemadmodum enim bos animal est mansuetum, Leo autem rapax truculentum & syluestre: sic homo nobilis & sceleratus bos est & leo simul, hoc est, mansuetus, & ferox ac rapax: rapinarum suarum ferocitatem mansuete exercet atque vsurpat. Est mansuetus, non enim est homo syluestris in syluis natus & educatus, sed in ciuitate, ad mutuam cum hominibus conuersationem in foris & compitis, in aulis & curiis, in Ecclesijs & oratorijs habendam idoneus, & tamen ijsdem in locis, tanquam ferox leo, crudelitatem suam atque rapinas manifeste prodit & mansuetè: in eadem namque aula, in qua veluti bos quidam mansuetus, residet, te deprædatur, & Latrocinijs suis emungit, omnique eo quod possides, spoliat & nudat, tuumque vna cum vita sanguinem absque vllo timoris fræno exsugit. Alij latrones & fures, qui in syluis & montibus vias publicas infestant, sunt veluti syluestres, illi namque furantur quidem, & aliena rapiunt id tamen faciunt ab hominum oculis procul remoti, quia ne ab alijs conspiciantur summopere timeat. *Tales sunt Syluestres fures,* inquit S. Bernardinus Senensis. Homo vero nobilis & sceleratus, absque vllo Dei aut hominum, Diuinarum humanarumque legum timore, sua temerè & liberè latrocinia exercet, vbicunque moratur, in quacunque etiam societate demum constitutus existat. Monstrum est inter feras reliquas, horribile, maximumque flagellum quo vnquam feriri possit misera aliqua atque infelix Respublica. De quibus Sanctus Doctor prædictus subiungit: *Hi sunt domestici fures, tantoque syluestribus peiores seu pernitiosiores, quanto sunt cæteris securiores, cum nedum puniantur & suspendantur, vt prædones & fures, sed etiam à consulibus defensantur, laudantur, & honorantur: fiuntque alter alteri in exemplum atque tutelam.*

Bernard. Senens de Patria flag. art. 3. c. 1.

Doroth. ibid.

5. Notatu dignissimum est, quod doctissimus Cælius Rhodiginus ad nostrum propositum dicit, qui hosce, de quibus in præsenti loquimur, tyrannos Cardamo comparat: *Nobiles potentioresque viros, si pauperibus conuicini fuerint, non desinere eos exsugere, donec ad nihilum redigantur: Cardamo consimiles esse dicimus, cuius ea natura est, vt herbarum in propinquo nascentium humorem ad se, vi quadam intima polliciendo, cogat arescere.* Herbæ huic simillimi sunt nobiles & mundi huius magnates, quorum tanta est Tyrannis atque sæuitia, vt è pauperibus sibi vicinis, & cum ipsis versantibus, extraordinaria quadam cum violentia, totum substantiæ suæ succum pariter & sanguinem exsurgant, nec desinere possint, donec illos omnino nudos & in nihilum reductos, imo necessario quoque pane destitutos conspexerint. *Donec ad nihilum redigantur.*

Cal. Rhodig. lib. 26. c. 24.

Negari nequaquam potest, quin magnam is patiatur calamitatem, qui in Maurorum, Arabum, Turcarum, aut aliorum ini-

inimicorum Sanctæ fidei nostræ incidunt manus; veruntamen tolerabilis adhuc est calamitas isthæc in comparatione quam sub auaris & rapacibus Dominis miseri patiuntur subditi. Barbari namque tametsi crudeles sint & truculenti, attamen ne suum amittant mancipium, adhuc aliquem habent vitæ illius respectum, illique proprij sui interesse causa panem saltem subministrant: hi vero barbarum quemlibet quantumuis crudelem in truculenta barbarie superantes, nullam prorsus de vita subditi sui, aut alio quouis pauperculi bono curam habēt, imo rapaci suæ cupiditati minime satisfactum esse autumant, nec saturos se credunt, donec sanguinem eorum ebiberint. Prædictis omnibus crudelitas Amani, Achabi, Syllæ, aliorumque centum similium monstrorum, ob quæ, crede mihi, ad hæc vsque tempora mundus gemit, luculentum perhibent testimonium.

6 Hoc est flagellum istud, quod non vnam duntaxat familiam, aut certum quoddam personarum genus, sed integram aliquam Rempublicam in summam redigit miseriam, totaliterque euertit. Id quod Andreas Alciatus sub Emblemate splenis magno aliorum membrorum damno & exitio nimium excrescentis optime descripsit. Sicut enim splen, dum in humano corpore infirmatur, totum nutrimentum quod alijs communicari partibus debebat, sibi soli attrahit, atque excessiuo isthoc sui incremento exitii aliorum membrorum causa existit, quæ dum ordinarium illis nutrimentum seu alimonia subtrahitur, veluti extincta & emortua languescunt. Eodem prorsus modo in politico Reipublicæ corpore, Rex malignus, aut Princeps rapax, aut alius quiuis nobilis aut potens Tyrannus qui illam gubernat, splenis officium seu munus obtinet, qui si infirmetur, atque in rapacitatis vitium degeneret, omnia bona, vniuersamque hominum subditorum substantiam, & quicquid pro totius populi vita conseruanda applicari debebat, sibi violenter attrahit, & vendicat; vnde dum ille solus incrementum sibi acquirit, reliqui omnes eius subditi pauperes, nudi, famelici existunt, atque in extremam rediguntur miseriam.

Splene aucto reliqui tabescunt corporis artus. Alciat.
Fisco aucto arguitur ciuica pauperies. Emblem. 147.

Vt proinde cum flagellum istud communis & vniuersalis sit omnibus ruina, ab vnoquoque merito deplorari debeat, siquidem ab eius exitio nemo possit esse exemptus.

7. Per Goliath gygantem quem Dauid manu sua interemit, S. Antonius Paduanus Dæmonem intelligit, & quia aduertit, quod scriptura sacra gygantem prædictum spurium appellet: *Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum, nomine Goliath*, consequenter Dæmonem quoque spurium esse affirmat, cuius hanc rationem reddit, quia *Spurius ille dicitur, qui partim est nobilis, partim ignobilis: Sic Diabolus nobilis est creatione ignobilis quoad vitia.* Ex parte Dei patris qui ipsum creauit nobilis est: ignobilis autem ex parte & flagitiorum, in quæ lapsus est, per quæ à creationis nobilitate degenerauit.

1. Reg. 17 v. 4.

S. Anton. de Padua ferm. dom 3. quadr.

Prædictus igitur sanctus, per virum nobilem & peruersum, Dæmonem intelligere voluit, talis siquidem Dæmon potius, quam homo esse videtur. Et reuera ita est, crudelitates enim, tyrannides, & impietates quas exercet in subditos pauperes, non hominem, sed Dæmonem illum esse demonstrant. Atque hinc est, quod quisquis magno suo infortunio, cum viris nobilibus & sceleratis conuersatur, cum Dæmonibus conuersatus fuisse atque tractasse videatur. Vnicuique igitur vestrum considerandum relinquo qualis debeat esse nominis tali peruerso nobili subditi calamitas & miseria, ad hoc enim sufficit, quod quis norit, talem hominem in manu Dæmonum esse positum.

8. In superiori quadam Consideratione haud dubie intellexeritis, qualiter post allatum Hierosolymis ab orientalibus Regibus nuntium de naturali Iudæorum Rege Christo saluatore nostro fæliciter nato, Herodes turbatus fuerit, & omnis Hierosolyma cum illo *Herodes autem Rex turbatus est & omnis Hierosolyma cum illo.* Nihil hic attinet Herodis timorē cōsiderare,

ræ, qui facile secundum mundi consuetudinem excusari posse, neque tam irrationabilis fuisse videtur. Sed qua ratione Ierosolymorum incolæ excusari poterunt, cum illi vti superius diximus gaudendi potius materiam quam contristandi occasionem habuerint? Porro Author operis imperfecti dicit ciues Ierosolymitanos maiori excusatione dignos esse, quam Herodem, quippe qui maximam habuerint turbationis suæ rationem. Postquam enim illi noui Regis intellexerunt natalitia, facile sibi persuaserunt fore, vt idem contra Herodem tunc gubernantem arma moturus esset, vt illum regno pelleret, sibique thronum illius vendicaret: Econtra vero Herodes quoque armatus meliori quouis modo sese defensurus atque ad resistendum præparaturus esset: ipsi denique occasione moti huius belli vtrimque infinitis onerandi essent ærumnis, atque molestijs, ad eum fere modum, quo duobus ventis validis simul confligentibus, mare vehementissime irritatur, fluctuumq; procellis agitatur: *turbantur, timentes ne forte turbatus Herodes Iudaico Rege, genus eius vexaret. Nam quemadmodum certantibus vētis, mare concutitur: sic regibus aduersantibus sibi, populus terræ vexatur.*

Auth oper. imperf. hom 2. ibid.

Id quod per quotidianam experientiam manifeste videtur; Duobus enim principibus inter se bello confligentibus, solus miserabilis populus is est, qui in facultatibus suis, vita sua, alijsque centenis alijs bonis vexatur & offenditur. Et sæpissime dum militiæ capita in mutuam rediguntur concordiam, & pacem, sibique mutuo de perpessis damnis satisfaciunt, de pauperculorum subditorũ reparanda miseria nec quicquam tractatur. Vnde dum inter eiusmodi magnates aliqua oritur simultas, ita vt siue Dæmonis suggestione, siue consilio eorum qui exosam habent tranquillitatem & salutem publicam, siue ex regni sui amplificandi ambitione, siue ex ampliorũ maiorumq; diuitiarum cupiditate, siue ex quacunque alia iniqua status ratione moti in mutua arma corruant, ac inuicem confligant, tota fere miseria, atque inde exorta calamitas in subiectum semper cadit populum, eaque tam grauis & molesta, vt in deteriorem statum, ne ab ipso quidem capitali iuratoque hoste redigi minime possent, quam sit is in quam à naturali Domino suo constituuntur, *Regibus aduersantibus sibi populus terræ vexatur.*

9. Ad propositum præsens apprime seruit, quod Plutarchus de Aristide scripsit, qui dum Atheniensium Rempublicam vna cum Themistocle gubernaret, atque inter se mutuo ob æmulationes quasdam antiquas adeo essent contrarij, vt ne in vlla quidem re, quantumuis etiam euidenter illa Reipublicæ vtilis futura demonstraretur, concordes esse possent. Tandem Aristides animaduertens in propinquo esse vt ciuitas Atheniensis ob priuata eorundem odia & altercationes in extremam ruitura esset desolationem, coram Atheniensibus publice edixit: *Nisi Themistoclem & seipsum in barathrum conijcerent, rem Atheniensium saluam esse non posse.*

Plutarch. de Aristide.

Nimirum prudentissimus vir iste optime cognoscebat, quantum malum priuatæ inimicitiæ, & particularia mutuaque ambitiosorum principum, nobiliumque Respublicas gubernantium odia, pauperculæ plebi adferant, dum enim in eiusmodi hostilitate vtrimque perseueratur, breui subsequi assolent ciuitatum ruinæ, & extrema Rerumpublicarum euersiones: *Regibus aduersantibus sibi, populus terræ vexatur.*

10. Postquam innocuus & pauperculus Naboth à Rege Achabo ad cedendum vineam suam sollicitatus, eidem se nulla ratione in eiusdem vineæ cessionem consentire velle respondit, mox Rex, ex responso isthoc vehementissime excanduit, adeo vt facer textus dicat, quod in suum se recipiens palatium, mox lectum ex nimia iracundia petierit nec manducans, nec bibens: *Et projciens se in lectum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* Verum enimvero causam mihi dare nostis, cur Tyrannus iste nec panem quidem manducare voluerit? Forte dicetis id factum per melancholiæ & doloris illum affligentis excessum, ita enim fieri consueuit, vt homo afflictus ac tristis manducare detrectat.

3. Reg. 21. v. 4.

Verum hanc causam S. Ambrosius reijcit, dicitque Achabum de pane suo edere noluisse, eo quod tanquam fur & latro, qualis reuera erat, manducare quæsi uerit

Ambros. de Nab. cap. 4 panem alienum: *Non comedit panem, qui quærebat alienum. Diuites magis alienum panem, quam suum manducant, & rapinis sumptum exercent suum.* q. d. Quandoquidem Achab tyrannus, pauperculum Naboth re sua propria spoliare & denudare frustra studuerat, ideoque panem domus suæ manducare debebat, quod insolitum & infrequens erat illi, vtpote, qui pauperum subditorum suorum panem manducare, suasque mensas, miserorum hominum aliorum carne & sanguine onerare consueuerat, ideo manducare nequaquam volebat, qui enim eiuscemodi sunt, non nisi ex furto & rapina acquisitum panem alienum comedunt, *Rapinis sumptum exercent suum.*

Vnde ex hactenus dictis facile colligere licet, quam sit ingens pauperum illorum hominum calamitas & ærumna, qui à tali aliquo Domino gubernantur, qui nisi furetur & rapiat, non comedit, nec tamen onerosum talis Domini iugum, sub quo subiecti misere gemunt, excutere valent, sed continuo supportare coguntur.

11. Innocentius III. Pontifex Maximus & sanctissimus, considerans omnes Assueri Regis aulicos coram Aman principe genua sua flectere, solo Mardochæo excepto, qui solus nullam ei Reuerentiam deferre dignabatur, vti in libro Esther refertur hisce verbis: *Cumque serui Regis qui in foribus Palatij versabantur flectebant genua, & adorabant Aman, sic enim præceperat imperator, solus Mardochæus non flectebat genua, nec adorabat eum.* (*Esther 3. v. 2.*) Quærit & inuestigat causam, cur Mardochæus solus id facere detrectarit, quod omnes cæteri aulici communiter faciebant, & respondet: *Quoniam illa diuinam volebat sibi adorationem impendi.* (*Innocent. III. serm. 1. de sacram. Altar.*) Tantum est nobilis alicuius à sanguine suo auito degenerantis scelus & effrons temeritas, vt ad instar Luciferi, Deum aliquem se esse reputet, & veluti talis ab vnoquoque æstimari, honorari & adorari prætendat.

Et quod plus est, in suis se negotijs haud aliter, quam si Deus aliquis esset, se gerit. Sicut enim Deus per suam omnipotentiam facultates, sanitatem, imo ipsam quoque vitam homini indifferenter eripit, nec facti sui rationem vlli dare tenetur. Sic talis quispiam, veluti alter aliquis in terra Deus, tanta cum libertate aliena qualiacunque bona rapit, vnumquemque turbat & affligit, imo ipsam quoque vitam auffert, quasi nullum alium, siue in cælo, siue in terra sibi supereminentem aut superiorem habeat, cui operum suorum reddere rationem teneretur. Vnde nullum est malum quod sine vlla consideratione non committat, nullum damnum quod inferre alteri non audeat, nulla quam non machinetur ruina, aut quam in effectum non redigat: *Diuinam volebat sibi adorationem impendi.*

12. Nonnunquam huiusmodi sanguinolenti homines, hominis alicuius vitam non æstimant maioris, quam si vita canis alicuius fuisset: imo sæpe ad huc minoris illam faciunt, prouti aliquando de simili quodam Domino referri audiui, qui de fortitudine & efficacia veneni alicuius experientiam capturus, dum illam in cane aliquo probare facile potuisset, venenum tamen istud ex Ephebis suis alicui dedit, atque illum ita interemit. Nunquid benedixi, quod veluti Dij quidam in terris æstimari & honorari velint, dum pro libitu & arbitrio suo hominem vita priuant, quod Dei solius est? Aristoteles Epistolam quandam Alexandro magno discipulo suo scripsisse dicitur in qua sequentia illi verba exarabat: *Caue Imperator humanum effundere sanguinem, quia hoc soli Deo conuenit: ait enim Hermogenes Philosophus, quod quando creatura interficit creaturam sibi similem, tunc virtutes cælorum clamant ad diuinam Maiestatem dicentes: Domine seruus tuus vult tibi esse similis.* (*Aristot. apud Guliel. m Pipin in cap. 4 Gen. claus. 7.*)

13. Æsopus festiuum quendam de Leone: Asino & vulpe fingit apologum. Dicit enim tres hasce bestias aliquando venationi simul operam dedisse, cumque vesperi multa carne onustæ domum essent reuersæ, iamque cœnandi tempus instaret, Leo Asino præcepit, vt in venatione captas carnes vnicuique diuideret. Asinus autem qui semper est & manet asinus carnes illas simpliciter absque vllo respectu in tres diuisit portiones æquales. Leo igitur modicum videns respectum & reuerentiam quam Asinus regio suo deferebat diademati, grauiter asino indignatus, in mul-

tas illum partes discerpsit & occidit. Deinde ad vulpem conuersus, illi quoque ordinem dedit, vt Asini in locum succederet, illiusque obiret munus. Quæ magno pauore correpta, Leoni reliquit omnia, sibi quasi nihil reseruando. Quam partitionem Leo lætus & gaudens vidit, vulpisque summam vrbanitatem approbans, eandem interrogauit, à quonam magistro tam concinne res diuidendi artem didicisset? quæ respondit Magister meus in hac arte me erudiens: *Calamitas asini fuit.*

Æsopus apud Tiraque de legib. Connub.

In qua fabula certum est Æsopum ad nihil aliud respexisse, quam vt exprimeret summam barbariem, quam in miseros plebeios homines nobilis Tyrannus exercet. Hunc enim sub truculenti Leonis symbolo describere voluit, qui res omnes per fas & nefas sibi soli vendicat & rapit, aliorum autem, qui vi & violentiæ ipsius fortuito non correspondent, vitæ nequaquam parcit, quicunque tandem illi sint adeo vt quisquis extraordinarias illius referri violentias audit, mox absque vlla contradictione spoliari & maletractari se sinat, pro tyranni libitu atque arbitrio. Eheu quid non facit, quid non tentat & audet sceleratus aliquis nobilis, cum vti Deus aliquis vult æstimari? Quidnam igitur ex ijs quæ homines pati solent molestijs, cum hac ærumna comparari poterit? *Generatio praua & adultera.*

SERMO IX.

In Feriam V. Dominicæ I. Quadragesimæ.

Egressus IESVS secessit in partes Tyri & Sidonis.

Matthæi 15.

INgens prorsus erat apparatus ille, regiamque redolebat pompam, quem Dauid Rex pius & potens arcæ Dei è domo Obededom in suam ciuitatem venienti obuiam processurus, atque in domum suam velut in perpetuam illius futuram mansionem recepturus instituit. Inter cæteros autem quos illi exhibuit honores, fuit Musica quædam longè suauissima. Leuitarum enim principibus præcepit, vt ex omnibus musicæ peritis, artis sonandi seu plectra tractandi doctissimos eligerent, qui nablis, lyris, & cymbalis, celebrem hanc honorarent festiuitatem. *Dixit Dauid principibus Leuitarum, vt constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet & lyris & cymbalis: vt resonarent in excelsis sonitus lætitiæ.* 1. Paralip. 15. v. 16.

Similis quædam solemnitas à sancto Matthæo Euangelista in præsenti Euangelio descripta esse videtur, si modus consideretur quo gentilium Ecclesia arcæ Dei incarnati Christi Domi-

nino

ni nostri obuiam processit, dum ipsam Hebræorum regnis relictis, in gremium suum repositurus, in partes Tyri & Sidonis se reciperet: *Egressus IESVS secessit in partes Tyri & Sidonis.* Inter cæteros autem quibus sanctissimam istam arcam prosecutus est honores, vnus fuit, deuotissima quædam mulieris cuiusdam Chananææ musica; *Et ecce mulier à finibus illis egressa clamauit.* Quæ precum suarum vocem cum nablis, lyris, & cymbalis admodum concinnè adaptare & concinnare nouit, musicamque harmoniam cælestis Regis auribus adeo gratam, suauem & delicatam efformauit, vt is valde illam admirans atque laudans, totum quod petere ausa fuit, liberalissimè concesserit: *Respondens IESVS ait illi: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Hanc igitur musicam nos quoque attenta aure auscultemus. Sitque mulier ista orationum nostrarum rite faciendarum magistra, vt per illas Deo placentes, omne quod petimus impetrare valeamus. Et primò quidem attendamus concordem concinnumque nablorum concentum.

CONSIDERATIO I.

Clamauit.

Deus in preces nostras nunquam descendit nisi viderit linguam in ijs fundendis cum corde consentientem.

1. IN *nablis.* Nablum est instrumentum quoddam musicum, quod chordas suas habet ad intra, ad eum ferè modum quo homo sua intrinsecus viscera habet; estque ad formam cordis alicuius fabricatum, nosque illud vulgò Psalterium appellamus. Vnde psalterium aptissimum est cordis nostri symbolum. Cui proinde instrumento religiosa mulier Chananæa precum suarum vocem comprimis consonam reddidit, quod S. Euangelista tacitus innuit, dum illam dicit orando clamasse: *Clamauit.* Quod verbum (prouti cum Hugone Cardinali doctus aduertit Berchorius) sermonem cordiali attentioni coniunctum significat: *Clamare est cordis desiderium exprimere.* Clamauit igitur hæc mulier vt significaret quod quicquid sapiens hæc mulier pronunciabat ore, idem quoque ab ipsa exprimeretur in corde; ideoque mirum non est quod in precibus suis vocem oris cum nablo cordis concinnando, à Domino nostro omnia pro voto suo integerrimè obtinuerit; Deo enim orationes nostræ non placent, neque illas exaudit, nisi in illis cordis cum lingua percipiat consensum. *Berchor. verb. clamare.*

2. Spiritus sanctus Cant. 4. vers. 9. cum Sponsa loquens, eidem, se ab illa in corde per vnum oculorum suorum, & per vnicum crinem colli sui sauciatum esse dicebat; *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Porrò vulnus ab oculo inflictum in alteram Considerationem alibi faciendam differentes, nunc à crine illatum vulnus penitius, tueamur. Vbi notandum est, quod crinem illum non capitis, sed colli crinem appellet. Vnde meritò dubitatur qui fiat quod cum capilli non in collo nascantur, sed in capite, nihilominus illum colli, non capitis capillum nominat, qui non in collo sed in capite nascitur? *Cāt. 4. v. 9.*

Gilbertus Abbas dicit pilum illum vocari crinem colli, non quia in collo, & non in capite natus sit; imò natus est in capite: sed quia dum Sponsa ad fundendas coram Deo orationes & contemplanda diuina mysteria genuflecteret, ne capilli interea super faciem diffluerent, & suauissimorum oculorum suorum impedirent obtutum, eosdē pulchro quodam modo recollegit & strinxit, & veluti in vnū fascem simul ligauit, eosdemq; sic vnitos & strictos, & veluti vnus aliquis capillus esse videretur, retrorsum ad collū remisit, ideoque colli crinis vocatus est, & nō capitis. Et in hac ratione discooperta facie,

 absque

absque eo quod impediri posset, diuinis intendebat mysteriis, suoque cum dilecto tractabat & conuersabatur. Id quod Spiritus Sanctus, inquit hic Doctor, hac loquendi ratione manifestare voluit: *Vt liberam & reuelatam significet sponsæ faciem, crines enim pro velamento habentur, ideo commendat crines compositos & reductos à vultu ad collum.* Vt nimirum per hoc significaret, sponsam oraturam & cum Dilecto suo per contemplationem tractaturam hanc habuisse consuetudinem, vt ex omnibus cogitationibus superfluis (quæ per capillos vtpote superfluas corporis partes significantur) vnum formaret fascem, eundemque retro à tergo proijceret, ne sese inter cordis oculos, & bonum amatum quod considerabat & contemplabatur, interijcerent, sicque sibi vim faceret ad quoduis impedimentum remouendum, quod cordis attentionem in res creatas affigere & applicare posset.

Gilbert. Ab serm. 9 in cant.

Hoc totum morale nobis est documentum, vt videlicet à sponsa discamus, quod quotiescumque coram infinita Dei bonitate pro orationibus faciendis nos sistimus, inutiles otiosasque cogitationes omnes à cordis nostri oculis remouere, nec vlla ratione permittere debeamus, vt dum lingua nostra cum Deo loquitur, cor alijs considerationibus ad orationem minimè spectantibus sit distractum. Sed potius omnia impedimenta similia retrò post nos abijcienda sint, vt vbi lingua versatur, ibi cor etiam apertos & nequaquam impeditos habeat oculos, duoque hæc instrumenta orandi exercitio adhibita consonare semper debeant, quemadmodũ in oratione à sponsa fusa concordia fuisse noscuntur. Vnde cælesti sponsa adeo magnopere placuit, vt cor suum inde sauciatum fuisse apertè fateri non sit dedignatus: *Vulnerasti cor meum in vno crine colli tui.* Quasi dicere voluisset, quoties tu artificiosum hunc recollecta mente orandi modum vsurpaueris, me semper promptum pronumque reperies, vt omni te gratiâ quamcumque à me poposceris, locupletem.

3. Quærit ad idem propositum Guilielmus Durandus in Rationali diuinorum officiorum lib. 2. cap. 1. Qui fiat quod ijs qui mundo valedicunt, diuinoque se cultui, clericatum amplectendo, dedicant, capitis capilli detondeantur? docteque respondet: *Ne capilli crescendo oculos impediant.* Quibus verbis insinuare vult, capillos (vtpote qui, vt diximus superfluæ sunt corporis partes, sine quibus cum animati non sint, homo esse & viuere potest) super vacanearum otiosarum & inutilium cogitationum esse symbolum, ideoque opus esse vt à clerico in obsequijs suis spiritualibus, quæ ad Dei honorem præstat detruncentur & procul abijciantur: quod si enim ij qui diuino cultui sunt dedicati, ideoque orationis contemplationisque exercitijs ordinariè per diem sunt dediti, promissos sparsosque relinquerent orationis tempore hosce capillos, vtique in faciem passim diffluerent, oculorumque cordis impedirent obtutum, ipsaque oratio præter quam quod Deo minimè placitura esset, nullius insuper futura esset valoris aut vtilitatis. Qua enim ratione vtilis esse posset illa oratio, in qua tametsi os suo satisfaceret muneri, cor tamen superfluis & impertinentibus considerationibus intentum esset atque distractum.

Durand. Ration. Diuin. lib. 2. c. 1.

Sancta igitur Ecclesia Dei nullam aliam ob causam eiusmodi impedimenta à suis ministris vult rescindi, quàm vt illos per hanc cæremoniam erudiat, quod eo tempore quo ore & lingua nostra oramus, cor nostrum ab omni alia cogitatione distrahente seruandum sit liberum & nudum, vt hac ratione cum ore consonet. Deus enim preces nostras nequaquam auscultat aut exaudit, nisi inter duo illa instrumenta perfectus sit consensus & consonantia, quam ab orantibus vnicè & necessario requirit.

4. Dum Moyses olim socij sui pecora ad cliuum montis Synai pasceret, vidit rubum quendam sibi vicinum, qui tametsi totus prodigiosè arderet, non tamen comburebatur, nec deflagrabat. Vnde cupidus videndi rubum illum, ijsque fruendi mysterijs, quæ cæleste illud spectaculum intra se claudebat, intra semetipsum dixit: *Transibo & videbo visionem hanc.* Super quem scripturæ locum sanctus Zeno pulcherrimum dubium exci-

S. Zeno in Ps. 118. excitat & dicit: *Quid est illud transibo? nulla enim locorum interualla discreuerant, eodem in loco & loquitur & videt. Quo ergo transit?* Cur dicit Transibo, cum iam ipsimet loco vbi rubus erat & ardebat, præsens esset, nec mõtes, valles aut flumina interijcerentur, quæ proinde ad approximandum magis pertranseundi essent. Qui fit igitur quod dixerit: Transibo, cum nullam spatium aliquod trãseundi habuerit necessitatem?

Pulcher quidem est hic difficultatis nodus, sed pulchrior est ea, quam ad nodum hunc dissoluendum adfert respõsio, dicens, *Transit plane corporales carnalesque curas, & soceri sui oues pascens, in cælestem cognitionem relictis terrenis operibus excedit.* quasi dicere vellet: Quia illo tempore multæ ob oculos obuersantur cogitationes terrenæ, videlicet cura mulieris, amor filiorum, sollicitudo circa soceri sui pecora quæ pascebat, & similia multa quæ circa cæleste hocce spectaculum attentionis impediebat obtutum: ideo operæ pretium esse existimabat, cogitationes omnes mundanas abiicere, eaque omnia transire & prætergredi; animæ oculis enim impossibile esse sciebat cælestium sacramentorum visionem aut contemplationem, quamdiu terrenarum rerum aliquo spectaculo detinetur occupata. Quo enim modo animus ad id quod lingua exprimit, intenta esse poterit, si nos eodemmet tempore quo ad obtinendas pro nostris necessitatibus diuinas gratias atque fauores, ad orandum genua flectimus, linguamque ad infinitam Domini nostri bonitatem, abyssum misericordiæ suæ incomparabilem diuinæ magnificentiæ sublimitatem, aliaque mysteria cælestia laudanda & prædicanda soluimus & adhibemus, terrenis caducisque curis mentem nostram in diuersa distrahamus. Quomodo cum deuotis quæ in oratione nostra pronunciantur verbis cor nostrum consonabit? Et consequenter quomodo à Deo in similibus orationibus, id quod ab illo postulamus, obtinere valebimus, si Deus preces nostras non audiat nisi duorum illorum instrumentorum consonantiam percipiat. Retro igitur post nos necessariò relinquenda sunt similia impedimenta, illaque omnia aliquot vna cum Moyse passibus prætergrediendo, dicendum est: *Transibo & videbo.*

5. Sapientiam Salomon introducit veluti cum hominibus colloquia miscentem, atq; inter cætera in sequentia verba prorumpit: *Veritatem meditabitur guttur meum.* Verba ista prima facie minimè videntur à sapientia esse prolata, guttur enim non meditatur, licet locutionem adiuuet: cor solum est quod meditatur & contemplatur. Quod si dixisset: *Veritatem* meditabitur cor meum, valde bene dictum fuisset: quod autem cordis officium cordi attribuere voluerit, cùm minimè illi conueniat, incongrue fieri videtur. Prouerb. 8. v. 7.

Dum difficultatem istam Hugo Cardinalis bene considerat, optime quoq; eandẽ dissoluit dicens: *Veritatẽ meditabitur guttur meum, idest, ex præmeditatione loquetur, & attribuit gutturi quod est cordis.* Dicit igitur hic Doctor sapientiam demonstrare voluisse, quod nõ ex solo ore & gutture verba sua emanauerint, verũ insuper cordis attentione & intẽtione associata fuerint; atq; vt vtriusq; huius humani instrumẽti circa eandẽ prorsus rem adhibiti consonantiã significaret meditationẽ quæ ad cor spectat, gutturi attribuit, quasi diceret: Me orationibus vocante verba mea ita suggeruntur, attendunt & fluunt ex corde, vt non voces, sed meditationes esse appareant, quasi guttur simul meditatũ & locutũ fuisset, & cor non in pectore sed in gutture resideret: *Attribuitur gutturi quod est cordis.* Quo loquendi modo vniuersos homines instruit, eisdemque demonstrat qualis eorũ esse debeat oratio, vt vtilis illis sit & proficua, in hac enim interior necessariò requiritur attentio, & cordis cum lingua consonantia, vt intelligatur & exaudiatur à Deo. Hugo Card. ibid.

6 Humanæ salutis magnus Magister Christus Dominus noster admirabilem quandã Apostolis suis regulam præscribens, quam sequentes omnia in orationibus suis à Deo obtinere valerent, quæcumque ab eodẽ essent postulaturi, in hunc modum dicebat: *Dico vobis, si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.* Magnum profecto in hisce verbis latet secretũ. Ecquinã enim sunt duo isti, quibus in oratione sua simul consentientibus Christus omnes cæli gratias concedendas esse promittit. Matth. 18. v. 19.

S. Vincent. Ferrer. serm. 3. post Oculi S. Vincentius Ferrerius inquit, cor & linguam per illos duos intelligi debere: *Ista duo sunt cor & lingua, quæ debent consentire, idest, concordare in oratione.*

Quotiescumque igitur Christianus orationem aliquam ad Deum fuderit talem in qua cor simul cum lingua consentiet & consonabit; ita vt omne illud quod lingua astruit, cor etiam sine vlla discrepantia affirmet, efficiet vt omnem quam à Deo postulauerit gratiam pariter obtineat. Deus enim vt preces nostras exaudiat, nihil aliud requirit quam perfectam horum duorum membrorum harmoniam & consonantiam.

7. Optime Petrus Cardinalis Damiani notat duos priores Iudæorum Reges Saulem & Dauidem ambos fuisse peccatores à duobus Prophetis reprehensos; illum quidem à Samuele, hunc verò à Nathan, ambos etiam peccatum suum ingenuè fuisse confessos, cum vterque dixerit: *Peccaui.* Ideoque optime quærit vnde veniat quod Saul à Deo exauditus minimè fuerit, nec peccati impetrauerit remissionem; Dauidem autem exaudiuerit, atque à peccato suo pariter absoluerit, cum tamē vterque peccatum suum confessus fuerit, & remissionem eiusdem postularit; En ipsissima eius verba: *Nonne vtrique Reges Saul & Dauid redarguti à Prophetis Samuele & Nathan, dixerunt, Peccaui; Et tamen Saul audiuit: Transtulit regnum Dominus à te & dabit illud æmulo tuo: Et Dauid; Transtulit Dominus peccatum à te, non morieris* Forsitan Deus Dauidi & non Sauli condonare voluit, eo quod hominem respiciat secundum suum beneplacitum, non verò iuxta hominum meritum.

1. Reg. 26. v. 22. 2. Reg 13. v. 13.

Petr. Damian. ser. 2. de S. Andr.

Nequaquam hanc ob causam factum id fuit, nullum enim respectus humani apud Deum locum habent: *Non est personarum acceptor Deus,* inquit S. Petrus. Audite igitur qua ratione sanctus hic Doctor respondeat: Quid est nisi quia quod Saul habuit in ore non habuit in corde; Et humilitas quæ in ore Dauid extitit, in corde etiam radiauit? Quia igitur diuina Maiestas orationes hominum nunquam attendit vel exaudit cum lingua cordi non consentit: ideo preces exaudiuit Dauidis, in quibus hanc vtriusque membri huius vidit consonantiam: ad preces autem Saulis in quibus hæ duæ partes discordabant, surdus extitit.

Act. 10. v. 34.

8. Atque hinc est quod vir quidam doctus Orationis depicturus imaginem, mulierem quandam rubea veste amictam expressit quæ flammam vnam habebat in capite, & aliā flammā cernebatur spirare ex ore. Hic autē per rubedinem vestis magnum quod inuocans habet diuini auxilij desiderium exprimere voluit, quod nunquam obtinebitur nisi os cordi responderit. Ideoque illam duas veluti flammas euomentem depinxit; quarum vna ex capitis vertice, altera emicabat ex ore. Quæ duæ flammæ significant, veram & proficuam orationem non in sola voce, sed in ipsa quoque mentis intentione consistere. Hisce enim duobus simul iunctis, quicquid expediens, iustum & sanctum fuerit, à diuina bonitate facillimè impetrabitur.

Cæsar. Ripinell. icon

9. Circa illam Christi parabolam qua dicitur quod dum peregrinus quidam in alterius cuiusdam viri domū de longinquo appulisset, hic, vt inquit S. Lucas, ad alium quendam amicum tres panes ab eodem accommodaturus se receperit: *Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.* Circa hunc inquam locum quærere placet.

Luc. 11. v. 6.

Quænam sit causa cur homo iste nunquam alias in huius amici sui domum panes accommodaturus accesserit, nisi post alterius amici sui aduentum. Nunquid alias eâdem pro se suaque familia laborauit necessitate, qua in hac pressus fuit occasione; An non igitur alias quoque totidem panes postulare poterat? Poterat vtique, de hoc nullum est dubiū, hosce tamen panes alias mutuare nunquam præsumpsit, sciebat namq; extra hanc circumstantiarum occurrentiā ne vel micam aut frustum panis obtineri posse.

Dionysius Carthusianus hunc locum iuxta quorumdam opinionem explicans vult, per amicum istum cor intelligendum esse, quod dum carnalibus & mundanis negotijs applicatur & distrahitur, in regione longinqua & procul à nobis dissita commorari dicitur: *Per amicum istum secundum* quos-

Dion. Carthus. ibid.

quosdam intelligitur animus seu spiritus noster, qui dum per terrena vana atque carnalia distrahitur, oblectatur atque vagatur, à nobis recedit. Vnde iam vtique verâ intellexeritis causam, cur hic nunquam Deum amicum suum panes ab eo commodaturus accesserit, donec alter amicus, cor videlicet, domi suæ aduenerit; probè sciens, Deum petitum gratiæ suæ panem nunquam concessurum esse, nisi postulationis tempore, ipsum quoque cor domi præsens adsit. Per quod significatur quod dum homines in terrenis carnalibusque negotiis procul à se ipsis constituti orantes cordis attentionem implicant & impediunt, tunc quidem ad cælum vsque clamare possint, sed à Deo ne vel minimam gratiæ micam vnquam impetrent, ad hoc namque opus est, vt cor prius in domum suam reuocetur, ipsumque linguæ consonet atque consentiat, sic enim & non aliter à Deo exaudiendi erunt.

10. Sanctus Nilus Abbas de oratione loquens, vt Christianus quisque sancto huic exercitio tanto vtilius vacare posset, necessarium istud post se documentum reliquit: *Si vis orare purè & laudatè, abnegat te ad tempus.* Vult dicere, Tu qui v.g. militaris es ordinis, orationem facturus dicere & existimare debes te nec esse nec esse velle militem. Qui mercator es, dicere tibique persuadere debes te non esse mercatorem nec esse velle. Quæ materfamilias existis, dicere firmiterque credere debes te talem nec esse, nec esse nec esse velle. Hæc quidem sancti Nili resolutio in praxi difficilis esse videbitur: quomodo enim homo earum actionum obliuisci poterit, quibus toto ferè die ordinariè occupatur? Et quomodo militiæ obliuisci miles poterit, eamque derelinquere? aut qua ratione negotiationem mercator, aut mulier domus suæ gubernationem dimittere valebit?

S. Nilus de Orat. c. 16.

Veruntamen oportet vt patientiam hi omnes habeant, quia ad bonam atque proficuam orationem faciendam opus est vt prædicta omnia nego dimittantur, & vt ipsemet quoque homo qui Deum orare in corde suo disposuit, ab iis negotiis quibus aliàs sæculariter exercetur & occupatur, se verè alienum & remotum esse demonstret. Nisi enim regula ista obseruetur, extraneis, impertinentibus, superfluisque curis distracta erit eiusmodi oratio. Miles enim qua ratione in campo siue in acie sese habiturus sit cogitabit, mercator quomodo cum fructu & lucri sui incremento negotiari possit. Item materfamilias quomodo valeat nutrire filios aut gubernare domesticos, atque ita eo tempore quo mentem in Deo, aut in peccatorum suorum cognitione & reminiscentia, aut alia quadam occupatione fixam habere deberet, terrenis negotiis distrahetur, absoluetur que oratio talis absque vlla cordis attentione, tametsi illa ad proficuè & vtiliter orandum quam maximè requiratur.

Verum enimuerò notandum, sanctum hunc Abbatem dicere: *Abnega te ad tempus.* Hisce enim verbis significat huiusmodi resolutionem non pro omni tempore faciendam esse, sed pro modico illo quo genuflexus in oratione persistes; extra tempus autem illud vel locum idem esse poteris qui antea eras, atque iisdem mundi negotiis & occupationibus vacare.

11. Difficulter admodum verba illa intelligere potui quæ Dauid Propheta regius orationis suæ rationem daturus, Psalmo sexagesimo sexto dicebat: nimirum: *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Deum & intendit mihi.* Attenta namque mente ipsum auscultate dicentem, quod voce sua locutus fuerit quotiescumque cum viro suo colloquebatur; & velati si à nobis mens eius sufficienter percepta non fuisset, de nouo repetit dicens: *Voce mea ad Deum*, scilicet locutus sum, *& intendit mihi.*

An forte sibi persuadebat Propheta regius, nos audientes illum cum Deo sermocinantem nobis forte imaginatos fuisse, illum non voce propria, sed alterius cuiusdam animalis aut hominis voce fuisse locutum? perspicuum est quod dum homo loquitur, propria sua voce, & non voce alterius hominis aut animalis loquatur. Quo fine igitur dicit: *Voce mea ad Dominum clamaui,* cum videretur sufficere si dixisset: *Ad Dominum clamaui.*

Notandum est igitur Sanctum Prophetam hoc loco demonstrare voluisse, orationem suã à Deo perfectè intellectã fuisse & exauditã, ideo namq; subdit: *Et intendit mihi*

At-

Atque ideo operæ pretium existimauit, vt se voce sua propria cum diuina Maiestate locutū esse diceret, siquidem Deus orationes nostras minimè exaudire consueuerit, nisi propria voce nostra fuerint pronunciatæ. Nam vt inquit S. Ioannes Chrysostomus: *Non omnes voce clamant, nec ad Deum, nec propria.* Non omnes orando voce sua loqui solent, vti Dauid orabat; sunt enim nonnulli qui animalis voce loquuntur; qui proinde à Deo nec intelliguntur, nec exaudiuntur.

Chrysost. in ps. 41.

Magna inter hominis & bruti animalis, Psittaci, v.g. Corui, Picæ, aut similium voces intercedit differentia. Aristoteles de hominis voce loquens dicit: *Ea quæ sunt in voce sunt notæ earum passionum, quæ sunt in anima.* Vnde necessario sequitur voces humanas à cordis conceptibus discordare non posse, cuius oppositum in animalium brutorum vocibus reperitur, quæ cum non sint signa earum rerum quæ in corde delitescunt, nullam quoque cum corde habent relationem. Quando Psittacus aut alia quæuis auis ad articulatè loquendum idonea, loquitur, nullam prorsus verba ipsius cum corde correspondentiam habent, ex ore duntaxat illa dimanant; cor autem nihil scit aut scire potest eorum quæ à lingua proferuntur. Agedum ergo, quotiescumq; Christianus coram Deo prostratus, corde vago atque circa sæculares cogitationes & negotia distracto ac sollicito os suum aperit, suasque ad Deum orationes fundit, eiusmodi voces suæ Psittaci cuiusdam voces sunt, nō verò hominis, quia non sunt signa in corde latentium cogitationum, cum cor nihil eorum quæ lingua loquitur, nouerit, cum in res longè alias atque diuersas remotè à se mutuo distrahantur. Tales orationes à Deo nequaquam exaudiuntur, neque enim is auium exaudire voces solet, aut aliorum quorumuis animalium rationis expertium, sed quæ ab homine eduntur. Vnde si preces & orationes tuas à Deo intelligi & exaudiri cupias, opus est, vt tuam ad easdem fundendas vocem adhibeas, idest, vocem humanam, & vt verba à lingua tua pronunciata à corde dictante promanent.

Aristot. 1. Periherm.

Atque ideo nullam ob causam Dauid dicere voluit quod orando propria sua voce vsus fuerit: *Voce mea ad Dominum clamaui,* præterquam vt innueret quod si id quod à Deo petimus obtinere etiam à Deo velimus, prout ipse obtinuit, operæ pretium, sit vocem adhibere nostram, idest linguam cordi adaptare & consonam reddere, sicut ipse faciebat, ideoque exauditus fuerat: *Et intendit mihi.*

12. Idemmet Propheta admirabiles atque extraordinarias gratias sibi ab ineffabili Domini sui munificentia præstitas toti mūdo manifestare desiderans, omnes ad se inuitauit, conuocauitque homines, dicebatque: *Venite, audite, & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Et veluti si fuisset à mundo interrogatus de modo quo sibi tantos fauores acquisiuisset, respondit: Ad ipsum ore meo clamaui & exaltaui sub lingua mea. q.d. Ideo tantos mihi fauores accersiui, quia ore meo & sub lingua mea orationem perfeci. Notate igitur qualis eius oratio fuerit, præcipuè verò ad illa verba, *sub lingua,* attendite, quæ meritò superflua alicui videri, ac proinde dubitari posset, an non sufficiebat Dauidi si dixisset: *Exaltaui lingua mea,* vt proinde opus illi esset addere; *Sub lingua mea.* Nunquid sufficienter se explicasset si dixisset se Deum suū lingua sua pro viribus celebrasse? Cur igitur oportuit adijcere: *Sub lingua mea.*

Ps. 65. v. 16.

Imò verò ad se sufficienter explicandum opus erat dicere: *Sub lingua mea,* non autem solum *lingua mea,* secus nihil dixisset eorum quæ volebat. Audite Augustinum pro solutione prædictæ quæstionis ita loquentem: *Parum est Deum exaltare lingua, sed & sub lingua, vt quod certus loqueris, hoc tacitus cogites.* quasi dicere voluisset, quod Dauid tantas à Deo gratias promeruerit, id factum est, quia suis in orationibus corde semper cum lingua consonare consueuerat: parum namque est, & quasi nihil, quod quis in precibus suis linguam adhibeat, nisi simul id quod sub lingua est, idest, cor, adiunxerit. Cum lingua & sub lingua orare oportet, hic enim vnicus est diuinos fauores obtinendi modus, per quem Dauid suos impetrauit.

August. ibid.

13. Valde huic proposito verba illa seruiunt, animæ cuidam sanctæ & perfectæ à Christo dicta, quam Salomon suis in Can-

sticis sub Sponsæ symbolo intellexit. Huius ergo labia simul & linguam extollendo eidem dicebat: *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Quem locum Genebrardus considerans notat quod mel & lac quæ in dulcissimo ore sponsæ erant, non supra linguam, sed sub lingua fuisse dicantur, vt innueret quod essent in corde quod sub lingua existit: *Mel & lac sub lingua tua, idest, in corde, nam sub lingua est cor: preces interiores & cordis sunt suaues & gratæ instar mellis & lactis.* Quo loquendi modo nobis significatur id quod Deo in orationibus nostris maximè placet, non à lingua aut à voce quæ exterius editur & auditur, tametsi etiam angelica sit lingua illa per quam profertur, sed à corde, eiusdemque interna attentione prouenire, cui preces nostras coniungere & conformare debemus. Vnde magna illa, quam Christus in Chananææ oratione habebat, complacentia inde suum quoque ortum habebat, quod videlicet verba linguæ cum cordis sui decachordo mire concinebant & consonabant: *Clamauit.*

Cãt. 4. v. 11

Genebr. ib.

CONSIDERATIO II.

Nam & catelli.

Ad signum vel scopum gratiæ, quæ à Deo postulatur, male collimatur, nisi collimans ad illam sese humiliet.

1. Postquam nablum iam abunde satis sonuerit, lyram quoque nonnihil auscultemus: *In nablis, videlicet, & lyris.* Lyra autem instrumentum est omnino notissimum, quod plectro arcus, quæ humilitatis est symbolum, tangi solet. Cui instrumento sapiens illa mulier Chananæa, magna bonæ proficuæque orationis faciendæ magistra vocem suam secundario consonam reddit. Ipsa namque à Christo Domino cælorum serenissimo Infante canis vocata, sese profunda cum humilitate canem esse confessa est, & veluti canicula quædam micis de munifica & abundanti liberalissimi Dei sui mensa cadentibus, se fruituram sperauit: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* Vnde oratio ab ipsa cum tam humili & demissa sui ipsius opinione & sensu facta, Christo Domino tantopere placuit & arrisit, vt non tantum à diuino ipsius ore laudata fuerit & celebrata, verum etiam desideratis gratiis cumulata & locupletata extiterit. E cuius nobis exemplo discendum est, quam sit in precibus nostris necessaria humilitas Christianus enim, vti perspicuum satis est & manifestum, ad signum vel scopum gratiæ, quæ à Deo postulatur, malè collimat, nisi deprecans illam deorsum se flectat atque humiliet.

2. Scribit S. Ioannes quod dum Maria Magdalena ad Christi sepulchrum staret plorans, Christus sub specie hortulani eidem apparuerit, eandemque cur plangeret, & quid quæreret, interrogauit; cui ipsa, vtpote quæ persuadere sibi, minimè poterat eum, quo cum loquebatur, summum suum amatum bonum esse, vt siquidem illum, vti apparebat verè hortulanum esse credebat, dixit.

Obsecro Domine, vt si tu Magistri mei corpus è sepulchro sustuleris, id mihi & vbi respolueris ingenuè edicas, vt illud denuò recipiam: *Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Ioan. 20. v. 15.

Vbi notandum, quod quem credebat verè hortulanum, nihilominus Dominum appellet; Rusticum, inquam, rudi ligone in humeris onustum, de quo sibi consequenter persuadere facilè poterat, non illum Dominum & horti patronum, sed ministrum & mercenarium esse. Profectò quod si hic dominationis titulus ab humili & abiecta quadam persona aut homine politiæ ignaro datus fuisset, vtique transire ac tolerari posset. Quod autem illum Maria Magdalena multorum subditorum & vasallorum domina, tanta cum punctualitate in aulicis moribus enutrita & educata hortulano attribuerit, hoc ipsum excusare prorsus nescio.

Optimè tamen illam S. Augustinus excusat, dicens: *Ibi enim honorabat hominem à quo beneficium postulabat.* q. d. Tametsi illa probè satis nosset hunc titulum inconuenientissimè, tum à se hortulano huic dari, tum ab illo

August. in catena S. Thomæ ib.

ab illo acceptari, non tamen absque magno ingenio hortulanum hunc Dominum vocare voluit, eius namque beneuolentia opus habebat, eo quod corpus dilecti summique boni sui ab eodem posceret, ideoque humiliare se prius coram illo & Dominum appellare statuerat.

Optimè sciens, quod quisquis alterius ope aut beneuolentia indiget, eiusdem precibus adeò sit necessaria humilitas, vt sine illa, quod obtinere nititur, nunquam sit impetraturus: certissimum namque est quod ad obtinendum id, pro quo nostris in orationibus supplicamus, necessum sit, vt homo se demittat, atque humiliat.

3. Cum Aaron summus Hebræorum sacerdos, vnà cum Maria sorore sua aduersus Moysen fratrem suum vehementer murmurasset, ipse Mariam ob peccatum istud à Deo castigatam esse cernens, vtpote cui pœna sorori inflicta admodum displicebat, quique tanquam eiusdem peccati complex simile quoque supplicium sibi irrogandum timebat, à Moyse mox veniam petiit, dixitque: *Obsecro Domine, ne imponas nobis hoc peccatum quod stultè commisimus.* Circa quæ verba ex te quæro, quidnam tibi de ijs videatur? Eratne Aaron seruus Moysis, an verò frater illius? vtique frater, & non seruus erat. Cur igitur non tanquam frater, sed instar serui illum Dominum vocat? Obsecro Domine. *Num. 12. v. 11.*

Respondet Tostatus id illum fecisse, *Ad facilius impetrandum, quia qui se humiliat impetrat, iuxta illud: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Tametsi igitur Aaron frater esset Moysis, illum tamen non fratrem, sed Dominum appellare voluit; quia se coram illo humiliare volebat, vt in virtute humilitatis, receptæ à Moyse offensæ tantò faciliorem remissionem obtineret, probè sciens, quanta cum facilitate impetretur, quod humiliter exponitur & petitur: Quia qui se humiliat impetrat. *Tost. ibid. q. 58.*

4. Similem scripturæ locum in Genesi habemus, vbi recensetur, qualiter Iacob Patriarcha dum reditum in patriam pararet, atque ob multas cum Esau fratre suo habitas contentiones & controuersias, eundem sibi certò in via obuium futurum magnopere timeret, operæ pretium esse iudicarit, vt, ad sibi reconciliandum placandumque illum, & ad captandam fraternam ipsius beneuolentiam, aliquos ad ipsum legatos præmitteret, quibus legationis expediendæ verba veluti in os suggerens, ita dicere cœpit: *Sic loquamini Domino meo Esau.* Circa quem locum idem difficultatis exurgit nodus, qui circa priorem. Quod si enim Esau frater eius fuit, cur illum Dominum, & non fratrem appellat? *Genes. 32. v. 4.*

Oleaster dicit, Iacob Patriarcham reconciliando fratri, eiusdemque indignationi cōpescendæ totaliter tunc studuisse, & quia optimè nôrat nihil tantæ virtutis & efficaciæ esse, ad animum iracundum sedandū aut placandum, nec non ad obtinendum quicquid desideratur, quantæ sunt preces profunda cum humilitate propositæ & explicatæ: ideò ad assequendum desiderium suum, in hac ad fratrem suum expedita legatione humiliare se volens ipsum non fratrē, sed Dominum appellare voluit: *Nouerat optimè sanctus vir nihil magis offensi animum placare, quam si te illi subiectum & humilem ostendas, ideo vocat eum Dominum.* *Oleast. ibid*

Vnde si oratio humiliter facta tantam apud homines efficaciā obtinet, vt apud eosdem quicquid petitur obtineat, quantū existimatis virtutem ac energiam obtinebit apud Deum, qui tantus virtutis illius amator existit, vt eandem ab ipsomet cælo videre & spectare gaudeat? *Humilia respicit in cælo.* *Ps. 112. v. 5.*

5. Priusquam Sponsa in vno crine cor diuinū sauciasset, iam eidem cordi per vnum oculorū suorū aliud quoddā vulnus diu ante inflixerat, ipsomet Deo teste, qui dicit: *Vulnerasti cor meum soror mea, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorū, & in vno crine colli tui.* Porrò quia vulnus quo cor per crinem sauciatum fuit, superius explicauimus, nunc alteram ab oculo illatam plagam in præsenti loco consideremus. Et primò quidem quæstio aliqua hoc loco proponenda occurrit, videlicet: Qui fit quod Spiritus sanctus tantam in sponsæ oculis habens complacentiā, eidem sponsæ non dicat: vulnerasti cor meum in oculis tuis, sed tantum dicat, in vno oculorum tuorum? fortasse ideò vnicum dūtaxat sponsæ oculū tantopere laudat quia monocula erat? aut verò ex duobus quos habebat *Cāt. 4. v. 9*

bebat vnus minus pulcher, laudeque prorsus erat indignus?

Quod dici nequit, quod si enim sponsa nō nisi vnicum tantum habuisset oculū, monstrosa vtique fuisset: si verò ex duobus oculis quibus prædita erat, vnus fuisset difformis, vtique nō totū habuisset pulchritudinis cōplementū, neque Deus paulò ante dixisset, adeò perfectā eius esse pulchritudinem, vt ne ab vnica quidē macula sine defectu notari posset: *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Quod si igitur pulchritudo eius omnibus erat numeris absolutissima, qui fit quod Sponsus non vtrumque oculum, sed vnum duntaxat celebret & extollat? *In vno oculorum tuorum.*

Cant ibid. v. 7.

Audite elegantem S. Brunonis interpretationem, qua propositæ difficultati egregiè respondet: *Vnum verò oculorum dixit, quoniam non de pluribus, sed de vna virtute loquebatur: habet tamen duos oculos soror & Sponsa Christi, quorum altero terram, altero verò respicit cælum: per hoc autem humilitas & contemplatio designatur, & plus sæpe placet Deo oculus humilitatis qui terram respicit, quam oculus contemplationis qui ea quæ scire non licet, aliquando perscrutatur.* Dicit igitur Sponsam instar aliarum mulierum duobus fuisse pulcherrimis oculis decoram, qui ambo incomparabiliter amabiles erant; quorum vnus erat humilitas, qua in dilecti sui conspectu consistens terram respiciebat: alter verò erat contemplatio quo in eodem met tempore cælum spectabat. Et tametsi indubitatum sit Deum contemplationis oculo magnopere delectari, vtpote quem in Maria Magdalena sibi valdè placuisse alibi affirmauit: nihilominus, quia nonnunquam ex contemplatiuis nonnulli sublime nimis & altum sapere volentes, quædam, quæ non conuenit, aut illos nequaquā attinet, scire & contemplari contendunt, ideò illum laudare noluit. Oculus autem humilitatis qui terram humiliter respicit, coram æterna Dei Maiestate adeò apparet pulcher & gratus, vt Deus ipse ob admirabilem hanc circa oculum illum complacentiam, & gaudii inde concepti magnitudinem, in corde suo se ex illius obtutu vulneratum esse fateatur: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.*

S. Bruno de ornat. Eccles. cap. 5.

Vt hac ratione indicaretur adeo sibi orantis placere humilitatem, vt instar amatoris alicuius ardenter amantis ad dilecti sui preces nihil non donet atque concedat.

6. Christo Domino mundi Saluatore certæ cuiusdā vrbis portas ingrediēte, pauperculus quidā leprosus aduentus illius certior factus, vt S. Lucas refert, in faciē suā sese pronus in terrā prosternens humillimè eundē est deprecatus, vt si ita dignaretur, sanitatis illi corporalis donū restitueret: *Et ecce vir plenus lepra, & videns IESVM & procidens in faciem rogauit eum dicens: Domine si vis potes me mundare.* Vbi quærendum, quamobrem infirmus iste filium Dei videns adeò sese deijcere & humiliare voluerit?

Luc. 5 v. 12

Respondebitis fortasse: Factum id esse, vt cognitam atq; perspectā sibi Maiestatis suæ excellentiā dignè honorare atque adorare posset. Verūtamen tametsi mihi quoque id ob causam iā dictam factū esse persuadeam; nihilominus videtur leprosum hunc id alio prorsus fine fecisse: nimirū, quia, vt Dionysius Carthusianus inquit, leprosus iste valdè sollicitè & anxie hāc à Christo gratiā obtinere gestiebat. Cū igitur ad hūc finē obtinēdū nullū efficacius mediū, quàm sit oratio humillimè ad Deū fusa adhiberi posse sciret ideò vt se inter orandū profundissimè humiliaret, vultū suū pronus in terrā prostrauit: *Procidens in faciē suam rogauit eū sperans se tantò celerius exaudiendum, quo humilius in terrā vsq; prostratus rogaret.* Christus igitur cū simili prorsus promptitudine & celeritate qua sanitas sperabatur donanda, eandē concedens liquidè satis ostēdit, infinitæ illi bonitati humilē de semetipso sententiam, quā in precibus nostris adhibemus, vehementer adeo placere, vt dum vix os nostrum humiliter aperimus, mox gratiam petitam concessam quoque esse sentiamus.

Dion. Carthus. ibid.

7. S. Ioannes Chrysost. Centurionis illius, qui serui sui paralytici valdè impensè à se amati sanitatē petiturus Christū accesserat, verba quibus eandē postulabat, diligenter obseruat, hæc nimirum sequentia: *Domine puer meus iacet in domo paralyticus.* Circa quæ notat, quod tametsi verbis prædictis, vt cōpletam facerent supplicationē, meritò subiungere mox in hunc modum debuisset: Atq; ideo te precor, vt pristinā illi restitue-

Matth. 8. v. 6.

re sanitatem non dedigneris; nihil tamen eiusmodi subiunxerit. Vnde sanctus hic Doctor hunc centurionis loquendi modū truncum, incompletum, debitaque conclusione destitutum esse pronunciat; ac proinde quærit: Qui fiat quod postquā Centurio iste gratiā sanitatis pro seruo suo petere inchoasset, hanc insinuatam supplicam non absoluerit, neque id, cuius gratia Christum quæsiturus exierat, proposuerit? Forte ab ore eius omnis sermo & loquendi vsus euanuit, aut in tanti Domini constitutus præsentia, earum rerum quas petere voluit, obliuio incessit, prout i plurimis aliis celeberrimis hominibus sæpius accidisse legitur?

Respondetque ob neutram ex hisce adductis rationibus id factum esse, sed potius, *cum dixisset, iacet filius meus, non intulit, dic, vt curetur, veritus ne tanto munere esset indignus* Centurio vtpote homo politicus & prudens discursus suos disponere & concludere optimè nouit, ideoq; quod post propositā Domino serui infirmitatē sanitatis pristinæ postulationē non subiunxerit, id ex ignorantia modi loquēdi factū minimè fuit, verū ex humilitate quā habebat orationi suæ coniunctā, ex hac enim oriebatur, quod tanto se fauore cognosceret indignū: *Ne tanto munere esset indignus*; vtq; oratione sua in propositū sibi gratiæ scopum rectè collimaret, profunde illam demittere, & humilitati coniungere, nec non & lyræ plectro illam consonam reddere voluit. Vnde non tantum cū admirabili facilitate quicquid desiderauit, aut potius plusquam rogauit, obtinuit; verum etiam ab ore eius, quem cunctæ honorant & laudant substantiæ creatæ, honoratus & laudatus discessit. Tantum potest & valet humilis oratio.

8. Cum Deus Achaz in mandatis daret vt æterni verbi Incarnationem veluti opportunum miseriarum mundi istius remedium, expeteret, hunc in modum ipsum est allocutus: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Pagninus legit: *Profunda teipsum petendo*: quasi Deus dicere voluisset; vt hanc tanti momenti & ponderis supplicationem tantò dignius ô Rex, facere, tuisque in precibus exaudiri merearis, curæ sit tibi vt te humilies, submittas, & quantū possibile fuerit, ad ipsum infernū vsq; demittas, secus enim gratiā istam nequaquā obtinebis. Vbi notandū, quod inter omnes gratias, quas diuina cōcedere potest omnipotentia, nulla maior inueniri vllatenus possit, ipsa Filij Dei incarnatione, & tamē vt mundus infinita & immensa hac gratia se dignū redderet, nullam in hominū orationibus aliā aut voluit aut poposcit virtutem præterquam humilitatem. Hinc igitur facilis est coniectura quāti ponderis & momenti sit in oratione humilitas, quantumque hæc Deo placeat; neque enim is homo fieri, aut incarnationis verbi admirabile beneficiū & gratiam impertiri voluit, donec idipsum omni cum humilitate ab eodē exposceretur: *Profunda teipsum petendo.*

9. Stupenda cuiuis bene consideranti res est admirabilis illa sublimatio atque prouectio, qua Deus Moysen seruum honorare cōplacuit. Neque enim ipsum duntaxat supra omnes gentis suæ homines exaltauit, sed & cælis ipsis illum altiorem, & veluti alterū quendam Deum in terra facere voluit, vnde dicebat: *Constitui te Deum Pharaonis.* Circa quem Moysi à Deo exhibitum fauorē iure merito quæri posset qualemnā Moyses ad tantam sui exaltationē promerendam, viam insecutus fuerit; aut quali virtute se apud Deum tanto fauore dignū reddiderit: Denique quomodo existens homo verus diuinitatem participare & Deificari potuerit; Rupertus Abbas existimat non ob aliam causā Deum Moysen dignitate quadā adeò extraordinaria sublimare voluisse, quā ob humilia quæ de ore illius perceperat verba, eo præcipuè tempore, quo illū generalē populi sui ducē & Capitaneū crearat, fueruntque sequētia: *Ecce filij Israel non audiunt me, & quomodo audiet Pharao præsertim cum incircumcisis sim labiis.* q. d. ô Domine Deus quidnam circa me molitis, dum istud tanti ponderis munus & officium, mihi qui idiota & homo indoctus sum ac loquendi prorsus imperitus, committis? Egone idoneus sum qui in Pharaonis aulâ regia comparere ausim? Quod si subditi mei me nihili faciunt, nec me auscultant, quomodo igitur magnus ille Ægypti Monarcha, me alicuius æstimare aut honorare poterit. Cum igitur, ô Deus, in populo tuo minimè desint viri illustres, maximique meriti, qui magnificentia muneris

Chrysost. hom. 17. ibid.

Isaiæ 7. v. 11. Pagninus

Exod. 7. v. 1.

Ibid. cap. 6. v. 12.

muneris illius, quod Diuina tua Maiestas mihi indigno contulit, dignissimi existant, rogo, alium dignioribus ad id munus qualitatibus instructum virum eligito.

Cum igitur humilem orationem istam Deus inaudisset, in eadem sibi adeò complacuit, vt non solum in eadem dignitate ad quam ipsum elegerat, confirmârit; verum insuper Deum quendam in terra facere voluerit. *Ecce constitui te Deum*, quasi dixisset, inquit Rupertus: *Quoniam tu mitissimus virorum, pro tam glorioso negotio cum Pharaone dimicare, & cum Regibus confligere te indignum ducis, atque hoc modo vsque ad nouissima terræ te deprimis: Ecce ego justollam te super altitudinem nubium factamque te Deum.* Qua in re perspicue & clare videtur, quanta sit humilis orationis virtus, tanta nimirum, vt non solum, vti audistis, Deum de cælo in terram se demittere & incarnari procuret, verum etiam homines de terra in cælum euehat & Deos constituat. *In lyrisi.*

Rup. Ab. ibid lib. 1. cap. 20.

CONSIDERATIO III.

Discipuli eius rogabant eum.

Adeo efficaces sunt orationes Sanctorum apud Deum, vt nonnunquam Deum licet inuitum & reluctantem cogant concedere quod suis in orationibus exposcunt.

1. VT mulier Chananæa omnia pro voto & desiderio suo à Christo cælorum Domino obtineret, non sufficiebat, quod vocem suam nablis & lyris consonam redderet, sed & opus erat, vt simul sonarent & cymbala, quæ harmoniæ orationis suæ vltima adderent perfectionem. Tametsi enim necessitates suas cordis cum attentione & cum profunda humilitate exposuisset, attamen quia Christum ad preces suas quasi surdum experiebatur, idque suis attribueret peccatis, ideo ad Apostolorum mox intercessionem recurrit, de quorū sanctitate exaudiendā se fore sperabat, prout re ipsa accidit. Cymbala autem sunt instrumenta quæ, vt S. Bruno tradit, sanctorum perfectorumque hominum sunt symbolum: *Qui similes fient cymbalis in corporibus, id est, sic nitidi ad similitudinem cymbalorum.* Postquam autem cymbala hæc diuinis pro nobis auribus insonuerint, tantæ apud Deum virtutis sunt & efficaciæ, vt omnia pro libitu ab eodem obtineant: imo Diuina Maiestas nonnunquam quasi inuita petitiones eorumdem exaudire cogatur.

S. Bruno in Ps. 150.

2. Cum Deus modum ordinasset Moysi, quo sacrificium pro peccato offerendum esset, ipsum specialiter monitum voluit, ne vlla ratione permitteret, vt peccator tali sacrificio siue oleum siue incensum superimponeret: *Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est.* Quo in præcepto benè quidem habet, & facilè intelligitur, cur sacrificium eiusmodi oleo minimè inungendum sit, oleum enim lætitiam significat, quæ à peccatore longè abesse debet, vtpote cui planctus proprius est. Verum enimuerò quod eidem sacrificio etiam non sit imponendum incensum, quod proprium orationis est symbolum, qua Deus tantopere delectatur, vt nihil æque libenter ab hominibus audiat, quis prohibitionis istius causam coniiciat vel differat? Oleaster causam hanc hisce verbis assignat: *Si enim per thus orationes intelligas, deprehendes quam ægrè ferat Dominus bona malis inuoluta*, quasi diceret: Solet Deus id quod bonum est, despicere, si rei alicui malæ inuoluta vel implicita sit, sicut cibus delicatissimus fastidiri solet, dum sordibus vel putreolentiæ alicui immixtus existit. Et ideò tametsi orationis incensum magnum Deo gaudium adferat; nihilominus dum orationem ab anima quadam peccatorum sordibus coinquinata, promanare conspexit, nec sufferre, nec audire illam vlla ratione potest: *Ægrè fert Dominus bona malis inuoluta.* Orationes igitur quæ Deo adeò magnopere placent, sunt illæ quæ funduntur ab hominibus sanctis & puris, à quibus procul abest omnis peccatorum spurcities, aut quæ à pœnitentibus lauari & purgari à peccatis cupientibus, Deo exsoluuntur.

Levit. 5. v. 11.

Oleast. ibi.

S 3 3. Ad

3. Ad primum Verbi incarnati in synagogam Capharnaiticam ingressum, Dæmon, referente id S. Luca, tanto mox pauore correptus est, vt forti & valida
Luc. 4. v. 34. voce exclamans ita precatus fuerit: *Sine, quid nobis & tibi IESV Nazarene, venisti perdere nos? Scio quod sis Sanctus Dei.* q. d. In pace nos ô IESV Nazarene, viuere concede. Quid tibi, qui vera lux es, nobiscum qui tenebræ sumus, intercedit negotij? Non me latet, quis tu sis, scio quia tu es sanctus Dei. Quæ verba Christo, vt idem Lucas Euangelista subiungit, admodum displicuêre, vnde increpans eum silere iussit: *Et increpauit illum IESVS dicens, obmutesce.*

Vbi notandum quod si hæc à Dæmone pronunciata verba ab aliquo Apostolorum, Petro videlicet, Iacobo, aut alio quopiam discipulo Christo dicta fuissent, illa eidem non solùm summopere placuissent, verùm insigni quoque præmio digna iudicata fuissent. Vnde igitur accidit quod nunc à Dæmone prolata, adeo Christo displicuerint, vt ad non loquendũ deinceps perpetuũ illi imposuerit silentium? *Dicens: obmutesce.*

Respondet Philippus Abbas, huiusque rationem pulchrè assignat, videlicet: *Quoniam non est laus speciosa in ore peccatoris,*
Philip Ab. de silent. cler. c. 9. *dum inspector intimus non labrum exterius, sed internam attendit conscientiam.* q. d. Quantò laus Dei & oratio in ore viri sancti & perfecti est speciosior & gratior, tantò turpior & fædior est in hominis peccatoris ore posita: infinita namq; Dei Maiestas (cui vt orationes nostræ placeant conari debemus dum illam laudamus & deprecamur) non labium exterius, sed interiorem respicit conscientiam, quam dum peccatis conspurcatam videt (cuiusmodi illæ Dæmonis conscientia erat) mox indignatur, & preces ac laudes nostras quæ de huiusmodi sordibus procedunt, despicit, malletque eum qui in tali eum statu adorat, silere potius quam loqui. *Non est laus speciosa in ore peccatoris.*

4. In memorabili illo incendio, quod Hebræorum populus die quodam in deserto vidit, quãdo ignis de cælo lapsus tot hominum millia consumpsit, omnes vnanimiter pro habendo remedio, & igne isto extinguendo, suum ad Moysen recursum habuerunt, ad hoc vt in graui illa angustia de auxilio illis opportuno prospiceret: *Et accensus*
in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem. Cumque clamasset populus ad Moysen, orauit Moyses ad Dominum. Num. 11 v. 11 Verum cur obsecro, populus iste potius cum Moyse, quam cum ipsomet Deo pro habendo adiutorio tractare voluit? Videntur certè hac in re modicum nimis prodidisse iudicium suum, siquidem cum ad ipsum accedere fontem potuissent, ad riuum quendam inde manantem accedere maluerunt, cum præsto haberent Dominum, recurrerunt ad seruũ. Nequaquam, dicit Oleaster, ita de illis est iudicandum, sed prudenter admodum, valdeque iudiciose hac in re se habuerunt, & assignat rationem dicens: *Quia Deum suum offendisse cognoscebant, sanctum intermedium quæsierunt.* Oleast. ibid. q. d. Quia in se de murmurationis peccato, ob quod Deus illis grauiter indignatus supplicia immiserat, remorsum persentiscebant conscientiæ: ideo scientes quod si hoc scelere coinquinati ad Deum recurrerent, orationes illorum infælici fundendæ essent euentu, siquidem æterna illa Dei Maiestas difficillimè aures suas impijs porrigere, aut sceleratorum hominum auscultare proces dignari soleat; ideo, inquam, suum ad Moysen refugium habuerunt, qui vtpote vir sanctus & innocens, non exaudiri non poterat, prouti reapse factum est, siquidem Sanctus vir iste vix os suum aperuerat, cum ecce ignis ille subito extinguebatur, cessabatque incendium.

5 In tempore illo quo populus Hebræus fuga ex Ægypto elapsus, iamiam mare rubrum ingressurus erat, idem ille populus respiciens retrò, vidensque Regem Pharaonem magna cum furia accelerantem vt illos assequeretur, atque in ore gladij interimeret, tantò mox correptus est timore atque formidine (vtpote gens incredula & infidelis, atque in Dei sui omnipotentia valdè modicum confisa) vt horæ illi qua Ægypto excesserat, maledixerit. Moyses autem vt cor illis & animum adderet, ne nimium deijcerentur, hunc in modum eos

est

Exod. 14. v. 13. est allocutus: *Nolite timere, state & videte magnalia Dei. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* quasi diceret: Nullus vestrum expauescat, sed forti generosoque animo estote, & attenti considerate ea, quæ hodie Deus pro vobis faciet mirabilia, qui hodie apprehendet arma & pro vobis pugnabit. Vos interim diligenter cauete ne vel verbum aliquod loquamini, neque aliquod ab vllo hominum requiratis auxilium siue succursum, ipse namque fælicissimè ea quæ pro vobis facturus est, expediet. Dum hæc Moyses ad populum verba faceret, mox quædam Dei in hunc modum Moysen alloquentis vox intonuit: *Quid clamas ad me?*

Philo Hebræus locum præsentem bene considerans dicit: Ex quo Deus Moysi verba ista dixit, indubitatum omnino est hunc paulo ante Deum precatum fuisse, ab eodemque in periculosa isthac necessitate sollicitasse auxilium Quod cum ita se habeat, qui fit, quod cum Moyses Deum oraret & precaretur, alijs è contra orare prohibuerit, ijsdemque præceperit vt tacerent: *Vos tacebitis.* Nunquid melius fuisset si vna cum Moyse orassent & alij? Respondet Philo supradictus: *Quasi deberent silere, qui nihil auditu dignum afferunt: loqui verò qui pro amore sapientiæ confidunt in Domino.* Philo Hebr. lib. Quis rerũ diuin. Moyses neminem ex toto populo, in periculoso illo suo statu os suum aperire, Deumque rogare voluit, probè namque sciebat quod cum homines essent peccatores & increduli, nullum prorsus rogando Deum fructum proferrent, tales enim homines orando, *Nihil auditu dignũ afferunt.*

Ille autem, tacentibus licet alijs, tacere noluit, vtpote virtutum suarum, & illius quã cum infinita illa bonitate habebat, strictæ amicitiæ probè conscius, se namque in orationibus exaudiendum optimè nouerat, siquidem orationes sanctorum tantopere apud Deum præualent, tantamque habent vim, energiam, & efficaciam, vt de illa quis sine stupore cogitare vix possit.

6. Moyses refert, quod cum in admirabili illa lucta, quam cũ omnipotentis Dei Maiestate Iacob Patriarcha habuit, Deus illucescente die discessum ab illo pararet, eidem dixerit: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Genes. 32. v. 26. Circa quæ verba ex vobis quæro: Nunquid Deus à Patriarcha taciturnus, & nihil omnino loquens, sicut hactenus fecerat, discedere potuisset; Quid igitur opus erat à seruo abeundi petere licentiam, dicendo: *Dimitte me.* Imò quod plus est, *Dimittere.* In multis sacræ scripturæ locis soluere, siue dimittere, idem significat quod libertatẽ dare, vti specialiter videre est in loco illo Iobi cap 39 v 5. *Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit;* Iob. 39. v. 5 Vnde cum Deus Patriarchæ dicat: *Dimitte me,* videtur quasi ab eodem vinctus atq; ligatus fuisse, vt proinde pro sui liberatione & exsolutione apud Iacob sollicitasse videatur Verum enim uerò quænam fuit illa vis & violentia, quinam funes & catenæ, quibus ab hujus terræ hominibus vinciri atque ligari, ac impediri potuit Maiestas regis cælestis.

Hugo Cardinalis locum istum explicans dicit, Sanctos Dei manus orationibus suis, veluti funibus ligare & vincire solitos esse, ad hoc vt de peccatoribus se vindicare non possint: *Sancti suis orationibus ac desiderijs tenent Deum, ne in peccatoribus suã exerceat iustitiam.* Hugo Card. ibid.

Iacob igitur tunc orationi vocabat, cuius vi ac virtute veluti catena adamantina, adeo constrictam atque ligatam Dei omnipotentis tenebat Maiestatem, vt dum ad redeundum in cælos soluere semetipsum minime posset, cum desiderio à Patriarcha solui se expeteret, dicendo: *Dimitte me.* Quæ verba certum quendam in se loquendi modum continent, qui tantam esse orationis ab aliquo Dei amico fusæ vim & efficaciam insinuat, vt Dei quodãmodo manus ligare dicatur, quominus hominem, prout peccatorũ suorum exposcunt reatus & demerita punire aut castigare possit: *Tenent Deum.*

7. Post adoratum à populo Hebræo vitulum aureum, Deus scelere isto grauissimè offensus, eundem populum absque vlla pietate castigare statuerat: vnde Moysen (qui coram terribili indignantis Dei conspectu, pro obtinenda populo suo pietate ac venia astabat) sic est allocutus: *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Qui locus scrip- Exod. 32. v. 10.

turæ consideratione dignissimus est. Vnde obseruandum quod Deus Moysen roget, vt se populo isti irasci permittat: *Dimitte me vt irascatur furor meus.* Quasi verò irasci & indignari absque serui sui permissione & voluntate nequaquam potuisset, aut quasi Moyses illum ligasset, & impediuisset. Sed qua ratione, obsecro Deum Moyses impedire poterat? Quas homo vires aut quod instrumentum habebit, quo Deum ne irascatur valeat impedire? Quæris quibus id viribus homo facere possit? Vis illa & efficacia ex Chaldaica translatione elicitur, nam vbi nos legimus: *Dimitte me vt irascatur furor meus:* ipsa legit: *Dimitte deprecationem tuam à facie mea, vt irascatur furor meus contra eos.* Desine orare, à precibus tuis desiste, vt indignationem meam valeam exercere. Vis igitur & violentia siue instrumentum, quo cum Moyses Deum, ne irasci posset, impediebat, oratio erat, quam pro indignissimis idololatris istis effundebat. Quamobrem orationis Sanctorum potentiam & energiam videte & obstupescite; neque enim Dei manus ne peccatores pro peccatorum suorum ratione ac demerito castigent, duntaxat impedit, verum ipsam quoq; Dei impedit ac cohibet iram, adeò, vt ne quidē irasci possit. Vnde quamdiu ex seruis Dei nonnemo erat, tamdiu irasci nequaquam potest, donec ab oratione desinat: *Dimitte deprecationem tuam.*

Chaldaica Para. Transl.

8. Cum Deus olim nonnullis Hebræi populi principibus grauissimè indignatus esset, Chore videlicet, Dathan, & Abyron, vtpote qui summi sacerdotii honorem familiæ suæ vendicare per & nefas volebant, quē Deus alias cum tanto meritorum pondere Aaroni contulerat; ideoque in ambitiosos hosce insolito atque terribili quodam supplicio atque spectaculo animaduertere statuisset, iamque de facto terræ mandasset, vt eosdem vna cum vxoribus & filijs viuos dehisceret ac deglutiret, inquit sacer textus, quod priusquam id fieret, primò Moysi & Aaroni fratri suo præceperit, vt ex eorumdem se societate recipere minimè tardaret: *Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, & ait: Separamini de medio congregationis huius, vt eos repente disperdam.* Si causam nosse cupitis, cur Deus duobus hisce amicis suis præceperit, vt ex congregatione horū puniendorum discederent, priusquam seditiosos illos puniret; en illam iam Deus dixit, vt proinde illam ab interpretibus petere non sit opus, estque hæc, vt hac ratione expeditè punire posset delinquentes: *vt eos repente disperdam.* Vnde liquet Deum ipsummet ore suo proprio confiteri se manum suam ad supplicium istud infligendū applicare minimè potuisse, nisi Moyses & Aaron ab illis prius recessissent, vtpote qui diuinæ impediebant executionem iustitiæ. Verum enim verò quodnam hi obsecro impedimentum Deo statuere poterant? An nō Deus ipsis præsentibus idem pro libitu & arbitrio suo facere poterat, quod facturus erat ipsis absentibus? Nihil omnino facere poterat, inquit Oleaster, quamdiu in seditiosorum istorum societate erant Moyses & Aaron, hi namque suis virtutibus manus diuinas colligasse videbantur: *Ecce quid valeant iusti populo & congregationibus in quibus sunt. Videntur enim ligatum habere Deum: ita vt eis præsentibus sæuire nolit in malos.* Hinc igitur hanc facere licet consequentiā: Quod si sancti sola sua præsentia tantum peccatoribus prosunt, vt videantur ligatum habere Deum ne ipsos castiget, quid facturi erunt dum coram illo genua flectunt, illum deprecantur, illum stringunt, ligant, imò cogunt; *Videntur ligatum habere Deum.*

Num. 16. v. 21.

9. Peruersissima genus Hebræorum, quæ dum esset in Ægypto, tanta diuersarum carnium abundantia onerabat mensas, postea in deserto existens, quantumuis à Deo Angelorum delicatissimo pane fuisset enutrita, tanto tamen Benefactori & bono ingratissimam se exhibens appellabat manna istud cibum nimis insipidum & fastidiosum, suspirans interim & gemens ob nimis vehemens carnium edendarum desideriū. Deus igitur ardenti & inordinato ipsorum appetitui satisfacere volens, certam quandam auium speciem in desertum ipsis Israëlitis immisit, in tanta abundantia aduolantem, vt inde ad facies vsque adimplere sese possent. Paulo post autem sine vlla interiectā morā illis Dæmonium immisit, à quo trucidarentur vniuersi. Quod priusquam tamen faceret, vt Dauid dicit, impedire voluit electos Israël, ne ab ijs remoraretur:

Adhuc

Ps. 77. v. 31 *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit.* S. Bruno explicat quale fuerit impedimentum istud, quo Deus priusquam gulosos istos occidi faceret, amicos & electos suos impedire voluit. Existimat enim verba illa *Electos Israel impediuit,* idem valere ac si dixisset: *Impediuit orationem electorum.*

S. Bruno ibid.

Hoc igitur sensu & explicatione supposita, facile esset quærenti causam, ob quam Deus epulones istos occidere volens, prius electorum suorum impedire orationes voluerit, respondere: Ex prædictis enim liquet aliam huius rationem assignari non posse præterquam quod Deus ita ordinauerit, eo quod firmiter statuisset sceleratos istos absque vllo pietatis aut compassionis sensu occidere: vnde separandi omnino ab iis erant electi. Quod si enim liberam atque solutam electis suis linguam reliquisset, hi vtique mox, vt miserabilem populi sui animaduertissent stragem, vtpote in commiserationem proni, eisdem certo certius fuissent compassi, moxque ad orationis recurrentes præsidium, diuinam clementiam ad condonationem & remissionem coegissent offensæ, manusque ligassent diuinæ iustitiæ, ita vt flagellum minimè voluisset corripere, neque Deus quod statuerat exequi potuisset. Atque ideo Dauid Propheta bene dicit, quod priusquam Deus stragem hanc moliretur, impedire primò electos suos voluerit, quasi orationum illorum formidaret violentiam: *Impediuit orationem electorum.* Vnde clarè liquet qualis sit earum orationum, quæ à sanctis hominibus ad Deum funduntur, vis & efficacia. Nonnunquam enim videtur Deus veluti inuitus & coactus facere ea quæ ipsi postulant & desiderant.

10. Ad hoc propositum prætereundum minimè est, quod S. Hieronymus de sanctissimo Anastasio Pontifice loquens scribit, qui paulò ante mortuus fuerat, quam Gothi ad Romam obsidendam venissent, in qua tantas fecere strages, vt earum, ad hæc vsque tempora nostra, videantur vestigia atque superstites ruinæ. Super qua re S. Doctor arguté quærit, cur Deus non in aliud vsque tempus sanctissimum hunc sacerdotem in cælū aduocare distulerit? Cur illum imminentibus iam ingentibus hisce malis, illum vrbi Romanæ nō reseruauit viuum? Cur Romam in hisce extremis illius necessitatibus tanto protectore; tamque desiderabili atque opportuno adiutore priuare voluerit? Respondetque: *Idcirco raptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur* q. d. Nulla Deum alia ratio, vt illum in cælos euocaret, permouit, nisi quod verebatur, ne si in terris viuus esset superstes, ipse suis Deum precibus quasi compulisset ad delendam aduersus Romam decretam sententiam. Vnde patet Deum sancti illius Pontificis timuisse orationem, eo quod hæc æterni decreti sui retardatura fuisset executionem. Certum namque est quod si ille viuus atque in terris superstes ingentem hanc vrbis suæ intuitus fuisset calamitatem, vtique orationis suæ fune diuinæ iustitiæ manus ligaturus, Deumque veluti inuitum ad condonandum reis promeritum supplicium coacturus fuisset: *Tanta est precum quas sancti fundunt vis & violentia.*

Hieron. in vita S. Marcel.

11. In vitis sanctorum Patrum Historia quædam legitur admodum gratiosa. Nam Abbas Siloi ex discipulis suis nonneminem, cui nomen Abraham, grauiter tentatum, atque à Dæmone afflictum cernens, mox coram diuina præsentia genuflectens: Deumque pro iuuene isto afflicto instantissimè rogans dicebat: *Deus vis, non vis, non dimitto donec cures eum.* q. d. O Deus meus, siue tu velis siue nolis, ego in præsentiarum te nequaquam dimittere statui, donec prius afflictum hunc consolatus fueris discipulum. Quibus in verbis vtique notastis, quanta cum libertate sanctus hic Abbas cum infinita Dei Maiestate locutus fuerit, haud aliter quam si cum aliquo sibi coæquali locutus fuisset. Vnde Abbati huic ista temeritas, vt dicere Deo audeat: Necessum est, & siue velis, siue nolis, aliter fieri nequit, quin me exaudias, secus enim non te dimittam? Num fortasse Deum ligatum habuit & vinctum? Aut si fauorem istum Deus non statuisset concedere, qua ratione ad hoc illum potuisset adigere? Experientia

Vita Patr. lib. 6. c. 2.

tia haud dubiè magnus vir ille compertum habebat, precum illarum, quas amici Dei fundunt, efficaciam, atque ideò de conscientiæ suæ bonitate confisus, securus erat, quod Deus etiam inuitus quasi & nolens precibus suis acquiesceret. Adeo fortiter sancti diuinam amplectuntur ac stringunt misericordiam, vt Deus quasi inuitus (secundum modum loquendi nostrum) illis concedat ac tribuat quicquid ab illo expostulant & rogant.

Hæc ergo Cymbala sonare debent, quoties nos, qui peccatores sumus, non exaudimur à Deo. Hæc enim Chananeæ, mira cum facilitate, quicquid desiderabat, impetrarunt. *Discipuli eius rogauerunt eum.*

SERMO X.

In Feriam VI. Dominicæ I. Quadragesimæ.

Erat Ierosolymis probatica piscina.

Ioannis 5.

1 ANxiè semper intra memetipsum cogitaui, quodnam mundo nomen dari posset, quod suæ proportionatum esset peruersitati atque malitiæ. Et tandem depræhendi, me frustra in alio nomine quærendo desudare, siquidem aptius mundo nomen imprimi non potest, præterquam illud, quo à suis quoque asseclis & sequacibus passim appellatur, scilicet Traditor, *Mundus traditor.* De Lasthene magno illo traditore, qui Olinthum patriam suam tradidit, atque Philippi Macedonum regis manibus consignauit, Cælius scribit, quod cùm aliquando Regi de nonnullis aulicis suis lamentaretur, se ab ijsdem sæpe infami traditoris nomine appellari, eidem à Rege responsum fuerit: *Macedones natura rusticiores sunt ac rudes, ac scapham dicunt scapham*, quasi dixisset: Noli mirari quod traditorem, proprio videlicet nomine tuo, te appellarint. Hæc enim gens mea simplex est & valde rustica, nescitque res alijs nominibus aut vocabulis exprimere, præterquam ijs quæ omnibus passim in vsu sunt, vnde scapham aliter, quam scapham nominare nesciunt.

Cæli. Rhod lib. 8. cap. 3.

Pariter quoque mihi, quod mundum attinet, faciendum erit, Neque enim illum alio, quam traditoris nomine, vtpote, propria sua appellatione, vocabo, quo etiam nomine cum insolita quadam vehementia illum appellabat S. Pater Augustinus dicens: *O munde proditor, ô munde immunde, fallax, ac proditor.* Nunquam, nec vsquam vi sus est traditor similis, cui dum asseclæ eius, atque sequaces, extrinseca fictarum blanditiarum suarum specie seu figura ignoranter decepti, quasi amantissimi Patris brachijs innixi, confidunt, tandem se deceptos, millenisque malis inuolutos esse depræhendunt. *Munde proditor.*

August. ser. 3. ad Fratres.

Cuius ni fallor, egregium in præsenti Euange-

uangelio habemus symbolum, estque Hierosolymitana illa piscina, quæ non absque ingenti mysterio Hebraico *Bethsaida* nomine ab Euangelista describitur, quod idem in latino sermone, quod *Domus insidiantis*, significat. Sub cuius porticibus alij non morantur homines, præterquam ingens quædam languidorum multitudo, qui cœci, claudi, & aridi existunt. *Quinque porticus habens. In ijs iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum.* Simili modo mundus quoque domus est traditoris. *Domus insidiantis* In qua miseros illos, qui eidem simpliciter confidunt, mutilat, excæcat, & deperdit, dum huic oculos eruit, illi crura frangit, alterius sanguinem exsugit. Ideoque in diuersorijs suis, vel hospitijs, vix alios quam cœcos, claudos, & aridos videbis. Et primo quidem consideremus illos, quos traditor iste excœcat.

CONSIDERATIO I.

Cœcorum.

Adeo excœcati sunt homines mundi huius, vt sine proprij interesse perspicilio, ne ipsum quidem Deum cognoscant.

2. HErodotus de Crocodilo loquens dicit, illum aquis immersum cœcum, inde autem egredientem perspicacissime videntem esse: *Inter aquas cæcus, sub dio perspicacissimus.* animali huic homines in hac vita sunt simillimi, quamdiu enim in tempestuoso mundi huius marinatant, cæci sunt, inde vero foras prodeuntes, quales sunt, qui longum mundo valedicunt, nullum prorsus, quod à perspicaci illos visu remoretur, habent impedimentum. Vt proinde dici iure merito possit, mundum hunc amplam quandam esse piscinam, in qua ingens quædam, Crocodilorum istorum iacet multitudo. *Multitudo magna cæcorum.* Mundanos homines fallacibus hisce aquis immersos, cæcos esse, ex centenis argumentis luce clarius liquet; & quidem in particulari hinc vel maximè, quod videlicet neminem videre soleant, quantumuis amicum, benefactorem, (Herodot. Hal. lib. 2.)

optimeque notum, nisi proprij sui interesse vtantur perspicilio, sine quo ne ipsum quidem Deum cognoscere valent.

3. Cum Madianitarum Rex Balac certis quibusdam necessitatibus pressus Balaam ad se accersiri fecisset, de illius aduentu iam certior factus, eundem, vti refert Moyses, ingenti cum honore recipere voluit, vnde vt honorifice satis illi obuiã procederet, nõ solum è sua egressus est regia, sed & ex toto regni sui territorio: *Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum eius in oppido Moabitarum.* Quin honor iste valde ingens fuerit, nemo inficias ibit, talem enim ne ipsi quidem Reges sibi mutuo tribuunt, nunquã enim vnus alterum foris extra proprij regni sui fines excipit. Quod tamen Rex iste propriæ Maiestatis suæ veluti oblitus præstitit, dum extra regni sui statum Balaam obuiam procesfit. (Num. 22. v. 36.)

Et hoc quidem modo Balac Balaam adde aduenientem recepisse Moyses scribit: Qui paulo post dum de reditu eiusdem discurrere incipit, subiungit: *Surrexitque Balaam, & reuersus est in locum suum: Balac quoque via qua venerat redijt.* Postquam enim Rex Balac cum Balaam de rebus suis tractasset, quilibet illorum per viam suam ad propria redijt: Non dicit, Balaam aliquousque in reditu suo à Rege extra regni sui fines fuisse deductum, quemadmodum ab eodem rege in aduentu suo receptus fuerat, sed simpliciter sine vlla honoris significatione fuisse dimissum. Quis hoc non miretur. An non enim Balaam æque apud Madianitarum regem honorabilis, omnique beneuolentia & humanitate dignus in reditu erat, sicut in primo suo aduentu fuerat? An non idem met postea fuit, qui erat ante? Qui fit igitur, quod illi tanta cum pompa aduentanti obuiam processerit, quem sine vllo fastu aut reuerentia à se postea dimisit? (Ibid. 24. v. 25.)

Causam assignat Oleaster, dicens: *Solant Reges & principes, cum eguerint opera alicuius pauperis aut religiosi viri, magnam illis ostendere affabilitatem: quod dum fuerint consecuti, non amplius eos norunt.* Hic igitur Rex, quando Balaam ad se accersiri fecit, extremè eodem indigebat, vtpote qui opera & arte illius Hebræorum exercitui obtinere parabat victo- (Oleaster ib.)

 riam,

riam, ideoque dum illum proprij interesse perspicilio contueretur, extraordinarijs illum in aduentu suo affecit honoribus, atque regia cum magnificentia obuiam iuit: hac autem necessitate cessante; prædictoque perspicilio seposito, illum non cognouit amplius, nec quicquam æstimauit, adeo vt in ipsius reditu ne latum quidem se vnguem moueret. Atque hoc totum cum hisce circumstantijs à sacra scriptura recensetur, vt antiquam mundanorum innuat consuetudinem, qui in tantum te honorant, & reuerentur, tibique assurgunt, in quantum opera tua indigent, atque iuuari à te aut promoueri possunt. Proprio autem hoc interesse cessante, haud aliter, quam si te nunquam vidissent, tractant, cæci fiunt, & ne quidem tanquam proximum suum te recognoscunt: *Non amplius eos norunt.*

4. Diues Euangelicus Epulo post mortem ad infernalis ignis flammas relegatus, oculos suos sursum referente S. Luca, leuauit, vt Lazarum, qui in Abrahæ sinu lætus, beatus, festiuusque agebat, videret: *Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius.* Quam insolitum est ac peregrinum, diuitem, oculorum aspectu dignari Lazarum! Quoties pauperculo illo ad fores suas iacente, ingressus & egressus est, nec tamen vel semel illum dignatus est aspicere, quem tamen nunc procul adeo à se remotum respicere minime dedignatur? S. Petrus Chrysologus dicit: *Respicit ibi sursum, quem despexerat hic deorsum; & videt eum de inferno in sinu Abrahæ, quem iacentem coram se superbe de stigmate non videbat.* Nunc Lazarum intuetur, quia illum in cælo commorantem, se vero opis suæ indigum esse conspicit. Quando Lazarus nudus, vlceribus plenus, & famelicus ad fores suas iacebat, cæcus erat, nec videre illum poterat, eo quod illius ope minime indigeret: postea vero ad inferni condemnatus incendia, præ nimia siti ardens, per proprij interesse perspicilium, eo quod bonum aliquod, vel refrigerium ab illo speraret, quem iam incredibiliter in cælo prosperantem cognoscebat, illum videt, intuetur, cognoscit, optimeque considerat & attendit: *Respicit ibi sursum.* Eiusmodi sunt mundi istius homines, nihil vident, nisi ad propriæ suæ commoditatis motiuum & promotionem.

Luc. 16. v. 23.

Petrus Chrysol. serm. 124.

5. Moyses Barcephas existimat, Euam in terrestri paradiso existentem, tribus distinctis vicibus arborem scientiæ boni & mali fuisse intuitam. Primo quando Deus illam prohibuit. Secundo quando illi Dæmon, vt fructus illius ederet, persuasit. Tertio denique quando illos postea reapse manducauit. Prima vice arbor nec pulchra videbatur, nec turpis: Secunda vice videbatur pulcherrima: Tertia vero turpissima: *Primo neque pulchra neque fœda visa est, mox vero pulcherrima, postremo plane detestabilis est habita.*

Moyses Barcepha de Paradiso cap. 26.

Qualis arbor illa fuit, quæ in tot colores & formas in tam breui temporis spatio commutabatur: vt nunc fæda, nunc pulchra mox nec pulchra esse videretur nec fæda? Num forte fabulosus quidam erat Protheus aut ad instar chamæleontis de extremo ibat in extremum, à semetipsa semper varia atq; diuersa? Qua ratione tam pulchra secunda vice esse potuit, postea apparebat adeo deformis? Respondet hic Doctor, mutationē hanc & varietatem arboris, non ab arbore, sed ab animo processisse fœminæ, qui à semetipso semper erat diuersus & mutabatur: *Non quod arbor illa, sed quia fœminæ animus est mutatus.* Prima vice, quando illam sine interesse proprij intuita est conspiciliis, veluti talem, quæ nihil ad illam attinebat, vtpote, quæ nec vtilitatem nec damnum adferre poterat, nec pulchra illi videbatur, nec deformis: postea vero positis à Dæmone coram oculis eius proprij interesse conspicilijs, hoc est cum illi Dæmon promisisset in Deam se transformandam, mox vt de fructibus illi manducasset, ipsa subito, vtpote tanti honoris & incrementi cupidā tanti arborem illam æstimare cæpit, vt sibi arbor quædam ex Cælo Empyreo in Paradisum translata, non vero in Paradiso subnata esse videretur. Denique dum illam post commissum peccatum respexit, atque ex degustatis illius fructibus semetipsam, maritū, totamq; suam progeniem in perpetuam se præcipitasse ruinam cognouisset, truncus quidam illi

illi videbatur esse infernalis; Neque tunc & deinceps arbor illa oculis suis, vti antea, pulchra & spectabilis, aut cælestis amplius videbatur eo quod iam proprii interesse non amplius vteretur conspicilio. Ordinaria namque est hominum mundanorum cōditio, vt te nec honorare, nec alicuius æstimare, aut respicere dignētur, nisi id illis vtile sit atque proficuum, aut aliquam tui habeant necessitatem.

6. Progrediamur vlterius. Refert Moyses, quod Iacob Patriarcha in Ægypto mortuo, filij eius ad Ioseph fratrem suum inquirendum abiuerint, ipsumque profunda cum Reuerentia in terram prostrati adorarint, se iam non fratres, sed seruos eius esse profitentes; *Veneruntque ad eum fratres eius, & proni adorantes in terram, dixerunt; serui tui sumus.* Stupēda res est isthæc. Vnde nāque tanta nascitur nouitas atque mutatio? Nuper Iosephum occidere decreuerant, quia ipsos vna cum Patre & matre simul se adoraturos esse somniauerat, qua igitur ratione nunc illum adorant? Gen. 50. v. 18.

Oleast. ibi. Respondet Oleaster: *Quoniam videbant se illius ope indigere.* Quoadusque Ioseph in domo erat parentum suorum, iisdemque adorationis suæ futuræ referebat somnium, nec eius aliqua in re ope indigebant, aut fauore, non solum illum nunquam amicabiliter dignabantur aspicere, verum insuper persecutionibus illum infestabant acerrimis: Posteaquam vero illum tanta cum gloria & Maiestate in Ægypti regno magnificatum conspexere, vtpote à cuius manu tota illorum fortuna simul ac vita dependebat, proprij iam interesse conspicilio, fixis illum oculis intuebantur, honorabant, & veluti quendam in terra Deum adorabant. Natura namque est hominum mundanorum, neminem nisi per conspicilium istud recognoscere, vtpote sine quo cæci semper existunt.

7. Ioseph Patriarcha (de quo iam modo locuti sumus) in eodem cum regio Pharaonis pincerna carcere existens, cui etiam sanctus iuuenis magnū, quoad interpretationē somnij præstiterat obsequium, vtpote quæ felicissimē eidem, prout dixerat, euenit, hic inquam, pincernam eundem anxiē deprecatus est, vt deinceps aulæ regiæ, & pristinæ apud Dominum suum gratiæ restitutus, sui vtpote, qui iniuste mancipatus carceri fuerat, meminisse aliquando coram Rege dignaretur: *Memor esto mei per temetipsum, cum bene tibi fuerit, & facies in me misericordiam & memor eris mei.* Ita namque legitur conformiter lectioni septuaginta. Quo in scripturæ loco obseruetis velim, illum bis petere sui bonam apud Regem memoriam haberi: *Memor esto mei. Et memor eris mei.* An non sufficiebat verba isthæc semel dixisse, vt quid igitur eadem iterato repetit? Nequaquam id sufficiebat, dicit S. Ambrosius, sed necessum erat iteratis verba illa vicibus repetere, & rationem assignat: *Ideo secundo repetiuit. Memor eris mei, quia sciebat non recordaturum. Cito beneficii irrepit obliuio secundis rebus.* Gen. 40. v. 14. Ambr. de Ioseph. c. 6.

Laborabat pauperculus ille captiuus, vt pincernæ recētem & efficacem necessitatis suæ suggereret memoriam, sciebat enim sibi cum homine quodam mundano & aulico intercedere negotium, quibus propriū est, alium nosse, magnisq; illum promissis lactare, quamdiu eius indiget seruitio vel subsidio, oculisq; suis proprii sui interesse obueratur conspicilium. Oculos vero suos prorsus claudere, nec amplius respicere, cognoscere, aut recordari illius, postquam illa præterit occasio, & semotum est conspicilium prædictum ab oculis. Etenim quemadmodū iudicauit & præsagiuit, ita reuera euenit; postquā enim pincerna iste pristinus in aula honoribus & fauoribus fuit restitutus, neque Iosephi ope amplius indiguit, illius subito ita prorsus oblitus fuit, ac si eundem nunquam alias vidisset.

8. Cum iam captus esset Christus Dominus, & in Caiphæ introduceretur curiam, S. Ioannes quoque in eius societate eo ingressus est, idque quia, vti ipsemet refert, Pontifici notus admodum erat: *Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis.* Circa quem locum, me, nescio quænam incessit curiositas, desideriūque sciendi causam huius notitiæ, Caipham inter & S. Ioannem intercedentis. Mirum namque mihi videtur, hominem aliquem tantæ considerationis & authoritatis, aliqua speciali notitiæ demonstratione dignari pauperculum quendam piscatorem, cuiusmodi Ioannes erat, eo vel maximè, Ioan. 18. v. 15.

CONSIDERATIO II.

Claudorum.

In mundo tot tantique sunt traditores, vt nec Parentes in filijs nec filij in Parentibus fidelitatem aliquam reperiant.

1. PEtrus Berchorius vir eruditissimus dicit, claudicare proprium esse hominum fraudulentorum & traditorum: *Propriè autem traditores claudicare dicuntur.* Sicut enim claudi directe ambulare nesciunt, ita traditores in amicitijs suis non procedũt recte simpliciter, & confidenter, sed fraudulenter, & dolose. Dum igitur in mundi huius porticibus ingens quædam claudorum multitudo conspicitur: *Multitudo magna claudorum* quid per hoc aliud innuitur, quam quod sectatores mundi huius potiori ex parte falsi amici, familiares, fraudulenti & traditores existant? quos ille veluti magnus quidam magister, enormiumque proditionum mille artifex in schola sua docuit & erudiuit? Tot hodie in mundo sunt traditores, vt vix conditio aut status aliquis cognosci possit, in quo doli ac fraudes locũ suum non habeant, adeo vt parentes proximo licet sanguini confidentes, deceptos se tamen persæpe comperiant, neque de Parentum affectione filij nec de fidelitate filiorum parentes securi viuere possint.

Berchor. verbo Claudicare.

2. Nulli vnquam hominum similes honores atque applausus delatos esse credo, quales ij fuerunt, quibus populus Hierosolymitanus Christum, in die quo vrbem illorum triumphaliter ouãs ingressus est, recipere, voluit. Propria, pedibus Asinæ cui Dominus insidebat, substrauerunt vestimẽta; ad ornanda platearum compita, frondes decidebant arborum; palmas denique in manibus ferentes, cantantes item & psallentes, ipsum verum mundi saluatorem esse confitebantur. Paucis autem post diebus, capto & morti adiudicato Christo, Pilatus qui ipsum ab hac mortis sententia cupiebat esse liberum, quia magnam populi affectionem erga ipsum non in solo illius in vrbem nupero ingressu, verum alias quoque varijs in occasionibus demonstratam viderat, ideoque firmiter sibi persuasum habebat, fore, vt occasione priuilegij, quo in Paschate malefactorem aliquem à mortis eripere sententia poterant, Christi à morte ereptionẽ pro singulari gratia sibi indulgeri petituri essent, hanc illis occasionem suggessit; verũ eius, quod imaginatus sibi fuerat, contrariũ omnino accidit. Siquidem ipsi non solum Christi liberationem à Pilato non poposcerunt, verum etiam vno ore crucifixionem eius instantissime sollicitarunt: *Dicunt omnes crucifigatur.* S. Laurentius Iustinianus nouitatem, subitamque mutationem hãc summe demiratus, quærit: *Quid egit hic? quid interuenit? quid accid t noui? vt vox sanctitatis & laudis, in vocem liuoru & blasphem. a sic repente mutata sit?* Et respondet: *Hæc profecto est populi huius antiquata malitia*: suaque ordinaria homines tradendi, consuetudo est illos scilicet honorifice excipere postea vero mortem illis procurare.

Matth. 27. v. 23.

Laur. Iustinianus de agone Christi c. 16.

Id vero quod in hoc scripturæ loco quã maximè notandum venit, est, quod in huius tradimenti enarratione, non de vna sola hominum conditione vel sorte tractetur, sed de integro quodam populo seu ciuitate: *Dicunt omnes crucifigatur.* Totus ille idem populus, qui Christum paulo ante honorificentissimè excepit, eiusdem tempore mortis suæ vnanimi consensu traditor extitit. Id quod factum est, ad demonstrandum, quantæ in mundo sint fraudes, deceptiones, & tradimenta, & quã ratione in eo traditiones adeo inualescant, vt in populosissima quadam ciuitate, vix vllus inueniatur, qui falsus hypocrita non fuerit aut traditor.

Vt proinde S. Ioannes Chrysostomus dicere non dubitet: *Et vbi obsecro hodie non regnat proditio? Nonne omnes aduersus inuicem surrexerunt? omnes ferme proditores facti sunt, & se inuicem oderunt, gens in gentem, regnum aduersus regnum? Principes contra sui similes, Episcopi contra Episcopos, & presbyteri in presbyteros, & laici aduersus laicos.* Quodnam erit regnũ illud, quæ patria, vel natio, quænam denique reperiri ciuitas poterit, in qua proditiones non regnent? An non videtis

Chrysost. de Consum sæculi.

detis quemlibet fraudes aduersus suum moliri collegam vel sodalem, regnum aduersus regnũ &c. quasi dicere voluisset. Nulla prorsus in mundo pars reperitur, neque persona, à qua fidelitatem expectare quis possit? *Vbi hodie non regnat proditio?*

3. Cum S. Petrus Apostolus in naui sua existens, in mari à longe Christum Magistrũ suum sicco vestigio ad se directo aquis inambulantem vidisset, mox facultatem pari ratione aquas calcandi, in ijsdemque ambulandi expetijt, quam & obtinuit. Hac igitur obtenta, Apostolus haud aliter mare inambulabat, quam si per terram firmam iter fecisset: *Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam.*

Matth 14. v. 29.

Vbi merito quærendum, vnde id S. Petro acciderit, quod Aquas sine vllo submersionis periculo sicco quasi vestigio calcauerit? Mihi autem id quærenti S. Anselmus respõdet, causam huius fuisse amorem, quo erga Dominum suum ardebat, cuius virtute fiebat, ne mare illũ submergere vllatenus posset. Sanctus enim pater iste sensum Literalẽ dimittens, & mundum per mare intelligens, ita discurrit: *Amas Deum, ambulas super mare, sub pedibus tuis est sæculi tumor. Amas sæculum, absorbet te; amatores enim suos vorare nouit, non portare.* q. d. Quod si Deum amaueris, mare mundi huius non magis te, quã S. Petrum Apostolum submergere poterit: Si mundum dilexeris, impossibile tibi erit, vt eius euadas periculosa naufragia, proprium namque huic traditori est, suos deuorare amatores.

Ansel. Exa Euang in cap. 14. Matth.

Vnde solis Dei amicis exceptis, qui ad instar S. Petri mundum contemnunt, & oderunt, omnes alij in fallaci mari isto, absq; submersionis periculo, pedibusq; siccis, ambulare nequaquã possunt. Quotquot enim mundum hunc amant, illi seruiunt, illũ sequuntur, in amoris & seruituris suæ reciprocationem nil nisi fraudes & dolos reportare poterunt. Vnde quamdiu in mundo vixeris, siue in aula, siue in platearum publicis compitis, siue in foro, aut alio quocunque in loco fueris, in mari procelloso te esse, firmiter tibi persuadeto, nam sicut quamdiu in mari existis, vbicunq; demum sis, nullibi locum inuenire potes, in quo pedem tuum confidenter figere, teq; assecurare possis. Sic in mundo, veluti turbulento mari, nullam eius plagam, regionem, terram, aut domicilium vbi securus viuere possis reperies, aut vbi conuersando fæliciter, sine dolis, & fraudibus commorari queas, adeo in mundo isthoc multiplicati & dilatati sunt traditores, vt nec minimus in terra palmus sit, vbi confidenter & securè conuersari queas.

4. Deuotissimus Thomas de Kempis hac in re certificatus, simpliciter quidem sed grauiter & vere dixit: *Quam sæpe ibi non inueni fidem, vbi me habere putaui?* Quibus verbis dicere volebat, mundum proditionibus, falsisque dolis adeo esse refertum, vt deceptum te inuenias ibi, vbi te cum securitate dormire & viuere existimabas, totus enim mundus hominibus fraudulentis atque peruersis est plenissimus.

Thomas à Kempis de imit. Christi lib. 3. cap. 50.

5. Postquam vna Romani exercitus pars, ingens illud humanæ generationis monstrum, Antonium Heliogabolum in Romanorum Imperatorem elegisset, vt alteram quoq; eiusdem exercitus partẽ, quæ à Macrino Imperatore emissa, armata manu sese alteri opponens contradicebat, in eandem quoque animi sententiam pertraheret, inter alias quas hunc in finem adhibebat sagacitates ac industrias, vt scribit Herodianus, multos saccos pecunijs refertos, in altum eleuabat & ostendebat, quos quidem saccos, proditionis escam, idem author appellat: *saccos quoque nummorum plenos, escam videlicet proditionis attollere.* Vbi notandum, pecunias esse escam quandam tantopere desideratam, tamque ardenter ab huius mundi hominibus exquisitam, vt nulla excogitari difficultas possit, quæ illos ab illa deglutienda, vbi occasio datur, morari, aut deterrere, seu impedire possit, licet enim grauem inde infamiæ notam contrahendam, aut Deum offendendum, aut æternæ damnationis reatum contrahendum esse, aut euidens præsentis vitæ periculum sibi per illam imminere sciant, illam tamen, vbi aliqua illius acquirendæ præsto est occasio, minime dimittunt. Vnde sequitur, quod cum sub hac esca, quam tãta cum fame, & ardenti desiderio cuncti mundani appetunt, fraudes, doli & tradimẽta sint inuoluta, fraudes illæ atq; proditiones

Herodia. l. b 5.

nes omnibus quoque hominibus censeantur communes: cumque plenus sit mundus hominibus cupidis & auaris, plenum quoque esse fraudibus & deceptionibus.

6. Dum Festum tabernaculorum Hierosolymis, magna cum solemnitate celebraretur, ad quod ex omnibus Regni Iudeæ partibus Hebræi solebant confluere, Christus à cognatis & parentibus suis enixè rogatus fuit, vt vna cum aliis ad prædictam se solemnitatem reciperet, vt videlicet hac ratione solita coram peregrinorum eo copiosè confluentiū oculis miracula manifestando, tanto magis ad suam doctrinam consectandā suos confirmaret discipulos: *Dixerunt ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudaā, vt discipuli tui videant opera tua, quæ facis.* Ioan. 7. v. 3 Mihi ne intentionem horum explicare nostis, qui sub hocce motiuo Christum Hierosolymas sese recipere vrgebant? Forte respondebitis, factū id esse, ob vanam gloriā; valde namque sibi gloriosum fore æstimabant, si mundus Christum nepotem suum admirabilē adeo Thaumaturgum esse conspiceret, S. P. Ioannes Chrysostomus aliam quondam huius rei causam excogitat: *Fortasse enim* inquit, *eum tradere Iudæis consultabant.* Chrysost. hom. 27. ibid. Facile namque illis erat, vt si occasione festi huius in Ierusalem abiret, de eo tradendo, & in manus inimicorum suorum consignando tractarent. Erant enim Ierosolymis præsentes inuidi Pontifices, & perfidi Sacerdotes æmuli sui nihil aliud quærentes aut molientes, quam vt illum crucifigerent, & morte afficerent.

Vnde si ipsemet cælorum Rex Christus, cum parentibus suis, cumque ijs quibuscum proprij sanguinis proximum habebat participium conuersando, à proditionibus non erat securus, facile cogitari potest, qua ratione cum alijs, qui eius cognati non erant, viuere potuerit. Quodsi tu in hoc mundo domi propriæ, inter eos, qui in eodem prorsus tecum sanguine participant, subsistens, fraudes deprehendis atque deceptiones. Quid foris inter illos, qui sanguinem habēt prorsus extraneum, nec te vnquam cognouerunt, præsumi poterit? Certus esto, quod quoadusque hoc in mundo conuersatus fueris, nec angelum quidem reperies, vbi fraudum laquei non sint extensi.

7. Refert Diodorus Siculus, Charondam Græcorum legislatorem inter cætera ordinasse, vt pupillus, cui Pater opimā post se reliquisset hæreditatē, curæ subesset atq; tutelæ eorū parentum seu cognatorum, quos ex parte matris habebat: facultates autem, tutelæ eorum, quos ex Patris sui parte haberet, subiacerent. Quam legem prima facie nonnemini, cū exiguo iudicio conditā fuisse videri posset. Cum enim hæreditatis administratio, ex hac lege paternorum cognatorum tutelæ subiacere debuerit, cur non ijsdem ipse quoque committebatur pupillus? Anne istud rationabile tibi videbitur, vt dum vnus emolumento gaudet, alius oneribus & grauaminibus solis subiaceat?

Subdit hic author, legem istam non tātum magno cum ingenio & admiratione fuisse conditam, verum etiam talem esse, quæ bene illam consideranti, admiratione videri dignissima posit, assignatque hoc legislatoris motiuum: *Paternis enim cognatis insidiandi facultas erepta est, quippe quibus nulla Corporis vitaque contractio nullum arbitrium datum sit.* Diod. Siculus lib. 12. q. d. Per hanc legem tollitur à cognatis pupilli paternis, omnis illum tradendi vitaque priuandi occasio, quodsi enim eorundem curæ educandus fuisset commissus, in euidenti semper fuisset vitæ periculo, ne videlicet, ob concupiscentiam Hæreditatis, cui inhiabant, pupillum forte occidissent. Atque ideo quia sapiens vir ille affatim cognoscebat, adeo mundum traditoribus esse refertum, vt ne quidem domi suæ propriæ de vita sua quis possit esse securus, hinc timebat, ne ex spe & occasione lucri à prædicta hæreditate deriuātis, in proprij sui sanguinis viscera desæuirent, & mortem pupillo machinarentur.

8. Curiosus semper & cupidus extiti sciēdi causam, cur Abel, qui sexaginta facile annorū vir erat, ideoque generose, aduersus violentiā sibi à fratre suo germano illatam, tueri se potuisset, attamen instar paruuli cuiusdā pueri absq; vllo resistentiæ conatu, à Caino fratre suo se occidi permiserit? Tandē causam huius in S. Gregorio Nysseno inueni, qui existimat, Abel traditoriè occisum fuisse: *Amicū enim, atq; benignū vultum fingēs, procul ab auxilio & præsidio parentum illum in* Nyssen. orat. 5. de beatitud.

campo

campo produxit, atque ita deinde cæde inuidiam detexit. Quando sceleratissimus Cain suas in innocenti fratris sanguine commaculare manus decreuit, vultum mox finxit benignum & amabilem, ipsumque sub hoc colore, procul à paternis maternisque oculis foras seduxit, quibus fictis blanditiis, falsaque beneuolentia simplex ille iuuenis deceptus, nihil sibi mali de fratre suo persuadere, nec se ab illata violentia tueri valens traditoria manu trucidatus & mortuus est.

Quo in fratricidio velim vos aduertere, quod tametsi tunc, in synceriſsima simplicitate, & confidenter in mundo viueretur, vtpote tempore originalis innocentiæ statui viciniſsimo, & licet plures adhuc, quam duo isti in mundo fratres non essent, qui proinde fideliter & syncere se mutuo debuissent diligere, nihilominus inter duos illos odium regnarit, & fraudulentia maligna, & vnus fratrum illorum, qui ex eodem cum altero ventre prodierat, traditor alterius extiterit. Quæ cum ita sint, quid de nostri temporis fraudibus futurum erit, quibus synceritas omnis & recta simplicitas in obliuionem totaliter abiit? Quod si tunc frater fratris traditor fuit, quomodo nunc, cum malignitas in mundo plus quam alias vnquam dominatur, ad quiete ac securo corde viuendum cōfidere poterimus?

9. Vtique admirabilem stragem illam intellexistis, quam Sennacherib Rex Assyriorum, vrbem Hierosolymorum obsidens, est perpessus, quando Angelus quidam à Deo missus, in vnica nocte numerosum centum octuaginta quinq; milliū virorū exercitum interemit. Dicit autem sacer textus, quod ex memorabili illa tot milliū virorum internecione, solus Rex euaserit, qui inde in ciuitatem Niniuen fugiens, ibidem modico post tempore, dum in templo idoli sui oraret, à duobus filiis minutim cōcisus & trucidatus est: *Cumq; oraret in templo Nesroih Deum suum, Adramelech, & Sarasar filii eius percusserunt eū gladio.* *4. Reg. 19. v. 37.*

Quod si causam scire cupitis, ob quam hi duo iuuenes, Patrem suum nequiter tradere & occidere non dubitarint; Nicolaus Lyranus super hunc locum Rabbi Salomon causam illam assignantem citat, qui dicit, quod ex quo Principes Regni Sennacherib certo cognouerant, filios & cognatos suos ob supremam regis superbiam, & quas aduersum verum ac viuum Hebræorum Deū euomerat blasphemias, ab Angelo fuisse occisos, clam de eo se vindicare ipsumq; trucidare decreuerint, cuius rei Rex certior factus sui in templo ad Deum suum sumpsit confugiū, eundemque inuocās promittebat illi, quod si illius interuentu hocce euaderet periculū, ambos in eius honorem certo sacrificaturus esset filios. Quod Patris propositum hi duo eius filii rescientes, maiori sollicitudine illi Patrē occidere, quam Pater illos sacrificare studuerint.

Qua in historia duo terribilia continentur tradimenta, Patris scilicet erga filios, & filiorum aduersus patrem, nullo alio fine huc relata, nisi vt euidenter demonstretur, fraudes & imposturas adeo in mundo invaluisse, vt nec Pater a filiis, nec filii à patre securi viuere possint.

10. Similem prorsus casum scribit Iustinus Historicus de Borusia Rege Bythiniæ, qui Nicomedem primogenitum suum occulte quærens occideree, vt alii filii quos ex alia quadā fœmina genuerat, in Imperio suo possent sucedere, ab eodē Nicomede filio suo ab improuiso occisus fuit. Quod si igitur nec apud Patrē filij, nec Pater apud filios fidelitatē in misero hoc mūdo reperiunt, quænā fidelitas sperari poterit apud extraneos? In tātū igitur mundus repletus est claudis, vt si oculos haberes bene apertos, vtique visurus esses etiam proximos consanguineos tuos, domi tuæ non syncere, sed traditorie agentes. *Multitudo magna claudorum.* *Iust. Hist. lib. 34.*

CONSIDERATIO III.

Aridorum.

Tot & tanta sunt hominum mundi huius ad respondendum vanitatibus suis obligationes, vt pro seruitio Dei exhausti semper inueniantur & aridi.

1 MVndus iste alter quidam Vespasianus Imperator esse videtur, qui vt Suetonius Tranquillus scribit, ad hoc vt vrbis Romanæ ærariū, Neronis prodigalitate exhau- *Sueton. Tranq. in Vespas.*

exhaustum, readimpleret, ad extremam omnes redigebat pauperiem, quotquot sibi obuios habebat diuites, iisdemque se vti dicebat *Pro spongiis*. Postquã enim ab iis veluti à spongiis, omnes quas possidere poterãt, facultates expressisset, tandem ad instar aridæ, prorsusque expressæ spongiæ, omni facultatum substantia spoliatos, pauperes & inopes dimittebat. Eodem enim pro suo modo, suos quotidie mundus tractat. Quia dum illos, ad tantas vanitates, tantosque sumptus continuandos obligat, adeo illos continuo premendo, omnibus quæ possideat, priuat, vt pro Dei seruitio, animarumque salute, ne vel vnicum superstitem teruncium seruent. Vnde ijdem quoque in cæcorum claudorumque contubernio sub fallacibus illius porticibus miserabiliter iacere conspiciuntur. *In his iacebat multitudo magna languentium cæcorum, claudorum, aridorum.*

2. Vocauit Deus quondam Ezechielem Prophetam, eidemque hæc præordinauit præcepta, dicens: *Sume tibi gladium acutum, radentem pilos, & assumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam, & assumes tibi stateram ponderis, & diuides eos: tertiam partem igni combures in medio ciuitatis: & assumes tertiam partem: & concides gladio in circuitu eius: tertiam vero aliam disperges in ventum.*

Ezech. 5. v. 1.

Pro cuius loci intelligentia supponendũ prius est, Hugonem Cardinalem hunc locũ exponentem, per capillos Prophetæ, & per pilos barbæ eius, vtpote quæ sunt partes necessitati humanæ vitæ superfluæ, mundi huius diuitias intelligere, quæ humanæ vitæ necessitati superfluæ quoque sunt.

Hoc supposito quæro: qui fiat, quod ex omnibus mundi diuitiis, tres tantum partes fieri iusserit, non vero quatuor? cum tamen rectam rationem consulẽdo, illæ in quatuor partes diuidi omnino debuissent, cum enim tres illarum partes interire voluerit, vtpote cedẽtes in prædam partim igni, partim gladio, partim vento, merito pars quarta in egenorum reseruari debebat subsidium, neq; enim bene conueniret, vt pauperculi illi nudi & fame afflicti omnino desererentur.

Vt huic quæstioni respondere possimus, videndum est primo, quid Cardinalis ille per ignem, quid per gladium, quid denique per ventum intelligat, quibus mundanorũ hominum diuitiæ ordinariè relinquuntur in prædam, qui hæc omnia hunc in modum explicat: *Diuitiarum prima pars in ignem, secunda in ventum, tertia in gladium traditur. Quia diuites huius mundi suas diuitias expendunt, alii in ignem libidinis, alii in vẽto superbiæ, & fauore laudis humanæ, alii gladio cedunt pilos suos, qui diuitiis suis lites ac bella nutriunt.*

Hugo Cardinal. ibi.

Quicquid habere aut possidere potest homo mundanus, id totum consumit, aut per ignem luxuriæ, inde malæ famæ sustentando ac vestiendo mulieres, quotidie epulando, aut denique præstigiatrices aliasque pessimas personas præmiando: aut vero illud in ventum superbiæ dispergit; sumptuosa fabricando palatia, superbis illa aulæis vestiendo, integras denique seruorum ephebōrum, adulatorum, morionum, similiumque aliorum aulicorum conducendo turbas: aut vero gladio illud cedit in prædam, omnem substantiam suam, in ordinarias prodigendo lites, perpetuas inimicitias, & persecutiones. Vnde cum hæc interesse, ad quæ suos mundus quotidie obligat, tam sint ingentia & innumera, vt ad illa adæquanda, non ea tantum quæ etiamnum possidentur, non sufficiant, sed ne ipsæ quidem Midæ aut Crœsi correspondere diuitiæ possint: inde fit, quod mundi huius diuites, adeo ad omnia prodigenda & consumenda cogantur, vt pro Dei pauperumque seruitio, ne nudum quidem panem habere possint superstitem. Ideoque ex tot diuitiis quarum in mundo tam abundans est vsus, ne minimam quidem pauperibus reseruãdam inuenire particulam potuit. Vt hinc intelligatur, mundum adeo fortiter & violenter suos pro vanitatibus suis explendis premere atque emungere, vt pro curanda animarum suarum salute, & promouendo Dei seruitio, aridi & sicci omnino remaneant, vt ne de vno quidem obulo disponere possint.

3. In parabola, seu vt melius dicam, Historia diuitis Epulonis dicitur, pauperem Lazarum ad sæui & crudelis Tyranni huius fores iacentem, tanta pressum necessitate fuisse, vt micas, quæ de prodiga diuitis mensa cadebant, quæ aliis in domibus canibus cedere solent, expetierit, nec tamen obtinere

Luc. 16. v. 21. nere potuerit: *Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat.* O rem summe mirandam! Quidnam diues hic Epulo de micis istis facturus erat? Quamnam inde elicere vtilitatem poterat, vnde illas miserabili huic homini dare prohiberetur? Quidnam diuitiæ illius damni pati poterant ex eo, quod partem illarum pro amore Dei erogaret? S. Petrus Chrysologus idipsum considerans, dicit, quod vere illi dare non potuerit: *Verum est, verum est quod diues, nec micas dare possit, semper auarus egot.* q. d. In tanta diues ille, constitutus erat miseria, vt non solum Lazaro, vnum duntaxat panem dare non potuerit, verum nec ipsas quoque micas, quæ à diuitis mensa cadebant. Tot enim diuites mundani, & tam ingentibus obligationibus, pro vanitatibus suis manutenendis subiacent (videlicet vt superbè ac pompose vestiantur, vt tanto quotidie cum splendore ac magnificentia epulentur, vt tot sustineant famulorum turbas, tot in stabulis equos, tot venationi aptos & expeditos canes) vt tot ingentibus sumptibus ad fundum vsque expediendis, opus sit ad minutissima quæque, imo ad ipsas vsque micas, quæ à diuitis mensa deciduæ erant, oculum semper vigilem atque directum tenere, vt ne illas quidem mendico Lazaro pro Dei animæque suæ obsequio dare possit. Ita enim pro vanitatibus suis continuandis mundus omnia consumpserat atque expresserat. *Vt nec micas dare posset.*

4. Alexander Aphrodiseus pulcherrimum quoddam proponit problema, videlicet, vnde proueniat, quod cùm natura cunctis animalibus vesicam dederit & renes, illa tamen auibus attribuere noluerit? hæ namque tametsi continuo bibant, nunquam tamen mingunt: Responderque: *quia multa indigebant humiditate, vt oriri pennæ atque increscere possent,* hanc autem humiditatem alia animalia pennarum expertia per renes & vesicam foras emittunt. Aues autem humorem in pennas adhibentes siccæ sunt, nec multis humoribus obnoxiæ.

Alexand. Aphrodis. in probl.

Faciamus nos quoque aliud, ad propositum nostrum, simile problema, quæramusque qui fiat quod tales nobiles, tales Prælati, tales curati qui vltra ordinarios, quos tanta in abundantia possident, reditus, tantum insuper quotidie lucrantur, & acquirunt, nec pauperis tamen sanguinem bibere intermittant, cur inquam tales, in Dei promouendum obsequium, & procurandam animarum suarum vtilitatem, adeo sint aridi & sicci, vt in egeni alicuius subsidium, manum bursæ apponere nunquam videantur, tametsi pro solo etiam pane magna cum importunitate fuerint sollicitati? Cui quæstioni eadem, qua Aphrodiseus suo satisfacit problemati, inseruit responsio: *vt oriri pennæ atq; increscere posset.* Ratio cur eiusmodi pro Dei seruitio, suarumque animarum salute adeo aridi sint & sicci, est, quia pennas sibi oriri atque increscere cupiunt, hoc est, volunt superbe vestiri, laute epulari, integrum seruorum, Epheborum, Gynecæi, aliarumque superfluarum personarum nutrire exercitum, suspici, denique & adorari veluti mundi totius stupor atque prodigium: Quia sibi titulum, eo quem de facto possident, longe procurant maiorem; quia maioris lucri & honoris Ecclesiam, quam sit illa, cui actualiter deseruiunt, ambiunt, in altiorem sublimioremque euehi locum cupientes, quam sit ille quem de facto possidet; hinc inquam accidit, quod vt suæ satisfaciant elationi atque superbiæ, qua sibi pennas oriri atque increscere cupiunt omnes facultates suas prodige effundant, adeo exsiccentur & arestant, vt nec vnicum pro amore Dei panem dare possint, *vt oriri pennæ atque increscere possint.*

5. Christus Dominus noster ex vrbe Iericho aliquando egressus, certum quendam cæcum sibi obuium habuit, Bartimæum nomine, filium Timæi, qui secus viam, qua Christus veniebat, sedebat, Eleemosynam exposcens: *Proficiscente eo de Iericho, & discipulis suis & plurima multitudine filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat iuxta viam mendicans.* Hugo Cardinalis dicit, quod *Bartimæus* in latina lingua idem sit, quod *filius floridi, & Timæus, floridum* significat. Quo nomine diuitem quendam in hoc mundo florentem intelligit. Et hæc quidem omnia optimè dicuntur. Veruntamen id quod ego à vobis notatum velim, hoc est, quod Bartimæus iste in via steterit mendicans: *Iuxta viam mendicans* Qua enim ratione possibile est, vt is, qui in hoc mundo diues est, ac floridus,

Mar. 10. v. 46.

tidus, in hoc mundo mendicet? Pauperes & egeni mendicant, & Eleemosynam exposcunt, non vero diuites. Enimuero id vobis minime mirum esse videatur. Quotquot enim in hoc mundo florent, vt continuatim florere possint, tandem vilissimè mendicant. Vt floridam splendidamq; mensam, ingentem seruorum numerū, diuitem aulæorū & tapetum peregrinorum, nec non & pretiosarum vestium suppellectilem, stabulum denique generosis equis refertum sustinere possint, mēdicare coguntur. Cū enim ordinarios, tot vanitatū quibus dediti sunt, abysso necessarios census adæquare non possint, turpiter sæpe ab hoc & ab illo homine faculeoso seu mercatore mendicant. Mundus enim ipsos in hisce stultitijs adeo immersit, adeo stricte eosdem similibus vanitatibus astrinxit & obligauit, non solum ijs omnem Eleemosynas faciendi potestatem ademerit, verum insuper adeo eosdem pressit, vt illos ad colligendam ostiatim stipem adegerit, imo nisi verecundarentur, publice & iuxta viam ad instar Bartimæi mendicarent.

6. Ipsemet incarnatus Deus de ijs, qui vere in hac vita beati existunt, agens, inter cæteros ipsos quoque connumerauit famelicos: *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Luc. 6. v. 21. Isidorus Clarius super hunc locum quærit, cur Deus in scriptura sacra famem diuitum adeo acriter repræhendat, cum esurientes ipsiusmet Filij Dei ore hic pronuntientur beati? *Beati qui nunc esuritis.* Et respondet: *Esuriunt quidem diuites, sed nunquam implentur, nunquam exsaturantur.* q. d. Non de quacunque esurie Christus hic loquitur, sed de tali quæ satiari aliquando poterit, ideo namque subiungit: *Quia saturabimini.* Non igitur de illa loquitur, quæ insatiabilis existit, qualis est illa diuitum esuries, quam Deus planè abominatur. Vocatur autem fames illa insatiabilis, non solum propter animi ipsorum cupiditatem, quæ nunquam satiari videtur; verum etiam propter obligationes quas habent infinitas, quibus, vt innumeris quotidie vanitatibus suis correspondeant, obstringuntur. Propter illas namque semper quasi fame cernuntur enecati, semper egeni; & tametsi totius Reipublicæ Romanæ gauderent censibus

Isid. Clar. orat. 7. ibi.

atque reditibus, semper tamen magis magisque appetunt atque desiderant. Cum igitur tanta continuo à mundo opprimantur violenta extorsione, non est possibile, vt pro Dei amore & propria salute, vestis aliqua licet obsolentissima extorqueri ab ipsis possit: *Nunquam implentur, nunquam exsaturantur.*

7. Postquam Deus Moysi illud, quod à leproso, pristinæ iam sanitati restituto in sacrificium offerendum erat, ordinasset, subiunxit: *Quodsi pauper est, & non potest manus eius inuenire quæ dicta sunt, pro delicto assumet agnum ad oblationem.* Leuit. 14. v. 21. Vbi Oleaster dicit: Tametsi Deus aliquem circa paupertatem leprosi subleuandam habuerit respectum, nolens idem ab illo offerri, quod offertur à diuite; videtur tamen quod Deus illum adhuc satis aggrauet, sæpe namque in tota pauperculi facultate tot non reperiuntur pecuniæ, quæ agno comparando sufficiant; vnde videtur Deum illi magis compati, & rem viliorem illi oblationis loco præscribere debuisse. Qua ergo ratione fit, quod tametsi pauper existat, agnum sibi tamen comparare debeat? *Assumet agnum ad oblationem.*

Et assignat huius quæsiti sequentem rationem: *Sunt multi, qui solum erga Deum paupertatem ostendunt, qui pecunias sufficientes habent ad cibum & potum; & quod deterius est, ad ludum, ad fornicationem, & ad vitia nihilque ad pauperes, & ad pia opera se habere dicunt. Hic vero Dominus præcipit, vt quantumcunque sit pauper, offerat tamen agnum Domino: quoniam qui ad nutrienda vitia diues est, pauper esse non debet ad sustentandū Dei ministrum.* Oleast. ibid. Id quod circa hunc locum ad nostrum propositum considerare vos velim, est, videlicet, quodsi antiqua hæc cæremonia etiamnum hodie in Christiana Republica in florida esset obseruantia, certe maiori ex parte homines, abiecta omni spe, & conatu recuperandæ salutis semper infirmi manerent & leprosi; quicquid enim de facto possident, & quotidie acquirunt, adeo sollicitè mundanis adhibent vanitatibus, vt impossibile ipsis sit, tantum lucrari, vnde agnum

agnum pro salute sua comparare possint, adeo illos mundus aridos relinquit & exhaustos.

8. Iouinianus Pontanus de Alphonso Rege Neapolitano refert, hunc tanto cum splendore & munificentia suos honorasse & donasse milites, vt temporibus suis floridior & opulentior exercitus, præter suum nunquam visus fuerit. Adeo vt dum Mutius Sfortia cum illo conflicturus à suis militibus interrogaretur, Ex quo signo suos cognoscere inimicos possent, ijs responderit: *Quem magnificè ornatum splendideque phaleratum vidissent, eum hostem putarent.* Simili quoque modo ego religiosis alijsque pauperibus, egenisque personis, si ab ijs ex quo signo suos cognituri essent inimicos, interrogarem, dicere possem: *Quem magnifice ornatum splendideque phaleratum vidissent, eum hostem putarent*, idest, Is vester omniumque pauperum hostis est, quisquis superbo pomposoque à vobis cernitur vestitu amictus, quisquis epulis, choreis, ludis, alijsque vanitatibus omnem censum suum impendit. Talis namque ob sumptus, quos continuo extraordinarios facit, maior est, quam egeni habere possunt, inimicus, talis quippe, vt vanis mundanisque suis respondeat obligationibus, potius mori pauperem permittet, quam vt vnicum illi dare panem possit, quod idem est, ac si ipsum interficeret, inquit Seneca: *Qui succurrere perituro potest, cum non succurrerit occidit.*

Iouin. Pont. de magnif.

Senec. in Prou.

9. Aaron summus Pontifex à populo Hebræo, vt illis Idolum aliquod, quod adorare possent, fabricaret, rogatus, respondit ijsdem: *Tollite inaures aureas, de vxorum, filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.* Quibus verbis magnam Aaron iniquitatem commisisse videtur, quod se tã facilem ad tanti sceleris machinationi consentiendum præbuerit. Potius illos, primo corrigere & monere debuisset, quam esset peccatum illud ingens & immane, quod decreuissent committere, modumq; & viam excogitare, per quam illos, vt à conatu suo desisterent, impedire potuisset, maxime cũ ipse populi huius verus esset prælatus, ad quẽ præcipue spectabat, proposito sceleri submittere remediũ. Quomodo igitur factũ est, quod in petitionem populi huius tam facile condescenderit, & sine vlla mora pro fabricando perito idolo materiam poposcerit?

Exod. 32. v. 2.

Magister Historiæ scholasticæ Petrus Comestor dicit, intentionem sacerdotis malã nequaquam fuisse, tametsi euentũ pro voto suo non habuerit; & rationẽ assignat: *Hoc erat quod charius & pretiosius habebant: putans quod consulentes auaritiæ suæ, nollent afferre.* q. d. Quando Aaron inaures vxorum, & filiarum Hebræarum, ab ijs, qui vitulum aureum sibi fabricari poposcerant, expetijt, tunc conabatur maledicto illi proposito aliquod impedimentum substernere: naturalis siquidem auaritiæ gentis illius optime conscius, certissimè sibi persuasit; fore vt nunquam se suis expoliari diuitijs paterentur, atque hac ratione, à pessimo suo proposito desisterent. Verum contrarium prorsus accidit, nec enim tam subito in aures illas ab ipsis postularat, quin ecce promtos illos paratosque ad dandum inuenerit. Siquidem ipsorum auaritia ad illa se tantum extendebat, quæ ad animarum suarum salutem, aut Dei spectabant obsequium, non vero ad ea quæ Dæmonis promouere seruitium, aut vana ipsorum adimplere possent proposita. Ad eum fere modum hac in re facientes, quo facere omnes alij mundani homines solent, qui vt Deum per ludos, luxurias, inimicitias, aliasque miserias similes offendant, prodigunt & expẽdunt, quicquid possunt, possessiones suas vendunt, extraordinarijs sese onerant debitis, vxores suas spoliant & deprædantur, nudosque & nudipedes suos permittunt filios probrose incedere. Quos si postea demum illis egeris, vt aliquam elargiantur Eleemosynam, persuadere volueris, vix bonum aliquod ab ipsis verbum extorquere poteris, adeo à mundanis obligationibus, quibus subiacent, exarefacti & emũcti sunt.

Magist. hist. scholast. in Exod. cap. 37.

10. Confirmemus idipsum per id, quod Deus sceleratis nonnullis per os Isaiæ prophetæ dicit: *Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis, conducentes artificem vt faciat Deum, & procidunt, & adorant.* Vbi vulgata legit: *Confertis aurũ de sacculo*: Oleaster vertit: *Vilipenditis aurũ de sacculo.* Locum hunc scripturæ ponderemus nonni-

Isa. 46. v. 6.

nonnihil, & videamus, qua ratione possibile sit, vt aurum ab huius mundi hominibus contemnatur, vtpote, quod in tanta apud ipsos est æstimatione, vt illud tanto suo cum periculo è terræ visceribus eruant, illudque postea tot carceribus atque custodijs detineant ac conseruent? vnde impossibile esse videtur aliquos in mundo homines inuenire qui *vilipendant aurum.*

Primo igitur oportet videre, qua de causa illud vilipendant, sic enim mox intelligetur, quanta cum veritate Deus in hæc verba proruperit: Dicit enim quod vilipendant aurum *vt faciant Deum*, vilipendunt ergo aurum ad seruiendum Dæmoni, ad excludendum Deum verum, vt exaltetur idolum, ad amplum erigendum palatium, ad instruendam splendidam aulam, ad vestiendam turpem aliquam, quàm forte adorant, meretricem, ad nobilitandum filium & insignem ei comparandum baronatum aut alium titulũ, vt exquisitis cibis & pretiosis vinis onerent & adornent mensam, ad nutriendam ingentem quandam seruorum, equorum, & canum multitudinem, pro his inquam alijsque cõsimilibus vanitatibus contemnunt aurum. Cum autem de Dei agitur seruitio, aut de æterna animarum suarum salute promouẽda tunc nimis illud æstimant, illudque mira cum diligentia recludunt & custodiunt. vnde hic Doctor: *Homines*, inquit, *auarissimi sunt in virtutes, & prodigi in vitia: vix thesaurum tangere audent ad pauperem recreandum; & calamo aurum & argentum mensurant ad fabricandum Idolum* q. d. Hæc est ordinaria & vulgaris hominum mundanorum conditio quod scilicet largos se & splendidos pro rebus vanis consectandis exhibeant, sed pro animæ suæ salute adeo aridos & siccos vt ne quidem vel minima cogitatione de illa disponere possint. Oleast. ibid.

11. De Plutone Poëtæ finxerunt, quod cum Proserpinam in vxorem sibi duxisset, cõiugium hoc adeo inter illos sterile fuerit, vt ne vnicus quidem inde generari filius potuerit. Quod figmentum poëticum Ioannes Boccacius exponens, diuites intelligit per Plutonem, vtpote qui diuitiarum ab antiquitate reputatus est esse Deus: per Proserpinam vero abundantiam, quæ vel ideo Plutonis vxor esse dicitur, quia in diuitum domibus semper abundantia reperitur. Cũque matrimonij huius expositurus esset sterilitatem mox subdit: *Ex hoc quippe coniugio nihil gignitur laudabile, & memoratu dignum.* Quia inde turpia progignuntur cuiusmodi sunt dissolutiones, luxuriæ homicidia, superbia, gula, aliaque monstra similia quorũ domus diuitum plenissimæ sunt, nulli est dubium. Sterilitas igitur in rebus virtuosis consistit, raro enim vel nunquam pauperes ex facultatibus diuitum vestiuntur, aut succurritur religiosis aut pascuntur esurientes, aut nubentur orphanæ aut prodeunt Eleemosynæ, pro quibus præstitis præterquam ad illas valde sint obligati, insuper honorarentur & laudarentur non ab hominibus duntaxat, sed ab ipsomet quoque Deo, prouti in vniuersali iudicio tandem perspicuè videbitur: *Nihil gignitur laudabile.* Boccacius in Geneal. lib. 8. cap.

12. S. Georgius Archiepiscopus Nicomediensis, de Coruo qui sanctissimo Carmeli montis incolæ & Prophetæ Eliæ cibũ quotidie deferebat, loquens, quærit, vnde hic Coruus cibos illos acceperit, quos sancto huic viro deferebat, & dicit: *Quod autem afferebat prædam, non aliunde, vt arbitror afferebat, quam ex diuitum penuarijs.* S. Gregor. Archiepi. apud Lip. 11. Nou.

Hoc autem supposito, insuper quæro, cur Deus sanctissimum Prophetam suum nutrire volens, non ipsummet Prophetam, aut ex angelis suis aliquem miserit? aut si ad ministerium istud adhibere aues mallebat, cur nõ columbam aut turturem aliquam mittebat, aut aliud aliquod animal mundum, sed coruum, animal nimirum in mundum atque prophanum? Factum est istud, ni fallor, ad significandum facultates diuitum Dei seruis, Angelis, aut bonis alijs verecundisque personis minimè cedere sed coruis, id est hominibus flagitiosis & sceleratis, hominibus malæ vitæ famæ, pessimisque moribus præditis, adulatoribus oculos illis eruentibus, Motionibus, parasitis, scurris, alijsque similibus, quibus fores domus semper patent, & pro quibus omne, quod possidetur, bonum affluenter abundat. Pro hominibus autem bonis, ne vnicus quidem panis reperitur, pro talibus enim pumice sicciores, aridiores, magisque videntur esse exhausti. *Multitudo magna aridorum.*

SERMO XI.

In Sabbathum Dominicæ. I. Quadragesimæ.

Assumpsit IESVS Petrum & Iacobum

Matth. 17.

TAmetsi omnes montes inter cæteras terræ partes, ex particulari eorundem priuilegio, sublimiores, puriores & luminosiores existant, vtpote qui omnibus alijs terræ partibus supereminēt, puriori melioríque aëre fruuntur, ac tandem à solis radijs ab ortu illius vsque ad occasum magis illuminantur. Mons tamen ille in quo Rex gloriæ Christus transfigurari dignatus est, in prærogatiuis iam dictis, maiori cum excellentia eminuisse videtur, vtpote qui præ cæteris omnibus sublimius, sursum siue cælum versus eminet, quippe referente Egesippo triginta se stadijs extendens. Porro idem ille mons *Thabor* Hebræo nomine appellatur, quod vt nonnulli volunt, in latino sermone idem sonat quod *Puritas*: aut vt alijs placet. *Aduentus luminis*, quasi, in illo solo puritas habitaret, atque à sole maius cunctis montibus cœteris luminis haberet participium. Mons iste maximos magnæ Deiparentis Mariæ Virginis Dominæ nostræ honores ad viuum repræsentat, in cuius visceribus, quasi in quodam Beatissimo Thabor Rex cælestis, sub hominis forma se dignatus est transfigurare. Cuius sublimitas plus quā Thaboris montis est inaccessibilis, cuius puritas est admirabilis, denique qui ex sacratissimo eius vultu vibratus splendor omnino est ineffabilis. Cum itaque de egregijs sanctissimæ Patronæ nostræ excellentijs prædicaturus in gloriosi huius montis Deo dante inciderim symbolum, videbimus primo de augustissimi solij sui sublimitate: Postea de spirituali animæ suæ puritate. Vltimo denique de cœlesti qui vtramque interiorem scilic. & exteriorem eius faciem adornat luminis fulgore.

Egesip. li. 4.

CONSIDERATIO I.

In montem excelsum.

Magna Dei mater Maria Virgo adeo sublimata & subuecta est in altum, vt omnes tam in cælo quam in terra creatas substantias sub se habeat.

AD declarandam rei alicuius altitudinem, dicere sufficeret, rem illam esse instar montis: at vero cum de monte aliquo dicitur quod sit mons altus, profecto altitudo quædam immensa atque insolita indicatur. Vnde cum S. Euangelista de monte Thabor dicat illum esse montem altum: *in montem excelsum* insolitam aliquam summeque mirandam illius celsitudinem describere velle videtur. Sicut igitur mons Thabor, mons altus est atque sublimis, pari quoque ratione Deipara Virgo Maria mons est excelsus & editus valde, & eminentiæ quasi inter-

interminatæ ac immensæ; adeo nãq; est subiecta & sublimata in altũ, vt omnia creata tam quæ in cælo, quam quæ in terra sunt, eidem substrata existant.

1. Deus Opt. Max humanæ generationis malis compatiens, eisdemq; per antidotum Incarnationis vnigeniti sui (siquidẽ omnia alia medicamenta adhibebantur incassum) remediũ dare decernens, sic quondã Ezechielẽ Prophetã alloquebatur, dicens: *sumã ego de medulla Cedri sublimis, & ponã de vertice ramorũ eius*, quasi diceret: En tibi, ô Propheta, efficacissimũ, mortalis hominum infirmitatis recipe remedium. Nam vt perditam illis sanitatẽ restituam, sumam medullã Cedri de sublimitate ramorũ suorũ. Cuius certe loci intelligentiã assequi minime possẽ, nisi præsto mihi ad manũ esset Doct. Angelici explicatio, qui in hũc modũ illũ declarat: *Medulla Cedri sublimis, est æterna sapiẽtia: alti rami eius, sunt patres sancti, vertex ramorum quis est beata virgo*. Medulla igitur Cedri huius est verbũ æternũ homo factũ, ꝙ rationabiliter medulla appellatur; sicut enim arboris vita in medulla cõsistit, sic vita mundi totius cõsistit in Christo. *In ipso vita erat*. Sublimes illius rami sunt sancti Patriarchæ Abrahã, Isaac, Iacob, Dauid & alij; qui rami appellãtur, tũ ob meritorũ suorũ sublimitatẽ, & sanctitatẽ vitæ suæ, tũ etiam ob particulares fauores, quibus à Deo super omnes alios homines exaltati & prouecti fuere.

Ezech. 17. v. 22.

S. Thomas de sacram. Altar. c. 15

Id vero, ꝙ nostro proposito quam maximè deseruit, est, ꝙ Deipara in hoc eodẽ loco appelletur altissimorũ ramorum istorũ supremus vertex, summaq; sublimitas. *Vertex ramorũ eius*. Et quidẽ hoc nomine appellatur, vt admirandã eius inde intelligamus sublimitatẽ, qua omnẽ aliã superexcedit eminentiã. Sicut enim arboris vertex, adeo in altũ extẽditur, vt omnes in vniuersũ ramos sub se habeat, quantumuis hi alti sint & sublimes: Sic quoq; Regina nostra adeo in altũ sublimata est atq; euecta, vt humanã omnẽ sub se altitudinẽ contineat. Impossibile namq; est, ꝙ inter omnes Dei amicos, aliqua reperiri possit virtus, sanctitas, aut meritũ, quod virtutẽ, sanctitatẽ aut meritũ virginis vlla ratione assequatur. Adeo vt omniũ hominum quantacunq; sublimitas, etiam illa quæ in Patriarchis fuit, eidem subiaceat. *Vertex ramorum eius est beata Virgo*.

2. Seraphicus Doctor S. Bonauẽtura huic Dauidis loco: *Benedices coronæ anni benignitatis tua*, elegantissimum attribuit sensum præsenti proposito valde accommodum. Nã per Coronam istam benedictam Deiparam intelligens, dicit, tres potissimũ reperiri annos inter se satis diuersos, vnus dies & noctes habet, estq; hic annis vitæ huius, cuius dies homines iusti, noctes vero sunt peccatores, quẽ *annũ æquanimitatis* appellat. Alter noctes meras & solas habet, agiturq; annus iste in inferno, vbi peccatores duntaxat reperiũtur & nõ alij; Et hunc *seueritatis annum* appellat. Vltimus solos & meros dies possidet, & hic in Paradiso cælesti agitur, vbi nulli sunt præterquã sancti, appellaturq; *annus benignitatis*, de quo Dauid in præsenti loquebatur. Et Deiparam huius anni vult esse Coronã. *Corona anni benignitatis*. Enimuero quod si rationem scire desideratis, ob quam Propheta Deiparam Coronam appellet sanctorũ, qui sunt in Cælis, hanc præfatus sanctus Doctor in medium adducere minime negligit, dicẽs: *Huius autem anni benedicti Corona est benedicta virgo Maria, ipsa certe est corona omnium dierum huius anni, quia ipsa est Corona omnium dierum Cæli: Corona enim super caput poni solet sic Maria super caput omnium sanctorum locata est*. Porro Deipara Virgo Maria non ob aliud mysterium vocata est Corona omnium sanctorum regni cælestis, nisi vt inde admiranda eius innuatur celsitudo atque sublimitas. Sicut enim Corona, vtpote in capite collocata, omnium supremum in homine locum obtinet; sic ipsa in beata cœlestis gloriæ patria, ad instar pretiosæ cuiusdam Coronæ, adeo se in altum erigit & extollit, vt sublimiorem omnium locum obtineat, atq; super caput omnium Beatorum cælestis paradysi emineat, omnesque longe infra se cõstitutos conspiciat. *Super caput omnium sanctorum locata est*.

Ps. 64. v. 12

Albert.

Bonau. in speculo c. 1.

3. Vnde alius Cardinalis Petrus Damianæi Deiparæ Virgini regium Salomonis Thronum applicat. Et quia aduertit sacram scripturam hunc Thronum appellare magnum siue grandem: *Fecit Salomon thronum de ebore grandem*, hinc in admirationem tantæ supereminentiæ & celsitudinis Reginæ cælestis quasi stupefactus in cidit, dicens: *Attende Seraphin & in illius superioris*

3. Reg. 10 v. 18.

Petr. Damian. serm. de Nat. Virg.

perioris Naturæ superuola dignitatem, & videbis quicquid maius est, minus esse Virgine, solumque opificem opus illud supergredi. q.d. Quod si omnium supremam, quæ in Cœlo subtus Deum est, celsitudinem consideraueris, depræhendes nullam Seraphinis superiorem creaturam videri posse, vtpote qui suum super omnes alios spiritus beatos locum habēt. Veruntmen celsitudo ista, throni illius, quē magnus ille Salomon Christus, vt nouem in eo mensibus magnifice consideret, fabricauit, magnificētiā, sublimitatē, atq; eminentiā assequi nequaquā potest, vtpote qui tam est grādis & altus atq; in sublimi loco collocatus, vt salua celsitudine & eminētia diuina, omnes alias cælestiū spirituū etiam Seraphinorū altitudines superexcedat, & subtus se teneat. *Quidquid maius est, minus est virgine.*

4. Super hoc sensu S. Pater Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus fundabatur, quando Dei matrē laudans, eidem dicebat: *Tu es honor honorantium, præmiū præmiorū, & altitudo altitudinum.* Quibus verbis dicere volebat quod neq; in Cælo nec in terra, aliqua reperiri subtus Deum potuerit celsitudo, aut eminentia adeo sublimis, quā ipsa subtus se positam esse non conspiciat, tanto cū excessu ipsa super quascunq; substantias alias sese exaltat & erigit: *Altitudo altitudinū.*

S. Germanus apud Lipom. 21. Nou.

5. Nulli dubium est, quin sancti illi homines, qui ad commorandum in cælis, ex hac vita transeunt, in illis sedibus recepti sint, è quibus transgressores angeli pulsi fuerunt. Vnde inter angelos recepti sunt pœnitentes; inter Archangelos personæ deuotæ: Misericordes inter principatus: inter potestates, patientes: inter virtutes mansueti: Prælati Reges, alijq; rerūpublicarū gubernatores inter Dominationes. Dicitque S. Vincentius Ferrerius, cuius est hæc quam hoc loco adferimus, doctrina, quod dū ex hisce terræ Rectorib⁹ nō nemo cœlū ingredi ab angelis cōspicitur, mox Angeli & Archangeli illum coram se ad locum suum transire cernentes, sibi mutuo hunc in modum loquantur: *Faciamus magnum festum, quia tot anni sunt, quod nullus venit de istis.* Per hoc insinuare volentes quod Prælatorum Regum, aliorumque superiorum pauci admodum saluentur. Hoc tamen per parenthesin, vt aiunt, dictum esto quo etiam modo ipsemet quoque sanctus idipsum dicit. Inter Thronos autem illi recepti sunt, qui Euangelicam amplexi sunt paupertatem: Inter Cherubinos Doctores Inter Seraphinos denique illi, qui viuentes in carne, continuum in corde amoris diuini conseruauere ardorem.

S. Vincent. serm. 3. de omnibus sanctis.

Vnde ex hactenus dictis liquet, homines ad omnes Hierarchias, & Cœlestium spirituum Ordines exaltari posse, vsque ad ipsas Seraphinorum sedes, quæ inter omnes sunt maxime sublimes & altæ. Veruntamē, vt inquit Albertus Magnus, tametsi homines sancti ad omnes Angelorum, etiam Seraphinorum ordines euehi possint: nullus tamen, cuiuscunque ille demum sit virtutis, aut sanctitatis, eousque ascendere potest, vt approximare (ne dicam plane assequi) possit loco in quo Deiparæ Virginis sedes est posita, adeo ipsa est sublimata, adeo exaltata, adeo inaccessibilis & in assequibilis: *Homines possunt peruenire ad Seraphin, nullus autem ad statum & dignitatem Beatæ Mariæ Virginis.* Vnde perspicue videtur, sanctissimam Patronam nostram subtus se non homines tantum, & Angelos continere, verum eo insuper se modo erigere, vt sedes sua inaccessibilis maneat & impenetrabilis, ad quam nulla attingere possit substantia creata. *Altitudo altitudinum.*

Albert. Mag. super missus est cap. 190.

6. Deus quondam, vt humanam confunderet curiositatē, difficiles quasdam & insolubiles Iob seruo suo proposuit quæstiones, è quibus hæc sequens vna fuit: *Nunquid ostendisti auroræ locum suū?* q.d. Tantane visus perspicuitate polles, vt ad locum illum oculorū tuorū obtutu pertingere possis, in quo aurora habitat, anne dicere nosti hic est locus illius? quasi dicere voluisset, nequaquā id esse possibile, eo namque, nec tui nec alterius cuiuslibet hominis oculi pertingere possūt. *Iob. 38. v. 12.*

Quod si hæc Dei verba, præter sensum literalem nullum aliud in se includerent mysteriū dicerē ego, idipsum q Deus proponit, veluti rē quampiam summè occultam atque secretam, adeo corā oculis totius mūdi clarū esse, atque perspicuum, vt luculentius esse nō posset. Quis enim est qui locum auroræ ostendere nesciat? Quis illam non videt? Quis illam digito demōstrare nō valet,

 & di-

& dicere. Ibi est aurora? At vero quia S Bonauentura existimat Deum Iob seruo suo loqui de sanctissima matre sua, & de loco eius quem in cælis obtinet ipsa sub auroræ symbolo significata. *Iam certe aurora nostra Maria sublimiter locata in cœlo, locum tenet viciniſſimum ſoli æterno*, hunc nulli dubium esse debet quæstionē hanc esse omnino insolubilē. Videtur enim Deus Iob dicere voluisse, fortasse tu iactabis te habere oculum adeo perspicacem & acutū, vt videre & demonstrare locum possis, in quo benedicta vnigeniti filij mei mater aliquando erit cōsessura? Falleris, si id existimas, neque enim id est possibile, adeo namq; sublimiter illa in altū euehitur, vt ab oculis vniuscuiuscunq; sese abscōdat atq; dispareat. Hinc igitur celsitudinē virginis Deiparæ facile licet conijcere, quæ adeo sublime in cœlo considet, vt non tantum nulla creatura ad eius solium valeat pertingere, sed nec oculorum suorum obtutum inibi figere.

Bonau. in Speculo ca. 9

7. Vnde ipsa Ecclesiastici cap. 24. de semetipsa loquens, viti se assimilare voluit dicens: *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris*. Posset nonnemo hanc Virginis cum vite analogiam audiens merito interrogare, qua de causa Cœlorum Regina sese Cypresso, Cedro, Platano, aut Palmæ non compararit, quemadmodum alias fecerat? Cum enim arbores istæ admodum proceræ sint, & altæ, per talem suam altitudinem maiori cum proprietate Virginis sublimitatem significare potuisset, id quod per vitis symbolum consequi posse minimè videtur, cum vitis arbor sit humilis & submissa, quæ vix duobus sese palmis à terra in altum erigere conspicitur.

Ecclesiastici 24. v. 23

Verum enimuero, non potuit symbolum aliud proposito nostro adduci expedientius, quā sit illud quo illa hic vtitur. Ac proinde sciendum vobis est, inter omnes arbores, cūctasq; terræ plantas, nullā inueniri, quæ in tantum sese in altum erigere valeat, quantum vitis, cuius sublimitatē nec Cedri, nec Cypressi, nec Platani, nec aliæ qualescunq; tandem assequi possunt. Dummodo enim vitis fulcrū aliquod per quod in altū exurgat, inuenerit, ad stuporē vsque in altū se erigere nouit. Vnde si vlmus quædā ad Cœlum vsque se extendens reperiretur, & tali vlmo appensa vitis esset, hæc vtique in certo temporis spatio ad Cœlum vsque proserperet. Quam vitis proprietatem nonnemo attendens, Emblema fecit de vite quadam ex altissima arbore suspensa, quam ipsa ad verticem vsque arboris ascendere cernebatur hac subiecta Epigraphe seu symbolo: *Quo altius fulcimentum*, ad innuendum mundo, quod quo altius esset principis cui innititur fulcimentum, tanto per fauorem illius altius ascenderet.

En tibi rationem, ob quam Deiparæ, sese viti assimilare, complacuit, & non alteri arbori, aut plantæ, quantumuis alta illa esset, atque procera. Cum enim arbores cœteræ certā quandā altitudinem naturalem assecutæ, vltra determinatum sibi a natura terminū excrescere altius nequeant, vitis nullum habet altitudini ac proceritati præfixū terminum, sed eo vsque sese eriget, quousq; illā fulcimenti iuuabit subsidiū? Pari quoque ratione Regina nostra nō est ad instar aliarū arborū, hoc est, ad instar aliorū hominū, qui vltra ordinariā & consuetā simpliciū creaturarū altitudinē, qualis illa quoq; est, nō se valent erigere, sed est quasi vitis quædā, quæ vtpote innixa vnigenito Dei filio; qui æterni Patris sui thronū assequitur, ad illius cōsidet dexterā, ideoq; non tantū supra omnē hominū & angelorū est sublimata altitudinē, sed & ipsi throno diuino facta est vicinissima, atq; ad dexterā filij sui consistit, quo nulla subuehi creatura potest: *Ego quaſi vitis*.

Ob cuius Celsitudinis summā eminentiā S Bernardus stupefactus exclamat: *O Virgo virga ſublimis, in quam ſublimem verticē caput ſanctorū erigis! vſque ad ſedentem in throno, vſq; ad Dominū maieſtatis* q. d. O Virgo, quæ haud aliter quam vitis quædā diuino innixa fulcimento, cui tu sola inniti digna fuisti, altitudinē tuam absque vllo præfixo termino, ad ipsum vsq; diuinæ maiestatis altisimum solium extendis, omnemque aliam substantiam creatam tibi obtines subiectam.

S. Bernard. serm. 2. de Adu.

8. Incarnatū æterni Patris verbū quōdam Apostolos suos interrogauit, quid homines de se sentirent, aut quē illum esse existimarent: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Cui cū inprimis per plebis siue vulgi opiniones esset responsum, tandē ipsorum quoque hac in re opinionem audire voluit, cui S. Petrus

Matth. 16. v. 14.

ctus totius Collegii nomine in hunc modũ respondit. *Tu es Christus filius Dei viui.* q. d. Homines mundani de te, quicquid illis libuerit, libere dicant, nos dicimus, quia tu es filius Dei. S. Pater Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus, vtpote Deiparæ Virgini valde affectus atque deuotus, cuius ipsi manibus in die Assumptionis suæ, quædam miri pretii ac splendoris vestis miraculose præsentata fuit. Hic inquam ex hac S. Petri responsione, prima quidem facie, exiguã cæpit satisfactionem, videbatur namque illi hanc in magnum cedere altitudinis & eminẽtiæ, magnæ Dominæ suæ præiudicium. Quia inquit sanctus hic Archiepiscopus, cum Christus se tunc vocasset filium hominis: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* id est, filium Virginis, S. Petrus illum Dei filium appellãs inferre voluisse videtur, ipsum Dei duntaxat & non simul etiam Virginis filium esse.

Deinceps vero prædictum locum melius atque intimius considerans, deprehendit Apostolum hac sua responsione Deiparæ celsitudinem & magnificentiam non solum non offendisse, verum insuper exaltasse & honorasse. Vnde dicit: *Non quod illum negaret filium Beatæ Virginis, quod ait Christus, sed vt demonstraret, vnum eundemque filium hominis, esse filium Dei.* Ex quo honore aperte liquet, admirabilis magnæ huius Dominæ celsitudo atque sublimitas, quæ tam sublimis eminentiæ extitit, vt illius cuius Deus Pater extitit, ipsa quoque naturalis fuerit mater ad quam dignitatem nec homines nec Angeli euehi possunt.

S. Ildefons. serm. 2. de Assum.

9. S. Matthæus Euangelista, de Deipara pro illo tempore, quo Verbum Incarnatum benedicto ventre suo detulit, loquens, dicat, quod à Sponso suo sanctissimo Iosepho cognita non fuerit: *Et non cognoscebat eam donec peperit.* Sed qua ratione illam non cognoscebat? Numquam igitur illam alias viderat? An non nuptias cum illa celebrauit? Nũquid in domum suam illam introduxerat? Negari idipsum haud quaquam potest. Cur igitur S. Matthæus dicit, quod non cognoscebat eam, quam is optime nouerat?

Matth. 1. v. 25.

Nonnulli hunc scripturæ locum interpretantes dicunt, quod quoadusque Cælorum Regina summum solem in Beatissimi Ventris sui merebatur habere hospitio, ex vultu eius præter ordinarium lumen, tantus fulgor emicuerit, vt S. Ioseph tantis tanti fulgoris radiis impeditus illã aspicere aut intendere minime potuerit. S. Epiphanius autẽ magis propriè respondet & dicit, quod dum Euangelista refert S. Iosephum Deiparam, quamdiu prægnans erat, non cognouisse, id non de personæ, sed de dignitatis cognitione intelligendum esse, ad quam illã per partũ eius diuinum exaltatam esse cõspexit, nequibat namque intelligere, quâ ratione possibile esset, vt simplex aliqua creatura, & specialiter quidem mulier quædam eousq; exaltari & sublimari posset: *Nõ nouerat enim, quod tali gloria honorandus esset aliquis in terra, maxime mulier.* Ex quo longe luculentius atque viuacius cognoscere poteritis admirabilem aduocatæ nostræ celsitudinem, quæ tãta est, vt ad illam non solum nulla creata substantia appropinquare, ne dicã adæquari possit, sed nec illam vllus capere aut intelligere possit intellectus humanus. Est enim sublimitas & superemineentia illius adeo grandis & interminata, vt illam assequi nulla humana cogitatio possit. Mons vere altus. *In montem excelsum.*

Epiphan. cont. hæret lib. 3. to. 2.

CONSIDERATIO II.

In Montem.

Puritas Serenissimæ Angelorum Reginæ, quam Deus à primis sæculis in suis maioribus præparabat & disponebat, adeo fuit admirabilis, vt ne vel minimus vnquam in ea notatus sit defectus, qui illam vel obscurarit aut deturbarit.

1. MOns Thabor, qui in hoc nostro discursu Angelorum Reginã Mariã Virginem repræsentat, ex sui Ethymologia vocabuli, idem, vti diximus, sonat, quod *Puritas.* Puritas non iam in concreto sed puritas in abstracto. Ex quo intelligitur, adeo magnam & excellentem fuisse magnæ huius Dominæ nostræ puritatem, vt ipsissima puritas esse videatur. Porro talem tantamq; eius puritatem esse omnino oportebat, vtpote, quam Deus à primis vsq; sæculis, in Patribus suis à qua ipsa generanda erat, exquisita cum diligentia præparauerat. Vnde nullus vnquam vel minimus etiam in ipsa defe-

defectus aut nęuus notari potuit, qui ipsam aut obscurare aut deturbare potuisset.

2. Communis est omnium Doctorum opinio, prout refert Abulensis, Adamum, postquam dilectum filium suum Abel mortuum vidit, firmiter sibi statuisse Euam vxorē suā nunquam deinceps carnaliter cognoscere, in eodem proposito centum annis quibus in lachrymarum valle, sic cognominata à continuo eius planctu, quo filii sui deplorauit mortem dimoratus est, fortiter perseuerauit. Deum autē in fine prædicti temporis, eidem per Angelum de cælo missum præcepisse, vt intermissæ iterum insisteret liberorum procreationi, atq; huic Dei præcepto reuerenter morē gerens S. Seth genuit. Dicit autem hic Doctor, Deum primitus per hoc præceptum non tam intendisse hominū multiplicationem, quā Incarnationis Vnigeniti filii sui puritatem, cuius hanc rationē adfert: *Quia nolebat Christum de sanguine deprauato nasci*, id est, quia non volebat, vt de impuro & peccatis infecto sanguine Christus nasceretur. Porro nisi Adam alios filios genuisset, & præcipue Seth, vtiq; B. Virgo, de qua Christus nasciturus erat, de impuro & deprauato Caini sanguine descendere debuisset, neque enim mundus tunc aliam habuisset suæ generationis radicem, adeoque Deipara, ex parte Patris turpis fuisset & impura. Quia igitur nequaquam conueniebat, vt impuritas aliqua, quæcunque illa tandem sit, in illa depræhenderetur, quæ ipsamet cæli puritatem progenitura erat, ideo Deus Adæ alterius cuiuspiam filii generationem præcepit, isque fuit Seth, vir nimirum adeo sanctus & perfectus, vt mundus eum suo tēpore Dei nomine honorârit, vt hac ratione ex eius lumbis pura & sancta nasceretur Virgo Deipara. Vnde perspicue videtur, quanta magnæ huius Dominæ puritas extiterit, vtpote quam Deus iam ab ipso mundi exordio molitus fuit & præparauit.

Tostat. q. 17. in 4. Gen.

3. Rupertus Abbas notat, quod Deus aliquando cum Abraha loquens, hæc ei verba dixerit: *Ambula coram me & esto perfectus.* q. d. Abraham curæ tibi sit præcipue, vt pura semper atque irreprehensibilia sint opera tua, vtpote quæ oculis Maiestatis meæ semper & vbique sunt præsentissima atque conspicua, atque ideo connitere, vt sanctus eua-

Gen. 17. v. 1.

das atq; perfectus. Super quibus verbis Venerabilis hic Abbas quærit qui fit, quod cū Deus alias Abrahæ toties fuerit locutus, nūquam tamen hanc ei parænesin præscripserit, neq; eidem vitæ perfectionem vnquam præceperit, præterquam hoc in loco? *Quare autem hoc hactenus non dixit, cum multoties apparuerit, & locutus illi fuerit?* Et præclare respondet: *Tunc demum hoc debuit dici: Ambula coram me & esto perfectus, quando Isaac dono, Omnipotentis Domini generatio parabatur.*

Ruper. Ab. lib. 5. c. 28. ibid.

Tametsi Deus multoties alias Abrahæ apparuerit, & locutus illi fuerit, nunquā tamē eidem, vt ad perfectionem & vitæ suæ sanctitatē magnopere conniteretur, præcepit, præterquā hic in præsenti, quia tametsi perfectio & sanctitas Abrahæ, Diuinæ æternæque Maiestatis oculis semper placuerit, quia tamen tunc Abrahæ filiū suum Isaac ex sanguine suo nasciturū, promiserat, in eademq; promissione ad temporalem Vnigeniti Verbi sui generationem viam sternere incipiebat, (ex Isaac namque nascitura mater erat, è qua gignendum erat Verbum Incarnatū) ideoque ob hunc respectū tunc potius quā alias, vitæ illi perfectionem præcipiebat. Esto perfectus, quasi illi dicere voluisset. Ex filio isto, ô Abrahā, quem tu iuxta promissionem meam progignes, virgo quædā nascetur, quæ mater futura est Vnigeniti filij mei, in quo ob diuinum hunc partum inde oriundum, tantam puritatem & sanctitatem resplendere volo, vt in ipsis quoque prauorum suorum lumbis, quorum tu prima radix existit, ipsam puram sanctamque esse percupiam, atque ob hanc tanti ponderis & momenti rationem, tu ab hoc die & deinceps sanctus atq; perfectus fieri curabis: *Ambula coram me & esto perfectus.*

4. Præscripserat olim Deus Moysi magnā immundorum animalium seriem, tam eorū quæ in terra, quam quæ in aquis, aut aere viuunt: inter quadrupedia erant lepores, porci & similia. Inter pisces anguillæ & alii: inter volucres erat Aquila, coruus, & plures eiusmodi, præcepitque ne talium animalium pastum populo suo vlla ratione permitteret. S. P. Vincentius Ferrerius, prohibitionē istā considerans, causam sciscitatur, cur animalia ista ab Hebræis manducari nequaquā potuerint, cum tamen tanta cum libertate

Leuit. 11. v. 1. & seq.

hoo

hoc nostro tempore à nobis, qui Christiani sumus, manducentur. Quodsi enim illis aliqua ab intrinseco adhæreret immunditia, illa tā nunc quā olim declinanda merito essent. Et adfert rationē: *Quia de illo populo debebat nasci Messias, propter quod Deus fecit, vt fit communiter de filio regis, quia eius nutrici dantur certa esca de consilio medicorum.* q. d. Deus non ob aliam rationem immundorum animalium esum Hebræis prohibuit, quam quia ex populo isto vnigenitus filius suus temporaliter erat nasciturus. Vnde Deus cum Hebræis istis ad instar principis alicuius sese habuit, qui curat vt Nutrici à qua lactandus est eius filius, ordinentur à medicis cibi meliores & salubriores, qui possint reperiri, mali autem omnino prohibeantur, vt hac ratione infans purū & salutare accipiens nutrimentū, purám, atq; ab omni mali contagio immunē nanciscatur complexionem; quæ viuendi ratio à nutrice eousque continuatur, donec ablactatus fuerit infans, tunc enim eidem qualiscunq; permittitur alimonia, tametsi illa alias sanitati non admodum conueniat, aut immunda sit.

S. Vincent. in octau. Corporis Christi.

Pari quoq; modo se Deus in antiquo Testamēto habuit, quia enim vnigenitū filium suum in terrā hanc mittere decreuerat, qui humanā ex populo Hebræo carnē assumeret, cui omnis debebatur mūditia & puritas, ideo carnē istam hoc immundorū animaliū cibo nequaquā prophanari voluit, ideoque taliū animalium pastum prohibuit. Atq; hæc prohibitio, ob rationē iam dictam, obseruāda ab Hebræis erat, donec incarnaretur ex illis verbū æternum; quia vero postea ratio prædicta cessabat, ideo tunc hominum relictum arbitrio fuit, de cuiuscunque animalis carne manducandi, quantūuis illud prophanum esset atque immundum, vti à nobis hodie fieri & obseruari cernitur.

Porro rigor ille, qui in ordinatione ista relucebat, aliud non spectabat, quam puritatē carnis & sanguinis sanctissimæ matris suæ, de qua Deus homo factus nasci atque nutriri debebat; Hæc itaque virtus in hac magna Domina nostra tanta cum admiratione resplendere debebat, vt illam Deus paulatim ab ipsa primorum antiquorumque progenitorum suorum carne præparare atque disponere voluerit, nullum prorsus cuiuscunque demum immunditiæ genus in illa permittens.

Quæ omnia à nobis adducta sunt, in quātum ad considerationem puritatis Deiparæ, in sua primæua origine dispositæ & præparatæ, pertinere dignoscuntur, quam puritatem si in suamet immaculata persona immediate considerare voluerimus, ne vel minimus impuritatis in ea atomus reperietur, vnde deturbari aut commaculari possit.

5. Quærit Guilielmus Durandus, cur sancta mater Ecclesia, pro venerabili & antiqua sua consuetudine, tot in Festo Purificationis Deiparæ virginis luminaria accendat? & respondet: *Ad offendendam virginis puritatem, ne quis audiens eius purificationem, credere posset eam purificatione indiguisse. Virgo beata purificatione non indiget, sed tota est rutilans, tota splendens.* Cæremoniæ illius Ecclesiasticæ, quæ Ecclesia sancta in die Purificationis Dominæ nostræ tot tamque diuersa accendit luminaria, hoc est mysteriū, vt videlicet per hanc immaculata eius demonstretur puritas, ne homines audientes illam more aliarum mulierum post diuinum suum partum purificationis passiuæ causa templum ingredi, sibi illam hac purificatione omnino indiguisse persuaderent, eo quod aliqua forte macula defædata fuisset, vt enim huic errori, sicuti forte in aliquo oboriretur, obuiaret Ecclesia, tot ipsa hodie faces accendit, totque præparat viua luminaria, tacitè vnumquemque inde monens, Deiparam virginem Mariam Dominam suam ad instar facis accensæ, puram semper fuisse & splendidam, atq; ab omnibus cuiuscunque defectus, tametsi venialis, & minimi, tenebris procul remotam & alienam. *Tota est rutilans, tota splendens.*

Durand. de diu. offic. lib. 7. cap. 7.

6. Angeli, & cælestis aulæ beati spiritus, mundū hunc sublunarē perlustrantes, Deiq; in eo matrē considerantes, insolitam eius ad stuporē vsq; admirabantur pulchritudinē, vnde dicebant: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgēs, pulchra vt luna, electa vt sol?* Prætermittamus hoc loco auroræ & lunæ adductas analogias, vtpote præsenti proposito nostro minimè seruientes, & dispiciamus qua de causa Angeli

Cant. 6. v. 9.

Re-

Reginam suam ac nostram soli assimilare voluerint? *Electa vt sol.* Id quod mox clarum fiet atque perspicuum, si inprimis notauerimus, Græcos, inter alia nomina quibus solem appellabant, sequentibus illum quoque nominibus expresisse; scilicet, *Apollo* & *Phœbus*. *Apollo*, dicit Plutarchus latino sermone idem sonat quod *solus sine multis*, quod nomine valde coincidit cum latino *Sol*, quod idem significat, quod *solus*. *Phœbus* in eadem lingua significat, *Purus*, prout idem author interpretatur. Vnde dum Græci vtrumque nomen simul coniungunt, insinuare volunt solem solum esse purum: *solus purus*. Quibus appellationibus Græci innuere volebant, inter cunctas Creaturas visibiles solum solem purum esse, alias vero multos pati defectus, & maculas, quæ easdem impuras reddunt. Ecce igitur rationem, ob quam Hierarchiæ cælestes Deiparam appellarint solem: *Electa vt sol.* Ipsa namque inter cunctas substantias creatas, haud aliter se habet, quam sol aliquis inter cunctas res visibiles; nam cum omnia alia aliquo laborent defectu, aut macula, quæ illa demonstrat esse impura, ipsa sola ab omni imperfectione & impuritate procul remota, immaculata resplendet & pura, dignissima, quæ à tota cælestis paradysi aula, cum stupore & admiratione conspiciatur; *Electa vt sol.*

Plut. de par. Et.

7. S. Ioannes de hoc mysterio magnam quandam in sua Apocalypsi habuit visionem; Nam Deiparam sole vidit amictam, & lunam pedibus suis substratam generose calcantem: *Mulier amicta sole, & Luna sub pedibus eius.* Quia autem ad propositum nostrum in præsenti, minime attinet de solis tractate vestimento, operæ pretium erit solam indagare rationem, ob quam ipsa lunam pedibus suis habuerit substratam? *Luna sub pedibus eius.* Notandum proinde est, S. Bernardum super visione ista discurrentem, dicere, quod per lunam quælibet terrena intelligi debeat imperfectio, siue defectus, siquidem luna planeta quidam est maculis & obscuritate plenus, ad eum modum, quo omnium quotidie oculis, demonstratur, non solum quando luminis patitur defectum, sed etiam quando plena est, in cuius circulo multæ apparent eam commaculantes vmbræ. Hoc supposito S. Doctor rationem assignat ob quam B. Virgo lunam sub pedibus habeat: *Nam omnes defectus sub ea, & quicquid fragilitatis seu corruptionis, ex cellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit, & supergreditur creaturis; vt merito sub pedibus eius luna esse dicatur*; quasi diceret: Cum omnes alij homines, quantumuis sancti & perfecti, sub luna compræhenduntur, hoc est, humanis imperfectionibus, terrenisque defectibus subiecti existant, sola Deipara virgo adeo ab ordinariis siue consuetis omnium hominum maculis abest, omnesque superexcedit, vt omnis illi terrena imperfectio subiecta remaneat, ipsaque quoadusque in hac carne mortali viuebat, tanta cernebatur puritate in anima sua splendescere, vt nequaquam ex earum numero esse æstimaretur, quæ sub luna, infra quam omnis dominatur impuritas atque defectus, commorantur, sed ex illis quæ supra lunam, & vltra, quasi in cælo inter beatorum animas consistunt, quo nulla siue macula siue immunditia ingredi valet; *Vt merito sub pedibus eius luna esse dicatur.*

Apocal. 12. v. 1.

Bernard. super signum magnum.

8. Vnde ipsamet per os Ecclesiastici dicebat: *Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea.* q.d. Eodemmet & tempore, quo in Syon commorabar, atque incola seu habitatrix eram vrbis Ierosolymitanæ, eo ipso tempore, inquam, simul in ciuitate sanctificata commorabar, hoc est, in Paradyso, quæ ciuitas sanctificata appellatur, ad differentiam ciuitatum huius mundi, quæ diuersis obnoxiæ sunt imperfectionibus atque defectibus: *In ciuitate sanctificata similiter requieui.* Vnde se eodem tempore quo in terris vixit, in cælo quoque constitutam fuisse affirmat. Verum qua ratione id possibile esse poterat? quomodo inquam ipsa in terra reuera consistens, simul in cælo esse & commorari valebat? siquidem eodem tempore duobus adeo procul à se inuicem dissitis atque remotis locis, vti sunt cælum & terra, simul præsens esse nequaquam possit. Verissimum est istud. Vnde ipsa quoque Beatissima virgo Deipara contrarium illius hoc loco asserere nequaquam volebat, quasi vno eodemque tempore in duobus diuersis locis,

Eccles. 24. v. 15.

sis locis adeo procul à se inuicem distantibus atque remotis in cælo videlicet & in terra præsens simul fuisset. Minime gentium. Vtique enim ipsa dum hoc de se affirmaret inter homines cæteros qui sunt in terra, non vero inter Angelos in cælo conuersabatur & habitabat. Solá igitur animæ suæ summè admirandam indicare voluit puritatem, quæ tanta erat, vt tametsi ipsa reuera terræ esset incola & habitatrix, eodem tamen tempore in cælis quoque esse putaretur; vtpote, vbi ne quidem minima etiã venialis culpa committitur. Eius siquidem puritas atque munditia adeo erat admirabilis, vt inter terrenas imperfectiones constituta, talem nihilominus vitam ageret, quasi reuera inter Angelos, aliosque cælestis gloriæ beatos degeret, ideoque aliis sub luna constitutis & commorantibus, ipsa sola supra Lunam pedem suum collocabat. *Luna sub pedibus eius.*

9. Hinc est quod S. Martyr Ignatius, insolito quodam desiderio adactus, vidẽdi Deiparam, tunc in ciuitate Ierosolymitana cõmorantem, quandam S. Ioanni Apostolo Magistro suo trãscripserit epistolam, in qua licentiam sibi indulgeri rogabat, quatenus in aliarum quarundam deuotarum personarum societate & contubernio coram intueri posset, magnam illam cælestemque Virginẽ Matrem de qua incredibilem & stupendam famam inaudierat. Et quidem in particulari narratum ei fuerat, in sacratissima eius venerandaque facie, inter cætera illius lineamẽta, Angelicam quandam obseruari ab hominibus puritatem, ob quam non vulgaris quædam mulier, sed Angelus quidam esse credebatur Incarnatus. *Sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Iesu humana Natura natura sanctitatis Angelica sociatur.* In corpore namque viuens, Angelicam & non humanã exhibet sanctitatem, adeo pura atque ab humanis terrenisque imperfectionibus est aliena. *In Maria Iesu humana natura, natura sanctitatis Angelica sociatur.*

10. Nescio num aliquando obseruaueritis Christum bina vice cum benedicta sua matre loquentem, eandem non matrẽ, sed mulierem appellasse. Primo quidem cum ab illa rogaretur, vt in nuptiis S. Ioannis nepotis sui vini defectum miraculosè supplere dignaretur, dixit: *Quid mihi & tibi est mulier?* *Ioan. 2. v. 4.* Deinde cum moribundus in Cruce pendẽs, illam eidem Ioanni recommendaret eidem pariter dixit: *Mulier ecce filius tuus.* *Ibid. 19. v. 26.* Multi aduertentes, quod Christus matrem suam, nõ matrem, sed mulierem appellet, hac super re vehementer obstupefacti, causam sciscitantur, ob quam æterna sapientia matrem mulierẽ & non matrem appellarit, cum tamen vt illam honoraret matrẽ potius illam nominare debuisset. Vtique enim ipsa se matrẽ illius vocari audiens, qui alium quam Deũ in cælis non habebat Patrem, valde magno se honore affici vidisset. Cur igitur illã pro merito & debito suo non honorauit? Et quidem vt ad hoc faciendum obligatus fuisse videatur, addendũ est, æquissimũ, maximeque rationabile fuisse vt ipse qui alios ad honorandos parentes suos præcepto peculiari obstrinxerat, eosdem ad eiusdem præcepti firmam obseruantiam exemplo suo efficaciter induceret.

Multi multas hac super difficultate in medium adferunt rationes, mihi in præsenti ea sufficiet, quam adfert S. P. Epiphanius, qui dicit ideo illam hoc modo appellatam esset *Ne quis existimaret illam supra hominem esse.* *Epiph. apud Maldonat. in c. 2. Io.* Non eã, vt alias debebat, matrem, sed mulierem appellauit, ne quis sibi fortasse persuaderet illam non mulierem quandam, sed Angelum, aut verum Deum fuisse, quo modo Hæretici Collyridiani decipiuntur, qui vt idem Doctor scribit, illi accendebant incensa & sacrificia offerebant. Quodsi enim tunc mundus ex Christi ore cognouisset, illam veri Dei esse matrem vtique sanctitatẽ & puritatem qua anima illius, vt tam admirabili dignitate digna fieret, imbuta esse debebat, considerantes nunquam sibi persuadere potuissent, illam mulierem aliquam, ad instar aliarum fuisse, sed alterius cuiusdam sublimioris, perfectiorisque naturæ, adeoque Angelum quendam humana carne circumdatum credidissent. Et reuera magnæ huius Deiparæ sanctitas & puritas, per quã facta est digna, quæ fieret mater filii Dei, non humana, sed Angelica imo Diuina iudicari poterat. Vnde perspicue videtur, quam bene proposito nostro inseruiat. Conceptus nostri applicatio, quo illam monti Thabor comparauimus, qui idem significat quod puri-

puritas. Ipsa namque virtutem istam in gradu quodam possidebat adeo sublimi, vt ipsamet puritas esse videretur.

CONSIDERATIO III.

In mentem.

Postquam Virginea Mater fulgentissimum Iustitia solem in ventre suo orientem habuit, splendores quibus vultus illius continuo irradiabatur magis semper magisque increuerunt valdeque admirabiles extiterunt.

TAmetsi naturalis quorundam montium proprietas sit, Chymeræ nimirum in Licia Æthnæ in Sicilia, Vesuuii in Campania, pluriumque aliorum alibi, quod suos accendant, & splendescere faciant vertices, certissimum tamen est, nullum aliorum montium, Thaboris montis splendores vlla ratione adæquare posse, cuius lumina, cuncta alia incomparabiliter superexcedunt, vtpote, cuius vertex non terrenis & elementaribus ignibus, sed diuino Incarnati & transfigurati Dei splendore irradiatur; Eius namque facies ad instar solis collucens adeo hunc montem luminosum reddidit, atque illustrem, vt ad ipsiusmet solis veluti inuidiam, factus sit magnificus atque spectabilis; ob quem fauorem, hoc quoque *Thaboris* nomine singulariter à Deo dignatus est; hoc nomen enim, vt supra dixi, idem in latino significat, quod *Aduentus Luminis*. Et ecce tibi hic verum Deiparæ Virginis symbolum, quæ tametsi velut alter quidam Thabor, cœlestibus diuinisque vndequaque illustrata esse reperiatur luminibus; attamen postquam in immaculato ventris sui sacrario, æternum iustitiæ solem reclusit, splendidiores longe luminosioresque pulchritudinis suæ in vultu eius visi sunt radii, qui in cælo terraque ingentis causa stuporis & admirationis extiterunt.

Virgineam Dei matrem, insolita atque inaudita è vultu suo vibrasse lumina, millenis quidem argumentis abunde demonstrari seu probari posset, ne tamen à consueto præsentium considerationum stylo recedere videar, paucula sequentia sufficient.

1. Maria vtriusque Castellæ Regina doctissimo viro Alphonso Tostato Abulensi Episcopo, quinque transmisit & scripsit Paradoxa vt eadem declararet atque dissolueret, è quibus hoc sequens vnum erat; videlicet: *Fuit quoddam vas clausum, & non clausum, paruum & non paruum, Luminosum & non Luminosum.* Quibus Tostatus respondens, per vas illud Deiparam Virginem intellexit, per Virginitatem clausam, non clausam vero per maternitatem in propria sui æstimatione paruam, minime tamen paruam, eo quod illam intra sua viscera receperit, cuius immensitatem ne ipsi quidem cæli capere potuerunt. Ad luminis autem declarationem veniens, ita dicit: *Appellantes Dominam nostram vas luminosum, est sensus, quod Domina nostra de se radios emittebat.* quasi diceret: Domina nostra nullam aliam ob causam vas appellari debuit luminosum, nisi quia è Virginea eius facie, quasi è lucidissima quadam cælestique stella, radii quidam atque splendores promicabant. Vultus eius nequaquam fuit ad instar aliarum mulierum; sed fuit quasi nouæ cuiusdam, nec hactenus vnquam visæ de cælo, & cælestibus illius luminibus in terram descendentis Creaturæ facies, quam quisquis conspiciebat, nouo quodam atque extraordinario cum stupore summe demirabatur: *De se radios emittebat*. *Tostat. paerad. 88.*

2. Sancta Brigida deuotissima vidua, die quadam cum Christo mundi Saluatore loquens, vt ipsamet in suis refert reuelationibus, atque scire desiderans, quæ & qualis dilecta mater eius fuerit, eo tempore quo cum hominibus in terra vixit, tale à Christo retulit responsum: *Caput quippe suum fuit aurum quasi fulgens & capilli quasi radii solis.* quasi dicere vellet: O Brigitta dilecta filia mea, quod si scire desideras, quæ qualis, & quanta fuerit dilectæ matris meæ con- *Reuelat. S. Brigit. lib. 6. q. 5.*

conditio, quoadusque cum hominibus hic in terra vixit, sciendum tibi est: Caput eius semper resplenduisse, velut aurum rutilans, comas autem capitis sui haud aliter quam sicut radij solis coruscasse. O quam luminosa futura esset Imago, quæ ex purissimo fabricata auro solis circumdata esset radijs? Quodsi aurum à semetipso splendorem de se vibrat, quomodo splendebit coniunctum lumini solis? Ad hunc igitur modum comparati erant splendores illi, qui ex capite & vultu Reginæ cælestis paradisi emicabant. *Caput quippe suum fuit aurum quasi fulgens, & Capilli quasi radij solis.*

3. Timotheus Presbyter Hierosolymitanus de Purificatione Deiparæ in templo, tractans, ita loquitur: *Cum fuisset in templo Simeon, vidit quidem multas matres cum filijs suis in templum ingredientes, ad peragendum sacrificium purificationis.* Postquam sanctus Simeon responsum de cælo accepisset, fore, vt pro consummatione, & adimpletione legis, Dei mater vna cum vnigenito filio suo Domino nostro templum ingressura esset, sollicitus ipse templum quotidie frequentabat, dumque desideratum videre spectaculum vehementissime percuperet, accidit, quod multæ aliæ mulieres, filios suos ad pectus baiulantes, templum eundem ob finem ingrederentur, ob quem illud ingressura quoque erat ipsamet virgo Deipara. Quodsi ita est vnusquisque hic merito interrogare poterit, Quomodo iustus Simeon Deiparam filium Dei & suum in brachijs baiulantem, & templum in aliarum mulierum, filios quoque suos baiulantium consortio ingredientem, inter tot alias matres cognoscere & discernere potuerit? quodnam signum habuit, vnde Beatissimam Virginem Dei esse matrem cognouit? Respondet Timotheus: *Iustus autem Simeon huc & illuc oculos circumferens, postquam vidit multas matres in priuato habitu maternitatis, solam autem virginem infinito & diuino lumine circumdatam: separauit reliquas mulieres.*

Timoth. presbyt. Ierosol. apud Lippom. 2. Februa.

4. Postquam Regina mundi in cælum translata est, S. Ioannes nepos eius & Christi cognatus eam videre meruit veste quadā à Deo eidem præparata, & ex radijs solaribus contexta amictam: *Amictam sole.* Beata virgo Deipara quantum mihi persuadere valeo, S. Ioanni Apostolo, veluti Sole amicta demonstrata fuit, vt inde intelligeretur, splendores eius ad instar solis fuisse, non vero ad modum lunæ, aut alterius planetæ, aut cuiuscunque alterius stellæ. Ratio vero huius opinionis ex eo colligitur, quod S. Vincentius Ferrerius dicit, qui vult solem, ob nullam aliam rationem latino hoc nomine, sol, appellari, nisi quia sol plus quam omnia alia luminosa corpora lucet, atque resplendet, idque ex tribus illis demonstrat literis, ex quibus, nomen hoc *Sol* componitur, quæ sunt trium sequentium verborum capita & literæ initiales: *Super omnia lucens.* Hoc igitur supposito, nimirum solem super omnia lucere, quæcunque illa demum sint, facilis & euidens est ratio, ob quam Deus Deiparam Virginem sole vestitam demonstrauerit: *Amicta sole*, quia videlicet haud aliter, quam sol aliquis super omnia alia luminaria resplendet, nec quicquam est, quod radios suos adæquare possit. *Super omnia lucens.*

S. Vincent. serm. 3. dom. 2. Adu.

5. Dic sodes, si nosti, quo in habitu S. Gabriel B. Virgini apparuerit quando Deus hunc ad illam tanquam legatum siue nuntium, Incarnationem vnigeniti verbi sui insinuantem submisit? S. P. Ephrem Syrus dicit ipsum in serui siue vasalli habitu venisse: *Angelus Gabriel in Nazareth seruili habitu ad te Virginem matremque Dei integerrimam clamans cecinit.* Sed qua ratione hic magnus Dei Angelus in forma seruili cōparuit? Et vbinam tunc erat Angelorum cælestiumq; spirituū maiestas? Quodsi Angeli alias de cælo in terram cum hominibus tractaturi descendētes, non solū timebātur, sed magnam insuper ab hominibus venerationē accipiebant (nemo enim est qui nesciat, cum qua reuerentia tres illi Angeli è quibus S. Gabriel vnus erat, ab Abraha patriarcha honorati & excepti fuerint) qua ratione nunc ex sublimioribus cælorū spiritibus vnus, coram muliere & quadam Abrahæ filio in habitu apparet seruili siue vasalli? Rationem huius subito intelligetis, si atten-

Ephrem de laud B Virg. Maria.

attenderitis quod stellæ cæli, quantumuis sint luminosæ, attamen quando in præsentia solis consistunt, non solū non resplendeāt, verùm adeo etiam obscurentur, vt tametsi præsentes sint non tamen appareant. Vnde nonnemo ex ijs Emblema efformauit, cum hac subnexa Epigraphe: *Non cernuntur & adsunt*. Ecquid sunt Angeli in cōparatione ad Deiparam virginē, nisi stellæ quædā & lumina diminuta, quæ tametsi in cæterorum hominum præsentia, luminosa esse appareant sydera, tamen in magni illius solis conspectu consuetæ maiestatis suæ splendorem adeo amittunt, vt iam non principes aut Domini, sed serui esse videantur, atque vasalli, vt videre est in S. Gabriele: *In seruili habitu.*

Cant. 6, v. 9. 6. Vnde Cardinalis Petrus Damiani exponens verba illa Canticorum: *Electa vt sol*, atque Deiparā virginem sub solis symbolo intelligens hunc conceptum nostrum diuinè confirmat & dicit? Sicut sol *Ita sibi* Petr. Damian. serm. 40. *syderum & lunæ rapit positionem, vt sint quasi non sint, & videri non possint*: Sic Deipara *in illo inaccessibili luce perlucent, sic vtrorumque spirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione illius, nec debeant nec possint comparere*. Elegans profectò est ista comparatio. Sicut enim sol dum nostrum hemisphærium collustrat, cuncta luminaria, idest, tam stellas minores, quam maiores radijs suis obscurat, vt planè non appareant, haud aliter quam si non sint. Eadem quoque ratione Beatissima Dei mater inter beatorum spirituum, gloriosarumque animarum exercitus in cælis exaltata, talibus coruscat splendoribus; tamque insolitum de se lumen vibrat & effundit, vt omnia alia luminaria spiritualia, coram ipsa obscurentur & abscondantur: *Vt sint quasi non sint nec possint apparere.*

7. Insuper notandum est, parua & diminuta cæli sydera siue animas beatas longe alium in cælo empyreo de se vibrare splendorem, quam in cælo stellato, fecerint; clarum enim est omnia beatæ illius patriæ luminaria meros soles esse, ipsomet ChristoDomino teste, dicēte: *Iusti fulgebūt sicut sol in regno Patris eorū.* Matth. 12. v. 43.

Et tamen in sanctissimæ Deiparæ præsentia siue conspectu, magni hi soles, veluti si ne quicquā lucerent, sic totale lucis patiūtur deliquiū & obscurantur. *Vt sint quasi non sint, nec possint apparere*. O Deum immortalem! Quam augusti atque ingentes erunt magnæ huius Dominæ radii coram quibus ipsi quoque lucidissimi soles obumbrantur! *Vt sint quasi non sint?*

Vnde idem sanctus Doctor, rationem ob quam spiritus sanctus, ad declarandos Virginis Sponsæ immensos splēdores & pulchritudinem, solis præcipue vsus sit symbolo, considerans, dicit, illum hac præcipue vsum metaphora fuisse, eo quod in rebus visibilibus illustriorem habere similitudinem minimè potuerit: *Nihil enim habuit spiritus sanctus in visibilibus excellentius, cui excellentiam Virginis compararet*. q. d. Cum Se enissimam Paradisi cælestis reginam soli assimilari audiitis, ne id ideo accidisse credatis, velim, quasi ea, quæ ex sacro vultu suo vibrat, lumina radiis solaribus sint similia? Minime gentium; Nam illis incomparabiliter prorsus sunt longe maiora. Sed ideo potius factum id est, quia spiritus sanctus in rebus sēsibilibus & visibilibus sublimiorem aut excellentiorem reperire similitudinem non potuit: Quod si enim talem ad manum præsto habuisset, solem vtique in comparatione ad sponsam suam Virgineam pro nihilo omnino duxisset. *Nihil enim habuit spiritus sanctus in visibilibus excellentius.* Petr. Damian. ibi.

8. In cuius confirmationem, sanctus P. Georgius Archiepiscopus Nicomediensis de admirabili augustissimæ huius Dominæ pulchritudine loquens, sequentia verba dicere non dubitauit: *Cuius pulchritudo est incomparabilis, & gloria ineffabilis, cuius lux oculorum solis superat radios.* S. Grego[rius] Archiep[iscopus] Nicomed[iensis] apud Li[pom.] pom. 21. Nou.

Pulchritupo Deiparæ adeo est incomparabilis, adeoque ineffabilis est eius gloria, vt oculorum suorum splendor ipsiusmet solis radios superet. Tametsi enim inter cuncta creata & visibilia, nulla sit pulchritudo, quæ cum solis decore cōparari queat, ob magnæ sphæræ huius admirabile lumen, sine vlla tamen comparatione illustrior magisque conspicua est pulchritudo Deiparæ Virginis, siquidem ex solis eiusdem oculis

lis tantus vibrari splendor conspicitur qui solis lumen obscurare sufficiat: *Cuius lux oculorum solis superat radios.*

9. In huius considerationis nostræ confirmationem sanctus Bruno gloriosissimus ille Patriarcha aliquid dicit summe mirandum: *Considera modo*, inquit, *cuius pulchritudinis fuerit, cuius splendor & pulchritudo Cælos penetrabat: inde Angeli admirabantur eam, Gabriel recto itinere venit ad eam.* q. d. Vide quam admiranda fuerint eius lumina, vtpote, quæ in cælum vsque Empyreum penetrabant, ibique coram Beatorum spirituũ sacro exercitu conspicuũ se exhibentia, cunctos in admirationem rapiebant angelos, è quibus S. Gabriel accepta Salutationis nomine totius sacræ Triadis eidem deferendæ commissione, illius coram videndæ percupidus recto itinere, & absque vllo diuerticulo ad eam venit. Idipsum autem, quod in Doctoris huius verbis adductis notare vos velim, est quod dicat virginalis vultus sui radios cælos penetrasse: *Cuius splendor & pulchritudo calos penetrabat.*

S. Bruno serm. de Annunt.

Quod vt pro nostro proposito melius intelligatur, aduertendum est, quod tametsi sol per respectum ad terram, cælo vicinus sit, per hanc tamen viciniratem, tantam lucis copiam, quæ eo pertingere aut in beatam illam patriam peruenire posit, non habet, imo tametsi illam lucis vehementiam haberet, & vsque ad ipsos cælos pertingere posset, nihilominus inter tot innumerabiles soles, cuiusmodi sunt Angeli singuli, animæque sanctorum, non solum nullum de se vibraturus esset splendorem, sed etiam obscurus esse depræhenderetur. Radij autem quibus virgineus Patronæ nostræ vultus, quamdiu hic nobiscum in terris vixit, corruscabat, tametsi à cælo empyreo incredibiliter longius sole distaret: eo tamen vsque efficaciter pertingebant, adeoque cõspicui, clari, atque lucidi erant, vt in admirationem splendidam illam mire raperent aulam: *Cuius splendor & pulchritudo calos penetrabat.* Videte igitur, quanto circumdatus lumine fuerit augustissimus ille cælestis Reginæ vultus, tanto, videlicet, vt in tantæ lucis comparatione, ipse quoque sol minus lucidus, minusq; pulcher esse videatur. *Cuius splendor & pulchritudo calos penetrabat.*

10. Refert S. Lucas S. Elisabetham, mox vt Beatam virginem in domum suam recepit, illam quoque tanquam Dei matrem honorificè salutasse, nam foras egressa, vt reuerenter eidem occurreret, exclamauit, & dixit: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Quærere autem hic nonnemo merito posset, quodnam S. Elisabeth in sanctissima Deiparente signum viderit, vnde in admirabilem hanc notitiam venire potuit? S. Paulinus Episcopus Nolanus dicit, ingentem quendam fuisse splendorem, qui è vultu eius dimanabat, qui illam matrem Dei esse significabat.

Luc. I. v. 43.

Illa vbi concepto fulgentem lumine longe
Conspexit Mariam, celeri procul incita gressu
Obuia progreditur; Venerataque brachia tradens,
Salue, ô mater, ait, Domini, salue pia Virgo.

S. Paul. de S. Io. Bap.

Vnde perspicue videtur, gloriosam virginem, postquam Paradisi solem suo in vẽtre reclusit, plusquam vnquam alias fulgidam, nouo cuidam & admirabili cometæ fuisse persimilem, quo in oculis eorum, qui illam intueri merebantur, tam ingenti conspiciebatur luce circumdata, vt omnes illam intuentes in stuporem raperentur. Vnde sub montis Thaboris merito adumbratur symbolo, qui vti iam audiuistis, *Aduentus luminis* interpretatur. Ex particulari nãque eius priuilegio, in ipsa sola illud de cælo descendens inaccessibile lumen reclusum fuit, quod Angelos illuminat & homines.

11 Supra diximus, nonnullos, qui hũc Matthæi locũ, quo de sanctissimo Ioseph virginis sponso dicitur. *Accepit coniugem suam & non cognoscebat eã*, interpretantur, velle, illum de nouo quodam & extraordinario lumine, qui præter morem solitũ in vultu virgineo notabatur, intelligendum esse è quibus est S. P. Hilarius, hunc in modũ hac de re discurrens: *Propter sanctissima Maria glorificationem à Ioseph cognosci non potuit, donec peperit. Dominum enim gloria habens in vtero, quomodo cognosceretur? Si Moysi cum Deo colloquentis glorificata est facies vt non possent*

Matth. I. v. 25.

S. Hilar. apud S. Thom. Cant. ibid.

possent intendere in eum filij Israel: quanto magis Maria cognosci vel intueri non poterat; quæ Dominum potentiæ in vtero habebat. Equibus verbis notandum est, quod cum Beata Virgo, priusquam facta esset mater, conspici luculenter & clare à Ioseph potuerit, nō vero postquam verbi incarnati facta est mater, exinde veluti ex signo euidenter satis colligi possit, quod postquam in magna illa sacri ventris sui sphæra, soli gloriæ locum dedit, sacratissimi vultus sui lumina, plusquam alias vnquam intensa & aucta fuerint, ita etiam, vt eorum qui illam intueri satagebant, obtutum sæpe oppresserint.

12. Maiori stupore intellectus humanis corripi nequit, quam sit ille, qui ex sequenti nascitur cōsideratione quomodo scilicet verbum illud æternum, quod in Paradiso cælesti ad dexteram patris gloriosum, infinitisque luminibus circumdatum inter innumerabilium Beatorum spirituum illi ministrātium prompta obsequia, ineffabili cum Maiestate sedet & regnat, postea in virginalis ventris augustijs nouem mensium spatio reclusum atque restrictum fuerit. Quomodo enim qui hoc ipsum penitius considerat præ stupore, non altum exclamet? Ergone fieri potest, vt Rex tanto temporis spatio foris extra regnum suum commoretur? Dominus absque vllo famulorum seruorumque comitatu? Deus sine cœlo & cœli aulicis? vbi est cœlum illud stellatum, quo ipse alias solij loco vti consueuit? vbi stellæ matutinæ, quæ ipsum quotidie laudare non cessant? Vbi sol, templum, & sublimis Maiestatis suæ tabernaculum? Verum enimuero cesset omnis stupor, omnis deinceps admiratio cesset, quia, vt vult Albertus Magnus, quamdiu Deus commoratus est in ventre Deiparæ Virginis, eadem prorsus fuit Maiestate circumdatus, qua cinctus conspiciebatur ab Angelis in cœlo: *Dominus enim quando descendit, non sine regno calorum fuit, sed cælos cælorum, imo regnum cælorum secum tulit.*

Albert. super Missus est c. 36.

Id quod iure meritissimō dicitur, nam vbicumque est Deus, ibi quoque necessum est vt sit Paradisus, sicut dici solet, vbi imperator est, ibi quoque est Roma. Nam vt scribit Herodianus, dum Commodus imperator mortuo Patre suo Marco Antonio, magnum quoddam stratagema bellicum, multo antea tempore meditatum atque tentatum, esset executurus, maximoque cum feruore & studio suos expugnatur inimicos, operis difficultate deterritus, vt certamen declinaret, Romam repetere statuit vt ijs in quibus natus & enutritus fuerat delitijs frui denuo posset. Quod cū alijs magnanimis belli ducibus vehementer admodum displiceret, multis ipsi hoc conati sunt dissuadere atque inter cæteras rationes prægnantes quibus vt ipsum ab hac iuuenili leuitate diuerterent, vtebantur, hanc quoque adduxerunt; *Roma illic est, vbi imperator est.* Quibus verbis innuere volebant; Nequaquam conuenire, vt Imperator Romanus inhiet delitijs, siquidem maioribus Romæ frui non possit delitijs, quam sint illæ, quibus fruitur, vbicunque moratur. Nam Roma non alia ratione Romæ dicitur, quam quod eidem præsens Imperator assistat: qui si Roma discedat, eo Romam eiusque secum deferet, delitias, quocūque se recipit, aut vbicunque gentium ipsum morari contigerit. Pari quoque ratione videtur Albertum Magnum voluisse dicere, quod Deus de Cælo in gloriosæ Virginis vterum demigrans, omnes eosecum deduxerit cœlos, cælorumque gloriam. *Cælos Cælorum, imo regnum cælorum secum tulit.*

Herodianus lib.

Conceptum hunc confirmare voluit magnus Mediolanensium Archiepiscopus S. Ambrosius qui de incarnatione filij Dei loquens, dixit: *Non tam mutasse videtur sedem Dei filius, quam transtulisse.* Quando verbum æternum de cælo in terram, in Deiparæ Virginis descendit vterum, non tam mutasse sedem, quam transtulisse videtur; non enim in ventre matris, quasi extra cælum constitutus erat, sed ibidem erat veluti in cælo, quippe qui in beato illo claustro, cum omnibus illis erat splendoribus, quibus in cælo circumdatus erat.

Ambr. Apolog. Dauid cap. 12.

Vnde eo tempore, quo Christus gremio claudebatur materno, in eodem velut in sacratissimo templo omnia pariter claudebantur cæli, & gloriæ æternæ splendores & lumina.

Hoc igitur supposito, velim persuadeatis

tis vobis, omnes cæli, stellarum, Lunæ, Solis, cæterorumque cælestis Paradisi luminarium splendores vni cuidam triclinio miraculose esse inclusos, vosque in idem vestrum figere posse obtutum, videreque illos qui inde è fenestris triclinij illius emicarent splendores. Quo in casu haud dubie, ne quidem in ipso etiam cælesti Paradiso, salua tamen diuina facie, tantum lumen reperiri posse existimabitis. Tali ergo lumine coruscabat facies Virginis Deiparæ, eo præcipue tempore, quo Deus carne nostra vestitur, & homo factus eius portabatur in vtero. Et quidem omnino existimo, quod si in ipsummet cælum aliqua cadere inuidia posset, tantam ipsi luminis immensitatem haud dubie cælum ipsum inuidisset.

Ecce igitur cæli terræque Reginam tam intus, quam foris, tam in anima quam in Corpore, admirabili prorsus lumine cinctam atque vestitam quæ proinde vnicuique illam clare & facie ad faciem intueri merenti, nouus quidam diuinusque planeta, qualis hactenus in mundo nunquam apparuit, videri poterat. Verus nimirum mons Thabor, in quem cuncta cæli luminaria confluxerunt: *Aduentus luminis.*

SERMO XII.

In Dominicam Secundam Quadragesimæ.

Assumpsit IESVS Petrum & Iacobum

Matth. 17.

Visio illa quam dilectus Christi consanguineus vidit, & visionum suarum fine Apocal. 21. capit. descripsit, sublimissimis referta est mysterijs, adeoque alta & eleuata, vt illam intellectus humanus non nisi magno cum labore & difficultate intelligere queat. Refert autem Deum sibi die quadam cælestem ostendisse Ierusalem de cælo in terram descendentem: *Ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam, descendentem de cælo.* (Apocal. 21. 2.) Quibus in verbis peculiariter notandum est ly (*Descendentem*) Dicendo enim se illam descendentem vidisse, duo significare poterat; vel quod illam viderit agi præcipitē; vel quod illā super humeros alicuius deferri cōspexerit: cum enim animata non sit, dici nequit ipsam pedum suorum gressibus illuc venisse, aut alis suis, quas habere forte potuisset, eo deuolasse. Et quidem quod primum sensum attinet, clarum est atque perspicuum, illum nequaquam subsistere posse; neq; enim possibile est, gloriosam illam machinam vnquam deorsum præcipitari aut deturbari posse, cum Psal. 47. v. 9. scriptum sit, quod magnus ille architectus Deus: *Fundauit eam in æternum.* (Ps. 47. v. 9.) Et Rupertus Abbas ingeniosissime notans, quod sacer textus dicat: *Descendentem*, subiungit: *Non cadentē.* (Rup. Ab. in Apoc. ibid.) Quod autem prout habet secundus sensus, à nonnemine deorsum portata fuerit, qua ratione id intelligi possit, profectò etiā nescio. Quis enim quantūuis fortis & robustus gygas, tam ingenti moli collum aut humeros suos supponat. Quisnam fabulosus ille Atlas esse

deberet,

deberet, qui cælestis paradisi ciuitatem de cœlo portare in terram posset? vtpote, quæ terminos suos incomparabiliter latius, quam tota terræ machina extendat atque dilatet. Samson vir certe fortissimus, quem vnquam habuit mundus, ferreis humeris suis vix per breue quoddam viæ spatium deferre potuit ciuitatis alicuius Philisthæorum portas, quomodo igitur alius quispiam inuenietur, qui integram quandam ciuitatem, adeo spatiosam & magnam, imo immensam de cælo in terram deportare valeat?

Porro ego scripturam hanc accuratius considerans inuenio, primum quidem sensum prout optimè aduertit Rupertus stare nequaquam posse: secundum vere esse verissimum: portata namque fuit magni illius gygantis humeris qui Psalmographo teste, ipse quoque de cælo in terram descendit: *Exultauit vt aquas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius.* Qui licet omnes tam homines quam angelos virium superet magnitudine, se tamen humiliare, atque in terram descendere, vt hominem redimeret, dignatus est, ciuitatem cælestis gloriæ vna secum deportans, eandemque triginta tribus annis, quocunque pergebat complexus, inter omnes homines viatores solus compræhensor erat atque beatus. Et tametsi illam sub passibilis carnis nostræ cortinis absconditam semper atque conclusam seruauerit, attamen dum aliquando montis Thaboris conscendisset verticem reuelare illam voluit, imo de facto eandem S. Ioanni in sanctorum Petri & Iacobi consortio existenti manifestauit: *Transfiguratus est ante eos.* Quod spectaculum S. Petrus in Epistolis suis toti mundo aperuit, nec non & in Apocalypsi sua S. Ioannes, vbi dicit se à Christo in altum quendam montem fuisse perductum (forte in montem Thabor se perductum vult asserere) ibidemque gloriosam quandam conspexisse ciuitatem, quam Christi anima de cælo in terram transportarat: *Vidi sanctam ciuitatem Ierusalem.* Quo in loco viuam pro communi consolatione nostra proposuit cælestis gloriæ siue ciuitatis cælestis idæam. Dum primo locum illius describit, qui erat mons quidam altus, supra quem illam Deus fabricare decreuit: *Sustulit me in spiritu in montem magnum & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem* Mox formam depingit, quæ in quadro formata erat: *Ciuitas in quadro posita est.* Tandem fundamenta, portas & plateas quæ ex auro & gemmis constructa erant: *Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ. Et platea ciuitatis aurum mundum.* Ad considerandum viuaciter magnam hanc ciuitatis cælestis Ierusalem nobis prædelineatæ idæam operæ pretium erit, studeamus & conemur vt aliqua saltem ex parte stupenda & ineffabilia quæ Deus in altera vita electis suis præparat contemplari possimus. Et primo quidem montem consideremus in quo cæleste istud ædificium erigitur.

Apoc. ib. v. 10.

CONSIDERATIO I.

Transfiguratus est.

Beata gloria patria sublime adeo à nostro elongatur conspectu, & eleuatur, vt nec linguas, nec vocabula habere valeamus, qua illam aliqua saltem ex parte explicare possint.

1. CVm S. Ioannes Apostolus dicat, ciuitatem cœlestem à Deo eleuatam esse supra montem, & quidem supra montem magnum & altum. *In montem magnum & altum,* simul quoque significare voluit, ciuitatis eiusdem bona atque diuitias, quibus ciues & incolæ eius perfruuntur ab humanis sensibus valde esse remotas, ideoque eosdem valde transcendere, adeo vt non tantum oculi illas nequeant assequi, sed nec explicare illas lingua hominis valeat, quantumuis diserta & facunda, adeo sunt magna & abundantia, omneque bonum terrenum excedunt.

2. Postquam Christus ex hoc mundo discessit, & in cælum ascendit, Apostoli in monte Oliueti oculis sursum defixis, & in cælorum sublimia respicientes hæserunt. Duo autem illis apparentes Angeli, pertinacem hunc illorum in cælum obtutum demirati causam illius ab ijs sunt sciscitati: dicen-

Act.1.v.11 dicentes *Viri galilæi quid statis aspicientes in cælum?* Nunc igitur videamus, quid non hi Angeli per hanc suam interrogationem ab Apostolis petierint, aut habere voluerint. Num forte nolebant Apostolos in cælum respicere? Nequaquam id existimo quid enim illis hic Apostolorum Christi tam firmus in cælum aspectus damni afferre poterat, vt inde adeo offenderentur?

Quantum ego quidem assequi possum, non prohibebant hi Angeli Apostolos in cælum respicere, ideo quod obtutus ille aliquod illis accersere damnum potuisset, sed quia illis displicebat ea, quàm faciebant, pretiosi temporis iactura, ideoque illos tanquam homines ignauos & otiosos reprehendebant. S. Augustinus horum Angelorum verba declarans pulchre finem illum exponit, ob quem Angeli Apostolos in cælum respicere vetabant, dicentes: *Quid statis aspicientes in cælum*, quid enim, inquit, S. Aug. Q. Euang.2. q.39. *aliud dixerunt, nisi nullo modo posse oculos hominum vsque in illud penetrare secretum, quo ibat Dominus?* Quia enim sancti hi piscatores, tanquam homines simplices & idiotæ, mirabilia de ciuitate illa cælesti intellexerant, hinc sibi persuadentes quod illa per hanc occasionem, qua cælum ascendenti aperiendum erat Domino, videre possent, oculorum suorum obtutum in Charissimum magistrum suum deflexerunt, vtpote qui in beatam illam patriam iter suum illa die instituerent. Scientes autem Angeli quam illis hoc esset impossibile, illorum admirantes simplicitatem, eosdem reprehenderunt, tanquam si eisdem dixissent: An non stultitiam vestram ac nimiam simplicitatem aduertitis, quam vel inde palam facitis, quod ad intuendam Beatorum gloriam, oculos in cælum dirigatis? quomodo enim oculi vestri tanta bona assequi poterunt, quæ in tam sublimi, & alto loco, Deus recondidit? Quare obsecramus, desinite vos deinceps hac in re defatigare, nihil enim aliud hoc labore obtinebitis, quàm quod magnam pretiosi temporis vestri facietis iacturam. *Quid statis aspicientes in cælum?* Merito igitur repræhendebantur, quantumuis enim homo, linceis esset præditus oculis, nunquã tamen cælestis Paradisi assequetur aspectum, adeo namque sublime, & procul à nobis ille est repositus & collocatus, vt illum humani sensus nostri attingere nequaquam valeant: *Nullo modo possunt oculi hominum vsque in illud penetrare secretum.*

3. Dauid Propheta de diuina gloria, & infinitis bonis, quæ Deus Christiano homini sursum præparata asseruat, loquens dicebat: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Hugo Cardinalis hunc locum ponderans, causam sciscitatur, ob quam Propheta, cum dixisset Deũ in cælis aliqua præparasse pauperi, non simul etiam explicauerit quidnam sit illud, quod Deus pauperi præparauit. *Nec dixit, quid parauerit.* Et merito quidem idipsum petit, modus enim ille loquendi truncus & concisus, & omni destitutus conclusione esse videtur. Respondet autem cum Apostolo in 1. ad Corinthios: *Quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum.* Non ideo Dauid illud, quod Deus dilectis suis præparatum habet in cælo, exponere intermisit, quia nimirũ suum nescierit cõcludere sermonẽ, sed quia id explicaturus de ineffabilibus bonis illis loqui debuisse, de quibus viribus humanis, nullus adæquotos haberi sermo potest; Illa namque adeo sunt sublimia, alta, procúlque à nobis remota, vt cum nec oculus illa videndo, nec auris audiendo, nec cordis cogitationes illa sibi imaginando assequi possint, cõsequenter nec lingua de ijs loquendo, ea possit attingere. Ps 67.v.11 Hugo Card. ibid. 1.Cor.2.v.9.

4. Ex illo Canticorum loco, in quo sponsa gutturt dilecti sui collaudans dicit: *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* Rupertus Abbas pulcherrimum elicit conceptum, dignumq; qui ad præsens nostrum propositum elucidandum magnopere æstimetur. Imprimis namq; in hunc locũ notat, sponsã eodem loco totã se occupasse omnes sponsi sui partes omniaque corporis sui membra collaudando, ideoque pro singularum partium speciali encomio proportionatas admodum excogitasse similitudines & metaphoras, sic namque caput auro assimilauit, Capillos palmæ, oculos illius oculis columbarum, labia lilijs, manus hyacinthis; Ventrem ebori, Crura duabus marmoreis columnis. Tandem cum illius quoque gutturi, conformiter alijs iam nominatis Cant. 5. 16.

membris suam quoque attribuere deberet analogiam, nullum illi prorsus symbolum annexuit, sed solum dicit esse suauissimum, nihil nominando, cui guttur assimilandum veniret: *Porro guttur nulli rei simile, sed tantummodo suauissimum dixit*: Cur non etiam gutturi, sicuti alijs membris adiunxit similitudinem? Cur non dixit Guttur eius dulce est sicut mel, suaue vt saccarum delectabile vt nectar & Ambrosia, aut alius aliquis liquor similis? Ad quod diuinè prorsus respondens dicit: Guttur, in quo interior hominis delectatio, & gustus reperitur, significare in Christo beatificam diuinæ essentiæ visionem, qua interius in anima sua fruebatur, quæ adeo magna est, adeoque procul à rebus nostris corporalibus remota & disiita, vt cunctas terrenas in infinitum superexcedat dulcedines. Atque ideo de illa tractatura sponsa, nullâ in terris reperire potuit similitudinē aut comparationem, quærite, quidnam illa sit, explicaretur, quia incomparabilis est & inexplicabilis, nec aliud de illa, quam quod suauissima sit, explicari potest: quanta autem & qualis sit illa suauitas, lingua hominis non potest exponere. *Porro guttur nulli rei simile, sed tantummodo suauissimum dixit, vt per hoc recogitet ineffabilem & inæstimabilem esse internam dulcedinem Diuinitatis: vt merito dictum sit illud, quod diligentibus Deum præparauerit, quale nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.*

Rup. Ab. ibid. lib. 5.

Rup ibid.

5. Duo ex discipulis S Ioannis Baptistæ scholam præceptoris sui deserere, & mundi Saluatorem Christum Dominum sequi volentes, studiose valde eum inquisiuerunt, ideoque de domo seu loco mansionis suæ eum interrogarunt: Quibus Christus hisce verbis respondit. *Venite & videte.* Vbi notandum, quod dum quispiam, de domo sua, in qua habitat, interrogatur, communiter illam demonstrare, hisque aut alijs similibus verbis illam ingrauatè circumscribere solet, dicēdo verbi gratia: Ego in tali vico habito, tali domui sum proximè vicinus, in capite talis vel talis plateæ: Domus mea ex solido marmore fabricata est, talis deforis habet picturas, & alia hisce similia adducere signa solet, ex quibus domus suæ perspicue satis agnosci & ab alijs secerni possit. Cum igitur verbum Dei incarnatum de domo in qua habitaret interrogatum fuerit, cur illis domum suam prædictis, aut alijs similibus verbis non commonstrauit, sed dicere duntaxat voluit: *Venite & videte.*

Io. 1. v. 39.

Alcuinus hunc scripturæ locum interpretans literalem illius sensum deserit & per locum in quo Christus habitat, gloriam regni cælestis intelligit, quam S. Propheta Dauid locum esse dicit Diuinæ mansionis aut inhabitationis, sicut terra locus est in quo habitant homines: *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Hoc igitur supposito, facile colliges, Christum de loco habitationis suæ interrogatum, iure merito illum nullis descripsisse verbis, sed duntaxat dixisse: *Venite & videte, Quasi diceret,* inquit hic Doctor, *habitaculum meum non potest explicari sermone.* Quod si nosse cupitis qualis sit domus mea, quam inhabito, absit a vobis, vt speretis vos illam per verba intelligere posse, neque enim domus illa talis est, quam quoadusque hic in terra viuimus, capere possit intellectus humanus, nisi illam primo ingrediatur, & distincte peruideat atque perlustret, secus enim in explicando eo quod adeo à nobis remotum est, frustra omnis laborabit lingua: *Non potest explicari sermone.*

Ps. 113. v. 16.

Alcuinus apud S. Th. in Caten. in cap. 1. Io.

6. Christus Dominus, vtpote magnus ille Magister, ad quem proprie spectabat varias discipulis suis tradere lectiones, admirabilem hanc illis die quodam tradidit doctrinam: *Ego dico vobis petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis; pulsate & aperietur vobis.* Hugo Cardinalis circa hæc citata verba notat, quod dum Christus Apostolos suos petere quærere, & ostium pulsare docet, ne verbo quidem vnico dicat aut determinet quidnam ab illis petendum sit, aut quærendum. *Cum dicitur, quærite, petite, pulsate, non determinat quid, vel ad quid.* Videtur Christus id omnino explicare debuisse, ad hoc vt hac ratione Apostoli scire potuissent, quid ab illis petendum esset aut quærendum, Secus enim hoc modo loquen-

Lu. 11. v.

loquendo, lectio illius nullius esse poterat vtilitatis, vtpote quæ à nemine intellecta esset. Respondet autem: quod Christus hoc loco Apostolos cælestem gloriá petere docuerit, quod autem hanc expresse non nominauerit, factum id est, vt insinuaret gloriam illam humanitus innominabilem atque ineffabilem esse. *Ad significandum quod istud, quod petitur, quaeritur, & ad quod habendum pulsatur, est innominabile.* Bona atque diuitiæ cælestis illius ciuitatis tam sunt sublimes & excellentes, vt nulla inueniri lingua possit, quæ illam nominare aut loqui de illa digne queat, vtpote quæ ineffabilis prorsus est atque innominabilis. *Ad quod habendum pulsatur, est innominabile.* Hugo Car. ibid.

7. Cum vnigenitus Dei filius S. Ioanni Apostolo literam quandam correctionibus refertam ad Pergami Episcopum transscribere præciperet, tandem ne forte territus desperaret sequentia amicabilia verba adijci voluit: *Vincenti dabo manna absconditum.* Per manna istud Angelicus Doctor cælestis gloriæ dulcedinem intelligi. *Manna, idest, dulcedinem gloriæ in fruitione æterna quia manna dulcissimum erat.* Posset hic curiosulus nonnemo quærere: Quam ob causam Christus Dominus Beatorum gloriam manna appellare voluerit, cum illam alio nomine alterius rei dulcis, quæ non minus Beatificæ visionis dulcedinem significaret, appellare potuisset? Ratio huius esse poterit hæc, quia videlicet cunctæ dulcedines terrenæ, nomen suum habent, excepta dulcedine quam manna habebat, quæ innominabilis extitit. Quando populus Hebræus primitus manna vidit & gustauit, tam ingentem & admirabilem reperit eius dulcedinem, quam in nouo illo cibo depræhendit, vt dum nullum inuenire vocabulum posset, quo illam explicaret aut nominaret eam *Manhu* vocauerit, quod Moyse interpretante idem est ac *Quid est hoc?* Quam admirabilis est panis ille: quam inexplicabilis dulcedo, vt nomina nobis desint aut verba ad illam explicandam aut declarandam? *Quid est hoc?* Ob eandem igitur rationem beatæ gloriæ dulcedo appellata est manna à Christo: *Manna absconditum:* quia nimirum dulcedo quædam sit, quæ humanitus explicari non potuit aut tractari. Nulla est lingua quæ illam sufficienter enarrare sufficiat, ineffabilis est, innominabilis est & indicibilis. *Quid est hoc?* Apocal. 2. v. 17. S. Tho. ibid.

8. Quid existimatis, inquit S. P. Augustinus Dauidem Prophetam dicere voluisse, quando de cælesti gloria tractans Psal. 72. ita inquit: *Quid enim mihi est in cœlo?* Nihil profecto aliud facere intendit, quam declarare quod illa bona quæ Deus in gloriosa patria illa præparata habet, inexplicabilia sint prorsus & ineffabilia. Audite ipsissima sancti Doctoris verba; *Quanta sint supernæ ciuitatis gaudia, ea enarrare non sufficiens clamabat. Quid mihi est in cælo? quasi diceret excedit vires meas facultatem eloquentiæ meæ, transcendit capacitatem intelligentiæ meæ illud decus, illa gloria, illa celsitudo.* Tametsi Dauid magnus ille Propheta fuerit, cuius lingua ipsamet affirmante, in diuinorum mysteriorum sacramentorumque secretissimorum declaratione velox erat vt calamus scribæ velociter scribentis: attamen de cælestis gloriæ tractaturus diuitijs, adeo illas experiebatur altas atque sublimes, vt nesciens aut non valens discurrere, imo ne quidem verba ad eloquendum idonea reperiens, balbutiuerit, & ad eum fere modum quo Hebræi primitus manna videntes, stupore & admiratione fuerit repletus. Neque enim est lingua aliqua tam erudita, velox & elegans, quæ de cælestis Paradisi gaudijs digne loqui aut discurrere possit: *Excedit facultatem eloquentiæ meæ.* Ps 72. v. 25. August. ser. 44. de sanctis.

9. Mirum quid inuenio in Epistola à S. Paulo ciuibus Romanis inscripta, vbi S. Apostolus dicit, quod cum simus filij Dei, futurum quoque sit, vt in cælo tanquam filij eius futuri etiam simus hæredes: *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filij Dei; si autem filij, & hæredes.* Circa quæ verba S. P. Bruno pulchrum mouet dubium; & dicit: Quandoquidem illi vulgo appellantur hæredes, qui in possessionem & proprietatem ingrediuntur bonorũ alterius post mortem illius. *Vsus habet hæredem esse morte successoris,* quomodo nos Dei veluti magni patris nostri, hæredes fieri poterimus, cum Deus sit immortalis, nec vnquã mori possit? Et dicit quod quantũuis Deus sit immortalis, nos tamen Rõ 8. v. 16. S. Bruno ibid.

men nihilominus, prout dicit S. Paulus, veri hæredes Dei futuri simus in cælo, omnium infinitorum bonorum suorum Dominium & proprietatem integerrime possidendo. Atque huius dicti divinam adducit rationem: *Quia Deus quodammodo nobis moritur in futura beatitudine.* Neque enim se Deus nobiscum dum in beata illa versabimur gloria, aliter habebit, quam si mortuus esset, id est, faciet nobiscum ad instar illius, qui per mortem suam omne quod possidet, ita integre suis relinquit hæredibus, ut nihil illius suæ relinquat proprietati.

Unde quando nos cum Dei gratia in gloriosa illa erimus civitate, omnium divinorum bonorum Domini possessores erimus & proprietarij, haud aliter, quam si mortuus esset Deus, nihilque illorum sibi reservasset. Et profecto reapse ita omnino erit, quia tunc ne ipsemet quidem suus erit, sed totus quantus est, noster erit, cum omnibus facultatibus suis atque divitiis, tam iis quas in cælo, quam aliis quas in terra, totoque hoc universo possidet. Eat igitur nunc balbutiens hominis lingua, probetque num aliqua saltem ex parte eas, quas Deus in minima tantum terræ parte possidet divitias, explicare possit; haud dubie namque inveniet, id ipsum omnem possibilem eius superare conatum & vires. Atque ideo quomodo cæli explicare bona poterit, in quibus opulentissimi asservantur thesauri, iique omnes pro sola hominis beatitudine præparati. Reliquum itaque erit, illa humanitus esse ineffabilia, neque explicari aut dici digne ulla ratione posse.

10. Deus die quadam cum Abraha amico suo agens, eidem solita cum libertate & confidentia dicebat, statuisse se suos labores æterno cælestis beatitudinis præmio compensare. Sed nota verba Dei, sic enim loquitur: *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Indubitatum est, Deum hic de cælesti gloria loqui, hæc namque à Theologis merces appellatur: *Visa est tota merces,* ad eundem modum quo appellatur in præsenti. Oleaster verba hæc audiens, Deum ita alloquitur, operæ certe pretium esset, ô Domine, ex quo Abrahæ dignatus esse propitius, eiusdemque decrevisti præmiare labores, ut simul à Maiestate tua præmium illud dandum explicaretur & declararetur, ita namque apud homines usu comparatum est, ut res aliqua nihili æstimetur, cuius valor ignoratur. Deinde respondet, nullam esse aliam rationem, cur Deus præmium illud non explicet, quam: *Quoniam res sunt ineffabiles, iniuriam se sibi esse timet, si eas fari incipiat.* Quia merces illa cælestis, quam Deus tunc Abrahæ promittebat, magnis imo infinitis referta est bonis, iisdemque humanitus ineffabilibus; magnam illi Deus fecisset aut irrogasset iniuriam, si illam ad captum Abrahæ, ut videlicet à servo suo posset intelligi, exposuisset, neque enim nos in terra vocabula habemus, quorum nobis ad thesaurorum illorum explicandam magnificentiam usu esse posset. *Quoniam res sunt ineffabiles*

Gen. 15. v. 1.

Oleast. in c. 41. 1.

11. Unde Hugo de S. Victore conceptum illum confirmans ait: *Theologia dives rerum sed vocabulorum pauper, hæc nomina, Corona torques, ad intelligendum æternæ retributionis præmium sæpe transumit,* eo quod hæc & his similia apud mundi huius homines magnopere æstimentur; nec tamen id facit, eo quod sibi persuadeat, retributionem æternam per exteriora illa symbola, aut eorundem nomina complecti, & quantum satis est explicari posse, sed quia vocabulorum pauper, proportionata non habet verba, nec sufficientia symbola, ad infinita bona illa proponenda hæc saltem dicit quod potest. Revera enim gemmæ, aurum, Coronæ & omnia alia, quæ apud mundum hunc sunt in pretio, lutum sunt & stercus in comparatione divitiarum cælestium. Pauper admodum & inops est lingua humana, quando sese ad loquendum de rebus cælestibus exsolvit.

Hugo de S. Vict. de sac. lib. 1. c. 57

12. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus scribit, Doctori Angelico, eo tempore quo orationi vacabat, animam cuiusdam ex ordine suo in sacra Theologia Magistri, familiaris sui amici, cui nomen Romanus erat, non adeo dudum demortui, tunc autem in Cælo beati existentis apparuisse. Cui cum sanctus Doctor inprimis de æterna gratulatus esset felicitate mox quæstionis alicuius solutionem ab illo postulavit, illius videlicet, quam Theologi in scholis in materia de Beatitudine sub his fere terminis proponere solent. *Verum habitus scientiæ in hac vita acquisiti, rema-*

S. Anton. p. 3. to 2. c. 7. §. 3.

remaneant in anima post hanc vitam? Cui Beatus Romanus respondit: *Ego Deum video, nec de hoc amplius requiratur.* q. d. Aliud tibi nescio dicere, quam quod Deum videam. cæterum de rebus cælestibus aliud à me quære, te volo, qui de hisce respondere tibi non potero. verumenimvero merito dicat aliquis, cur Beatus iste qui apparebat Quæstionem hanc non resoluit, aut ad illam nihil respondit, certe excusare se nequaquam poterat quod eandem resoluere non posset, vtpote qui iam de facto in cælis erat, & per experientiam videbat, num habitus scientifici in scholis acquisiti in anima post hanc vitam remaneant. Cur igitur aliud nihil dicere voluit, quam *Ego Deum video.* Porro quantum ego quidem persuadere mihi possum, non respondit, non quasi responsum dare aut nesciret, aut non vellet, sed quia respondere non poterat. Et ratio illius est, quia loquendum illi de rebus cælestibus fuisset, quæ humana lingua explicari non possunt. Et sancti de rebus supernis aliud dicere nequeunt quam quod Deum videant, prout ille dixerat. Cæterum vero si vlterius doceri voluisset narrationem de delitijs quibus in cælo fruebatur, aut de ijs quas possidebat diuitijs, aut de decore & pulchritudine incredibili quam intuebatur, rem vtique tentare omnino impossibilem; hæc enim inexplicabilia sunt & ineffabilia. Tam enim alta & sublimis, proculque à nobis remota est ingens illa ciuitas, vt nec illi qui eam gustant, illaque fruuntur, linguam habeant, bona illa describere valentem. An non igitur illum in magno altissimoque monte fabricatam esse videtis? *In montem magnum & altum.*

CONSIDERATIO II.

Transfiguratus est.

Quantum bona illa quæ in mundo isto possidemus sunt instabilia, tantundem econtra stabilia sunt bona illa quibus fruemur in Cælis.

1 MAgna illa cælestis gloriæ ciuitas prout se vidisse refert S. Ioannes, in quadro fabricata est: *Ciuitas in quadro posita est.* econtra vero ciuitas huius mundi figuram habet sphæricam, quæ proinde orbis communiter appellatur. Per hoc autem nihil aliud significatur, nisi quod bona, quibus in hoc mundo fruimur, sint instabilia, illa vero quæ possidentur in cælis, firma sint & stabilia. Sicuti res quoque sphæricæ instabiles sunt, quæ vero quadratæ, econtrario firmæ sunt & stabiles. Porro bona mundi huius sphærica esse, solaris est; In eo namque homo nunc iuuenis, nunc senex esse conspicitur, nunc diues est, mox pauper efficitur; nunc est in honore constitutus, qui paulo post contumelijs afficitur & probris; nunc sanus est, post temporis moram non magnam infirmatur; qui nunc viuus est & vegetus; mox repentina morte occidit. Adeoque è diametro contraria accidunt illis, quæ fiunt in ciuitate cælesti fabricata in quadro *ad significandam immotam ipsius firmitatem,* inquit S. Andreas Archiepiscopus Cæsariensis, bona enim illius stabilia sunt & immobilia, durantque in æternum: Ibi homo nunquam senescit, nunquam perduntur diuitiæ honores; nunquam obscurantur, nunquam languescit sanitas, & quidnam mors sit, vita nunquam per experientiam cognoscet. Ciuitas reuera in quadro posita existit. Vt nullum proinde dubium sit, quin cælestis gloriæ bona tanto sint stabiliora, quanto instabiliora sunt præsentia huius mundi, id quod prolixius in præsenti consideratione videbimus atque probabimus.

Apocal. 21. v. 6.

S. Andr. Archiepis. Cæsar. in Apocal. cap. 46. serm. 23.

2 S. Propheta Dauid dicit, quod dum Hebræi in Regno Persidis, veluti mancipia captiui essent, super flumina Babylonis sederint, ibidemque vnam sibi ob oculos ciuitatis cælestis imaginem atque memoriam ponentes, amare fleuerint: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Syon.* Circa quem scripturæ locum causam scire velim, cur Hebræi non alibi, quam super flumina Babylonis, ciuitatis cælestis memores planxerint? *Super flumina Babylonis.* Et ecce optimam mihi S. Augustinus illius dat rationem, qui per flumina Babylonis, res temporales, & ea, quæ homines in hac terra amant, & desiderant, bona transitoria intelligit, vtpote quæ adin-

Ps. 136. v. 1.

ad instar velocis alicuius & rapidi fluminis instabilia sunt & fugitiua. *Flumina Babylonis sunt omnia quæ hic amantur & transeunt.* Et sicuti homo sanitatem nunquam desiderare aut deplorare solet, nisi morbum primo præsentem videat, ita illi quoque nunquam desiderarunt aut deplanxerunt stabiles æternasque cæli diuitias, nisi primo sub fugacis ac rapidi & fluminis symbolo bonorum huius mundi attentè considerassent instabilitatem. Probe cognoscentes tandem instabilia & fugitiua sunt ista. Vt proinde, dicit S. Doctor, Hebræi dicentes: *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus cum recordaremus tui Syon*, quasi dicere voluerint. *O sancta Syon vbi totum stat, & nihil fluit.* O sacratissima cæli ciuitas, quando fiet istud, vt intra platearum tuarum amplitudinem pedem nostrum reponamus, vbi omne nos circumstans & complectens bonum firmum est & stabile, atque omnino bonis illis, quæcunque in misera hac vita habemus, contrarium, vtpote quæ ad instar rapidissimi torrentis velociter fugiunt & euanescunt.

August. ibid.

3. Christus Dominus & summum bonum nostrum, de ea quam sancti in cælis habebunt pulchritudine tractans, soli illam assimilat: *Iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum.* Cur dicit illos futuros sicut sol quidam? Quia sicut sol tametsi jam à tot annorum millibus à Deo creatus fuerit, suæ tamen iuuentutis amœnissimum florem illibatum semper conseruat, haud aliter quã si è factoris & plasmatoris sui manibus recens iam iam egressus fuisset, quid senectus sit nequicquam intelligens. Vnde pictores hanc solis conditionem attendentes, illum in forma elegantissimi iuuenis delineare consueuerunt, ad eũ fere modum, quo Idololatræ Hebræi, ad planetæ huius adorationem instituendam, illum ad primum templi Dei sui introitum collocari & explicari fecerunt, nam vti Petrus Comestor scribit: *Fecerunt ibi Iudæi Idolum solis, quasi puerum imberbem, quia nullum patitur senium.* Eodem quoque modo sancti in cœlis erunt sicut Sol: *Iusti fulgebunt sicut Sol.* Semper erunt iuuenes in florida semper ætate constituti, sine vllo senectutis contrahendæ formidine. Adeo ea quæ sursum sunt, erunt stabilia, vt nullis vnquam vicissitudinibus terrenis subiacere conspicienda sint. *Fulgebunt sicut Sol.*

Matth. 13. v. 43.

Magist. histor. schol. in 4. Reg. c. 36.

4. A prædicto S. Ioannis visione, cui explicandæ immoramur, nondum placet discedere; noui enim, nos egregium aliquod, pro præsentis materiæ declaratione, inuenturos argumentum. Nam sicut audistis, sanctus Apostolus dum gloriosæ Ciuitatis huius recenset spectaculum, nouam illam appellat. *Vidi sanctam Ciuitatem Ierusalem nouum.* Attendite verbum istud *Nouam*, neque enim illud bene consistere aut saluari posse videtur. Quot enim iam effluxêre anni à quibus Deus cælestem hanc Ciuitatem primitus fabricauit? Ab hac enim incepit manus suas fabricando mundo apponere; priusquam enim terram & omnia alia crearet, iam illam dudum sibi creare complacuit: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Vetus igitur & antiqua est illa Ciuitas, & quidem omniũ prima, quæ in rerũ Natura vnquã extiterũt. Quod si igitur vetus est ciuitas illa, quomodo Apostolus illã appellat nouam? *Ciuitatem Ierusalem nouam.* Quod si ego vrbem Romanam, vrbem appellarem nouam, quæ tot & tot annis post illam cælestem fabricata fuit, nunquid merito ab omnibus riderer & repræhenderer? Vnde videtur Sanctum Ioannem non benefacere, quod ciuitatem cœlestis gloriæ ciuitatem nouam appellet, cum sit antiquissima. Veruntamen quantumuis cælestis gloriæ ciuitas, ab ipso mundi exordio à Deo fuerit erecta, noua tamen merito appellari debuit, prouti illam S. Ioannes appellat: *Ierusalem nouam.*

Apoc. 21. v. 2.

Gen. 1. v. 1.

Illa res merito vetus & antiqua appellatur, quæ temporis progressu, primitiuam deperdens pulchritudinem, suæque iuuentutis florem amittens inueterascit, non vero illa, quæ iuuenis semper conseruatur & florida. Et quia illa Beatæ gloriæ ciuitas, ex quo à Deo fabricata fuit, suam semper conseruauit, cõseruabitque iuuenilem pulchritudinẽ & elegantiam, primitiuumq; in quo fundata fuit florem, absque eo quod senescere vnquam possit, ideo illam Apostolus nouam appellat. *Ierusalem nouam.* Quo loquendi modo insinuat, bona atque

atque diuitias, quas intra fælicissima mœnia sua habet reclusus, adeo in prosperitate sua esse stabiles, atque firmas, vt nullum vnquam cognouerint aut cognoscere possint defectum, quicunque ille tandem sit. *Ierusalem nouam.*

5. Quando duæ illæ Mariæ vnguentis instructæ venerant ad inungendum Corpus Christi mortuum, in sepulchro iuuenem quendam viderunt ad dexteram speluncæ illius considentem: *Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem à dextris, coopertum stola candida.* Iuuenis hic Angelus aliquis haud dubie erat quem Deus de cælo miserat, vt Christi resurrectionem deuotis illis annuntiaret mulieribus. Id quod circa hunc locum considerare intendo, est ratio, siue causa, ob quam cælestis ille spiritus in forma iuuenis apparuerit, non vero in specie senis. Videtur namque conuenientius fuisse, si in forma senis apparuisset, acturus enim erat mulieribus valde verecundis, & honoratis, quæ maiori semper cum confidentia & libertate cum senibus, quam cum iuuenibus solent conuersari. Verum enimuero, dicit sanctus Petrus Chrysologus, non poterat Angelus formam referre senis, in cælis enim quid senectus sit omnino ignoratur: *Viderunt iuuenem, vt cernerent nostræ resurrectionis ætatem. Viderunt iuuenem, quia nescit resurrectio senectutem, neque ætates suspicit æterna possessio.* Angelus de cælo eandem secum ætatem detulit, in qua sancti semper in illa patria versabuntur: non venit in forma senis, quid enim senecta sit, in cælo ignoratur, nec ibi vnquam iuuenilis ætas canis grauatur capillis, quia cælestes incolæ, eiusdẽ semper sunt constitutionis, vnius eiusdemque ætatis, in qua vitam suam beatam exorsi fuerunt: stabiles sunt & permanentes in æternorum bonorum suorum possessione. *Neque ætates suscipit æterna possessio.*

Matth. 16. v. 5.

Chrysol. serm. 82.

6. Cum Iacob Patriarcha in Ægypti regno appulisset, à Ioseph filio suo ad osculandas Regis Pharaonis manus introductus fuit, qui mox vt senem hunc conspexit, eundem, quot annos haberet ætatis, interrogauit: Cui Iacob respondit: *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt parui & mali.* Origenes super hunc locum insignem quandam adfert subtilitatem. Notat enim, quod quando Iacob verba hæc Pharaoni dixit, sacra scriptura illum cõformiter modo legẽdi septuaginta interpretũ, Iacob & nõ Israël vocauerit. *Et dixit Iacob Pharaoni Dies annorũ vitæ meæ &c.* Atq; ideo quærit, Qua de causa scriptura illũ Iacob eo loco appellet & non Israel? videtur conuenientius appellandũ fuisse Israel, nomine videlicet illo, quod illi imposuit Angelus, à quo expressum quoque præceptum accepit, ne alio vnquam nomine, quam isto appellaretur. Respondet Adamantius, necessum fuisse, vt Iacob & non Israel eo in loco appellaretur, ob responsum quod daturus erat regi Ægypti: *Iacob qui dixit ad Pharaonem, quia parui & pessimi sunt dies vitæ suæ, quod vtique nunquam diceret Israel.* q. d. Bene quidẽ Iacob Pharaoni dicere poterat, dies vitæ suæ paruos fuisse & pessimos, nunquã vero idipsum Israel dicere potuisset. Cur Iacob & non Israel? Quia *Iacob* qui in latino sermone idẽ significat, quod *Supplantator*, figura est hominis viatoris, quia in hac vita nulli alteri actioni, quã pugnæ & conflictui intentus esse debet: *Israel autem*, qui in sermone latino idem sonat, quod *vir videns Deum*, symbolum est hominis beati, qui in æterna gloria Deum videt, & diuina fruitur visione. Iacob igitur, hoc est, Homo viator & laboribus attritus, qui in mundo isto quotidie cũ tot tamq; innumeris confligit inimicis, qui vix vna hora quiete aliqua fruitur, quia integer eidem laboris annus subito superueniat, hic inquam solus dicere potest, dies suos breues, fugitiuos & malos esse: *Dies peregrinationis vitæ meæ parui & mali.* Id quod Israel nequaquam dicere vere posset, idest, ille qui Deum in cælis clare videt, & fruitur illo; vita namque sanctorum in paradiso cælesti, præterquam quod beata sit & fælix, insuper longa, stabilis est & æterna, nec vllam vnquam experietur declinationem siue finem: *Quod vtique nunquam diceret Israel.*

Gen. 47. v. 8.

Orig. hom. 15. ibid.

7. Cum ambo illi Zebedæi filij Iacobus & Ioannes, ex ipsomet incarnati verbi ore, innumera bona æternasque cælestis gloriæ intellexissent diuitias, mox illos cupido ac desiderium incessit ingens, vt in thesauro-

rum,

rorum illorum acquisitione cæteris præferentur, atque primi omnium essent: Vnde matrem suam miserunt, quatenus à Christo pro eo tempore, quo gloriosus in cælis regnaturus erat, dextram pro illis & sinistram sollicitaret. Quibus responsum fuit, illos admodum ignorantes esse, & quid peterent ignorare; *Nescitis quid petatis.* Verum dicat aliquis Quomodo aut cur dicuntur fuisse ignorantes, nesciteque quid peterent? Ignorantes merito appellari potuissent, si petijssent vitæ huius transitoriæ honores & diuitias, quæ vanæ sunt atque fallaces; verum cum non transitoria, sed cælestia bona petant, in quorum possessione vera reperitur fælicitas, valde profecto bene sciuisse videatur, quid à Christo peterent. Quamobrem igitur illis dictum est: *Nescitis quid petatis?*

Matth. 20 v. 22.

§ P. Antonius de Padua dicit, illos re vera ignorasse quid peterent, ideoque merito à Christo fuisse repræhensos, & rationem assignat dicens: *Quia ibi non erit sinistra quia nec aduersitas, nec etiam gaudium diminutum.* Ratio igitur ob quam hi duo Apostoli à Christo fuerint repræhensi, & ignorantes appellati, fuit, quia sibi persuadebant, etiam in cælis locum aliquem reperiri sinistrum, idest, la[...]osum, & eiusmodi [...] subiectum, quales in præsenti vita sustineri videntur; nesciebant hi simplices discipuli omnia amplissimæ illius ciuitatis loca, dextra esse, hoc est, fælicia, lata, & beata. Atque ideo quia sinistram petebant, responsum ijsdem fuit; *Nescitis quid petatis.* Quo responso Christus dicere nos voluit, bona cælestis paradisi, adeo firma & permanentia, atque stabilia esse, vt perennem semper ac illabatum conseruaturi sint florem, nec vlli vnquam sinistro subiecta euentui esse queant: *Quia ibi non erit sinistra. Quia nec aduersitas.*

S. Anton. de Padua serm. 4. dom. 1. Quadr.

8. Audite quo stylo ac mirabili loquendi modo Dauid propheta de cælestis gloriæ bonis loquatur: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Notat hic S. P. Bruno, Dauidem non dicere se desiderare aquas, sed aquarum fontes; & rationem assignat, dicēs: *Bene vero ponit non Aquas, sed Aquarum fontes, quod est dicere, ad aquas indefectibiles, quæ semper fluunt, nunquam exsiccantur.* Magno igitur cum mysterio non dixit, quod Aquas sitiret, sed fontes Aquarum, demonstrare enim voluit, quas aquas desideraret. Notandum igitur quod sicut Aqua, tametsi in riuis sæpe deficere soleat, in fontibus tamen continua semper est atque perpetua, sic quoque bona paradisi cælestis, bona sunt fontium. *Ad fontes aquarum,* hoc est, sunt bona æterna, nunquam deficiunt, nunquam exsiccantur, semper scaturiunt, seque per amœnissimam illam beatissimamque patriā quaquauersum dilatant, atque diffundunt. Cuius omnino contrarium in bonis vitæ huius accidit; hic enim nequaquam fontes habemus, sed riuulos duntaxat, semper enim deficiunt, exarescunt, & fugiunt, ita vt si vno die inde biberimus, postea integro fere anno præ nimia siti enecemur, imo si nos tota vita nostra siti enecari aut interire dicerem, minime gentium errarem.

Ps. 41. v. 2

S. Bruno ibid.

9 Hugo Cardinalis per quatuor illa animalia S. Ezechieli prophetæ exhibita, quatuor intelligit mundi Monarchas, videlicet Nabuchodonosorem, Cyrum, Alexandrū, & Cæsarem. Iuxta quæ, vt dicit, sacer textus certæ quædam rotæ conspectæ fuerunt. *Cumque aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram, iuxta animalia, habens quatuor facies, & aspectus rotarum.* Quid obsecro rotæ istæ iuxta hasce Monarchas conspectæ significarunt? En inuentissimus Cardinalis præfatus dicit rotas illas significasse, eorundem regna, ad instar rotarum, instabilia & volubilia: *Per rotas autem regna eorum volubilia, per quatuor mundi partes dilatata significantur.* Vt spiritus sanctus ostenderet, qualia sint mundi huius regna, ad illorum significationem rotæ symbolum vsurpare voluit, vt insinuaret, omnia quæcunque in mundo isto magni æstimantur, ad instar rotarum volubilia & instabilia esse, nec quicquam habere in se firmum aut permanens. Rota est sanitas, quæ in ictu oculi declinat. Rota est vita nostra, quæ nobis id minime aduertentibus, quotidie velocissimis gyris rotatur & voluitur ad sepulchrū. Rotæ sunt diuitiæ honores, dignitates, aliæque prosperitates, quæ in vno loco aut statu nunquam permanent. Ipsa quoque mundi Monarchia ad instar velocissimæ

Ezechi. 1. v. 15.

Hugo Card. ibid.

rotæ

Totæ à Chaldæis declinauit ad Persas, à Persis ad Græcos, ac denique à Græcis ad Romanos. Relinquitur igitur clarum atque perspicuum, nullum esse bonum in mundo, quod stabile sit, sed omnia quæ habet, esse ad instar rotarum, atque haud secus quam aquas riuorum velociter præterire, fugere deficere, exsiccari: sola autem cæli bona in fontibus perseuerare æternis & permanentibus, quæ nunquam deficiunt, aut alio fugiunt. *Ad fontes Aquarum.*

10. S.P. Bernardus omnium prædictorum pulcherrimam adfert rationem, quam pro Considerationis præsentis coronide ad finem vsque industriè reseruaui. Dicit igitur: *Gaudium in re conuertibili, mutari necesse est, re mutata.* Exempli gratia: Si is qui filium habet obedientem, ingeniosum & literatum, indeq; ex animo lætatur, hæc talis lætitia durabilis nequaquam erit, eo quod in obiecto collocata sit mortali, & conuertibili, paucis enim post diebus, filius iste forte ex hac vita transibit, atque hac ratione Patris lætitia in planctum vtique cõmutabitur. Atque ita de alijs quoque mundi delitijs discurrere licet, quia enim hæ rebus ijs, quæ indies mutari & deficere conspiciuntur, innixæ sunt, ipsæ quoque vt mutentur ac deficiant, necessum est, ac proinde nullum in hac vita bonũ inuenies, quod firmum esse possit, aut permanens, siquidem rebus innititur infirmis, atque caducis, quia *Gaudium in re conuertibili, mutari necesse est, re mutata.*

S. Bernardus serm. de fallac. præs. vita.

In rebus autem cælestibus concludendũ est omnino contrarium, quia enim illæ in Deo fundatæ sunt, qui incommutabilis, immortalis, æternis, & semper idem existit, nunquam mutari poterunt. Vnde lætitia, qua Angeli & sancti omnes in beatifica perfruuntur visione, in qua totum bonum illorum consistit, stabilis semper erit & æterna. *Ciuitas in quadro posita est.*

CONSIDERATIO III.

Transfiguratus est.

Quodsi pulchritudo ciuitatis gloriæ cælestis à sanctis viatoribus posset videri, hæc vtique adeo illis foret admirabilis, vt præ lætitia & exultatione inde concepta stupefacti remanerent, & præ nimio excessu desiderij illam reuidendi morerentur.

ADmirabilis prorsus & stupenda est illa Ciuitatis gloriæ cælestis machina, non solum propter profunditatem altitudinis & situs sui quadraturam, prouti iam diximus: Verum etiam ob materiæ, ex qua illam Deus fabricauit, ingentem pretiositatem ac valorem; Mænia namque habet ex gemmis, portas ex margaritis, & plateas ex auro purissimo constructas: *Fundamenta muri eius omni lapide pretioso ornata, & duodecim portæ, duodecim margaritæ: & platea ciuitatis, aurum mundum.*

Quam spectabilis esset ciuitas illa, cuius saxa alia non essent, quam adamantes & margaritæ, & in qua calcis loco aurum adhiberetur? Talis autem, imo incomparabiliter pulchrior & elegantior est illa cælestis paradisi ciuitas. Ita inquam speciosa est, tantique decoris, vt si ab ijs, qui in terris adhuc morantur, Dei amicis, videri posset, ij præ nimio inde concepto lætitiæ iubilo prorsus obstupescerent, & ex desiderij illam reuidendi vehementia vtique emorerentur.

1. Spiritus sanctus dilectæ sponsæ suæ laudaturus pulchritudinem, ita illam alloquebatur: *Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem.* Vbi, vti videtis, sponsæ pulchritudinem decori assimilat Ierosolymæ cælestis. Circa quam comparationem, cuilibet facile est hanc excitare Quæstionem: Cum in regnis terræ sanctæ tot sint ciuitates aliæ, quibus assimilari poterat sponsa diuina, cur pro declaratione pulchritudinis suæ, aliã non accipit ciuitatem, quam Hierusalem? Huic autem, quisquis

Cant. 6. v. 3.

idipsum quæreret, ego pro modulo meo responderem, spiritum sanctum hisce verbis demonstrare voluisse, quod elegantiæ & pulchritudines dilectæ amicæ suæ, magnæ fuerint & extraordinariæ, atque ideo cũ in tota illa regione nullã repererit vrbem adeo perfecte pulchram, veluti est vrbs Hierosolymorum, quæ à Ieremia dicitur: *Vrbs perfecti decoris*, hanc præ cæteris, ad hanc cõparationem instituendã, prælegit. Causa vero, ob quam Hierosolyma omnibus regni Iudeæ ciuitatibus pulchrior extiterit, est, quia erat ciuitas regia & Metropolita in qua Hebræi populi Reges residere solebant, tales autem ciuitates ex omnibus totius regni pulchriores esse solent & ornatiores, quales vrbes sunt Roma, Neapolis, Parisij, Constantinopolis & aliæ similes.

Thren. 2. v. 15. Ierem. 17. v. 25.

Cum igitur ciuitates residentiæ regiæ sint omnium pulchriores, quid aliud est totum hoc vniuersum, quam magnum Dei Monarchæ maximi regnum, cuius cum Paradisus residentia regia existat, concludere oportet, ibidem quoque maximam omnium rerum creatarum pulchritudinem inueniri debere.

2. Confirmemus conceptũ istũ per id, quod Ieremias propheta de hac admirabili ciuitate loques, dicit: *Ingrediẽtur per portas ciuitatis huius reges & principes.* Qui locus à nobis sine bona quadam cõsideratione præteriri minime debet. Cur igitur propheta dicit, Reges duntaxat & principes cælũ ingressuros esse? Ergone vasalli & pauperes subditi foris manebunt inde exclusi? Nunquid Paradisus cælestis cõmunis est omniũ patria, tam nobiliũ quam ignobiliũ, diuitum & pauperũ, Regum & vasallorum? Cur igitur portæ eius solis patebunt regibus & principibus? *Ingredientur per portas ciuitatis huius Reges & principes.* Negari equidẽ haud quaquã potest, paradisum cælestem communẽ esse omniũ hominum patriam, cuiuscunq; tandem illi sint status & ordinis, portæ enim illius omnibus æqualiter patent, imo maiori cum promptitudine paruis aperientur quam magnis, pauperibus, quam diuitibus vasallis quam regibus, attamen nulli alij eo ingredi aut commorari dicuntur præterquam Reges & principes eo quod omnes cælestis paradisi incolæ, cuiuscunque tandẽ gradus illi sint, principes facti sunt & reges. à Deo supremo omniũ Monarcha coronari, sicuti dicitur Sap. 5. v. 17. *Accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini.*

Hinc igitur habemus ciuitatẽ cælestẽ tale esse habitaculũ, in quo nulli alij habitant, præterquã meri principes, Reges, & Reginæ, Quo supposito, considerandum vobis relinquo, qualisnã illa ciuitas esse debeat, in qua nulli alij sunt incolæ, quã meri Reges & Reginæ huius mũdi? quam erit pulchra vrbs illa? quantũ ibi effulgebit aurũ? quot gẽmæ ibidem cõgregabuntur? Haud dubie omnes totius mũdi diuitiæ ibidẽ veluti ad portũ appellẽt. Iustinus Historicus scribit, quod cum cineas magnus ille Pyrrhi Epirotarũ Regis orator Romã venisset, atq; ingentẽ pulchritudinẽ, Diuitias atq; maiestatẽ superbæ illius ciuitatis vidisset, ad Regem suum reuersus, magnoque stupore repletus dixerit, se vrbem quandã vidisse à tot inhabitatam regibus, quot ciues habebat aut incolas: *Regũ vrbem sibi visam esse.* Quo loquendi modo insolitã vrbis illius declarare volebat magnificentiam. Ciuitas enim talis quæ à meris inhabitatur regibus, tale quid est, quod nullis verbis describi aut significari possit.

Iustin. Histor. lib. 18.

Atq; ita cum propheta dicit, Paradisi cælestis ciuitatẽ, à nullis alijs inhabitari personis, quam à meris regibus & principibus, significare voluit admirabilem illã, quæ ibidẽ videtur pulchritudinẽ, pompas itẽ & diuitias, quæ ibi possidentur. Vnde S. P. Bonauentura locũ istum Ieremiæ exponens, exclamat: *Quam nobilis societas, quam gloriosa ciuitas illa esset, in qua nullus omnino, nisi principes & Reges habitarẽt? Reges vtiq; sunt, qui de manu sũmi Imperatoris coronã regni accipiũt regnũ decoris.*

Bonau. serm. 2. in festo omnium sanctorum.

3. Hinc est, quod Dauid propheta tantum patriæ illius attẽdens decorem, & cum Domino suo loquẽs eidẽ dixerit: *In ciuitate tua imaginẽ ipsorũ ad nihilũ rediges.* Quo in loco dum nos cũ vulgata legimus *rediges*: alia lectio vertit, *spernes*, quasi dicere voluisset Talis est ô Domine, ac tanta ciuitatis tuæ pulchritudo, vt si eo res aliqua pulchra, huius mundi, & talis quidem, quæ ab hominibus in hac terra, ob eximiã sui pulchritudinem, instar imaginis alicuius, ad oraretur, sursum euecta esset, illa ibidẽ nequicquã æstimãda foret, sed rideretur, prorsus & contem-

Ps. 72. v. 20.

tõneretur, tãta enim est pulchritudo illa, quę regnat in cælis, vt in comparatione illius, terrena omnia turpia sint atque deformia.

Id quod os illud aureum dicere quoque voluit, dum ait: *si cælum statim suspexeris, ac à lapidibus his ac columnis ad illius decorem deflexeris oculos, spectabis hæc esse opera formicarum.* q. d. O Homo ignorans, qui continuo aperto ore, tanta cum admiratione in terrenis ædificijs, marmorum & columnarum respicis pulchritudinem, quodsi oculos ad cælum eleuares ibidemque cælestis gloriæ intueri posses pulchritudinem, vtique deformia æstimares ea, quæ nunc admiraris, & veluti nihilum illa contemneres. Vbi sanctus Doctor ad eum fere modum loquitur, quo Poëta quidam latinus Domitianum Imperatorem, ob hortos quosdam, quos in vrbe Romana fecerat, adulationibus delinire volens, dicebat:

Chrysost de van. & breu. vita.

Nauita derisit Pharios Memphitieus hortos,
Vrbis, vt intrauit limina prima tua.

Martialis.

Nauta Memphiticus, qui Ægyptum nunquam egressus fuerat, persuadere sibi nõ valebat, hortos Pharijs consimiles in vniuerso mundo reperiri posse: veruntamen mox vt Romam ingressus, tuos, ô Cæsar, conspexit hortos, vehementer admodum illos est admiratus, patrios vero hortos præ illis risit & contẽpsit. Simile quid dicere voluisse vidẽtur Dauid & S. Ioannes Chrysost. Quoadusque homo præter venustatẽ & pulchritudinẽ terrenã aliud nihil conspexit, nil mirum est, ꝙ homo illam tanto cũ stupore respexerit, & æstimauerit. Quodsi vero ex hac vita cõmigrans vitam ingressus esset beatã, vtiq; cælestẽ intuens pulchritudinẽ, mox rideret quicquid est in terris venustũ, adeo namq; magna & admirabilis est illa, vt omnia quæ sunt in terris decora, in comparatione illius opera sint formicarum, risuque ac contẽptu dignissima. *Formicarum opera.*

4. In præcedenti Consideratione quãdã audiuistis loci illius in Apocalypsi explicationẽ vbi S. Ioannes paradisũ cælestẽ ciuitatẽ nouã appellat *Ciuitatem Ierusalem nouam.* Nunc aliã eiusdẽ loci expositionẽ auscultate, quæ haud dubie non displicebit. Tametsi ciuitas cælestis, vti diximus, tot iam sit annis fabricata, ciuitas tamen noua appellari debet; *Ierusalem nouam.* Et hoc quidẽ nomine præcipuè appellatur, ad innuendam ingentem pulchritudinis suæ magnificentiã. Nũ aliquando attente cõsiderastis, quã pulchræ sint res quælibet, quamdiu sunt nouæ? vestis noua, domus noua, aut aliud quodcunq; nouum? semper respiciuntur, semper laudantur, semper placent, qui illas vidit semel, mox iterũ reuertitur, vt iterũ videat, & vidẽtur oculi similiũ rerũ decore satiari nequaquã posse, adeo pulchræ vidẽtur. Paulo post pauculo elapso tẽpore, tametsi ab eo statu in quo primitus erãt, nequaquam mutata sint oculos tamẽ sicut prius nõ amplius alliciunt, aut sollicitãt ad videndũ, haud aliter, quã si à pristina multũ pulchritudine defecissent. Cur ita? præcipue si eadẽ adhuc prædita sint pulchritudine qua antea pollebant? Ratio est, quia nõ sunt amplius noua, pulchritudo autẽ in nouitate consistit. Quicquid nouũ est, & quamdiu nouum est, semper est pulchrum, perdendo vero nouitatem, ipsam quoque sui, mittit pulchritudinem ac venustatem.

Apoc. 21. v. 2.

Atq; ob hanc rationem fit, ꝙ tametsi ciuitas cælestis iã inde ab ipso mũdi exordio creata fuerit, etiamnũ tamen noua appellatur: *Ierusalem nouam*, eo ꝙ diuitiæ, thesauri, omnesq; apparatus illius pretiosi, beatorũ spirituũ oculis semper sint pulchri, placeant sẽper, semperq; recreant & delectationẽ pariant, ipsorumq; oculis semper noui repræsententur, veluti si illos hactenus nunquam vidissent, tametsi aliud nihil continuo videant. *Ierusalem nouam*

5. Confirmemus idipsum per hoc ꝙ S. Petrus de Angelorũ beatitudine, & de diuinæ faciei visione, vnde angeli beantur, loquens, dicit: *In quem desiderant angeli prospicere.* Hugo Cardinalis glossam citat, & circa adductũ locum pulchrum quoddam dubium efformat, dicens: *Cur cernere desiderant, cuius faciem cernere nunquid cessant?* q. d. quomodo Angeli in faciem eius prospicere desiderãt, cum à diuini vultus visione clara nunquam cessent? Acute autem respondet dicens: *quia cõtemplatio diuinæ præsentiæ ita Angelos beatificat, vt & semper eius visa gloria fatiẽtur, & sẽper eius dulcedinẽ quasi nouã esuriant.* Notate verba ista: *Quasi nouam,* in hisce namq; tota cõceptus huius vis cõsistit. Vult enim dicere, tanta est cælestis gloriæ pulchritudo, vt

1. Petri 1. v. 12.

Hugo Car. ibid.

tametsi Angeli illam continuo & incessanter attente aspiciant, tamen quo illam plus vehementiusque intuentur, tanto eandem intensius conspicere & contemplari desiderant; oculis enim illorum ita semper noua videtur, ac si eam nunquam alias conspexissent, ideoq; illis pulchra semper esse videtur, & à primæua nouitate sua nunquam desistens: *quasi nouam insatiabiliter esuriunt*. Id quod in pulchritudine terrena nequaquam videtur, cum enim hæc terrena suam sensim nouitatē deperdant, suā quoque per consequens deperdūt pulchritudinē, adeoq; quæ ante delectationē pariebant, postea fastidiū & nauseā adferunt iis, qui illa frequenter intuentur, & tanto plus postea displicent, quā- to antea, dum noua essent, magis placebant.

6. Iacobus S. Nonni Episcopi Heliopolitani Diaconus maiestatem pulchritudinis cælestis paradisi mirabiliter declarat, dum enim Thaidis meretricis, magnæ autē deinceps pœnitentis miram describit pulchritudinē, ita inquit: *Tanta erat eius forma pulchritudo & elegantia, vt homines huic mundo dediti, ea conspicienda exsaturari non possent*: q. d. pulchritudo eius tam erat admirabilis & rara, vt tametsi ad satiandum oculorū desideriū diu conspiceretur, semper tamen illam reuidendi mirum relinqueret desiderium; neque satietas, vti alias ordinariè cōsueuit, fastidium causabat, sed famem potius magnā ac desiderium. *Ea conspicienda exsaturari non possent.*

Iacobus Diaconus apud Lippom. 8. Octob.

Quodsi igitur caduca & terrena, turpis cuiusdam & peccatricis mulieris pulchritudo, quæ consenescere & tandem displicere solet, visa & reuisa, & iterum visa, carnalium hominum satiare non poterat oculos, quippe qui nouo semper illam videndi afficiebātur desiderio, quantumuis etiam diu illam antea conspexissent; qualis & quā- ta erit æterna diuinæ gloriæ pulchritudo? quæ nunquam inueterascet, respectu cuius omnis alia elegantissima species, ingens est & reputatur deformitas.

7. S. Vincentius Ferrerius existimat, quod si homo aliquis in cælū vsq; euehi, ibidem q; per rimā aliquā siue fenestram, cælestē gloriā conspicere posset, tantā ille visurus esset pulchritudinē, quod tametsi nec Deū videret, nec sanctos, ibidē nihilominus absq; omni etiā cibo & potu libéter affixus semper maneret, vt dulci illo frui posset spectaculo. *Si per impossibile homo posset per fenestrā immittere Caput, & respicere eius pulchritudinē, etiam corporalē: tanta est eius pulchritudo, quod etiā si nō videret Deū, vel sanctos nollet comedere vel bibere.* Quodsi autē à me peteretis quāobrē is, qui cælestē semel conspexisset gloriā, vt inquit hic sanctus, nullius deinceps siue cibi siue potus vrgeretur appetitu, cum certū sit, vitā, sine consueto corporis nutrimento, id est, cibo & potu, conseruari nequaquā posse? Respondeo sanctū hunc virū eo modo loqui voluisse, ad significandā immensam cælestis paradisi pulchritudinē, nec non ad innuēdū, quod homo ille, cui talis indulta fuisse gratia, ex insolito tali nouoq; spectaculo, adeo à semetipso foret rapiendus, & obstupefactus, vt nequidem ad ipsas proprij corporis necessitates reflectere aut aduertere posset. *Nollet comedere vel bibere.*

S. Vin. Ferrer. serm. 2. Dom. 2. post Pent.

8. Et quidē ne hoc ipsum, quod sanctus ille Pater scribit, admirationem in vobis nimiā pariat, vtamur ad confirmationem illius argumēto aliquo, quod vocari solet, *à minori ad maius*. Poëtæ enim de Medusa, alijsque duabus illius sororibus quæ Gorgonides vocabantur, finxerunt, quod omnes quotquot illas intuebantur in saxa subito fuerint transformati. Ex quo figmento Poëtico Ioannes Boccacius sequentem elicit allegoriam, & dicit: *Quod autem prospectantes in saxa conuerterent, ob id factum existimo quia tam grandis erat earum pulchritudo, quod ea visa stupescerent intuentes, & muti atque immobiles, non aliter, ac si essent saxa, deuenirent.* Vbi notandum, quod si ita sit, vt supra Dauide dicente audiuimus, quod videlicet pulchritudo terrena, cum cælesti gloria collata, non solum nulla videatur esse pulchritudo, sed insuper in nihilum veluti redigatur; aut tametsi aliquid nobis esse videatur, risum tamen potius & contemptum, quam plausum mereatur. *Ad nihilum rediges, spernes*, facillimum esse inde pulchram aliquam facere consequentiam: Videlicet si id quod vere nihilum est, & quod contemptum meretur, qualis est pulchritudo humana respectu gloriæ paradisi tantū in homine stuporē causare potest, vt stupidus, mutus, & imobilis fiat instar saxi, quid erit de beatorum glotia, in qua

Bocca. Geneal Deor. lib. 10. c. 10.

qua plenum veræ realisque pulchritudinis manifestabitur spectaculum?

9. S. Euangelista Lucas Transfigurationis Dominicæ describens visionē dicit, S. Petrū & alios duos discipulos dormiuisse eo tēpore, quo facies Christi Domini ad instar solis effulgebat? *Petrus vero & qui cum illo erant, grauati erant somno.* Profecto quid de hisce Apostolis dicere aut sentire debeā nescio, speciali suo priuilegio ducti sunt in montē, vt tanta fruerentur visione, quod nunquam nec vsquam videtur, aut videri deinceps vlla ratione poterit, & dormiūt? Hoccine dormiendi tēpus erat? Num forte pulchritudo illa, quæ eis monstrabatur, clausis eorundē oculis abijcienda erat? Profecto si ego indignus peccator illa dignatus à Deo fuissem gratia, vt in eorū esse potuissem societate, leonē vtiq; imitatus fuissem qui etiam dormiendo oculos nequaquam claudit. Luc. 9. v. 32.

Iuxta quorundā opinionem, inquit Abulensis, Apostoli nequaquā tunc dormiebāt, neq; quies illa somnus, sed stupor quidam erat, ex vehementi admiratione insolitæ illius, quæ ijs manifestata fuerat, pulchritudinis, conceptus; *Non fuit verus sopor, sed solum quædam admiratio ex magnitudine claritatis, quam non poterant sustinere.* Mox vt Discipuli Christi tantam tamque raram in facie Magistri sui splendescere viderunt pulchritudinem, tam immenso & graui stupore fuère correpti, vt stupefacti manserint, & immobiles, & veluti extra se facti. Quod si igitur Transfiguratio, licet illa vnica duntaxat esset luminis illius scintilla, quæ ex gloriæ illius pulchritudine emicabat, tam admirabiles causare effectus potuit, quid de illis futurum fuisset si illa in proprio suo fonte intra mænia gloriosæ illius vrbis potiri licuisset. Tostat. in cap 17. Matth. qu. 07.

10. Isaias propheta Euangelicus, cum Domino Deo suo de pulchritudine in Paradiso cælesti abscondita colloquens, dicere non dubitauit: *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* quasi dicere voluisset. O quam pulchra ibidem erit rerum omnium facies quam iucundum erit illud Paradysi spectaculum. Nullus vnquam hominum hactenus extitit, qui illud etiamnū mortalis existens, videre, aut audire, aut illo frui, & qualis sit experiri potuerit, tu enim, ô Domine, admirabili cum diligentia, gloriam illam tenes occultam valdeque contectam & absconditam. Oleaster hic quærit: quamobrem Deus hominibus in hac vita diuinæ gloriæ pulchritudinem adeo velit esse occultam, secretam, & absconditam? Cur illā ad minus ad alleuiandos & subleuandos nonnihil amicorū suorum labores, nonnunquam non manifestat saltē transeunter? Diuinèq; respondet; *Occultat bona bona sua, ne forte insaniant.* q. d. Non foret Deus cum amicis suis adeo parcus & auarus, quin illos nonnunquā visionis gloriæ suæ faceret participes: aperiret forte ac reuelaret nonnunquam sinuosas illas cæli cortinas, suamque nobis exhiberet gloriam; Verum id facere nequaquā tentat, quod si enim vel semel duntaxat illā, manifestaret; & hominibus daretur facie ad faciem illam cæli intueri pulchritudinē, foret vtique spectaculū istud adeo eximium & admirandum, vt timeri haud immerito posset, ne forte homines præ nimio iubili atque stuporis excessu in insaniam redigerentur. *Ne forte insaniant.* Isa. 64. v. 4. Oleast. ibi.

11. Vt proinde dicere possim, gaudiū ex aspectu cælestis beatitudinis cōceptum, simile esse delitioso sapori, quem mel Colchidis habere solet. Scribit Diodorus Siculus, quod cū Græci admirandam quandā de Colchis obtinuissent victoriam, iāque totam illorū inuaderent regionem, in quædam apū inciderint melle referta aluearia: mel autē istud ea præditum erat proprietate, vt quotquot ex militibus illud gustabāt, extra se ipsos raperentur; & ad instar stultorum, à sensibus alienari & quasi mortui aliquādiu permanerent: *Nā deglutito mellis liquore, repente in dementiam versi, humiq; mox prostrati, extinctis similes videbātur.* Id quod nulli alteri attribui poterat præterquam nimiæ mellis dulcedini ac suauitati, quod dum gustantes nimijs delitiis delitijs, admirandum hunc in ijsdem operabatur effectum. Diod. Siculus lib. 14.

Aut vero assimilare possem illud dulcedini, quam Galli vina Italica primitus gustantes, in ijsdem experti sunt, nam vt refert Plutarchus per miram & incredibilem illius suauitatē, mox vt illud biberunt, deliri fiebant: *Tunc primum gustantes vinum ex Italia delatum,* Plutarchus in Cami. 9.

delatum, illius admiratione ac suauitate amentes facti sunt omnes. Huic dulcedini similis, imo incomparabiliter maior foret dulcedo ac suauitas illius, cui Deus pulchritudinis gloriæ suæ demonstraturus esset spectaculum; Hanc enim qui videret, tantum tamque eximium in corde suo sentiret lætitiæ iubilum, qui nimio suo excessu, videntem in amentiam posset redigere. Ac proinde Deus seruis suis, quamdiu in hac terra vitam degunt, superna bona sua abscondit & tegit. *Ne forte insaniant.*

12. Moyses magnus ille Dei amicus, ingenti quodam, cælestem pulchritudinem, quæ in diuini vultus visione consistit, vidēdi desiderio impulsus, precabatur Deum, vt faciem suam sibi dignaretur ostendere: *Ostende mihi faciem tuam.* Cui à Deo responsum fuit: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & viuet*, q. d. superfluis ô Moyses vexaris cogitationibus? Num forte viuendi pertæsus es, vt ideo faciem meam videre desideres? Nescisne quod faciē meam nēmo mortalis videre possit, quin subito moriatur? *Non enim videbit me homo & viuet?*

Exod. 33. v. 18.

Sed dicat aliquis quæ est ratio, quod si quis hominum diuinam viderit faciem, vlterius viuere non possit? Quia vt dicunt Theologi quod si Deus hominibus viatoribus gloriam suam ostenderet, id non fieret *per modum permanentis*, sed *per modum transeuntis*. Nec id concederetur pro semper & omni tempore, vt fit in cœlo, sed transeunter, & pro vna duntaxat vice. Talis autem visio ob ineffabile quod oculis humanis manifestaret gaudium, & inæstimabilem cordis lætitiam, illo cessante, tale post se in corde videntis, relinqueret visionem illam iterato habendi desiderium, vt ob illius vehementiam, mors illi haud immerito metuenda esset. Quod si enim fragilis & caduca alicuius mulierculæ pulchritudo, illam in cordibus hominum vim obtinuit, vt qui illam semel viderant, ob subtractam illis eandem iterum videndi occasionem, subito mortui sint, quanto magis hunc post se effectum relinquet cœlestis pulchritudo paradisi. *Non enim videbit me Homo & viuet.*

SERMO XIII.

In Feriam II. Dominicæ II. Quadragesimæ.

Ego vado, quæretis me, & in peccato vestro moriemini.

Ioan. 8.

TErtullianus, cuius opera sanctissimo Cypriano adeo erant pretiosa, vt quoties illa legere vellet, secretario suo dicere soleret: *Da mihi Magistrum.* Hic inquam de humana ignorantia loquens, quæ ab hominibus mundanis sub specie sapientiæ acquiritur, & addiscitur, hanc maximo ingenio suo dignissimam post se reliquit sententiam: *Quam sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana, præsertim cum aliquid eiusmodi de gaudijs & fructibus sæculi metuit amittere?* Et quidem tametsi isthæc stultitia per multas variasque occurrentias, in multis

Tertul. lib. de spectaculis.

multis verificetur, clarius tamen & euidentius in ijs, qui ne mundanas deserere cogantur delitias, peccatorum suorum pœnitentiam ad mortis vsque horam differunt, redditur perspicua. Quando videlicet multis sibi rationibus persuadent, se cum dexteritate & facilitate maxima vitæ suæ posse mutare consuetudinem & mores, propriasque deplangere culpas, atque ab irato demũ & nimis offenso Deo facilem obtinere posse veniam, interea vero solitis obstinate insordescere sceleribus pergunt. Vt autẽ qui sunt eiusmodi, perspicue videant, hanc humanam potius ignorantiam, quam sapientiã esse, prouti sibi, falso licet persuadent, audiant obsecro id quod in præsenti Euangelio talibus, vna cum stulta Hebræorum turba, ab incarnata sapientia dicitur: *Ego vado, quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Non dicit, *quæritis*, sed *quæretis*. Nõ loquitur de præsenti, sed de fortuito futuro, quasi diceret: Quandoquidem ita in præsenti comparati estis, vt ad dandum temporalibus delitijs & gaudijs vestris locum, nihil adeo in votis habeatis, quam vt recedam à vobis, ecce de facto vos omnino relicturus à vobis abeo. *Ego vado.* Quodsi vero, spem vobis firmissimam manere reliquam existimetis, fore, vt in hora mortis vestræ me quærere & inuenire possitis prout ignoranter persuasum est vobis, fallimini profecto, neque enim quantumuis quærendo inuenire me poteritis. Atque ideo, sicut delitiosum vobis fuit in peccato viuere, ita quoque necessum vobis erit in peccato mori: *In peccato vestro moriemini.*

Atque ita per horrenda hæc verba euidenter & clare fallax illud destruitur argumentum, vi cuius ignoranter sibi persuadent atque promittunt finalem impijssimæ vitæ suæ pœnitentiam æternamque salutem. Interim vt maiori cum perspicuitate illud soluamus & fraudes atque falsitates, quibus decepti viuunt, melius ostendamus, videamus, sigillatim & in particulari, quænam illa sint talium hominum Argumenta.

CONSIDERATIO I.

In peccato vestro moriemini.

Tametsi breuissima sit vita hominis, ideoque nullus longam sibi diuturnamque vitam, promittere possit, maximè tamen decipiuntur ij, qui cum insuper videant sæuum peccati carnificem, illos à tergo insequentem, longos nihilominus sibi vitæ dies promittere audent.

1. ARgumentum præcipuum, quod mũdani homines sibi fabricant, ad hoc vt suam procrastinent pœnitentiam, neque ab ijs quibus suis in sceleribus perfruuntur delitijs dissuescant, in eo præcipue consistit, quod se iuuenes, sanos, & incolumes, nec nõ in forti generosoq; temperamento optimoque ætatis & vitæ suæ flore constitutos esse conspiciant, hinc enim nascitur, quid longos sibi dies, & annos canos firmiter promittant, omniaq; pœnitentiæ & salutis animæ suæ negotia in extremã referuent senectutem, interea quoadusq; iuuenes existunt, effræni prorsus modo, in perditionis sese barathrum præcipitantes. Verũ enimuero *Quam sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana.* Dum enim sapiente, se hac in re conclusisse, ignorãter sibi persuadent, deceptos sese prorsus inueniunt, atq; delusos. De breuitate namq; humanæ vitæ quæ naturaliter, & cũ admirabili impetu ad sepulchrũ illos impellit, minimè solliciti, sæuoq; peccati carnifice à tergo illos insequente stipati, in euidenti sunt vitæ suæ misertime de momento in momentum finiendæ periculo.

2. Dauid Propheta totius vitæ suæ dies considerans ad diuinam sese Maiestatem conuertit, eidemq; dixit. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos,* q. d. Quando tua, ô Domine, clementia præsentis vitæ mihi dignata est conferre beneficium, in certa quoque mensura omnes vitæ meæ dies pariter conclusisti. Porro per hanc dicti huius Dauidici occasionem, operæ pretium erit, hanc inuestigare mensuram, iuxta quam Deus nobis præsentis vitæ dies concessisse Ps. 38. v. 6.

cessisse creditur. Et certe ni fallor ex eodem Dauidis adducto loco hæc facile elicitur, præcipue alteri cuidam lectioni insistendo, quæ vbi nos legimus: *Mensurabiles posuisti dies meos*, sic vertit: *Palmares posuisti dies meos.* q. d. Dies meos à Domino palmo mensus es, non cubito, vel vlna, aut fune, quæ sunt mēsuræ magnæ, sed palmo, quæ est mensura breuis & parua. Id quod Chrysostomus hunc locum explicans, confirmat dicens: *Quotquot enim fuerunt palmis conseruntur: palmum enim dicit palmæ extensionem quæ est minima mensura.* David igitur ad Dominum suum sic loqui velle videtur. Quando Maiestas tua mihi huius vitæ dies dignata est concedere, simul illos palmo mensus esse videris, adeo namque breues sunt, parui, & pauci, vt res sit summè miranda. Vix enim in hunc mundum natus sum, & ecce senem me mox esse, mortemque mihi imminere conspicio. *Palmares posuisti dies meos.*

Chrysost. ibid.

Clarior & huic nostro proposito accomodatior est Felicis translatio, qui legit: *Ad mensuram pugillorum posuisti dies meos. Pugillus* manum contractam & clausam significat. Vnde vult dicere: Anni vitæ meæ adeo breues sunt & parui, vt Deus illos mihi cum palmo contracto, non vero sicut ordinariè fieri assolet, extenso palmo mensus esse merito videatur. Quando enim ad hanc conditionis meæ miseriam minime attendens, multos adhuc vitæ meæ dies reliquos esse mihi persuadeo, tandem annorum sperato rum medietatem me vix assecutum esse & subitanea me morte oppressum iri comperio. *Ad mensuram pugillorum posuisti dies meos.*

Transl. Felicis.

3. Psalterium quoque Romanum legit: *Veteres posuisti dies meos.* Iuxta quam literam Dauid dicere velle videtur, Deum eo tempore, quando dies vitæ nostræ misericorditer nobis decreuit, dies dedisse veteres, non dicit Deum illos temporis progressu fecisse veteres. Quo loquendi modo insinuat, quam breuis sit vita humana, ita nimirum vt Homo vix adeo cito nasci possit, quin etiam ad decrepitam peruenerit ætatem, vitam perdiderit & moriatur. *Nam quæ vetera sunt* dicit Titelmannus in hunc locum, *non longam possunt obtinere durationem.* Neque id cuipiam mirum videatur, quod si enim Deus nobis in natiuitate nostra dies dedisset nouos, potuissent hi aliquo saltem temporis spatio absque decremento durare, nunc autem cum illos veteres, caducos & fragiles donauerit, subito decrescunt, & dum minimè cogitamus deficiunt. *Veteres posuisti dies meos.*

Psalter. Roman.

Titel. ibid.

Vnde Marcus Tullius Romanæ eloquētiæ lumen, huiusce miseriæ optimè conscius dicere non dubitauit: *Quis est, quamuis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum?* quasi diceret, Nullus omnino. adeo namque breuis est vita nostra, vt nullus de continuatione vitæ suæ vsque in vesperam esse possit securus.

Cicero in Catone Maiore.

4. Christus summum bonum nostrum lectionem coram discipulis suis traditurus, in qua eosdem de rebus necessarijs à Deo postulādis volebat instruere, voluit vt inter cætera quoque panem, sub hac petitionis forma, non omitterent petere: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quo in loco obseruo, quod Christus hisce verbis, vnius duntaxat diei panem à Deo postulari voluerit. Cur non potius nos docet panem nostrum absolute petere, non vero pro hodierno tantum die. absolute namque panem petendo, tantum censeremur petere, quantum nobis panis opus esset pro toto vitæ nostræ decursu. Cur igitur addimus *da nobis hodie* quo loquendi modo, id, quod pro humana nostra necessitate opus nobis esset, videmur negligere. Bene namque forte esset, nobisque sufficeret vnius tantum diei petere panem si homini vno duntaxat die panis manducandus esset, & non pluribus; at vero quia nobis panis vsura quotidie est necessaria, vsque ad ipsum præsentis vitæ terminum, ideo pro tota quoque vita & non pro vno solum die panis à nobis est postulandus. Qua ratione igitur fit, quod tametsi pane omnibus vitæ nostræ diebus indigeamus, Christus tamen nos doceat, vnius duntaxat diei panem à Deo exposcere?

Lucæ 11. 3.

S. P. Augustinus per verbum *hodie*, non vnum duntaxat diem, sed cunctos totius vitæ nostræ dies intelligit. *Quamdiu dicitur hodie, id est, in hac temporali vita.* Optime mundi Saluator nouerat, nos pane non solum vno die, sed tota vita nostra indigere, ideo-

Augusti. de serm. Domini in monte lib. 2. cap. 11.

ideoque dum nos instruit vnius tantum diei panem exposcere, per vnicum illum diem, totum humanæ vitæ cursum intelligit. Vnde vita nostra, prout innuit sapientia incarnata, vnius tantum diei vita est. Ad insinuandum vitam nostram adeo breuem esse & paruam, adeo transitoriam & fugacem, vt ad ortum solis nascentes, ad eiusdem moriamur occasum. Est sicut vita animalis cuiusdam quod Ephemeris nuncupatur, quod nascitur mane & vesperi moritur, quia totus vitæ cursus vno duntaxat die constare dicitur.

5. Franciscus Petrarcha de bono quodam perfectoque religioso refert, quod dum is die quadam à notis amicis suis, ad prandium in domo ipsorum sequenti mane sumendum, inuitatus esset, ita eisdem responderit. *Si quid nunc ex me vultis, præsto sum, quid vero cras agendum sit, vos, quibus vacat, cogitate.* Quamobrem existimatis religiosum istum ad nihil prorsus sese pro die sequenti obligare voluisse? Ideo nimirum, quia in continuo metu erat, ne vesperi moreretur, nec sequētis diei lucem ipsi liceret aspicere. Quia igitur sapiens homo iste optime nouerat, quam sit vita humana caduca & fragilis, vt vltra diei illius vesperam minimè sese nonnunquam extendat, de die in diem mortis suæ finem præstolabatur, neque enim illam sibi longiorem quam vnius diei imaginari poterat.

Petrarcha de memoria. lib. 3. tract. 3. cap. 67.

6. Vbi nos in Isaia iuxta vulgatam legimus: *Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam, ibi morieris.* Tigurina legit: *Circumligando te fascia quasi throchum in terram spatiosam proijciet te.* Quo in loco, extra omne dubium positum est, Euangelicum Prophetam de miseria hominis habere sermonem, quæ ab ipsa hominis natiuitate suum sumit exordium. Circa quæ verba obseruandum Tigurinam dicere velle, hominem, dum vix ex matris suæ egressus est ventre, atque etiamnum fascijs constrictus tenetur atque ligatus, dies suos haud aliter agere, quam trochus aliquis motu velocissimo in gyrum adactus: *Quasi trochum in terram spatiosam proijciet te.*

Isa. 22. v. 18.

Transl. Tigurina.

Est trochus certum quoddam instrumentum ligneum, figuræ pyramidalis, cuius inferiori parti dens quidam infixus est ferreus, quem pueri funiculis circumligantes, & in terram proijcientes, iucundum cum trocho suo exercere ludum solent. Respicite autem, vos obsecro, trochum istum in terram proiectum, seseque velocissimo motu in vrbem agentem, quanta is cum velocitate gyros suos expleat, omni namque oculi ictu, siue momento citius dum primum vix gyrū absoluit, ad finiendum quoque secundū accelerat, eadēq; cū velocitate terminat vt iterū sese gyrare incipiat, taleq; modo frequētissimorū iteratorumq; circulorum suorum laborem accelerat, vt quasi nequaquam inter gyrandum moueretur, immobilis existimari posset.

Trocho similis est homo incipiens viuere. *Quasi trochum in terram spatiosam proijciet te:* vix natus terram tetigit, cum ecce tanta cum velocitate vnius anni gyrum transigit, alterumque pro nouis circulis faciendis incipit, vt cogitanti summopere mirum sit, difficileque discernere possit num moueatur, vel potius immobilis persistat, quādo enim homini videtur multum adhuc vitæ tempus sibi esse reliquum, subito suum expeditum esse comperit cursum, seque sepulchro videt esse vicinum.

7. Dauid Propheta in cuiuscunque demum hominis persona loquens dicebat: *Factus sum sicut nicticorax:* Altera versio legit: *sicut noctua.* Non dicit similem se factum esse alicui aquilæ, Falconi, gallo aut alteri cuidam volucri forti & animosæ, quæ æquales aut maiores, quam illa quacum certatura est, habeat vires & fortitudinem. Sed similem se factum esse dicit Noctuæ, cui cuidam adeo debili, imbelli, & ignauæ, quæ ab omnibus auibus, etiam minutissimis maximeque debilibus, absque vllo defensionis remedio, frequentissime diuexatur. Haud aliter namq; homini in misera isthac vita accidit. *Factus sum sicut noctua.* Contra hunc namque non potentes duntaxat mundi creaturæ, sed & vilissimæ debilissimæque res mundi huius armatæ conspiciuntur, eundemque absque vllo defensionis aut resistentiæ præsidio vita sua destituunt. Modicus in cibo excessus, tantillum solito calidioris aut frigidioris auræ, modicus reati flatus, malancholica quædam

Ps. 101. v. 7.

dam cogitatio illum in sepulchrum præcipitant. Anacreon Poëta, vuam quandam pastam comedens, ab vnico suffocatus est acino. Fabius Senator lactis quoddam poculum ebibens, à paruulo quodam, qui in lacte latebat, pilo occisus fuit. Homerus vnica duntaxat cogitatione concepta, suam infœliciter vitam deperdidit.

Cum igitur dies hominis adeo sint fugaces & modici, totq; insuper insidiatoribus subiecti, qui hominē continuo circūdant, ipsūque animo & viribus ad resistendū destitutū, de momento in momentū in sepulturam veluti adigūt, adeo vt millies in die moriēdi periculū incidat, qualis erit illa hominis stultitia, qui longā sibi amplamq; vitam promittere ausit? Prædictis humanæ vitæ insidiatoribus peccatum mortale merito adiungi debet, sic enim maiori cū euidentia cognosci poterit, quam stultus sit homo ille, qui laqueum quo strangulandus est, in collo iam deferens, & imminentem sibi habens carnificem, vitæ tamen longioris spem nondum deponere potest, cum nihil sit, quod illum adeo omni viuendi potestate indignum faciat, quam in Dei odio & indignatione vitam traducere.

8. Ochozias Rex ex eminenti quodā palatij sui loco infœliciter lapsus, cū graui vitæ suæ periculo lecto iacebat affixus; Qui vt intelligeret, qualisnā morbi futurus esset terminus, nū videlicet sanitate, an vero morte, quā ipse, vtpote vir scelestus, qui nullū Deo deferabat respectū, optime meruerat, claudendus esset, certos quosdam ad consulendū hac super re Beelzebub, dimisit ministros. Qui dū Regis mandata adimpleturi in viam se recepissent, obuium habuerunt, magnum illum Carmeli Patriarcham Eliam Prophetam, qui postquam illos ex Domini iussu seuerissimè repræhendisset, mox ijsdē subiunxit: Ergone nullū est veri Dei oraculum in hac regione nostra, siue in Israel, ut eatis ad mendacem consulendum Beelzebub? Agedum igitur reuertamini ad Regem vestrum,
4. Reg. 1. v. 4. eidemque ex parte mea dicit: *Hæc dicit Dominus, de Lectulo super quem ascendisti, non descendes sed morte morieris.*

Abulensis super hunc scripturæ locum quærit, & dicit: Ex quo Propheta Regem moriturum prædixerat, operæ pretium esset indagare, num forte hæc moriendi necessitas ei ex morbo per lapsum istum causato proueniat, an vero ex peccato, per contemptum veri Dei oraculum, Dæmonemq; cōsultum commisso fuerit contracta? Qui tandem egregie respondent: *Mors naturaliter ventura erat propter illum casum, etiamsi non peccasset, & tamen Deus disponebat liberare eum à morte, si non mitteret ad consulendum Deum Accaron, sed quia misit, permisit vt moreretur.* Tostat. ibi quæst. 10.
Vnde Ochozias vtique dies suos multum diuina clementia mediante prolongasset, vsque in aliud tempus, nisi scelus illud perpetrasset, vnde peccatum fuit, quod illum interimebat, alias multo diutius victurum, subito enim postquam commissum est peccatum, ipsum ad instar inexorabilis cuiusdam Carnificis, longiori vita prorsus reddidit indignum, vitæque filium detruncauit.

Ios. 7. v. 1. 9. Idem ille Tostatus de furto, quod Achan auarus in sacco Iericho commiserat, tractans, obseruat, quod tametsi pauperculus ille bene noster, futurum, vt Deus suum manifestaturus esset latrocinium, ideoque ab vniuerso populo foret lapidandus, otiosus tamen, omnisque consilij expers haud aliter fuerit, quasi nulla capiti suo imminuisset ruina. Vnde quærit Doctor ille: Quare Acham fuga sibi non consulebat? Cur se non occultabat, quod facere facile poterat? Quomodo sui & vitæ propriæ adeo immemor erat? Num vero veniam apud Deum sibi concedendam sperabat? an vero nullo imminentis mortis angebatur timore? Respondet: *Quanquam Achan timeret futuram sibi mortem, tamen Deus percussit cor eius, ita vt non remaneret ei consilium neque vires.* Tostat. ibi. Tametsi scelestus ille probè sciret, peccatum eius breui publicandum esse, seque à populo absque vlla spe veniæ, sub ingenti quadam saxorum pluuia interimendum, non tamen ob id fugiebat, aut sese occultabat, Deus enim illum indurauerat, excæcata & confusa prorsus ipsius mente, adeo vt omne ab eo ad prolongandam vitam, mortemque euadendam idoneum fugeret consilium.

10. Saul magnus ille Hebræorum prothomonarcha ne post dissipatum ab inimicis

cis suis exercitum suum, ipsemet quoque in eorundem manus traderetur captiuus, certo cuidam militi sibi vicino præcepit, vt se occideret, vtpote qui magnopere tunc

1. Reg. 1. v. 9. angustiatus esset atque afflictus: *Sta super me, & interfice me, quoniam tenent me angustiæ*. Quod vulgata legit: *Quoniam tenent me angustiæ*, idemmet Episcopus Abulensis, dicit in Hebræo sic legi: *Quoniam tenent me sauas*. Vultque quod *sauas*, nomen Hebræum idem significet, quod *Ora vestimenti habens colores varios*. Quo verbo Saul militi huic significare volebat, vt omni prorsus modo illam occideret, vtpote qui mortem euadere non posset, eo quod à certis quibusdam viris variegato colore vestitis, ne illud effugere posset periculum, astringeretur, detineretur que ligatus. Sed obsecro quinam & quales hi erant homines, varijs hisce vestiti coloribus? Hebræi nonnulli, prout idemmet Doctor refert volunt fuisse sacerdotes (quibus Deus, vti in Exodo legitur, præceperat, vt vestimentis vterentur vario colore distinctis) quos annis superioribus Saul occiderat, atque in minutissimas partes conciderat. Vnde perspicuè videtur, homicidia illa quæ sacrilegus Rex ille commiserat, vita eundem prorsus reddidisse indignum, ipsumque veluti totidem Carnifices stricte tenuisse ligatum, ad hoc vt dies suos ibidem necessaria morte concludere cogeretur.

Tost. ibid.

11. Postquam quartum libri illius mystici & secreti qui S. Ioanni Apostolo exhibitus fuit, aperiretur sigillum, equus mox pallidus apparuit, cui nonnemo insidebat, cui nomen erat Mors. *Et cum aperuisset sigillum quartum; ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors*. Pro cuius loci intelligentia scire inprimis oportet, quid equus ille pallidus significet, & quis sessor illius fuerit, qui mors appellabatur. Haymo vult, per equum pallidum intelligendos esse homines peruersos & reprobos: *Designantur per equum pallidum omnes reprobi*. Per insessorem equi autem qui mors appellabatur, Glossa interlinearis Dæmonem intelligit: *Qui sedebat super eum, Diabolus scilicet*. Quod si hoc nunc supposito rationem à me petatis, ob quam

Apoc. 6. v. 8.

Haym. ibi.

Glossa interlin.

Dæmon peccatoribus inequitans mors appelletur? Responderem id fieri, vt insinuetur, quod eo ipso quo homines per peccatum, quod committunt, Dæmonis se iugo submittunt, mortem quoque sibi habeant imminentem, ideo namque dicuntur esse pallidi: *Equus pallidus*. nam pallidi ad instar hominis agonizantis & moribundi, mortis timore correpti, de momento in momentum in continuo versantur vitæ perdendæ periculo. *Equus pallidus*.

12. Regius Propheta de certis quibusdam peccatoribus discurrens, eosdem, quod luxuriæ vitio omnino dedicati essent, equos appellabat & mulos, dicebatque: *In chamo & freno maxillas eorum constringe*. q. d. Ne Respublica mihi, ô Domine, commissa pessimorum istorum hominum conuersatione polluatur, operæ pretium futurum esse videretur, si Diuina tua Maiestas chamo eosdem constringeret, atque è viuentium medio tolleret. *In chamo maxillas eorum constringe*. *Chamus* prouti obseruat Plautus, funem significat, quo suffocantur homines in patibulo. Atque ideo scire percuperem, cur Dauid non dicat, mitte, ô Domine, chamum in collum, aut circa fauces eorum, sed tantum, chamum constringe: *In chamo maxillas eorum constringe*. Huius autem, ni fallor, ratio hæc est, quia chamum seu restim iam de facto ad collum habebant suspensam, ita vt aliud nil superesset ad inferendam illis mortem, nisi vt chamus siue restis stringeretur. Vt per hoc nimirum insinuetur, miserabili homini, mox post peccatum commissum, imminere carnificem eundemque collo insertum portare funem siue restim, vt de momento in momentum se moriturum esse sibi persuadeat; Imo iamdudum fortasse mortuus fuisset, nisi diuina pietas tempus agendæ pœnitentiæ concessura, impium carnificem strangulare cupientem impediret. Videre igitur, quanta homo ignorantia laborat, qui dum mortem sibi adeo habet vicinam, nec non peccati insuper onere grauetur, longius sibi nihilominus vitæ spatium audet promittere.

Ps. 31. v. 9.

Plautus in Cas.

13. Pro maiori discursus huius dilucidatione ac perspicuitate, consideratio illa

 inter-

intermitti nequaquam debe°, quam os illud Chrysostomi aureum, super casu illo facit, qui Prophetæ illi accidit, qui diuinum sibi impositi ieiunij præceptum transgressus dũ asino insidens syluam quandam transiret, à feroci quodam leone inde egresso, occisus est, asino necquicquam læso aut mali passo, qui mortui Domini sui lateri absq; vllo cõspectæ feræ timore iuxta astabat: *Erat cadauer eius proiectum in itinere, asinus autem stabat iuxta illum, & leo stabat iuxta cadauer.* Circa quem euentum sanctus hic Doctor quærit, qua de causa leo, sicut occiderat Dominum, asinum quoq; non interemerit? an forte specialẽ aliquẽ horrorem in dilaniatione vnius bestiæ est expertus, quem non reperit in hominis occisione. Acuteque respondet: *Iacebat itaq; mortuus Propheta, stabat vero asina eius viua, non quod esset difficilius interficere asinam quam hominem; sed irrationabilis leo præceptum discreuit, & asinam quæ non peccauerat, non occidit, neque tetigit eam quæ præuaricata non erat, sed eum qui præuaricatus erat.* Vnde si factum istud bene consideremus, inueniemus, peccatum fuisse carnificem illum, qui mortem Prophetæ intulit; nam si Propheta ab omni peccato fuisset immunis, ita illum viuum reliquisset, sicut bestiam viuere permiserat, quæ non peccauerat. *Neq; tetigit eam quæ præuaricata non erat.*

3. Reg. 13. v. 28.

Chrysost. serm. 1 de ieiunio.

14. In vitis sanctorum Patrum de Anastasio sceleratissimo Imperatore refertur, quod nocte quadam postquam sanctissimos Patriarchas Euphemium & Macedonium eiecisset in exilium, dum in lecto suo suauiter dormiret, venerabilem quendam grauisque ætatis virum, vestimentis albis indutum in somnis viderit, qui librum quendam manu tenens, in eoque quinque folia vertens, nomen mox legerit Tyranni, eundemque irreuerberata acie in faciem respiciens dixerit. *Ecce propter perfidiam tuam deleo quatuordecim*, scilicet annos, quos alias Tyrannus ille fuisset victurus, quos & digito deleuit. Vnde post duos dies, terribile quoddã tonitru de cælo descẽdens scelestissimũ occidit Anastasium. Debuerat hic Imperator quatuordecim adhuc annis vlterius viuere, peccatum vero quod commiserat, ipsum reliquo dierum suorum, quos viuere potuisset spatio indignum reddiderat, mortemque eius sollicitauit.

Vit. Patr. lib. 10. c. 39

Qualis igitur eheu! erit illa hominis illius ignorantia, qui præterquam breuis sit & fugax vita eius, peccati insuper iugo grauatus, & laqueo collo eius inserto ad suspendium velut paratus, & quasi de momento in momentum è viuis auferendus, quantumuis sit iuuenis fortis ac generosus, longos sibi dies, multosque vitæ suæ annos promittere ausit? Cur miser ille, quisquis sit, nõ aduertit, quod dum morti appropinquat, dum mori minimè cogitat, in euidenti moriendi in peccato periculo continuo viuat, in eoque negligenter ac temere insordescat & perseueret? *In peccato vestro moriemini.*

CONSIDERATIO II.

In peccato vestro moriemini.

Quisquis peccatum obstinate in decrepitam vsque continuat ætatem, pilos facilius quam vitium mutabit.

Porro ponamus casum, quod dies vitæ hominis peccatoris, per diuinam longanimitatem & patientiam, in extremam vsque prolongentur senectam, prouti multis accidit, qui tametsi scelerati sint & pessimi, mori tamen videntur senes & decrepiti, per hoc tamen nequaquam, ad persuadendam in fauorem sui veritatem, efficax erit ipsorũ syllogismus, nam postquam peccatum per continuam obstinationem in anima fuerit radicatum, ingens erit ad illud extirpandum & euellendum difficultas. Adeo vt ob hoc in communi prouerbio dici soleat, peccator inueteratus pilos potius, quam vitium mutabit. Vnde miseri eiusmodi iuuenes, qui in extremam vsq; senectutem pœnitentiam differunt, animarum suarum salutem euidẽtissimo exponunt periculo, cum enim se, postquam senes & decrepiti facti fuerint, emẽdare non possint, ex præsenti vita demigrant peccatis mortalibus obnoxii, prout illis comminata fuerat incarnata sapientia. *In peccato vestro moriemini.*

1. Sanctus Ioannes Chrysostomus inquit: *Neminem pilus albus saluat*, quasi diceret: Nemo

Chrysost. homil. 8. in epist. ad Hebr.

Nemo dicat, quando canus ero & decrepitus, tunc pœnitentiam agere, & saluare animam meam statui, quia *neminem pilus albus saluat*: Sed pilus potius niger est is, qui saluat: cum enim peccata, quoadusque capilli nigri existunt, nondum sint indurata, neque habitus mali in anima firmiter sint radicati, magna adhuc cum facilitate inde euelli & eradicari poterunt. Cum vero in decrepitã vsque prolongantur senectam, vix ad illa eradicanda vires sufficientes habebit, eo quod longo tempore, valde profunda & firmiter, suas egerũt radices. Vnde vera spes emendationis vitæ, soli adhæret iuuentuti, quando, capilli nigri sunt, non senectuti, quando sunt cani & albi, *Neminem pilus albus saluat*.

2. Christus Ioannis cap. 4. cum Apostolis suis loquens, dicebat: *Leuate oculos vestros, & videte regiones, quoniam albæ sunt ad messem*, Theophylactus locum hunc explicans dicit: *Cauillantur autem quidam hoc dicto senes, videri regiones quod albæ sint ad messem, propter canos videlicet, & messem mortis*. q. d. Nonnulli sophisticando hunc locum intrepretantur, eoque vtuntur ad cauillandum senes, vtpote, qui cum ad instar frugis iam maturæ, albos habeant capillos; nil nisi mortis expectant falcem: *Albæ sunt ad messem*. Hinc igitur habemus, canos capillos similes esse blādis maturis. Vnde vlterius infero, & dico, quod sicut Agricola si semine suo adhuc in herba constituto, aliquem in eodem experiatur defectum, illius emendandi, & frugis meliorandæ spem semper habet, vbi vero virorem amiserit, & albedinẽ induerit, omnem deinceps remedij spem deponit, cum tunc solum illi cælum miraculose succurrere possit. Vnde Christus dicit, quod si albi facti sint, ad messem ad falcem, non vero ad crescendum magis in altum aut ad sui multiplicationem, sint idonei, neque tunc grani sperare possis meliorationem, sed falcem duntaxat detruncantem & demetentem. Sic Homo corrigendorum defectuum suorum semper spẽ habebit, quoadusque viridis erit & iuuenis. Quod si vero illis indormiens, ad canam negligenter reductus fuerit senectam, quando aliud præter mortis falcem expectare non licet, non dicam emendationem illius futuram impossibilem, sed particularem Dei requiri gratiam, vt simul cum pilo vitium commutet. Ad quam veritatem vulgaris ille Poeta Italus respiciebat, quando cecinit.

Ioan. 4. v. 35.

Theoph. ibid.

E pia mutano il pel, poiche S. Anuezzano
Che mutin voglia.

Sannazaro Ecclog. 8.

3. Audite pulchram sapientis hac de re sententiam: *Prouerbium est: Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea*. Itane? Ergo Iuuenem, viam illam, quã in adolescentia ingressus est, non desertururum in senio, hoc est prouerbium? Quid significat prouerbium? Aldus Manutius dicit, quod prouerbium sit dictum quoddam: *Quod passim per ora hominum obambulet*. Cum igitur dicatur, commune apud omnes prouerbium esse, quod iuuenes viam præcipitij in iuuentute à se tritam, postea senes quoque facti deserere non possint, signũ est, propositionem illam talem esse, vt illam passim omnes sciant, & dicant. Quid enim clarius, magisque certũ atque perspicuũ esse potest illo, quod communi omniũ hominũ sententiæ & opinioni conforme est, perque omnium hominum ora obambulat? verissimum est igitur, quod homo, qui in peccato obstinate ad ipsam vsque senectutem perseuerat, capillum facilius quam vitium sit commutaturus. Vnde magna est illorum stultitia, qui dum iuuenes sunt, in Dei indignatione & odio viuere volunt, sperantes fore, vt in cana ætate animabus suis aliquod adferre possint remedium, cum illa absque vlla hominis emendatione soleat eidem advenire.

Prou. 22. v. 6.

Aldus Manutius in adagijs.

4. S. P. Vincentius Ferrerius verba illa à S. Iob ad Deum dicta bene considerans, nimirum: *Vocabis me & ego respondebo tibi*. Vult, quod verba illa à S. Iob pronunciata sint eo tempore, quo iuuenis erat: *Dicit Iob cum esset iuuenis, vocabis me & ego respondebo tibi*. Dic mihi, obsecro, quam ob causam sanctus Iob volebat vocari tempore iuuentutis, ad hoc, vt diuinæ respondere posset vocationi? Num forte Deo ipsum in senectute sua vocanti responsurus non fuisset sicut in iuuentute? Possibilis illi quidem in senectute erat eiusmodi respon-

Iob. 14. v. 15.

S. Vin. Ferrer. ser. 5. Epiph.

ſponſio, non tamen ſine maxima difficultate, timebat enim, ne forte ſurdus in ſenio fieret, quippe cum ſenes naturaliter occluſas & obtuſas habere ſoleant auriculas. Quod vir aliquis obſtinatus atque protervus in ſtatu peccati, ad ipſam vſque ſenectam perſeueret, & quod Deo illum tunc ad vitæ ſuæ emendationem & delictorum ſuorum pænitentiam vocare dignanti, reapſe de peccatis ſuis pænitendo reſpondeat, poſſibile id quidem eſt, ſed difficillimum. *In* tali namque caſu opus eſt vt ſeſe defatigent prædicatores, qui tamen quantumuis laborando parum aut nihil circa illum proficient. Vnde neceſſarium inſuper erit, vt Deus ad excitandum illum, tonitrua de cælo ſuper illum emittat, adeo enim ſurdus eſt, atque extraordinariis illum timoribus & terroribus ad gratiæ ſuæ ſtatum reducat. Secus enim ſemper ad diuinas inſpirationes inſenſibilis erit, quas alias iuuentutis ſuæ tempore, quando vitia nondum tantam ſuper illum poteſtatem habebant, & dominium, audire poterat promptiſſimè.

5. Noſtiſne chariſſimi, quid nomen iſtud, ſenex ſignificet, & vnde deriuetur? S. P. Iſidorus veram illius adfert Ethymologiam, dicens. *Senes autem dictos quidam putant, à ſenſus diminutione, eo quod iam præ vetuſtate deſipiant. Nam phyſici dicunt homines ſtultos, eſſe frigidioris ſanguinis, prudentes calidi.* Vnde iuxta ſanctum hunc Doctorem, idem ſignificat *ſenex*, quod *ſtultus*. Quo ſuppoſito dico: Quodſi homo in tempore iuuentutis ſuæ, quando iuxta complexionem ſuam & ætatem, ſapiens eſſe debebat & prudens, ſtultus nihilominus fuit & delirus, eo quod grauibus peccatis onuſtus in æternum temere ſemper abibat præcipitium. Quomodo rectum ad ſe rationis vſum reuocare; & ſapiens eſſe poterit in ſenectute, tempore nimirum tali, quo homo rationis vſum naturaliter deperdit, ſtultuſque efficitur.

S. Iſidor. Ethymol. lib. 10. c. 2.

6. Hic congruum ſibi locum vendicant, S. P. Auguſtini homini cuidam carnali & luxurioſo dicta verba: *Fornicarius gaudet, quia facit, & ſeneſcit, in quo libido non ſeneſcit.* q. d. Carnalis homo laſciuis immerſus amoribus lætus viuit, & interea tamen ſeneſcit, libidine econtra ne quicquam ſeneſcente, ſed in primæuo ſemper ardore ac furore perſiſtente. Vnde alius quidam mons Æthna eſſe videtur, qui dum foris canitie quaſi micat & albet interius igneus prorſus eſt atque accenſus. Ex quibus ſancti Doctoris verbis, vt ad noſtrum perueniamus propoſitum, ſic licet diſcurrere & dicere: dum iuuenis aliquis cum alio quodam æque iuuene confligit, incertum eſt ex vtrius illorum parte futura ſit victoria, quia enim æquales ſunt vtriuſque vires, in neutrius partis fauorem certo iudicare licet; Quodſi vero ſenex quiſpiam cum iuuene aliquo confligat, nemo dubitat, quin vincendus ſit ſenex, aut ſi præualere & vincere poſſit, miraculum erit. Ita quoq; ego dicam: ſi ſenex aliquis, cum luxuriæ vitio, in quo iam inſenuit, confligere & certare velit, quod tamen in ipſo minime conſenuit, quis non videt illū cū iuuene temere & cum manifeſto perdendæ victoriæ periculo certare. *Libido non ſeneſcit.* Impoſſibile enim eſt, vt ipſe in ſenectute reportet victoriā, niſi miraculoſe illi de cœlo ſubueniatur.

Aug. de verb. Ap. ſerm. 18.

7. Nicolaus Lyranus ex quorundam Hebræorum Rabbinorum mente refert, quod Lamech dum iā cæcus eſſet & ſenex, venatione admodū delectatus fuerit, qui vt certo ſciret, quonā ſagittā directurus eſſet, iuuenem ſemper ſecum habuit, veluti viæ ducem: cum igitur Cain die quadam, vtpote valde pauidus & formidoloſus, inter arbores quaſdam occultatus lateret, iuuenis ille ipſum videns & feram eſſe credens, & non hominem, dixit Lamech cœco, vt ad dictū locum arcum ſuum verteret atque ſagittam, quod vt fecit, Cainum occidit, occidit Cainum. Poſtquam vero Lamech, deinceps errorem ſuum percepiſſet, cognouiſſetque, quod loco feræ occidiſſet hominem, ſtatim iuuenem illum viæ ſuæ ducem fuſtium verberibus, atrocique delumbatione occidit. Vnde domum reuerſus, mulieribus ſuis (duas enim veluti bigamæ inuentor habebat) dixit: *Occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum.*

Nic. de Lyra in c. 4. Gen.

Gen. 4. v. 23.

Id quod hoc in facto me facit obſtupeſcere, eſt, quod Lamech etiamſi cæcus eſſet, in venatione tamen exercitio arcū tractare delectaretur, cū tamē hæc non eſſet cæcorum, ſed hominum acuto perſpicacique viſu prædictorum profeſſio: & tametſi hac in re alieno vteretur ducatu atque directione, nullo tamen modo arcus manibus hominis

cæ-

cæci bene conueniebat. Respondet Guilielmus Pipinus: *Cum esset sagittarius, adhuc in iuuentute sua, non obstante dicta caligine, delectabatur in arte sagittaria.* Quandoquidem Lamech toto vitæ suæ decursu sagittarius extiterat, ideo postquam iam totaliter consenuerat, ne ipsa quidem cæcitas, vt hoc exercitium omitteret, efficere potuit. Tantas enim in hominibus vires, iuuentutis acquisiti habitus obtinent, vt eosdem in senectute, quantumuis vrgentissimis sint occasionibus impediti, intermittere nō possint.

Guiliel. Pipi. ibid.

Horatius.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu.

Dixit olim Poeta ille latinus: quasi diceret: Quodsi homo in iuuētute sua ad semetipsum solerter attenderit, seque ad virtutis tramitem per consuetudinem astrinxerit ab illo in senecta deuiare difficillimè poterit. Similiter etiam, quodsi à primis annis vitio alicui deditus fuerit, cum maxima difficultate atque labore inde dissuescere poterit,

8. Postquā sanctus Loth, duos illos Angelos, de cælo ad incinerandam infamā sodomam missos, hospitio excepit, mox Sodomitæ incredibili eorūdē pulchritudine accēsi, homines enim, non vero Angelos illos esse existimabant, vt eisdē ad infamis cupidinis suæ abuterētur libidinē, serui Dei domum circumquaq; obsiderunt & circumuallarūt: Atq; ad hunc infamē conatum, Moyses non iuuenes duntaxat, sed & senes concurrisse dicit: *Viri Ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem, omnis populus simul.* Qua in re aliquam non exigui momenti inuenio difficultatem. Quod enim sodomitæ iuuenes innominabile scelus istud tentare, in idemq; cōmittendū vim facere voluerint, vtpote qui à iuuenilis ardoris incendio stimulabantur, atque furebāt, hoc transeat, neque enim adeo mirandū est. Verū quod & decrepiti quoq; senes, ad scelus istud patrandum inter iuuenes depræhēsi fuerint prōpti, quos ætatis deficientia à similis carnalitatis effectibus prohibet, adeo faciliter persuaderi posse non videtur.

Genesis 19. v. 4.

S. P. Ambrosius hunc locū considerans, vt difficultati huic subueniat, hunc in modum respondet: *Qui possibilitatem perpetrandi criminis non habuit affectum. Effata vires senum, sed mens plena libidinis.* Tametsi senes ob ætatis defectū, in iuuenū societate luxuriari nequeant, ad horrendū tamen facinus istud currere nō destiterūt, vtpote qui animū plenū habebāt atque onustū spurcitie, cui dum iuuenes essent, dedicati fuerunt, dumq; ad opus patrandū vires non essent, sceleris tamē cōmittendi gaudere volebāt aspectu. Ad instar luporū qui dū ob senectutē prohibiti, carnes manducare nequeūt, libenter tamen eorū qui illas manducant, spectatores existunt. Tam ingens enim est eorū, qui à iuuentute vitiorum assueuerunt exercitijs, ruina, vt ab eisdē ne quidem dum senes sunt abstinere possint, videnturque mores illorum, in dura & frigida illa ætate, adeo esse deprauati, vt omni prorsus ad emendationis spem concipiendam dispositione careant.

Ambros. de Abraham lib. 1. c. 6.

9. In parabola de sterili & infæcunda ficu, quā S. Lucas c. 13. describit, dicitur, quod cū Dominus illius tribus continuis annis ad illā accessisset, vt nū fructus produceret, videre posset, illā vero sterilē semper & infæcūdā cōmperisset, tandē vinitori suo præceperit, vt illā succideret, ne terrā occuparet frustra: *Ecce anni tres sunt, ex quo venio, quarēs fructū in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illā, vt quid etiā terram occupat?* S. Gardinalis Bonauentura dicit, per tres illos annos, quibus fructus in ficu fuere quæsiti tres hominum significari ætates, pueritiā videlicet, adolescentiā & iuuentutē; *Per tres annos intelligitur pueritia, adolescentia & iuuentus.* Vnde quando Deus per Dominū ficos significatur, depræhendit hominem qui intelligitur per ficum fructus non produxisse pænitentiæ, nec alia quæuis opera bona, idque tā in pueritia quam in adolescentia atque ætate iuuenili, mox præcipit illum è viuorum medio tolli atque eradicatu.

Luc. 13. v. 7.

S. Bonau. ibid.

Hoc supposito quæro, cur non in alterū vsque annum moratus fuerit, & senectutē non expectarit, forte enim, qui annis ætatis transactæ sterilis extitit, fructus tandem protulisset factus fæcundus; & qui vitæ suæ conuersionem nihili fecerat in adolescentia & iuuentute, in senectute illā strenuo procurasset? Respōdeo sufficiebat Deo ad hoc vt illum eradicari atque stirpitus euelli præciperet, quod illum sterilem depræhendisset in iuuentute, sic enim per reliquum

liquum totius vitæ suæ tempus, nihil de fæcunditate futura spei supererat.

Ordinarie namque fit, vt qualis homo in iuuentute sua extitit, talis quoque esse reperiatur in senectute. Estque frequentissima compertum aperientia raros esse qui vna cũ pilis vitia mutent. Vnde ad propriorum emendationem defectuum, nulla ratione conueniet, in ijsdem ad ipsam vsque senectutem persistere. Quia sicut homo quoadusque iuuenis existit, magna cum facilitate se dedicare potest negotijs propriæ salutis, ita postquam canis cæperit esse respersus, in statu senectutis, præterquam quod in vitæ ac morum conuersione incredibilem inuenturus sit difficultatem, in manifesto quoque insuper futurus erit periculo ne habitus illius mali atque peruersi, eodem quo cadauer suum claudendi sint saxo, in peccatis moriendo. Quod ab omnibus clementer auertat diuina pietas. Amen.

CONSIDERATIO III.

In peccato vestro moriemini.

Qualis in vita sua quisque fuerit, talis & in morte erit.

VErum enimuero, dicat fortasse obstinatus peccator intra semetipsum, cũ ego de illorum numero futurus non sim, quibus Deus longum concessurus est viuẽdi tempus, eo quo præuideam dies meos in ipso ætatis flore, fore detruncandos, statuo ex nunc me mortis iam imminentis tempore, turpi vitæ meæ expiandæ, cum omni conatu possibili applicare, veniamque & pietatem, humiliter peccata mea plangendo, exposcere: & nequaquam dubito, quin Deus, vtpote promptus ad misericordiam, & ad clementiam exhibendam procliuis, gratiæ suæ fauores mihi nequaquam sit denegaturus: Interea autem donec vixero, neque vlla mortis vestigia videro, cæptam prosequar lasciuius viuendi rationem. *Quã sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana.* Sibi namque bene concludere videtur, nec tamen penetrat, quam stulta sit hæc eius ratio, in cuius falsitate confisus deceptus viuit. Nescit enim talem infallibiliter esse hominis mortem, qualis vita eius fuit, & sicut bona vita bonæ quoque mortis infert conclusionem, sic vitam quæ in cæno versatur peccati, nil nisi pessimam mortem sibi polliceri posse. Vnde male viuendo, euidenti male quoque moriendi sese exponit periculo, id quod ex sequentibus locis, quæ adducemus, perspicue videri poterit.

1. Cum S. Prothomartyr Stephanus à furibundis Hebræis, qui illum veluti diuinæ legis transgressorem, mortis condemnare curabant, captus esset; ipse, vti refert S. Lucas, coram ijs qui considebant illum iudicaturi, apparuit Angeli non hominis præseferens faciem, qualis etiam reuera erat: *Et intuentes eum omnes qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius quasi faciem Angeli.* Quam, obsecro, ob causam volebat Deus, vt sanctus hic Diaconus, eo præcipue tempore, quo moriturus erat, mundo ad instar Angeli exhiberetur? Equidem, quantũ ego mihi persuadere possum, id ob nullam aliam causam factum est, quam solum ad dandum manifestum aliquod sanctitatis suæ specimen, in qua ipse incontaminatè semper vixerat, vt dicit S. P. Augustinus, qui existimat, vnicum, & solum motiuum, ob quod Apostoli illum primitiuæ Ecclesiæ mulierum constituerint, superintendentẽ, admirabilem suam fuisse castitatem: *In hac etiam re, quod præpositi est fœminis, testimonium perhibuit syncerissimæ castitatis.* *Actor. 6. v. 15.* *Aug. ser. 5. de sanctis.*

Vnde quando Deo placuit per angeli cuiusdam effigiem sanctum honorare Diaconum, hoc solum intendit, illum mortis suæ tempore coram omnibus demonstrare esse virginem, *Viuere in carne præter carnem, angelorum est.* Quo supposito, iterum quæro, quamobrem Deus hoc serui sui spectaculum, circa tempus imminentis sibi mortis exhibere voluerit, & non ante illam? Quia videlicet demonstrare voluit, quod ita moreretur, prouti vixit, vixerat semper Angelicè, & ideo veluti angelus quidam etiam moriebatur. Siquidem homo eodem prorsus modo moritur, quo vixit: neque enim possibile est, vt qui vixit vt Angelus, vt Dæmon moriatur, sicut econtra impossibile quoque

quoque est, vt qui ad instar Dæmonis vixit, sicut Angelus moriatur.

2. Dum S. Petrus Apostolus pro electione alterius cuiusdam Apostoli, collocandi in sedem à perfidissimo Iuda derelictam, cōgregasset concilium, vt electio isthæc in personam quandam caderet à Deo destinatam, atque ingenti illo Apostolatus honore dignam, publicas instituit orationes & preces præcipit, in qua Iudæ faciens mentionem, in sequentia erupit verba: *Prævaricatus est Iudas vt abiret in locum suum.* Quis obsecro fuit locus iste, qui adeo Iudæ proprius erat, vt ob id appellaretur locus suus? Oecumenius dicit fuisse patibulum: *Vt abiret in locum suum; id est in laqueum, quo se dignum reddidit.* Notum est patibulum locum esse latronum, ac proinde Iudas in patibulo moriens, instar latronis, siue furis. Neque enim mori poterat veluti Eleemosynarius, qui vt fur semper vixerat, siquidem homo communiter ita moritur, sicuti vixit.

Actor. 1. v. 25.

Oecū. ibi

3. Cum Deus præcepisset Moysi, vt Aaron sacerdotem magnum in montem duceret, vt ibi moreretur, mox subiunxit: volo autē vt prius illum propriis exuas vestimentis, iisdemque induas Eleazarum filium suū, & paternæ dignitatis successorem: *Tolle Aaron & filium eius cum eo, & duces eos in montē Hor. Cumq; nudaueris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius.* Hieronymus Oleaster in hunc locum dicit, hasce vestes Aaronis, non fuisse tales quibus vulgo vtebatur, sed dignitati suæ proprias, idest, Pontificias. *Crediderim eum tunc indutum sacerdotalibus vestibus.* Hoc in loco præcipuè obseruādū, quod Aaron ascendens in montem Hor animam suam ibidem Deo redditurus, Pontificaliter vestitus fuerit. Ecquid autem Aaron vestibus sacerdotalibus opus habebat, quando moriturus erat, præcipue cum tunc non esset ingressurus Tabernaculum, nec oblaturus incensa aut sacrificaturus hostias?

Num. 20. v. 25.

Oleast. ibi.

Dico igitur, quod tametsi Aaron in tabernaculum ingressurus non esset, nec oblaturus incēsa aut sacrificaturus, necessariū tamē fuerit, vt publicè, in conspectu totius populi pontificalibus indueretur ornamentis. Ratio huius est, quia sacræ Aaronis vestes, virtutes eius significant, quibus, vtpote dignitate illa dignissimus, quoadusque vixit animam suam habebat exornatam. Sic namque sanctissimus Pontifex Innocentius Tertius existimat vestem lineam significasse innocentiam: Cingulum, quod scriptura sacra appellat Baltheum, Castitatem, superhumerale patientiam; Rationale discretionem frōti vero superpositam auri laminam, sapientiam, vt itaque Deus populo suo Hebræo significaret, sacerdotem suum in eadem qualitate vitæ & morum mori qua vixerat, voluit vt iam iam moriens, pontificalibus sese indueret vestimentis, quibus vestitus esse solebat dum viueret. Vt vel hac ratione vnusquisque ex vestimentis exterioribus videret Aaronem morientem eodem modo suam exornasse animam, quo viuens id fecerat, variegatarum nimirum ornamēto virtutum, & sicut virtuose vixerat, ita quoque virtuose mortuum fuisse: neque enim id permittit diuina prouidentia, vt qui viuens virtuosus semper extitit, virtutibus spoliatus moriatur.

Innoc. 3. Pontif. de mist. miss. lib. 1. c. 18. & seq.

4. S. Adalelinus vitam scribens S. Godegrandis S. Oportunæ Abbatissæ germani fratris & Episcopi Sagiensis qui opera certi cuiusdam presbyteri Grodeberti personati & ficti amici & consanguinei sui occisus fuit, qui etiam dum ab Ecclesia sua sanctus prædictus Episcopus abesset, Episcopalem illius dignitatē mox inuasit. De quo vlterius subiungit, quod mortuo sanctissimo Martyre, ipse quoq; traditor eundem moriendo subsecutus mox fuerit. Tenetq; pro certo, hanc traditoris mortem factam esse, in maxima Dei disgratia, seu odio erga illum concepto, non tantum ob patratum à se crudele scelus sed etiam quia sceleratissimè in vita sua vixerat & rationem assignat: *Quia non potest bene mori, qui male vixerit.* Neque enim homo in morte diuersus esse potest à se ipso, qui fuit in vita. Idipsum dicere voluit ille in lingua Italica Virgilius de morte Turcici cuiusdam militis tractans:

S. Adal. apud Lip. 22 April.

Moriua Argante, e tal moria, qual visse
Minauiana morendo e non languiua.

5. S. Ioannes in Apocalypsi dicit audiuisse se vocē quandam de cælo lapsam, qua ipsi vt sequentia verba scriberet, præcipiebatur:

Apoc.14.v.13. tur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Circa quæ verba S. P. Ambrosius inquit:

Ambr.ibi. *Qui mortuus mori potest. Nullus procul dubio mortuus mori potest, nisi prius animam recipiat, vt iterum mori posset,* quasi diceret: videntur illa verba euidens aliquod in se compræhēdere paradoxum, quomodo enim possibile est mortuos mori posse, quamdiu mortui sunt? si enim mortui sunt, quomodo moriuntur, aut si moriuntur, quomodo mortui esse dicentur. Vt mori possent, opus esset, vt anima ijsdē restitueretur, sic enim mori iterū possent, veruntamen nec sic moriendo, morerentur tanquām mortui, sed tanquā viui. Quod igitur cælum prætendit dum S. Ioannem scribere iubet, quod mortui moriantur dum mori non possunt? *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Respōdet autem pulchera quadam distinctione adhibita: *Sed illi sunt beati, & illi in Domino moriuntur, qui prius moriuntur sæculo, postea carne* q.d. Duo sunt mortuorum genera; alii enim tametsi in corpore viuant, mundo tamen sunt mortui; & huiusmodi sunt homines sancti & virtuosi, qui in hoc mundo haud secus vivunt, quam si in mundo non essent; Alii autem sunt corporaliter mortui, vtpote, quorum animæ de suis corporibus sunt separatæ. Quando igitur S. Ioannes scribit: Beati mortui qui in Domino moriuntur, non de vltimis, sed de primis mortuis intelligi debet, de quibus S. Paulus loquebatur, quādo iis dicebat quod

Coloss.3.v.3. mundo mortui in Christo viuerent: *Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Tales mortui mori iterū possunt, quia cū prius spiritualiter mortui sint, postea corporaliter moriuntur. Quādo igitur tales, qui in mundo se haud aliter habuerunt, quam si essent mortui, viui autem in Domino suo, quando hi inquam morituri sunt, quomodo morientur? *In Domino moriūtur.* Qualis fuit ipsorum vita, talis & mors erit. Vita ipsorum fuit cum Deo, & mors itidem sine Deo non erit. sicut enim viuimus, ita morimur.

6. S. Bernardus illum Actuum Apostolicorum locum explicans, in quo, vti superius audistis, dum de Iuda tractaretur hac eadem Considetatione, dicitur mortuum illum esse, *Vt abiret in locum suum.* Verba in alio quodam sensu exponit, longe elegantiori illo quem supra adduximus, videlicet dicendo: *Petrus Apostolus filium perditionis in locum suum abusse testatus est, quod in aere crepuerit medius aerearum collega potestatum.* quasi diceret: quando sanctus Petrus Iudam dixit abiisse in locum suum, intelligendum id non de alio loco, quam de aëre, in quo pendens interiit, vt in Dæmonum moreretur societate, qui postquam de cælo sunt lapsi, in aëre etiamnum detinentur: Sicut enim sceleratus ille, quoadusque vixit, semper in societate fuit Dæmonum, qui in millena illum vitia præcipitem egerunt, modo illum ad proprium patrem suum occidendum impellendo, modo faciendo vt carnaliter propriam cognosceret matrem; modo illum instigando, vt eleemosynas furaretur pauperum. Vltimo denique illum ad enorme illud aduersus innocentis Domini sui sanguinem ordiendum tradimentum & proditionem extimulando, sic quoque opus erat, vt in Dæmonum quoque societate moreretur. Homo enim eodem modo quo viuit, etiam moritur, neque enim viuere potest cū Dæmone, & cum Deo mori. — S. Bern. serm. 8 in ps. 99.

7. Singulariter notandum, quod Ioseph Hebræus de crudelissimo Herode Rege refert, de illo inquam, qui mundi Saluatorem, mox vt natus fuit, tanta cum industria perquisiuit, ad occidendum illum, illumque nō inueniens tot infantum occidit millia. Refert igitur eundem, dum morti vicinus esset, præcepisse, vt omnes regni sui nobiles & primates caperentur, suæque soror, Salome appellatæ, mandasse, vt eosdem mox vt mortuus esset, absque vlla dilatione strangulari faceret.

Et quidem si cupidi sitis sciendi, quidnam Tyrannus iste hac sua crudelitate prætenderit, idem author idipsum perspicuē explicat. dicēs: vt hac ratione essent *eius exequiæ honorabiles super cæteros reges, & luctus amplior ageretur* Nam in morte aliorum regum solum plangunt parentes & amici, volebat itaque vt in sua morte vna cum amicis atque parentibus, ipsi quoque inimici & vniuersum eius regnum pariter fleret. Valde profectò truculentus, ferox & crudelis erat Tyrannus iste, qui mortis tempore per similis vanitatis occasionem atque moribū, tot innocentum hominum carnifex esse — Ioseph. Heb. Antiq. 17.c.8.

vole-

volebat. Neque tamen id mirum vobis videatur, dicit Berengosius Abbas, de sceleratissimi Herodis morte loquens, cum enim scelestissimè vixisset, sceleratè quoque illum mori necessum erat. *Mirum non est, quod mala morte obiit, qui semper male vixit.* Non poterat in morte diuersus esse à seipso, vti extiterat in vita: In vita ingens aliquod innocentum puerorum macellū apparauit, & ideo idem facere tentauit in morte. si instar rabidi canis dixit, quid mirum si instar canis quoq; moreretur? sicut enim viuimus ita morimur.

Berengosius Ab. de inuent. S. Crucis lib. 3. c. 5.

8. Balaam Pseudo Propheta in alto quodā monte, vnde vniuersum Hebræi populi exercitū prospicere poterat, cōsistens, subito quodā accensus est desiderio, eodem modo moriēdi quo hi serui & amici Dei erant morituri: *Moriatur anima mea morte iustorum.* Oleaster hæc verba audiens, hisce Balaam verbis alloquitur: *Vtinam diceres potius, viuat anima mea vita iustorum, quam vt moriatur anima mea morte iustorum.* Et rationem huius mox subiungit: *Nam Dominus non nouit aut consueuit dare mortem iustorum nisi iustis, sicut neque mortem impiorum nisi impiis.* Vnde si tu, qui peccator existis, ad instar hominis sancti mori desideres, id certe desideras, quod est impossibile.

Num. 23. v. 10.

Oleast. ibi.

Verum enimuero attendendum verba ista a Balaam prolata esse. Quid significat Baalam? Est nomen Hebraicum, quod in latino sermone nostro idem est, quod vanus populus, seu populus stultus, nam nomen hoc vanus aliud nihil significat, quasi diceret: Verba sunt hominis carentis iudicio & mentis inopis. Nam qui pollet iudicio, nō sperat sanctè mori, si sceleratè vixerit; probe enim nouit, quod impius bona morte mori non possit, sed quod si sanctè mori desideret sanctam quoque vitam vt instituat, curare debet; certissimum quippe est, quod qualis homo erit in vita, talis quoque & non alius futurus sit in morte.

9. Nolo hic obliuisci eius, quod ad hoc propositum Plinius Nepos Ruffino suo scribit: *Creditur vulgo testamentum hominum speculum esse morum.*

Plin. Nepos epist. lib. 8.

Volo dicere, homines in iis actionibus, quas operantur dum morti sunt vicini, veluti in speculo toti mundo manifeste ob oculos ponere, quales in vita fuerint. Porro hac sententia innuere volebat, quod ad hoc, vt cognoscantur homines quales fuerint in vita, sufficiat, si respiciatur quales futuri sint in tempore mortis, in qua veluti in terso quodam & naturali speculo, hæc omnia compræhendi poterunt: illo nimirum supposito; quod homo in morte nihil omnino differat ab illa qui fuit in vita. Enimvero nū Philosophia isthæc in vnius, duorum aut trium persuasione & phantasia forte consistit? Nequaquam, sed omnium ore illa circumfertur; *vulgo creditur* ob continuam ac ordinariam experientiam, habetur pro certa. *vulgo creditur.* Nam homines tales futuros in morte, quales in vita fuerunt, ita verum est, vt veluti vulgaris atque communis omnium habeatur opinio. Econtra vero opinio illorum, qui se sanctè morituros existimant, tametsi peccaminosam vitā traduxerint, prorsus singularis est & à veritate aliena, neque inter eos qui sapiunt, aliquis inuenietur qui illam conformiter ad mentem illorum intelligat.

SERMO XIV.

In Feriam III. Dominicæ II. Quadragesimæ.

Super Cathedram Moysi.

Matth 23.

a SVblimitas loci illius, in quo collocata est Cathedra Moysis, quã Venerabiles Dei sacerdotes occupant, vti Christus in hodi no Euangelio dicit, à S. P. Ignatio Episcopo & Martyre demonstrata fuit, qui ad Ecclesiam Smirnensem, scribens, ita inquit: *Sacerdotium est omnium bonorum, quæ in hominibus sunt apex.*

S. Ignat. epist. 10.

Sublimiora bona ad quæ euehi possunt homines, vel temporalia sunt, vel spiritualia, aut vero diuina. Temporaliter altius euehi nequeunt, quam ad diademata & coronas regias: nec spiritualiter exaltari possent vltra similitudinem Angelorum. Diuinè vero supra diuinam filiationem non valent sublimari. Sacerdotalis dignitas adeo sese in altum erigit, vt cum admirabile excellentia sacerdotem ad prædictas tres sublimitates extollat, siquidem non tantum coronarum, sceptrorum, & purpurarum æquiparatur honoribus, verum regiam quoque post se relinquens dignitatem Angelicæ valde appropinquat magnificentiæ. Indeque sublimius adhuc sese extollens, efficit, vt sacerdos viuum quoddam & verum filij Dei simulachrum esse videatur in terris. Ob quos honores perspicue videtur, sacerdotium maximam importare dignitatem, quæ vsquiam reperiri possit in terris: *Sacerdotium est omnium bonorum, quæ sunt in hominibus apex*, quod sequentibus considerationibus plenius ostendemus.

CONSIDERATIO I.

Super Cathedram Moysi.

Non solum sacerdotalis dignitas cum regia Maiestate de præcellentia contendit: Verum insuper ad illud dignitatis fastigium extollitur, vt sub se sceptra, regiasque teneat coronas.

1. NOn est alia causa, ob quam sacerdotes ab incarnata sapientia super cathedram Moysis sedere dicuntur, nisi mira admirabilis dignitatis ipsorum altitudo. Sicut enim Moyses non solum fuit generalis populi Hebræi capitaneus, qui honor regiæ magnificentiæ erat æqualis, verum etiam omnium aliorum Regum maiestatem longe superabat, vtpote qui tribui Iudæ, ex qua sola inter Hebræos coronabantur reges, vere dominabatur. Vnde non mirum quod idem Moyses, dum adhuc infans existeret, quasi incredibilis maximæque suæ super omnes alias coronas exaltationis præsagus, coronas contempserit, atque in terram proiecerit, prout reapse ab ipso circa Pharaonis regium diadema factum est. Sic ob eum-

ob eundem finem Christus dicit, supra cathedram *Moysis* sedere sacerdotes, quia videlicet Honorum Mosaicorum sunt hæredes & successores; atque veluti totidem Moyses, non solum dignitatis suæ altitudinem regiæ æquiparant sublimitati, verum insuper tali quoque modo extolluntur præ illis excelsius, vt pedibus suis purpuras sceptra, coronasque videantur habere substratos.

2. Primus Regū liber hisce inchoatur verbis: *Fuit vir vnus de Ramathaim.* Persona autem illa, à qua hoc in loco dicti libri exordiū incipit, pater erat Samuelis Proph. dictus Elcana, qui ex duabus principalioribus tribubus suam trahebat origenem, ex sacerdotali nimirum ex parte matris tribu nimirum Leuitica, ac tandem ex regia ex parte Patris, regia nimirum tribu Iuda. Porro persona isthæc à duabus istis tribubus progmata de *Ramathaim* processisse dicitur. Quid significat *Ramathaim*? Rupertus Abbas dicit: *Ramathaim interpretatur excelsa duo, & hæc excelsa duo intelliguntur tribus, regia videlicet & sacerdotalis.* q. d. Vt innuetur Elcanam ex duabus principalioribus gentis Hebrææ tribubus processisse, sacra scriptura ipsum de Ramathaim oriundum esse dicit, id est ex duobus æqualibus dignitatum culminibus traxisse origenem sacerdotali nimirum & regio, quæ appellantur *excelsa duo* quia nimirum quoad altitudinem sibi inuicem adæquabantur, siquidem illarum vna ne quicquam altera maior erat. Ex quo loco colligitur, duas hasce dignitates pari sese passu in sublime erigere, cum vna paris prorsus sit magnitudinis, cuius altera, *Excelsa duo.*

1. Reg. 1. v. 1.

Rup. Ab. ibid.

3. Ingens quædam ex quodam scripturæ loco 2. Reg. cap. 8. v. 18. exoritur difficultas, ibi enim de Dauidis filijs agitur, & dicitur illos omnes fuisse sacerdotes: *Filij autem Dauid sacerdotes erant.* Et huius quidem difficultatis ratio in eo cōsistit, quia videlicet impossibile esse videtur illos fuisse sacerdotes; Sacerdotes enim omnes de tribu Leui prognati esse debebāt, cū tamē Filij Dauid de tribu Iuda descenderint, cui nulla ratione, sicut nec alijs promissum erat sacerdotium, vtpote quod solis Deus Leuitis reseruauerit. Qua de causa igitur dicitur Filios Dauid fuisse sacerdotes, cum nec sacerdotes fuerint, nec vlla prorsus ratione esse potuerint. *Filij autem Dauid sacerdotes erant.*

2. Reg. 8. v. 18.

Responderque Abulensis, quod hoc nomen *sacerdos*, non solum idem significet, quod *sacra Dijs faciens*: verum etiam idem quod *Princeps*. Deinde vero iam dictum locum exponens subiungit. *Vocantur illi sacerdotes, id est, principes.* q. d. Nomen istud sacerdos, non solum hominum sacerdotali dignitate decoratum, qui Deo afferat sacrificia, significat; verum etiam idem sonat, quod *Princeps*, quod nomen sublimiorem honorem indicat, qui in terris reperiri possit. Dum igitur in sacra scriptura dicitur Filios Dauid fuisse sacerdotes *Filii autem Dauid sacerdotes erant*, hoc solum dicere vult nimirum illos vere principes fuisse. Sed vnde prouenit, quod sacerdos tale nomen obtineat, quod etiam principatum significat? Persuadere mihi nequeo, id aliunde factum fuisse, nisi vt intelligamus, sacrum dignitatem istam principatum quendam esse talem, adeoque sublimiter hominem extollentem, vt præfulgidis principū huius mundi coronis illū adæquet, ac denique vt dum hominem quēdam conspicis sacerdotis nomine decoratū, non tibi persuadeas illū aliquā de plebe aut communi vulgo esse, sed Regem, sed principem quendam? *sacerdotes erant.*

Tost. qu. 1. in cap. 18. Exod.

4. Confirmemus idipsum insuper alio quodam scripturæ loco, eoque consideratonis forte longe maioris. Scribit itaque Moyses, quod Aaron summus sacerdos vxorem ducturus, matrimoniū tandem contraxerit cum muliere quadā, cui nomen Elisabeth, de Tribu Iuda, quæ vti iam diximus, tribus erat regalis: *Accepit autem Aaron Elisabeth, filiam Aminadab, sororem Nason.* In quem locum Oleaster dicit, non Aaronem duntaxat, sed & omnes alios sacerdotes consueuisse de eadem tribu sibi accipere vxores: *Solebant Sacerdotes e tribu Iuda vxores sibi deligere.* Vbi notandum, quod ex consuetudine, quam habebant sacerdotes, deligendi sibi de tribu Iuda vxores, perspicue satis liqueat, eos illis temporibus Regibus æstimatos fuisse æquales. Neque enim matrimo-

Exodi 6. v. 23.

Oleast. ibi.

 nia

nia prudenter, bonoque cum iudicio contracta esse censeatur, aut bonum sortiri possunt euentum, si non sint contracta inter coniuges æquales, veluti dicebat latinus Poëta ille.

Horatius. *Si qua vis apte nubere, nube pari.*

Cum igitur dubitare non liceat, quin matrimonia à sacerdotibus Dei contracta, secure admodum & iudiciose inita fuerint, reliquum est, vt & inter pares coaluerint. Affirmare igitur oportet, sacerdotum tribum regiæ æqualem esse, & consequenter sacerdotes cum regibus paris esse Maiestatis ac nobilitatis.

5. Inter cætera senatusconsulta, quæ obseruabantur à Romanis, vnum erat, quo cauebatur, ne sacerdotes, qualemcunque prætenderent dignitatem, vel officium, quod ad suam pertineret Rempublicam. Circa quam legem Plutarchus quærit quo motiuo sacerdotes apud Romanos ab omnibus excludendi essent honoribus, in vrbe sua omnibus passim ciuibus alias concessis? Moxque rationem assignat dicens: *In nonnullis Græciæ ciuitatibus sacerdotij dignitas Regiæ Maiestati par habebatur* q. d. Plutar. in Problemat. Nulla erat alia ratio, ob quam sacerdotes prohibeantur sæculares ambire dignitates, nisi quia apud Romanos, illorum honor eiusdem prorsus æstimationis erat, cuius eratio nonnullis Græciæ ciuitatibus, in quibus regiæ Maiestati par habebatur. Vnde valde inconueniens esse iudicabant, vt qui Regibus in suo gradu erant æquales, humiles & infimos istos reciperent honores, qui solis quadrabant subditis, & vasallis. Tametsi igitur sacerdotium gentilium, non solum non esse sacerdotium, sed ne quidem vmbra sacerdotij, in tanta tamen sacerdotes apud eosdem veneratione erant, vt Regum instar honorarentur. Et ideo quid de Christiano dicemus aut concludemus sacerdotio, quod verum & proprijssime dictum est sacerdotium?

6. Nulli dubium est, quin ex duabus rebus quæ prudenti iudicio æstimantur nobiles, illa sit nobilior, altera quæ antiquior est. Ex qua regula facile cuique est cognoscere, quantopere sacerdotes ipsis regibus sint nobiliores, idque si notetur imprimis opinio Moysis Barcephæ Episcopi Syri in illa Dauidis verba: *Formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Qui vult Ps. 138. 5. verba illa ab Ada Patre nostro, coram Diuina Maiestate pronuntiata fuisse, mox vt ab eiusdem manibus prodijt creatus: Vnde colligitur Deum vertici Adæ, mox vt creatus fuit, manus suas imposuisse, sed quænam fuit isthæc cæremonia, aut quid Deus per hanc manuum impositionem prætendebat efficere? Dicit Doctor præfatus, Deũ voluisse Adamum creare sacerdotem, sacerdotium enim manuum impositione confertur: *Sacerdotium per impositionem manuum confertur.* Moyses Barcoph. de paradiso Moysis lib. 1. c.

Vnde quando Adã Deo dicebat *Formasti me, & posuisti super me manum tuam*, dicere volebat: ô Domine postquam Diuina tua Maiestas me creare dignata est, sacerdotali quoque me dignitate subito honorare voluit. Hoc supposito, notandum denuo est, Adamum non sacerdotem tantum, sed Regem quoque fuisse, cum hoc tamen discrimine, quod primo illi collatum fuerit sacerdotium, regnum vero postea. Sacerdos factus est, mox vt creatus fuit, absque eo quod quippiam aliorum intermediaret: Corona autem illi aliquanto post donata fuit, post mulieris nimirum creationem, huic enim vna cum illo simul & indiuisim dictum fuit: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus.* Genes. 1. 28. Vnde patet sacerdotium antiquius esse regno, & maioris per consequens dignitatis. Ob quam proinde rationem sacerdotalis dignitas dignitati regiæ non solum est æqualis, verum etiam maior & magnificentior. Quod qua ratione verum sit auscultetis velim.

7. Alphonsus Tostatus saltationem illã qua Dauid in totius populi conspectu, seminudus vestibus in translatione Arcæ fœderis publicè tripudiauit, vti in lib. 2. Regum hisce verbis legitur: *Dauid saltabat totis viribus ante Dominum*, con- 2. Reg. 6. v. 14. siderans, dicit, quod tametsi publicus ille saltus, tanquam leuitatem

quan-

quandam sapiens, regiam illius dedecuerit maiestatem, illum tamen nequaquam ob id reprahendendum, sed excusandum potius fuisse, vtpote, qui eundem non ex cæcitate, sed ex deuotionis feruore ad actus instituerit. Imo ad eundem efficacius defendendum aliam quandam adinuenit
Tostat. ibi. q. 9. 19. ens ratic nem subiungit. *Etiam quia Dauid erat Dominus temporalis, & in istis non requiritur tanta grauitas sicut in Ecclesiasticis Prælatis.* Qui si tale quid facerent, quale Dauid, nullo prorsus ex capite excusari possent. Quando igitur maior in sacerdote requiritur Maiestas, quam in Rege aliquo magnum inde elici potest argumentum, ad probandum, quod sacerdotalis dignitas regia longe sit maior atque superior. Quanto enim gradus altior est atque sublimior, tanto in personis illum obtinentibus grauitas requiritur maior.

8. Postquam Moyses factus est certior, quod nimirum Deus illum è viuis statuisset tollere, diuinam precatus est Maiestatem, quatenus virum aliquem regendo populo suo idoneum, nominare dignaretur, qui suo deinceps succederet imperio. Deus autem precibus illius locum daturus, Iosue elegit, præcepitque Moysi, vt eo ipso tempore, quo eum Dei nomine ad hunc exaltaturus esset honoré, faceret Iosue erecto corpore stare corá Eleaza-
Num. 27. v. 18. ro sacerdote: *Tolli Iosue filium Nun, in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum qui stabit coram Eleazaro.* Oleaster ingeniosè ponderat verbum istud *stabit* indeq; pulcherrimũ elicit conceptũ proposito nostro valdè
Oleast. ibi accomodatũ: *Non dicit, sedebit, sed stabit, vt discant reges & principes, superiores se habere sacerdotes, & standum sibi esse coram sacerdotibus Dei.* Sicut igitur is cui non conuenit in alterius præsentia sedere, dignitate minor est altero: ita quoq; Reges minoris sunt dignitatis quã sacerdotes, vtpote in quorũ præsentia ipsi sedere prohibẽtur. Discant reges & principes superiores se habere sacerdotes.

9. In munifica illa donatione, qua Constantinus magnus locupletauit Ecclesiam,
Rup. Ab. lib. 1. in Ioan. c. 3. sequentia leguntur verba ab eodem Imperatore dicta, & à Ruperto Abbate relata: *Decreuimus quid: ro & ho, vt idem Venerabilis Pater Syluester summus pontifex, vel eius successores omnes pontifices diademate, videlicet corona, quã ex capite nostro illi concessimus, ex auro pretioso, & gemmis pretiosis vti debeant? & eorum caput ad laudem Dei & Domini nostri pro honore Beati Petri Apostoli gestare. Ipse vero Beatissimus Papa, super coronam Clericatus omnino ipsa ex auro non est passus vti corona.* Circa quæ verba quærendum, cur S. Syluester coronam Imperialẽ ex auro fabricatam, gemmisq; pretiosissimis distinctam & ornatam, coronæ clericali superponere noluerit? sed respondetur id factum esse a B. Syluestro, quia optime nouerat sapientissimus Pontifex sacerdotij sui magnificentiam; sciebatque quod dignitatem omnium regum mundi huius in immẽsum super excederet. Vnde si coronam à Constantino sibi concessam, supra coronam suam collocasset, illam vtique Imperiali coronæ submisisset, suamque dignitatem Maiestate regia demonstrasset inferiorem, quod sibi valde videbatur inconueniens futurum.

Quod si enim nonnemo coronam aliquam ex auro fabrefactam in vertice suo gestaret, talis vtique nunquam ad hoc induceretur, vt super illam aliam collocaret coronam ex plumbo confectam, eo quod auro nimiam per hoc inferret iniuriam. Ecquis autem nescit coronam sacerdotij, respectu regiæ, esse veluti coronam quandam auream in cõparatione alterius plumbeæ. Ita S. Ambrosius sacerdotalem obstupescens maiestatem discurrit: *Si sacerdotium regio fulgori compares & principum diademati, longe erit præstantius, quasi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas Regum collo, & principum submitti genibus sacerdotum.* Vnde sanctissimus Syluester Papa ingentem æstimauit esse stultitiam, quod cum caput suum iam semel magna illa clericatus corona honorasset, eidem aliam pretij longe minoris exiguique honoris superinduceret coronam. Ambr. de sacerd. dig nit. c. 2.

10. Olim summi Hebræorum sacerdotis vestimentum per omnia prorsus admirabile erant, præcipuè vero in oris eius, atq; in illa eius parte, qua pedes cooperiebantur, vnde sexaginta duo suspensa pendebant malogranata, iuxta quod Deus ordinauerat dicens:

Exod. 28. v. 33. dicens: *Deorsum vero ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies.* Pro huius loci explicatione, operæ pretium foret inquirere, quam ob causam fructus isti ad pedes sacerdotis, non vero alibi collocari voluerit? Præterea cur esse debuerint septuaginta duo & non pauciores? In promptu est responsio. Ad sacerdotum pedes alij fructus non apponuntur, quam malogranata, eo quod coronati fructus existant; alij fructus, paucis exceptis, coronati nō sunt, suntque regiæ dignitatis & coronarum mundi huius vera symbola. Pauciores autem quam septuaginta duo non reponuntur ad oras, quia per illa significantur septuaginta mundi linguæ, & omnia simul mundi diademata, ne vnico quidem excepto. Hæc omnia hucusque optime dicuntur. Verum attendatis velim, quo in loco in habitu sacerdotis omnes mundi coronæ fiat collocatæ. *Deorsum ad pedes,* ad significandam dignitatem sacerdotalem, quam Deus illo tempore mire exaltabat, adeo sublime erigi, vt ipsa quoque regum diademata eorundem subiecta esse debuerint pedibus? *Deorsum ad pedes.*

11. Sanctissimo Pontifici Innocentio III. relatum fuit, quod Imperator orientis cum inaudita quadam superbia Constantinopolitanum Patriarcham ad suos faceret sedere pedes. Vnde tantum sacerdotalis dignitatis contemptum sufferre minimè sustinens, literas eidem Imperatori transscripsit, in quibus illum Geneseos locum interpretans: Genes. 1. v. 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna luminare maius vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti.* hunc in modum scribit: Innocentius 1. cōst. 28 *Fecit Deus luminaria magna in firmamento cæli luminare maius vt praeesset diei, luminare minus vt praeesset nocti. Vtrumque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cæli id est, vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, idest duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas, & regalis potestas, sed illa quæ praeest diebus, id est, spiritualibus, maior est, quæ vere carnalibus, minor, vt quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & reges differentia cognosceretur.* Vult dicere, solem & lunam, duo illa à Deo in cælo collocata sydera, Pontificalis & regalis dignitatis esse symbola, quibus Ecclesiæ militantis cælum exornatur; Et sicut luna soli, tanquam se maiori cedit, ita quoque Maiestas regia per lunam intellecta Pontificali cedere debet dignitati, vtpote potestati maiori per solem significatæ.

Adhuc nonnihil expectate, nondum enim totaliter, quod mihi proposueram, à me conclusum est, opus enim est insuper, vt ad visionem quādam à S. Ioanne in Apocalypsi descriptam attendamus, dicit enim reuelatam sibi à Deo fuisse ingentem Ecclesiæ maiestatem, vtpote, quæ sole vestita erat, lunam vero tenebat sub pedibus. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius.* Apoc. 12. v. 1. Nullum est dubium, quin per mulierem istam sancta intelligatur Ecclesia. *Significabat namque mulier illa sanctam Ecclesiam,* Rup. Ab. ibid. inquit Rupertus, per solem vero & lunam sacerdotalis dignitas & regia potestas, iuxta mentem Innocentij Papæ. Agedum igitur, videamus quonam loco Ecclesia dignitatis sacerdotalis solem teneat, desuper illa vestis loco vtitur. *Amicta sole:* Potestatem vero regiam sub pedibus: *Luna sub pedibus eius,* ad vestis extimam fimbriam, sub sacerdotali. *Deorsum ad pedes.*

12. Bis coronari solent Christiani Imperatores, dicit Angelicus Doctor Thomas de Aquino, idque duabus coronis valde distinctis. Prima namque ferrea est, quam Mediolani primo accipit: Secunda est aurea, cum qua illum postea summus Pontifex Romæ coronat. Enimuero de secunda Corona, & de cæremonijs quibus Papa in dicta coronatione vtitur, idem Pater loquens dicit: *Secundum vero coronam quæ aurea est à summo Pontifice percipit; & cum pedibus sibi porrigitur.* S. Thom. Regim. princ. lib. 3 cap. 20. Cur corona illa pedibus, non vero manibus datur? Valde inconueniens esse videtur Imperatori qui primum mundi caput est, coronā pedibus porrigere, imo certa quædam species contemptus.

Non facit id summus Pontifex per contemptum, inquit Doctor Angelicus. sed *in signum subiectionis.* Ad innuendum videlicet Coronam illam coronæ papali æque subiectam esse, quantum capiti pedes. Vtque mundus vniuersus inde cognoscat sacerdotium magnam quandam esse Monarchiam, sub sceptro cuius, non ordinarij duntaxat

sepe,

reperiuntur reges, verum etiam ipsimet totius mundi Imperatores.

13. Priusquam sanctissimus mundi Saluator in Horto montis Oliueti captus esset atque ligatus, Sanctus Petrus gladium pro eius defensione strinxit & amputauit Malchi Pontificij serui auriculam. *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram: erat autem nomen seruo Malchus.* Quam obsecro S. Euangelista necessitatem inuenit faciendi mentionem nominis serui Pontificis? quidnam in hoc mysterij latet, quod sine nominis huius facta mentione capi forte non poterat? *Ioan. 18. v. 10.*

Mysterium hoc omnino magnum est. Iansenius vult, nomen hoc *Malchus* in latino sermone idem significare quod Rex. Ecce tibi mysterium, propter quod S. Ioannes nomen eius describere non intermisit, nimirum quia iam de illo dixerat quod seruus esset Pontificis, atque ideo opus erat subiungere quisnam fuisset ille seruus, & ideo appellauit eum proprio nomine suo, quod est Malchus, id est Rex, ad innuendum, quod tametsi Rex in hoc mundo sublimissimis effulgeat honoribus, adeo vt omnes quotquot in regno eius sunt, illius sint serui, ipse tamen summi Pontificis seruus existit. tanta igitur est sacerdotalis dignitas, vt ipsi quoque Reges, serui illius existant. Certe nisi Reges serui essent Pontificum, Imperatores non cernerentur assistentes ad stapedes summi Pontificis, ad instar stabularij. *Iansibid.*

(∴)

CONSIDERATIO II.

Super Cathedram Moysi.

Sacerdotes veluti totidem Angeli sunt, quibuscum Deus Ecclesiam suam ad similitudinem Paradisi decorauit.

Sacerdotes super Moysi Cathedram sedere dicuntur, *Super Cathedram Moysi*, eo quod, vti dicemus, hæredes sunt & successores honorum illorum, quibus Moyses effulsit, qui non solum magnus quidam Rex fuit, cui tot alij reges subditi erant, & inferiores; verum etiam raras quasdam habuit prærogatiuas. Officio namque & dignitate functus est Angeli, vtpote qui dignus à Deo est iudicatus, qui inter eminentia deserti pericula, Dei populum ad promissionis terram saluum perduceret atque incolumem. Vnde & à Deo vocari Angelus promeruit. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te*, vti id exponit Caietanus. *Exod. 23. v. 20. Caiet. ibid.*

Necessum itaque est dicere, sacerdotes vtpote qui ob admirabilem gradum suum in Moysis succedunt dignitatem, in terra veluti totidem Angelos esse, quibus Deus militantis Ecclesiæ cælum, veluti Paradisum quendam exornauit.

2. Opinatur S. Paschasius, quod illa Dauidis Prophetæ verba: *Panem angelorum manducauit homo* de admirabili Eucharistia intelligi debeant; *De hoc verè pane Dauid cecinit: Panem Angelorum manducauit homo.* Hac igitur expositione, quæ plurium aliorum communis est, supposita, locus ille scripturæ nonnihil difficultatis adferre videtur; Sicut enim perspicuum est, panem illum, si per eum figura, id est, manna intelligatur, Angelorum panem merito appellari posse, eo quod ministratus olim fuerit opera Angelorum: ita si per panem hunc, figuratum, idest, Eucharistia intelligatur, in cuius ministerium non Angelorum *Ps. 77. v. 25. Paschas. de Cœna dom. c. 5.*

rum manus, sed hominum adhibentur, valde videtur esse obscurum, quomodo Angelorum panis iure vocari possit, siquidem in Diuinissimi huius Sacramenti ministerium, nulla prorsus interuenit cælestium Angelorum opera: *Panem Angelorum manducauit homo.* Enimuero totum hoc verum est, habetque adducta illa dubitandi ratio energiæ plurimum, si per Angelos cælestes intelligamus Spiritus: at vero Sanct. Pater Bonauentura existimat, Angelorum nomine hoc loco venerabiles Dei sacerdotes intelligendos esse: *Panem Angelorum manducauit homo scilicet sacerdotum.* Horum namque manus, ob eximiam qua pollent authoritatem, veluti instrumentum quoddam sunt, quo diuinum hocce Sacramentum cunctis ministratur fidelibus. Attamen si ita, vt opinatur Bonauentura, res sese habeat, replicari mox posset, appellandum igitur panem istum potius Panem sacerdotum; quam Angelorum prouti illum Dauid appellauerat. Vnde dico Panem istum Angelorum panem appellari, vt innuatur sacerdotes in terra veluti Angelos quosdam esse. Tanta siquidem est dignitatis sacerdotalis maiestas, vt tametsi reuera homines sint, non tamen homines, sed Angeli appellari mereantur: *Angelorum, scilicet sacerdotum.*

S. Bonau. in c. 16. Sap.

3. Per solium istud S. Ioannis in medio cæli exhibitum veluti iride circumdatum. *Et iris erat in circuitu sedis.* Hugo Cardinalis Angelos intelligit, vtpote quibus teste Propheta Deus ipse insidet: *Qui sedes super Cherubim.* Dicitque idem hic Cardinalis, Angelos non ob aliud arcus cælesti dici circumdatos, quam: *Quia officium Angelorum est homines reconciliare Deo.* Iris namque Pacis est Symbolum, quam proinde Deus adhibuit, post diluuij inundationes cum Noë paciscens.

Apoc. 4. v. 3.

Ps. 79. v. 2.

Hugo Car. in cap. 1. Hebr.

Porro perspicuum est, principale sacerdotum officium, non esse aliud, quam vt homines Deo reconcilient, per peccata ipsorum offenso atque ad inimicitiam prouocato. Nihil enim in precibus suis aliud respiciunt, sermonibus aut prædicationibus suis ad aliud non collimant, ordinaria sua sacrificia nulli alteri rei adhibent, neque alio fine suam exserunt iurisdictionem, quam vt animas soluant, & paci huic introducendæ facilem & expeditam viam sternant: *Per Pœnitentiam reconciliant peccatores. Mediatores enim sunt inter Deum & hominem.* Atque ideo Guilielmus Durandus dicit, quod cum officium reconciliandi cum Deo homines, vnicum sit Angelorum munus: *Officium Angelorum est homines reconciliare Deo*, idemque & non aliud sit sacerdotum officium, nullum superesse dubium, quin sacerdotes Angelorum in terris exercentes munia, quasi totidem in terris sint Angeli Dei.

Guiliel. Durand. Rat. diuin. lib. 2. c. 1.

4. Quam ob causam existimatis fieri, quod sacerdotes omnes appellentur *Presbyteri?* Guilielmus Durandus, nominis huius, *Presbyter*, indagans Ethymologiam optimam rationem adinuenit, ob quam ita sint appellati: *Dicitur autem Presbyter, quasi alij viuendi præbens iter; vel præbens beatum iter, videlicet populo Dei de mundi exilio ad patriam Paradysi.* Porro munus perducendi homines per viam beatitudinis, Angelorum verè est proprium; neque enim Deus alio fine custodem nobis Deus promisit, aut concessit Angelum, prouti ipsemet populo Hebræo dixit: *Mittam Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui.* Cum igitur idem sit Angelorum quod sacerdotum officium, totidem velut Angeli sacerdotes existunt.

Durand. ibid.

Exod. 23. v. 20.

5. Fortasse absque ingenti mysterio fieri existimatis, quod sacerdotes diuino se cultui applicantes, vestimento se lineo cooperiant? Nequaquam profecto; Ingens namque hac sub re latet mysterium, id quod perspicue magis per id intelligetur, quod de Deæ Isidis sacerdotibus, quos ignorantes adorabant

Ægyptij.

Ægyptij, refert Nicolaus Leonicus. His namque aliæ permissæ vestes non erant, præterquam lineæ, cuius hanc assignat rationem: *Lineas autem portasse chlamydes propter caeruleum & aetheri maximè similem colorem, qui florescente lino in aruis, passim mira cernentium voluptate conspicitur.* Lineas deferebant vestes, vt innuerent, quod sicut linum ob cæruleum floris colorem, cælorum colori simillimum cælestis potius quam terrena res esse videtur, ita quoque ipsi ob sacerdotij honorem, non iam homines terreni, vti homines vulgariter arbitrabantur, sed cælestes, beatique cælorum existimandi essent incolæ; adeo miseri illi Dæmonum subiacebant fraudi atque ludibrio.

Nicol. Leõ. de varia Hist lib. 2. c. 21. Cælius August. Hierogl. li. 1

Id quod Ægyptij quoque in pictura Eneph Dei sui insinuare volebant, quando vestem illi tribuebant colori floris lini simillimam. Per hoc namque scribente Cælio Augustino indicabant, illum non terrenum, sed cælestem Deum esse: *Cærulea veste indutum eum pingebant, vt cælestem eum esse significarent.*

Pari igitur cum ratione dico ego, venerabiles Dei veri sacerdotes, ob nullam aliam causam lino vestiri, quam vt omnes ij, quotquot illos cælestibus amictos esse viderint vestimentis, eosdem ob altissimam eorundem dignitatem, non iam terrenos homines (tametsi tales reuera sint) sed cælestes Cælorum æstiment incolas, & totidem veluti Angelos, vtpote qui Angelorum in terris obeant vices.

6. Magnus ille Gregorius Nyssenus obseruat, quod cum Deus Moysi ordinem dedisset de faciendis cunctis vestimentis, quibus Aaron summus sacerdos ornandus vestiendusque esset, minutam singulorum indumentorum fecerit mentionem, seorsim illa & sigillatim recensendo, de solis vero calceamentis nihil prorsus meminerit. Quocirca pulchrum sanctus hic Doctor hac super re obseruauit conceptum. Dicere enim quis posset, decuisse omnino, vt Deus simul cum alijs vestimentis, calceorum meminisset. Cur enim id non faceret? An forte ideo de illis agere noluit, quod sacerdotem non calceos portare sed nudipedem esse voluerit? Certe si ideo id fecit, necessum fuit vt sacerdos pauoni similis esset, vtpote qui tanta variegati coloris pulchritudine toto ornatus esset corpore, solis autem pedibus nudus remaneret; id quod minime gentium decere videbatur.

Dicit igitur sanctus Doctor, Deo visum fuisse operæ pretium, nullos sacerdoti attribuere calceos, & rationem assignat dicens: *Induto vestitoque sacerdoti nullum calceamentum imponitur, ne tardior ad iurandum sit.* Noluit Deus vt sacerdos calceis indutus incederet, vt ad animarum curam promptus semper esset & expeditus, adeo vt ad Confessiones auscultandas aut erogandam sacram communionem, aut ad alias medicinas spirituales conferendas vocatur citus, festinus mox adesset atque sollicitus, ac ne tantillæ quidem moræ trahendæ opus haberet, quanta pro calceis ritè induendis requireretur. Per quam Cæremoniam Deus in sacerdotibus suis admirabilem quandam requirit sollicitudinem, quasi ijsdem præcipere voluisset, vt in simili factorum contingentia velocissime currerent imo volarent. An non igitur aduertitis Deum per hoc tacitus innuere voluisse sacerdotes quosdam veluti Angelos esse, qui quasi volant in salutis nostræ negotijs ad instar venti? Dauide dicente. *Qui facis Angelos tuos Spiritus*, id est, vti exponunt communiter Patres, *tam celeres, quam sunt venti.*

S. Greg. Nyss de vita Moysis.

Ps. 103. v. 4 apud Lorin. ibid.

Videte igitur, quantopere verum sit, quod sacerdotes sint veluti quidam terræ istius Angeli, adeo nimirum, vt nec alas illis deesse Deus permittere voluerit, *Ne tardior ad curandum sit.*

7. Quidnam significare existimatis quod sacerdotes stola collum circumdantes, eo illas modo disponant, vt extremitates illius ad vtrumque sacerdotis latus emineant? Per hanc cæremoniam inquit S. P. Germanus, demonstratur Sacer-

 dotes

dotes veluti totidem alatos esse Angelos: *Presbyteri ad imitationem seraphicarum potestatum stolis vice alarum contecti sunt, vt* hac ratione cælestes spiritus complete repræsentent, vtpote qui in Ecclesia Dei haud aliter quam Angeli cælestes existunt.

S. Germ. lib. rerum Eccles.

8. Quærit S. P. Ioannes Chrysostomus, vnde veniat quod mundus adeo subito sacerdotis notet imperfectiones? atque quantumuis reuera minimæ existant ex pilo vt vulgo dicitur trabem quandam efficiant? Omnes illum notent, omnes obseruent, omnes denique illius iudices esse præsumant? Et respondet id fieri, eo quod ab vnoquoque suspiciatur non sicut homo fragilis & peccabilis, sed veluti Angelus quidam, qui nullum in humanis defectibus habet participium: *Sacerdoti omnes iudices esse volunt, vt carne nequaquam composito, vt humanam Naturam non sortito. Verum vt Angelo & humanæ infirmitatis nequaquam participi.* Ex vna parte, eiusmodi mundi huius homines, dum hac ratione sacerdotibus suis in defectibus constitutis non compatiuntur, magnopere falli atque errare videntur, vtpote quibus considerandum merito esset, sacerdotes non minus ex carne constare & sanguine, quam alij huius vitæ homines, in qua sine defectu aut imperfectione viuere nemo potest. Altera vero ex parte sacerdos absque iniuria ab vnoquoque adeo faciliter de errore suo notatur & corripitur, vtpote qui ob cælestem quam in terris obtinet dignitatem haud aliter quã Angelus quidam viuere deberet, omnis expers defectus, Angeli enim defectus nullos patiuntur.

Crysost. de Sacerd. lib. 3.

9. In Machabæorum libris refertur quod dum Hebræus quidam valde ambitiosus & crudelis magna cum animi contentione summum sibi procuraret sacerdotium, videretque quod suorum fauore nunquam illud ipsum assecuturus esset, suum pro illius consecutione ad Demetrium regem habuerit confugium, à quo quod varia illi retulisset mendacia, non solum petitum obtinuit Sacerdotium, sed & ingentem quoque accepit exercitum, quo ad illorum vteretur ruinam, qui suæ se prætensioni hactenus exhibuerant contrarios. Audientes autem in Hierusalem Hebræum illum in sacerdotem electum appropinquare, tamque ingentem secum ducere militum copiam, magnum sibi imminens malum metuere cæperunt adeo vt de portis Vrbis occludendis, deque legitimis iustæ defensionis remedijs deliberare cæperint. Priusquam autem arma caperent, operæ censebant esse pretium, certos quosdam illi inprimis legatos in occursum emittere, qui aduentus sui explorarent causam. Cum vero is respondisset, se non nisi bono fine aduentare, exercendi nimirum sacerdotalis officij sui causa hi facilem verbis eius adhibentes Fidem, liberam illi ciuitatis ingrediendæ facultatem indulsere. Verum vix vrbem ingressus fuerat Alcimus, hoc enim Hebræi huius nomen erat, cum ecce sexaginta viros mox occidi fecit ex melioribus qui fuerant in vniuerso populo.

Quisquis facinus istud audit simplicitatem hanc, nimiamque Ierosolymitanorum ciuium fatuitatem non culpare non potest, vtpote qui pessimum hunc hominem probe cognoscentes, pessimumque quem habebat animum optime habentes perspectum, tam facilem eidem fidem adhibere minime debebant, sed potius imminentem sibi caute præuidere ruinam, portas concludere atque de iusta se defendendi ratione sibi debuissent prospicere. Verum enimuero qui hunc scripturæ locum benè considerat, facile deprehendet, easdem omnimoda excusatione esse dignissimas, cuius ipsimet veram reddidere rationem, nam vt sacer textus inquit ciuitatis portas perfido huic homini lubenter pandebant, eo quod ipsum in sacerdotem electum fuisse intellexissent. *Dixerunt enim: Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos.* Accepto igitur nuntio Alcimum, qui aduentabat, sacerdotem esse id est virum eximia illa ornatum dignitate nullum sibi eo persuadere poterant dolum nec animum perfidum aut peruersum: ideoque nihil mali ab eo timentes liberum illi indulsere ædium. Mundus enim ob sacerdotalis dignitatis maiestatem sacerdotum haud aliter

ter suspicit, quam si Angelus, quidam esset, qui ab omni fraude & dolo, ab omni imperfectione atque defectu procul remotus vixit, tametsi quoad malos sacerdotes attinet in haec se cogitatione deprehendant illusos & deceptos.

10. Cum Deus Moysi praeciperet, vt Aaronem sacerdotem fratrem suum de morte sibi paulo post imminente certiorem redderet, eundemque vt ad eandem, vtpote quae ne vnius quidem diei spatio suspendenda esset, paratum se redderet commonefaceret, hanc terribilis decreti sui reddidit causam: *Eo quod incredulus fuit ori meo ad aquas contradictionis.* Dum enim populus potum pro siti restinguenda à me exposceret, egoque iuberem vt loqueretur ad petram, vtpote quae promptissimè aperienda & fontem viuum scaturientis aquae conuertenda esset, ipse verbis meis fidem adhibere detrectauit. Itane? Ergone Deus ob nullam aliam causam voluit, vt magnus quidam suus amicus, suus quidam è sacerdotibus fidelissimus, qualis Aaron erat mortem confestim & inexorabiliter oppeteret, absque eo quod vel vnius duntaxat diei obtinere ab eo posset inducias? Imo vero nulla alia de causa idipsum à Deo decretum est. Ob leue quoddam peccatum commissum, pro exiguo quodam dubiolo Aaron decreti facti apud Deum obtinere non potuit relaxationem, sed mori necessario debuit. Magnum quid profecto valdeque mirandum est istud, inquit Oleaster: *Mirum valde est, non posse sacerdotem, Deum, quem omnibus aliis placebat, sibi propitium reddere. Quae tu sacerdos quaeso expende vt scias quanto difficilius sacerdotibus quam aliis Dominus peccata condonet.*

Num. 20. 24. — Oleast. ibi.

Ratio autem huius est, quia sacerdotes sunt Angeli, & consequenter, peccata ipsorum sunt veluti peccata Angelorum & Daemonum. S. Birgitta Reuelationum suarum lib. 6 cap. 35. scribit, quod dum die quadam ante tremendum Christi tribunal praesentari vidisset, impium quendam sacerdotem, mox iustissimum Dominum nostrum audierit praecipientem, ne impius homo iste deinceps iam sacerdos, sed Sathan appelleretur: *Pro honorifico nomine sacerdotis mutetur sibi nomen, & vocetur Sathan.* Dic sodes quid significet Sathan: Sathan Latine idem est quod *transgressor*, Estque nomen quod Daemoni praecipuè tribuitur, qui quod Dominum & Creatorem suum praecepti sibi impositi transgressione offendisset, ex Angelo factus est Daemon. Conuenit quoque idemmet nomen malo sacerdoti, qui cum ob officium quod administrat, Angelo non aestimetur inferior peccando, diuinaque praecepta transgrediendo fit quasi Daemon quidam seu Angelus transgressor. Vnde merito Daemon vocari debet. *Vocetur Sathan.*

Reuel. S. Brig. lib. 6. c. 35.

CONSIDERATIO III.

Super Cathedram Moysi.

Sacerdos est viuum quoddam & verum filij Dei IESV Christi Domini nostri simulachrum.

1. MOyses olim cum Hebraeo populo loquens, sic illi dicebat: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus*, quasi dicere eidem voluisset: Ne desperes, erit enim aliquando tēpus, in quo benignus Deus tuus consolabitur te, Dabit namque tibi prophetam similem mei. Locus iste à Doctoribus Catholicis de Christo Deo nostro communiter intelligitur, omnes namque dicunt Moysen verbis istis incarnati Dei in mundū prophetizasse aduentum. Et quidem si verba illa, *Sicut me* obseruaueritis, reperietis, Moysen tunc certam quandam Christum inter & ipsum indicare voluisse similitudinem, nam vt dicit S. P. Ambrosius: *Moyses Christum figurabat.* Erat Moyses figura quaedam & viuum Christi simulachrum. Atque ideo venerabiles quoque Dei sacerdotes, quibus solis super Cathedram Moysis sedere hoc est in locum illius, atque in cunctas eiusdem praerogatiuas & honores succedere conuenit instar Moysis viuum quoddam & verum erunt Filij Dei simu-

Deuter. 18. v. 15. — Ambr. in cap. 6. Apoc.

simulachrum, Porro qua id ratione verum sit ex sequentium locorum probatione videri facile poterit.

2. S. Ioannes Apostolus in suis reuelationibus scribit, visum à se esse certum quendam hominem, certa quadam veste quæ Poderis appellabatur, amictum, eratque homo iste Filio Dei Christo summo bono nostro similimus: *Vidi similem filio hominis, vestitum Podere.* Ecquodnam obsecro erat illud genus vestis sic appellatæ, à quibusnam illud olim personis deferri consueuerat? Erat Poderis vestis quædam summi Hebræorum sacerdotis, quam Moyses conformiter præcepto diuino contexi fecerat, pro ornando Aarone fratre suo, quæ nulli alteri personæ præterquam solius sacerdotis vsui esse poterat. Erat igitur Homo ille à S. Ioanne visus, sacerdos. Verum cui obsecro sacerdos ille assimilabatur? *Similem filio hominis.* Assimilabatur Christo, ad eum fere modum, quo Imago naturali suo assimilatur prototypo: Sacerdos enim vera, quædam imago, & viuum est Christi simulachrum: *Similem filio hominis*

Apoc. 1. v. 13.

3. Ex sacris coronibus vetitum esse nouimus, ne ad sacerdotij dignitatem sublimari possit, qui manus habuerit alieno contaminatas, à se effuso sanguine, aut qui membrum, aliquod alterius hominis detruncauerit. Super qua lege Abulensis quærit, quænam sit ratio, quod cum apud Hebræos, in suorum electione sacerdotum, factum istud nullum attulerit sacro sacerdotij gradui impedimentum, tametsi enim quispiam centū occidisset homines, ad sacrum nihilominus gradum hunc sublimari nihil prohibebat, tale nihilominus facinus noui testamenti sacerdotium impediat? Respondet autem id fieri, quia sacerdotes noui testamenti *Debent esse similes Christo, qui non percutiebat, licet percuteretur.*

Abulensis qu. 126 in cap. 9. Matth.

Ratio ob quam in statu nouæ legis nemo sanguinolentus ad honorem sacerdotalem promoueri possit, est, quia sacerdos Christo similis esse debet, qui adeo mansuetus fuit, vt manus suas nunquam in alieno contaminauerit sanguine, & non tantum nulli mali quidpiam intulit, verum etiam tale quid ab hominibus patiens, aut accipiens, non se defendit. Vnde quisquis virtutis huius est expers, in sacerdotem eligi nequaquam potest, eo quod talis Christo assimilari non possit: Sacerdotes namque Euangelici esse debent, imo reapse sunt vita quædam imago Christi, eiusdemque veluti quoddam simulachrum. *Debent esse similes Christo.*

4. Episcopus sacerdotem consecrans, eundem sacro oleo delinire consueuit. Ecquid putaris sacra isthæc vnctio significat: quid importat illa ceremonia? quos oleum istud sacerdote effectus operatur? Multorum profecto effectuum causa existit, multaque magna significat, quæ ego quod extra propositum me abducant, in præsentiarum tacitus prætereo. Vnum duntaxat hic recensebo ab Amalario Fortunata Episcopo adductum, qui dicit: *Quia nitet in vultu Christi cælestis splendor. Nisi enim habuisset in vultu oculisque quiddam sydereum, nunquam eum statim secuti fuissent Apostoli, neque ad comprahendendum venerant, corruissent.*

Amalar. Fort de Eccles. offic. lib. 1. c. 10.

Dicit igitur, quod quoadusque Christus cum hominibus hic in terris conuersatus est, admirabilis quidam luminis splendor in eiusdem facie emicuerit, qui ad instar fulgidæ cuiusdam stellæ, tum Apostolos, vt illum sequerentur, constrinxerit, tum quoque eos, qui ad compræhendendum ipsum venerant, lictores atque carnifices in terram prostrauerit. Vnde quia facies oleo delibuta resplendere & lucere solet, ideo sacerdos inungitur, vt facies illius resplendeat, vt vel hac ratione Christum, cuius facies resplendebat repræsentare possit. Sacerdos enim simulachrum quoddam esse debet, in quo repræsentetur Christus, quodsi autem illius in vultu splendor deesset, imago prototypum suum ad viuum minimè repræsentaret, oleo igitur Sancta Ecclesia illum inunctum atque delibutum esse voluit. *Quia nitet in vultu Christi cælestis splendor.*

5. Scribit Polydorus Virgilius Bonifacium Papam ordinasse, ne ad sacerdotium promoueri quispiam possit, qui triginta annos completos non habeat. Circa

Polyd. Virg de inuent. rer. lib. 4. c. 8.

ea quam legem Sanctus Isidorus quærit, vnde seu ex quo motiuo sanctus hic Pontifex ad tale cōdendum decretum permotus fuerit? Et respondet: *Ab ætate Christi sumptum est* Nam sancta mater Ecclesia, in promotione sacerdotis ad nihil aliud nititur, quam vt viuam quandam Christi efformet imaginem, quam proinde adeo ad viuum exprimere prototypum suum voluit, vt eidem in ipsa quoque ætate eandem cupiat esse persimilem. Vnde antiquitus ad sacerdotium neminem sublimare consueuit, quin eosdem ætatis haberet annos, quos Christus habuit, quando docendo & prædicando exercitiorum sacerdotii sui fecit exordium.

S. Isido. de Eccles. offic. lib. 2. c. 5.

6. Id quod alia quadam summis Pontificibus vsitata consuetudine efficaciter confirmatur. Hi namque à temporibus Simplicii Papæ ordines sacros nullo alio tempore conferre consueuerunt, præterquam in quatuor temporibus Decembris; vnde in iis Breuiarii Romani lectionibus quæ leguntur de Sanctis Pontificibus summis post alia hoc insuper additur: *Habuit ordinationes mense Decembris*. Dic mihi obsecro qua de causa non in ipsis quoque quatuor temporibus Quadragesimæ, Penthecostes aut Septembris Ordines sacros contulerint? Guilielmus Durandus hanc illius assignat causam, dicit enim id fieri *vt Ordinandos cooptarent generationi IESV Christi*.

Breuiarium Rom.

Durandus de diuin. off. l. 6. c. 134.

Probe namque sciebant Summi Pontifices, quod sacros conferendo ordines, præcipue autem homines ad sacerdotalis dignitatis culmen promouendo, veluti totidem viua Christi efformarent simulachra, ideoque cautè semper, & summa cum industria cauerent, ne aliquos alio tempore, quam mense Decembris sacris initiaret Ordinibus. Sicut enim hoc mense natus est Christus Dominus, ita quoque ad sacrum sacerdotii gradum Christi nascerentur imagines, vt hac ratione omnibus in rebus, vsque ad ipsum Natiuitatis tempus, suo assimilaretur prototypo.

7. Dum Christus consilia illa, quæ Iudas traditor, in quem tot fauores & gratias cōtulerat, in corde suo clam machinabatur, consideraret, eundem per os Dauid Patris sui hunc fere in modum alloquebatur: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: Tu vero homo vnanimis. &c.*

Ps. 54. v. 13. & 14.

Quo in loco, vbi nos legimus conformiter ad vulgatam: *Tu vero homo vnanimis*, alii legunt: *Tu vero homo secundum ordinem meum*. Paraphrastes quoque Chaldæus vertit: *Homo similis mihi*. Porro si duas has scelectiones coniungamus, hunc sensum efficiemus: *Homo secundum ordinem meum similis mihi*. Nec non & habebimus exinde, Christum voluisse dicere, Iudam eiusdemmet secum ordinis esse, sibique valde persimilem. Verum eccuius ordinis Christus fuit? *Secundum Ordinem Melchisedech*. Ordinis igitur erat sacerdotalis: cuius eiusdem ordinis Iudas quoque erat, vtpote qui in diuinissimi Sacramenti Eucharistiæ institutione vna cū aliis Apostolis sacerdos fuerat ordinatus. Ex eo autem quod Iudas ordinis esset sacerdotalis, Christus infert, ipsum per hunc gradum, ad quem sine vllo suo merito ipsum Christus sublimauerat, sibi fuisse persimilem: *Homo similis mihi*. Vt hac ratione innueret, Sacerdotem mediante eximio illo quo gaudet honore, viuam quandam esse imaginem, verumque se repræsentans simulachrum: *Similis mihi*.

Apud Lori, ibid.

8. Christus Dominus cum sancta Brigida de eximia sacerdotibus suis collata potestate discurrens, inter alia dixit: Tantam sacerdotibus contuli virtutem atque potestatem, vt hominem peccatorem in Angelum quendam transformare possint. *De inimico facerent Angelum* Admirabilem hanc virtutem Sacerdotes exercent, dum à variis enormibusque peccatis sceleratum absoluunt. Quis enim nescit, quod illa actione ex Dei inimico, amicum eiusdem constituant, ex peccatore innocentem, denique hominem quendam transforment in Angelum? *De inimico facerent Angelum*. Vnde concludere oportet, sacerdotes hic in terra veluti totidē esse deos, quod si enim hoc, quod est ex homine facere Angelū, solius est artis Diuinæ, sacerdotes eo ipso qua admirādā hanc operantur transformationē, Deos se-

1. Reuel. S. Brig. lib. 4. c. 132.

se per participationem esse ostendunt. Et consequenter viua sunt filii Dei simulachra, vtpote qui simul Homo est & Deus.

9. Priusquam magnus ille medicus, Christus Redemptor noster, certum quendam Paralyticum à corporali morbo sanaret, illum primo ab animæ infirmitate qua obstrictus tenebatur exsoluere voluit, vnde eidem dixit: *Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Circa quem locum Abulensis quærit: Quodsi Christus Deus erat, atque ipsiusmet qui peccata remittebat Paralytici, cur igitur dixit: remittuntur tibi peccata tua, nō vero vti dicere debuisse videbatur, Ego remitto tibi peccata tua? Respondet autem: *Hoc fecit ex causa, scilicet ex humilitate: quia peccata remittere erat magna excellentia, & nolebat ore suo se laudare.* q.d. Tametsi Christus qua Deus, hominem illum à peccatis suis absolueret, quia tamen potestas remittendi peccata admirabilis est excellentiæ, omnēque aliam creatam transcendit virtutem, atque diuinæ solius est Maiestatis propria, merito ipse veluti humillimus dicere noluit: Ego tibi remitto peccata tua, id namque incredibilē ipsi honorē & laudem conciliasset, euidensque demonstratio fuisset, ipsum verum esse Deum cōuincens, fuissetque visus sese proprio suomet ore laudasse, id quod facere aut se dici noluit: *Nolebat ore suo se laudare.*

Matth. 9. v.2.

Tostat. q. 24. ibid.

Hoc igitur supposito, veluti quod verissimum est, sequentem facio consequentiam Christus Paralyticum à culpis suis absoluēs dicere noluit: *Remitto tibi peccata tua.*, sic nāque se Deum esse nimis manifestè declarasset. Ergo cum nunc velit vt sacerdos dum in administratione sacramenti Pænitentiæ animam à peccatis absoluit, dicere debeat: *Ego absoluo te à peccatis tuis*, clarum est, illum aliud nihil per hoc prætendere, quam vt sacerdos declaretur esse quidam Deus, siquidem potestas isthæc ad solum Deum pertineat, & consequenter innuere voluit, sacerdotem esse viuum & naturale sui simulachrū, idest Deum & hominem; licet cum hoc discrimine, quod Christus Deus sit per Naturam, sacerdos autem per participationem.

10. Id quod magnus ille Constantinus optime intellexit; nam cum eidem illo tempore, quo Nicenum Concilium celebrabatur multæ delatæ fuissent quærelæ, variaque præsentata fuissent memoralia aduersus Patres sacerdotes, quorum plures in iis grauiter accusabantur, augustissimus hic Cæsar illa non tantum acceptare noluit, verum etiam iisdem coram se congregatis, vti refert S. Bernardinus de Senis, publice dixit: *Ite & inter vos causas vestras disponite, quia indignum est, quod nos iudicemus Deos.* Quibus verbis Sacerdotes manifestè Deos vocauit, sciebat enim illos viua esse filij Dei simulachra.

S. Bern. de Senis ser. [illegible] Dom. 2. Quadrag.

11. Vnde ipse quoque Apostolus Timothæo discipulo suo scribens, eidem præcipere voluit, ne aliquas aduersus sacerdotes delatas acceptaret quærelas: *Aduersus Presbyteros accusationem noli recipere.* Dic obsecro, quidnam Apostolum ad tale condendū decretum permouit? cur accusationes aduersus presbyteros depositas recipi vetuit? Ergone contra Laicos duntaxat Iustitia administrabitur deinceps? Quodsi sacerdotes sint homines, & qua tales peccare possint, cur illi audiri prohibentur, qui aduersus eosdem enormiter peccantes reclamant, vt castigentur? Hugo Cardinalis cum Glossa respondet: *Quia non est facile accusanda persona tam alti ordinis, cum sit vice Christi.* Tametsi enim sacerdotes per omnia aliis hominibus persimiles existant, ideoque peccare possint, imo de facto & reipsa sæpe peccent, attamen ob respectum ac honorem sacerdotii per quod Christum repræsentant, de nullo peccato accusandi sunt, siquidem in hominibus in tam alto sublimi atque perfecto gradu constitutis, nullum est imaginabile peccatum qualecumque id demum sit, idque ideo quia sunt vice Christi, & quia personam Christi, in qua nulla imperfectio humana aut defectus locum habet, veluti eiusdem ad viuum efformata simulachra, repræsentare debent *Cum sint vice Christi.*

1. Timoth. 5. v. 19.

Hugo Car. ibid.

12. Beatus Ægidius, prout in Chronicis Patrum Minorum refertur, die quadam amarissimè lacrymans, de causa tantarum lachrymarum interrogatus respondit: Plango quia sum Hypocrita. Cui cum replicaretur: Quomodo aut cur te Hypocritam dicis? subiunxit mox sanctus: profecto id aliter se habere nequit, quia sacerdos quidam mihi idipsum exprobrauit. Habebat hic Dei ser-

mus dignitatem sacerdotalem in sublimi adeo altoque conceptu, ipsosque sacerdotes vniuersim adeo reputabat perfectos, vt impossibile existimaret, verbum aliquod quātumuis leue, nulliusque ponderis, ab ijsdem dici aut enunciari posse, quod à veritatis tramite deuiaret. Vnde tametsi se Hypocritam nequaquam esse perfectè sciret, nihilominus potius fidem adhibere voluit verbo sacerdotis, quam suæmet conscientiæ.

Et quid mirum, si ita de sacerdotibus iudicauerit, siquidem is lectiones sui meique Seraphici Patriarchæ Francisci frequenter audiuerit, nil aliud docentis aut firmiter adeo inculcantis. Hic namque testamentum suum condens, quoad Reuerentiam & honorem sacerdotibus merito exhibendum inter alia, hæc in verba prorumpit: *Nolo in ipsis considerare peccatum, quia filium Dei discerno in ipsis, & Domini mei sunt.* Vides igitur, quod quia S. hic Patriarcha perspicue sciebat sacerdotes viuam & veram esse Christi imaginem, eosdem de nullo prorsus peccato discernere aut iudicare præsumebat. Sicut enim Imago rei alicuius naturalis; rem illam adeo viuaciter exprimit, vt illam quoad omnia adæquet: ita quoque viua hæc Christi simulachra, magnum Dominum nostrum adeo perfectè referunt, vt eiusdem quoque summæ innocentiæ perfectè respondeant. Ad hoc igitur attendant omnes Patres sacerdotes, & vt magno illo gradus sui honore se dignos efficiant, accurate perspiciant, qua ratione actiones suas ordinare debeant. *Cum sint vicæ Christi.* *S. Franc. in testam. Biblioth. pat. sap. 50.*

SERMO XV.

In Feriam IV. Dominicæ II. Quadragesimæ.

Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi.

Matth 20.

1. IN præsenti Euangelio euidenter assecurari possumus de eo, quod Dauid, Psal. 37. dixit, vbi de homine iusto loquens dicere non dubitauit: *Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* *Ps. 36. v. 24.* Ecce enim tibi sanctos Apostolos Iacobum & Ioannem, qui cum à Dæmone in tres periculosissimos adacti essent scopulos, quorum primus mulier erat, secundus ambitio, tertius præsumptio, ad quos humani generis inimicus illos confringere, atque in abyssum inferni præcipitare quidem nitebatur, pientissima tamen diuinæ misericordiæ manu inuisibiliter extensa, custoditi fuerunt & præseruati, ac tandem in cælum, vbi nullum timetur præcipitium, repositi & collocati. Fœlicissimos profectò reputare se debent, videntes sese in beata illa patria constitutos, vbi à tribus horrendis voraginibus, quas vno iam pede quasi ingressi fuerant, saluos se iam vident & liberos. Cum alias ordinarie ita euenire soleat, vt qui in alterutram illarum stultè incidit, cum maxima difficultate inde saluus resurgere possit, siquidem potior hominum pars, in ijsdem æternæ salutis patiantur iacturam. Harum igitur voraginum pericu-

pericula, vt procul semper ab ijsdem esse possimus remoti, sigillatim totidem considerationibus à nobis iusto pondere trutinabuntur.

CONSIDERATIO I.

Mater filiorum Zebedæi.

Mulier non tantum est conuenientissimum, ad hominem præcipitandum, Dæmonis instrumentum: sed etiam est velut alter quidam Diabolus.

2. STulta profectò petitio fuit, inquit Author operis imperfecti in Matthæum, quam mulier illa pro filiorum suorum exaltatione, animarum nostrarum Saluatori proposuit, vtpote, quæ pro ijsdem non tantum dexterum, sed & sinistrum locum expetijt, cum tamen scire deberet, alium in cælis pro electis locum non esse quam dextrum; sinister enim præscitos duntaxat manet & reprobos. Vnde dum sinistrum locum expetebat, perpetuam alterutrius dilectorum filiorum suorum postulabat damnationem. Nec tamen ob id hæc mulieris petitio omni prorsus destituta est excusatione; nam vt idem Doctor dicit, petitionem hanc à semetipsa non proposuit, sed à communi aduersario nostro ad id instigata: *Vidit enim Diabolus, quia per illos ipsos aduersus eos agere non valebat, contulit se ad consueta arma mulierum. Adam per Euam spoliauit, ita etiam istos separaret per matrem, nam si mater erat, mulier erat.* Quicquid mulier illa fecit, id totum ex Dæmonis persuasione processit, qui quod probè sciret, se duos illos sanctos Apostolos proprijs ipsorummet manibus præcipitare non posse mox pro inolita sua consuetudine, ad antiqua sibique multoties probata mulieris arma recurrit, ruinam illorum, matre ipsorum mediante, vrgendo & præparando, qua ratione Adamum muliere mediante præcipitem egit. Vnde perspicuè videri potest, qua ratione totum vniuersi humani generis malum à muliere proueniat, quæ ad curandam virorum damnationem adeo est potens, vt non solum existimari debeat efficacissimum, quo Dæmon vti potest instrumentum, verum insuper ipsusmet Diabolus esse videatur.

Auct. operis imperf. homil. 35. in Matth.

3. Salomon, vtpote qui muliebrem malignitatem maximo pere fuerat expertus, de maligna quadam loquens muliere, huncin modum dicebat: *Via inferi domus eius penetrãtes in inferiora mortis.* Sistite hic nonnihil, & notate quod cum Rex ille viam hanc latine non tantum appellare posset, hoc nomine *via*, sed etiam *Iter*, Salomon tamẽ mulierem nõ appellet *Iter*, inferi, sed *via* inferi. Quodnam hic latere putatis mysterium? Mysterium hoc desumitur ex vi significati huius nominis *Via.* Paulus enim Iurista dicit, quod tametsi ambæ supradictæ voces semitam seu tramitem quo itur, significent, magna tamen sit inter vtramque vocem significandi differentia. *Iter* namque semitam strictam & angustam significat; *via* autem plateam significat latam & spatiosam per quam currus & Rhedæ transire possunt. Noluit igitur Salomon mulierem appellare *Iter inferi*, sed *viam inferi*, vt innueret, Dæmonem ipsa mediante tantum miserrimarum animarum facere lucrum, vt illas non sigillatim, siue vnam post alteram ad inferos deducere videatur, sed turmatim & in maxima quantitate, imo integros Currus & Rhedus animarum plenas. Adeo magnum potensque ad damnandos viros instrumentum est mulier. Ita hunc locum Sanct. P. Bonauentura explicat dicens: *Mœchia est communiter via inferi, hoc est, strata publica, magis lata, quia plures ambulant per eam.*

Prou. 7. v. 27.

Paulus Iurista apud Ambrosium Calepinum ver. via.
S. Bonau. Dieta salutis 3. c. 3.

4. Vnde sanctus hic Doctor occasionem nactus, pulcherrimum efformandi Apologum dixit: Dæmonem cum certæ cuidam nupsisset mulieri, septem ex illa genuisse filias, easdemque postquam adoleuissent, singulas singulis sociasse maritis: superbiam igitur, quæ illius erat primogenita mulieribus nupsit; vsuram diuitibus: militibus & nobilibus rapinam; Simoniam sacerdotibus atque Prælatis; Religiosis Hypocrisin. Tandem prædictarum singulis, in satis opportunum matrimonium collocatis, statuit quoque suum luxuriæ aptum maritum adiungere, quod

vt

vt fœlicius cederet, non eodem, quo in aliarum collocatione, vsus est consilio, sed illo longe melior fortuito incidit resolutio. Melius igitur se facturum est arbitratus, si illam veluti meretricem prostitueret, prouti etiam reipsa fecit, dum eandem omnibus communem coniugem assignauit, id est, tam mulieribus quam viris, ijsdemque tum diuitibus, nobilibus, sacerdotibus, religiosis ac omni denique residuo populo. Quo ingeniose excogitato Apologo S. Doctor significare voluit quod *alia peccata vendicent sibi specialia hominum genera, sed luxuria nulli parcat, & fere ad omne genus hominum se extendat.* Per alia peccata Dæmon vnum sibi duntaxat acquirit genus hominum, v. g. per vsuram solos diuites, per Simoniam solos Ecclesiasticos, per rapinam solos milites aliosque potentes, & sic deinceps per alia vitia discurrendo, reperietis Dæmonem per illa semper determinatas duntaxat illa queare personas. Per mulierem autem, omnis conditionis homines lucratur, videlicet tam diuites quam pauperes, Laicos, & Clericos, magnos & paruos, ideoque mulier merito lata quædam ad infernum via dicitur: Viæ inferi domus eius.

S. Bonau. ibid.

5. Legite Apocalypseos caput decimum septimum, & inuenietis, quod dum Angelus quidam cum S. Ioanne loquens eidem ostendere, seu videndam exhibere vellet meretricem quandam, ob scelera sua diuinitus puniendam, S. Apostolum in desertum abduxerit, vbi impia mulier illa morabatur. *Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ. Et abstulit me in spiritu in desertum, & vidi mulierem sedentem.* Pro cuius scripturæ meliori intelligentia, particularis quædam aduertenda est difficultas, quæ ex eo præcipue nascitur, quod mulier illa in deserto commorari dicatur. Neque enim possibile esse videtur, nec appræhendi potest, meretricem quandam adeo famosam, in deserto commorari. Meretrices namque in ciuitatibus, alijsque in locis magis frequentatis, atque ab hominibus plus inhabitatis plateis commorari consueuerunt. Salomon enim dicit illas in publicis videri plateis degentes, vbi omnes ciuitatis incolæ confluere solent. *Nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians.* Qua ratione igitur Sancto Ioanni dicitur illam inhabitare desertum? *Abstulit me in spiritu in desertum, & vidi mulierem sedentem.*

Apoc. 17. v. 3.

Prou. 7. v. 12.

Extra omne dubium est, quantum ego saltem capere possum, quin Angelus supplicium & damnationem infamis illius mulieris Apostolo ostendere volens, eundem in locum aliquem duxerit ab hominibus frequentatum & inhabitatum; Quod autem locum illum appellauerit desertum, id nequaquam ideo fuit, quod fuerit locus aliquis hominum incolentium expers, sed quia locus ille Deum sibi præsentem non habebat. Sic namque scripturæ sacræ valde frequens est, mundum appellare desertum quoties is sine Deo esse depræhenditur. Sic Propheta dicente: *Cum pertransires in deserto terra mota est,* S. Vincentius Ferrerius dicit: *Iste mundus dicebatur locus desertus, quia tunc mundus non habebat Deum.* Atque hoc eodem sensu S. Ioannes ciuitatem illam, quam meretrix illa magna incolebat, appellat desertum: *Abstulit me in spiritu in desertum, & vidi mulierem sedentem.* Tametsi enim ciuitas populosa, atque ab hominibus satis esset frequentata, attamen Deum sibi præsentem minime habebat. Ad significandum, quod vbicunque similis aliqua mulier locum haberet, ibi ne angulus quidem esset, in quo aliquis Deo locus reperiretur reliquus. Per hanc enim Dæmon in omnibus dominatur animabus, illiusque potestati tota subest natio, & omnia occupat, haud aliter quam si merum desertum essent omnia, atque à Deo totaliter derelicta. Tam ingens est hominum mundi huius ruina quam per maledictum hocce instrumentum Dæmon operatur, vt vbicunque id ipsum vsurpat, ibi Deus minime regnare videatur. Vnde Cato haud immerito dicere solebat: *Si mundus esset absque mulieribus, conuersatio nostra non esset absque Dijs.*

Ps. 67. v. 8. S. Vincen. Ferrer. in octaua S. Stephani.

6. Audite S. Patrem Ambrosium, quanta nimirum cum subtilitate in præsenti materia discurrat. Sanctus hic Doctor verba à Christo latroni sancto dicto audiens, scilicet: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Hisce ipse verbis eundem quoque alloquitur: *Noli timere ne & tu cadas de Paradiso, sicut cecidit Adam.* Dic sodes, vnde sanctus ille Archiepiscopus mouetur, vt de paradiso perpetuo possidendo bonum latronem adeo resolute assecuret? En tibi rationem ab eodem immediate subiunctam: *Adam vt caderet à serpente deceptus est, & flexus ab vxore.*

Luca 23. v. 43. Ambros. in Ps 39.

Fiducia ista, qua latronem de Paradiso iubet esse securum, veluti de cuius possessione nunquam sit exturbandus, non aliunde nascitur, quam quia in cælesti paradiso, nec Dæmon aut mulier aliqua reperiatur, vti factum est eo tempore, quo Adam fælix erat in paradiso. Quasi proinde dicere illi voluisse: Certum est, quod si serpens antiquus inimicus noster locum habere posset in cœlo, ibidemque in promptu haberet aliquod malæ cuiusdam mulieris instrumentum, vti in terrestri Paradiso habuit, tu quoque tametsi beatus de facto existas, peccare ibidem posses, nec vna quidem hora securus esses, quin subito præcipitareris. Per hoc namque instrumentum tanta est ad procurandam hominis damnationem Dæmonis potestas, vt si aliquam in cælum potestatem habere, ibidemque peccari posset, quod tamen est impossibile, ne ipsi quidem beati securi forent. Quamobrem cogitate quid in mundo futurum sit, vbi omnibus hominibus effrænis est peccandi facultas, totque Dæmonin suum seruitium promptas habet paratasque mulieres? Quid mirum est si homines in mundo continuo spoliet & in extremam redigat pauperiem, mundumque ipsum in solitudinem atque desertum conuertat?

7. Audite obsecro aliud quidpiam longe admirabilius, quod idemmet sanctus Archiepiscopus, tentationem Adami in terrestri paradiso, cum ea quæ Christo accidit in deserto, conferens, dicere non dubitauit: *Videte rem miram; In Paradiso Diabolus cum Adam decertat: in deserto cum Christo Diabolus dimicat: vbique insidiatur homini, vbique congreditur, sed vbi mulierem inuenit vincit; vbi mulierem non inuenit victus recedit,* q. d. Rem vere stupendam videte cum Adamo Dæmon in Paradiso decertat, congreditur etiam cum Christo in deserto: ibi vincit Adamum, quia fœminam habet in adiutorium; Illic vero vincitur à Christo, quia nullum ibi inuenit mulieris subsidium. Ecquid forte hoc loco dicere vult Sanctus hic Doctor? Num forte vult inferre quod si Dæmon etiam in deserto in sua Societate habere posset mulierem, futurum foret vt ipse quoque Christus esset peccaturus, futurusque esset victus & opprimendus? Minime gentium. Non hoc dicere voluit S. Ambrosius; Optime enim sciebat Christum & Deum, & ex natura sanctum esse & consequenter impeccabilem: sed potius hyperbolice hic loquitur, vt hac loquendi ratione admirabilem demonstret Dæmonis fortitudinem, qua præualet aduersus eum, erga quem antiquum suum peruersæ alicuius mulieris adhibere potest instrumentum adeo vt quotiescunque tali cum instrumento aliquem aggreditur, quantumuis is sanctus sit atque perfectus, metuendum sit, ne victus succumbat & ipse, de prostrato reportet victoriam.

S. Ambr. serm. fer. 2. Dom. 2. Quadr.

8. Vnde Apostolus ad Corinthios scribens, præcipit mulieribus, vt dum in Ecclesia præsentes diuinis assistunt, propter Angelorum præsentiam capita sua velata tectaque contineant: *Debet mulier velamen habere super caput, propter Angelos,* vti legit Haymo: vbi potius ab Apostolo videbatur dicendum *propter homines,* quam *propter Angelos.* Nam hominibus tantum periculosum est aliquam reuelata & discooperta facie intueri mulierem, non vero Angelis.

1. Cor. 11. v. 10.

Quid enim Angelus aliquis damni patietur si vanam aliquam detectaque facie obuiam intueatur mulierem? Caueant eiusmodi spectacula homines, nam Angeli illa nil metuunt, vtpote qui mulieres quas vident concupiscere aut desiderare non possunt, aut in aliquod cum ijs committendum peccatum prolabi. Cur

igitur

Cur igitur dicit: *Propter Angelos*, cum potius dicere debuisset *propter homines?*

Doctor Angelicus locum hunc explicans per Angelos, non spirituales cælestesque intelligit spiritus, qui confirmati in gratia & beati existunt, ac impeccabiles, quorum substantia à carne & sanguine procul existit remota, sed sanctos quosdã homines: *Propter Angelos*, idest *propter bonos*. Qui Angeli vocantur ob admirabilem sanctitatem & vitæ suæ perfectionem, per quam inter homines haud aliter ac Angeli quidam esse videntur. Ne igitur hi sancti perfectique fideles, mulieres intuendo periclitarentur, Apostolus periculi occasiones remoueri voluit, ideoque mulieres velato capite in templis adesse præcepit. Vt vel sic innueret, Dæmonem mediante vana quadam muliere, tãta fortitudine pollere, vt pientiores quosque perfectioresque homines præcipites agere possit, tametsi ad tantum peruenissent sanctitatis fastigium, vt non tanquam homines, sed veluti Angeli viuerent. *Propter Angelos, idest propter bonos.*

S. Th. de sac. Alt. c. 8

9. Moyses victoriam illam, quam Iob à Dæmone per peruersam quandam mulierem velut instrumentum ipsum aggrediente gloriose reportauit, describens, ita ait: *Ipse vero respiciens ad eam.* Cuius loci tota vis & energia in hoc ly (*ipse*) consistit vnde merito quæritur, qua de causa Diuinus ille Chronista Iobum in hoc cum Dæmone certamine congredientem ipsum, appellare voluerit? *Ipse.* Fortasse id factum est quia subito poterat esse aut fieri alius, & non remanere idem qui prius erat? Imo vero hæc est huius pronominis tanta cum Emphasi appositi ipsissima ratio. Necessum enim fuisset, vt Iob post adhibitam à Dæmone mulierem, alius fieret, atque à seipso totaliter diuersus, sed casu quodam quasi inaudito & extraordinario contigit, vt Iob idem & inuariatus semper maneret qui prius fuerat. Pro quo innuendo necessum fuit, vt appellaretur *Ipse. Ipse vero respiciens ad eam.*

Iob. 2. v. 10.
Alia lectio.

Origenes idemmet pronomen ipse considerans, dicit: *Ipse ille immobilis, indeclinabilis, insubuertibilis, inseducibilis.* Quasi diceret, Iob post perpessum à muliere insultum; idem est, qui ante erat, nihilque à seipso diuersus. Idemmet inquam, qui in aliis cum Dæmone habitis congressibus se semper exhibuit immobilem, inuincibilem, indomabilem, etiamnum quoque consuetam adfert in manibus palmam.

Orig. ibid.

Poterit quidem homo in cunctis aliis, quos cum Dæmone habiturus est congressibus, se generose semper gerere, poterit semper esse fortis, ipsusmet qui vnquam alias fuit, & sibimetipsi semper manere simillimus. Quodsi vero hominem postea per mulierem, veluti armaturam potentiorem aggrediatur, non iam amplius idem manebit, qui ante fortis scilicet, inuictus, palmamque victoriæ signum, in manibus deferens vti in aliis accidit congressibus: Tanta est communis aduersarii nostri per validissimum hoc instrumentum vis & potentia, prouti in Samsone, Dauide, Salomone, Sancto Petro aliisque centum magnis generosisque viris perspicue videri potest, qui tametsi in diuersis aliis occasionibus Dæmonem generose oppresserint, postea tamẽ vnica duntaxat muliere adhibita, ignominiose fuere victi factique longe diuersi ab iis, qui prius fuerant. Vnde quod Iob etiam in hoc certamine, idem qui semper remanserit, idest victor sicut in aliis luctis & certaminibus hactenus fuerat, id merito notãter describitur, veluti actus quidam summè mirandus, & tanquam nouum quoddam immensique stuporis miraculum; cum ex communi & quotidiana quasi experientia certũ sit, quod Dæmon ex sua parte, per arma inuerecundæ mulieris corroboratur, vincere quemcunque hominem soleat, quantumuis sanctum & fortem, si illum aggrediatur: *Ille immobilis, indeclinabilis, insubuertibilis.*

10. Cum Iudæi captum innocentissimum animarum nostrarum redemptorem Iesum & in Caiphæ domum adductum male tractarent, & illuderent quædam domus illius Pontificiæ ancilla inde egressa, S. Apostolum Petrum in extremam ruinam redegit. Circa quẽ miserabilem casum quæro. Qua de causa Dæmon tempore patientis Christi opera mulieris illius vti voluerit? Nunquid ille dolorosam passionis Christi tragœdiam absque interuentu mulieris illius finire &

Mar. 14. v. 67.

consumare poterat? Nequaquam, inquit Venerabilis Beda, ideoque ancillam illam quoque inter cætera ad passionem Christi adhiberi necessum fuit, & rationem assignat: *Vt iste sexus in nece Domini peccare videretur.* Dæmon passionem Christi machinando, coactus fuit, vt hoc mulieris instrumento vteretur, vtpote qui tantum exequi scelus minimè potuisset, nisi ad eandem executionem simul mulierem quandam applicaret; compertum namque est, quod quotiescunque in similis momenti & ponderis negotiis adhibuit mulieres, eadem ex animi semper fluxerint sententia. Vnde muliebris malignitatis & valoris demonstrationem in tali opere edere voluit, quod maximum fuit ex omnibus, quæ manu sua vnquam perfecit, hoc est, in morte Christi.

Beda ex Cat.S.Th. in c.15. Mar.

11. Et tametsi mulieres ad purgandum se ab eiusmodi macula, defendere atque tueri se possint, adducta in medium Pilati vxore, quæ vt Christum à morte liberaret, magnas apud maritum suum fecit instantias. Qua de re nemini dubium esse potest; quam Sanctus Matthæus de Pilato loquens perspicuis verbis retulit dicens: *Sedente illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius dicens: Quid tibi & iusto illi?* Veruntamen non sibi persuadeant mulieres, quasi per hunc vxoris Pilati conatum, aliquid quod bonum aut laudabile opus sit, effecissent. In hoc enim facto maius scelus commisere quam in primo circa Petrum patrato.

Matth.27 v.19.

Dicit enim Rabanus, Pilati coniugem à Dæmone ad maritum fuisse missam, eo quod illa mediante, maius malum inferre, magisque lethiferum infligere ictum cogitarit, quam hactenus per Pontificis fecerat ancillam, qualenam autem illud malum sit hisce verbis expressius insinuat: *Diabolus intelligens per Christum se spolia amissurum, sicut primum per mulierem mortem intulerat: ita per mulierem vult Christum de manibus Iudæorum liberare: nec per eius mortem mortis amitteret imperium.* Dicit igitur Venerabilis hic Pater, Dæmonem sub tempus Passionis Christi sensim ac paulatim animaduertisse, quod procurando Christi Crucifixionem extremam sui ruinam, totalemque Imperij sui sibi accerseret destructionem, timuisseque ne per mortem illius spoliandus esset regno suo, quid in illas obtinuerat animas, quas sub durissimo suo sceptro moderabatur, ideoque absque vlla mora studuisse incepto operi omnem meliori modo ingerere obicem, variique generis impedimenta, ne vltra proficeret, pro quo pernitiosissimo stratagemate nullum proposito suo conuenientius reperire potuit instrumentum ipsa muliere, ideoque hoc fine Pilati coniugis vsum fuisse opera. Enimuero sicut Dæmon nullum hoc scelere atrocius aut maius vnquam tentauit, vtpote per quod generis humani impedire nitebatur redemptionem, efficiebat ne vnquam panderetur Cælum, Infernus autem semper esset apertus, nec non nullum vnquam crudelissima tyrannis sua finem acciperet: ita pro sceleris istius executione, nullum vnquam cognoscere aut reperire potuit ingenium aptius muliebri ingenio, probe namque scit omnia difficilia magisque ardua negotia felicem sortita fuisse euentum quoties ad ea exequenda muliebrem malitiam adhibuit.

Rabanus.

12. Imo plus dicam, videlicet, mulierem non solum esse aptius ad humanam perditionem curandam instrumentum, quod Dæmon habere aut reperire possit, verum ipsissimum quendam Dæmonem esse, vti mox dicemus.

Sanctus Pater Ioannes Chrysostomus patientem Iobum, pro eo tempore, quo angustiabatur & tentabatur à peruersa sua muliere,, considerat, attendensq; quod dũ hæc ad illum præcipitandum eidem appropinquaret, ipse in faciem illius prospicere voluerit, prouti ipse legit: *Prospiciens in eam*, dubium mouet valde pulchrum: *Non dixit respiciẽs in eam, sed prospiciens. Quare? ignorabatne suam vxorem? Num secum sedebat. Nũ ex eadẽ filios genuerat? quare ergo prospexit?* Quibus verbis videtur mihi (nisi fallor) S. Doctor velle, quod hoc verbũ *prospicere* nõ significet absolute idẽ quod videre, sicuti *respicere* sed videre

Iob. 2. v. 10.

Chrys. de patient. Iob hom.3.

dere cum admiratione, & ad eum fere modum, quo respici solet res aliqua noua, rara, peregrina & inexspectata. Hoc supposito dicit os illud aureum: Qui fit quod Iob vxorem tanta cum admiratione aspiciat? num forte illam non cognoscit, aut hactenus nunquam vidit? nunquid tot iam cũ illa annis cohabitauit? nunquid plures ex ea liberos genuerat? Qua igitur ratione illam tanta cum admiratione & stupore respicit, quasi illam nunquam alias vidisset, aut consuus illi familiariter fuisset? *Quare ergo prospexit?*

Diuineque respondet? *Illud prospicere ostendit, quod non tam eam vidit, sed eum quem prospexit in ea Diabolum Iob cognoscebat.* q.d. quando Iob vidit, quod pessima sua vxor eam ad blasphemandum Deum ac Dominum suum hortaretur, non iam ordinaria & propria coniux sua, sed verus quidam Dæmon esse videbatur, ideoque magno illam cum stupore, veluti rem quandam summe miram & inusitatam respexit: *Prospiciens in eam.* Ad innuendum, quod quando mulier aliqua ad subuersionem & ruinam hominis alicuius adnititur, adeo se artificiose & malignè gerat, adeoque se ad subuertendum hominem aptam atque potentem exhibeat, vt non tam mulier quam verus quidam Dæmon esse videatur: *Diabolum Iob cognoscebat.*

13. Neque Iob cogitatione seu suspicione falli aut errare potuit, vtpote qui ex vxoris suæ verbis clare atque perspicue cognoscebat, illam non mulierem, sed Dæmonem esse, Verba enim fuerunt hæc sequentia: *Dixit autem illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo & morere.* Quo in loco, hoc verbum, *Benedic*, Loco *Maledic*, positum est per antiphrasin. Persuadere conabatur hisce verbis marito, vt Deo malediceret, eundemque blasphemaret, ac tandem laqueo seu resti collum insereret, vt hac ratione proprijs sese manibus occideret. Ingẽs profecto erat ista credulitas. Quodsi enim odio maritum prosequebatur, illud quantumuis Vatinianum ac vehementissimum esset, saniari iam debuisset visis innumeris extremisque quibus maritus eius succumbebat malis; dum illum profundissimo videt submersum miseriarum Oceano; priuatum Regno; bonis & facultatibus omnibus exutum, iusto è filiorum suorum insperata morte concepto vehementi dolore correptum, & nudum; toto corpore vno continuoque quasi vulnere sauciatum; in vili quodam sterquilino siue fimeto peripsematis instar contemptibiliter & ignominiose expositum; denique in tale redactum spectaculum, quod non iam homines tantum, sed & ipsa quoque saxa ad lachrymas prouocare posset.

Ibid. n. 3.

Respondet autem S. P. Chrysostomus ipsam tot malis quantumuis etiam multiplicatis nequaquam fuisse exsatiatam: non sufficiebant illi miseriæ innumeræ, quibus infælicem maritum suum videbat obnoxium; modicos ipsa æstimabat esse labores omnes, eo duntaxat quod temporales essent, æternaliter enim illum videre cupiebat afflictum, ipsique inferno irreuocabiliter inclusum, ne inde egredi vnquam posset; Hoc fine enim illi persuadere tentabat, vt Deo malediceret, ac tandem funestas sibimetipsi violentasque manus inferret, vt hoc pacto in peccato mortali moriens damnaretur ad infernum: *Non enim ei sufficiebat dolor, qui erat ad tempus, sed per maledictum, æternum ei conciliabat cruciatum.*

Idem Homil. de Heradiade.

Merito igitur Iob illam non mulierem sed Dæmonem appellauit: *Diabolum Iob cognoscebat.* Siquidem vidit ipsam æternæ suæ damnationi cooperantem, talis namque conatus solius est Dæmonis, & non alterius. Homines sunt, qui post conciliatam inimico suo mortem temporalem, eidem acquiescunt: illi vero qui per mortem temporalem, æternam quoque mortem accersere tentant, potius Dæmones quam homines existunt cuiusmodi erat illa Iobi pessima vxor: *Diabolum Iob cognoscebat.*

14. Considerans Origenes, quod Loth sanctus ille Dei seruus, inter Sodomitas licet habitans, tanta tamen polleret gratia, vt flammas illas quibus infamis illa Sodomæ ciuitas cælitus deflagrauit, euaderet, & quod tamen idem ille, qui Sodomæ

domæ incendium euaserat, ignem declinare non potuerit concupiscentiæ, sed ambas filias suas incestuose constuprarit, ita loquitur: *Virtus ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non vssit.* Ex quo Adamantij dicto colligitur mulieres suum secum ignẽ deferre, & flammis suis peculiaribus candescere & ardere. Id quod omnino clarum est, atque perspicuum, siquidem nemo illis appropinquare possit, quin accendatur, & vratur. Quodnam desideratis argumentum efficacius, ad probandum mulieres esse veluti veros Dæmones, cum instar Dæmonum suum secum ignem circumferant. *Vritur ille flammis mulierum.*

Orig. hom. 5. in Gen.

15. Dauid propheta temerarium scelestissimorum quorundam hominum considerans ausum, qui debitam Deo opt. Max. reuerentiam & respectum posthabentes, eo temeritatis progressi sunt, vt ignem, sacro templo inijcerent, eodemque sacratissimũ illius Sanctuarium deflagrarent, eosdem coram diuino tribunali oculis lachrymas manantibus accusabat, dicens: *Incenderunt igni sanctuarium tuum, polluerunt tabernaculum nominis tui.* q.d. Ausculta ô Domine, quanta illi contra diuinam Maiestatem tuam cõmiserint scelera, neque enim sufficit illis, quod sanctam tuam ciuitatem violenter inuaserint, verum insuper sanctum ingressi sunt templum tuum, illudque prophanantes, sanctuarium illius incendio consumpserunt.

Ps 73. v. 7.

Verum enimuero, nostisne dicere, quales illæ personæ fuerint, quos Dauid, eo quod sceleratum eorundem sacrilegium dissimulare nequiret, coram Deo horrende adeo accusabat? Noui quod respondere mihi poteritis, quod vti volunt nonnulli Doctores, hi fuerunt Chaldæi, aut Romani secundum quod exponit Theodoretus. Porro hoc totum bene dicitur quantum quidem literam attinet. Secundum allegoriam vero, illud eum S. Bernardino exponendum est, qui vult per personas illas à Dauide accusatas, vanas intelligendas esse carnalesque mulieres, quæ ad præsens vsque tempus, non solum materiale Dei templum prophanant, verum etiam quod magis est deplorandum, incendio templum spirituale deuastant, quod est vniuscuiusque deuoti bonique Christiani anima. *Psalmista in spiritu contemplans præsens tempus, in quo carnales & vanæ mulieres cum meretriciis ornamentis accedunt ad sacratissima loca, & incendunt spiritualia templa Dei, idest, animas, atque materialia templa prophanant: clamore spirituali hos apud Deum accusabat dicens. Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra, id est animas iuuenum illas in Ecclesia inspectantium.* Hæ scelerατæ mulieres incendiariæ sunt sacri templi Dei. Hæ sunt quas Dauid coram Diuino tribunali accusat. Hæ ignem quendam circumferunt, qui non ad instar ignis à Chaldæis aut Romanis in templum iniecti corpora consumit quod minus malum foret, sed animas, in quas alias nullus in hac vita materialis ignis agendi vim habet. Quod si igitur ignem secum circumferant, qui inuisibiliter urit & accendit. *Incendunt spiritualia templa Dei, idest, animas,* certe aliud nihil esse poterunt quam Dæmones.

Theodoretus ibid.

S. Bernardinus to. 2. serm. 47. ar. 3. c. 1.

16 Scribit author quidam modernus, quod in certo quodam nouæ Indiæ regno mulier appelletur Ira, Et notat insuper eodem prorsus nomine appellari Dæmonem. Quæro hic: cur mulierem eodem nomine appellant quo Dæmonem? Forsitan respondebitis pauca in illius regionis idiomate inueniri aut haberi vocabula, indeque cogi incolas vt idem nomen duabus sæpe rebus indere debeant. Verum non videtur mihi hæc ratio sufficiens aut satis efficax: Cum enim nomina formentur, *ad placitum*, tot vtique pro arbitrio nostro nomina formare possumus quot volumus, ac proinde necessum non est rem aliquam alieno nomine appellare. Potius ergo quantum mihi imaginari possum hæc illius ratio esse poterit, quia videlicet populi illi muliebrem edocti malignitatem, nec non admirabilem mulierum virtutem quam habent ad hominem in varia scelera & enormitates præcipitandum, Dæmonem illam nominare voluerunt, vtpote quæ ad procurandam hominis damnationem, non minus, quam Dæmon præualet. Auscultate itaque grauiter id quod iam iam dicturus vobis sum.

Ioan. Boterus in dict. memorab.

17. De rege quodam refert magnus ille Damascenus, quod primogenitum suum, à primo natiuitatis suæ die ex Medicorum præscripto in obscurum quoddam concla-

S. Ioannes Damasc. in vita S. Barlaam

cluserit, eo quod impossibile esset filij istius saluti & incolumitati alia ratione prospicere. Postquam autem post elapsum decennium filius iste foras in lucem prodijsset, eundem in magnam quandam spatiosamque aulam induxerunt, in quo omnes res possibiles bono ordine habebant expositas, aurum scilicet, argentum, vestes, pecunias, viros, mulieres, Equos, boues & similia, vt hæc omnia videret, cognosceret, eorundemque nomina, edisceret. Introductum igitur regium hunc iuuenem, circumduxerunt vt videret hæc omnia, quorum cum sigillatim exposceret nomina, quidam seruorum paternorum cui illi respondendi cõmissa fuerat cura, hæc illi mox exponebat. Cum igitur tandem peruentum esset ex ordine ad mulieres, & princeps earũ quoque scire nomen expeteret, respondit ille: *Dæmones eas appellari, à quibus hominum mentes in errorem traherentur.*

Postquam igitur omnia isthæc sagaci oculo perlustrasset, atque de cunctis rebus visis in præsentia patris agitaretur colloquium interrogatus iunior princeps ille, ecquidnam illi ex omnibus rebus visis quam maxime placeret? Respondit iuuenis: *Quid aliud quam Dæmones illi, qui homines in fraudem inducunt? Neque enim vllius rei, ex omnibus quas hodierno die vidi perinde ac eorum amore animus meus incensus est.* Intellexistisne ergo qualiter mulier verus quidam Dæmon sit & instar Dæmonis ignem secum deferat, qui homines non in hoc duntaxat mundo, sed in altera quoque æternaliter incendit & depascit? Et quod maiori admiratione dignum est, mulier est Dæmon quidam, quem nemo authorret; sed omnibus placens. Dæmonem naturaliter execramur, fugimus & abominamur: hunc vero valde æstimamus, amamus, sectamur desideramus, vnde omnes viros ad suum habet arbitrium & libitum, eisdemque pro libitu suo omnia interim mala infert & accersit.

Dæmones eos appellari.

CONSIDERATIO II.

Dic vt sedeant hi duo.

Dum ambitio hominem in altum extollit, non illum exaltat, sed præcipitat.

1. Diuus Ioannes Chrysostomus hoc loco dicit, petitionem horum Apostolorum non eo respexisse, vt scilicet magnificarentur honoribus cælestibus, sed quia terrenis sublimari dignitatibus desiderarent, id quod ex responsione ipsis à Christo data facile colligitur: *Nescitis quid petatis. Vt significaret*, inquit S. Doctor, *nihil eos petere spirituale, sed nec scire quidem quid postulent: non enim petere auderent, si scirent: Nescitis, ait, quid petatis.* Christus non ob aliud hac ratione respondere voluit Zebedæi filiis, nisi vt innueret ipsos in hac petitione non sedes respicere cælestes, sed terrenos duntaxat ambire honores, vnde ad hanc petitionem faciendam, ab ambitione fuerunt permoti, hac enim excæcati nesciebant quid peterẽt: si enim sciuissent, hunc vanum appetitum suum manifestare minimè fuissent ausi. Porro bonam vos reflexionem facere velim ad hæc verba postrema: *Non enim petere auderent, si scirent.* Quodsi petitionem suam scirent esse perniciosam haud dubie pro illa facienda, ne os quidem suum aperuissent: si se perditionem suam propriam in hac petitione procurasse intellexissent, vtique se continuissent: si cognouissent mundanam ad temporales honores, quales ij erant, quos ipsi inquirebant, exaltationem non in sublime sed in præcipitium vergere, propriam vtique sui ruinam petere minimè fuissent ausi. Ambitiosi namque incrementum, aliud nihil est quam mera ruina & præcipitium: hæc enim est ambitionis miserrima conditio quod dum hominem in altum extollit, non tam illum euehat quam præcipitet. *Chrysost. hom 66. in Matth.*

2. Rupertus Abbas considerans parabolam eius, qui descendens ab Hierusalem in Iericho in crudelissimorum latronũ manus inciderat; *Homo quidam descendebat ab* *Lucæ 10. v. 30.*

bat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, dicit hunc hominem fuisse Adamum, vultque insuper, quod nisi hic illum fecisset descensum, nunquam incidisset in manus latronum, intelligendo per descensum, priori illius parentis nostri superbiam, in diuinitatis prætensione. *Nisi enim descenderet non incidisset, quia videlicet nisi mente superbiret, dati præcepti præuaricationem non incidisset.* Enimuero hic paulisper sistamus, si placet. Non enim hic mihi Abbas Tuitiensis bene dicere videtur. Quid enim anne is qui superbit ascendere vel descendere, dicendus est? exaltaturne, an vero humiliatur? Certe perspicuum esse videtur illum exaltari non humiliari proprium namque est superbiæ extolli & intumescere & ad sublimia conniti, nequaquam vero animo deijci: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*, inquit Dauid propheta. Quomodo igitur Rupertus vult Adamum descendisse superbiendo, cum potius descendisse dicendus erat?

Rup. Ab. li. 3 c. 1. in Genes.

Ps. 73. v. 23.

Sanctus hic Doctor, haud aliter quam si præuidisset, dubium istud mihi circa verba sua futurum obuium, mox subiungit, mihique respondet: *Namque ascendere veraciter descendere est.* Miserrimus Adam relatis sibi à coniuge sua Dæmonis verbis, videlicet quod per esum pomi veriti ad Diuinitatis sedē sublimari posset, fidem nimis facilē adhibens, ideoq; ab ambitionis appetitu instigatus, per indicatā sibi iā dictam à Dæmone viam ad illum honorē progredi. & assurgere voluit, eoq; consilio vt ascenderet in altum, diuinum transgressus est præceptū. Hic autem illius ascensus, vti perspicue videtur, nequaquam ascensus, sed præcipitium fuit: Siquidem per illum, in inferni lapsus est abyssum. Vnde euidenter colligi & videri potest, quod ambitiosus, dum altius extollitur, vere non exaltetur, sed præcipitetur & deturbetur. *Namque ascendere veraciter descendere est.*

3. Notanda hic est diuina quædam S. Patris Bernardi consideratio præsenti nostro proposito apprimè deseruiens: *Quoties hominibus praire desidero, toties Deum meum praire contendo.* Quod S. Abbatis argumentum inepte concludere videtur. Quomodo enim aliis me hominibus præferre volens, seu aliquem super illos superioritatis aut Dominii gradum ambiens, per hoc me ipsi quoq; Deo dicor præferre voluisse? Imo vero in tali casu, Deum infinitis modis, veluti Deum ac Dominum meum, me superiorem relinquo, ex altera vero parte homines sceptro ac Dominio meo subditos contineo. Quomodo igitur mellifluus Bernardus dicere potest, quod quoties se præfert hominibus, toties ipsi quoque moliatur præcellere Deo? *Toties Deum mecum praire contendo.*

S. Bern. hom. 1. super Missus est.

Veruntamen istud sancti ac melliflui Doctoris adductum enthymema melius concipi aut aptius concludere non potest, id quod ex consequentiæ probatione quam assignat perspicue videtur: *De illo namque scriptum est: Et erat subditus illis.* Vt autem energia & vis huius à S. Doctore adducti argumenti melius intelligatur: Dic mihi, Sedes, nunquid is qui Prælati tui qui te regit & gubernat, vult esse superior, tuus quoque superior esse contendit? Nequaquam id mihi negare poteris. Dico igitur cum Deus homo factus se hominum subijcere dignatus sit imperio nunquid bene sequitur quod quisquis deinceps aliorum hominū vult esse superior, quorū se Deus subiecit imperio, is ipso quoque Deo contendat esse superior, vtpote qui hominum subditus esse voluit. Atque hoc est, quod ambitiosus prætendit, cum enim terrenos ambiat honores & dignitates, vt ijs mediantibus alios sibi homines subijciat, ipsū quoq; Deum præire contendit vnde dicere oportet, ambitiosum Lucifero valde esse similē imo peiorem, Lucifer enim solum prætēdit Deo esse æqualis, ambitiosus autem Deo superior esse cupit. *Deum meum praire contendo.* Vnde sicut exaltatio Luciferi, non exaltatio, sed casus potius fuit & præcipitium, ita quoque ambitiosi sublimatio casus potius vocanda est, quam euectio, isque tanto horribilior, quanto ambitiosus altiori ex loco quam Lucifer deturbatur.

Lu. 2. v. 51.

4. Inter alia, quæ S. Vincentius Ferrerius, periculum, cui ambitio miserum exponit hominem, considerans, dicit, sunt hæc sequentia: *Ad regimen deberet homo venire sicut ad furcam.* Quærendus

S. Vincent. dom. 2. pa. serm. 4.

dus ergo mihi S. hic Doctor videtur, quã-obrem hominem ad regimen haud aliter quam ad furcam ascendere velit, cum homines regimina non minori cum lætitia quam nuptias adeant? Verum idest, nec inficior, homines videlicet honores non aliter, ac nuptias frequentare solitos esse; id tamen alia ratione non fit, quam quia ambitio illos excœcauit (neque enim ambitio aliam ob causam cæca depingi solet) neque illis euidens, quod honores adiunctum habent, damnationis periculum considerare permittit, quod sanctus hic vir adeo efficaciter considerauerat, vt Valentinum Episcopatum sibi oblatum, nec non sibi à summo Pontifice Auenione præsentatam purpuram acceptare renuerit, perspicue sciens, honores non esse tales, quales à cæcis esse creduntur, id est exaltationes sed præcipitia. Vnde eosdem patibulo assimilare voluit: Sicut enim is qui ad patibulum ascendit, non ascendit vt exaltetur, sed vt inde præcipitetur & occidatur: Eodem prorsus modo quando Ambitio instar Carnificis hominem ad mundanas euehit dignitates, eundem non alio fine exaltat, quam vt ipsum in inferni abyssum præcipitet, quam exaltationem potius vocandam esse præcipitium quam sublimationem quis dubitat?

5. Solet scriptura certum quoddam genus hominum, qui corpus habent vastũ & excessiue magnum, quo solitam aliorum hominum longitudinem mirum quantum excedunt, appellare gygantes? Cur eiusmodi homines vocat gygantes, & qua occasione ad nomen istud dandum mouetur? Gygantes illos appellare voluit, quia tales sese cæteris corpore maiores altioresque conspicientes, animum quoque extollebant per fastum, & superbiebant adeo, vt præter se neminem suo tempore ad regnorum & ciuitatum admitterent imperium, Vnde *Gygantes* appellati sunt, inquit Rupertus Abbas, quod latino sermone idẽ quod *Cadentes* significat.

Verum enimuero quodsi hi exaltati fuerunt, quomodo aut qua ratione scriptura illos vocauit Cadentes? Quodsi ijs Celsitudini aut Eminentiæ conueniebat titulus, quomodo deiecti aut præcipitati esse dicũtur? Huic respondet Venerabilis Abbas: *Cadenti autem recte dicuntur: nam hoc primum superbire, cadere est.* q. d. Merito eiusmodi ambitiosi & superbi homines cadentes sunt appellati, quia tametsi mũdus iudicet, quod dum superbus in honoribus & dignitatibus ad instar gygantis distenditur, simul exaltetur, in hoc valde decipitur, potius enim cadit & præcipitatur, quippe cum ambitiosorum incrementum reuera nihil sit aliud quam ruina & præcipitium. Eo ipso enim quo Gygantes super omnes alios homines ambitiosè extollebantur, cernebantur quoque miserrime præcipitari & cadere. *Nam hoc primum superbire, cadere est.* *Rup. Ab. ibid. lib. 4. c. 14.*

6. Nescio num aliquando magnam illam consideraueritis difficultatem, quam Moyses Deo, ipsum in populi sui Prælatum & Ducem eligere volentem, opponebat. Primo enim dicebat Hebræi haud dubiè nullã electioni huic adhibituri erunt fidem: Deinde istud minus sibi minime quadrare, vtpote qui loqui nesciret. Tandem deprecatus est Deum, vt alium vice sua in munus istud subrogaret, quod minimè prætenderet: *Obsecro Domine mitte quem missurus es.* q. d. Sine me, obsecro Domine, priuatum viuere, neque enim munus istud promereor, ideoque alium ad id aptiorem tibique magis placentem, quique eodem honore obeundo dignior sit & aptior eligito. Vltimo denique nisi timuisset Deum ob difficultates propositas ad indignationem esse prouocandum, onus illud in se nulla ratione recepisset. *Exod. 4. v. 13.*

Indagemus causam, ob quam magnus vir iste adeo se ad honorem illum, quem Deus illi tanta cum promptitudine vltro obtulerat, accipiendum exhibere voluerit inuitũ. Mundus vniuersus tanto cum desiderio honores quærit longe minores, & Moyses Dominium aliquod adeo illustre magnum, vltro sibi à Deo oblatum non acceptabit?

Origenes hunc locum attendens, causam assignat, ob quã Dei seruus populi sui timebat acceptare gubernium, quæ ambitiosis merito ruminanda relinquitur: *Bonum est* *Orig. Hom. 6. in Isa.*

est non prosilire ad eas, quæ à Deo sunt dignitates & principatus, & ministeria Ecclesiæ, sed imitari Moysen & dicere cum eo: Prouide aliũ quẽ mittas. Neque enim ad Principatũ Ecclesiæ venit qui saluari vult. Optimũ quod homo facere potest, est, procul sese arcere à dignitatibus tã prophanis, quã Ecclesiasticis, sibi etiã vltro oblatis; quisquis enim saluari desiderat, dignitatis onus cum Moyse persentiscit. Atq; hæc est communis omniũ ad beatam gloriam suspirantium opinio, vtpote qui optime norunt exaltationẽ ad dignitates terrenas, ob maximam quam secum adfert difficultatem, exaltationem reuera non esse, sed potius velle quoddam in euidens infernalis præcipitij periculum sese præcipitandi. *Neque enim ad Principatum Ecclesiæ venit, qui saluari vult.*

7. Petrus de Aliaco admirabilem & inauditam Cælestini sanctissimi Pontificis recensens resolutionem, renuntiandi summum Romani Pontificatus honorem, quẽ ipsa S. Luciæ præsente toto Cardinalium suorum collegio reapse deposuit, ita inquit: *Depositis Pontificalibus insigniis, de alta Petri sede descendens Cælestinus, vt cælestem sedem conscenderet.* *Petrus Alia. apud Lippom. 5. Maij.*

Vbi notandum, verba illa attentione dignissima esse. Quodsi enim dixisset Cælestinum sedem Petri reliquisse, vt aulæ declinaret tumultus, vt minus occupatus Domino suo inseruiret: vel idipsum fecisse ex amore olim sibi vsitatæ vitæ solitariæ, id quidem transire posset. Nunc vero dicit, quod sedem Petri dimiserit, vt ascendere possit ad sedem cælestem. *Vt cælestem sedem conscenderet.* O miseram ergo sortem Romanorum Pontificum, siquidem ex Papali cathedra in cælo difficulter ascendatur! aut si saluantur quomodo Cælestinus ex illa summa sedes saluari non poterat? Quot sunt modo in cælis beati ex illa sancta sede in cælos euecti, cuiusmodi sunt leones Syluestri, Pij, & centeni alij? Dicam igitur, dubium neutiquam esse, quin Cælestinus saluari potuerit, etiam in Pontificia sede perseuerans, prouti & alij ante ipsum saluati fuerunt, & vsque modo saluantur, sed cum ingenti maximoq; labore & periculo. Siquidẽ ex honorum sublimi vertice in cælum conscendere, res est adeo difficilis laboriosa vt merito magnus ille Dei seruus, quamdiu in illa sede se positum, conspexit, de animæ suæ salute vehemẽter timuerit, quippe cum ex locis adeo altis & sublimibus potius præcipitentur, quam saluentur homines. Illi præsertim qui ex ambitionis instinctu loca illa, conscenderunt, illis namque honoris incrementum non est augmentum, sed profundum potius præcipitium: *Neque enim ad principatum Ecclesiæ venit qui saluari vult.*

8. Cum multi homines ad magnam illam cænam, per quã Christus cælestem describere voluit gloriam, inuitati essent, dicitur in S. Luca omnes sese excusasse, nec venire potuisse. Quorum vnus, is videlicet, qui villam sibi coëmerat, factusque fuerat pluriuam subditorum Dominus excusationem suam in hunc modum proposuit: *Villam emi & necesse habeo exire.* q. d. Ex quo comparata mihi villa, ad imperandum hominibus euectus sum, necessarium mihi deinceps erit, vt ab illa cæna me absentem & foris remaneam. O rem summe mirandam, quæ ad stuporem redigat eum, quisquis illam attẽtius considerat. Inuitatur hic ad æternam animæ salutem, atq; ad infinitorũ bonorum cælestium fruitionem, & dicit, quod ab illis necessario debeat manere exclusus. Quid est quod illum à tantorum bonorũ lucro, à possessione tã ingentium diuitiarũ, atq; ab ipsiusmet Dei impedire potuit consortio, vt proinde ipsum necessario condemnari oporteat? Ambitio, inquit Hugo Cardinalis: *Ambitione cogente, quæ non potest coram Domino permanere nec in cælo habitare* Hinc ergo perspicue videri poterit, qua ratione verum sit, exaltationem hominis ambitiosi, præcipitium potius esse quam sublimationem, ipsiusque sursum versus ascensum, velocissimum esse cursum, imo volatum ad æternam perditionem. *Lu. 14. v. 18.* *Hugo Card. ibid.*

9 S. Paulus Apostolus, qui Christo dilecto suo adeo indissolubili vinculo astrictus erat & alligatus, ad Romanos scribens studiose perquirit, quidnã ex omnibus mũdi rebus esse possit adeo forte & violentũ, quod ambile illud Christum inter & ani-

mam suam intercedens vinculum dissoluere posset, ac tandem nihil tale inueniens magna cum resolutione hunc in modum loquitur: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Notate verba illa: *Neque altitudo, neque profundum,* vtpote quæ solum ex omnibus illis proposito nostro deseruiunt. Porro sanctus Bruno per altitudinem mundanos honores, terrenasque dignitates intelligit: *Altitudo idest, promissio honoris.* Quo sensu Apostolus dicere volebat: Tametsi cuncti mundi istius mihi oblati essent honores, hæc tamen oblatio eam circa me vim habere nunquam poterit, vt ego illam acceptem, atque à Christo vnico & summo bono meo me dissociem.

Rom. 8. v. 38.

Enimuero hoc ipsum sufficeret quidem ad probandum, quod huius vitæ dignitates animam à Deo separent, veruntamen aliud ego circa hunc locum considero, videlicet, quod sanctus Paulus altitudinem iuxta profunditatem statuerit, postquam enim dixit: *Neque altitudo,* subito subiunxit: *Neque profundum,* idque non alia de causa quam vt per hoc innueret, quod mundanorum honorum altitudo & inferni profunditas adeo sibi mutuo sint vicina, vt ad inuicem contigua esse videantur. Vnde eo ipso quo ambitiosi sui procurant exaltationem, inferno appropinquant, siquidem altitudo quam sectantur, & infernus, non procul à se mutuo distant, ideoque non est verum quod exaltentur, imo potius deiiciuntur & præcipitantur.

S. Bruno ibid.

10. Refert Plutarchus, quod postquam Vitellius à Romani imperii milite Imperatoris nomine esset salutatus, ipse ex formidine tantæ dignitatis conscendendi fastigium, se non solum ab illo honore exhibuerit alienum, verum etiam grauiter offensum. Cum autem sequenti luce eadem imperialis Corona eidē ... ab iisdem de nouo fuisset oblata, illam libens acceperit, ideoque publice, Romanus Imperator fuerit proclamatus: *Vitellius priores quidem dies visus est, quoniam Imperii magnitudinem metueret ab ea re abhorrere, pleneque alienus. Tunc autem ferunt, cum esset cibi ac vini meridiani plenus accessisse eosque subaudisse, à quibus esset Germanicus nominatus.*

Plut. in Galba.

Quæramus obsecro causam, ob quam Vitellius ieiunus existens mundi nequaquam recipere voluerit imperium, bene pransus autem ad illud acceptandum adeo fuerit facilis & promptus. Etenim causa huius alia esse non poterit, quam quia quoadusque ieiunus erat & sobrius, horrendum, in quod ad imperialem maiestatem euectus exponebatur, periculum optimè videre poterat, imo reapse de facto videbat, ideoque animo tam ab honore erat alieno, tamque vehementer illis, qui illum offerebant, indignabatur. Quia vero sumpto prandio caput habebat vini meridiani plenum & ebrietate confusum, iamque humano eius intellectu absorpto factus sicut iumentum insipiens, periculosum illud præcipitium, in quo pedem figere persuadebatur, præuidere non poterat, oblatam sibi haud inuitus recipiebat Coronam & purpuram. Vnde cognoscere licet, quoadusque homo sobrius fuerit & sapiens, non solum ad honores mundanos euehi minimè curabit, verum etiam vltro sibi oblatos exhorrescet, adeoque ad hoc vt homo vanum honoris fumum ambiat, quærat, recipiat, opus erit, vt ebrius sit, omnisque rationis ac sensus expers, si non ex vini virtute, saltem ex actiuitate ambitionis. Talis enim euidenti grauis ruinæ, & irremediabilis præcipitii exponitur periculo. Ambitio namque Natura sua ita comparata est, vt exaltando hominem in profundum deturbet: Vnde ambitiosis illud Prophetæ dicere potuit: *Veruntamen propter dolos posuisti is, deiecisti eos dum alleuarentur.* Ps. 72. v. 38.

11. Scribit Iosephus Hebræus quod cum Archelaus Herodis filius multorum criminum apud Cæsarem esset accusatus, inter alia delicta, quæ inimici eius aduersus ipsum salua veritate deponebant, multa quoque falsa mendaciter contra illum commenti sint crimina, quorum reuera innocens omnino erat, quibus tamen à causæ suæ iudicibus & exami-

natoribus, tanquam si verissima fuisset, plena adhibebatur Fides, cuius hanc assignat rationem: *Credibilia videbantur propter Naturam sui, quod fieri posse iudicabant à iuuene cum ab accenso regnandi cupidine.* Omnia delicta, quæ contra Archelaum fuerant ab inimicis proposita, eo ipso recipiebantur à iudicibus tanquam vera, quia nimirum ab omnibus notatus fuerat quod iuuenis esset valde ambitiosus. De tali enim omnis generis scelera facillime creduntur. Cum ea sit ambitionis proprietas, vt hominem, quantamcunque tandem committere faciat enormitatem, ad hoc vt ad eum, quem ambit, euehatur honorem, aut dignitatem assequatur ad quam aspirat, imo si foret necessum Dæmonis sese dedere potestati, ad consequendum intentum, non omitteret congitionem, prouti maledictus ille Iulianus Apostata Romanorum regnorum acquisitione fecisse legitur. Cum igitur ambitiosus, pro consequendis honoribus quos desiderat, mille committat scelera, imo millies sese in Infernum præcipitet, patet euidenter, quod illius ad honores ascensus, non ascensus, sed præcipitium potius sit appellandus.

S. Ioseph Heb. Antiq. l. 7. c. 14.

12. Seuerus Sulpitius de ea viuendi ratione loquens, quam Sanctus Martinus Episcopus Turonensis, postquam consecratus esset sectabatur, ita loquitur: *Iam vero sumpto Episcopatu, qualem se quantumque præstiterit, non est nostræ facultatis euoluere.* Magna igitur & incredibilia oportet esse opera illa, quæ Sanctus Martinus pedum pastorale administrans patrauit; quod magnus hic author illa explicare non possit, vel præsumere non ausit. Audite igitur quid ille subiungat: *Idem enim constantissime perseuerabat, qui prius fuerat.* dum scilicet priuatus viueret. Hoc est quod Seuerus Sulpitius explicare nesciebat, neque poterat. Magna enim inaudita, & incredibilis quasi res est, & in paucis notata, ideoque de illa pro sui dignitate loqui, aut tractare diffidebat. Communiter enim videtur, quod honores mutent mores, hominesque in cathedris sedentes diuersissimos esse à semetipsis deorsum in humiliori scilicet conditione constitutis. Qui enim antea humilis erat, postea se in alto loco collocatum conspiciens, superbus euadit; Qui erat abstinens & sobrius, fit per lautarum mensarum occasionem gulosus. Qui liberalis erat, postea nouas contrectando diuitias, ex cupiditate easdem adaugendi, auarus redditus; & per centenas metamorphoses alias conspicitur transfiguratus. Adhæc variorum negotiorum moles, quæ cum dignitate semper noscitur esse coniuncta, efficit, vt deuota primææ vitæ exercitia totaliter deserat, eorumque prorsus obliuiscatur. Atque ita clare & euidenter videtur, talem nequaquam euectum, sed deiectum, nec sublimatum esse, sed præcipitatum; denique qui antea Cælo adeo videbatur vicinus, vt eosdem quasi contingeret, postea ipsis inferorum portis aduolutus & proximus esse conspicitur.

Seuer. Sulpit. in vita S. Martini Dial. 1. c. 7.

CONSIDERATIO III.

Possumus.

Nemo quoadusque viuit, præsumere seque de salute propria assecurare debet, quippe qui in continuo sui ipsius perdendi versatur periculo.

1. QVando Filii Zebedæi, quorum sollicitatio, vti cum Authore operis imperfecti deinceps dicemus, honoratas Paradisi dūtaxat spectabat sedes, sequens hoc Christi audiuêre responsum: *Potestis bibere Calicē quē ego bibiturus sum?* ipsique ad martyrij epotandum Calicem promptos se offerentes dixerunt: *Possumus.* Tunc vti ego quidem mihi persuadeo, iidem de postulato fauore obtinendo totaliter se credebant esse securos, ipsumque iam Cælū suis videbantur tenere in manibus, atque in hunc fortassis modum secū rationabantur: Nobis honoratiora cælestis gloriæ postulantibus loca

loca; mox ipse respondit, ad ea loca possidenda omnino requiri, vt calicem exhauriamus martyrij: cum igitur nos illud generosè toleraturos nos esse confidamus, nec ipse aliud pro nostro scopo obtinendo requirat, euidens est, nos Paradisum iam veluti in manu nostra positum tenere, nec possibile esse vt nos spes nostra fallat. Veruntamen dum Christum in hæc verba replicantem audirent: *Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis.* q. d. Quantumuis ad tolerandum martyrium vltronei sitis & resoluti, non tamen ob id de postulato vestro impetrando esse debetis securi: ad horum inquam sonum verborum credo quod omnem quam de gloriæ securitate conceperant fiduciam, ex animis suis deposuerint, & modo longè diuerso ratiocinari inceperint. Vnde necessarium valde nobis elicere licet documentum, videlicet quod quoadusque in hac mortali vita degimus, nullus nostrum tametsi sanctus, altissimisque meritis præfulgidus, præsumere, aut se de propria salute assecurare possit, aut debeat, sed potius in continuo illam perdendi, & damnationis reatum incurrendi periculo viuendum sit.

2. Postquam S. Petrus in conspectu & præsentia totius Apostolici Collegij Christi confessus est Diuinitatem, ipsum Dei viui & veri appellando filium, tantum per cõfessionem illam est promeritus, vt Christus manibus ipsius mox cælum ipsum consignarit, atque etiamnum in terris mortales viuentem, proclamarit beatum: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis &c.* Matth. 16. v. 17. Eodem vero prorsus tẽpore in discursu Christi mentio incidit de morte & passione quam ipse in Ierusalem erat passurus: Vnde S. Petrus, vtpote qui Dominum suum amabat vehemẽtius, hunc Christi sermonem audiens, amoroso prorsus affectu commotus, Dominum suum hunc in modum mox alloquebatur: Nequaquam tibi O Domine ita eueniet, sicut dixistis, quin potius Deo auspice, prorsus confido fore, vt lætum semper & prospero in statu te videam, non vero passionibus & morti subiectum. Quibus verbis Christus ad iracundiam valde concitatus, eidem Apostolo dixit: *Vade post me Sathana: scandalum es mihi.* Ibid. v. 23. q. d. Apage sis ab oculis meis ô Dæmon, quia valde me scandalizas.

S. P. Augustinus factum istud considerans, præ stuporis, quo corripiebatur, excessu, quasi extra se raptus, dicit: *Petrus Sathanas? vbi sunt illa verba; Beatus Simon?* S. Aug. ser. 144. de Tempore. q. d. Itane? S. Petrus Dæmon dicitur? Nunquid hic iam iam beatus proclamatus fuit, haud aliter quam si inter cælites immortalis viueret? quomodo igitur idemmet eodem prorsus tempore appellatus est Sathanas, veluti si iam condemnatus esset in infernum? Quid sibi vult istud? Respondet ergo S. Doctor: *Ecce quomodo alternabat anima discipulorum, quasi ex ortu & occasu; modo stabat, modo iacebat, modo illuminabatur, modo tenebrabatur.* Ecce in quam stupendis Apostolorum animæ conspiciebantur constitutæ vicissitudinibus, qui modo sancti erant, mox vero peccatores; qui nunc erant Angeli paulopost Dæmones fiunt, cadere cernuntur, qui paulo ante in pedibus stabant erecti, qui nunc diuinæ gratiæ luce sunt circumdati, paulo post videntur periculo tenebrarum æternæ damnationis circumfusi; atque eodemmet tempore quo consistebant in cælis, proximi atque vicini esse conspiciuntur inferis. Vix S. Petrus incarnati verbi lingua fuerat beatificatus, cum ecce subito Sathanas fuit proclamatus: *Vade post me Sathana.* Id quod ideo haud dubie ita accidit, vt innueretur, quod si Apostoli quoadusque viuebant esse non poterant de æterna sua salute securi, vtpote qui nunc se in cælo, mox extra cælum constitutos esse conspiciebant, nemo alius absque insigni temeritatis nota de præmio cælorum quoadusque in terra istam mortalem vitam degit, præsumere poterit, sed anceps potius semper esse debebit & ambiguus.

3. S. Ezechias Rex, cum esset infirmus, atque vicinæ sibi mortis commonitus, ad Deum deuote conuersus, hunc in modum preces suas ad Deum direxit: *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.* Isa. 38. v. 10. Qui scripturæ locus satis est difficilis, ideoque absque bona quadam ponderatione minimè prætereundus. Sciendũ itaq; est, Ezechiam

Ezechiam Regem, qui hæc cum Deo verba loquebatur, tantæ fuisse sanctitatis hominem, vt die quadam ad iustificandum totius vitæ suæ opera, coram Diuina illa tremenda maiestate non erubuerit dicere:
Ibid. n. 3. *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim*, q. d. Obsecro te Domine, vt reminisci digneris, quanta cum sanctitate dies ego meos transegerim, & qua ratione opera mea disposuerim. Mihi firmiter persuadeo, nullam vnquam è mente elapsam esse cogitationem, aut verbum de ore meo fuisse egressum, aut manibus meis aliquod vnquam facinus fuisse patratum, quod vllam coram diuinis oculis tuis parere potuerit offensam. O ingentem regis huius sanctitatem; Neque enim credere vllatenus possum, aliquem in mundo hominem reperiri adeò sanctum atque perfectum, qui quantumuis, puritatis conscientiæ suæ optime sit conscius, plus aliquid dicere possit ab eo, quod ille dixit. Hoc igitur supposito quæro: Quodsi Ezechias rex tanta semper cum puritate, & vitæ sanctitate vixerit, cur igitur ad portas inferi sibi eundum esse dicit? Scelerati vadunt ad portas inferi, sancti vero & iusti, quos inter ille erat, ad cæli portas se recipiunt.

Hugo Cardinalis pro nodi istius solutione pulchram quandam in medium adfert considerationem; sapienterque notat Regem Ezechiam non dixisse, sibi omnibus diebus vitæ suæ eundum esse ad portas inferi, sed tantum in dimidio dierum vitæ suæ; *In dimidio dierum meorum*, per hoc enim insinuat, quod altera dierum suorum medietate ad cœli portas concedere debeat:
Hugo Car. ibid. *Dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi, supple; Et in alio dimidio ad portas Cæli*, quasi dicere voluisset non sum semper iturus ad infernum, sed nec semper quoque ibo ad cælum, sed nunc ad infernum, modo vero ad cœlum me recipiam. Non desperabo quidem, sed neque nimiam mihi salutis meæ securitatem pollicebor, idque vt per hoc innuatur, quod cum ille homo adeo sanctus & innocens existens, qui nihil vnquam in tota vita sua commiserat, quod aliquam sui mereretur repræhensionem, huiusque rei testem Deum ipsum inuocare ausit, nec tamen propterea se quicquam de salutis suæ securitate iactare, aut de cælestis beatæque gloriæ præmio assecurare aut præsumere possit; neminem quoque aliorum hominum, qui in hac terra sit & viuat, de cælesti palma obtinenda vlla ratione securum esse posse, cum semper in periculo amittendæ salutis, & reatus æternæ damnationis contrahendi remaneat, tametsi ad instar angeli cuiusdam vitam duceret.

4. Cum Christus præter duodecim Apostolos, septuaginta quoque duos elegisset discipulos, priusquam eosdem ad disseminandum Euangelium per orbem disspergeret, primo eosdem, qualiter in via se haberent, instruere voluit. Inter alias vero quas ipsis præscripsit regulas, vna fuit, ne videlicet iter faciendo aliquem per viam salutarent: *Neminem per viam salutaueritis*. Quod Luc. 10. v. 4.
præceptum primo intuitu, bonorum motum regulis aduersari videtur, qui tamen, vt fert communis omnium opinio, insignis quædam pars sunt sanctitatis. Vnde videtur verbum incarnatum discipulos suos contra solitam siue consuetam ciuilitatem erudire voluisse; neque enim cuiquam dubium est, quin prohibere impertiri salutem ijs, qui nos obuiando salutant, malis merito moribus attribui debeat.

S. P. Bonauentura hunc locum considerans ita dicit: *Hoc autem iniunxit Dominus, non ad declinandum affabilitatis indicium, cum ipse fuerit benignissimus & curialissimus.* Sed sub huiusmodi loquendi exteriori cortice ingens quoddam abscondere voluit sacramentum. Christus enim, inquit sanctus ille Cardinalis, dicendo: *Neminem per viam salutaueritis*, dicere volebat: *Nō saluum dicatis, cum adhuc damnari potest, quamdiu est in via.* Nolite hominem quemcumque de propria sua certificare salute, quam diu in hac mortali vita degit, quoadusque enim hic viuimus æternæ damnationis periculo semper subijcimur.
S. Bonau. ibid.

Notate illud Ly (*Neminem*) Neminem, inquam, quisquis ille tandem sit, quantumcunque etiam fuerit sanctus & perfectus, imo tametsi vos quoque sanctitate præcellat, donec hac in terra vixerit, & conuersatus fuerit, saluum appellare audeatis, vtpote qui

qui in continuo perditionis semper versatur periculo: *Cum adhuc damnari potest, quamdiu est in via.* Valde se Nauclerus ille ignorantem ostenderet, qui in mari à ventorum impetu procellarumque furia agitato, atque crudelium piratarum multitudine infestato existens, saluum se tamen crederet, omnisque periculi securum. Postquam autem in portu appulerit, & coniectis in mare anchoris, ligatisque in terra funibus nauim suam stiterit, tunc pridem iure merito dicere poterit. Nunc ego sum saluus: Cæterum quoadusque in mari nauigat, tamdiu quoque dubitet & timeat, necessum est.

5. S. P. Gregorius illa Dauidis verba. *Potum meum cum fletu miscebam* diuina quadam cum subtilitate explicat. Supposito enim quod verba illa, tametsi Dauidis sint ore prolata, à Christo seu in eius persona vere dicta sint, hunc ijsdem verbis attribuit sensum: *Potum Domini cum fletu temperare est alios ab exterioribus introrsus trahere, alios ab interioribus ad exteriora reprobare.*

Ps. 101. v. 10.

S. Greg. Moral. lib. 25. c. 8.

Pro qua sancti Doctoris ponderatione melius intelligenda, notare oportet, quod id quod nos bibemus, Aquam verbi gratia quæ foris est in nos intromittamus: cum vero postea lachrymamur, contrarium omnino faciamus, lachrymas enim quas intus habebamus foras emittimus. Atque hoc est, inquit magnus ille prædictus Pontifex, quod Christus quotidie facit. Sicut enim multæ reperiuntur animæ, varijs sceleribus onustæ, quæ procul à diuinæ gratiæ statu, & extra Christum viuunt, quos benignissimus Saluator noster consueta sua benignitate intra se quotidie attrahit, easdem à peccatis conuertendo, sibique illas reddendo intimas atque familiarissimas: Ita quoque alijs quibusdam cum animabus econtrario agit, quas licet intra ipsum veluti intime viuant, hoc est ipsius amicæ & dilectæ existant, atque in gratia sua viuentes, in cordis sui centro sint repositæ, mox tamen vt mortaliter peccant, ad instar lachrymarum extra se pellit, despicit, reprobat, atque contemnit. Idque ad innuendum, quod tametsi homo aliquis varijs sit onustus sceleribus, sine Deo, atque à diuinæ gratiæ statu procul remotus vitam degat, desperare tamen minime debeat, quasi in gratiam Dei redire, aut eius fieri amicus nunquam possit. Item quod tametsi alius in diuina gratia se constitutum intimum & familiarem æternæ maiestatis amicum omnibus virtutibus exornatum, atque ad tertium vsque cælum eleuatum esse conspiciat, per hoc tamen de sua salute securus esse minime debeat quoadusque enim viuit, in continuo perseuerat periculo, vt foras pulsus reprobetur & condemnetur: *Potum meum cum fletu miscebam*

6. Confirmemus Doctrinam istam per locum quendam pulcherrimum ex Euangelio S. Matthæi petitum, hic enim de discipulo traditore, quando deserta cæterorum condiscipulorum suorum societate ad inchoandam conceptam Dei ac Domini sui nefandam proditionem, foras abijt, sermonem instituens, ita factum istud recensere incipit: *Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariothes, ad Principes sacerdotum &c.* S. Pater Ioannes Chrysostomus, ly *Tunc* diligenter considerans, longam super eodem facit reflexionem, acuteque idipsum ponderat dicens: *Nec enim illud tunc inaniter Euangelista monstrauit; nec enim simpliciter abijt, sed addidit, & tunc: Tunc inquit abijt.* Quid igitur illud ly *Tunc* significat, cum discessum Iudæ Euangelista describere non potuerit, nisi aduerbium illud præmitteret?

Matth. 26. v. 14.

S. Chrysost. serm. de prodit. Iuda.

Diuineque respondet: *Paulo ante meretrix subito pudica processit, & profundis obruta peccatis, portum serenitatis agnouit: & quando prostituta lupanar exiuit, tunc discipulus gehennam intrauit. Non ergo videndo mulierem, de tua liberatione desperes sed & Iudam cogitando, non debes esse securus.* S. Matthæus Iudæ proditionem proferre volens, non ob aliud mysterium ly illud *Tunc* præmittere voluit quam vt per hoc ostenderet, quod tunc, idest, eodem tempore quo Maria Magdalena publica meretrix è lupanari egressa, atque inter diuinæ gratiæ amplexus benigne recepta fuerat, Apostolum quendam damnatum atque æternaliter fuisse deperditum, ad significandum per hoc, quod sicut, dum publicam aliquam meretricem tot peccatis onustam,

nustam, videmus tanta cum pietate à Christo fuisse receptam, atque in cælum introductam, mox inde colligimus nobis nequaquam de salute nostra desperandum esse, quantumcunque fuerimus scelerati. Ita videntes eodem prorsus tempore Apostolum quendam damnatum, tametsi ad instar Apostolorum sancti fuerimus atque perfecti, de salute nostra neutiquam esse debeamus securi, eo quod non minus quam Iudas in continuo versemur perditionis periculo; nullus etenim in hac vita est, qui dicere absolutè possit; Ego certò saluabor.

7. Eo tempore quo S. Prothomartyr Stephanus crudeli saxorum imbre perpluebatur, instante iam morte, cum cæli aperti essent, eiusdemque portis Christus Dominus noster vt eius iamiam è corpore migraturam exciperet animam, eandemque in beatis cælorum collocaret sedibus, assisteret, ipse eleuatis in altum oculis, Christum hunc in modum precabatur: *Domine IESV suscipe spiritum meum.* q. d. Dulcissime IESV pro cuius amore crudelissimè, vt cernis lapidibus obruor, & sanguis hic meus copiose spargitur, te precor, vt animam meam in supernam patriam tuam recipere digneris. *Act. 7. v. 59.*

Idem met S. Doctor hæc Stephani verba accuratè considerans, ex eodem Prothomartyre hunc in modum quærit. Quamobrem ô gloriose Christi athleta mortem tibi tanta cum velocitate accelerari à Domino tuo expetis? cur eousque non præstolaris donec illi eam tibi submittere complaceat? Fortasse pro maiori mundi vtilitate ad magis accumulandum merita tua Deus vna cum diebus tuis, tua quoque tibi prolongare tormenta disposuit. Os illud Chrysostomi aureum sanctum Diaconum introducit hunc in modum respondentem: *Quamdiu enim in hoc sum mortali corpore circumseptus pertimesco: quamdiu terrenam hanc gesto carnem formido, ne post labores amittam labores.* *S. Chrysost. in paneg. tract. 15.*

Quasi diceret; O Chrysostome quid ex me quærere niteris? Cur ego Dominum meum, vt ex hac me vita eximat, non deprecer? Nunquid vides quod donec carne ista fuero circumdatus in continuo dego timore dubiusque sum & ambigius ne omnes toleratos totius vitæ meæ perdam labores? forasque è cælesti patria proscriptus semper & exclusus remaneam. Vbi notandum, quod dum sanctus Prothomartyr hunc in modum sermocinabatur iam de facto Cælum, vti audistis, apertum est vt illum reciperet & beatificaret. Et tamen nulla huius habita ratione, se nondum de sua salute censebat certificatum, prorsusque securum, verum in illo quoque breuiusculo vitæ momento, quod reliquum illi erat, dubitabat ac verebatur, ne forte perderetur damnareturque. Id quod nobis innuit, quod tametsi Christianus de facto rectas ad cælum vias ac semitas inambulet, & absoluto iam fere itinere seu peregrinatione in proximo sit, vt in beata illa patria paulo post lætus recipiatur, attamen quoadusque vitam hanc agit mortalem, de sua adhuc salute anceps debeat dubitare, siquidem in continuo adhuc illam in vnico momento perdendi viuit periculo: *Quamdiu terrenam hanc gesto carnem, formido, ne post labores amittam labores.*

8. Ordinauit S. mater Ecclesia, vt sacerdos Missam celebrans Dominicam orationem ea voce recitet, quæ ab omnibus circumstantibus facile possit intelligi, postquam autem illam vsque ad *Amen* produxit illud secrete recitari præcipit: *Sacerdos secretè dicit Amen.* Quamobrem dictio illa secreto dici debet, & non elata claraque voce, quali prolata & dicta fuerant verba præcedentia. Ratio huius ex eo desumitur quod dicit Doctor Seraphicus hanc Cæremoniam attentius considerans: *Matthæus orationem terminat in liberatione ab omni malo pœna, ideo finit dicendo Amen, ad indicium certitudinis. Sed quia quamdiu hic sumus, ad hanc certitudinem non peruenimus, ideo tacitò dicitur & submisse à sacerdote* q. d. Quia S. Matthæus orationem Dominicam, quam Christus Apostolos suos docuit, scribens, in hæc *Missale Rom.* *S. Bonau. in cap. 11. Luc.*

verba.

verba eandem terminat: *Sed libera nos à malo*, eiusdemque mali nomine tam huius vitæ malum, quam quod post hanc vitam in inferno nos manet, intelligit; ac tandem eandem orationem finit dicendo, *Amen*, quod in latino sermone idem est quod *veritas*, aut vero *firmum sit*, & postulatæ gratiæ certitudinem indicat & securitatem, ideo ne fortasse fideles hæc verba audientes, sibi forte persuadeant, fieri posse, vt futura inferni mala, quamdiu in hac mortalitate vitam degunt, euadere, certo secureque ac infallibiliter possint, adeoque deciperentur, siquidem eiusmodi nostræ salutis certitudo in hac vita haberi nequaquam possit; Ideo sancta Ecclesia sacerdoti præcepit, vt *Amen* istud secrete pronunciet. *Secretè dicat Amen*, ne videlicet populus dictionem illam intelligat, vt hac ratione semper quoadusque viuitur, omnes fideles quod animarum suarum attinet salutem dubij semper remaneant, siquidem nulla illius in hoc mundo quacunque tandem via homo peregrinationem vitæ præsentis instituat, certitudo aut securitas haberi possit, cum in continuo semper versemur æternæ damnationis periculo: *Quamdiu hic sumus ad hanc certitudinem non peruenimus.*

SERMO XVI.

In Feriam V. Dominicæ II. Quadragesimæ.

Homo quidam erat diues.

Lucæ 16.

1. INter cætera, quæ prophani scriptores recensent priscorum temporum mirabilia, primum locum labyrinthi obtinent, machinæ profecto admirabiles, imo prodigiosæ, sempiternaque memoria dignissimæ, idque non tam ob fabricarum duntaxat ingentem magnitudinem, aut pulchritudinem formæ, quam ob nouam ingeniosissimi artificij inuentionem. Siquidem tali erant ordine confusi, talique confusione ordinati, vt quacunque quis intrare vellet patulas sibi semper portas inueniret, cum tamen ad egressum nec fores paterent, nec semitæ, quibus foras egredi quis posset. Porro in Euangelio præsenti tres quoque similes machinæ descriptæ esse videntur, videlicet Auaritia pro diuite; pro iusto tribulatio; & Infernus pro damnato. In quibus veluti tribus labyrinthis intricatissimis, quantumuis facilis pateat accessus, recessus tamen siue exitus admodum est difficilis, imo & impossibilis. Diues Epulo labyrinthum ingreditur Auaritiæ: *Homo quidam erat diues*, verum vt inde egrediatur, nullam sibi vspiam inuenire semitam potuit, siquidem obstinatus mortuus est & incorrigibilis, sicuti & vixit: *Mortuus est diues.* Lazarus labyrinthum ingressus est tribulationis: *Erat quidam mendicus nomine Lazarus*, qui donec vixit nullibi vel ad vnius horæ prosperitatem viam sibi patulam inueniens, mortuus est etiam sicut

vixit mendicus: *Factum est autem vt moreretur mendicus.* Denique labyrinthum inferni ingressus est diues iam condemnatus: *Sepultus est in inferno*, Vbi absque vlla spe exitũ aliquem inueniendi remanebit in æternum. Tres hi labyrinthi in tribus considerationibus sequentibus vobis exhibebuntur perlustrãdi, & peruidendi, & primo quidem Auaritia.

CONSIDERATIO I.

Erat diues.

Auaritia veluti labyrinthus quidam, vitium est quodammodo incorrigibile: quisquis enim in illius inciderit laqueos, exinde nonnisi miraculose extricare se poterit.

2. S. P. Bonauentura existimat diuitem hunc Epulonem, appellatum esse diuitem, non tantum ob immensas quas possidebat diuitias verum etiam ob affectum inordinatum, quo cum easdem acquirebat, & conseruabat, vtpote qui homo esset admodum cupidus & auarus: *Homo iste dicitur diues, non solum propter diuitiarum possessionem sed propter earum dilectionem.* Vt proinde infælicissimus esse debuerit, vtpote auaritiæ in prædam datus: Quotquot enim in vitij illius laqueos incidunt, veluti in intricato quodam labyrintho viam inde egrediendi nequaquam inueniunt, cum potiori ex parte omnes fere moriantur incorrigibiles & impænitentes.

S. Bonauen. in cap. 16. Luc.

3. Pater Basilius cum auaro quodam sermonem instituens, sic illum alloquebatur: *Omnia possides, sed vno & hoc necessario cares.* q.d. O te beatum auare nec enim negari potest, te Dominum esse rerum omnium; vtpote qui omnia possideas, aurum, argentum, gemmæ, pecuniæ, vestes, palatia serui. Equi, possessiones, oleum, vinum, frumenta, & quicquid rerum omnium est in hoc mundo, tuum est; *Omnia possides.* Verum enimuero quid tibi omnia isthæc bona prosunt, quæ habes, quamdiu vnum tibi duntaxat deest, quod tibi valde est necessarium. Verum quidnam obsecro est istud auaro adeo necessarium, quod tamen habere nequit, tametsi omnes alias res possibiles integre possideat? *Potestate videlicet teipsum mutandi.* inquit sanctus Doctor q.d. Nihil tibi, ô auare, aliud deest, quam vt temetipsum in alium quendam mutare possis, vt fieri possis omnino à temetipso diuersus, vt ex duro silice qualis reuera es caro fias: Ex lupo agnus euadat; ex cane homo fias; ac denique ex auaro liberalis ac Eleemosynarius omnia bona possides, hoc vnico duntaxat excepto, eoque ad salutem tuam tantopere necessario, nunquam enim fieri poteris à temetipso diuersus, incorrigibilis es & inemendabilis, ingressus es labyrinthum, è quo egredi nunquam valebis: *Vno & hoc necessario cares.*

S. Basil. serm. 3. de diui. auar.

3. Valde notandum est, quod idem S. Basilius, eodem in loco recenset dicens: *Vidi ego quosdam ieiunantes, orantes; præteritorum pænitentia suspirantes; omnem denique sine sumptu pietatem ostendentes: egentibus vero nec obulum quidem præbentes.* Dicere volebat hic sanctus Episcopus, eiuscemodi personas, instituere quidem potuisse scelerum omniũ alias commissorum seriam & efficacem emendationem, seque pænitentia mediante, in alios ab ijs qui antea erant veluti trãsformare, poterant enim qui luxuriosi fuerant casto fieri, sobrij, qui ante gulosi, quin iracundi mansueti, diligentes qui fuerant pigri. Verum qui cupidi & auari antea extiterant, misericordes & liberales fieri nequaquam poterunt: Omnia namque vitia emendabilia existunt, sola excepta auaritia, cuius laqueis si quis irretitus semel vere fuerit difficulter, ne dicam nunquam, se inde extricabit, aut elabetur; siquidem vitium istud labyrinthus quidam est, vnde nullus vnquam datus exitus. Idem ibi serm. 2.

4. Ioannes Diaconus, S. Gregorij Magni vitam scribens refert, Mauritium Imperatorem indole sua adeo fuisse cupidum & auarum, vt non solum de suo nihil daret, verũ insuper alios quoque eo defraudabat, ad quod dandum ex iustitia obligatus erat, in specie quidem exercitus sui militibus ordinarium abnuendo stipendium, cuius vitij causa cum à S. Gregorio multis fuisset vicibus magna cum libertate repræhensus, inde

tamē nihilo melior effectus, imo indice deterior redditus esset. In somnis nocte quadā Filium Dei vidit, qui indignatus & iratus aduersus ipsum, ministris suis præcipiebat, vt ipsum in enormis auaritiæ suæ pœnam castigarent, & imperiali sua purpura exuerent, ipsumque cum omnibus domui suæ agnatis occiderent, Imperij sui sceptrum autem cuidam militum suorum cui Phocas nomen erat, consignarent.

Postquam autem Mauritius terribile spectaculum istud vidisset, subiungit prædictus Author: *Pœnitentiā tenuit, sed à cupiditatis auaritia vsquequaq; non recessit, vt exercitus in periculosis locis hyemarent, & transito Danubio victum sibi de Sclauorum regione periclitabundi quærerent, ne videlicet alimenta publica manducarent.* Tanta fuit formido, qua Mauritius postquam atrociter adeo sibi comminantem Christum conspexit, fuit correptus, vt de omnibus vitæ suæ peccatis mox egerit pœnitentiam; De auaritia autem illum non tantum non pœnituit, quin quoad illam solito factus est indies deterior; exercitum namque suum publicis & consuetis defraudauit alimentis, ita vt pauperculi milites victum suum publicis cogerentur quærere rapinis.

Io. Diacon. in vita S. Gregor. li. 4. c. 19.

Vbi notare oportet Mauritium Imperatorem de omnibus defectibus suis concipere potuisse Pœnitentiam, omniumque peccatorum suorum carceres potuisse euadere, ab auaritia autem, tametsi tot repetitis vicibus, à tali tantoque Doctore, qualis erat S. Gregorius, fuisset commonitus, imo ab ipsomet ore verbi incarnati ipsius ceruicibus stricto gladio superimminentis, truculentis minis fuisset infestatus, animum suum exsoluere & liberare minimè potuit, Quid sibi vult istud? nisi quod indicium nobis sit, miserum istum confusum quendam, valdeque intricatum ingressum fuisse labyrinthum, è quo postquam semel quis illum ingressus est, vt homo egrediatur, via aut semita prorsus nulla vspiam reperiri valet.

5. S. Zeno Martyr ex abominatione vitij istius, hæc post se verba scripta reliquit: *Inextinguibilis pestis incendio totus mundus exarsit, auaritia, vt putatur, crimen esse desijt.* Vbi singulariter notanda sunt vltima verba, nimirum Auaritia, *crimen esse desijt*, magnam enim secum adferunt difficultatem. Neque enim videtur bene dici posse aut existimari Auaritiam iam deinceps peccatum non esse, vtpote quæ non tantum peccatum est, verum insuper grauius peccatum & scelus enormius, quod ab hominibus vnquam committi possit. Vnde Apostolus, peccati huius considerans turpitudinem, auaritiam appellare voluit peccatorum omnium radicem: *Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Qua igitur ratione sanctus Pontifex dicere potest, quod non sit amplius peccatum: *Crimen esse desijt.*

S. Zeno serm. 1. de Auarit.

1. Timoth. 6. v. 10.

Non dicit absolute quod non sit peccatum, sed quod existimetur non esse peccatum: *Vt putatur crimen esse desijt.* Auaritia vtique peccatum est & quidem grauissimum peccatum, auari autem illam nequaquam iudicant esse peccatum. Quod enim ipsi facultates suas tenaciter conseruent, quas licitè possident, quod easdem ingenti cum proximi præiudicio & detrimento adaugeant: quod pecunia ipsorum enormiter fœneratur & fæcunda fiat, quod pauperi præ fame emorienti non succurrant, ne vel vnicam etiam panis micam eidem dando, hæc omnia auarus putat non esse peccata: *Vt putatur crimen esse desijt.* Notandum autem, peccatum aliquod in tantum emendabile æstimari & corrigibile, in quantum verè peccatum esse cognoscitur. Estque hoc imprimis certissimum, vnde per necessariam consequentiam consequitur, auaritiam verè incorrigibile peccatum esse, siquidem auari illam peccatum esse non amplius credant. Vnde S. Zeno optime dicit, illam esse pestem inextinguibilem, pro qua extinguēda, atque ab eorum hominum, quos semel inuasit, cordibus auellenda, nullum inueniri potest remedium. *Inextinguibilis pestis.*

6. Cum Deus Prophetis suis licentiā dedisset prædicationis causa eundi quocūque liberet, solam ciuitatem Geth excepit, eo quod nulla esset ibi spes alicuius profectus: *Quia desperata est plaga eius, quia venit vsque ad Iudam, tetigit portam populi mei vsque ad Ierusalem, in Geth nolite annuntiare, lachrymas ne-*

Mich. 1. v. 10.

ne sudatis. q. d. Morbus quo Geth laborat, adeo est grauis & magnus, vt censeatur desperata & à Medicis derelicta. Vnde nõ est necessum, vt eo prædicatũ eatis, nihil enim per hoc aliud faceretis, quam quod pretiosi temporis per hoc pateremini iacturam, & tametsi coram illa plangeretis, in cassum tamen hoc totum foret, *quia desperata est plaga eius.*

Quænã, obsecro, aut qualis fuit illa ciuitas adeo incorrigibilis, & inemendabilis, vt nullam haberet salutis suæ spem reliquam? Ciuitas erat auarorum, inquit S. P. Antonius de Padua, qui hanc opinionem suam ex huius nominis Geth interpretatione colligit, quod latine idem significat quod *Torcular*, Auari enim, inquit sanctus *tanquam torcular opprimunt & emungunt pauperes & inopes, eos* solita sua crudelitate deprædando & spoliando omnibus quas possidere possunt facultatibus. Hoc igitur supposito, subiungit S. Antonius: *Istis nec tuba prædicationis debemus annuntiare nec Lachrymis plorare: quia nec tuba cordis duritiem flectere, nec lachryma ignem auaritiæ valent extinguere.* Non ob aliud Deus noluit, vt prædicatores sui irent ad prædicandum auaris, quã quia morbus eorum sit irremediabilis, vt proinde admonitiones & prædicationes hominibus similibus propositæ, sint veluti verba in ventum dispersa. Et tametsi prædicatores vocẽ haberent tuba elatiorem, magisq; sonoram, nunquam tamen ad emolliendam cordis eorum duritiam præualerent, imo licet integra coram illis effunderent lachrymarum flumina, nunquam tamen illorũ extinguerent incendium, Auaritia enim malũ quoddã est omni prorsus carens remedio, & pestis quæ nunquam valet extingui. *Inextinguibilis pestis.*

S. Anton. de Padua, dom. 23. Trinit.

7. Sanctus Mediolanensium Archiepiscopus optime notat, quod Iosue ob admirabiles suas virtutes, tantam habuerit in verbis suis vim & efficaciam, vt dum die quodam soli loqueretur, eidemque vt cursum suũ sisteret, præciperet, à sole non tantum audientiam sed & perfectã obtinuerit obedientiam. Cum vero in vrbis Ierichuntinæ inuasione militibus suis mandaret, ne vllus illorum quicquam de facultatibus ciuitatis illius taperet, non solum nullam milites illi Iosue detulerint obedientiam, sed nec audire eum sustinuerint? *Iesus Naue, qui potuit solem sisteret, ne procederet, auaritiam hominũ non potuit sistere, ne serperet. Ad vocem ipsius Sol stetit, auaritia non stetit.*

Iosu. 12.

S. Ambros. lib. 2. de offic. c. 26

Ingens profecto hoc est prodigium. Creatura quædam omnis expers sensus, cuiusmodi Sol est orbatus sensibus, & carens auribus, magni athletæ illius nihilominus vocẽ exaudit, adeo ingens & miraculosa erat sermonis eius efficacia: auarus autem intellectu præditus & sensu non obedit illi, nec eũ audit? Quid de simili persona dicemus? quã emendationis suæ subsecuturæ spem in illo habere poterimus? cuinam patulas præbebit aures, si illas ad eius verba reclusas teneat, qui ab illis rebus est auscultatus quæ auribus sunt destitutæ. Reliquũ igitur est, vt habeatur veluti incorrigibilis, omnique labyrinthum hunc egrediendi spe destituta.

8. Balaam vir valde auarus à Balac rege iuncta ingentis pecuniæ promissione rogatus, vt populo Dei malediceret, Deum primo hac super re consulere voluit, qui eidem absolutè præcepit, vt ab hoc conatu suo desisteret, eo quod populus iste à nemine maledici posset, vtpote qui à Diuina sua Maiestate esset benedictus. Balaam hoc Dei responso accepto, regios mox legatos, qui vt ipsum deducerent aduenerant, dimisit. Quos postea subsecuti sunt alij, eundem pro eodem fine interpellaturi, quos ille morari nonnihil iussit, donec negotium istud cum Deo iteratò communicaret, sicuti prius quoque fecerat: *Obsecro, vt hic maneatis etiam hac nocte, vt scire queam, quid mihi rursus respondeat Dominus.* Sistamus hic paulisper, neque enim admirari satis possum hominis illius importunitatem. Quidnam est quod Magnus ille prætendit per hoc quod de nouo Deo molestiam creaturus redeat, nunquid illi sufficere poterat id quod Deus illi prima vice responderat, scilicet ne iter illud pro quo faciendo rogabatur perficeret, vt proinde responsum istud sibi iterato à Deo repeti voluerit? Respondet Origenes: *Iterum requirit, iterum molestus est, & iterum cupit audire: non enim facile cupidus mercedibus caret.* Tametsi Balaam id, quod Deus prima vice responderat, bene percepisset: quia

Num. 22. v. 19.

Orig. ibid.

quia tamen per illius occasionem itineris, loculos suos farcire sperabat, vtpote qui animo erat cupido, valdeque auaro, acquiescere primo responso nequiuit, sed quia ad eundum valde propendebat, ad molestandum Deum de nouo reuertitur, vt pro danda sibi abeundi licentia eundem interpellaret. Proprium est auarorum, vt dum lucri alicuius capessendi spem habeat, omittere non possint, quin illud reipsa acquirant, tametsi ipsemet Deus ore suo proprio contrarium præcipiat. Consulatur nonnemo ex Patribus Confessarijs à quodam mercatore, de lucro aliquo quod manibus suis inique inuolare contendit, & is tali respondeat: Fieri id licite nequaquam posse, videbitque tot tantasque post tale acceptum responsum fieri instantias, & replicas, vt multis illi diebus futurus sit molestus, caputque eius mirum quantum turbaturus: *Non enim facile cupidus mercedibus caret.*

9. Id vero quod in isto scripturæ loco ad hanc nostram considerationem quam maxime pertinet, est illud, quod obseruat Origenes; videlicet, quod tametsi Deus prima vice iter illud ingredi Balaamo vetuerit, secunda tamen vice id faciendi illi plenã licentiam indulserit, dicens: *Si te vocauerint homines isti, surge & vade cum eis.* Num. ibid. v. 20. Mira profecto res est, quod Deus mago huic iter istud indulserit? aut quod eundem in præcipitium suum abire permiserit? aut denique quod eundem solita pietate sua ab huius executione sceleris non impedierit? Adamantius rationem istius hanc assignat dicens: *Voluntati quidem cupiditatis eius cedit Deus, vt impleatur illud quod scriptum est: Dimisit eos in desideria cordis eorum.* Orig. ibid. Quasi tũc Deus ingens aliquod cum Barlaami auaritia inijsset certamen, quando enim Deus ex vna parte prohibebat ne Balaam pro negotio isto abiret, auaritia altera ex parte illum ad maledicendum abire præcipiebat, tandem in cupidi hominis istius corde adeo præceptum præualuit auaritiæ, vt Deus in eodem nihil prorsus obtinere valuerit, sed cedere coactus sit: *Voluntati cupiditatis eius cedit Deus.* Qua in re Deus se ad instar Medici habuisse videtur, qui postquam per artis suæ efficaciam cum morbo multo tempore quasi decertauit tandem malum præualuisse & irremediabile factum esse conspiciens de salute corporis desperans, cedit morbo & infirmum deserit. Ita enim Deus quoque cum auaro facit, dum enim nullum inuenit remedium, quo à lethifero suo morbo illum sanare possit, tandem illum deserit, eumque velut incurabilem, omnique emendationis spe destitutum, in sua perditione derelinquit: *Voluntati cupiditatis eius cedit Deus.*

10. Durandus opera creationis quintæ diei considerans, quia Deus ex aquis pisces creauit & aues, illos aquarum profundo relinquens immersos hac vero in aëre sustollens, prouti sancta canit Ecclesia:

Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti
Partim leuas in aera.

Durand. Diuin. offic. lib. 6. c. 13.

Per aues sanctos & spirituales homines intelligit, qui à bonis transitoriis ac terrenis eleuati in cælis habitare videntur, quãtumuis corpore conspiciantur in terra; *Per pisces autem* cupidos & auaros homines intelligit: *Per pisces intelliguntur cupidi, & auari, qui in fluxu cupiditatum huius mundi delectantur.* Cum igitur verum sit, sicuti est verissimum, quod auari, piscibus similes existant, consequens est, quod sicuti piscibus impossibile est ex aquis foras egredi & vitam saluare, ita quoque impossibile sit auarus diuitiarum suarum aquas, quacunque tandem illæ ratione sint acquisitæ salua ipsorum vita deserere. Donec igitur viuunt in tali variarum obliquitatum labyrintho perpetuo tenentur inclusi, ve euadere eundem nequaquam possint. Sola duntaxat mors, quæ omnibus illos bonis spoliat atque denudat, ex hoc labyrintho illos valet eripere.

11. Rauennatum Archiepiscopus S. Petrus Chrysologus considerans verba illa, quæ diues Epulo in inferno existens Abrahæ Patriarchæ dicebat, eũdẽ rogãs, vt Lazarum de cælo dignaretur dimittere, qui intincto in aquã digito, aliquod linguæ suæ conferret refrigeriũ, vtpote in qua inter medias flãmas plus quã in alijs corporis partibus vrebatur: *Pater Araham miserere mei, & mitte La-* Lu. 16. v. 24.

Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, illa præcipuè verba graviter ponderat: *vt intingat extremum digiti sui in aquam* Vnde pulchram efformat consequentiam, dicens: *Ergo iuxta te est aqua & si iuxta te est, quare de proximo non sumis? Quare? quia vinctæ sunt manus tuæ.* Non petit vt Lazarus de cælo aquam deorsum secum ferat, sed vt veniens digiti extremum in aquam intingat. Ergo ô damnate diues iuxta est aqua etiam in Inferno? Si ita est, cur illam proprijs tuis manibus accipiens te non recreas? Ratio est, quia id facere non potest, quippe qui strictas atque ligatas habeat manus suas, tantam namque in duro isthoc carcere scelera tua promerentur pœnam.

Petrus Chrysol. serm. 122.

Vnde colligitur, quod hoc, quod est habere bonum aliquod iuxta se, eodemque frui & gaudere non posse, malum quoddam & pœna sit ipsiusmet Inferni, quam Poëtæ in Tantalo auaro descripsere. Similem autem Pœnam auarus in hac vita sustinet, miser enim ille diuitiarum suarum aquis immersus, rabida moritur siti, & incredibili plurium diuitiarum acquirendarum desiderio. Armaria habet varijs referta vestibus, & incedit nudus: Granaria habet frumentis onusta, nec manducat, nisi parcissime torquetur igitur velut in Inferno. Idque cum sit verissimum, sequitur insuper, quod sicut pænis & malis inferni nullum adhiberi potest remedium, ita nec auari ærumnis, siquidem viuus pænis subiectus est infernalibus. Vnde in deploranda ac lachrimabili ruina est remediabilis.

12. Quid existimatis Poëtas veteres per Cerberum canẽ significare voluisse, quando illum ingens quoddam finxerunt esse monstrum, ad inferni introitum collocatum, quod introeuntibus solebat applaudere, ijsdemmet vero horrendum se exhibebat & terribile egredi tentantibus, quibus pedem suum ex inferno alibi figere minime permittebat; quid enim per hoc aliud significat nisi hoc solum, de quo in præsenti agimus?

Natalis Comes hanc fabulam iuxta sensum allegoricum exponens ita inquit: *Cerberus est auaritia & cupiditas diuitiarum, quæ aduenientibus opibus blanditur, sumptibus vero vel necessariis tristatur.* Monstrum istud horrendum nihil aliud quam auaritiam significat, quæ haud aliter quam Cerberus quidam, sicut acquisitas diuitias in auari domũ cum gaudio admittit, ita ingenti cum mærore & tristitia illas per adhibendos sumptus abire permittit, etiamsi ad proprium vitæ vsum, aliaque necessaria curanda id necessario requiratur. Eligens potius vt auarus moriatur fame, quam vt minutum adhibeat denarium pro comparando dimidio pane. Vnde liquet, quod dum diuitiæ in auari domum ingrediuntur, in eandem veluti in Infernum quendam intrent vnde deinceps exire nunquam possunt. Quam igitur de salute ipsius spem habere poterimus, siquidem non solũ nõ potest modicã quãdam facere Eleemosynam; sed neque restituere aut reddere potest, quod pro facultatum suarum incremento continuis vsuris aliisque latrociniorum generibus hominibus eripuit.

Natalis Comes Mythol. li. 10.

13. Qui in primitiua Ecclesia fidẽ Christi profitebantur, omnia quæ possidebant solebant vendere, illorumque pretium pro egenorum subsidio Apostolis consignare. Contigit autem, quod vir quidam dictus Ananias baptizatus, aliis sese conformare volens, suam quoque possessionem diuenderet, quia autem auarus erat, dimidiam pecuniæ partem sibi secreto reseruauit, reliquum autem Apostolis obtulit. S. Petrus igitur à spiritu sancto illuminatus fraudem mox Ananiæ cognouit, atque sine vlla cõpassione, gladium linguæ suæ stringens, pauculis quibus illum alloquebatur verbis ipsum emori & ante pedes suos concidere fecit. *Audiens autem Ananias* (inquit S. Lucas hũc casum recensens) *hæc verba, cecidit & expirauit.* Act. 5.

Videri nonnemini posset sanctum Petrum nimio in hoc facto rigore vsum fuisse, siquidem misero Ananiæ pro ista vice merito parcere & non vero illum occidere debuisset, tùm quia hoc primum eius delictũ fuerat, quod omni iure & ratione aliquam saltem ad minus merebatur pietatem, si non totalem condonationem: tum quia per fraternam quandam correctionem debuisset moneri & sic emendare se forte poterat. Vnde ergo factum est, quod adeo subito

ad arma cucurrerit, & vindictæ in illum gladium strinxerit, occidendo illum, cui merito quodammodo debuisset compati.

S. P. Ambrosius dicit S. Petrum illum nentiquam occisurum fuisse, dummodo aliquam saltem futuræ emendationis de illo spem habere potuisset: *Ananiam enim Petrus si potuisset corrigere, non punisset.* Non est credendum Petro defuisse pietatem, & compassionem ad aliena sufferendum peccata, ijsdemque compatiendum, vbi emendationis spem reliquam esse videbat. Quod autem Ananiæ noluerit compati id factum est, quia illum minimè vidit emendabilem, videbat enim quod ex nullo qualicunque remedio quod illi adhiberi vspiã potuisset, possibile esset aliquam salutis elicere restaurationem. Postquam enim auaritia animæ alicuius cœpit possessionem, suasque in corde hominis distendit radices, nullæ iam deinceps ad hominem talem ab errore suo reuocandum valent monitiones, aut correctiones, & quantum apparet, perdita prorsus est spes omnis salutis, quantumuis illam in peccatoribus alijs possimus promittere: *Si potuisset corrigere, non punisset.*

S. Ambr. serm. de S. Alexio.

14. Dum Christus die quadam vtilem valde coram discipulis suis peroraret sermonem, inter alia verba quæ dixit, fuerunt hæc sequentia: *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cælorum.* S. P. Vincentius Ferrerius hunc locum considerans, quærit cur is qui Christo dicit, Domine Domine, ingredi non possit regnum cælorum? Et respondet, quod ad hoc vt quis fiduciam habeat cæleste regnum subintroeundi, necessum sit ly *Domine* adhuc semel repetere, eo quod illud his duntaxat repetitum minimè sufficiat: vnde opus est illud trina vice repetere, atque hac ratione & non aliter homo de propria salute poterit fieri securus. Primum *Domine* dicitur corde: secundum ore: tertium opere. Oportet vt homo credat in Christum, & confiteatur Christũ, quæ sunt duo illa *Domine*, atque insuper iuxta quod credit & confitetur tenetur quoq; operari; Quod si enim duntaxat credat & confiteatur, & postea iuxta fidem & Confessionem fidei non operatur, stulte æternam sibi vitam accipere præsumet.

Matth. 7. v. 21.

Quam autem tertium illud *Dominè* homini auaro sit difficile intelligetur ex eo, quod sanctus Doctor præfatus accidisse recenset. Dicit enim fuisse in Lombardia certum quendam hominem sanctum, qui cũ die quadam in oratione constitutus, raptus esset in spiritu, ductus est ad infernum, vbi certo cuidam Tyranno sibi probe noto ingens quoddam vidit fabricari palatium. Qua de re monitus Tyrannus, sanctum hũc virum interrogauit, quid factu opus esset ad pœnam hanc sibi præparatam euadendam. Cui responsum fuit, tria potissimum hunc in finem sibi esse necessaria videlicet contritionem, confessionem & rerum ablatarum, quas ex cupiditate animi sui instigatus, subditis suis eripuerat, restitutionem. Quod audiens Tyranus subdit idem sanctus, tametsi mox de peccatis suis vehementer doluerit, eademque integerrimè fuerit confessus, tamen ad satisfaciendum de ijs quæ iniq; possidebat, resoluere sese nequaquam potuit,

Vnde inquit S. Vincentius: *Dicebat iste Tyrannus Domine Domine bis, sed non poterat dicere tertium Domine, scilicet satisfaciendo.* Magna cum facilitate is dolere de peccatis suis poterat, eademque confiteri, eorum vero quæ rapuerat restitutionem perfectam facere eidem non erat possibile.

S. Vin. Ferrer serm. 3. Dom. 4. Trinit.

Ratio autem horum omnium est, quia miser ille auaritiæ ingressus fuerat labyrintum, quem qui semel ingressus fuerit, nullam deinceps ad egrediendum viam vel portam adinuenire poterit. Auarus enim alia omnia facile facere poterit; præterquam manum aperire & quod in ea tenet dimittere, & tametsi euidens æternæ damnationis videat periculũ, fortiter tamen illud semper tenebit, quod, iniuste licet, semel acquisiuit: *Non poterat dicere tertium Domine.*

15. Magnus ille magister noster Christus sermonem quendam aduersus auaritiam instituens, atque de difficultate quam auari habent ingrediendi regnum cælorum diuinè discurrens, ita illis consulebat: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.*

Lu. 12. v. 33.

S. Petrus Chrysologus verba ista attendens, pulchrum difficultatis nodum proponit, dicens: *Qui thesaurizantes temporaliter arguebat, ad totius cupiditatis fomitem iubet saccu-*

Chrysol. serm. 25.

sacculos sine fine perquiri, quasi diceret: Qui fit, quod cum Christus auaros semper repræhendisset, iisdemque quam graue malum, omnes dies vitæ suæ, in tot pecuniarum acquisitione earundemque custodia impendendo, committerent, demonstrasset, nunc eosdem insuper ad nouum facultatum & pecuniarum lucrum inuitet & serio cohortetur, & vt se totos omni illi superimpenderent, quod in ipsis alias solebat repræhendere? Et diuine respondet: *Domine tu vidisti, quia in thesauris tota fides, tota spes in sacculis sit auaris, & ideo imputribiles in cælo sacculos vis parari, vt qui te non sequatur ad cælum, sequatur saltem sacculos suos*, q. d. Tu ô benignissime Domine auaritiam vehementer abominaris, non ob aliam causam vis, vt auari æternam suam salutem consequantur per auaritiam, quam quia perspicue vidisti, impossibile esse, vt quis auari manibus loculos eripiat, aut à corde illi* cupiditatis sitim repellat, vtpote qui intricatum labyrinthum, quo tenetur captiuus, euadere nullo modo potest, vnde ne anima talis perdatur, te affectibus suis accomodans, illam sancte deludis, & pie decipis, ideoque vt merum sibi congreget aurum & argentum vt montem sibi pecuniarum construat, easdemque prouti desiderat in locum saluum securumque reponat, dignanter præcipis; Hæc autem securitas nullibi præterquam in cælo reperiri poterit, vbi nullum timetur periculum aut damnum. Ne autem à longioris prolixiorisue viæ labore confundantur, pauperes illis dedisti adiutores, qui illis pro reponendis in cælum thesauris suis opem ferant. Vt cum auari te in cælū subsequi nolint, quia pauperes, per hanc sanctam fraudem delusi suas ad minus sequantur diuitias, quas sursum in cælo conseruatas habent atque repositas. Videte igitur qua ratione auarus in auaritiæ labyrintho intricatus oberret, vt proinde Christus illos inde egredi non posse conspiciens, & tamen saluos esse cupiens, per ipsam quoque auaritiam illos saluet, sed talem quam ex abominabili & prophana, laudabilem prius facit & sanctam.

CONSIDERATIO II.

Erat quidam mendicus.

Semper Christianus subiacebit tribulationibus, quamdiu perseuerauerit esse sanctus.

1. Regius Propheta Dauid dies vitæ suæ penitius considerans, depræhendit eosdem continuis tribulationibus & laboribus esse irretitos. Vnde Psal. 87. dicere non dubitauit: *In laboribus à iuuentute mea.* Alia quædam litera legit: *In laboribus à puero.* q. d. A tempore cuius primitus recordari possum, ab incunabulis, & prima infantia in hodiernum vsque diem, magnis me immersum esse video laboribus, afflictionibusque continuis obrutum, absque eo quod vel vnius horæ meminerim, in qua aliqua perfrui cōsolatione aut respiratione licuerit: *In laboribus à puero.* Talis esse debebat Dauidis vita, vtpote qui sanctus erat, Deique amicus; tribulatio enim hominibus iustis est instar cuiusdam labyrinthi, è quo quamdiu sancti sunt, & permanent, illis donec moriantur egredi minimè licet. Id quod in Lazaro mēdico perspicuè videtur, qui nisi per mortem ex hac in alteram transiisset vitam, tribulationibus etiamnum succumberet. Cuius ratio est, quia sanctitas cum tribulationibus adeo est coniuncta, vt Christianus tribulatus esse debeat, quamdiu in sanctitate perseuerat. Ps. 87. v. 16

2. Cum Angeli eradicare vellent ea, quæ inimicus Dæmon frumento electo interseminauerat, zizania: Deus id illis permittere ob hanc rationem noluit: *Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.* Verū dicat hic aliquis. Nūquid Angeli in hac zizaniorum euulsione eam adhibere potuissent dexteritatem & diligentiam, vt zizania eradicando, cauerent, ne simul euellerent & triticum? Certe id meo iudicio fieri ab ipsis, potuisset facillime. Qua igitur ratione fit, quod Deus zizania euelli nolit, aut certe timeat, ne id faciendo, triticum quoq. eodem conatu euellant, cum Angeli agrum à zizanijs. Matth. 13. v. 29.

zizanijs, intacto & illæso remanente tritico expurgare potuissent? verum enimuero, quod si factum istud accuratius ponderauerimus, inueniemus Angelos reuera zizania extirpare minimè potuisse, tritico integro & illæso relicto, sed necessum fuisse ambo simul deperdi.

S. P. Augustinus per zizania homines sceleratos, per frumentum autem sanctos & electos Dei amicos intelligit, cuius diuinam quandam nostroque proposito optimè congruentem adducit rationē dicens: *Quia boni cum adhuc infirmi sunt, opus habent in quibusdam malorum permissione, vt per eos exerceantur.* q. d. Deus ob nullam aliam causam Angelis suis zizania, hoc est, sceleratos homines è viuis extirpare & exterminare vetuit, nisi quia sancti sui per frumentum significati, quamdiu in hoc mundo vitam degunt, ob fragilitatem carnis suæ, zizaniorum hoc est malorum hominum contubernia opus habent.

S. Aug. quæst. in Matth. q. 12.

Dum ergo Christus dicit, quod si homines mali ab hoc mundo tollerentur, & consequenter sanctorum suorum cessarent afflictiones & exercitia, fore tunc, vt ipsi quoque extirparentur & tollerentur sancti: *Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum*, tantum innuere voluit, fore vt tribulationibus & afflictionibus deficientibus, ipsi quoque sancti deficerent. Vnde colligitur, tribulationem sanctitati adeo esse necessariam, illaque duo stricto adeo inter se nexa vinculo procedere, vt quantum ex ijs quæ quotidie vt plurimum videntur, clarè liquet, nemo sanctus esse queat, quin etiam tribulationibus subiaceat, tribulatione autem cessante, ipsa quoque sanctitas desinat necesse sit. Vnde quamdiu quis perseuerauerit in statu diuinæ gratiæ, opus quoque est, vt in zizaniorum, idest, malorum hominum perseueret societate, vt nimirum semper in tribulationis hæreat igne, quem donec viuit nunquam poterit euadere, nisi sanctitati quoque voluerit renuntiare.

Vnde S. Patri Leoni Magno dicere placuit: *Nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit obseruantia pietatis*, quasi dicere voluisset; Quoadusque homo perfectè Christianam obseruabit legem, & qualemcunque abominando transgressionem innocentem se semper conseruauerit & sanctū, afflictus quoque & angustiatus semper erit, atque in labyrintho temporalis aduersitatis iugiter irretitus.

S. Leo ser. 9 Quadrag.

3. S. Paulus Apostolus cum varijs vijs diuersisque modis afflictus esset & infestatus, Corinthijs Neophytis scribebat quod tamet si multoties Deum deprecatus fuisset, vt ab igne illo, quo vrebatur continuo, liberaretur, hoc tandem ab illo retulerit responsum: Habeto patientiam, sufficit enim quam tibi huc vsque largitus sum, gratia mea, neque enim tot gratiæ simul ac semel obtineri possunt: *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea.* Quænam obsecro gratia ista erat, quam Deus Apostolo abunde adeo contulerat, vt merito sola sufficeret, neque vt aliam postularet opus haberet? Eratne fortasse gratia Baptismi? aut vero ad Apostolatum gratuita electio? aut vero eius in tertium vsque cælum superna euectio? aut quænam forte quarūuis aliarum? Theophylactus existimat per gratiam illam intelligi tribulationem, in qua magnum illud vas electionis continuo viuebat: *Quod autem vincula sint gratia, plenum est ex eo quod Dominus ait: sufficit tibi gratia mea.* Vnde liquet quod Deus tribulationem exprimere volens, illam gratiæ nomine compellarit. Cur id Deum fecisse existimatis? Nimirum, vt quod in præsenti consideratione persuadere conamur, innueret, videlicet Diuinam gratiam tribulationi adeo esse adstrictam atque coniunctam, vt dū Homo aliquis in gratia esse dicitur, is quoq; in tribulatione cōstitutus esse intelligatur, adeo vt rarū quid, valdeq; paradoxū sit hominē permanere sanctum, nec tamen esse tribulatum. Ordinarie enim ita fieri consueuit, vt quamdiu homines sanctè viuunt, in ipsis quoque labyrinthi tribulationum viuant angustijs: *Sufficit tibi gratia mea.*

2. Cor. 12. v. 7.

Theophil. 1. Philip.

4. Deus in Isaia de Paradisi gloria amicis suis præparata agere inter alia sic loquitur: *Et cognoscetur manus Domini seruis suis.* q. d. In Beata illa ciuitate superna non vero in hac vita sancti manum meā cognoscens. Verum Ehem quid dicis O Domine?

Isa. 66. v. 14.

 Ergone

Ergone serui tui in cælo duntaxat diuinam manum tuam cognoscent? an non illam in terra quoque agnouerunt? Nunquid Iob illam cognouit, quando dicebat: *Manus Domini tetigit me?* Nunquid illam agnouit Dauid, cum diceret: *Grauata est super me manus tua?* An non etiam illam Isaias, cuius ex ore modo loqueris eo tempore cognouit, quo in populum tuum stricto ense animaduertebas? sic enim loquitur: *Iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum.*

Iob 19. v. 21. *Ps. 31. v. 4.* *Isa. 5. v. 25.*

Cur igitur dicis, quod manus tua a seruis tuis in cælo duntaxat cognoscatur, quando varij illam in terra quoque perspicue cognouerunt.

Imo vero impossibile est Sanctos Dei manum hic in terris cognoscere vnquam posse, vtpote cuius notitia cœlitibus tantũ est reseruata. Ibi tantum *cognoscitur manum Domini.* Audite quid Oleaster hunc locum explicans dicat: *Vix Sancti cognoscunt leuem manum Domini, quoniam eam quasi inimici experiuntur, sed erit tempus, cum illam ostendet in bonum.* q. d. Quamdiu serui Dei hic in terris vitam degunt, diuinæ manus conditionem cognoscere non possunt, illa namque ex indolis suæ proprietate placida est, benigna, liberalis, amabilis, diuitiarum, fœlicitatis, gratiæ & gloriæ plenissima, quarum manifestatio à Deo in cœlos vsque reseruatur. In hac vita illam alio modo non experiuntur quam afflictionibus, persecutione, infirmitate, doloribus, morte, alijsq; pluribus similibus iniuriis armatam. Vnde illam non tanquam manum paternam amabilis & benefici Domini, sed tanquam hostile carnificis & Tyranni manum agnoscere possunt, quo modo *Iob*, Dauid & Isaias illum sunt experti. Cum igitur Sancti, donec in hac vita degunt paternam amabilis Dei manum cognoscere non possint, sed illius demonstratio in aliam Paradisi vitam differretur, consequenter se ex tribulationum suarum labyrintho euasuros esse sperare nunquam poterunt, nisi prius vel in beatam illam Paradisi euolauerint Patriam, aut sancti esse desierint.

Oleast. in cap. 66. Isa.

5. Guilielmus Parisiensis mundi huius tribulationes mari comparat, Dei seruos autem piscibus qui in maris profundo reperiuntur: *Quemadmodum, inquit, Cete grandia in solo mari inueniuntur, & quanto maius mare, tanto maiores pisces, & pinguiores inueniuntur. Qua de causa manifestum est, solos meos de patientia magnos & magnificos esse.* Prosopopeia est qua patientia hunc in modum loquens introducitur sicuti quanto mare maius, amplius atque profundius exiterit, tanto maiores, crassiores & pinguiores in eo pisces erunt, quos nutrit, ita quoque quanto maiores meorum fuerint labores, tanto quoque prouectiores erunt in virtutibus, Christianisque perfectionibus.

Guiliel. Parisi de moribus cap. 2.

Ex quo solo colligere possumus, Sanctos piscibus in aquis natantibus similes esse, quamdiu tribulationibus sunt immersi. Vnde concludo, quod sicuti pisces vt viuant, aquis necessario immersi esse debent, adeo vt confestim mori incipiant cum illas deserunt. Ita quoque serui Dei, haud secus ac pisces, extra tribulationum aquas viuere vita gratiæ nequeunt, sed moriantur & sancti esse desinant oportet.

6. Nec prætereundum est id, quod Dauid de afflictionibus suis loquens, post se Psal. 41. scriptum reliquit nimirum: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* q. d. Noctu diuque aliud vnde nutriar & in vita conseruer panem non inuenio, præterquam lachrimas meas. Circa quem locum quæri merito posset, cur Dauid lachrymas panem appellet? Cum lachrymæ non manducentur, nec sustentent hominem. Audienda hic inprimis est explicatio S. Brunonis, hac enim supposita sic facile intelligeris. Dicit itaque: *Fuerunt lachrymæ meæ, id est miseriæ, quæ causa sunt lachrymarum panes, id est, assiduæ, ad modum panis, qui cibus assiduus est, & quotidianus.* Dicit igitur hic sanctus Pater, Dauidem per lachrymas afflictiones suas intellexisse, effectum nimirum ponendo pro causa, afflictiones enim lachrymarum sunt causæ, quas ille panis loco habebat, eo quod continuo illis vteretur, veluti pane, qui continuus & assiduus est hominis cibus, sine quo viuere nequaquam potest. Ad significandum hominem sanctum in vita gratiæ, per assiduarum afflictionum alimoniã conseruari ipsumque hac alimonia destitutum esse veluti sine pane, & in periculo ne mo-

Ps. 41. v. 4. *S. Bruno ibid.*

moriatur Deo & viuat mundo, omnemque perdat animæ sanctitatem.

7. Multum huc ad propositum facit, pulchrum illud è præstanti ingenio natum emblema, in quo paruulum quoddam animalculum, Pyralis actum repræsentabatur quod intra ardentes Clybani flammas, viuens continuo nutriebatur, cum hæc subnexa Epigraphe: Moriar si euasero.

Huic bestiolæ, vt diximus, naturale est in igne nasci & enutriri, nec inde valet recedere, mox enim vt ex ardēti eiusmodi Clybano se recipit, interit & moritur.

Huic bestiolæ sancti in hac vita valde sunt similes, qui in statu diuinæ gratiæ diu nequaquam viuere possunt, nisi in tribulationum fornace assidue perseuerent: nam quam primum inde magna sua clade nonnihil erepunt, mortis periculum incurrunt, siquidem pane illo carent quo spiritualis eorundem vita assidue nutriebatur: *Moriar si euasero.*

8. Dauid propheta Psalmo 2. Deum hunc in modum vnigenitum suum alloquentem introducit: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea.* Vbi bene notandum est, quod non dicat, ipsum gubernaturum esse hæreditatem suam in virga lignea, sed ferrea: *In virga ferrea.* Quamobrem in virga ferrea, & non lignea? Cum enim Christi gubernium futurum esset suaue, dulce, leue &c. ipsomet teste, qui dicebat: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue,* videbatur potius dicendum, quod gubernaturus esset in virga lignea, quam *In ferrea?*

Ps. 2. v. 8.

S. Bernardinus dicit, Deum Patrem non ob aliud voluisse vt filius gubernando virgam adhiberet ferream, nisi quia: *In ferro sustentatio denotatur.* Ferrum hoc loco veri alicuius sustentaculi seu fulcri est symbolum. Quia igitur virga, vti satis est notum, tribulationē & afflictionem in sacra scriptura significat, quâ Christus seruos suos, qui vnica ipsius hæreditas existūt, exerceat, ideo vt eū dulcedine & pietate illos exerceat, Deus noluit illos ab eo gubernari in virga lignea, sed ferrea, cuius adæquata ratio est, quia virga lignea cū infirma sit & debilis, facillime flectitur, adeo vt homo illi innitens à casu satis nequeat esse securus: virgæ autē ferreæ, quæ fortis est & dura, quisquis insistit, in pedibus erectus facile perseuerare poterit. Quando igitur dicitur quod Christus seruos suos tractaturus sit in virga ferrea, & non lignea, clare innuitur, quod dum Christus suos affligit, id ex mera faciat pietate & misericordia nimirum vt illos erectos conseruat & in statu gratiæ sustentet, idque non solum, ne in peccati lutum cadere, sed neque in illud inclinare, aut flecti possint, id quod sine adhibita ijs virga ferrea ab eis fieri minime posset, sine hac enim in euidenti semper essent cadendi & peccandi periculo. Nullus enim Dei seruus ordinaria via in pedes suos erectus consistere, & in sanctitate perseuerare potest, nisi fuerit tribulationibus assidue exercitatus.

S. Bern. de Senis Reg. Principum ar. 1. c. 3.

9. Cum Moyses in terra promissionis quā vehemēter adeo desiderauerat, mox fruiturus esset, magna cū instantia Deū precabatur, vt se ad illius fruitionem dignaretur admittere, dicebatque: *Domine Deus, tu cæpisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam; neque enim est alius Deus, neque in cælo, neque in terra, qui possit facere opera tua, & comparari magnitudini tuæ. Transibo igitur, & videbo terram hanc optimam.* Obseruastisne in adducto textu, quanto cum artificio Moyses hanc à Deo gratiam petierit? Et tamen nihil omnino ab eodem obtinuit; Sacer enim textus dicit, Deū absolute idipsū ei denegasse perpetuumque præcepisse hac de re silentiū, eo quod nequaquā id concessurus esset: *Nequaquam vltra loquaris de hac re ad me.*

Deuteron. 3. v. 24.

Omnino mihi persuasum habeo, optimū Prophetā tale sibi responsum imaginari nūquam potuisse. Quid enim Bonitatis illius infinitæ interfuisset si huic seruo suo, qui pro terra promissionis acquirenda, tanta cū difficultate & vitæ periculo quadraginta annos per horrida deserta peregrinatus fuerat, eadē terra modico saltem tempore perfrui ac potiri permisisset? Agitne forsitan Deus ad instar mundi istius magnatum, qui vna ex parte prompta semper expetant seruorum suorum obsequia, ab altera vero seruorū suorū molestias & labores remunerare prorsus negligunt?

Oleaster ib. Oleaster respondet: *Deum in hac vita non satiare suos*: q.d. Deus consolationem hanc modicam Moysi nullo alio prorsus fine denegauit, nisi quia suos satiare in hac vita minime consueuit. Neque enim dubium est, quin ad retribuendum & præmiandum seruorum suorum labores & obsequia munificus sit & liberalis: siquidem explicari non potest, quantum in eiusmodi remunerationibus ritefaciendis sit exactus, hoc tamen in alteram vitam vsque facere differt: vnde Paradisus appellatus est à Theologis tota sanctorum merces: *Visio est tota merces*. Ibi enim & non alibi sanctorum merita soluere & præmiare decreuit. In hac autem vita nunquam illos remunerat nec præmiat, nec satiat, sed pauperes, nudos, famelicos, angustiatos mundo execrabiles à malignis infestatos varijs infirmitatibus aggrauat, denique cunctis malis possibilibus obnoxios derelinquit, adeo vt nec minimam quidem in eo consolationem percipiant, tametsi eandem cum Moyse vehementer à Deo exposcant. Vnde liquet, hominem sanctum in hac vita ignem tribulationum haud aliter quam labyrinthum aliquem esse ingressum, è quo donec viuit nunquam reperiet euasionis portam siue exitum; *Deum in hac vita non satiare suos.*

10. Dum S. Paulus Apostolus Corinthijs, vt vidistis superius ingentem illam recensuisset afflictionem, qua illum Dominus Deus suus continuo volebat obnoxium, simul etiam motiuum, ob quod diuinæ bonitati illum ita affligere complacuit, illis manifestare non omisit, dicens: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ*. q d. Ne ego per bonorum fauorumque quibus me dignatus est, magnitudinem intumescerem, graui quodam & insolito dolore fecit esse obnoxium. Nonnulli volunt hunc dolorem fuisse dolorem quendam singularẽ laterum, qui inter eos dolores, quos corpus humanum sufferre possit, omnium reputatur esse maximus. (2. Cor. 12. v. 7.)

Verum obseruandum, quod Apostolus non dicat: *Ne magnitudo reuelationum exaltet me, sed extollat me* Hoc enim verbo vti voluit, ad significandam vim effectiuum, quos in eo hæc illi immissa aduersitas operabatur. S. Vincentius Ferrerius hunc locum explicans dicit, quod idem sit dicere: *Extollat me*, quod *extra viam tollat*. Vnde Apostolus iuxta hanc explicationem dicere volebat: Ne ego ob magnitudinem fauorum, quos Deus mihi dignatus est exhibere, foras extra viam rapiar, me Deus hoc modo affligit quasi clarius dixisset: Quandoquidem de facto per Dei gratiam, in via sum æternæ salutis, id est, quia sanctus sum & virtuosus (neque enim alia præter sanctitatem & virtutem nobis ad cœlum via superest) ideo ne ab illa declinando, in æternæ damnationis viam abripiar, hac me Deus afflictione grauatum atque obnoxium tenet; quasi tacite simul inferre vellet dicereque: Nisi enim hic mihi morbus immissus fuisset, in magno fuissem viam istam deserendi periculo. Vnde vlterius colligitur, fortius & efficacius remedium, ad hominem in sanctitatis statu continendum, reperiri non posse, quam sit mundi istius tribulatio, hac enim fortuito cessante, homo quoque sanctus & virtuosus esse desinet. (S. Vin. Ferrer. ser. 3. Dom. Sexag.)

11. Cum S. Petrus die quodam Deum ac Dominum suum super vndis maris siccis pedibus conspexisset inambulantem, mox ipse quoque eandem mare calcandi potestatem, vt Domino suo obuiam procederet, est consecutus. Subdit vero S. Matthæus quod Christum assequi minime potuerit, priusquam ingentes in mari passus esset ventorum procellas, ita vt in magno esset submersionis & vitam perdendi timore & periculo: *Ambulabat super aquam, vt veniret ad IESVM: videns ergo ventum validũ timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit*. Operæ pretiũ hic mihi esse videretur, causã operosius inquirere, ob quã S. Petrus Apostolus aliã, ad inueniendum Christum suum, viam habere non potuerit, quã hanc adeo procellosam, tantisq; periculis coniunctam? S. Maximus dicit, id factum esse, ad insinuandum quod Christianus aliam in hac vita semitã ipsum ad Christum & in cælos perducentem, reperire non possit, quam labores, timores, & pericula: *Igitur fratres sanctus Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur sic peruenit ad Dominum: ostendens nobis quod non nisi per pericula peruenitur ad Christum.* Vt Christianus, quamdiu in præ-

senti

præsenti degit vita, & viam cæli inambulat, Dominum suum assequi eodemq; frui possit, necessum est, vt semper affligatur. Cælū enim præter hanc, aliam viam nescit. Quodsi à tribulationis via recesserit, se quoque errantem, atque extra sancti sui seruitij semitam constitutum, nec iam amplius sanctam inueniet. Vnde necessum est, vt quidam sit Lazarus, qui quia quoadusque vixit ab hac semita nunquam diuertit, neque ex hoc Labyrintho vnquam exiuit, ad beatam Abrahæ gremium pertingere potuit.

CONSIDERATIO III.

Sepultus est in Inferno.

Impossibile est, vt qui Labyrinthum Inferni semel fuerit ingressus viam inde egrediendi inuenire possit.

1. TAmetsi infælicissimus diues epulo, tempore qui toto vitæ suæ tēpore, in confuso auaritiæ labyrintho misere fuerat detentus captiuus, tandē aliquādo per mortem (quæ fores labyrinthi aperuit, eumque ad deserendum omnia, quæ habuerat & adorauerat, coëgit) inde fuerit egressus, non tamen per hoc sibi quicquam libertatis acquisiuit, carcerem enim mutauit potius quam euasit; nam ex labyrintho auaritiæ elapsus, in inferni voraginem mox est reinclusus, vbi scelerum suorum digne promerita sustinet sine fine tormenta. In quo inferno, veluti in horrendo quodam labyrintho coarctabitur in æternum. Quisquis enim aliorum reproborum cum ipso in huius labyrinthi tenebrosos anfractus ingressus semel fuerit, viam inde euadendi inuenire nequaquam poterit.

2. Habent nonnunquam figmenta Poetica bene examinata & considerata, plus moralitatis instructionem, quam Fabulæ conditionem. Vnde non displiceat vobis, attendere ad id, quod de inferni tormentis fingit Virgilius, qui inter cætera dicit, quod ignis ille deorsum in Inferno vrens, ab horribili quodam monstro, cui nomen Chymæra, euomatur:

Horrendum stridens flammisque armata Chymæra. Virgil. 6. Æneid.

De quo monstro dicitur, habuisse illud caudam serpentis, ventrem Capræ, Caput leonis, ignemque ore suo continuo euomuisse. Quod figmentum desumptum est à Poëtis à monte quodam Liciæ, qui appellatur Chymæra, qui ad instar montis Æthnæ, seu Vesuuij nostri ingentia ignis euomit & exspuit incendia, & ignem quidem talem, qui à naturali igne nostro est valde diuersus, nam vt Plinius refert cum ignis naturalis ordinariè ab aqua soleat extingui, hic non solum per aquam non suffocatur, verū insuper vehementius accenditur. De hoc monte vlterius refertur, quod pes seu basis illius habitetur à serpentibus, medium vero capræ incolant, verticem denique illius inhabitent leones. In quo totum fundatur Chymæræ figmentum, dum illam, vti mox vidimus, dicebant, caudam habere serpentis, ventrem seu pectus Caprinum, & leoninum Caput, quod instar montis illius ignem spirabat & euomebat. Plin. lib. 2. c. 106.

Vultisne vt monstrum istud iuxta veritatem Catholicam in Inferno quoque esse demonstrem. Perspicuum est omnibus, quod damnatus ad instar capræ vel hirci se habeat, sub cuius symbolo illū Christus expressit, dum illum in extremo iudicio, eo quod ad æternū condemnatus sit Inferni incendium, ad læuam seu sinistram partem collocandum esse declarat. Hoc igitur in Inferno constitutus, medius serpentem inter & leonem ignem euomentem est repositus. Serpens æternitatis est symbolum id quod Sacerdotes Ægyptij innuebant, dum serpentem qui caudam ore suo admordens, seu recondens, formabat circulum, in quo nullus inueniri finis potest, pingebant, vt æternitatē omni prorsus fine carere insinuarent: leo flammiuomus autem, qui alia ex parte illum cingit, ignē designat, qui eundem continuo vrit & deuorat. Ecce igitur horrendam Inferni Chymæram, & quendam ab æterno igne deuoratum reprobum.

Ve-

Verum vt ad propositum nostrum hac de re loquamur. Seposito quod ignis infernalis quidam sit ignis Chymæræ

——Flammisque armata Chymæra

facile est inde inferre, quod tametsi aqua ad ignem naturalem seu vulgarem extinguendum efficax sit remedium, hæc tamen contra ignem Chymæricum nequaquam præualeat; Aqua enim quæ cunctos solet ignes extinguere, illum non solum non extinguit, sed potius magis accendit: ita quoque ad ignem inferni extinguendum, vtpote qui ignis est chymæricus, non vero consuetus & naturalis, nullum inueniri aut excogitari potest remedium. Vnde quæcunque demum anima in hoc tenebricoso loco fuerit inclusa, & vna quidem ex parte ab æternitate, ex alia vero ab inextinguibili igne fuerit constricta & coarctata, ibidem haud aliter quam in magno quodam captiua tenebitur labyrintho, neque in æternum aliquod inuenire poterit horrendarum pœnarum suarum ardorem euadendi remedium.

Hinc est quod S. Hugo Etherianus de Inferni igne agens, dicere non dubitarit quod ignis infernalis causet: *Adeo pertinax incendium, vt si mare influeret, caloris nullam remissionem haberet.* q d. Ignis ille qui in tremenda illa abysso accenditur, nequaquam est ignis ordinarius & naturalis, qui affusa aqua possit extingui: Verum talis tamque miræ est proprietatis, vt si totum se mare in eundem exoneraret, *Caloris nullam remissionem haberet.*

S. Hugo Ether. de anim 20. ad infern.

Inficiari quidem nemo potest, quin si vna duntaxat aquæ stilla, egrederetur ex oculis diuinæ pietatis, hæc eundem prorsus extinguere subito posset, verum enimuero futurum id nunquam erit, vt videlicet damnati talis ac tanti boni fruitionem sperare vsquequaque possint, quia, vt Rupertus Abbas dicit, quando Deus infernum respicit, oculis illum intuetur siccis: *Impios in inferno ardentes siccis oculis videt.* Postquam igitur infœlicissimi illi damnatorum spiritus, horrendum illum ingressi sunt carcerem, in eodem veluti in quodam inextricabili coarctantur labyrintho, absque vlla spe euasionis siue remedij.

Rup. Ab. lib. 1. c. 3. in in Ion.

3. S. P. Ioannes Chrysostomus acutè obseruat Deum in duobus Ieremiæ locis homines vasa appellare fictilia, cum hac tamen differentia, nonnullos enim absolute vasa fictilia nominat: alios vero vasa in manu figuli. De Iechonia agens, illum absolute vas appellat fictile: *Nunquid vas fictile atque contritum vir iste Iechonias?* Postea vero in alio quodam loco, cùm sanctum Prophetam in figuli officinā siue figulinam mitteret, ipsiq; aliqua vasa recentia, in illius artificis manu spectanda ostenderet, eidem dixit homines nonnullos eodem prorsus modo in manu sua consistere: *Sicut lucrum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel.* Quæro hoc loco, quænam inter vnum alterumue vas tale sit differentia? Inter vas nimirum positum adhuc in manu artificis, & inter aliud, quod ab illius manu, vtpote consummatum, egressum fuerit? Quod si enim omnia vasa ista ex eadem fabricata & composita sint Materia, vnde accidit quod Deus de illis differenter agat.

Ierem. 22. v. 28.

Idem 18. v. 6.

Audite sanctum prædictum Doctorem, differentiam istam assignantem, & pulchro quodam considerationem istam conceptu expolientem: *Quando calamitatem sine remedio dicit, non vas figuli sed vas fictile nominat: quando autem eis spem pollicetur, Prophetam ad vas figuli perduxit.*

Chrysost. hom ad Bapt.

Notandum igitur, quod magna intercedat differentia, inter vas illud quod est in manu artificis, & aliud quod ex eiusdem egressum est manibus humanisque iam vsibus est applicatum. Quamdiu enim vas illud recens est, atque etiamnum in rota, inter manus eius qui illud formauit, est positum, tametsi centies caderet, & totidem vicibus iterum rumperetur, semper eidem ad sui restaurationem & reparationem superest remedium: At vero postquam illud semel è manu sua seposuit, illudque ad hoc vt ordinarijs applicetur vsibus fornaci commisit, tunc postquam ceciderit nullum iam deinceps casui eius, quæratis remedium, impossibile namque erit tale quid inuenire. Atque hoc est, quod Deus, iuxta oris aurei explicationem, Prophetæ suo significare voluit. Quoadusque homines, qui ex parte corporis, nihil aliud sunt, quam lutum, in hac vita deguat, in manu Dei, vtpote qui

luti

luti istius magnus est artifex, sunt constituti. Quodsi contingat illos ex ijsdem manibus in peccatum aliquod corruere, ipse ineffabili pietate sua eosdem renouat, restaurat, reformat; & si casus iste, vel ruina talis centies accideret, promptum mox semper esset eiusdem remedium, prouti S. Petro Vicario suo olim præceperat. Postquam vero eosdem ingenti ipsorum malo, postulantibus id eorundem peccatis, de manibus suis in Inferni fornacem semel proiecerit, nulla tunc vlterior restaurationis aut remedij spes reliqua est, neque aliquam, quæ illos ibidem adiuuet, præstolentur pietatem: *Calamitatem sine remedio dicit.* Postquam enim anima talis in labyrinthum istum semel inciderit, nullam deinceps viam inuenire poterit, qua infinitis suis prouidere malis atque isthinc egredi possit. *Calamitatem sine remedio dicit.*

4. Sophonias Propheta de inferni doloribus loquens, hunc in modum plangendo dicebat: *Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis dies nebulæ & turbinis: dies tubæ & clangoris* (Sophon. 1. v. 15.)

Obseruat Rupertus Abbas, Sophoniam Prophetam hoc loco sex dierum mentionem facere, quibus damnati horrendis abyssi suæ pænis subiacentes cruciabuntur: cumque pro septimanæ integræ complemento adiungendus illis esset septimus, qui Sabbathum est, eundem negligere siue omittere. Cur ita? Num fortasse septimana inferni sex tantum complectitur dies & Sabbatho caret? Ita est inquit hic Doctor. In inferno enim septimana non habet Sabbathum, atque illius causam hanc assignat: *Quia de septima die nihil ibi erit, nihil de Sabbatho Domini, sed sine requie sine vlla requietionis spe tribulabitur.* (Rup. Ab. ib.) Septimana huius vitæ septem dies complectitur, quia Sabbathum habemus, quod idem significat quod *requies*, aut vero *cessatio*, aut quædam de sex præcedentium dierum laboribus respiratio: tribulationes enim quibus homines infestantur in hoc mundo, nonnunquam saltem cessant, & ideo post illas quædam quasi requies indulgetur, vnde quodsi sex diebus affligatur, post illos tamen postea succedit Sabbathum consolationis, siue id fiat in Cælo, siue in terra: In inferno autem non dantur plures quam sex dies, ibi enim quidnam Sabbathum sit prorsus ignoratur; illæ namque miserabiles animæ adeo omnibus diebus & horis doloribus subiacent, vt non solum non respirent, aut quiescant, sed neque per totam æternitatem aliquam vel vnica duntaxat hora quiescendi spem habent. In magno quodam valdeque pœnoso restricti & reclusi sunt Labyrintho vbi æternum affligi & cruciari oportet: *Sine vlla requietionis spe tribulabitur.*

5. Quærit Abulensis, vnde Dæmon temerarium hunc aduersus creatorem Deum ac Dominum suum conceperit ausum, vt in mundi huius exordio suam adhibere voluerit operam, qua Adam & Eua aduersus impositum sibi à Deo præceptum redderentur rebelles, neque ab eodem conatu vnquam postea cessarit, sicut neque etiamnum idem cum alijs tentare hominibus cessat? Fortasse nullo percellitur diuinæ potestatis timore? aut vero sibi forte persuadet à se nullas scelerum istorum pænas exposci posse, seque impune proinde peccare? docteque respondet: *Quia non timet facere quicquid potuerit: Scit enim nullam iam sibi ex hoc futuram pænam: nam damnatis non potest aduenire maior damnatio, quicquid faciant aut velint.* (Tostat. in cap. 13. Gē. quæst. 481.)

Nam tanta tamque ingens est pœna inferni, vt augeri plus omnino nequeat Vnde argumentari nobis consequenter licet, quod videlicet damnati ex inferno egredi nunquam poterunt, & ratio est, quia scilicet magis damnati esse non possunt, quam sint de facto; quodsi enim aliquam sibi egrediendi spem reliquam haberent, fieri posset, quod aliquando per spei istius priuationem eorundem tormentum augeri valeret, cum autem nullum damnatio illorum habere possit augmentum, sequitur quod nullum illis vnquam indulgendum sit euadendi remedium. *Non potest aduenire maior damnatio.*

6. Antiqui infernum Barathrum appellare solebant, sicut in Virgilij poëmate legitur: *Immane Barathrum*: imo idem quoque Inferno impositum nomen hisce temporibus nobis quoque in vsu est positum. Ioannes Boccatius huius nominis Ethymologiam impense inquirit, ac tandem post adhibitam industriam inuenit, quod sit certi cuiusdam vasis nomen proprium, quo rustici siue vinitores vindemiæ tempore pro vuis colligendis vtuntur, quod largum latumque est in parte superiori, in inferiori vero parte strictum. Atque ideo, inquit idem Author, carcer inferni Barathrum appellatur, eo quod ad formam talis vasis sit efformatus, largus videlicet & amplius in labijs, in fundo vero strictus & arctus. Et subdit: *Vt intelligatur infernum amplissimas fauces ad suscipiendum damnatos habere: ad eos vero seruandos arctissimum locum atque profundum esse.* Animam enim illam, quæ illi semel cessit in prædam, fortiter adeo constringit & detinet, vt ad graues pænas suas euadendum, nec viam indulgeat, nec portam. Vnde ingens quoddam est Barathrum, intricatusq; admodum labyrinthus, *Immane Barathrum*.

Virgil. 8. Æneid.

Boccat. Genealog. lib. 1. c. 8.

7. Per medias terræ abyssos, duo ingentia se diffundunt flumina, vt fabulatur Claudianus, vnum quidem appellatur Cocytus, flammis redundans & igne: alterum vero, cui Phlegeton nomen est, amarissimis refertum est lachrymis, quæ diuersis, licet vijs serpentia, in fine tamen simul coniunguntur, in loco nimirum, in quo ingens quædam ex adamantibus fabricata est turris, æternus videlicet Dæmonum animarumque damnatarum carcer.

Claudian. 2. Ruf.

Est locus infaustus quo conciliantur in vnum,
Cocytus Phlegetonque vadis inamanis vterque
Alueus, hic voluit lachrymas, hic igne redundat.
Turris per geminos flammis vicinior amnes
Porrigitur, solidoque rigens adamante, sinistrum.
Proluit igne latus, dextra Cocyria fundit
Æquora.

Ex hisce igitur habemus, Infernum carcerem quendam esse, ex adamantibus fabricatum. Imo si forte velut vana, fastidiris gentilium dicta, ecce tibi præstò pro eodem prorsus proposito ad manum S. P. Ioannem Chrysostomum, qui adamantinas vocat Inferorum portas: *Adamantinas inferorum portas.* Satis superque est perspicuum, Adamantem gemmam quandam esse solidam adeo & fortem, vt nec ferrum, nec ignis, quæ duo alias quælibet fortia domant atque disperdunt, eundem domare possint aut rumpere, ab vnico duntaxat Caprino sanguine, donec is calidus est, vt Isidorus dicit, frangi potest: *Sed dum sit inuictus ferri ignisque contemptor, hircino rumpitur sanguine, recenti calidoque maceratur.* Et quidem nisi hic sanguis admirabili hac virtute esset præditus, nemini dubium est, quin Adamas semper infringibilis esset prorsusque indomabilis.

S. Chrysost. Hom. 4. Thes.

S. Isidor. Ethy lib. 19 c. 13.

Quodsi igitur Filius Dei Redemptor noster ab altari sanctæ Crucis, in quo verum referebat hircum, id est, reum quendam & peccatorem manibus calido viuoque sanguine plenis ad infernum descendens, ibidemque lymbi carcerem dissipans, adamantinam damnatorum turrim rumpere non potuit, quodnam ibi aliud expectari remedium valebit? Si hircinus sanguis adamantem necrumpit, nec macerat, summo profecto vanitas est, alias hoc fine maiores inuestigare vires, vtpote quas reperire omnino est impossibile.

8. Verum enimuero, quandoquidem hoc loco de diuite nobis Epulone sermo est, ne intermittamus idipsum proprijs ipsiusmet verbis confirmare; Hic namque in inferno existens, Abrahamum Patriarcham deprecabatur, dignaretur in hunc mundum rediuiuum mittere Lazarum, qui quinque fratribus suis annuntiaret ea, quæ in Inferno patiebatur tormenta, ne videlicet hi morientis, in eadem præcipitarentur mala, quibus ille erat obnoxius: *Rogo te Pater, vt mittas eum in domo Patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant.*

Luc. 16. v. 28.

niant in hunc locum tormentorum. Verba ista velim, auditores optimi, diligenter, attendite, siquidem ex illis haud dubie videbitis, diuitem huncin ipsomet etiam Inferno sese valde exhibuisse ignorantem. Nunquid enim sibi melius fecisset, si non fratrum suorum à pœnis inferni liberationem, sed suam potius postulasset salutem? Cur igitur suimetipsius oblitus, aliorum memor extitit?

S. Greg. lib. 8. c. 8. Moral. Respondet S. Gregorius: *Flammis vltricibus traditus, non sibi, sed opitulari fratribus concupiuit, quia nunquam se ignium carere tormentis adiuncto desperationis supplicio agnouit.* Non pro seipso infælicissimus hic homo precabatur, sed pro fratribus suis, sciebat namque malum suum omni prorsus carere remedio, casum suum nullam omnino præstolari resurrectionem, seque ex profundo isthoc labyrintho nulla omnino via aut medio euadere posse. Probe namque sciebat, quod quisquis intra infernalis barathri terminos suum semel figere pedem cœperit, inde in æternum nunquam sit euasurus; *Nunquam se ignium carere tormentis agnouit.*

9. Vnde Christianus huius summæ veritati: sibi optimè conscius, vulpis merito imitari deberet astutiam. Fingit enim Æsopus, quod cum Leo iam senex factus, & omnino decrepitus, victum sibi per syluas discurrendo vænari & acquirere non posset, nec alia deprædari animalia, prout dum adhuc iuuenili esset vigore præditus, facere solebat, infirmum se finxerit, vt hac ratione subditæ sibi bestiæ, illius audientes infirmitatem, in regiam eius speluncam visitatum illum paulatim venirent. In hoc enim loco facile sibi foret bestias illas aduentantes dilacerare, & deuorare, prouti postea reapse accidit.

Cum igitur vulpes post cæteras animantes omnes accesisset postremo, tandem visum sibi quoque est, ciuilitatis leges id à se exposcere, vt ad instar aliarum, ipsa quoque visitatum Regem abiret. Quare itineri se mox accinxit, factaque iam foribus regiæ speluncæ proxima, priusquam intraret, de euentu futuro valde dubitans & ambigua substitit, magnaque cum attentione terram respexit, viditque quod omnia bestiarum, quæ Leonem visitatum abiuerant, vestigio introrsum speluncam respicerent, nulla vero extrorsum, ex quo signo didicit, quod quæcunque bestiæ speluncam illam intrarent, inde nunquam reuerterentur. Ideoque eandem nequaquam ingredi decreuit, sed deforis consistens, Leonem, quo in statu morbus eius esset, interrogauit. Leo autem insolitum hunc vulpis agendi modum demiratur, aut non ipsa sicut & aliæ ante ipsam bestiæ mansionem ipsius intraret, ipsam rogauit; cui ipsa respondit

—— *Quia me vestigia terrent.* Æsopus.
Omnia ad introrsum spectantia, nulla retrorsum.

Simili inquam astutia Christianus vtatur necessum est; Cum enim perspicue vident infinita esse hominum infernum versus euntium vestigia, nec tamē vel vnico ex ijsdem concessum ex inferno reditum, opus est vt vigilet & timeat, taliterque de animæ suæ rebus disponat, ne quando in eundem corruat, vnde veluti ex inextricabili quodam labyrintho effugere nemo vnquam poterit, prout infœlix ille diues Epulo ipsamet experientia comprobauit; *Sepultus est in Inferno.*

SERMO XVII.

In Feriam VI. Dominicæ II. Quadragesimæ.

Homo erat Paterfamilias.

Matthæi 21.

1. SAnctus Iacob Patriarcha cõfecto itinere quodã valde laborioso, circa crepusculum lassus & defatigatus, iamque ad somnum capiendum compositus ingentem quandam scalam de cælo descendentem vidit, per quam inuitabatur, vt in magnum Dei amici sui conscenderet palatium, pro suaui ac dulci ibidem capescenda quiete. Atque vt ad hanc Domini sui inuitationem prosequendam vehementius animaretur, conspicuas se illi exhibuerunt exteriorum Palatij illius murorum siue mœnium venustates & pulchritudines, quæ vtpote ex auro gemmisque fabricata, sancti Patriarchæ oculis tantæ pulchritudinis & elegantiæ exposuere theatrum, vt ex solo illius conspectu ebrius factus sit & obstupefactus; quia vero in scalam hanc à se visam pedem figere & ascendere distulit, hæc denuo sursum eleuata est & euanuit, ipse autem foras inde exclusus manere, cœptumque iter suum prosequi debuit, neque aliam rerum ad Dei domum spectantium præterquam de exterioribus illius mœnibus relationem dare potuit, neque enim ob dilatum per scalam ascensum, & non tentatum oblatum palatii illius ingressum, quidpiam aliud viderat: *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* In consideratione Euangelij præsentis persuadere sibi nonnemo facile posset, simile quid hic mihi accidisse. Cum enim valde sim cupidus magnam illam videndi vineam quam rerum omnium creator Deus ipsissimis suis plantauit manibus, omnique venustate possibili, ne ipsimet quidem terrestri Paradiso cõcessa, ornauit, ex omnibus tamen ad illam spectantibus sepes illam circumdans & ambiens prima occurrit, quæ tantum oculis meis obtulit spectaculum, tantisque sacramentis atque mysterijs refertum miraculum, vt in modico illo mihi concesso tempore, fixus omnino, immobilis ac attentus subsistens plus vltra progredi minimè potuerim. Vnde cum præter sepem ad nihil aliud attenderim, hinc quoque de nulla re alia præterquam de sepe possum discurrere; Quæ tribus potissimum gyris siue ordinibus vineam hanc Dominicam circumdat & ambit: Prima enim constat è spinis: Secunda ex igne coalescit; Tertia denique ex adamantibus. Primam omnium primo consideremus.

Genes. 28. v. 17.

CONSIDERATIO I.

Sepem circumdedit ei.

Proximè prima cuius tanti refert timor Dei, vt si hic non adesset, in extremam ipsa ruinam ageretur, iuxta commune illud adagium:

Timor custodit vineam.

2. QVemadmodum vineæ circumdari sepe quadam ex spinis contexta, communiter

communiter soleat, ita postquam magnus ille Cælorum Monarcha animæ nostræ vineam in mortalis corporis huius terra plantauit, spinis quoque eandem circumcingere decreuit; ipsomet per os Oseæ sui dicente: *Ego sepiam viam tuam spinis*, idque eo potissimũ consilio, ne videlicet pedem suum extra assignatos sibi diuinæ legis limites figere, eosdemque transgredi vllatenus auderet, idque si non ex alio motiuo saltem punctu rerum timore. Vnde per sepem spineam vineã animæ ambientem, nonnulli Dei timorem intelligunt; cuius vtilitas quanti humanam afficiat salutem, nemo est qui explicare sufficienter possit: maior siquidẽ hominum pars, ex nullo alio motiuo siue respectu, animas suas in Christiana obseruantia continent, atque conseruant, quam ex solo duntaxat, quo afficiuntur Iustitiæ diuinæ timore, adeo vt in hoc antiquum verificetur prouerbium, cuius ob quotidianam veritatis suæ experientiam, ne ipsi quidem hoc tempore obliuisci possunt moderni, qui etiamnum dicere solent: Vineam custodit timor, non vinitor.

Ose. 2. v. 6.

3. Postquam Lamech scelestissimum occidisset Cainum, sacra scriptura, iuxta Pagnini lectionem dicit: *Tunc cæptum est inuocari nomen Domini.* q.d. Ab illo momento Mundus Deum cognoscere, infinitamque illam Maiestatem honorare cæpit, preces illi offerendo & sacrificia. Circa quem locum causam inuestigare oportet, ob quam Deus ante tempus illud nec cognitus fuerit, nec honoratus, cum tamen propter ordinarios quos quotidie ab illo recipiebant fauores, ipsum diu ante plenissimè debuissent cognoscere. Et quidem tametsi aliud nihil vidissent, quam ingentem illam mundi machinam, pro eorundem habitatione & incolatu fabricatam, an non solus iste ad cognoscendum & adorandum Deum fauor sufficeret?

Genes. 4. v. 26. S. Pagni.

Olеаst. ibi. Respondet Oleaster: *Aliqui putant tunc homines communiter incepisse inuocare nomen Domini passim, videntes Deum curare res humanas, & punisse Cain.* q.d. Tunc homines Deum passim cognoscere cæperunt, & adorare, quia tunc Dei apud illos timor radices agere cæpit, in Caini exemplo perspicue cernentes, quod Deus rebus prouideat intendatque humanas, & delicta commissa acriter castiget. Tametsi enim temporis illius homines, magna & infinita Dei considerare potuerint beneficia, à Deo ipsis præstita; licet etiam ingentem illam mundi fabricam pro sola ipsorum commoditate erectam, sibi ob oculos continuo habuerint positam, Deum tamen Creatorem & benefactorem suum nunquam cogituri fuissent, nisi primo Cainum castigatum vidissent & mortuum.

Naturalis namque est hominum proprietas Deum non ideo honorare, sanctoque illius seruitio intendere, quod liberalis sit hominum benefactor & donator munificus, sed quia Iudex est & vindex delictorũ, vtpote qui tantum condemnari & castigari verentur. Vnde nisi virgam illis & baculũ ostendisset, à nemine hominum cognitus fuisset aut adoratus.

4. Olim Deus cum populo suo quodam die disserens; hoc illis inter cætera ordinauit præceptum: *Non habebis Deos alienos coram me.* Quo in loco vbi vulgata dicit *Deos*: Caietanus ex Hebræo *Elohim*, legit: *Non erit tibi Elohim super facies meas.* Vnde cum loco eius quod vulgata dicit, *Deos*, Cardinalis præfatus *Elohim* legat, sequitur falsos fictosq́, Deos, ipsomet Dei ore *Elohim* fuisse appellatos. Cur autem à Deo tale nomen obtinuerint, Eminentissimus Doctor citatus rationem assignat dicens: *Dicit Elohin, tangẽdo rationẽ, quare homines colãt aliquẽ aliũ, vt Deũ quia videlicet timent illũ, tanquam Iudicẽ: & tanquã curã eorũ habentem venerãtur.* Nomen istud *Elohim* latine idem significat quod *Iudex* qui delicta castigat, acerbusque transgressionũ est vindex. Quo nomine Deus alios Deos appellare voluit, vt causam assignaret, ob quam gentiles adeo se promptos ad eos adorandos exhiberent, sibi enim persuadebãt, illos veros esse iudices, vnde pro suis delictis ab eis se castigandos esse valde timebant.

Exodi 20. v. 3.

Caietã.

Tametsi homines illi cæci essent, sibique falso persuaderent, quod quicquid bonorũ possidebant, aut sperabant, id totum à Dijs suis sibi munifice concessũ fuisse, non tamẽ hoc eos ad illos honorandos permouebat, sed timor quo castigari verebatur. Vnde perspicue videre poteritis, falsam illam Ethnicorum

eorum religionem, non à præmiis aut gratijs, alijsque bonis, quæ ipsi miserrime à Dæmone decepti, à Dijs suis præstolabantur, sed à timore tantũ plantatã aut introductã fuisse. Ad insinuandum, quod naturalis quidam, propriaque hominum conditio sit adorare & honorare Deum, idque non ex motiuo bonorum, quæ ab ipso vel recepimus, vel speramus, sed ex pœnæ supplicijque timore, *Quia videlicet timent illum tanquam Iudicem.* Vnde dicere voluit, Timorem primum fuisse artificem, qui Deum formauit; *Primos in orbe Deos fecit timor.*

5. Dæmon die quadam à Deo postulauit licentiam, qua nimirum sibi sanctum, Iob varie affligere liceret & castigare: Quia igitur Deo probe perspecta esset serui sui integritas, vitæque conditio, hinc mox rogatam, Dæmoni indulsit facultatem dicens: *Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt.* Quodsi nosse vultis, quidnam humani generis inimicus in huius magni viri afflictionibus prætenderit aut quæsierit idipsum eleganter Oleaster ostendit dicens: *Nihil aliud Diabolus prætendebat, quam quod putaret, Iob posse ab eo lædi, vt eum timeret, & ex timore honoraret.* Truculenta namque bestia illa optime naturalem hominum indolem cognoscebat, videlicet quod non honorent aut adorent Deum eo quod bona ab illo recipiant, sed quia mala ab ipso sibi metuunt esse inferenda. Atque ideo vt ex hoc capite à Iob honoraretur & adoraretur, illum adeo truculenter affligere contendit.

6. Licet autem hoc Dæmonis iniquissimum propositum in hoc sanctissimo Dei seruo suum non fuerit sortitum effectum, illum tamen plenissime in certis quibusdã Hæreticis, qui dicebantur sathaniani accepit. Qui vt sanctus refert Epiphanius, Dæmonem adorandum esse voluerunt, à metu malorum quæ illis poterat infligere, ad hoc præcipue commoti, vnde sequentem adinuicem habebant discursum: *Sathanas magnus est, & multa hominibus mala facit: cur non potius ad eum confugimus, & ipsum adoramus, & ipsi laudes dicimus, quo propter blandum cultum non faciat nobis mala, sed nobis, qui serui ipsius sumus facti, parcat, atque sic etiam hi Sathaniani seipsos cognominauerunt.*

S. Epiphan lib. 3. to. 2. heres. 80.

Quasi dicerent: Per continuam videmus experientiam, quam Dæmon factus sit magnus & potens, & quantum ipse in mundo hoc visibili præualeat; ab ipso namque solo procedit tam temporalis quam æterna omnium hominum perditio. Cur igitur ne malis illis ab ipso inuoluamur, illum veluti Deum nostrum adorare non decernimus? Forte enim ipse dũ cunctis aliis nocumento est, nobis veluti fidelibus & deuotis seruis suis tantum deferet, vt mali nihil inferat. Vnde ex pari omnium voto communique consensu ad hanc sese Idololatriam receperunt, atque Sathaniani appellari voluerunt, vtpote homines Sathanam veluti Deum adorantes. Verum enimuero an non hic aduertitis, Sathanam diuinos ab hisce hominibus sibi acquisiuisse honores timorem ijs incutiendo? vtpote cui ordinaria ac naturalis cognita optime atque perspecta erat omnium hominum conditio, qui nullo alio motiuo, quam solius mali timore, ad pietatem, religionisque obseruantiam inclinari solent, sine quo licet alias pro maiori ipsorum parte miserrimè decepti. Creaturam Dei loco adorarint, attamen ne ipsum quidẽ Deum vnquam cognouissent.

7. Cum regius propheta Dauid respectum illum & reuerentiam, qua homines erga Deum communiter feruntur, attentius consideraret, hunc in modum cecinit: *Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum; sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Cur hic non dicit nos faciem Dei respicere sed manus? Hugo de sancto Victore, qui ob calami sui excellentiam dictus est *Augustini lingua*, rationem huius adfert, dicens: *Vbi baculus ibi oculus. Seruus enim est, qui timet flagellum. Oculus filij ad faciem, oculis serui ad manum.* Vnde Dauid, oculos nostros manus Dei respicere, & non faciem, probe namque naturalem hominum conditionem sibi habebat perspectam, quæ non filialis, sed seruilis est, quicquid enim siue pro infinitæ illius Maiestatis serui-

Ps. 122. v. 2.

Hugo de S. Victore.

tio,

tio, siue pro animarum nostrarum facimus salute, id totum ideo operamur quia metuimus castigari, non vero quia Deū diligimus. Vnde nō amor sed baculus intra Christianæ obseruantiæ nos continet terminos, & ad bene operandum permouet. *Vbi baculus, ibi oculus.*

8. S. Euangelista de fortunato sene, sancto inquam Simeone tractans, inter alia de eodem dicit, ipsum fuisse virum valde timoratum: *Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus.* Quo in loco, vbi nos iuxta vulgatam legimus: *Timoratus.* Arias Montanus ex Græco legit: *Religiosus.* Vnde *Timoratus,* idem est, quod *Religiosus;* Verum vnde accidit, quod Homo timoratus appelletur religiosus? Ratio est, quia Timor religionem in ipsum hominem, nec non & verum Dei cultum & venerationem introducit, facitque vt cognoscamus, honoremus, & adoremus Deum. Mox enim vt homo Deū timet, illum quoque subito honorat & adorat; & nisi homines essent timorati, rari quoque deuoti essent & religiosi.

Lu. 2. v. 25.

Arias Monta.

9. Ponderatione dignissimum est, quod Deus die quodam cum Isaia propheta suo loquens eidem quidnam suo tempore cum gentiles Dæmonum cultum & venerationem deserentes in gremiū se reciperent Ecclesiæ, facere decreuisset, manifestarit dicens: *Egredientur & videbunt cadauera viuorum qui prauaricati sunt in me, vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* q. d. Postquam ipsi fallsorum Deorū cultum abominati, atque in domum meam introducti fuerint, tunc ego coram oculis ipsorum infernum aperire decreui, vt in eo innumerabiles pœnas conspicere valeant, quibus sanctarum legum mearum transgressores castigabuntur.

Isa. 66. v. 24.

Oleaster hoc loco Deum hunc in modum interrogat: Quamobrem, ô Domine, aduenis & Neophytis tuis, iam primitus ad te videndum conuenientibus truculentum adeo & horrendum exhibere spectaculum voluisti? Nunquid melius fecisses, si eisdem cælestis curiæ tuæ pulchritudinem & diuitias ostendisses, modumque agendi Regum huius mundi fuisses imitatus, qui aduenis & hospitibus suis aliud exhibere non solent, quā ea quæ in Palatio suo, pretiosiora & rariora possident, prouti tuus ille Rex Ezechias legatis Babyloniæ fecerat? Et respondet: *Non minus vtile est ijs, qui ad Deum accedunt, videre damnatorum supplicia, quam præclara præmia beatorum, quoniam per timorem Domini recedit omnis à malo.* q. d. Ratio ob quam Deus fidelibus suis nouiter conuersis gloriam Beatorum & ingentis regni sui non demonstret diuitias, sed Infernum & pœnas damnatorum, hæc est, nimirum quia nimis sibi perspectam habet hominum conditionem, qui peccata deserere, & amplecti virtutem non solent ob spem cælestis præmij, sed propter pœnæ timorem. Et certe, subdit hic Doctor, quodsi Deus quolibet mense ante omnium hominum oculos infernum apertum ostenderet, cunctaque abyssi illius manifestaret tormenta, non tot in populo Christiano committerentur scelera, neque homines in sanctarum virtutum exercitio adeo essent pigri & inertes, magnaque inde nobis salus proueniret, nam ad bene viuendum vix vnquam resoluere nos possumus, nisi ad Baculi & virgæ conspectum; *Per timorem Domini recedit omnis à malo.*

Oleast. ibi.

10. Dominus ficulneæ illius, de qua S. Lucas parabolice scribit, post elapsum triennium, iterato reuertens, vt videret si fructus in eadem interea tēporis nati fuissent, atque illam non minus tunc, quā annis superioribus, infæcundam reperiens, dixit vinitori suo. Iam ecce tres anni sunt, quibus ab hac ficu fructus expectans continuo delusus sum, Nequaquam igitur illam vlterius in viridario meo tolerare decreui: *Quare succide illam, atque in ignem mitte, vt quid enim frustra terrā occupat?* Cui vinitor respondit: *Domine dimitte illam & hoc anno, vsq; dum fodiā circa illam, & mittam stercora: & siquidem fecerit fructum, sin autem in futurum succides eam.*

Lu. 13. v. 8.

Quidnam fossa illa significabat, quam industrius ille agricola circa vineā statuerat facere, vt fæcundam illā atque fructiferā redderet? Beda dicit, fossam illam significasse considerationem Inferni: *Vsquedum fodiam circa illam, idest, horrorem perpetuæ damnationis incutiam.* Decreuerat circa

Beda. ibid.

illum facere fossam, idest, aperire terram, & pœnas damnatorum ostendere, vt hac ratione timore non incidendi in illas, commotus, sese ad pænitentiæ, aliorumque bonorum operum fructus faciendos resolueret. Vbi notandum: remedium istud ad extremum vsque reseruari, vtpote præ cæteris potentius & efficacius. Timor enim hominem ad virtuosam vitam excitandum, tantam vim obtinet, vt res stupenda prorsus sit & admirabilis. Vnde quisquis hoc remedio adhibito non conuertitur, nec emendatur, perditus merito censetur atque damnatur, nulla ipsi reliqua est spes salutis, è viuorum numero merito exturbatur, & veluti sterile lignum ad comburendum in Inferni voraginem præcipitatur. Quod enim homo non præstat adactus timore ob nullum alium facturus erit respectum.

11. Magnus Baptista Ioannes Hebræorum turbis verba salutis prædicans, inter alia dixit: *Iam enim securis ad radicem arboris posita est.* Authot operis imperfecti hunc locum considerans, dicit Deum securim huic arbori eo fine applicasse, vt fertilem illam redderet & fæcundam. Quæ explicatio valde mihi videtur paradoxa. Nunquam enim securim arbori alicui ad fæcundandum eandem impingi videmus, siquidem securis in arborem adacta, illam truncare, non vero fæcundare soleat. Vt arbores fœcundæ reddantur, illas agricolæ cultiuare, stercorare, rigare quidem non vero hoc fine eidem securim adhibere solent. Cur igitur non dicit, Deum ad hanc arborem fœcundandam, aliquod ex his adhibuisse remedijs, sed securim, quæ arborem non solum non fæcundat, sed & excidit & detruncat?

Matth. 3. v. 10.

Respondeo, quod sicut arborum diuersæ sunt Naturæ, ita quoque pro ijs fœcundandis diuersa seruiant remedia. Arbor illa, de qua S. Ioannes Baptista loquitur, Homo est, qui disparem valde ab alijs terræ arboribus habet conditionem naturæ. Vnde à Platone appellatur: *Arbor inuersa.* Quia cum omnes cæteræ beneficentijs fæcundentur rigando nimirum, cultiuando, impinguando, ad huius tamen arboris fœcunditatem promouendam beneficentiæ nequicquam efficiunt, neque ad id præmia & promissiones aliquid valent, sed minæ requiruntur atque terrores; quicquid enim boni arbor ista parturit, id totum supplicij timore producitur. Vnde Deus securim radici eius applicat, vt videlicet ipsissimis suis oculis ruinam sibi imminentem conspiciens, sese ad virtuose viuendum efficaciter resolueret: *Quia rationabiles sunt arbores,* dicit Doctor iste, *videntes ad radicem suam positam esse securim, timeant præcisionem suam, & faciant fructum.*

Plato.

Auct. op. Imperf.

12. Guilielmus Parisiensis ad effugiendum ardentem inferni clybanum, ingens quoddam secretum verum atque infallibile habebat remedium, cuius ille virtutem & efficaciam frequenti probauerat experientia hoc videlicet: *Ab illo fugiens ad illum fugio.* q. d. Quotiescunque æternum Inferni fornacem declinare desidero, nullum huic proposito aptius aut congruentius inuenio remedium, quam vt ad illum confugiam. Videtur istud euidens quoddam esse paradoxum, quod si enim fugiebat infernum quomodo ad illum confugiebat, aut si ad Infernum confugiebat, quomodo illum effigere poterat? Nequaquam paradoxa, sed clara, planaque est locutio. Quia dicere tantum volebat, quod quotiescunque Dæmon, mundus, aut lenocinans caro ad præceptorum diuinorum transgressionem illum vrgendo, vim sibi facerent, vt se in Infernum præcipitaret, ipse tunc considerationis pedibus ad infernum sesubito reciplat, ibidemque infinita diuinarum legum transgressoribus præparata tormenta considerans, eorundemque timore, inimicis Diaboli tentationibus resistens, sanctum se conseruet, atque hac ratione infernum effugiat Vnde declinaturus ab inferno ad illum confugiebat. *Ab illo fugiens, ad illum fugio.* Vbi notandum, quod non dicat, se vt infernum declinet, ad Paradisum confugere, sed ad fornacem inferni, quia ad fugiendum ab æterna damnatione, in hominum cordibus non tantum præualet spes præmij, quantum valet timor tormenti, vtpote quæ non nisi per timorem quicquam boni efficiunt.

Guiliel. Parisiens.

13. Theodoretus Episcopus Cyrenensis considerans quod Deus referente Moyse, in principio creationis mundi, vna cum animantibus cæteris, feras quoque & serpentes

tes creare voluerit, sic enim textus habet: *Dixitque Deus; Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia, & bestias terræ.* Hanc quæstionem mouet: *Ad quod creauit Deus bestias & reptilia?* quasi dicere voluisset: Quandoquidem cuncta animalia ad hominis seruitium & subsidium à Deo creata sint, quasi totidem illius serui & ministri, vti est equus bos, & alia pecora & animantia, quo igitur fine leonem, Tygridem, Basiliscum, viperam, & alias feras, & serpentes creare voluit, cum illa non tantum nullo sint homini obsequio, & subsidio, verum insuper eundem, veluti totidem illius capitales hostes & iurati inimici persequantur, illumque vita sua spoliare moliantur? Videri non nemini posset Deum potius facturum fuisse animantium venenatorum creationem intermisisset, vtpote qui præuidebat illa non ad hominis futura esse obsequium, sed potius in eiusdem cessura perniciem.

Genes. 1. v. 24.

Respondet autem: *Cum Dominus Deus animaduertisset, nos ad ignauiam procliues, bestias & reptilia condidit, veluti loca quædam, & terriculamenta, vt per ea nos terrens ad se traheret.* Diuina omnipotentis Dei sapientia, ad hominis vtilitatem non solum cicurium animalium creationem pertinere iudicauit, sed etiam plasmationem ferarum atque serpentum; quæ tanto vtiliora æstimanda sunt, quanto ad animæ potius spectant obsequium, quam corporis. Cum enim homines non nisi summa cum difficultate, amplexaturos esse virtutes, vitia autem declinaturos, neque ad id siue spe præmij, siue aduersitatum timore adigendos esse, penitissime præuideat, ideo fera & venenosa hæc animalia creare voluit, vt hisce mediantibus, illis veluti pueris timor & terror incuteretur, atque hac via in æternam dirigerentur salutem. *vt per ea nos terrens ad se traheret.*

Theodoretus quæst. 18. in Gen.

14. S. Pater Bernardinus Senensis, vtpote qui mundo prorsus vanisque illius pompis renuntiauerat, ordinarie in sermonibus suis superfluas superbasque virorum ac mulierum vestes redarguere solebat; Et quidem tametsi ad tantum abusum extirpandum, admirabili cum efficacia omnes animi vires intenderet, postquam tamen postea frustra se fatigari nullumque prorsus fructum obtinere vidit, in hæc tandem verba prorupit: *Si Angelus de cælo descenderet, vel Paulus forte vel Christus & contra hæc talia vestimenta & superflua prædicaret, credo quod victoriam non haberent.*

S. Bernar. Senens. to. 2. de patria flagel. art. 2. c. 2.

Magnum quid summaque admiratione dignum, verba hæc innuunt. Videtur enim sanctus Doctor ille dicere voluisse, tales personas in emendabiles esse & incorrigibiles; Quomodo enim alias dicere posset tales nec per Angeli alicuius aut Apostoli sermones, imo nec per ipsummet concionantem illis Christum emendari possent si non pro desperatis, perditis & incorrigibilibus haberi debeant. Veruntamen nequaquam ita iudicandum est, inquit S. Doctor, neque enim adeo facile de ipsorum est desperandum salute, ipsis namque adhuc flagelli Dei superest remedium, cuius contra similes vanitates frequenter per experientiam comperta est efficacia: *Pro talibus amouendis cum multiplicata sunt, nullum remedium relinquitur, sicut in pluribus Ciuitatibus expertus sum, nisi Dei flagellum.* Videte igitur, quantum in eiusmodi hominibus timor Dei præualeat, de illis enim in quibus nec magni alicuius sancti qualis Bernardinus erat, igniuomæ prædicationes, nec sermones Angelorum, nec Pauli comminationes, imo nec ipsiusmet sapientiæ vnigeniti filij Dei verba aliquem elicere fructum, aut vtilitatem aliquam parere poterant, solus Dei timor speratam generose reportat victoriam. Nunquid igitur benedixi hominem eius esse indolis vt sola virga dirigatur & baculis? aut quod nihil vnquam boni faciat nisi ad id timore ne male tractetur aut castigetur, induceretur?

15. Dauid Propheta Psalmum centesimum decimum octauum composuit, eundemque in multas subsecuit partes, quarum cuilibet aliquam Alphabeti Hebraici literam præfixit. Quartæ autem parti *Daleth* literam assignauit, quam dictionem S. Ambrosius in latinum sermonem transferens, inuenit, per illam duo potissimum significari, *Natiuitatem* scilicet & *timorem*

rem. Quas duas significationes simul inter se coniungens elegantissimum ex iisdem elicit conceptum, & dicit *Quid est enim terrena natiuitas, nisi timor?* Vult dicere, Hominem à natiuitate atque ab ipso matris vtero timendi proprietatem sibi habere congenitam. Id quod vtique factum est admirabili diuinæ pietatis prouidentia: cum enim Deus præuiderit, hominem nihil facturum boni, nisi ad id timoris adigatur calcaribus voluit hominem naturaliter esse timidum, vt hac ratione cum nunquam obliuisci possit proprietatis naturalis, diuina consequenter semper formidaret supplicia, & consequenter Deum semper honoraret obseruaretque ac custodiret sedulo eius præcepta diuina, atque ita saluari posset. — S. Ambros. in ps. 110.

Videte quam bene Deus nobis fecerit, animam nostram circumdando sepe sui sancti timoris. *Sepem circumdedit ei.*

CONSIDERATIO II.

Et sepem circumdedit ei.

Tametsi Angeli, vtpote beati, dolore affici nequeant, tanta nihilominus est affectio, qua feruntur erga hominem, vt de malis quæ homini accidunt, mœstos se exhibeant atque dolentes.

1. SEpes altera secundum circa vineam animæ gyrum efformans, eundemque circumdans, est ignea, atque angelorum custodiam significat, qui à Propheta ignis appellati sunt: *Qui facit angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Appellantur autem ignis, eo quod igne amoris erga homines, quorum custodiæ à Domino sunt deputati, exardescunt, qui amor ex dolore quem in hominum afflictionibus persentiscunt, manifeste arguitur. — Ps. 103. v. 4.

Christus vnicum bonum nostrum in S. Luca de scelerati cuiusdam hominis conuersione loquens, ita loquitur: *Gaudium erit in cælo, pro vno peccatore pœnitentiam agente*, q. d. Quotiescunque anima quædam à malitia sua expergiscens seu resipiscens, peccatorum suorum contra Deum commissorum facit pænitentiam, toties in cælis Angeli lætantur, & diem festiuum agunt. Ex quibus verbis Origenes hunc in modum argumentatur, atque elegantissimam facit consequentiam; *Si ergo gaudent pro conuerso, necesse est, vt lugeant pro peccante.* — Luc. 15. v. 7. — Orig. hom. 23. in Num.

Vbi notandum, Origenem dicere: *Necesse est, vt lugeant?* Cur illis necessum est plangere? Annon in peccatoris conuersione gaudere possent, nec tamen de ruina seu casu hominis iusti plangere? Sicut inter homines nonnulli reperiuntur, qui tametsi ex vna parte de bono amici lætentur, ex altera tamen parte malum quod eidem accidit, non curant, neque idem deplorant? Non est id possibile in angelis, licet in hominibus non repugnet, illi namque eodem modo quo de bono gaudent, ita de malo hominum oportet vt doleant: *Necesse est vt lugeant.* Quia sunt amici nostri optimi, non est amicitia illorum in aliquo interesse fundata, sicut fieri videmus in mundo vbi sunt qui in prosperis & iucundis nobiscum congaudent; & lætantur, cum tamen in euentibus sinistris nemo sit qui compatiatur aut condoleat, sed est amicitia syncerissima & vera, adeo vt tam de bono nostro gaudeant, quam de malo dolent, non minus exultant in prosperitate nostra, quam in aduersitatibus plangunt. Vnde bona isthac perfectaque amicitia supposita necessarium est, vt quoties animam quandam in perditionis via constitutam conspiciunt, de eadem vehementissime doleant & plangant: *necesse est vt lugeant.*

2. Opinio est Panthaleonis Diaconi, quod sicut Angelus noster custos, fidelem clientem suum virtuose agentẽ videns, lætus & iucundus esse solet: ita quoque mæstos esse consueuerit; quando eandem viã bonam transgredientem & declinantem aduertit: *Quando autem ambulat in sanctitate & iustitia homo fidelis, lætatur angelus, quando vero à via recta declinauerit, tristis quidem est bonus Angelus.* — Pantal. Dia. apud Lippo. 29. sept.

Vbi notandum, quod sanctus hic Diaconus dolorem Angeli explicare volens, quem ex notato à se animarum nostrarum malo concipit non dicat, *dolet*, aut *luget*, sed *tristis est*. Non caret id mysterio, quod huius nominis vti voluerit emphasi & energia. Quantum enim ego intelligere possum, vide-

videtur significare voluisse dolorem quendam excessiuum, intensum, nostroque loquendi modo extraordinarium. Hæc enim dictio *Tristis*, magnam quandam habet cum Hebræa dictione: *Batsach* affinitatem, quæ in latino sermone idem significat, quod *vulnerauit*, aut *sauciauit*. Vnde talis cuiusdam doloris est significatiua, qui aptus est cor medullitus transuerberare & sauciare. Vt inde intelligatur, quod dum Angelus, nos Deum offendisse, pedemque nostrum in perditionis via fixisse aduertit, mox adeo de hoc doleat, & contristetur, vt si doloris alicuius capax esset, dolor ille cor illius vulneraturus & sauciaturus esset, tam ingens est amor ille, quo erga nos fertur: *Tristis quidem est bonus Angelus.*

Polyan. ver. Tristitia.

3. Isaias certum quoddam lugubre spectaculum præuidens, dicit, illud adeo futurum truculentum & barbarum, vt ipsimet quoque Angeli sancti ad amarum commouendi sint fletum; *Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amarè flebunt.* Quodnā fortasse fuit istud spectaculum, adeo ipsis quoque Angelicis oculis dolorosum, vt eosdem prouocaturū sit ad amarissimas lachrymas? Nullū certe aliud præterquā peccatorum nostrorū spectaculum, inquit S. Vincentius Ferrerius: *Ecce videntes, idest peccata nostra.* Adeo namq; magni amici nostri sunt Angeli, nosq; adeo vehementer diligunt, vt quotiescunq; peccata nostra intueantur, à quibus nostra æterna depēdet ruina, ob immēsum cordis dolorem intermittere nequeāt, vt quin valde se mæstos exhibeant atque dolentes, tametsi in æternæ fælicitatis iucundissimo statu consistentes, vere dolere non possint. *Amare flebunt.*

Isa. 33. v. 7.

S. Vinc. Ferrer. de Michaele.

4. Refert Ezechiel Propheta, vidisse se Deum cuidā Angelorū suorū præcipientē, vt manum suam accensis impleret carbonibus, eosdemque super ciuitatem Ierusalē proijceret, vt hac ratione vrbs ista lamentabili incendio deflagraret: *Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super ciuitatē.* Subdit autē idem propheta vix Angelum pro diuini præcepti facienda executione discessisse, & ad rotas venisse, vbi carbones quos prensurus erat, latebant cum ecce firmiter ibidē mox substitit. *Ingressusq; ille stetit iuxta rotā.*

Ezech. 10. v. 2.

Operæ pretium mihi hoc loco videtur vt causam inquiramus, ob quam Angelus Dei, qui alias tāta cum velocitate creatoris sui exequitur præcepta, vt proptérea vulgo describatur alis instrictus, quia instar vēti volat, cur inquam is nūc adeo piger, tardus, & lentus sit? Cur moretur? Cur subsistat? Cur non plus vltra progreditur? Cur manus suas consueta cum velocitate non adimplet Carbonibus, vt quemadmodum præceptum illi fuerat, incendio ciuitatem illam deuastaret?

S. Pater Hieronymus tardioris huius moræ assignat causam, dicens: *stetit tantum iuxta rotam, ob tristitiam puniendæ Ierusalem.* q d. iuxta Ignem substitit ob ingentem, quo ex miserabilis illius ciuitatis horribili incendio corripiebatur, dolorem. Stabat equidem Angelus ad præceptum Domini debitè exequendum accinctus, neque enim non obedire non poterat, quia autē id cōtra suam voluntatem faciebat inuitus, cum dolore & cordis afflictione, quasi facinus istud committere minimè auderet, aliquantulum moratus est, & substitit. Vnde ingens ille arguitur amor, quo Angeli feruntur erga homines, dum in mediis ipsorum malis, ad instar amicorum corporalium signa demonstrarunt doloris & Compassionis. *Ob tristitiam puniendæ Ierusalem.*

S. Hieron. ibid.

5 S. Pater Ioannes Chrysostomus de Cherubinis illis loquens, quos Deus post pulsum è Paradiso Adamum, ne eo deinceps amplius ingrederetur, ante Paradisum collocauerat, vt locum illum adeo delitiosum custodirent, dicit, quod tametsi satis cognoscebant, officium istud in particularis cuiusdam honoris assignatum fuisse testimonium, dolentes tamen officium istud obiuerint, & afflicti *Cherubim meruerunt quidem custodire Paradisum, sed dolebant honorem custodiæ.* Quod oris aurei effatum bonam meretur considerationem, Cur nimirum Angeli isti, postquam se à Deo ad eum honorem vidissent sublimatos, vt tanti tamque insignis & præcellentis loci fierent custodes & protectores, adeo doluerint & mæstos se ostenderint. *Dolebant honorem custodiæ.* S. Doctor causam assignat dicens: *Nostris suppliciis tristabantur*

Chrysost. serm de Ascens.

bantur. q.d. Tametsi negari non possit, quin Angeli per assignatam illis Paradisi, custodiam, à Deo plurimum sint honorati, quia tamen honor ille cum graui hominum damno erat coniunctus, vtpote qui eo spectabat, ne in amænum illud Paradisi viridarium homines deinceps admitterentur, sed longe à fælici illa arcerentur patria. Hinc quia ex diligenti ipsorum custodia consequenter homines in præsentis vitæ miserias & labores perpetuo esse debebant relegati, ideo ipsi, vtpote chari perfectique amici nostri, se cum tanto eorum, quos intime amabant, damno honoratos conspicientes. Vehementissime dolebant: *Dolebāt honorem custodiæ.* Tantus namque est ipsorū erga homines amor, vt libentissime ab omni procul essent honore, dummodo homines hac ratione ab omni quoque malo procul abessent. *Nostris suppliciis tristabantur.*

6. Duo illi Angeli, qui de cælis ad Abrahamum in valle Mambre degentem missi fuerant, vt eidem fausta referrent nuntia de filio, qui eidē sancto Patriarchæ in summa senectute nasciturus erat, atque tantopere ab eodem fuerat desideratus: Hi inquam ijdem Angeli à Deo deputati etiam fuerāt, vt igne cælesti, infamē deuastarent sodomā, sicut & alias circumuicinas ciuitates. Postquam igitur ea, quæ apud Abrahamū Patriarchā agenda ipsis erant, expediuissent, iamque sodomam versus abituri essent, Abrahā
Genes. 28. v. 16. Patriarcha, inquit sacer textus, in ipsorum sese iunxit societatem: *Abraham simul gradiebatur deducens eos* Circa quē locū Tostatus causam inuestigat, ob quam Abraham sese Angelis adiūxerit comitē, num scil. id fecerit vrbanitatis causa? aut vero quia ipsi
Tostat. ibi eius societate opus habebāt? Et respondet: *Abraham simul gradiebatur deducens eos, idest, demonstrauit eis iter, quasi ignorarent.*

Verum enimuero, quomodo possibile est Angelos nesciuisse viā Sodomam versus? Metropolis aliqua omnibus cognita, in magna quadam situata planitie, ab omnibus nominata, celebris apud omnes, Angelis esse non poterat ignota, vt ob id aliquo viæ duce indigerent. Quodsi enim absque ductore domum Abrahæ, hominis particularis & priuati, in valle situatam, atque ingenti quadam quercu contectam inuenire potuerunt, quomodo non pati cum facilitate Sodomæ viam absque ductore inuenire potuissent? Attamen nolite mirari factum istud. Angeli namque viam ad Abrahæ domum perducentem optime nouerant, eo namque pro gratijs fauoribusque concedendis properabāt: viam vero quæ ducit ad sodomam ignorabant, quia ea ad inferendum mala eosdēque horribili incendio deuastādos se recipiebant. Amor autē quo spiritus cælestes feruntur erga homines, tam est ingens, vt à Deo sunt deputati, ad benefaciendum hominibus, vel eosdē honorandū, nullus in orbe sit locus, quantumuis priuatus & occultus quē ignorent. Quando autem veluti ministri iræ diuinæ huc in terras mittuntur, eo nimirum modo, quo hi duo veniebant, ad castigandum & perdendum, quia tunc inuita veniunt voluntate, summa cum displicentia & dolore, propter malum quod inferre debent ijs, quos adeo tenerē amāt, videntur quasi cæci viam, quæ ad tales ducit, ignorare.

7. Cum auarus ille Balaam asinæ cuidam insidens, se ad maledicendū Hebræorū populo reciperet, eidem Angelus quidam per viam apparuit, qui strictum in manu gladium tenens se illum occisurum comminabatur, dicens: *Veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihique contraria.* q.d. Hic Num. 22. v. 32.
ego, scelestissime hominum, citissime aduolaui, vt in ruinam te præcipitarem, vtpote qui tantæ es temeritatis, vt directe contra me procedere præsumas. Hic vos ô auditores appello, simulq; interrogo. Quid vobis videtur? Procedebatne hoc loco Balaam contra Angelum Dei, aut vero contra gentem Hebræā? respondebitis vtiq; & merito: Quid Balaamū Angelus attinebat, aut quid illi cum Angelo intercedebat negotij? Aduersus populū Hebræū ibat, non vero cōtra Angelū Cur igitur Angelus illi dicit, Balaam venire contra ipsum: *Quia peruersa est via tua, mihiq; contraria?* Iure merito respōdere Balaā seq; excusare potuisset dicendo, quod nihil cōtra Angelos facere prætēdat, sed cōtra homines. Abulensis dicit, quod dū Angelus diceret, viā Balaā sibi esse contrariā, hoc solū intenderit dicere quod nimirum

rũ via eius populo suo sibi commisso aduersaretur: *Peruersa est via tua, mihique contraria, idest, populo meo, idest, ad malum populi mei.*

Pro cuius loci intelligentia sciendum est, Angelum illum fuisse S. Michaelem, populi Hebræi eodem tempore custodem, quẽadmodum nunc sanctæ Ecclesiæ Dei custos existit, qui proinde non ob aliã causam Balaam monebat, quod eo ipso quo contra populum illũ suæ custodiæ à Deo commissum, procederet, contra semetipsum ageret, nisi duntaxat ob vim amoris, quo populum illũ diligebat, hic enim tantus erat, vt idẽ prorsus cũ populo illo sese esse existimaret, nihilque ab eo diuersum, sic enim amicus bonus. *Alter ego* appellari solet. Vnde ob hanc causam, omnia quæ Balaam contra populum Hebræum machinabatur mala, ab Angelo veluti contra propriam suam personam facta recipiebantur.

8. Refert Moyses quod eo tempore quo Iob in tot afflictionum consistebat incendio, ex optimis amicis suis tres mox vt miseriam illius intellexerunt, ad eum consolandum vnanimiter accesserunt: *Audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum & consolarentur.* Quærit hoc loco Origenes, quisnam ille fuerit, qui afflictiones & miserias Iobi, amicis eius retulit, ad hoc vt ad eum, illum consolaturi, accederent? Et dicit fuisse Angelos: *Sancti Angeli ad eos venientes, siue in somnis, siue in vigilijs, admonuerunt eos, vt celeriter venirent & iustum illum amicum consolarentur.*

Iob. 2. v. 11

Orig. ibid.

In quo facto notandum, quod primi qui afflicto Iob condoluerunt, fuerint Angeli, amici enim postea, & hi quidem, nisi ab Angelo vocati & moti fuissent, pro cõplendo amicitiæ in amicum suũ officio, etiamnũ nequaquam venissent. Vnde concludere oportet, meliores omnium quos habemus amicos, vtpote qui ante omnes alios de nostris dolent calamitatibus, qui etiã nõ vocati, aut inuitati ad condolendum nobis, nosq; consolandum promptissimi accedũt; esse Angelos cælestes, respectu quorum amici mundi istius, qualescunque demum ij sint, frigidi sunt & imperfecti.

9. Quando Balaam, vti supra dixi, populo Dei electo maledicturus egrediebatur, Angelus Michael, vt Moyses refert inter duas sepes in conspectu Asinæ sese statuit, eandemq; ne iter suum progredi posset impediuit. Balaã autem horum omnium nescius, vtpote qui Archangelum nequaquam videbat aut videre poterat, itineris sui tardationẽ ex parte Asinæ, se tenere, credẽs valde indignatus, Asinã ligno siue cespite quẽ manu tenebat, ter vehementer delumbatã, verberibus dire onerauit. Mox Angelus sese eidẽ manifestans, sequentibus, quæ prima quæ illi dixerat, fuerunt, eum est allocutus: *Cur tertio verberas asinam tuam?* q. d. O tu peruerse, quamobrem tanta cum indiscretione totq; diuersis vicibus miseram me bestiam dire adeo tractas & percutis? Nũ. 22. v. 58.

Scire hic velim, quidnam Angelo cũ bestia illa intercesserit negotij? quid sua referebat, quod Balaam male bestiam tractaret? nũ forte Angeli sub sua custodia tam bestiarũ, quam hominum habent indiuidua? Non fuit isthæc causa Angelũ mouens, inquit Oleaster, sed quia *Curant Angeli à Deo suo edocti maximè pietatem.* Angeli Exemplo Domini sui pietatem edocti, ipsis quoque bestiarum afflictionibus compatiuntur: Idque ex amore, qua erga nos feruntur edocti, nam vt S. P. Bernardus dicit: *Qui me amat, amat & canem meum:* Amicus enim non solum amicum suum diligit, verum etiam omnia ad amicum spectantia, ad ipsum vsque canẽ. Vnde Angeli veluti viscerosissimi amatores nostri, ea quæ nostra sunt, diligunt, & pro tenera qua erga nos feruntur affectione, non de nostris tantum miserijs dolent, verum etiam de afflictionibus earum rerum, quæ ad nos pertinent, ad ipsas vsque irrationabiles bestias.

Oleast. ibi.

S. Bernad. ser. 1. de S. Michaele.

10. Pro confirmatione & terminatione huius nostri discursus nequaquam intermittendum à nobis est, quod S. Antonius Magnus Monachis suis scribit de Angelis Custodibus disserens: *Vere enim filioli, nostra incommoditas & inutilitas dolorem eis omnibus præbet, vruntur lachrymis & gemitibus pro nobis in conspectu conditoris.* Angeli miserias nostras, haud aliter quam si ipsorum essent propriæ, sic æstimant, tantumque è malis nostris dolorem concipiunt, vt pro adferendo illis sub-

S. Anton. Mag. Epist. 5.

subsidio, in conspectu Dei Opt. Maximi plangentes & lachrymantes sese statuāt, donec quoad opus est omnia obtineant. Quis audiuit vnquā aulicūaliquem, pro ferendo vni amicorū suorum grato subsidio, coram Principe suo fuisse lachrymatum, vti Angeli in Regis sui faciunt conspectu, donec fauorem eius nobis reapse obtineant? videte igitur, quā ratione amemur ab Angelis, adeo nimirum vehementer, vt hi negotia nostra sibi iudicent esse propria. Vnde de damnis nostris, haud aliter quam si illorum essent peculiariter propria, amarissime plangunt & dolent. Quanta item cum securitate possimus viuere, dum nos admirabili hac sepe Angelico nimirum exercitu circumdatos esse videmus atque defensos, qui tanto erga nos ardent igne amoris. *Sepem circumdedit ei*

CONSIDERATIO III.

Sepem circumdedit ei.

Suorum tam fortis protector est Deus, vt eosdem non tantum ex ore lupi, sed etiam per ipsummet os lupi eruat atque defendat.

1. PRopheta Dauid, dum animæ cuiusdā sub symbolo vineæ cuiusdam repræsentatæ consideraret miseriā quæ quod sepe, qua olim cincta fuerat, destituta esset, à quolibet viatore vindemiata fuerat atque destructa, ad Deum conuersus, hunc in modum cum illo loquebatur: *Vt quid destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam!* q. d. Quamobrem, ô Domine, sepem vineæ huius destruxisti? nunquid vides, quod quia iam omni destituta est defensione & custodia, quotquot illam nunc transeunt, eandem demoliantur & dispperdant? Fortis vtique & valde potens esse debebat sepes ista, vtpote quæ vineam istam, tum ab hominibus tum à bestijs defendere poterat. Hugo Cardinalis hunc locum explicans, per sepem istam, Diuinam protectionem intelligit, atque ideo consequenter opinatur, quod dum Dauid dicit: *Destruxisti maceriam eius*, hoc idem fuerit, ac si dicere voluisset: *Tuam subtraxisti protectionem.* Explicari nequaquam potest, quam admirabilem, Diuinæ protectionis sepimentum, animæ præstet tutelam, contra hanc enim sepem, vtpote quæ ex syncerissimus, pellucidisque fabricata est adamantibus, nulla tam vehemens, potensque excitari violentia potest, quæ expugnare illam possit; illosque quos sub suos recipit limites, tanta cum admiratione tuetur, vt non tantum in manibus inimicorum suorum constitutos eosdem defendat, verum etiā per ipsissimas inimicorū manus id illis præstet; neque eos tantum ex ore lupi eripiat & saluet, verum etiam per os lupi idipsum efficiat, suaque ineffabili prouidentia res humanas ita disponit, vt qui perditionis instrumenta merito esse debebant, ijdem fiant salutis vitæque fortissima præsidia. Atque hæc est tertia circumuallatio siue gyrus sepis animæ nostræ.

Ps. 79. v. 13.

Hugo Car. ibid.

2. Gens Hebræorum, vtpote irrationalis valde & indomita, in deserto magna aquarum penuria oppressa, contra Moysen electum Dei, Prophetam animose murmurabat, vtpote qui illos ex Ægypto, vbi omnis victui humano conueniens annona abundabat, in locum illum desertum, vbi omnia, ad ipsam vsque aquam quam potare debebant, deficiebant, eduxerat, qua de re se vindicaturi, per ingentem saxorum pluuiam siue imbrem ipsum occidere parabant. Quam populi rebellionem Moyses aduertens, vt terribilem hanc populi euaderet furiam, suum mox ad Deum refugium accepit: *Clamauit autem Moyses ad Dominum: Quid faciam populo huic? adhuc pusillum & me lapidabit.* Cui Deus hunc in modum iuxta quod legit Pagninus, respondit: *Transi coram populo.* q. d. Ad hoc vt in præsenti illa tua afflictione, securitati vitæ tuæ consulas, nihil aliud faciendum tibi restat, quam vt te in totius populi sistas præsentia. Exodi. 17. v. 4. Pagninus.

Sed ehem quid obsecro dicis, ô Domine? visne vt ipse se populo huic adeo grauiter sibi offenso videndum exhibeat? Iam iam lapidare eum volebant, vnde ad auxilium tuum confugit & tu illum modo ve-

futi dedita opera in os lupi præcipitabis? Nunquid vides illos adhuc manus suas lapidibus habere instructas, cumque proinde mox vt viderint sint occisuri? Cur igitur illi, vt coram eis se sistat, statuisti præcipere dicens: *Transi coram populo?*

Oleaster dicit, Deum hæc verba Moysi dixisse, ad hoc vt eum de admirabili sua redderet protectione securum, quasi eidem clarioribus verbis dicere voluisset: *Ne timeas populum volentem te lapidare, sed securus transi coram eo, me protegente.* Noli turbulentam hanc populi fæcem metuere, in publicis platearum compitis audacter comparento, teque omnibus præbeto conspiciendum, nec quicquam de vita tua dubites, me te protegente. Potuisset equidem Deus Moysen seruum suum vel in tabernaculo suo, aut alio quopiam secreto & securo loco protegere, id tamen facere noluit, sed potius vt se coram rabidorum & furiosorum inimicorum suorum oculis sisteret, præcepit, ibidemque ne vnicum quidem sibi pilum offendendum eidem secure promisit. Ad significandum, quod quisquis sub protectionis suæ scuto commorabitur, is in ipsis quoque inimicorum suorum manibus esse possit securus, absque eo quod vel minimum ibidem mali patiatur aut damni. *Securus transi coram eo me protegente.*

Oleast. ibi.

3. Postquam Saluator noster per mortem de hoc mundo fuisset egressus, dilectis suis mox apparuit discipulis, graui timore & formidine oppressis, vtpote qui Ierosolymis inter tot hærebant inimicos, quot erant ciuitatis illius homines, seque in medio eorũ statuens, animũ illis suggessit generosiorem, & vt ne quicquam timerent, persuasit: *Stetit IESVS in medio eorum & dixit illis: Pax vobis, ego sum, nolite timere.* Verũ dicat hic aliquis: Qua ratione Christus hic discipulos suos ab omni prorsus timore liberos & immunes esse volebat, quamdiu tot inimicis truculentisque cincti & circumdati erant persecutoribus, & veluti in tot ferocium luporum hærebant faucibus, qui postquã ab ipsomet eorum Magistro sumpsissent persequendi initium, eundem torquendo, tantaque cum crudelitate & opprobrio crucifigendo, suam tamen per hoc rabiem furoremque nequaquam exsatiauerant, donec omnes cecidissent? Necessum igitur erat, vt vehementi essent timore in tot discriminibus obnoxij.

Lu. 24. v. 36.

S. Antonius de Padua dicit illos nullam prorsus habuisse timendi rationem quoadusque Christum secum habebant: *Vbi enim Dominus, ibi securitas, qui Dei gratiam habet, non habet quod timeat;* quasi dicere vellet; Christus non ob aliam causam discipulis dixerat: Ego hic vobiscum sum, nolite timere, quam vt illos omnis periculi, in quo tunc hærere æstimabantur, securos redderet, ijsdemque euidenter demonstraret, quod vbicunque Deus est, ibi quoque omnis sit vitæ securitas, quodque omnes illi quotquot sub diuinæ gratiæ scuto degunt, nullum prorsus siue damnum, siue periculum formidare debeant. Tametsi Apostoli in ciuitate illa degerent talium inimicorum plenissima, qui veluti canes rabidi sanguinem ipsorum gestiebant effundere, eo ipso tamen quo sub Dei sui constituti erant protectione, qui suos admirabili cum facilitate & agilitate defendit, atque in ipsissimis inimicorum manibus constitutos, non minus quam si in sua portarentur dextera securos reddit, nullam prorsus timendi habebant rationem: *Qui Dei gratiam habet, non habet quod timeat.*

S. Anton. de Padua Fer. 2. Pascha.

4. Scribit S. Lucas, quod Herodes videns quod S. Iacobum Apostolum occidendo, populi Hebræi sibi conciliasset beneuolentiam, vt se eidem plebi acceptiorem redderet, magisque gratum, mox ipsummet quoque Petrum iusserit appræhendi, vt eum similiter occideret. Vnde eundem in fortissimum adegit carcerem, grauique catena onustum constrinxit, & ne soluere se vsquequaque posset ad vtrumque illius latus bonum ei adiunxit militem, qui sollicite illum custodirent. Dicitque sacer textus: *Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus.* Quis sibi hic non persuadeat S. Petrum Apostolum facile à nonnullis existimari potuisse, hominem stolidum & insensibilem, & veluti marmoream quandam statuam, siquidẽ in calamitate adeo extrema, & in tanto vicinæ sibi mortis periculo, haud aliter quã si in proprio suo lecto, aut molli strato iacuisset, securus

Actor. 12. v. 6.

rus omnisque grauis seu molestæ cogitationis,timorisque expers dormiebat, cum alias impossibile sit,hominem aliquem qui mediocri saltem polleat iudicio,& sequenti die certo certius mortem expectet, oculos claudere,nedum dormire posse.

Quia vero S.Petrus excellentiori, quam alius quiscunque,polluerit iudicio, hinc Theophylactus aliam causam, ob quam dormierit assignat,dicens: *Petrus dormiebat, non versabatur in angore & metu, sed in ipsa nocte cum postridie educendus esset, dormiebat, toto negotio ad Deum reiecto*: Tametsi Apostolo Herodiana resolutio non esset ignota, scilicet die sequenti mortem sibi infallibiliter infligendam esse,nihilominus tamen nulla illum molestabat formido, aut meticulosa cogitatio;sed securus dormiebat, vtpote qui totum negotium clementissimis Dei consignauerat manibus,ad conciliandam sibi eius protectionem atque fauorem optime namque perspectam sibi habebat Diuinæ protectionis vim atque potentiam, sub cuius alis homo protectus atque defensus, tametsi tyrannorum manu teneatur constrictus,in duros carceres sit coniectus,cultrũque siue ensem gutturi habeat proxime admotum,nihil tamen sibi mali metuere debet,sed potius securis esse atque dormire; neque enim possibile est talem aliqua ratione offendi posse,atque ideo Petrus quoque dormiebat,eratque securus. Adeo namque miraculose & mirabiliter Deus sanctos suos defendit ac protegit,etiam intra ipsas lupi fauces constitutos, vt sani semper & salui remaneant,efficitque vt in medio periculo, extra omne periculum viuant.

Theophyl. ibid.

5. Doctor quidam modernus,super hunc locum causam inquirit,cur Herodes, postquam appræhendisset Petrum, illum quoque subito & indilate non occiderit, sed in Carcere sustinuerit,meliorem expectando illius executionis occasionem, qua post Pascha eandem expediret,cum tamen iniustitiam illam absque omni impedimento ante festa expedire posset? Et respondet: *Vt dura custodia,qualis postea describitur, diutius torqueretur Petrus.*

Caspar Sanchez. ibid.

Bene quidem hoc totum dicitur, neque alia huius causa esse potest. Veruntamen S. Lucas de statu S.Petri in carcere scribens, dicit: *Petrus quidem seruabatur in carcere.* quasi dicere clarius voluisset,Petrus in carcerem ad instar rei alicuius valde charæ & pretiosæ erat reconditus;quod enim valde pretiosum est,in loco quodam tuto & securo,valdeque recluso conseruari solet, ne eidem mali quidpiam accidat. Quod cum ita se habeat,scilicet Petrum veluti rem quandam valde pretiosam,in carcere, veluti in loco tuto atque securo fuisse depositum, vt ibidem ab omni & quocunque malo quod eidem potuisset accidere,conseruaretur & defenderetur. *Seruabatur in carcere,* quomodo igitur Herodes Petrum in carcerem misisse dicetur ad eundem torquendum & affligendum? vide hic protectionis diuinæ manifesta miracula atque prodigia; Deus enim ne seruis suis mali aut sinistri quidpiam accidat,eosdem in ijs quoque locis conseruat, vbi humanitus loquendo in extremam suam ruinam redigi debuissent. Herodes S.Petrum in carcere detinet, duabus ponderosissimis catenis onustum, necnon ab vtroque latere duobus leonibus stipatum, vt affligat & torqueat ipsum. Et in eodem loco Deus inter eadem prorsus mala eundem Apostolum conseruat, atque tanta cum securitate detinet, vt ibidem in vtramque aurem etiam suauissime dormiat; *Seruabatur in carcere.*

Actor. ibi. v.5.

6. S. Ephrem Ionam Prophetam in ventre ceti considerans,vbi tribus diebus reclusus fuit & tribus noctibus: *Et erat Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus,* ita inquit: *Dei iussu Prophetam Cetus deglutiuit: In ventre Ceti tanquam in penu quodam seruabatur.* Penu propriè locus ille dicitur,in quo ea quæ ad ordinarium victum spectant, vti caro,panis, Butyrum, caseus & alia similia conseruari solent. Vnde sanctus hic Diaconus dicit,Ionam à Deo in ventre Ceti conseruatum haud aliter fuisse,ac si fuisset panis aut alia quæuis res comestibilis.

Iona 2.v.1

S.Ephrem. de rec. vit. rat.

O rem summe stupendam! Quid enim? Num ea quæ manducantur conseruari in ventre poterunt: Imo quod plus est illum conseruabat in ventre Ceti piscis adeo magni atque voracis, vt Ionam deuorando, musculum deglutijsse non hominem manducasse censeri posset. Cur illum non in alio quodam loco conseruare voluit? Ideo nimirum,

rum, vt mundo fauorum suorum mira demonstraret prodigia. Indubitatum est, quin si Deo ita placuisset, ipse Prophetam suum in centenis alijs locis conseruare potuisset; attamen de facto ipsum in ventre piscis istius conseruare voluit, vt per hoc innueret, quod dum ipse homines dignatur protegere, ipsi se curissimi sint, nec quicquam male timere debeant, quodcunque illud tandem sit, tametsi in ipsissimis hæreant lupi faucibus, aut euidentissimum inciderint vitæ & honoris periculum, aut ensem habeant gutturi suo immediatè applicitum morque transadigendum, adeo vt humanitus totaliter existimari debeant desperati & perditi. Siquidem sub paterna Dei manu constituti, in ipsomet etiam inferno haud aliter esse possunt quam si essent in cælo, ad eum fere modum quo Iob dicebat: *Quis mihi tribuat vt in Inferno protegas me?*

Iob. 14. v. 13.

7. Postquam Abraham Patriarcha vna cum vxore sua appulisset in Ægypto in talem incidit miseriam, qua nunquam in vita sua maiorem sustinuit. Mox enim vt Pharao factus est certior raræ & incredibilis pulchritudinis, qua Sara côiux eius erat prædita, illam ad Palatium suum inuitari seu aduocari iussit, & quia in oculis suis mire illi complacuit, eam Abrahæ manibus ereptam in vxorem sibi adoptauit: *Viderunt Ægyptij*, inquit Moyses historiam illam recensens, *mulierem, quod esset pulchra, & nuntiauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & sublata est mulier in domum Pharaonis.* Videtur Deus Optimi sui quem in terra habere poterat, amici, in hac eius summa necessitate prorsus fuisse oblitus, permittendo, vt vxor eius illi coram oculis suis cum tã ingenti castitatis proprijque honoris periculo eriperetur. Et vbinam obsecro sunt verba, quibus illi dixerat, ne vlla in re sibi timeret, eo quod præsto illi semper adfuturum esset eius auxilium vnde & protectorem eius se dignatus est appellare: *Noli timere Abraham, ego protector tuus*, quomodo verborum subsistere veritas poterit, si illum hodie valde periclitantem deserit, & in tanto periculo omni prorsus destitutum præsidio derelinquit?

Gen. 12. v. 14.

Ib. 15. v. 2.

Audite quid os illud vere aureum de hoc facto pronuntiat: *Permisit omnia fieri, & quasi in fauces bestiæ mulierem incidere, & tunc tandem manifestam fecit omnibus suam virtutem.* Quando Deus Abrahæ coniugem in luxuriosi istius Principis manus incidere permisit, nequaquam tunc dilecti amici sui oblitus fuit, imo maiorem tunc illius curam habuit, quam vnquam habuerit. Quod autem vxorem suam dilectissimam eidem è manibus suis rapi, atque in ipsas lupi fauces incidere permiserit, factum est id præcipue eo fine, vt per hoc toti mundo miraculosæ protectionis suæ ostenderet & manifestaret magnificentiam, nec quanta cum vi & efficacia amicis suis in necessitatibus suis faueat. Parum erat tanto protectori, Saræ conseruare castitatem, efficiendo ne in prædatrices Pharaonis manus incideret, ideo voluit illam reapse in Pharaonis redigi potestatem, ibidemque castam illam pudicamque conseruare, vti reipsa accidit, siquidem Tyrannus castitatem eius nequicquam temerare aut vel minimum probrose contaminare potuit; atque hac ratione se admirabilem prorsus suorum protectorem exhibere voluit, vtpote qui ouiculam in ipsemet lupi ore conseruat & protegit.

Chrys. ibi. hom. 32.

8. Videamus nunc qua ratione Deus non solum defendat suos in ore lupi, verum etiam quod magis stupendum est, per ipsummet os lupi. Pro cuius probatione in primis occurrit, quod legislator Hebræorum de S. Iob scriptum reliquit, nam cum humani generis inimicus licentiam à Deo postulasset, omne malum possibile eidem patientissimo Prophetæ inferendi, Deus illi hunc in modum respondit: *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serua.* Iob 2. v. 6.

Quæ verba merito summum in me stuporem & admirationem excitant, adeo vt continere me nequeam, quin ad Deum me vertens eidem dicam: Itane Domine? Tu amici animam Dæmoni cômittis? Nunquid vides te idipsum faciendo ouem veluti cômittere lupo? Consultius certe mihi facturus videbaris, si corpus & facultates eius Dæmoni in prædam cedens, animam eius cuidam Angelorum tuorum S. Michaeli videlicet, aut alteri cuipiam in custodiam commisisses. Quid enim boni ex Dæmonis expectabis custodia, qui nihil adeo quærit aut desiderat, quam hominum animas

mas dilacerare & deuorare?

Ex hoc loco S. Ambrosius argute colligit, quam stupendo & miraculoso modo Deus sanctos suos protegat, atq; custodiat: *Quanta vis Christi, vt custodiam hominis imperet & ipsi Diabolo, qui semper vult nocere?* Quã admirabilis est illa Dei potentia, quæ pro animabus nostris conseruandis & protegendis ipsiusmet quoque Dæmonis vtitur obsequio? eumque qui totius ruinæ nostræ vnicum est Instrumentum, vult esse salutis nostræ ministrum. Tanta Deus in suorũ custodia & protectione prævalet poten ia, vt oues faciat defendi & custodiri per lupos, quos solo suo iussu atque præcepto, ex lupis pastores efficit atque custodes quod vtique compræhenderis, considerantes, quod maximum inimicum, quem Iob habere poterat, voluerit facere animæ suæ custodem: *Vt custodiam hominis imperet & ipsi Diabolo.*

S. Ambros. Pan. lib. 1. cap 13.

9. Dauid Propheta mirabilia diuinæ omnipotentiæ prodigia, ob quæ ab ipsis quoque cognitus atque laudatus est lactentibus & infantibus, considerans, ita cum Deo loquebatur: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem tuam propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.* S. Ambrosius legit: *Vt destruas inimicum & defensorem.* Quo in loco de Dæmone sermo est, qui, vt dicit Propheta, inimicus est & defensor. Quibus verbis Propheta sibi contradicere videtur, dum Dæmonem inimicum appellat & defensorem; si enim est inimicus, qua ratione esse poterit defensor? aut si est defensor, quo modo inimicus erit?

Ps. 8. v. 3.

S. Archiepiscopus ad hoc eleganti cum distinctione respondet, dicens: *Tentat vt aduersarius defendit vt seruus.* Verum quidẽ est Dæmonem magnum esse nostrum inimicũ & veluti talis ex omnibus viribus ac possibili cum industria perditionem nostram procurat; Quia vero ex alia parte diuino subiectus est imperio & potestati à Deo factus est noster defensor, & sæpe ab eodem ad animas nostras quas tantopere odit & persequitur, defendendas & custodiendas adhibetur. Id quod Deus præcipue facit, vt diuinæ protectionis stupenda prodigia toti mundo manifesta reddat atque perspicua. *Defendit vt seruus.*

S. Ambros. in ps. 37.

Dicite obsecro, num inueniatur crudelior castitatis aduersarius, ipso Dæmone? Existimo quod non. Et tamen hoc magno castitatis inimico Deus ad castitatem tuendam atque defendendam persæpe vtitur, prout in gloriosa virgine S. Agnete perspicue liquet, in cuius obsequium & fauorem Dæmon Præfecti Romani occidit filium, vtpote qui ad illam deflorandam vim adhibuerat, eidẽque ne quidem illam vel leuiter tangere permisit, prouti idem sanctus Doctor de eadem scripsit dicens: *Priusquam vel manu eam contingeret, cecidit in faciem suam, & præfocatus à Diabolo exspirauit.* Idem serm 91.

10. Vnde mihi illud videre videas, quod olim tempore Diocletiani Imperatoris vrbe Romana inter alia stupenda prodigia in suo Amphitheatro conspexit. Ibi namque die quodam lepusculus quidam in publicum prodijt, qui dum canes sese insequentes & infestantes fugeret, dum nusquam alibi saluti suæ valeret prospicere, suum in Leonis cuiusdam ibidem præsentis ore refugium quæsiuit & accepit. In hoc igitur Leonis ore velut in Asylo receptus timidulus lepusculus securius, quam in suo commorabatur antro, teste Martiale ita canente:

Tutior in sola non est cum currit arena
Nec cana tanta conditur ille fide. Martialis.
Si vitare canum morsus vis improbe lepus
Ad qua confugias ora leonis habes.

11. Guilielmus Durandus rationem quærit ob quam sancta Ecclesia festum conuersionis S. Pauli celebrat, cum tamen de conuersione S. Matthæi, Mariæ Magdalenæ, & plurium aliorum sanctorum nullam prorsus mentionem habeat. Dicitque id fieri *Propter miraculum, quod in eo Deus ostendit, dum de sæuissimo persecutore fecit fidelissimum Prædicatorem, transmutando lupum in Pastorem.* Qua in re protectionis suæ manifestauit miracula, inimicos suos in amicorum suorum adhibendo adiutorium; ijsdem sanctos suos protegendo manibus, quæ stricto illos ense persequebantur, & ipsomet luporum ore agnos suos defendendo.

Guiliel. Durandus de Diuin. offic. lib. 7. c. 4.

12. Cum S. Propheta Daniel, ad malignorum quorundam aulicorum instigationem, & Darij Regis decretum, in Leonum missus speluncam, ijsdemque deuorandus expositus esset, contigit, vt leones isti quan-

tumuis rabida vrgerentur fame, Prophetam tamen ne vel in minimo pilo capitis lædere, aut molestare ausi fuerint. Quonam putatis instrumento Deus illum à leonibus tutatus est siue defendit? scio responsuros vos esse Deum fortasse Prophetici corporis custodiam Angelo alicui, præcipue vero suo cõmisisse Angelo Custodi, à quo sicut in cunctis alijs custoditus fuerat periculis, ita quoque ab illo periculo fuerit ereptus.

Equidem modum illum Danielem defendendi possibilem esse non diffiteor. At vero S. P. Ioannes Chrysostomus opinatur, Danielis defensores contra leones, non Angelos, sed ipsosmet extitisse leones. *Feræ non solum non deuorabant, sed etiam Danieli erant loco satellitum.*

S. Chrysost. in ps. 110.

Inficiari nemo potest, magnum fuisse diuinæ protectionis miraculum, videre hominem tot inter famelicos rabidosque leones, qui ob famis vehementiam hominem dilacerassent & deuorassent marmoreum, ne dicam ex carne & sanguine constantem, nec tamen leones illos tali homini ausos esse appropinquare, veruntamen videre insuper, quod leonum illorum vnus illum aduersus alterum tueretur, & quod leones illi qui ad deuorandum eum dentes suos acuerant à cæteris per circuitum essent circumdati, & sollicite magnaque cum diligentia considerati, ne forte ab illis deuoraretur aut mali quidpiam pateretur, hoc absque ingenti ac incredibili stupore spectari minime potuit.

13. Refert Simeon Metaphrastes, quod cum sanctissima Gliceria, nobilissima matrona Romana, capta, & in conspectum Imaginis Iouis ducta fuisset, vt Deũ & Dominum nostrum Iesum Christum abnegando, Idolum illud adoraret ac veneraretur, ipsa flexis humiliter genibus, verum ac viuum Deum suum deprecata fuerit, quatenus spectatoribus circumstantibus suam dignaretur manifestare ac reuelare ignorantiam, in qua, Diabolica hactenus fraude excæcati, vixerant. Vix preces suas finierat, cum ecce infamem illam subito præcipitauit & deturbauit statuam. Quamobrem Præses, cui Sabinus nomen erat, vehementer indignatus, ministris, qui sanctam Martyrem captiuam acceperant, præcepit, vt illam sub saxis lapidatam sepelirent, vitaque priuarent. Ministris autem illis saxa in illam iacientibus stupendum accidit prodigium: *Nam lapides ipsi, tanquam in locum quendam repositi, eam circumdabant quidem, sed non tangebant.* Mira res! Non solum lapides isti sanctam Martyrem non audebant tangere, aut offendere, verum etiam omnes in illam proiecti in forma circuli, ipsam cingebant, quasi sepem quandam siue munitionis mœnia ad defensionem ancillæ creatoris sui formaturi: *Eam circumdabant, sed non tangebant.* Quo miraculo Diuina omnipotentia, demonstrare voluit, quam admirabiliter ipsa seruos suos custodiat, & protegat, ita nimirùm, vt rebus ijs quæ eos potuissent lædere vel offendere, pro ipsorum adhibeat defensione & salute.

Deus Opt. Maximus, seruos suos modo adeo stupendo seruat, custodit, & protegit, vt amicos suos per eorundem inimicos custodiat & tueatur, agnos suos per os lupi saluet. Sepe vere insuperabilis & fortis seps adamantina Protectio diuina. *Sepem circumdedit ei.*

SERMO XVIII.

In Sabbathum Dominicæ II. Quadragesimæ.

Homo quidam habuit duos filios.

Luc. 15.

Filius prodigus propria & obstinata volutate sua suadente, in remotissimis locis existēs, in extremam paupertatem redactus, nudus, & nimia fame enectus, aliud non desiderabat, aliud nō suspirabat, nec cogitabat aliud, quam magnam magni Patris sui Dei videlicet domum, dicebatque: *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundare panibus.* Magna profecto domus illa esse debebat, de qua iuuenis ille miserabilis sibi audebat promittere, quod ob bonorum domus illius abundantiam, mox vt illam ingrederetur, ab infælici, in quo degebat statu releuandus beatusque futurus esset. Infælix quilibet peccator, cuius status per iuuenem illum qui in præsenti parabola à Christo introducitur, ad viuum repræsentatur, similiter aliud nihil adeo suspirat, quam vt Beatissimam Virginem Mariam, Cœlorum Reginam, & Dominam nostram, sibi habeat propriam, vtpote suæ inter omnes alias creaturas sola Domus Dei esse & fieri meruit; siquidem cælorum Regem in virginalis ventris sui domum regiam nouem mensium spatio suscepit. Vnde S. Pater Gregorius de magna hac Domina loquens dixit: *Domus apte dicitur, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei vnigenito, in quo recumberet, præparauit vterum.* quasi dicere voluisset: Analogia Domus Dei ad sanctissimā

S. Greg.

eius matrem applicata adeo bene atque perfecte quadrat, vt melior esse nequeat. Ipsa namque sola fuit, quæ vnigenito Dei filio, in terram, vt homo fieret, descendenti, ventris sui cubile in hospitium præparauit. Ad hanc beatam domum angustiatus, afflictus, & pænitens suspirat peccator, probè sciens, quod quoadusque sub hoc tecto, & sub vmbra protectionis suæ commoratus fuerit, de obtinenda fælicitate æterna securus erit. Cum igitur nos omnes, veluti totidem iuuenes & filij prodigi à Deo simus procul remoti, atque in hanc lachrymarum vallem relegati, ad aliud nihil, quam ad habendos magnæ huius Dominæ fauores suspiremus, vnde omne bonum nostrum nobis adfuturum nouimus, dicamusque: *Ad te clamamus exules filij Euæ ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle.* Valdè dignū & iustum est hocce nostum suspirium; Domus namque Deiparæ, ob tres proprietates valde admirabiles, dignissima est, vt ad illam hominum quilibet suspiret, illamque desideret. Primo scilicet quia est domus valde venusta & pulchra. Deinde quia est domus magnifica. Denique quia securum est omnium miserabilium personarum asylum, prouti in sequentibus considerationibus videbimus.

CONSIDERATIO I.

In domo Patris mei.

Quia serenissima nostra Cælorum Regina electa fuit in dignum Dei habitaculum, opus erat, vt non tantum incomparabili, sed & miraculosa dotata esset pulchritudine.

1. SAncta Ecclesia Dei incredibilem virginis Mariæ considerans pulchritudinem, ipsam appellare voluit domum auream: *Domus aurea:* quo loquendi modo, ni fallor, sese conformauit vsui loquendi antiquorum, qui vt notat Diodorus noster, quando rem aliquam summa pulchritudine præditam indicare volebant, auream illam appellare solebant. Sic enim verbi causa, Hesperidum oues quia pulcherrimæ erant, dicebant lanam habere auream, à quibus suam habet originem: *Vellus aureum.* Sic etiam Poëtæ fabulosæ Veneris celebrantes venustatem, hoc illam titulo decorabant: *Venus aurea*, iuxta quem etiam sensum vrbs Romana dicta est *Roma aurea.* Vnde liquet, sanctam Ecclesiam ad hunc loquendi modum accedere voluisse, dum de Deipara dicit, quod sit *Domus aurea.* Per hanc similitudinem & Analogiam, infinitam quam B. Virgo Maria possidebat, declarare volēs pulchritudinem, quæ tanta fuit, vt inter omnes substantias creatas, sicut aurum inter omnia metalla, sic ipsa in pulchritudine longe præcelleret. *Domus aurea.* Quid mirum igitur, si adolescens hic prodigus, extra domum hanc magnam constitutus, suspirijs adeo ardentibus se illius reuidendæ ostēdat esse cupidum quando domus illa tanta est prædita venustate? Eratque pulchritudo isthæc B. Virgini Mariæ longe conuenientissima, maximeque congrua, vtpote quæ vnigenitū Dei filium instar magnæ cuiusdam domus hospitio exceptura erat. Ex hoc nāque motiuo non tantū congruebat, vt eius pulchritudo nullum sui in Creaturis cæteris reperiret exemplum, aut comparationem, verum etiam vt ob nimium sui excessum miraculosa prorsus esset atque prodigiosa.

Diod. Sicul. lib. 4. c. 2.

3. Refert Moyses, quod cum Deus terrestrem subinde ingrediens Paradisum, Adamum quem in eo quærebat non videret, illum elata voce inclamarit: *Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit e: Vbi es?* Adam autem, qui ne coram oculis Dei cogeretur cōparere, sese absconderat, Deo respondit, se eo quod nudus esset quæsiuisse latibulum: *Ego quod nudus essem abscondi me.* Minime enim existimabat conueniens, vt quis corā Dei præsentia nudus compareat.

Genes. 3. v. 9.

Circa quem locum notare oportet, Adamum ante illud tempus sæpius in conspectu præsentis Dei comparuisse, non solum mox vt creatus fuit, verum etiam quando omnia ad illum animalia conduxit, pro nominis eorundē impositione, & tametsi tunc quoq; nudus fuerit, non minus, quam post cōmissum peccatum, ante oculos tamen omnipotentis Dei assistere minime verecundabatur. Qua igitur de causa nunc nudus conspici erubescit, siquidē antea infinitæ illi Maiestati nuditatem suā manifestari nihili faciebat.

Rationem huius assignauit Philippus Abbas dicens: *Adam peccati cōscius, ad infelices tenebras mox recessit, tristi deformis facie obuiam non processit, sciens maculas sordium, quas tristis culpa intulit faciei, non placituras Deo, qui amator legitur speciei.* Quibus verbis vult dicere, quod tametsi Adamus ante cōmissum errorem, coram Deo præsente libere se stiterit nudum, id tamen fiebat, quia neque in Anima, neque in corpore vllam aduertebat maculam, quæ venustatem & pulchritudinem sibi in creatione sui concessam defædaret, aut conspurcaret. Quia vero post commissum peccatum, aduertit, se ex peccati occasione ad stuporem factum esse deformem ac turpem, ideo ne forte à Deo videretur, sese abscondit, probe namque nouerat, quam vehementer Deo displiceat deformitas, pulchritudo vero arrideat, valdeque complaceat, vnde inconueniens esse iudicabat, quidpiam adeo turpe ac fædum, cuiusmodi ipse tunc erat coram oculis illius statuere: *Qui amator legitur speciei.*

Philip. Ab. in Cant. lib. 3. v. 12.

4. Præterea in Exodo reperietis Deum præcepisse Moysi, vt altare quoddam ex pretiosioribus quæ inueniri possent lignis fabri-

fabricaret, cumque eidem hūc in finē latitudinis & longitudinis assignasset proportionē, vlterius ordinauit, vt in circuitu altaris quatuor angulos, atque insuper coronam quandā altare circumingentem fieri curaret: *Et facies cornua in quatuor angulos, & facies coronā altari*, vti septuaginta legunt. S. P. Cyrillus Alexandrinus inquirens ad quid anguli hi & corona illa quæ Deus diuino suo altari tam serio fieri præcepit, seruire debuerint, mox illius subdit rationem dicens: *Coronam vero & angulorum cornua ipsius figura pulchritudini tribuemus, nam apud illum omnium sapientissimum Deum, deforme nihil est.*

Exodi. 27. v. 2. Transl. septuag.

S. Cyrillus Alexand. de Ador. lib. 9.

Agedum ergo quodsi Deus tanto deformitatem odio prosequitur, prouti Adamus cognouit, tantusque est speciositatis & pulchritudinis amicus, vt ipsum quoq; altare, in quo offerēda erant sacrificia, pulchrum valdeq; ornatū esse voluerit. Qualē in sanctissima matre sua quærere & inuenire debuit pulchritudinem, cuius ventrē in suum Deus elegerat Domicilium, in quo solidos nouē menses habitare & cōmorari decreuerat? Nullum prorsus est dubium, ipsam adeo fuisse pulchram, vt nullus ipsam vnquā næuus, defectus, aut macula deturpare potuerit. Sed progrediamur vlterius

5. Num aliquando considerastis, quanta cum pulchritudine Deus adornata & elaborata esse voluerit sumi sacerdotis vestimenta? Volebat enim inprimis vt ex elegantioribus & pretiosioribus qui vsquā poterant inueniri coloribus texerentur: volebat insuper vt texturam illā ingrederetur Hyacinthus, Byssus, purpura & aurum: Denique vt tam in humeris, quam in pectore pretiosissimi resplenderent lapides & gemmæ, adeo vt quid illa veste pulchrius in toto mundo videri oculis corporeis minimè posset.

Exodi. 28. v. 4.

Tostatus hoc totum considerans, causam inquirit, ob quam Deus tantam in veste sacerdotis sui requisiuerit venustatem, & elegantiā? & respondet: *Quia vult Deus pulchritudinem in rebus suis cum ipse pulcherrimus sit.* Cum Deus Naturâ suâ sit speciosissimus, vult omnia quæ suo sunt dedicata seruitio, pulcherrima esse. Vnde cum summus sacerdos immensæ illi Maiestati deseruire, & coram diuino eius conspectu assistere & comparere persæpe deberet, Deus illum veste quadam, quod possibile esset, vsquequaque pulcherrima & pretiosissima volebat esse indutum.

Tostat. ibid. q. v.

Vnde incredibilem, imo ineffabilem arguere possumus sanctissimæ Deiparæ pulchritudinem, & dicere. Quodsi Deus in omnibus ijs quæ sua sunt, omnem possibilem exigit pulchritudinem, quid magis est suum, quam mater illa, quæ eum ex sanguinibus suis gignere, in vtero suo eum portare, collocare in gremio, denique vberibus suis nutrire debebat? Necessum itaque erat, vt ipsa quoad possibile esset omnium esset pulcherrima, quia *vult Deus pulchritudinem in rebus suis.*

Vnde S. P. Georgius Archiepiscopus Nicomediensis, pulchritudinem & decorem summum Deiparæ virginis considerans, eidem exclamans dicebat: O *pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum.* Noluit illam appellare *in concreto* pulchram, sed pulchritudinem *in abstracto.* Ad innuendam admirabilem eius speciem, quia non pulchra tantum, verum ipsamet quoque erat pulchritudo: *Pulcherrima pulchritudo.*

S. Gregor. apud ipo n. 21. Nou.

6. Scribit Pater Canisius, Hebræos in arcanis suis aliquid dicere, notatu dignissimū, videlicet, quod in cælis creatura quædam reperiatur, quæ suis excellentiis, admirandisque perfectionibus, omnia alia quæ in illa cælesti sunt patria in immensum exsuperet, cui nomen sit Mitatron quæ diuinæ semper assistat præsentiæ, cuiusque proprium munus sit ad Deum omnes eos introducere, quotquot beatum illud meruere spectaculum: *Semper stat ante faciem summi Imperatoris, & ius habet ad ipsius præsentiam bene meritos introducendi.*

Canis. de Deipara lib. 1. c. 1.

Vlterius idem Doctor subiungit, nonnullos homines doctos & peritos, numerum quem literæ nominis huius creaturæ efficiunt, cū literis nominis *Mariæ* conferentes, depræhendere, eosdē inter se totaliter coincidere. Vnde vult per creaturam illam significatam esse Deiparam virginem Mariam. Et reuera nulla alia talis esse poterat, præter serenissimam hanc Reginā nostram, vtpote quæ super omnes Angelicos exaltata Choros sublimi incompræhensi-

hensibilis Trinitatis solio approximatur, maximeque propinqua assistit; cui etiam ingens illud concessum est priuilegium, animas illas, quæ abundantissimorum illorum cælestium bonorum fruitione sunt dignæ, in cælos introducendi. Vnde ab Ecclesia Dei sancta *Porta cæli* appellatur, siue cuius gratia & fauore nulli in cælum aditus patet.

Ad propositum vero nostrum præcipue notandum hanc vocem *Mitatron* in latino sermone idem significare quod *Princeps faciérum.* Quia nimirum virgo Deipara, inter omnia, quæ tam in cælis, quam in terris pulchra existunt, coronam obtinet & sceptrum; adeoque admirabiles illius sunt venustates atque decores, vt illi velut Dominæ & reginæ cedere debeat, quicquid vspiam pulchri reperiri valet. *Princeps faciérum.*

7. S. Bernardus valde acute comparationem illam monilium, qua spiritus sanctus ad manifestandam colli virginei Deiparæ pulchritudinem vtitur dicens: *Collum tuum* Cantic.1. v.10. *sicut monilia,* considerat, & pulcherrimam quandam mouet difficultatem, nimirum: *Solet ornari collum monilibus, non ipsis comparari* S. Bern. ibid. ser. 41 quasi clarius dixisset: Qua ratione fit, quod cum monilia ad colli deseruiant ornamentum, non vero ad comparationem, spiritus sanctus tamen illis ad comparationem vti velit? Dicere debebat, collum tuum pretiosis ornatum est monilibus, non vero vti iam dixit: Collum tuum est sicut monilia. Si ego mulieri cuipiam multos in digitis adamantes pro manuum suarum ornamento ferenti, dicerem: Manus tuæ sunt sicut adamantes nequaquam censeret bene siue proprie locutus fuisse, eo quod adamantes sint pro manuum ornamento, non vero ad hoc vt manus illis comparentur. Vnde ad loquendum proprie dicere oporteret. Manus tuæ adamantibus sunt ornatæ siue onustæ. Videtur igitur spiritus sanctus impropriè locutus fuisse.

Verum enimuero reuera ita non est; neque enim de dilecta sponsa sua Maria virgine loquens, magis proprie loqui potuisset. Quodsi enim hic de quauis alia muliere locutus fuisset, adducta difficultas haud dubie vim obtineret maiorem, quia vero illi de Deipara sermo erat, loqui seu tractare de illa magis propriè minimè poterat: *Nam sponsa collum ita in seipso formosum, & tam decenter quasi natura formatum est, vt extrinsecus non requirat ornatum Quid enim opus est peregrinorum fucos adhibere colorum, cui propria, & tanquam innata sufficit pulchritudo? in tantum vt ipsorum quoque quæ ad ornandum quæruntur monilium possit adæquare nitorem?* Vult dicere collum sponsæ virginis adeo erat speciosum, talibusque coloribus & proportionibus à Deo naturaliter formatum & adornatum, vt non solum monilibus alijsque exterioribus ornamentis non indiguerit, verum insuper à seipso diues quoddam pretiosumque monile æstimari merito debuerit, adeo vt tametsi nec auro vestita, nec gemmis esset circumdata, ipsa de semetipsa veluti ingens quoddam ornamentum, ad instar auri pretiosarumque gemmarum mirabiliter resplenduerit: *Collum tuum sicut monilia.* Atque hoc totum non nisi ad pulchritudinis & decoris sui magnificentiam manifestandam dicitur. Cæteræ enim mulieres licet sint pulchræ, tales tamen non iudicantur esse, nisi ab extrinsecis adiuuentur ornamentis, Deipara vero à semetipsa absque extrinseco alicuius ornamenti subsidio aut complemento exhibebatur ornata, adeo omnem cæterarum mulierum superabat pulchritudinem. Vere Princeps pulchrarum facierum. *Princeps facierum.*

8. Ab hac venustate corporis Serenissimæ Reginæ nostræ, Animæ illius pulchritudo facile arguitur per argumentum *à minori ad maius* quia quodsi in ornatu & decore extrinseco adeo erat admirabilis, qualis igitur intrinsecus esse debebat. Quia vero illa, vt inquit spiritus sanctus, *intrinsecus latet,* Cant. 4. v.1. ideo nec dari potest oculus, qui eo pertingere, aut obtutus sui figere aciem possit: nec lingua quæ eam valeat explicare. Licet ex radijs qui resplendebant foris, quadantenus lumen illud, quo ornabatur inaccessibile, arguere quis haud difficulter possit.

S. Ioannes ingens quoddam cælitus sibi demonstratum pulchritudinis Deiparæ virginis prototypon recensens, ita idipsum proponit: *Signum magnum apparuit in cælo mulier amicta Sole.* Apoc. 12. v. 1. Vbi notetis velim dictionem

ctionem illam *amicta* quæ à nomine *amictus* deriuatur, atque apud viros doctos latinæque linguæ peritos vestem significat exteriorem, qua homo super omnes alias vestes amicitur, quam nos modo pallium siue collobium appellamus; voluit igitur Deus vestem quandam exteriorem siue pallium sanctissimæ matri suæ facturus, hoc fine adhibere solem, Materiam nimirum ditiorem, pretiosioremque quam Deus in tota visibilium creaturarum suarum habuit suppellectile. Vnde facile est cuilibet conijcere quam ingentes & admirabiles sint venustates illius interiores, cubilis nimirum secretioris quod Deus in magna hac domo pro Rege cælesti excipiendo apparauerat.

Quanto enim quis Palatium regium magis penetrauerit, vsque ad ipsum familiare Regis cubile, tanto maior notari solet in conclauium aulæis siue peristromatibus opulentia & diuitiæ.

Maiolus Dieb. Canic. col. lib. 23. Scribit Maiolus in diebus suis canicularibus Regem Chinæ in suo apparatu habere sexaginta nouem cameras siue conclauia, quorum vnum alterius semper præstantiâ & pretiositatem superexcedat, è quibus quatuor sunt magis præcipua quorum primum laminis æneis artificiosissimè exsculptis est contectum: Secundum mundissimo argento: Tertium vero totaliter vestitum est auro; Quartum denique in quo Princeps commoratur à capite ad calcem margaritis & vnionibus alijsque pretiosissimis gemmis distinctum erat. Idque ordinariè in domibus cernitur magnatum quorum conclauia quanto sunt interiora domui, tanto maiorem referunt speciositatem maioresque diuitias, penetrale denique illud, in quo Rex ipse quotidie commoratur, ob mira quibus nitet & fulget ornamenta, cum nullo aliorum in aliquam comparationem venire potest.

Quodsi igitur magna illa Dei domus, sanctissima inquam & gloriosissima eius mater, quæ Deum ipsum in virginalis vteri sui penetralibus hospitio excepit, in partibus exterioribus visa fuit ornata sole: *Amicta sole*, qui aulæum quoddam est adeo elegans & pretiosum; vt nullum inter omnia totius mundi visibilia reperiri pulchrius aut elegantius possit; qualia esse debuerunt ornamenta eius interiora illius inquam magni conclauis & cameræ aureæ, in qua Deus ipse habitauit? Quod si tam pulchra esse meruit in corpore, quanta igitur in anima sua esse debuit, vt digna Dei mater fieret, vtque Deum in ventre suo portare, & è ventre suo gignere mereretur. Talis vtique pulchritudo non solum nequit explicari, sed nec imaginari quis illam vnquam valebit. *Intrinsecus latet*.

9. Videamus nunc vlterius, qualiter incredibilis hæc virginis pulchritudo, prodigiosa insuper fuerit, & ingens quoddam in illa miraculum. Quod vt nobis magis patescat, consideretis penitius prodigum hunc iuuenem Euangelicum, qui consumptis iam luxuriose cum turpibus lasciuisque mulieribus viuendo omnibus facultatibus suis, ab errore suo resipiscens, atque in seipsum reuersus, nil adeo desiderabat, quam vt amantissimi Patris sui Dei nimirum videre domum posset, hoc est, sanctissimam videre cupiebat Deiparam, atque hoc fine itineri sese accinxit. Verum quidnam obsecro hic iuuenis illo Beatæ Virginis conspectu obtinere desiderabat? Respondeo nihil inde aliud sperabat, quam vt qui peccatorum scelerumque suorum jam intime pænitebat, vulneribus suis inde in anima sua relictis accipere posset remedium, iuxta venerabilis Petri Abbatis Cellensis consilium, qui cum luxurioso quodam pænitente loquens, ita eum affatur: *Versa & commuta desideria tua. Formosam delectabiliter aspicere solebas meretricem, aspice nunc Dei Genitricem*. Opus est, vt cogitationes tuæ viâ gradiantur longe diuersâ, ab ea, quam hucusque ingressus fuisti. Vnde si tempore præterito delectatus es meretricem intuendo, indeque vstus fortasse fuisti, ex nunc turpe illud fugito spectaculum, atque sanctissimam Deiparam aspicito; *Aspice nunc Dei genitricem*, vt hoc sacri vultus obtutu tantus in te lasciuiæ ignis extingui possit. *Petrus A... Cellensis ... pœni. c. 7.* Dicunt communiter Doctores Deiparæ virginis pulchritudinem non modo nullam in terris pati posse comparationem, verum etiam prodigiosam fuisse & miraculosam. Cum enim cæterarum mulierum venustas & pulchritudo curiose fixisque oculis conspecta, viros luxuriæ flammis soleat accendere

dere: incredibiles hæc venustissimaque Beatissimæ Deiparæ species & decor, eiusmodi flammas extinguebat, hominesque continentes reddebat & castos: *Cuius tanta gratia*, inquit S. Ambrosius de Deipara loquens, *vt non solum in se virginitatis gratiam reseruaret, sed etiam his, quos viseret integritatis insignia conferret.* Vnde ob huius doni fauores, prodigus ille iuuenis miraculosam hanc domum videre cupiebat.

Ambros. de Inst. vir. c. 7.

10. S. P. Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus B. Virgini hoc donat elogium, vt appelletur ab ipso: *Ardoris qui in me est ros diuinus.* Ipsamque hoc nomine appellat, vt per hoc innuat mirabilem pulchritudinis suæ proprietatem, nam vt dicit Ioannes Gerson, quotiescunque lasciuus aliquis illam contendebat aspicere tametsi illam ipse lasciue intueri non potuisset, à diuinis tamen illius oculis, certus quidam supercælestis ros miraculose egrediebatur, qui in illo infernales istos restinguebat ardores, illumque castificabat: *Quasi frigidus quidam ex oculis ros virgineus spiraret vel afflueret à mente sua castissima.* Vnde ad manifestandum incredibilis pulchritudinis suæ miracula *ros diuinus est* appellata. *Ardoris qui in me est, ros diuinus.*

S. Germa. apud Lippom. 13. Nou.

Gerson de Nat. B. M. cons. 3.

11. Atque ideo Salomon illam auroræ in hemisphærio nostro consurgenti assimilare voluit dicens: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens*: Qua similitudine sapiens inprimis demonstrare voluit incomparabilem illius decorem & venustatem, quippe cum aurora inter omnia totius mundi decora sit venustissima. Vnde certus quidam vir literatus cum Philippo Secundo Hispaniarum Rege loquens eidem dicebat: quod tametsi ipse magnus ille esset Monarcha qui magnam mundi partem suo haberet subiectam imperio, se tamen nulla regij statui sui tangi æmulatione aut inuidia, eo quod tribus gauderet maximis bonis, quibus Reges totaliter sunt priuati, quorum primum erat opulentissimum totius mundi bonum, videlicet *bonus amicus*, cum Reges nullos alios habeant lateri suo assistentes, quam meros adulatores. Secundum erat bonum pretiosissimum, videlicet, *veritas* quæ à regum auribus procul semper abest. Tertium denique dicebat esse pulcherrimum *Auroram* nimirum, cuius etiam conspectu Reges priuantur, vtpore qui non nisi tardissime de lectulo suo mane exsurgunt. Cum igitur aurora quam Salomon sibi pro Deiparæ Virginis vendicat symbolo. *Quasi aurora consurgens*, inter omnia totius mundi decora sit pulcherrimum, per hanc auroræ cum pulchritudine Mariæ analogiam innuere voluit, pulchritudinem illius adeo esse magnam atque stupendam, vt maior in toto mundo visa nunquam fuerit. Verum dicat aliquis, si ob hanc causam B. Virginem auroræ comparauit, cur hoc fine non accepit aliud symbolum, cum alia plurima ad hoc suum propositum optime quadrantia præsto ad manum habuerit? Respondeo hanc & non aliam à spiritu sancto, ad declarandam incredibilem B. V. speciem & formositatem, adhibitam fuisse similitudinem, idque ob aliud quoddam distinctum mysterium quod in Reginæ cælestis pulchritudine indicare volebat, de quo nobis in præsentiarum sermo est.

Cant. 6. v. 9.

Buter. de Dicto memar.

Aurora enim quæ nocte dieque ab hominum absconditur oculis, & velut inclusa tenetur, quæque illucescente diluculo ob breuis itineris sui necessitatem, obiter quoque sese tantum repræsentare cogitur, frigidas minutasque de vultu suo suauis roris stillas spargere, indeque terram ex solaribus radijs die præcedenti in illam vibratis accensum & ardentem refrigerare solet. Vnde latinus ille Poëta dicebat:

Impulerat cælo gelidas aurora tenebras
Rorantes excussa comas.

Deipara auroræ instar (*Quasi aurora consurgens*) ab oculis mundi huius semper erat abscondita, semper domi suæ seclusa. Si quando tamen aliquando necessum erat pro frequentatione templi, domo sua egredi, adeoque ab alijs nonnunquam viris videri in breuiusculo illo tempore aliquas è diuina sua facie, frigidas cælestis roris stillas, quasi noua quædam aurora, miraculose spargebat, quæ terrenorum homi-

Inquiramus nunc causam, cui Christo in Cruce suspenso & moriente sanctissima eius mater ad sinistram Crucis partem sese collocauerit? Et vero ratio huius ab eodem sancto Doctore allata est optima: Inprimis enim opinatur, quod Christus in Cruce pendens, orientem versus prospexerit, adeoque Aquilonem ad læuam suam habuerit, & consequenter Patrona nostra ab eadem læua, Christum inter & Aquilonem media steterit Aquilo autem ob ingens quod inde spiratur frigus, communiter existimatur symbolum esse peccatoris, stabat igitur concludit. S. Bernardinus media inter Dei filium & peccatorem, vt eo in loco eius imploret auxilium, proque necessitatibus & miserijs illius mediatrix existat: *Beata virgo pingi debet ad sinistram Christi, quæ stans in Cruce faciem tenebat ad orientem: & sic ad sinistram, id est, ad Aquilonem stabat virgo beata vt oraret pro peccatoribus.*

S. Bern. sen. de nom. MARIÆ. serm. 1. ar. 3. c. 2.

Verum enimuero cum tempus illud turbulentissimum Beatam Virginē merito vrgere potuisset, vt rebus suis ipsa prospiceret nihilque ipsi operis præter planctus & lachrymas permitteret, mirum profecto, fuit quomodo alienas ipsa necessitates, eodem tempore attendere potuerit, & quidem peccatorum necessitates siue angustias præcipue, probe namque sciebat, quod dilectus filius suus ijs tormentis, ipsa vero tam grauibus doloribus sola peccatorum occasione & causa esset, obnoxia. Veruntamen nullam id vobis admirationem pariat. Ipsa namque est mater nostra, ipsique velut matri est impossibile, vt propter quācunque & quantumuis grauem summique ponderis occasionem nostrum tanquam filiorū suorum valeat obliuisci, eorūquidem præcipue qui suo magis indigent præsidio & patrocinio; cuiusmodi sunt peccatores. Vnde tametsi ipsa illo tēpore deplangendis vnigeniti Filij sui tormentis & doloribus, suæque viduitatis incōmodis & malis tota fuisse debuisset dedita nequaquam tamē lachrymæ suæ suique dolores efficere potuerunt, vt nostrum obliuisceretur, nec pro nobis oraret, nostrisque necessitatibus prospiceret. *Vt oraret pro peccatoribus.* Quodsi igitur ipsa in tantæ afflictionis tempore, ad subueniē-dum humanis necessitatibus adeo fuit sollicita, & anxia, vt sui licet prorsus oblita, nostrum tamen obliuisci nequaquam potuerit, in quanam alia necessitate nostrū obliuisci valebit? quanam vnquam cuiuscūque tandē rei necessitate premi poterimus, quādiu Dei matrē habebimus, quæ nullam horam seu momentū præterire sinit, in quo suū enixe non precetur filium nobisque gratias & fauores obtinere non moliatur?

3. Cum S. Gabriel suam nostramq; Reginā salutans primo illam gratia plenā esse dixisset: *Gratia plena*, mox subiunxit: *Inuenisti gratiam* quasi dixisset. Tu gratiam illam qua te plenám esse dixi, inuenisti. Valde magni ponderis est locus iste, bonaque consideratione dignissimus. Notandū igitur nō dicere Angelū: Habes gratiam, aut vero: possides gratiam, sed inuenisti gratiam. Lu. 1. v. 28.

Estque hæc ponderatio Hugonis Cardinalis, ex qua valde pulchrum nostroq; proposito apprime congruum elicit conceptū: *Nec dicit Angelus: Habes gratiam apud Deum, sed inuenisti, quia res habita vt propria custoditur, res inuentæ restituitur illis qui amiserant. Quia igitur nō sibi soli retentura erat gratiā, sed omnibus, qui eam amiserant restitutura, ideo dicit Angelus, Inuenisti.* Gratiæ quas Deipara virgo de cælo receperat, apud illam haud aliter erant, ac si ab ipsa fuissent inuentæ, vnde non possidebat illas, neque illas veluti suas conseruabat sed veluti alienas, idest, nostras, qui infælici fato Naturæ corruptæ easdem perdidimus. Id quod Angelus hisce verbis dicit *Inuenisti gratiam*, idque singulariter, pietatem ac liberalitatem eius respiciens, per quam id quod suum reuera erat, non suum, sed nostrum reputabat. Quod cū verissime ita se per omnia habeat, sequitur, quod quotiescunque homines Deiparæ Virginis indiguerint fauoribus, illos nobis, modo nostrū ad illam habuerimus refugiū, negare nequaquam possit, dum illa per suā clementiam, quicquid possidet, haud aliter quam si nostrum esset, administret. Cum igitur ipsa inexhaustorum bonorum, thesaurorumque infinitorum sit Domina, taliū inquā, qui pro necessitatū nostrarū subleuamine per horas & momēta singula sunt exposita, quomodo aliqua cuiuscunque tandē rei necessitate laborare poterimus? Hugo Card ibi.

4. Cum

4. Cum Canæ in Galilæa nuptiæ illæ celebrarentur, ad quas vna cum Diuino filio suo, ipsa quoque Beata Virgo inuitata fuerat, accidit, vt dum illa in reliquorum conuiuarum contubernio mensæ accumberet, vinum recens nuptos, eo potissimum tempore, quo illius maior erat necessitas, prorsus deficeret. Quod mox vt ipsa aduertit (siue id in sponsorum facie legerit, vtpote qui ob insperatum defectum illum mœstos se atque dolentes exhibebant, siue ab Architriclinio id intellexerit) Filium suum accedens, atque vt insperatum hunc casum sua omnipotentia supplere dignaretur deprecans, eidem dixit: *Vinum non habent.*

Ioan. 2. v. 3.

Circa quem locũ inquirendũ mihi videtur, quã obrẽ Deipara nequicquam rogata aut requisita, notabilẽ Conuiuii nuptialis defectum supplere studuerit? cur non est eousque morata, donec vel a sponsa, vel ab alia quadã confidenti & familiari persona, vt pro hac necessitate curanda intercedat, rogaretur. Quodsi enim ipsemet Deus gratias illas, quas præstare aut concedere efficaciter decreuit, reapse nihilominus impertiri minimè soleat, nisi nostris vel alienis precibus interpellatus, congruum videbatur, vt ipsa quoq; eousque præstolaretur, donec pro miraculo isto a filio suo obtinendo, à non nemine saltẽ rogaretur. Quo fine igitur pro vino impetrando nequaquam sollicitata vinum curari à filio suo petiit?

S. Vincen. serm. 1. Dom. 1. Epiph.

Respondet S. Vincentius Ferrerius: *Quia ipsa habuit cor pium & dulce* q. d. Deipara ob nullam aliam causam non sustinuit vt rogaretur, aut sollicitaretur, sed a semetipsa mota est, vt occurrenti huic necessitati adferret remedium, nisi quia cor habebat melleum atque saccareum, dulce videlicet & piũ. Viscera illius mera erant misericordia. Ipsi necessitatem duntaxat vidisse sufficiebat, vnde personam pro defectus istius supplemento sollicitantem expectare non poterat. Vnde de Deipara dici poterat, quod Dion Cassius de Adriano Imperatore scribit; qui indolis & Naturæ erat adeo clementis & piæ, vt *Neque patiebatur à se quidquam peti, sed pro necessitate cuiusquã omnia faciebat.* Talis imo incomparabiliter clementior est Serenissima Angelorum hominumque Imperatrix, cor illius adeo dulce est & pium, vt pro nostrarum necessitatum interuentu siue remedio præstando, à nobis rogari nequaquam sustinet, verũ instigata à semetipsa, ab admirabili nimirum viscerorum suorum pietate, ad succurendum miseris & egenis permoueatur. Vnde nequaquam possibile est, vt quoadusque sub tam piæ Patronæ constituti sumus & perseueramus præsidio aliquam pati necessitatem sine mox præstito iuuamine valeamus, siquidem ipsa suorum necessitatibus etiam prospicit nequicquam rogata. *Habuit cor pium & dulce.*

Dio Cassi. in Adria.

5. Iansenius Euangelium istud exponens, docte verba illa ponderat, quibus S. Ioannes Euangelista exponit, quomodo piëtissima Patrona & Domina nostra molita sit vini defectui dare remedium: *Deficiente vino dicit mater Iesu ad eum: vinum non habent.* Non dicit illam sollicitasse miraculum, cum iam vinum totaliter defecisset, sed *deficiente vino*, idest, cum iam inciperet deficere. Cur non prius vinum prorsus deficere permittebat, & cum demum prospiciebat notato defectui? Quanto enim necessitas effecta maior fuisset, tanto gratia, pro subleuanda tali necessitate præstita, gratior fuisset atque acceptior. Audite ad id respondentem Iansenium: *Sollicita pietas & misericordia, qua aliorũ defectus subleuare studebat, hoc fecit: idque adeo sollicitè vt vsque ad extremam necessitatem non distulerit; sed deficiente vino, idest, dum iam inciperet deficire, & nondum defecisset.* q. d. Tanta est Deiparæ Virginis ad succurrendum necessitatibus nostris charitas & pietas erga nos, quod dum illas in nobis animaduertit, illis adferre auxilium non differat, vsque dũ in extrema constituti simus necessitate, sed longè citius succurrendo præueniat. Nondũ vinum defecerat sed incipiebat deficere, & ecce priusquam defectus completè accideret, sponsis ipsa succurrere voluit, ne defectus iste à cæteris quoque notaretur conuiuis. Ad insinuandum, quod quisquis sub suæ protectionis vmbra viuit, incidere in aliquã grauem necessitatem aut inopiam nequaquã possit, quippe cum ipsa subsidio suo omnem necessitatem præueniat.

Ioan. ibid. v. 3.

Ians. ibid.

Vt hic scripturæ locus tanto vehementius propositum nostrum persuadeat, circa illum

aliam quandam Ruperti Abbatis audite considerationem, qui dicit, quod inter alia, quæ Dei matrem, ad postulandum hocce miraculum commouerunt, vnum fuit: *Ne hilaritatem præsenti rei competentem, importuna penuria contristaret.* Ne occasione deficientis vini, nuptiarum iubilus in melancholiam siue tristitiam desinerer. Ipsa namque tanquam viscerosissima nostrum amatrix, vtpote quæ nulla ratione nos videre potest quacunque tandem occasione afflictos, necessitates nostras, priusquam accidant, præuidet, materneque prospicit. Vnde cum veritate dicere id potuit, quod Ælius Spartianus, Adrianum; cuius paulo ante meminimus, dicere solitum fuisse, scribit, nimirum: *Segrauiter ferre, vt multi ab eo tristes recederent.* Valde enim ei displicebat, quod omnes consolari non valens, aliquos afflictos dimittere cogens.

Rup. Ab. ibid.

Ælius Spart. in Adri.

7. Ficta & fabulosa Dea erat, quam Romani antiquitus adorabant, Dea Angerona, quæ vt Verius Flaccus, à Poërio Valeriano relatus, scribit, hoc nomine appellabatur, quod: *Angorum atque animorum sollicitudines propitiata depelleret.* Enimuero Deipara Patrona nostra vera quædam Angerona est, si ita mihi illam liceat appellare, quæ ob admirabilem, quam erga nos gerit pietatem, nos nequaquam videre potest mæstos, dolentes & afflictos, vnde à sancta Dei Ecclesia appellatur: *Consolatrix Afflictorum.* Atque ideo qui fieri poterit, vt vel alicui, malo subiaceamus, vel aliquo bono egeamus, quamdiu sub cura & sollicitudine matris adeo amabilis & piæ viuimus, quæ nos ex nullo accidente aut euentu tristes videre potest aut mæstos.

Pier. lib 36

8. Multorum Doctorum est opinio sponsum harum nuptiarum fuisse S. Ioannem Apostolum. Iuxta quam opinionem, inquirere merito causam poteritis, ob quam S. Ioannes iam ducta vxore, tanto à Deo dignatus sit fauore, vt relicta sponsa candorem conseruare virginalem meruerit, ob quem Christo Domino Cælorum Regi adeo charus & acceptus fuit, vt cæterorum Apostolorum nemo ipsius assequi priuilegia potuerit, vtpote qui virgines non erant, qualis ipse fuit.

Respondet ad hoc S. Bernardinus, ipsum fauorem hunc obtinuisse per B. Virginis Mariæ intercessionem, in vi nimirum breuium illorum verborum, quæ ipsa, pro obtinendo vini supplemento, Filio suo dixit: *Porro,* inquit, *tam fuit mira efficacia & virtutis hoc breue Verbum apud dilectum filium suum Iesum, tantumque impetrauit filio suo Ioanni, quod de nuptiis ad continentiam Virginalem, & summa contemplationis apicem est prouectus.* Tametsi verborum illorum, quæ Deipara filio suo dixit, *Vinum non habent*, nonnisi duo fuerint, eademque summa cum breuitate prolata, in fauorem tamen sancti Nepotis sui, tantæ fuerint efficaciæ & virtutis, vt eidem non duntaxat vini impetrarint miraculum, quod à filio postulabat, verum etiam illibatum virginalis gratiæ statum, quem non poposcerat. Vnde perspicue colligitur, intercessiones eius adeo esse potentes & efficaces, vt plus apud Deum impetrent, quam per easdem postuletur. Ideoque impossibile est, vt aliquis eorum, qui sub magnæ huius Reginæ protectione degunt, vlla vnquã necessitate prematur, siquidem tam in necessitatibus nostris, quam alijs in rebus quæ illi necessaria non sunt, omnipotentibus precibus & intercessionibus eius tantus fauor & gratia deferatur.

S. Bernar. Sen. de ep tem verbis B. Virg serm. 9. art. 11 c. 2.

9. Beata Virgo de sacris vberibus suis loquens illa turri similia esse dicebat: *Vbera mea sicut turris.* Quibus verbis, vt vult S. P. Ambrosius, B. Virgo innuere volebat vberum magnitudinem, & lactis, quod in illis reseruabatur, abundantiam vnde dicit, S. Archiepiscopus, Beatam virginem dicentẽ *Vbera mea sicut turris*, quasi dicere voluisset *Non parua vbera habeo, sed vt turris vbera mea sunt, in quibus est abundantia.* Inquiro hic, ad quid Deipara virgo vberibus tam magnis tantaque lactis abundantia opus habuerit, siquidem diuinus eius infantulus tãto lacte non eguerit, nisi modico tantum iuxta id quod dicit Ecclesia:

Cant. 8. v. 10. Pagnin.

S. Ambr. in ps. 118. Oct. 22.

Paruoque lacte pastus est.
Per quem nec ales esurit.

Tam

Tam modico lacte nutriebatur Rex cælestis, vt ne, auicula quædam, cui valde modicus cibus sufficit, illo satiari potuisset. Quodsi igitur tam modico lacte filium suũ nutrierit, qui fit, quod B. Virgo tantam habuerit lactis abundantiam, vt pro illo capiendo, vberibus opus habuerit tantæ magnitudinis, quæ tum alicui ob sui molem comparari possent.

Respondeo: Quod si Deipara alium filiũ non habuisset præter Christum, vbera illius vtrique tam excessiue magna esse non debuissent, vtpote cui quantumuis modica suffecisset capacitas, Quia vero Deus illam, particulari suo priuilegio nostroque ingenti bono, & commodo, nostram quoque matrem esse voluit, opus fuit, vt pro subministrando tot fidelibus sufficienti lacte, ipsa vbera haberet sicut turris: *Vbera mea sicut turris.*

10. Scribit Angelus Politianus quod Ephesi, vbi cæca gentilitas in ingenti, quodã ex argento fabricato, totoque mundo celeberrimo templo Deam adorabant Dianam, erectum quoddam videbatur illius Idoli simulachrum, quod *Multimammia*, appellabatur, quod idem est, ac *multarum mammarum effigies.* Quia erat imago varijs ex omni parte mammis circumdata, causam autem cur Dianam pinxerint aut sculpserint tot vndique vberibus circumdatam, præfatus author subiungit, dicens: *Quia cultores eius decepti putabant eam omnium viuentium nutricem.* Vnde ad innuendum, quod sufficienter sibi pro omnibus de lacte prouisum esset, illam vberibus plenam sculpebant.

Ang. Polit. Miscel. c. 51.

Ad eundem modum nos nõ fabulando, sed in veritate dicemus, quod cum Beata virgo totius humani generis electa sit mater, ideo vt tantam demonstret lactis abundantiam, quæ tot innumeris hominibus sufficeret, dicit: *Vbera mea sicut turris.* Vt per hoc intelligatur quod nulli eorum, qui ad suam recurrunt pietatem, quicquam quod ad animarũ suarum desiderare salutem possent, defuturum sit. *In quibus est abundantia.*

11. Spiritui sancto in sacrosancti ventris Deiparæ virginis laudem, hæc verba in Canticis scribi placuit: *Venter tuus sicut aceruus tritici.* Rabbi Salomõ hunc scripturæ locum exponens, sequentia adiungit, nimirum: *Quo omnes indigent.* q. d. Venter tuus panis est, quia illo vnusquisque indiget.

Vbi notandum, quod per panem communiter omne id intelligi soleat, quod humano victui est necessarium. Hoc sensu audies, quod si exempli gratia aulicus aliquis in Regia curia aliquod obtinuerit officium, ex cuius prouentu honorificè iuxta suam conditionem viuere possit, dicere soleat, Hodie panem meum à Rege meo accepi, hoc est, tantum accepi, quantum meis sufficit necessitatibus, adeo vt deinceps pro ordinario victu meo nullius alterius egeam. Ad hunc quoque sensum respicit spiritus sanctus, cum Deiparam virginem panem appellat, dicens: *Venter tuus sicut aceruus tritici:* Ad innuendũ, quod omnes homines illius ope atque subsidio non minus, quam pane indigeant, aut vero quod sub sua protectione viuentes, sufficientem sibi habeant panis annonam, idest, hoc totum possideant quod ad victum hominis Christiani requiri potest: cum impossibile sit, vt qui sub alis tam magnæ Patronæ viuunt, aliquam pati necessitatem possint, cum apud illam omnes eius deuoti *Abundent panibus.*

CONSIDERATIO III.

Audiuit Symphoniam.

Deipara securissimum est præsidium, seu locus refugij: peccator enim qui sub eius tectum recurrit à Diuina Iustitia ense feriri seu lædi minimè poterit.

1. QVoniam Symphonia illa quam alter maior filius, in magna illa domo in qua filius minor prodigus ab amantissimo Patre suo recipiebatur, audiebat, nihil est aliud, quàm quædam variarum discordiumque vocum concordia, ideo clarum quoddam Pacis & concordiæ est sym-

symbolum quæ est velut quædam variatum diuersarumque voluntatum suauis harmonia; hæc autem in magna illa Dei domo, beatissima scilicet virgine Maria, continuo percipitur, vti eidem iuxta aliam quandam literam Dauid dicebat: *Sicut Cantorum omnium habitatio est in te.* q. d. Quotquot intra tuos muros compræhenduntur, aut in te veluti in summi Dei imperiali palatio habitant, adeo sunt inter se concordes vt suauissimam quandam veluti periti & docti Musici harmoniam perficiant Deus enim, qui ex vna parte intra virgineos eius parietes continuo præsens assistit, Gabriele teste, qui dicebat ei: *Dominus tecum*, cum illis, quos ipsa sub protectionis suæ tectum dignatur recipere, admirabili cum concordia consentit. Tametsi enim ipsos ob peccata commissa persequi, & veluti inimicos tractare merito deberet, nihilominus ob sacri illius loci respectum, in quo nouem mensibus habitare voluit, indignari, aut vindictæ suæ ensem stringere aut exserere non audet. Vnde quisquis culparum suarum pænitudine ductus, ab ira Iustitiæ diuinæ sese assecurare, nec non pacem cum Domino suo habere molitur, nullum securiorem locum, nec verius refugium, nec præsidium fortius ipsa Cælorum Regina habere potest. Intra cuius muros, ob singulare eidem indultum priuilegium, Deus gladium suum nunquam strinxit, nec de quopiam se vnquam vindicare voluit.

Ps. 86. v. 7. apud Ioan. Lorin. ibid.

2. Deus noctem illam in qua totius Ægypti primogenita fecit occidi, *Pascha* appellari voluit quod in latino sermone idem significat, quod *Transitus*. Appellabatur autẽ hoc nomine, eo quod Angelus ille, cui gladius ad occidendum infideles istos cõmissus fuerat, in occisione seu trucidatione ista primogenitorum, saltus aliquos vel transitus fecit. Postquam enim in vnam domum, in qua primogenitum interemerat, ingressus fuisset, nec tamen in vicinam sibi domum etiam ingredi liceret, saliebat & transibat ad alteram Diuinæ sententiæ subiectam. Causa autem saltus istius erat, quia Ægyptiorum & Hebræorum domus confuse situabantur: Vnde Angelus qui Ægyptiorum domos, pro exequendo diuinæ iustitiæ præcepto, ingredi poterat, incidens postea in aliam domum ab Hebræis inhabitatam, eandem non tantum, pro inferendo damno non poterat ingredi, sed neque propinquius illam audebat accedere. Vnde saliebat, & quasi à longe transibat. Vnde ratione illius transitus Deus noctem illam *Pascha* id est, transitum appellare voluit.

Hæc omnia quidem bene dicuntur, verũ pro meliori facti huius intelligẽtia, causam scire percuperem, ob quam exterminator Angelus domus Ægyptiorum ingredi, nec non eorundem in illis primogenitos occidere poterat, cum tamen Hebræorum domibus non solum nullum inferre damnum, sed nequidem ingredi aliquam illarum posset, vt proinde saltare atque à longe illas transire necessario deberet. Moyses causam hãc in sanguinem agni refert, quo Hebræorum postes tincti esse videbantur, iuxta quod Deus præceperat, dicens: *Erit autem vobis sanguinis in signum in ædibus in quibus eritis: & videbo sanguinem & transibo vos: nec erit in vobis plaga dispergens, quando percussero terram Ægypti.* Qui sanguinis, vt inquit Arnoldus Abbas, sanguinem referebat seu repræsentabat Christi Redemptoris nostri, & subiungit: *Hinc est quod exterminator Angelus primogenita quaque Ægyptiorum percutiens, ipso hoc signo à limitibus sanguine illitis, quasi increpatus se cohibet.* q. d. Angelus diuinæ minister vindictæ Hebræorum domos ingredi non accidebat, non quod ad solitam stragem exequendam irrationalis Agni sanguinem timeret, sed quia sanguis ille, Christi IESV agni illius immaculati sanguinem repræsentabat, ob huius namque sanguinis reuerentiam fiebat, vt subito postquam sanguinem illum in Hebræorum aduertebat limitibus, illas transiliret seque alio reciperet, adeo vt exterminator Angelus, huius sanguinis virtute, veluti repræhensione quadam grauique comminatione territus fuisse videretur, ad deferendum domui illi, cui sanguinis impressa videbantur vestigia, debitum respectum, illique parcendum. Hoc verbis hisce (*Quasi increpatus*) insinuatur. Quodsi igitur domus illa, quæ sanguine filii Dei siue potius solâ figurâ sanguinis filii Dei notata erat atque respersa, inexpugnabile quoddam erat Hebræorum fortalitium, & veluti Asylum, in quod

Exodi 12. v. 13.

Arnold. Ab de 7. verb. Do.

quod Diuinæ iustitiæ minister stricto ense ingredi prohibebatur. Qualem igitur Deiparæ virgini reuerentiam exhibebit, in cuius magna domo Dei filius sanguinem suum accepit? Quodsi diuinæ Iustitiæ ministri illos tangere non audent, qui illam domum incolunt, in qua Dei filius vitam suam figuraliter perdidit, quomodo damnum ijs inferre poterunt, qui sub eius tectis tutela fortissima gaudent, in qua ipsemet Deus vitam suam realiter accepit? Nulli dubium est, quin illi qui sub cælestis Reginæ pallio refugium suum quærunt, ibidē veluti in admirabili quodam præsidio atque Asylo securissimo, ab omnibus diuinæ Iustitiæ supplicijs securi viuere possint.

3. S. Bernardus cum Beatissima virgine colloquens, ita eam affatur: *Nemo Domina tam idoneus est: vt gladio Domini manum pro nobis obijciat, vt tu Dei amantissima.* Id quod sanctus hic Abbas dicere voluit, quia optime sciebat, quod quotiescunque Deus cōtra mundum iratus, gladium suum ad castigandum homines eleuabat, & vibrabat, nullus alius præter aduocatam nostram, manū suam ad diuinam manum impediendam eleuare soleat; continuanamque experientia teste didicerat, ipsam adamantinum quoddam humani generis scutum esse, & fortalitium summè mirabile, quæ dum intra maternæ pietatis suæ muros mundum protegit, nunquam is iræ Dei expositus, aut ab eadem læsus esse poterit, cum illa expedita semper sit & prompta ad Dei manum continendam, & auertendos intentatos nobis ictus: *Vt gladio Domini manum pro nobis obijciat.*

S. Bern. serm. 3. ad V. Mariā Deiparam.

4. Hoc est magnum illud Sacramentum, quod Deipara virgo explicabat in Canticis dum semetipsam muro, vbera vero sua turribus comparat: *Ego murus & vbera mea sicut turris.* Qua similitudine siue metaphora indicare volebat, quam admiranda essent protectionis suæ auxilia. Quemadmodum enim muri & turres nullo alio fine fabricatæ sunt, quam vt ficuti & singularis tutelæ loco, ciuitatibus quas cingunt, deseruiant, vtpote, quæ alias iræ & violentiæ inimicorum omni hora essent expositæ. Eadem prorsus ratione Deiparæ virginis vbera ad populi Christiani deseruiunt protectionē

Cant. 8. v. 10.

Vnde S. Germanus dicit seu vocat: *Mam mas Deiparæ salutare lætitiæ poculum, & tu telare ac conseruatorium totius generis mortalium.* Vbera Matris Dei sunt ea, quæ dum ab imminentibus angustiis liberant, nos homines in terra lætos conseruant, sunt enim veluti adamantinum quoddam in terris fortalitium, quod humanum genus conseruat & protegit. Atque hinc est, quod si mundus à iustis irati Dei suppliciis, quæ peccatis suis iustissime fuerat prometitus, conseruatur & defenditur, ob id sanctissimæ Dei matri semper esse debeat obligatus, vtpote, quæ nudato pectore sacrorumque vberum suorum conspectu irato Filio obuiam procedit, vt dicit S. Bernardus: *Ostendit pectus & vbera.* Nostrum se facit vallum & aggerem, scutumque nostrum vt hac ratione sub alis protectionis suæ constituti, ab omni semper simus læsione securi: *Tutelare ac conseruatorium totius generis mortalium.*

S. Germ. Rer. Eccles. Theor.

5. S. Ioannes dicit, quod quando saluator mundo pro mundo moriturus pendebat in Cruce, voluerit priusquam moreretur, caput suum primo inclinare, & postea mori: *Inclinato capite tradidit spiritum.* Cur nonnisi inclinato prius capite mori voluit? Quid per illam capitis inclinationem significare nobis intendit quod illam intermittere ante mortem nequaquam voluerit? Audite pulcherrimam Hugonis Cardinalis considerationem, per quam huius quoque propriam assignat rationem. Dicit ergo: *Inclinato capite tradidit spiritum, idest, ex parte matris suæ, quasi diceret: per ipsam veniā petite, ipsa est oraculum misericordiæ.* Quasi diceret: Quando Christus caput suum inclinauit, id fecit versus illam partē, vbi benedicta mater sua stabat, per illud inclinationis signū ipsam demonstrare & indicare volens.

Io. 19. v. 30.

Hugo Card. ibi.

Quasi dicere voluisset: O vos homines qui me aspicitis & auscultatis, quodsi peccatorū vestrorū obtinere misericordiā atq; armatā Dei manum euadere vultis, ad ipsam recurrere, ipsam rogare oportet, ipsa namq; est quoddam diuinæ misericordiæ oraculū: vnde ipsa scutum vestrum semper erit, protectrix vestra, atq; securū humani generis asylum, ad quod recurrere semper debetis, vt saluemini: *Ipsa est oraculum misericordiæ.*

6. No-

6. Nolo hoc loco præterire valde proposito nostro inseruientem pulchram quandã Considerationem in illum Canticorum locum, vbi spiritus sanctus collum Deiparæ turri comparat eburneæ: *Collum tuum sicut turris eburnea* Certus enim sum quod non displicebit. Circa quem locũ ratio inuestigari posset, ob quam diuina sapientia collũ virginis matris turri comparare volens, illam appellauerit turrim eburneam, cum tamen cum maiori illius excellentia appellare illam potuisset turrim auream, aut ex margaritis, aliisque pretiosis gẽmis fabricatam, quæ cũ incomparabiliter ipso ebore pretiosiores existant, adductam quique similitudinem magis magisque extollere & magnificare potuissent. Verum enimuero quia in hac Comparatione spiritus sanctus ad solam respexit admirabilem Deiparæ. Virginis protectionem, qua contra iratum Deum mundum defendit; Ideo necessum fuit Collum eius, hoc est, preces illius, per Collum, vnde verba dimanant, intellectas, non auro, aut margaritis, aut aliis rebus pretiosis comparere, sed ebori.

Cant. 7. v. 4.

Philippus Abbas S. Bernard. contemporaneus, hunc locum explicans, atque de ebore loquens, sic inquit: *Ebur tam admirabilis virtutis est, vt si pannus lineus super ipsum ebur mittatur, & ipsi panno lineo carbo viuus de super imponatur; sua virtute ebur pannum, qui illi adhæret, illæsum custodit, ne à superposito carbone viuo consumi aut cremari possit.*

Philip. Ab in Mor. Cant.

Ad hanc eboris proprietatem à spiritu sancto respicitur, quando intercessio, sanctissimæ Dei matris turri eburneæ comparatur: *Turris eburnea*. Ad insinuandum, quod si nos eo tempore, quo Deus nostris peccatis prouocatur, igne indignationis & iræ contra nos ardet, quando aduertimus quod *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo*, si inquam tunc magnæ Deiparæ Patronæ nostræ appropinquauerimus, & per intercessionis suæ turrim eburneam nos defenderimus, securi esse, nec quicquam dãni timere debeamus: illi namque appropinquantes, erimus, quasi pannus aliquis lineus, ebori proxime superimpositus, qui nullum prorsus ab igne superimposito sibi metuit incendium: *Qui illi adhæret illæsum custodit.*

Ps. 17. v. 9.

7. Refert Isaias Propheta, se Seraphinum quendam vidisse, qui forcipem, quo carbonem accensum prendiderat, manu sua tenebat: *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* S. Anastasius Sinaita per carbonem hunc Christum intelligit, per forcipem autẽ quo Carbonem strinxerat Beatam virginem. *Forceps autem Christi per duas pinnulas eum tenens est intemerata eius mater.* Eandem prorsus explicationem adfert Andreas Archiepiscopus Candiæ, dum sancta Dei Mater ab illo appellabatur *Seraphica mystici carbonis ardentis forceps.*

Isa. 6. v. 6.

S. Anast. Sinaita l. 8. Hexam.

Vnde notandum quod sicut carbo accensus apprehendi non potest, nisi forcipe cõstringatur. Sic nec Deus qui per scelera nostra factus est sicut carbo ira & indignatione accensus ab vllo aliorum hominum constringi aut ne ad homines per promerita supplicia consumendos deorsum descendat, teneri vlla ratione potest, nisi à sua sanctissima matre. Ipsa sola est forceps, cui tanta concessa est potentia, vt diuinæ Iustitiæ executionem impedire atque morari possit *Seraphica mystici carbonis ardentis forceps.*

8. Habet collum sanctissimæ Deiparæ in Canticis adhuc aliam quandam Considerationem, præter eam quam supra tetigimus. Nam capite, 1. inuenietis illud assimilari auteo cuidam monili: *Collum tuum sicut monilia.* S. Gregorius Nyssenus legit: *Collum tuum sicut torques.* Denique hanc dictionem *Torques* in Græco ab aliquo deriuari vocabulo quod gremium illud significat, quod Natura in multis terræ partibus mari vicinis ad instar mediæ lunæ formauit, vbi congregantur Aquæ & portus formatur, qui miserorum errantiumque nautarum, quies est & optata securitas, vbi à ventorum procellarumque impetu cõmodissimè saluantur.

Cant. 1. v. 9.

Quibus in locis, subiungit idem S. Doctor: *Non est eis naufragij metus, neque in mari latentium cautium suspicio, nec periculum prædonum, nec à flatibus perturbatio, neque à profundo per ventum intumescit mare, sed remoti sunt ab omnibus huiusmodi periculis.* Quotquot ab alto mari in tale se gremium recipiunt, nullibi magis salui esse possunt aut securi, siquidem ibidem nullam habent nau-

S. Gregor. Nyssenus ibid. Hom. 3.

fragium patiendi formidinem nec ad scopulos allidere metuunt, nec à piratis deprædari, nec alia quæuis vereantur pericula quibus alias mare plenum est. Vnde ex hactenus dictis habemus collum sponsæ siue Virginis Matris portui simile esse. Quo supposito, memores vos esse velim, quod alibi collum Deiparæ sanctissimarum intercessionum suarum diximus esse symbolum. Dico igitur preces & intercessiones B. Virginis Mariæ non ob aliud portui assimilari: *Collum tuum sicut turris*: nisi vt per hoc intelligamus, quod quando Deus iratus, ventos soluit, format procellas, mundique huius mare commouet, vt ingenti variorum flagellorum vi immissa, terræ huius habitatores & amatores submergat, necessum tunc sit pro tot malorũ euasione ad tantæ Patronæ intercessionem refugere. Hæc enim in similibus sinistris euentibus securus est portus, fortalitium inexpugnabile & inuiolatum salutis nostræ conseruandæ asylum. Quo S. Ephrem Syrus respexisse videtur, quando Beatissimam Virginem salutando dicebat: *Aue portus optime huius vitæ nautarum.* q. d. Salue sis securissimus miserorum in turbulento huius procellosæ vitæ mari nauigantium portus, intra cuius littora duntaxat præsidium reperire possumus & quietem.

S. Ephr. apud Lip. 1. Nov.

Enimuero cum in Canticis Salomonis de facto versemur, ne dimittamus illa, donec per alium eiusdem libri locum, Considerationi huic finem feliciter imposuerimus. In capite igitur septimo libri istius venter Beatissimæ Deiparæ his verbis diuinè describitur: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Per aceruum tritici intelligenda est tota fidelium Beatissimæ Mariæ Virgini deuotorum clientum congregatio, quos omnes ipsa ob specialem quam illorum sollicite gerit protectionem, glorioso suo in vtero portat: *Omnes miseros in ventre suo portat.*

Cant. 7. v. 2.

Hugo Car. in c. 11. Luc.

Verum quod in hoc scripturæ loco notandum venit, est, quod dum B. Virgo omnes sibi deuotos in gremio suo recipit, vt in vteri sui arce custodiat atque protegat, eosdem loco præsidii siue custodiæ murorum, per circuitum certo quodã vallarit liliorum ordine: *Vallatus liliis.* Sed ehem quid facis, ô sanctissima Domina, Tunc flores adeo debiles & fragiles, qui ab omnibus passim pro ipsiusmet fragilitatis capiuntur symbolo, deuotorum tuorum clientum constituis præsidiarios? cur illos non circumdas scutis, hastis, lanceis, arcubus, ensibus, catapultis aut aliis armis similibus, quibus eosdẽ securiores quã per lilia reddere posses? Quid defensionis aut præsidii lilia promittere poterunt, vtpote quæ ab omni debili ac infirmo pede dissipantur & conculcantur & proteruntur.

Rabbi Salomon tametsi ad hunc sensum se non reflectat, nondum tamen difficultatis adductum optimè soluit, & dicit: *Septus liliis, munitus & septus liliorum sepe; sufficit ei seps tenuis nec vllus ex vobis est, qui eam perrumpat ingressus causa.* Venter Virgineus liliis vallatus conspicitur, quia quantumuis fragilis & debilis seps ei sufficere existimatur, vnde liliorũ ei præsidium abundè sufficit: *Sufficit ei seps tenuis.* Vbi notandum, quod hoc loquendi modo spiritus sanctus hoc tantum intendat significare, nimirum quam hoc Virginei ventris fortalitium ad defensionem populi sui sit admirabile.

Rabbi Salom. ibid.

Id quod adhibita alterius cuiusdam loci Ezechielis declaratione facilius intelligetur vbi Deus de fastu & superbia ciuitatis Tyri loquens, hæc inter alia ei verba dicebat: *Sed & pigmæi qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis.* Vbi liquet, Tyram ciuitatem alios fortitudinis suæ non habere præsidiarios præterquam Pigmæos, homines videlicet valde paruos & debiles, qui ne quidem cum gruibus, nedum hominibus concertare aut confligere sufficiũt; Et tamen ciuitas illa magna, fortis, suisque inimicis magnæ semper fuit formidini. Quamobrem autem generoso validoque milite munita non fuit, sed paruulo & debili Pigmæorum grege? rationem huius assignat Nicolaus de Lyra dicens: *Tales fuerunt positi in turribus Tyri, ad ostentationem fortitudinis loci,* vt videlicet per tenue ac debile præsidiũ inimicis suis insinuaretur ipsã adeo esse validam ac fortem, vt aduersus quemlibet validissimum numerosissimumque exer-

Ezech. 27. v. 11.

Lyran. in c. 5. lib. 2. Reg.

exercitum, pauculorum infirmorumque pigmæorum manibus sese possit defendere.

Simile quid spiritus sanctus indicare voluisse videtur, dum ventrem Deiparæ in quo ipsa deuotos sibi clientes protegit atque tuetur lilijs dicit esse fortificatum: *Vallatus lilijs.* Innuere enim voluit ipsam inuictum quoddam & inexpugnabile esse fortalitium quod pro defensione suorum, necnon ad procul arcendum quemcunque aduersariũ, crassis vastisque non indiget mœnibus, aut hominibus vel Angelis armatis, nec alia quacunque armatura aut munimento. *Ad ostentationem fortitudinis loci.* Peccatum admirabile illud Asylum violare non audet, ad fœdandum eos, qui sub illius protectione viuunt, quæ peccatum non habet. Nec Dæmon appropinquare audet pro illis animabus opprimendis, quæ sub illius defensione degunt, quæ quondam caput ipsius contriuit. Denique diuinæ Iustitiæ ministri, qui lachrymabiles & deplorandas per mundum discurrendo strages faciunt, ad hæc mœnia appellentes gladium suum demittunt, vaginaque recondunt; optime namque norunt quod Dominus suus in hunc Mariæ vterum incolatus causa, totus inermis appulerit, atq; ex Deo vindictæ ibidem transmutatus sit in Deum pietatis & misericordiæ.

Quis igitur ille erit, qui cum è tot malis, quibus in tempestuoso vitæ præsentis pelago quotidie subijcimur, inuenire possit effugium, solum sub vmbram protectionis Deiparæ Virginis Mariæ recurrendo, suamque consequenter assecurare salutem, foris indeque exclusus nihilominus vltro, manere velit? Porro quisquis adeo est iners & piger, in semetipsum reuertatur, admirabilemque animæ suæ statum conspiciens, pro obtinendis admirabilibus fauoribus & gratijs, quos in magna hac domo commorando habere posset, plangat, & cum prodigo hoc iuuene suspirans dicat: *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus?*

SERMO XIX.

In Dominicam Tertiam Quadragesimæ.

Erat IESVS eijciens Dæmonium.

Luc. 11.

1. S. Marcus Euangelista refert, quod Christus Dominus noster hominem quendam mutum sanaturus, rogatam illi sanitatem conferre, linguamque illius soluere noluerit, priusquam in cœlum suspiciendo ingemuisset: *Et suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi: Epheta, quod est, adaperire.* Suspirium istud & planctus, me cogit inquirere causam, ob quam Christus non ingemuerit sanaturus Dæmoniacos, aut cæcos illuminaturus, & tamen profunda duxerit suspiria, dum mutorum soluturus linguam erat? Ratio autem huius, quantum ego quidem persuadere mihi possum, hæc est, quia cum illuminando cæcos, & pellendo Dæmones, homines è summo malo, quo obnoxij erant, eriperet, maius

Marci 7. v. 34.

maius illis bonũ cõsequenter cõferre nequaquã poterat. Vnde dũ hæc miracula patrabat ingemiscere nequaquam solebat, nec debebat. Quod si enim in similibus occasionibus doluisset, per hoc manifeste ostendisset sibi valde displicere, si quando magnum aliquod ijs bonum eueniat, quibus omne bonũ reuera desiderabat: Quando autem postea linguã laxabat, & amissam loquendi restituebat facultatem, planctum & gemitus impedire aut dissimulare minime poterat, quia nimirum per eiusmodi linguæ solutionem, manifesto illos æternæ dãnationis periculo expositos esse videbat. Sicut enim Homo nullũ è naturæ bonis habet, quod lingua sit maius, dũmodo eandem ad bonum applicet, ita quoque malum maius habere nequit eadem lingua, dum in malos illam adhibet vsus. Is cui Christus, vt S. Marcus scribit, facultatem tribuit exsoluto linguæ vinculo expeditè loquendi, in euidenti erat periculo positus, soluta sibi lingua male vtendi, idq; ad æternã animæ suæ ruinam. Vnde dignum erat, vt Christus illius causa ingemisceret: *Suspiciens in cælum ingemuit.*

Vnde affirmare oportet, quod cũ Christo in præsenti Euangelio homo quidam oblatus sit à Dæmone vexatus, cœcus & mutus, Christus eidem post Dæmonem pulsum, restitutum visum & linguam exsolutam, duo contulerit bona ex maioribus, quæ desiderari possũt in hominibus, nec nõ & aliud quoddam donum concesserit, quod ex parte talis hominis, pro ratione & qualitate exercitij linguæ, maximum bonũ dici potest, & maximum malum. Nam vti dicemus, maiori bono in præsenti vita frui non licet, quam si quis à Dæmonis crudelissimi inimici nostri iugo liber sit, atque immunis, à cuius videlicet tyrannide malum nostrũ omne procedit. Similiter etiam maiorem à Diuinarũ manuum munificentia fauorem recipere nõ possumus quam sit lumen oculorum animæ nostræ. Denique; quod linguæ vsum pertinet, huius totus bonitatis vel maliciæ status ab euentu dependet, vt scilicet vel ad maius bonum, vel maius malum nostrum cedat, iuxta quod à nobis bene vel male fuerit adhibita. Qua tamen ratione id verum sit, in sequentibus considerationibus declarabitur.

CONSIDERATIO I.

Eijciens Dæmonium.

Odium quo Dæmon in hominem fertur, tantum est, vt sicut maius habere gaudium nequit, quam dum affligit, aut hominem afflictum esse conspicit, ita quoque maiorem experiri non potest dolorem, quam dum a Deo impeditur, ne hominem affligat.

MAgnus profecto fauor fuit, quem Christus benignissimus Dominus noster huic homini præstitit, dum Dæmonẽ ab eodẽ profligauit, ipsumq; à crudelissimi totius humani generis inimici tyrannide exsoluit. Persuasũ mihi firmiter habeo hunc hominẽ maiorẽ eo fauorẽ desiderare aut petere nequaquã potuisse. Siquidẽ nullus maiori malo reperiri potest obnoxius, quã si tijs qui canis huius infernalis subijcitur crudelitati. Odiũ enim & inimicitia, qua peruersissimus Dæmon cõtra nos exardescit, tã est ingẽs, adeoque mortifera illius est rabies, quã cõtra nos continuo exagitatur, vt sicuti maius habere gaudiũ nequit, quã dum affligit aut afflictos nos esse conspicit, ita quoq; maiorẽ experiri dolorem non possit, quam dum à Deo, ne hominem affligat, impeditur.

2. Gabriel Archangelus à Persarum captiuitate populum Hebræum liberare volens, Danieli Prophetæ referebat, qualiter Angelus regnorũ illorum custos, ad refundendos Gabrielis Archangeli conatus, vehementer ipsi restiterit. tandẽ autem, ob præstitum sibi à Michaele Archangelo præsidium seu subsidium, generose præualuerit: *Princeps regni Persarũ, restitit mihi viginti & vno diebus, & ecce Michael vnus è Principibus, venit in adiutorium meum.* Dan. 10. v. 13. Verum merito hic quærat aliquis. Qualisnam forte fuerit hic Angelus, qui S. Gabrielem impedire volebat, ne populus a Deo electus a dura illa seruitute liberaretur.

Hugo Cardinalis dicit, opinari nõnullos, fuisse Dæmonẽ, qui ad impediendã miseræ illius gentis libertatẽ, cuius è captiuitate egressũ nolebat permittere, cõtra Archangelum sese obarmauerat. Simulq; causam, ob

quam Dæmon liberatori Angelo moliebatur resistere, hisce verbis assignat: *Quia delectabatur afflictionibus eorum,* qui vtpote sub inimicorum suorum iugo constituti, vehementer affligebantur. Et quia Dæmon particulare ex miserabilium hominum illorum angustijs hauriebat gaudium, ideo ne gratum adeo & spectabile ab oculis suis euanesceret spectaculum, omni eum possibili industria eorundem impedire conabatur libertatem; Nec mirum. Tantum enim tamque vehemens est Dæmonum aduersum nos odium, vt recreationem maiorem aut vehementius gaudium habere non possit, quam vt nos afflictos videat & tribulatos: *Delectabatur afflictionibus eorum.*

Hugo Car. ibid.

3. Quærit S. P. Ioannes Chrysostomus qui fiat, quod cum Dæmon inuidus Adæ procurasset peccatum, eoque mediante totum genus humanum in tot reduxisset & immersisset dolores & miserias insuper Cainum instigare voluerit, ad innocentem Abel fratrem suũ occidendum; Nunquid illi ingens illud sufficere damnũ merito debuisset, quod omnibus vniuersim hominibus procurauerat, vt eundẽ per mortẽ Abel insuper affligere in particulari voluerit? Respondetque os illud aureum, id illi minime visum fuisse sufficiens, & rationem assignat: *Festinabat enim & cupiebat videre sententiam in opus prodire, quia nostris malis nunquam exsatiatur.*

Genes. 4. v. 8.

S. Chrysost. Hom. 53. ad popul.

Quia crudelis bestia, postquam per diuini transgressionem præcepti lapsum procurasset Adami & Euæ, ex vna quidẽ parte sibi persuadebat fore, vt mox illos iuxta factam à Deo comminationem mortuos videret & occisos, ex altera vero parte pietate diuina dilatam videbat diuinæ sententiæ executionem (nam tametsi peccando mortales facti essent, non tamen mori mox cogebantur) ipse sua se spe delusum cernens, factus est ex tunc, si alias vnquam, videndæ humanæ mortis maxime cupidus; & quidẽ ob vehementis desiderij excessum impatiẽs expectandi naturale moriendi tempus, Caini opera vti voluit, violenta morte Abel fratrẽ suum interimentis, idque eo duntaxat fine, vt hominẽ in mortis potestate tandem aliquando cerneret constitutũ, tamq; lugubris spectaculi perfruens aspectu, aliquã ex malis nostris perciperet delectationẽ. Non sufficiebat sanguinolento huic serpenti, videre homines delusione & fraude sua iam factos mortales, atq; in tantã ruinam præcipitatos verum insuper veluti humanorum damnorum insatiabilis, illam adesse semper cupiebat horam, qua homines cadauera factos redactosque in cinerem videre sibi liceret: *Nostris malis nunquam exsatiatur.*

4. Tostatus super illum scripturæ locum, in quo Angelus Domini centum octuaginta quinque millia hominũ de exercitu Sennacherib occidisse refertur hisce verbis: *Venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinq; millia,* pulchrã quandam quæstionẽ mouet & quærit: Qualisnã ille fuerit Angelus? bonusne an malus? Num de cælo missus fuerit? aut vere euocatus ab inferno? Tandemq; concludit Angelũ illum nequaquã de cælo fuisse missum, sed potius fuisse Dæmonẽ quendam, ab inferis euocatum & rationẽ huius assignat, dicens: *Esse ministrũ Dei in afflictionibus pœnarũ, magis conuenit Dæmonibus, quã Angelis bonis, quia inuidi sunt, & in hoc delectantur.* Deus homines honorare & præmiare volens, Angelos de cælo mittere solet, qui vtpote generi humano addictissimi, singulare de bono nostro gaudiũ hauriunt, ideoq; ad isthæc tam fauorabilia officia vltro citroq; inclinantur; Quando vero castigare, affligere & occiderẽ decernit, tunc demum Dæmonũ opera vtitur, qui quoniam maiores nostri inimici existunt, continuũ & immortale erga nos odiũ exercent, ardentq; sanguinis nostri inextinguibili siti, ideoq; admodũ lubenter ad malorũ nobis immittendorũ executionem operã suam impendunt, neq; enim gaudiũ maius aut vehementiorẽ capere delectationem possunt, quã dum hominis carnifices & tortores actualiter existũt: *In hoc delectantur.*

4. Reg. 19. v. 35.

Tost. ibid. q. 24.

5. Refert Rupertus Abbas, antiquitus singulari quadã Dæmonis suggestione publicis in Romano Imperio sumptibus sustentari solitos fuisse certos quosdã homines, qui *Proletarij* dicebantur, quorũ aliud munus nõ erat quã vt mulieribus impręgnandis continuo incumberent, humanæq; generationis actibus semper essent intenti, quod etiã Aulus Gellius testatur, qui opinatur nomen istud deriuari; *à munere officioq; prolis edendæ.*

Aul. Gell. libr. 16. cap. 11.

Quæ

Quæro hic quid Dæmon iste bestialium facinorosorumque hominum genus introducendo intenderit? Respondere equidem mihi poteritis, dicendo quod luxuriæ peccata multiplicare intenderit. Verum quod si hoc tantum molitus fuisset, otiose laborasset, siquidem tot ipsi sufficere debuissent adulteri incestuosi, alijque homines carnales, quibus mundus iste sufficienter erat repletus. Venerabilis Abbas prædictus veram Diabolici conatus assignat rationem dicens: *Romani Proletarios decreuerunt in urbibus esse, vt non deesset Diabolo, vnde quotidianum fere posset habere sanguinis humani ludibrium, quotidianum spectaculum.*

Rup. Ab. lib. 3. c. 3. in Nau.

Pro quorum verborum intelligentia sciendum vobis est, quod quia Respublica Romana continuo pro acquirenda mundi Monarchia cum toto mundo confligebat, hinc in diuersis terræ partibus innumerabiles quotidie faciebat hominum strages, integros humani sanguinis effundebat lacus, editosque formabat humanorum cadauerum montes; vnde quia gaudium, quod Dæmon ex horrendis illis capiebat spectaculis, ingens erat, siquidem maiores hisce delitias desiderare non poterat; ideo timens ne per quotidianas hasce diuersis in mundi partibus velitationes & conflictus, Romani sensim & paulatim deficerent, & consequenter eorundem trucidationes, & nata sua ex ijs gaudia & recreationes tandem cessarent, maledictum hoc Proletariorum adinuenit seminarium, vt per eos, quantumuis Romani continuo pugnando caderent, & magno numero morerentur, alij ad continuandum Romanorum bellum, & quotidianas eorundem strages semper succederent, sicque eæ quas ex hominibus morientibus & occisis capiebat, delitiæ, nunquam deficerent: *Vnde quotidianum fere habere posset sanguinis humani ludibrium, quotidianum spectaculum.*

6. Cum mundi Saluator regionem ingrederetur Gerasenorum, duo ipsi obuiarunt homines Dæmoniaci, ex sepulchris in quibus, vt S. Matthæus refert continuo habitabant, egredientes: *Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes Dæmonia de monumentis exeuntes.* Mira profecto res est ista, quæ de hominibus istis ab Euangelista recensetur, Quomodo enim hi homines in sepulchris cum putredine, fætore, & vermibus habitare & simul viui remanere poterant? S. Petrus Chrysologus dicit, misellos hosce homines ad incolendum puteolentia isthæc hospitia violentatos fuisse à Dæmonibus, corpora ipsorum possidentibus, idque ob delectationem quam crudeles illi Dracones ex horridis illis locis capiebant. Ipsi namque, inquit sanctus Archiepiscopus; *Pascuntur cadaueribus, putredine satiantur, delitiantur fœtore; quibus tota voluntas est homines interire.* Tantum est sanguinolentæ huius bestiæ aduersus homines odium, vt alias non videatur habere delitias, quam eas quas haurit dum homines videt mortuos atque occisos aliud nihil, quam corporum nostrorum corruptiones, illi sapit, suauiori frui odore non potest, quam humanorum cadauerum puteolentia. Vnde vt horrenda ista semper ante oculos haberet spectacula, adeo illi grata & dulcia, ideo semper suum in sepulchris horridis incolatum habebat *Quibus tota voluptas est homines interire.*

Matth. 8. v. 28.

S. Petrus Chrysol. serm. 16.

7. Videtur mihi Dæmon hac in re alter quidam esse Hannibal Carthaginensis, de cuius crudelitate Seneca scribit, quod cum die quadam ingentem quandam fossam seu corrupti & putridi sanguinis, ex magna quadam, quam de inimicis suis fecerat, strage effusi, stagnum videret quod ob pestiferum quem exhalabat, odorem, horrori omnibus erat, ipse nihilominus idipsum conspiciens, tantam inde conceperit lætitiam, vt mox ad suos conuersus dixerit: *Pulchrum spectaculum.*

Seneca lib. 2. de Ira.

Aut vero imitatus esse videtur Abul Iacob Turcarum Regem, qui dum Marocinum Ciuitatem adhibita armorum suorum vi recuperasset, admirabilem quandam incolarũ Ciuium stragem fecit Cumque platearũ compita sanguine & cadaueribus adimplesset, mox sub capitali vitæ pœna omnibus vetuit, ne ex trucidatis aliquẽ aut loco mouerent, aut honesta afficerent sepultura. Monitus autem ab amicis, subesse nimirum periculum, ne ob ingentem, quem cada-

Buter. de Dictis memorabil. lib. 1.

cadauera exhalabant, fœtorem, aer corrũperetur, hauriretque contagium: respondit id nequaquam possibile esse. Et subito foras è palatio egressus, vnamque platearũ illarum transiens, extremam manicæ oram in putridum intinxit sanguinem, naribusque admouit, indeque ad circumstantes conuersus dixit: Vix credo possibile esse quod vnquam delicatiorem magisque cordialem persenseritis odorem eo quem ego ex putrido isto, vt vos existimatis, sanguine persentisco. Cogitate obsecro, quam ingens fuerit odium & rabies, quam Tyrannus, iste aduersus incolas illos in corde suo ferebat, quæ tanta extitit, vt pro re suaui ac deliciosa illorum haberet sanguinem, quantumuis fœtidum & puteolentem. Tale quoque imo longe maius est odium, quo Dæmones contra nos exardescunt. *Quibus tota voluptas est homines interire.*

8. Aduertistisne aliquando in scriptura sacra, de certis quibusdam animalibus, quæ Lamiæ vocantur, mentionem fieri. In Isaia & Ieremia recensentur. Qualenam autem animalium genus hoc erat? Antiqui opinabantur Lamias hasce non animalia, sed Dæmonia fuisse, quæ hominibus ad instar speciosissimarum mulierum apparere solebant.

Isa. 34. v. 14. Thren. 4. v. 3.

Enimuero si curiosi sitis, ac cupidi sciendi, quidnam Dæmones per speciosas illas mulierum facies aduersus homines moliti fuerint? Legitote Ioannem Æmilianum qui citat Philostratum, Diabolicum hocce molimen pulchrè explicantem: *Philostratus Dæmones humani sanguinis auidissimos reperiri opinatus est, quos à nonnullis Lamias nuncupari testatur qui simulatis blanditijs formosos alliciunt, vt immani helluatione truculenter eos deinde deuorent.* Lamiæ igitur sunt Dæmones qui pulchrarum venustarumque mulierum facies mentiuntur, vt hac specie incautos illaqueent iuuenes, eosdemque sub suam potestatem redactos occidant, ipsorumque humano satientur sanguine, cuius adeo sunt auidi & sitibundi, stultitia profectò non modica esset, si quis sibi persuaderet Dæmones sanguinem sitire veluti corporale quoddam nutrimentum, aut ad sensibilem gustum & recreationem, quam ex humano capiant sanguine, cum enim substantiæ sint spirituales, separatæ à corpore, corporali non indigent nutrimento, & consequenter, cum gustum illum quem nos manducando experimur non habeant, sensibiliter gustare non possunt. Dicuntur ergo humano sanguine nutriri, indeque suas percipere delitias, ad demonstrandum odium, quo contra homines veluti rabidi exardescunt, ex cuius impulsu aliud nihil æque desiderant, nec de alio gaudent, præterquam de ruinis nostris, vtpote quos semper videre desiderant vulneratos, occisos & mortuos. *Tota voluptas est homines interire.*

Philostr. apud Io. Æmill. de Rumin. Synt.

9. Triphiodorus Ægyptius Poëta Græcus lachrymabilem quam Græci in vrbe Troiana parauerant stragem recensens, non intermisit gaudium illud iubilumque describere, quem eadem in occasione celebrarunt Furiæ, & præcipue Furia quædam dicta Ennio, de qua dicit:

Tunc adeo immanis cupidissima cædis Enyo
Sanguinis effusi grato se nectare pascens
Per Troiam rapidi saltabat turbinis instar:

Triphio. de Ilij Expug.

Quasi diceret: Tunc Ennio furia illa crudelissima miserrimos Troiæ incolas occisos mortuosque conspiciens, vtpote qui proprio suo innatabant sanguini, tantis fruebatur delitijs, tantoque ex crudeli illo horrendoque spectaculo replebatur lætitiæ iubilo, vt præ nimio gaudij excessu, saltaret & tripudiaret: manantibus putridi ac fœtidi sanguinis riuulis, haud aliter, quam suauissimo pascebatur nectare. Furiæ de quibus olim loquebantur antiqui, nihil aliud erant, quam maligni spiritus, quos nos Dæmones appellamus, quorum rabidum odiũ vel ex hoc intelligi facile poterit, quod præfatus de ijs recenset Poëta, ex iubilo videlicet quem in vrbis Troianæ ruina inter se excitabant, ex gaudio quod de visis vrbis illius malis percepisse se monstrabant, atque ex ijs quas ex effuso miserorum Ciuium illorum sanguine hauriebant delitijs, cuius solo conspectu, haud aliter quam cælesti pascebantur nectare.

Sanguinis effusi grato se nectare pascens.

10. Cum Dæmon facultatem affligendi sanctissimum Iobum à Deo expeteret, Deus

Deus hunc in modum eidem respondit: *Ecce in manu tua est, veruntamen animam ipsius serua.* q. d. Tuo illum tibi cedo arbitrio liberæque facultati, hac tamen lege, vt animam illius semper seruare memineris. Verum enimuero quidnam obsecro Deus à Dæmone requirebat, per hoc eidem de conseruanda Iobi anima impositum præceptum? S. P. Augustinus dicit: *Ne vitam eripere posse præsumeret.* q. d. Causas ob quam Deus Dæmoni hoc imposuit præceptum, fuit, ne videlicet ei vitam, quæ per animam intelligebatur, eriperet. Perspicuum namque Deo erat immortale odium, quo truculentus ille Carnifex aduersus homines tenebatur, ex eodemque cognouit futurum, quod mox vt seruum suum suis haberet traditum manibus, eundem absque vlla tardationis mora quoque occideret; tanto fertur erga humanum sanguinem desiderij furore atque ideo vitam serui sui ab illo conseruari præcepit: *Ne vitam eripere posse præsumeret.*

Iob. 2. v. 6.

S. Aug. Annot. in Iob.

11. Incarnata Dei sapientia hominem quendam Dæmoniacum sanatura, Dæmonem hominis illius infestatorem ante omnia, quo appellaretur nomine, requisiuit, qui eidem mox respondit: Nomen meum est *Legio: Interrogauit autem illum Iesus dicens: quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio.* Abulensis causam inuestigat ob quam Christus Dæmonem hunc nomen suum manifestare voluerit, & dicit: *Vt Christus ostenderet magnum desiderium Dæmonum de nocendo hominibus: quia omnes Dæmones, quotquot sunt, si permitterentur, intrarent in quemlibet hominem, vt omnes eum torquerent: Christus ostendit nunc fuisse multos Dæmones in isto arreptitio, quia omnes desiderauerant intrare in eum vt eum torquerent.* q. d. Non ob aliam causam Christus voluit, vt Dæmon iste nomen suum manifestaret, nisi vt ab omnibus intelligeretur, in obsesso isto corpore integram quandam congregatam esse Dæmonum legionem ad torquendum infelicem istum hominem, vtque simul ingens insinuaretur desiderium & auiditas qua infernales spiritus afficiuntur ad affligendum hominem, quæ tanta est, vt si omnibus vnum ingredi hominem permitteretur, eo certe ingressuri essent relinqueretur que ab ijsdē infernus solitarius atq; desertus, tanta est qua erga hominē agitantur rabiei furia.

Lu. 8. v. 30.

Tost. in ca. 4. Matth.

12. Quando Dæmon, vti superius audistis, licentiam Iobum affligendi petere voluit, in hæc verba supplicam illam proposuit, digna nimirum, quæ ad hocce nostrum propositum grauiter ponderentur: *Extende paululum manum, & tange cuncta quæ possidet.* q. d. Manum tuam nonnihil extende, mihique permittito, vt in ijs quæ possidet bonis percutiatur. Mente vestra bene retinete hoc *paululum.* & attendite singulad malum istud, quod Dæmon Iobo accersiuit, ac demum considerate, an hoc ipsum vobis videatur paululum prouti ipse affirmat. Quomodo id paululum appellari potest, si eo quod Iobo intulit, maius fere nihil inferre possit? Facultatibus suis illum spoliauit, priuauit eum filijs, ipsum à vertice ad plantas vsque in vnum quasi vulnus redegit, ipsumque in tantum redegit exterminium, vt potius in inferno esse, quam in isthoc miserabili statu viuere elegerit & Dæmon id ipsum modicum malum appellat? *Extende paululum manum tuam.*

Iob. 1. v. 11.

Respondet S. Gregorius Magnus: *Paululum vero manum postulat extendi, quia exteriora sunt, quæ appetit conteri: neque enim Satanas facere se aliquid multum putat, nisi eum in anima simul sauciet.*

S. Gregor. ibid.

Cum Deus Dæmoni nollet permittere vt aliquod animæ Iobi damnum conciliaret, Dæmon facultatem à Deo sollicitans Iobum in bonis corporalibus in carne & facultatibus suis damnificandi, tametsi probè posset, quod ingentibus illum & incomparabilibus damnis esset afflicturus, ea tamen omnia ipsi admodum esse videbantur modica: *Extende paululum manum tuam.* Quia adeo ingens est eius aduersum nos rabies, vt tametsi, quicquid sibi per vires suas est possibile, industrie faciat, nihilominus tamen nihil se fecisse existimet, quamdiu nos in anima quoque non affligit, vel inducendo ad peccandum & offendendum Deum, vel procurando vt in Inferno æternaliter simus damnati. Hic est maximus illius conatus, hic totum suum collocat studium, in horum æternorum damnorum executione veras suas repositas habet delitias: secus autem nequaquam sibi satisfactum esse existi-

existimat: *Neque enim Sathanas facere se aliquid multum putat, nisi cum in anima sauciat.*

13. Refert Magister Historiæ Scholasticæ, Salomonem multa ad Dæmoniacos sanandos adinuenisse remedia. & in particulari quidem characteres nonnullos, quos in annulorum gemmis exsculpi procurabat, qui afflicti hominis naribus, vna cum certa quadam radice, sibi miraculose demonstrata, applicati maledictum propellebat Dæmonem. Et paulo post subiungit: *Hac scientia plurimum valuit in gente Hebræorum, & maximè necessaria erat. Ante aduentum Christi sæpius homines à Dæmonibus vexabantur, quod homines viuos ad infernum quandoque detrudebant.* Quantumuis rabidi illi Inferni Dracones adeo truculenter miserabiles illos homines afflixissent in corpore, per hoc tamen truculentæ eorum non satisfiebat rabiei, nec insatiabilis ipsorum extinguebatur sitis, nisi prius eosdem æternaliter torquendos viuos in Infernum præcipitassent. *Viuos ad infernum detrudebant.*

Petr. Comestor in 3. Reg. c. 7. Rup. Ab. lib. 3. in Ge. c. 30.

14. Scribit Rupertus Abbas Dæmonem nunquam cognouisse, quod Arbor vitæ in terrestris paradisi medio plantata, tali prædita esset virtute, vt fructuum suorum esu immortales facere posset homines; Hoc namq; si sciuisset, vtique curasset, vt subito postquam prothoparentes nostri ex vetita arbore manducauerant, ex alterius quoque arboris huius fructibus gustarent: *Nec ipse serpens Diabolus sciuit quod etiam lignum vitæ plantasset Dominus Deus in medio Paradisi, si enim vel ille sciuisset nunquam consilium suæ malignitatis ita dimidiasset.* Id quod venerabilis hic Abbas hoc loco dicit, matura dignũ est consideratione. Quomodo enim intelligendus est hic Venerabilis Pater, dum dicit, quod si Dæmon virtutem arboris vitæ cognouisset curaturus fuisset, vt ipsi quoque Adamus & Eua edissent de fructibus illius? Hoc enim si fecisset amicum potius se quam inimicum esse demonstrasset, siquidem post sumptum venenum porrexisset antidotum. Illos enim quos per vetitæ arboris esum mortales reddiderat, ex altera arbore cibando, immortales quasi reddidisset. Impossibile autem esse videtur tale quid, quod minimum hominibus natum erat adferre emolumentum, egredi potuisse ex tanti hominum inimici furiosis manibus, vtpote qui eorum tanto cum desiderio mortem expectat.

Nulli dubium esse debet, quin Dæmoni virtus arboris vitæ nunquam fuerit perspecta; atque hæc illius ignorantia æstimanda est velut singulare opus diuinæ misericordiæ: Quod si enim vel minimam illius habuisset notitiam, vtique post primi cibi esum indilate quoque persuasisset & alterum, huius enim fructus pastu, non solum nullum ei conciliasset bonum, verum insuper omne possibile & imaginarium ei malum accersiuisset, imo malum quoddam absque vlla comparatione priori longe maius. Audite eam, quam Doctor iste solide illius reddit rationem? *Sicut illud lignum temerare persuasit, vt miseros faceret, sic & istud præripere suasisset, vt æternaliter miseros, vel misere æternos efficeret.* Quasi diceret: Nolite dubitare quin si Dæmoni arboris vitæ perspecta fuisset proprietas, is sicut de arbore scientiæ boni & mali homini comedere persuasit, vtique & de hac vitæ arbore subito manducare persuauisset, idque eo potissimum consilio, vt in æternam homines ruinam præcipites ageret. Videns namque se per primæ arboris esum homines omnes reddidisse miseros vtique per esum arboris vitæ eosdem conatus fuisset æternum miseros facere. Cum enim homines modo, vtpote mortales, mortis præsidio ab afflictionibus suis tandem reddantur liberi: per esum fructuum arboris vitæ facti fuissent immortales & æternaliter afflicti, omnique prorsus fine mala ipsorum caruissent. Vnde perspicue videtur admirabilis huius aduersarij nostri erga nos conceptus iracundiæ furor, vtpote qui afflictiones nostras quibus temporaliter subiacemus valde modicum æstimat, ideoque ne vllus nobis ad euadendum mala pateat exitus, in mala nos præcipitare molitur sempiterna. *Vt æternaliter miseros, vel misere æternos efficeret.*

15. Refert S. Matthæus Saluatorem nostrum, priusquam moreretur, ingentem edidisse vocem & clamorem horribilem,

Matth. 27 v. 46. bilem, postea vero fuisse mortuum: *Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna.* Sanctus Thomas Doctor Angelicus opinatur, Christum hac voce prohibuisse Dæmones, ne suas super electos suos ausi fuissent immittere manus. *Christus clamore reali Dæmones cohibuit à nocumento electorum.* S. Tho. in c. 7. Apoc.

Verum quid obsecro damni Dæmones inferre poterant prædestinatis, vt hac prohibitione opus fuerit? Damnum istud profecto nec grauius, nec maius esse poterat. *Ne scilicet noceant*, subiungit sanctus & Angelicus Doctor, *procurando mortem credituris antiquam credant. Possent enim, nisi cohibeantur, hoc facere, vel concitando odia vel rixas vsque ad homicidia: vel etiam suffocando ne ad fidem venirent fideles.* Nisi Christus terribili illo, quem in Cruce edidit, clamore indomitas hasce & sanguinolentas refrænasset bestias, vtique illi humanæ redemptionis complementum videntes, ne infideles ad Christianam conuerterentur religionem & saluarentur, non solum omnes decidi procurasset, excitando inter eos bella, odia, rixas, aliosque inquietos rumores & strepitus, verum ipsos quoque propriis suffocare molitus fuisset viribus. Tam enim ingens est Dæmonum aduersus nos odium, vt desiderium quo mala nostra videre cupiunt, temporalibus malis quibus affligimur quotidie, nequaquam satietur, nisi eisdem æterna quoque procurent, idque facillime facturi essent, nisi diuina illos coërceret misericordia.

16. Explicari nequaquam potest, quam ingens Dæmones tormẽtum patiantur, quãdo à Deo impediuntur ne hominibus noceant. Pro cuius probatione (in præsenti consideratione nimium prolixi simus) vnus dũtaxat ex Sancto Luca capite quarto adductus locus sufficiet, vbi recensetur quod Christo in Synagoga vrbis Capharnaum existente, Dæmoniacus quidam adductus fuerit; cum autem ingens esset Christi pietas, miserum hunc hominem sanare & curare voluit, tametsi à nemine pro eo rogaretur. Quod vt Dæmon hominem istum affligens aduertit, vehementer extimuit, & fortiter clamando in hæc verba prorupit: *Sine quid tibi & nobis* Lu. 4. v. 36. *Iesu Nazarene? Venisti perdere nos?* quasi diceret: Sinito nos in pace ô Iesu Nazarene, quid enim tibi mali facimus quod ad perdendum & destruendum nos aduenias?

Ad melius hæc Dæmonis verba intelligendum, scire percuperem quodnam illud malum sit, quod pertimescebant ne illis Christus accerseret? Num forte illum Christus expellere & in infernum ad cæterorum Dæmonum consortium redigere parabat? Num forte suas aucturus pænas aut in nihilum redacturus illum erat? Simile enim quid Dæmon timuerit oportet, eo ipso, quo eum in suam venisse pernitiem & perditionem lamentabatur: *Venisti perdere nos?* Sanctus Euangelista satis insinuat, Christum nihil horum intendisse facere, sed illum duntaxat à corpore illo quod obsidebat & torquebat, voluisse expellere. Forte autem id ipsum erit, quod *Dæmon* suam appellat esse perditionem? *Ita est*, inquit Dionysius Carthusianus, & rationem assignat, dicens: *Tanta est inuidia impietasque Diaboli, vt perdi se reputet, si ab hominibus expellatur.* Videns igitur Dæmon, quod Christus se ad illum ab homine isto expellendum accingeret, quodque sibi illum deinceps affligere nequaquam foret permittendum, perditum se iam atque in nihilum redactum esse existimauit. Tantum enim est illius aduersus hominem odiũ, vt maius habere tormentum, aut maiorem sustinere nequeat ruinam, quam illam pro arbitrio suo non posse affligere. Pænam sibi nequaquam existimat hoc, quod est igne æterno comburi, procul à cælo alienum esse atque remotum, & factum se esse incolam inferni sed vnica pæna sua, tormentum suum, perditio sua hæc est, nimirũ se homines torquere atque in extremam pernitiem redigere nequaquã amplius posse: *Perdi se reputat, si ab hominibus expellatur.* Dion. Carth. ibi.

17. S. P. Antiochus opinatur, Dauidẽ quando dicebat: *Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas*, in persona hominis ventri dediti & ad nimiã gulã inclinati fuisse locutũ, cuius carnes Dæmonũ sũt nutrimentũ ve- Ps. 26. v. 2.

pote quos Propheta per nocentes suos intellexit: *Caro huiusmodi pabulum est Dæmonum.* Vnde sanctus hic Abbas egregiam quãdam elicit doctrinam, dicens: *Itaque quisquis macerat carnes, & ad tabem nititur virtute abstinentiæ perducere, vtique Dæmones fame necat.*

S. Antiochus Hom. 6.

Nolite autem persuadere vobis, dum Abbatem hunc dicentem auditis, quod abstinens Dæmonem fame enecet, quasi sanctus hic Abbas Dæmonem mori posse credidisset, & quidem quod plus est, fame mori posse. Sciebat vtique ipsos vtpote spiritus immortales planeque incorporeos, mortis omnis esse expertes, neque ad instar hominũ, qui mortales sunt atq; corporei, aliquã à fame molestiam posse sustinere. De alia igitur fame & de alio mortis genere, quam de consueto Abbas hic locutus fuisse censendus est. Dicere igitur volebat, quod sicut is qui carnis vacat delitijs, eandẽ superbire & insolescere permittens, eo ipso quo talis ingens quoddam Dæmonibus, perditionis suæ porrigit instrumentũ, ob delectationem & gaudium, quod peruersi illi spiritus ex miseri illius ruina capiunt, nutrire & saginare Dæmonem dicitur. Ita alius qui ieiunijs & abstinentia familiarem inimicam suam, Carnem nimirum, opprimit, Dæmonem fame enecare dicitur, quia videlicet Dæmonibus nullam ad se perdendum suggerit aut subministrat occasionem: *Dæmones fame necat.* Nam adeo vehemens est, quo Dæmones nocendum hominibus eosque perdendos feruntur, fames & desideriũ, vt quando illam exsaturare nequeunt, adeo affligantur & torqueantur, vt si mortales essent, & mori possent, subito vtique morerentur: *Dæmones fame necat.*

Vnde sicut maius inueniri malum nequit, quam in truculentia adeo inimici nostri Dæmonis nimirum, manu constitutum esse, ita similiter maius homo bonum assequi nequit, quam à crudeli inimici huius tyrannide esse liberum atque solutum Vnde perspicue videre licet, quam ingens fauor ille sit, quem Christus misero huic homini præstat, à quo tyrannum hunc truculentum propulsat; *Erat Iesus eijciens Dæmonium.*

CONSIDERATIO II.

Locutus est mutus.

Sicut nihil esse melius potest lingua hominis applicata ad bonum, sic eadem ad malum applicata aliquid nequit esse deterius.

1. POstquam Saluator mundi hominem istum à Diabolica liberasset infestatione, dicit S. Lucas Euangelista, eidem vtpote qui tempore præterito mutus semper extiterat, ab eodem Domino nostro linguam publicè esse solutam adeo vt prompte postea & expedite locutus fuerit: *Cum eiecisset Dæmonium, locutus est mutus.* Dubitare minimè licet, quin is, qui linguæ vsum miraculose accepit, dummodo eadem bene & laudabiliter vsus fuerit, æstimari debeat fælicissimus: Econtra vero totius mundi æstimandus sit infælicissimus, si eandem male vsurpauerit & applicuerit. Sicut enim homo maius bonum lingua ad bonum applicata habere non potest, ita quoque maius habere malum nequit, si eandem male applicauerit.

Ecclesiasticus cap vlt. v. 30. dicebat: *Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam.* Non gloriatur sapiens, quod Deus sibi in laborum suorum mercedem, diuitias, dignitates, honores, vitam longæuam, aut alia similia bona donauerit, sed quod ab eodem bonã acceperit linguam. Ad innuendum quod bonum linguæ ad bonum bene applicatæ, bonum sit maximum; quod alia omnia bona superat, adeo etiam vt Deus illam inter cætera suis donet in præmium & laborum suorum mercedem.

Eccles. vlt. v. 30.

2. S. Ioannes Chrysostomus Cyriaco Episcopo scribens, eidem inter cætera refert, quod sibi in exilium migranti in Cappadociam, multi obuiarint homines Christiani & deuoti, qui in ipsius honorem concinentes, eidem inter cætera hæc quoque verba accinebant: *Tolerabilius fuisset si sol*

S. Chry... ra- Epist. 3...

radios suos retraxisset obscuratus, quam quod os hamanu tacuisset. Tolerabilius futurum fuisset infortunium, si sol obscuratus, mundúsque tenebris fuisset sepultus, quam silentem & obmutescentem videre Chrysostomi linguam. Verum merito quærat aliquis rationem, ob quam hi Christiani Chrysostomi linguam, ipsimet adeo fuerint anteferre soli? Ratio est quia illam ad bonum applicatam esse cernebant, ad docendum mundum, ad vitia corrigenda, ad omnium hominum salutem atque diuinas concelebrandas laudes. Sanctus quædam lingua maiorem parit vtilitatem animabus, quam sol adferat mundo. Adhæc sicut mundus maiori perfrui bono non potest quam sole ita quoque absque vlla comparatione nihil pro necessitatibus corporalibus desiderari potest melius lingua quadã ad bonum vsum adhibita.

3. S. Paulus Apostolus Corinthiis scribens deque vtilitate charitatis loquens, i-
1. Corinth. 13 v. 1. ta dicit: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans.* In hoc scripturæ loco hoc solum proposito meo præsenti deseruit, quod sanctus Paulus Angelos quoque linguam habere, ipsaque loqui dicat. Id quod mihi impossibile esse videtur. Cum enim Angeli substantiæ sint incorporeæ & spirituales, corporis membra participare nequeunt. Homines sunt, qui linguam habent, quia corpus habent: non Angeli, qui separati & remoti sunt à corpore.

Hugo Cardinalis difficultatem hanc soluit dicens, per linguas Angelorum intelligendas esse linguas hominum spiritualium & sanctorum, qui ob admirabilem virtutem suam dicti sunt Angeli:
Hugo Card. ibid. *Linguis Angelorum id est, hominum spiritualium,* quorum linguæ tametsi reapse hominum linguæ sint & non Angelorum, quia tamen ad bonos imo optimos fines sunt adhibitæ, hoc est, ad laudes diuinas, ad propriæ imperfectionis confessionem, in subsidium proximi, & in centena alia exercitia sancta, Angelorum & non hominum linguæ dicuntur, vt per hoc innuatur, quod lingua ad bonum applicata, non sit lingua terrena, carnalis, aut lutea, sed sublimis, cælestis, & Angelica, nec semetipsa melior esse possit; siquidem sub Deo Angelis nihil inueniri possit melius.

4. Rabbi Moyses rationem assignat, cur lingua Hebræa, inter omnes alias mundi linguas appellata sit sancta; & dicit: *Recte vocatum est hoc linguagium sanctum, in* Rab. Moyses lib. 3.
ipso namque non inuenies virum nomen & Deut. Dub.
proprium fornicationis, neque inuenies nomen impositum alicui membro, quod turpe c. 10.
est nominare. Merito igitur lingua ista, lingua sancta dicitur, siquidem in eius vocabulario nullum verbum inuenitur quod luxuriæ, aut alterius cuiuspiam verecundi membri nomen significet.

Vnde ob eandem rationem lingua illa, quæ Hebrææ linguæ conformis fuerit, quæ in locutione sua fugerit ad verba formanda quæ turpia sint & impudica, lingua sancta appellari debet; *Linguagium sanctũ:* Tostat.
Vbi insuper notandum, quod Abulensis quæst. 3. in
hanc dictionem *sanctum* explicans dicat, cap. 6.
hanc in scriptura sacra nihil aliud significare quam *separatum*. Vnde quando lingua Leuit.
bona & casta appellatur sancta, innuitur, quod sit separata, id est, quod non sit lingua terrena aut carnalis, sed à terra & carne separata, haud aliter, quam si Angeli alicuius lingua esset, qui est substantia quædam à materia separata.

5. Refert in sanctorum Patrum Apophtegmatibus Abbas quidam anonymus, fuisse olim simul congregatos nonnullos religiosos, de rebus diuinis, alijsque ad animarum salutem spectantibus, colloquia mutua miscentes, inter quos homo quidam erat sanctissimus, qui descendentes videbat Angelos, à quibus religiosi prædicti illo tempore à laxis exaltabantur: *Vidit Angelos* Apoph.
manus agitantes & leuantes. Quam ob rem Patr. de
existimatis homines illos religiosos ab An- Cont. in n.
gelis sursum eleuatos fuisse? Ratio est, quia 1.
linguas illo tempore habebant deuotissimis colloquijs adhibitas, existimabant enim Angeli isti, similes linguas nequaquam in terra inter homines relinquendas esse, sed in Cælum eleuanda, vt cum Angelis ibidem commorentur, tales enim linguæ Angelicæ potius quam humanæ existunt.

6. For-

6. Fortunatus Episcopus scriptor vitæ S. Germani Episcopi Parisiensis, refert hunc sanctum Prælatum tantam sermonibus suis peperisse vtilitatem, tamque efficaciter auditorum suorum compunxisse animos, vt vnusquisque existimaret verba eius non ab homine, sed ab Angelo quodam formata fuisse: *Vt omnino ex ore dicentis crederes, quod verba sancto formarentur ab Angelo, dum plusquam Homo loqueretur.* Non dicit, verba huius sancti Episcopi vere formata fuisse ab Angelo, sicuti formabantur verba Balaam, quando benedicebat Hebræis; sed quod verba Angeli videbantur; & merito quidem, siquidem ad animarum vtilitatem, bonumque ipsarum æternum lucrandum & adipiscendum adhibebantur. Similes enim linguæ potius Angelicæ quam humanæ reputandæ sunt.

Fortun. Episc. Pictau. in vita S. Germ. c. 79.

Idem refert Guilielmus Abbas de S. P. Bernardo: *Si quando de spiritualibus & ædificatione animarum sermonem habebat, loquebatur hominibus lingua Angelorum.* Quantumuis nullum esset dubium, quin sanctus & mellifluus hic Abbas loquens, lingua vsus fuerit humana, vtpote qui Homo erat, locutus tamen fuisse dicitur lingua Angelica, bona enim & virtuosa lingua, non humana censenda est, sed Angelica: *Loquebatur hominibus lingua Angelorum.*

Guiliel. Ab. in vita S. Bernard. lib. 1. c. 6.

7. Refert Cælius Rhodiginius ex tecto Regiæ Monarchæ Babylonis quatuor suspensas fuisse aues insolitæ formæ, & figuræ extraordinariæ, quas dicit hanc habuisse proprietatem & virtutem, vt vasallorum corda erga Reges suos redderent beneuola, appellabanturque passim ab omnibus *Deorum linguæ.*

Hoc autem modo, quantum ego quidem mihi persuadeo, appellabantur, eo quod populus iste Babylonicus probe nosset, quod lingua quæ se ad introducendam pacem, & concordiam conseruandam exercet, nequaquam mortalis aut terrena, sed immortalis & diuina sit appellanda. Bona enim & sancta lingua, nihil humani habere videtur: *Deorum linguæ.*

Cæl. lib. 8. 12.

8. Enimuero sicut nihil potest esse melius lingua in bonum & laudabilem vsum adhibita, vtpote quæ Angelica est & Diuina: Ita nihil peius esse potest lingua ad malum applicata. Id quod Faustus ad Æsopi conceptum accedens, dixit, dum ita cecinit:

Nil melius lingua, lingua nil peius eadem
Tristia cum dulci toxica melle gerit.

Faustus.

Os aureum de mala lingua agens, dicit: *Diaboli linguam habet, qui vt Diabolus loquitur.* Quisquis linguam suam ad malum applicat, loquitur vt Dæmon aliquis, Diabolus enim linguam suam alio fine, aut alteri vsui non exserit vnde lingua eius non humana est, sed Diabolica: *Diaboli linguam habet. Vnde illâ nulla potest esse lingua deterior, cum sit lingua Dæmonis.*

S. Chrysost. hom. 39. in Matth.

Hugo Cardinalis Pauonem hisce verbis describit: *Pauo habet caput serpentis, vocem Dæmonis, passum latronis, pennam Angelicam, tota pulchritudo eius est in cauda, vnde de cauda coronam capiti suo facit.* Quibus in verbis singulariter notandum vocem huius auis, vocem appellari Dæmonis: *Vocem Dæmonis.*

Hugo Car. in 3. Reg c. 10.

Quamobrem ita est dicta? Ratio eius desumi ex eo poterit quod S. Epiphanius, de hac aue loquens dicit: *Pauo inter omnes volucres auis est iactabunda.* Pauo inter alias aues linguam habet superbam & elatam, libenter se iactat & gloriatur. Omnes reliquæ aues linguas suas adhibent ad cantandum & laudandum Deum. Solus Pauo linguam suam adhibet ad superbiam & vanam sui ipsius iactantiam, atque ideo lingua sua, lingua Dæmonis appellatur. Lingua enim ad malum applicata lingua est Dæmonis. *Vocem Dæmonis.*

S. Epiphan. Phisiol. c. 12

9. Cum Dæmon totus occuparetur in afflictione Iobi, iamque ignem de cælo euocasset, qui omnes pecorum suorum greges vna cum pastoribus consumeret, dicit Moyses, nuncium quendam adseruum Dei missum venisse, qui ruinæ illius ipsi triste nuntium recenseret: dicens: *Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues, pueros-*

Iob. 1. v. 16

pueroſque conſumpſit, & effugi ego ſolus, vt nuntiarem tibi. Opinio eſt Olimpiodori Diaconi, & S. P. Ioannis Chryſoſtomi nuntium hunc nouellæ huius baiulum, fuiſſe Dæmonem, formæ humana veſtitum, qui triſte hoc nuntium ipſemet referre voluit, vt dum S. Iobo inſinuat, quod ignis ille, qui pecorum conſumpſerat greges, ignis fuerit à Deo miſſus, nec non de Cælo deſcendens, ſimul etiam diſſenſiones strueret, ſeminaretque diſcordias, Deum inter & ſeruum ſuum. Verba oris aurei hæc ſunt: *Siquidem illi perſuadere nitebatur, deſuper è cælis bellum illud eſſe commotum, & ſeruum Domino collidebat, Dominumque cum ſeruo.*

S. Chryſoſt. ibid.

Origenes econtra opinatur, nuntium iſtum non fuiſſe Dæmonem, ſed hominem, ad nouellam iſtam Iobo deferendam ab incendio ſpecialiter reſeruatum vnde dicit: *Nuntius venit ad Iob, qui conſeruatus ab aduerſario, miſſus eſt à Diabolo.* Verum enimuero, cum Chryſoſtomus dicat nuntium iſtum fuiſſe Dæmonem, qua ratione Origenes illum hominem quendam fuiſſe dicit? vtri horum duorum Patrum fides adhibenda erit? Quamnam ambarum opinionum amplectemur? Dicemuſne hunc nuntium fuiſſe hominem aut vero Dæmonem in humana ſpecie? Dico igitur, nobis ad conficiendum efficax quoddam, ad propoſitum noſtrum ſuadendum, argumentum, cum Origene dicendum eſſe, fuiſſe hominem, neque tamen ob id os aureum, quod aſſerit fuiſſe Dæmonem, erroris alicuius arguimus. Sanctus enim ille Doctor videns hominem iſtum ſeminare zizanias, ſuamque linguam Deum inter & Iobum excitandis commouendiſque diſcordijs adhibuiſſe; Dæmonem illum & non hominem appellare voluit, lingua enim quæ ad mala ſuadenda aut facienda ſeſe occupat, non hominis, ſed Dæmonis lingua eſt.

Orig. lib. 1. in Iob.

10. Eccleſiaſticus cap. 28. verſ. 15. de homine detractore agens, eundem maledictum eſſe aſſerit, dicens: *Suſurro & bilinguis maledictus.* Ianſenius locum præſentem explicans, & quid hæc dictio *Maledictus* ſignificet, declarans, ſubiungit: *Dignus eſt, quem omnes execrentur & abominentur.* Notandum vero, eos quos homines abominantur, non ab omnibus abominationi haberi, ſed à nonnullis tantum. Peccatores haud dubie in abominatione habentur, ſed à ſolis iuſtis, iuſtos ſimiliter varij execrantur, ſed ſoli peccatores, & non alij. Malam autem linguam omnes abominantur & maledicunt, tam iuſti, quam peccatores: *Dignus eſt quem omnes execrentur.* Nullus vſpiam inuenitur, qui illam valeat ſufferre. Hinc igitur cogitate, quam ſit mala & perniciosa, ſiquidem aduerſus illam communi conſenſu inſurgunt tam iuſti, quam peccatores, qui alias difficulter admodum ſimul conſpirare comperiuntur. Concludere hinc igitur oportet, linguam ad malum finem applicatam, inter ea quæ mundus mala habet facile maximum eſſe.

Eccleſ. 28. v. 15.

Ianſ. ibid.

11. Cum Dæmon aliquando diuinæ aſtaret præſentiæ, vt ibidem extremam ſacti Iobi ſollicitaret ruinā, hæc Deo verba propoſuit: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedicat tibi.* q. d. Quid mirum, ô Domine, ſi hic ſeruus tuus bonus tibi videatur, tuæque maieſtatis cliens deuotus, quando ope manuum tuarum adeo videtur magnificatus, totque facultatibus cumulatus, vt neminem ſibi in mundo æqualem habeat? Tenta nonnihil eum, ipſum ijs quæ poſſidet ſimul ſemelque priuato, cum ecce mox omnia contrario euentu ſuccedere videbis: eum namque quem in præſentis proſperitatis ſtatu, linguam ſuam ad nihil aliud, quam ad laudes tuas deprædicandas ſoluere conſpicis, in fortuna ſiniſtra, ac omnino contraria conſtitutum te maledicentem, & ſine fine blaſphemantem videbis. *Iob. 1. v. 11.*

Porro in adductis Diaboli verbis hoc ſingulariter eſt obſeruandum, quod cum Diabolus prædicere vult, fore vt Iob à Deo afflictum ſe videns eundem maledicturus ſit & blaſphematurus non vtatur verbo: *Blaſphemare*, aut *maledicere* ſed verbo *benedicere*. Non enim dixit: *Blaſphemabit*, aut *maledicet tibi*, ſed *benedicet tibi*. Quam ob cauſam hoc loquendi modo intentioni ſuæ prorſus contrario vti voluit?

Ratio

Ratio huius à sanctissimo Ambrosio Archiepiscopo Mediolanensi allata est, dicente: *Non enim ausus est dicere, Maledicat, sed hoc intelligendum relinquit.* q. d. Non fuit ausus Dæmon verbum aliquod clare alicuius blasphemiæ aut maledictionis significatiuum lingua sua proferre. Optime namque sciebat, quod tametsi alio quodam vteretur vocabulo, Deus nihilominus id quod dicere intendebat, intellecturus perspicue esset. Vnde tametsi Dæmon omnium creaturarum scelestissimus existat maximusque & irreconciliabilis Dei inimicus, linguamque habeat infernalem, verbum tamen blasphemiæ proferre nequaquam fuit ausus, quod tamen scelestissimorum, blasphematorum lingua, in quauis demum occurrentia tanta cum facilitate pronuntiat. Quid igitur exinde aliud concludemus, quam quod tantum sit tamque horrendum malæ linguæ scelus, vt ipsam ipsiusmet Dæmonis linguam superare videatur: Nequit igitur illa quid esse deterius: *Non enim ausus est dicere: Maledicat.*

S. Ambr. in Ps. 36.

CONSIDERATIO III.

Curauit eum ita vt loqueretur & videret. Matth. 12. v. 22.

Quodsi peccatori miserum animæ suæ statum daretur conspicere, vtique peccato suo nequaquam tam diu insordesceret.

1. DE Dæmoniaco, cui Dæmon, vt S. Lucas dicit, linguæ vsum sustulerat, S. Matthæus insuper adiungit, ipsum à Dæmone lumine etiã oculorũ fuisse orbatũ, cui benignissimus Dominus noster nõ tantũ os reserauit, verum insuper deperditum oculorum suorum lumen restituit: *Curauit eum ita vt loqueretur & videret.* Porro communis est crudelis aduersarij nostri proprietas, vt subito postquam peccato mediante animæ sibi acquisiuit dominium, seu possessionem, hominem excœcet, probe sciens, humanam ruinam ab animæ cæcitate prouenire; Quodsi enim peccator lachrymabilem perditionis suæ statum videre posset, ne quidem vna hora sustineret se aliquo peccato esse obnoxium.

2. Postquam Christus in Crucem esset suffixus, totaque terra obscurato solis astro tenebris cooperta esset, ingentem Dominus, vt Matthæus inquit, vocem emisit, sese à Deo derelictum esse lamentans: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad nonam, & circa horam nonam clamauit Iesus voce magna dicens: Deus Deus meus, vt quid dereliquesti me!* Origenes super hunc locum obseruat, quod Crucifixus Dominus noster, hæc verba dicere noluerit quamdiu sol lumine suo terrã collustraret, sed tunc pridem illa edexerit, postquam terram iam obscuratam, atque inauditis tenebris coopertam esse aduertit: *Postquam autem vidit super omnem terram Iudæam, vsque ad horam nonam tenebras factas, dixit magna voce, quare me dereliquisti?* Atque ideo rationem indagare oportet, cur verba illa ante obortas tenebras non dixerit, sed post illas, id quod sine magno mysterio vtique factum non fuit.

Matth. 27. v. 45.

Orig. ibid.

Pro huius itaque mysterij assecutione notandum est, tenebras istas, vt vult S. Bonauentura, Hebræorum significasse cæcitatem, in qua per peccatum suum erant perseueraturi: *Attendendum autem, quod in illa solis obscuratione, intelligitur obcæcatio Iudæorum.* Præterea notare oportet Christum tunc in persona reprobi illius populi fuisse locutum, nam ob ingentem quo eos prosequebatur amorem, eos haud aliter quam semetipsum reputabat; vti enim Aristoteles dicit: *Alter ipse est amicus.* Vnde iuxta hunc sensum vult Author incognitus, nũc vero famosissimus P. Michael Ayguanus de Bononia ordinis Carmelitani Generalis, quod dum Christus Patri diceret: *Quare me dereliquisti?* idipsum idem fuerit, ac si clarius dixisset: *Quare dereliquisti populum Hebraicum.* Cum Deo Patre non aliter ac cum Medico quodam tractando, qui de infirmi salute prorsus desperans, eum deserit & derelinquit, sciens quod Iudæis in cæcitate, inter densas tenebras, & sine lumine remanentibus, consequenter absque vllo essent grauissimo peccati sui remedio. Ad demonstrandum quod peccator quamdiu oculorum

S. Bonau. in cap 23. Luc.

Arist. Moral. li. 9 c. 9

Incog. in Ps. 108.

rum animæ ſuæ lumen amiſerit, quamdiu cæcus & tenebris immerſus remanſerit, neque miſerabilem ſtatum, in quo infœliciter viuit, videre potuerit, perditus ſit ac deſperatus, atque à Deo prorſus derelictus.

3. Deus quondam admirabili Maieſtate circumdatus, Iſaiæ Prophetæ apparuit, atque hæc eidem præcepta dedit: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude ne forte videat oculis ſuis, & auribus eius audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur & ſanem eum.* S. Hieronymus hæc verba conſiderans dicit: Quodſi Deus adeo eſt conuerſionis noſtræ cupidus, vt brachia ſua ſemper habeat aperta, ad peccatorem recipiendum & amplectendum, quotieſcunq; peccata ſua deploraturus fuerit quamobrem igitur nunc non vult vt faciat pœnitentiam, ſed vt in animæ ſuæ morbo, deſperatus viuat, & in peccato ſuo moriatur? Et reſpondet: *Hoc intelligendum, quod pro magnitudine ſceleris, etiam pœnitentia indigni iudicati ſunt;* Cum enim ſceleratus ille populus vnigenitum Dei filium occiderit, atque inauditum adeo ſcelus commiſerit, ipſum reconciliatione indignum iudicauit, atque ob hanc cauſam conuerſionem eius impedire voluit. Notandum vero, quod Deus ad impediendam Hebræorum de graui peccato ſuo pænitentiam, alio non ſit vſus medio, quam vt eos faceret ſeu permitteret excœcari: *Excœca cor populi huius, & oculos eius claude.* Ad ſignificandum, quod nihil ſit, quod peccatorem in ſtatu peccati ſui æquè perſeuerare faciat, ac impænitentē conſeruet, atque animæ cœcitas & luminis diuini priuatio, quo cum perditionem & miſeriam ſuam cui ſubiacet, videre queat; Quodſi enim vel modicum oculos aperiens videret infernū, & periculum in quo viuit, ſubito egrediendi quæreret remedium; imo reipſa & actualiter egrederetur: econtra vero quamdiu cœcus manſerit, obſtinatus quoque & impœnitens permanebit.

Iſa. 6. v. 10

S. Hieron. ibid.

4. Super illa Dauidis verba; *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ,* dicit S. P. Ambroſius, eſt hoc bonum in Dauide ſignum; *Eſt ergo in ſancto Dauid ſpes & remedium ſanitatis.* Sed dicat aliquis: Itane? Ergone S. Archiepiſcopus circa Dauidem bonam concepit ſpem ſalutis, quia vulnera eius ſunt graueolentia, quia ſunt putrefacta, quia ſanie irremediabili & cancri cane ſunt obnoxia? Hæccine ſpem promittunt ſalutis? Potius vulnera iſta hoc modo deteriorata ſalutem ipſius deſperandam potius, quam ſperandam eſſe indicant.

Pſ. 37. v. 6.

S. Ambroſ. ibid.

Reſpondet ſanctus: *Quia non vnguentum redolent, ſed fœtorem, ſuorum vulnera peccatorum.* Spes illa, quam ſanctus Doctor de Dauidis conceperat ſalute, non in eo fundabatur, quid vulnera illius putrida eſſent atque corrupta, ſed quia ab ipſo, talia reuera eſſe ſua vulnera, ingenue agnoſcebatur, vnde ipſa ſibi non balſamum, aut zibetum, ſiue muſcum redolebant, ſed potius peſſimum vitioſumque ſpirabāt odorem. Iam de facto oculos ſuos habebat apertos, quibus ſtatus ſui intuebatur & agnoſcebat putredines de quo prius quoaduſque cæcus erat contrarium omnino ſentiebat.

Quamdiu homo deformitatem & fœditatem non agnoſcit commiſſi peccati, quod inſtar ſtercoris ipſi fœtere deberet, ſed potius idipſum inſtar vnguenti redolere videtur, impoſſibilis eſt peccati illius emendatio. Tali enim peccato adeo fœtido & graueolenti nullum adhiberi valet remedium, quamdiu fœtor illius à peccatore non cognoſcitur. Oculos enim primo omnium aperire oportet, animæque ſuæ inſpicere enormitatem, videre putrida atque corrupta illius vulnera, ac graueolentiam quam enormiter exhalant, tunc enim cum Dauide non tardabit ſtudioſe illorum inquirere remedium.

5. Poſtquam deuota Chananæa intellexiſſet Chriſtum in eam quam ipſa incolebat regionem appuliſſe, cuius fama, ob inaudita quæ operabatur miracula, omnia loca peruagabatur, mox illum requirere, & pro Dæmoniaca ſua filia eius opem expoſcere, ſeſeque ad ſanctos illius pedes proſternere voluit, cui etiam hunc in modum ſupplicabat: *Miſerere mei fili Dauid, filia mea male à Dæmonio vexatur.* In quæ Cananæitidis verba S. P. Ioannes Chryſoſtomus dicit: *Nec dicit miſerere filiæ meæ, ſed miſerere mei.* Potius videtur dicere debuiſſe: Miſerere filiæ meæ, non vero miſerere mei ſiqui-

Matth. 15 v. 22.

S. Chryſoſt. ibid. Homil 53.

siquidem filia, & non mater affligebatur à Dæmone: cur igitur non dicit: *Miserere filia mea*, sed inquit *Miserere mei.*

5. Doctor ipsammet Chananæam introducit hunc in modum respondentem: *Nam illa insensata iacet, ego vero, quam sensus morbi non fugit, quæ sentiens atque intelligens insanio, mille vexor ærumnis*, q.d. Non ob aliud Dominum ita sum deprecata, dicens: *miserere mei*, non vero *miserere filia mea*, nisi quia tametsi illa obsideatur & affligatur à Dæmone, ego tamen, vtpote mater illius, ad stuporem de malis illius participo. Vnde ambæ simul affligimur & cruciamur. Quod autem diuinam pro me sola pietatem expetam (tametsi à sua salute meum dependeat remedium) & non pro ipsa, ratio huius est, quia ego oculos habeo plane apertos malumque meum abunde satis conspicio, meque diuinæ misericordiæ egenam esse ingenuè agnosco: Ipsa vero quæ cœca est & insensata, suumque morbum non videt, nec remedium quærit, nec medicum qui ipsam sanet, per hoc significare volens, quod tametsi homo peccato obnoxius, sub Dæmonis fuerit potestate, tametsi ipsa quoque inferni patiatur tormenta, quamdiu tamen cœcus fuerit, suumque malum non agnouerit, impossibile est infirmitatis suæ reperire remedium, aut medicum, cum ipsius à malo resurrectio, oculos postulet in homine viuaciter apertos.

6. Volens Deus Psal. 49. vers. 22. obstinatum quendam peccatorem, ad salutarem per os Dauidis commouere pœnitentiam, ita ipsum alloquebatur: *Arguam te & statuam contra faciem tuam*, scilicet vt vitam tuam mutare & emendare possis. Circa quem locum merito quæritur cum ad peccatorem hunc emendandum, sola Dei sufficiat correctio, vtpote sufficiens illius remedium, cur illum insuper ante faciem suam statuere voluit?

Non sufficiebat Dei repræhensio, nisi illum sibimetipsi coram suorummet statuisset oculorum obtutu? inquit Glossa. Nam dicendo: *Statuam te contra faciem tuam*, idem significat quod *Ostendam te tibi & displicebis tibi*. q.d. Ego primo te repræhendam, & postea te coram oculis tuis statuam, vt animæ tuæ videre possis deformitatem, certusque sum, quod tantam mox in te senties turpis illius spectaculi displicentiã, vt subito te ipsis emendaturus. Quantumuis homo à millenis prædicatoribus corrigatur & repræhendatur, attamen si cæcus fuerit, neque statum animæ suæ videre potuerit, ipsum eiusmodi repræhensiones, è luto in quo iacet & insordescit, subleuare minime poterunt, nisi prius oculos suos aperiat, & quis sit diligenter inspiciat. Quamdiu enim cæcus est, & non videt, vitam suam nunquam emendare nec mutare mores vnquam poterit.

Glos. apud Bonau. ser. 1. Dom. 4. Pass.

7. De Elephante scribit Pierius, quod cum turpi atque deformi sit effigie, si forte fortuito accidat, quod semet ipsum in aliquo loco vel fonte conspiciat, tantam se ex hoc aspectu concepisse ostendit displicentiam & horrorem, vt cum iterato ad bibendum reuertitur, aquam primo pedibus suis turbidam & lutulentam faciat, priusquam inde iterum bibat, ne iterato turpitudinis suæ exhorrescat aspectu: *Quam speciem supra modum reformidat, aut certe abhorret & aduersatur, eaque de causa turbidam omnino bibit.* Pier. lib. 2.

Obsecro vos, dicite mihi, quid vobis videatur, cum Elephas deformitatem suam tantopere perhorrescat, postquam eandem vel semel conspexit, quod si deformitati illi abigendæ aliquod adferre posset remedium, putatisne quod suam tardaturus & moraturus esset emendationem? Nequaquam. Imo ne vel vna hora quidem. Talis igitur etiam erit peccator, cuius animæ turpitudo pænitentiæ remedio est emendabilis. Vix oculos suos aperiet aut quam turpem & deformem habeat animam videbit, quin statim ne vel vnicum momentum morando opportunum illius pellendæ inquisiturus sit remedium.

8. Quando Christus animarum nostrarum Saluator iturus ad mortem, magnum illum Ierosolymis celebrabat triumphum, iamque in vrbis Ierosolymitanæ venisset conspectum, S. Lucas illum fleuisse scribit, nec non verba quædam protulisse, quæ quod magni essent momenti S. Euangelista plene referre non intermisit: *Videns* Lu. 19. v. 41.

ciuitatem

ciuitatem fleuit super illam, dicens. Quia si cognouisses & tu. Quid sibi vult hoc quod dicit: *Et tu?*

Vrbanus IV. hunc locum considerans vult hoc pronomen *Tu*, respicere verbum illud *fleuit*, superius positum. Opinaturque insuper hic Pontifex, Christum tunc sub vrbis Hierosolymitanæ symbolo, animam respexisse & deplorasse peccatoris, eaque verba, quæ Christus de ciuitate illa dixit, intelligenda esse veluti de eadem anima dicta: *Olim in diebus carnis tuæ, sub figura illius materialis Ierusalem vidisti ciuitatem animæ meæ & cognoscens iniquitatem meam, compatiendo fleuisti super eam dicens: si cognouisses, & tu, iniquitatem tuam fleres.* Volens per hoc innuere, quod si homo peccator apertos haberet oculos, possetque cognoscere, quam turpis sit & deformis, sicuti id videt & cognoscit Deus, dissimulare nequaquam statum suum posset, quia potius ad diluendam horrendam illam vultus sui turpitudinem fieret & faceret pænitentiam.

Vrbanus IV. in ps. 50

9. Simon Maiolus Episcopus Vulturariensis refert inuentionem quandam per quam occidere solent Basiliscum, qui quod sit venenosissimus Rex appellatur serpentum. Dicitque aliud in hunc finem inueniri non posse remedium, quam vt aliquod ipsi ob oculos speculum statuatur, in quo semetipsum contempletur & videat, sic enim futurum esse, vt subito sit moriturus. Estque reflexio illa venenosorum radiorum ex oculis eius manantiũ vnica mortis suæ causa: *Reflexu radiorum suorum perimitur.* Ita ego quoque dicere possum, vnicum ad occidendum hominem peccatorem, vt inde homo iustus resurgat & sanctus, remedium esse, perspicuum notitiæ sui ipsius speculum. Impossibile enim est, vt videat clare quam sit horribilis & deformis; & tardare possit ne moriatur peccato, & diuinæ gratiæ vita viuere incipiat: *Peccator animam propriam abhorreret*, inquit S. Bonauentura, *si eam videret, est enim serpente horribilior*; nam & reflexio radiorum abominabilis huius spectaculi illi sine mora mortem infligeret.

Maiolus Colloq de serpent.

S. Bonau. serm. 1. Dom. 4. Pass.

10. Hoc est scutum illud quod Magus ille Vbaldo dedit, vt illud respiciens sensualis sui status cognosceret vilitatem, cui immorabatur vt effæminatam vitam suam exhorrescens ab Armidæ procul fugeret amoribus, vti & reipsa accidit. Vnde Italus Poëta canit

—— —— e di adamante
Vn scudo, ch' io darò, gli alzate al volto
Si che egli vi specchi, è l suo sembiante
Veggia, e l' habito molle oue fu inuolto
Che a tal vista potrà vergogno, e sdegno
Scacciar dal pelta suo l amore indegno.

Tassus Hier l. Cãt. 14.

10. Drogo Cardinalis opinatur Dei filium Christum Redemptorem nostrum eo tempore quo ab infami Crucis trunco suspensus, toto corpore vulneratus, proprioque sanguini immersus hærebat, hæc peccatorum auribus Ieremiæ verba Threnorum primo capite inclamauerit: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Verum quid obsecro prætendebat Christus, quando hoc dolorum suorum spectaculum peccatoribus exhibebat?

Thren. 1. v. 12.

Speculum dolorum quos in animabus suis illi perpetiuntur eis volebat exhibere, inquit Drogo: *Vt in dolore meo videatis dolorem vestrum, dolor enim meus imago doloris vestri.* Et mox subiungit: *Fecisti ergo mihi de corpore tuo spectaculum anima mea, nesciebam contumelias & terrores, & colaphizantem me incessanter Sathanam.* Ob nihil aliud Christus voluit vt peccatores suos respicerent dolores, pœnas suas, opprobria, aliaque innumerabilia, quæ in Passione sua sustinuit, tormenta, nisi vt in illis veluti in claro quodam limpidoque speculo, omnes videre possent dolores & pœnas, quas ipsi pariter sustinent. Quicquid enim impius Hebræus, tanta cum crudelitate in sacratissimo illius Corpore fecit, idem Dæmon quotidie operatur in animabus ipsorum. Et quia Christus in illa hora nihil æque vehementer desiderabat, quam miserorum istorum hominum salutem, ideo vt ad gratiæ diuinæ statum illos reduceret, speculum agnitionis suiipsius ipsis ob oculos statuere voluit, probe sciens,

Drogo Car. de sac. dom Pass lib. 1.

ens, quod si vel semel in tormentis suæ sacræ carnis animarum suarum viderent pœnas & tormenta, in deplorando diuinæ erga se indignationis conceptæ statu perseueraturi nequaquam essent. Omnis namque difficultas, quæ in peccatoris conuersione præualet, inde proficiscitur, quod videlicet oculos suos non aperiat, nec videat.

11. Christus Dominus noster ad Crucem properans, atque prospiciens se in calamitoso illo tempore Passionis suæ à suis deserendum discipulis, hunc illis defectum manifestare voluit, quo futuri erant obnoxij. Audiens autem hoc S. Petrus, idque quoad se impossibile esse existimans, Christo dixit: Quod tametsi alij omnes ab ipso defecturi essent se tamen semper sua decreuisse sectari vestigia, tametsi etiam in eadem cum Christo Cruce mori se oporteret; Cui Christus respondit: *Amen dico tibi, quia hac nocte antequam gallus cantet ter me negabis.* Matth. 26. v. 34.

Id quod ego hoc in loco vos considerare velim, est, quod videlicet Christus Petri peccatum ante galli cantum patrandum prædixerit? *Antequam gallus cantet ter me negabis* Veluti qui post gallicinium à delicto respicere seque emendare deberet. Quodnam est istud hic latens mysterium? An non sanctus Petrus sese à culpa sua purgare ante gallicinium eadem facilitate poterat, qua id post galli cantum faciebat? Respondeo, quod si sanctus Petrus citius sese reerigere & respicere potuisset, incarnata Dei sapientia, statum Apostoli sui in suo peccato ad galli cantum vsque non determinasset.

Cuius ratio à Cornelio Iansenio allata est in medium, hisce verbis: *Bene finem negationis imponit, in cantu galli, quod per hunc lux annuntietur instare,* quasi diceret: Quamdiu Petrus in noctis hærebat tenebris, nunquam à peccato suo erat euigilaturus, donec lux appropinquaret, quia quamdiu peccator in tenebris ignorantiæ deplorandi status sui hæret infixus, animæque suæ ruinam, cui subiacet, instar cæci non perspicit, in perditionis suæ barathro semper manebit. Salutaris enim & efficax peccati sui aspectus, vnicum est malorum suorum remedium, adeo vt dum vix modicum lumen accepit, subito experiatur medelam & resurgat, prouti S. Petro reipsa accidit, cui dum vix diluculum gratiæ illuxerat, atque solari diuinorum oculorum Christi sphæra illustratus fuerat, cum ecce subito & in vno instanti errorem suum agnouit, & amare eundem planxit, vti refert S. Lucas. Vnde magno cũ iudicio vulgatum illud dicit Prouerbium, *Qui caret lumine, caret flumine.* Cornel. Ians. Concord. c. 133.

12. Patientissimus propheta Iob dicebat, hominem ad peccati sui cognitionẽ & emendationem, efficacius non habere remedium, quam vt homines respiciat: *Respiciet homines, & dicet peccaui, verè deliqui, & vt eram dignus non recepi.* In quo scripturæ loco notandum est, Iobum non dicere: Respiciet bestias, & dicet peccaui, sed *respiciet homines.* Quinam sunt illi homines, quos peccator respicere debet ad hoc vt reducatur ad Pœnitentiam? Iob. 33. 27.

S. Antonius Paduanus per homines, sanctos & Dei amicos intelligit, qui vere homines sunt, in quorum comparatione peccatores, non homines sed bestiæ dicẽdi sunt. Vt igitur homo peccator emendari, atque ex bestia qualis est, homo, idest, iustus & sanctus fieri posit, homines respiciat necesse est, idest, ad vitam & actiones sanctorum attendat, in illis enim veluti in speculo quodam concauo, omnino contrarium videbit illius, quod sibi esse imaginabatur. Vnde sanctus Doctor dicit: *Quid est quod nos cæci defectus nostros non videmus? nisi quia claram sanctorum vitam non perspicimus: Dicebat Iob: Respiciet homines, & dicet, Peccaui:* Quæ est ratio quod nos qui adeo sumus deformes & turpes, qui sumus veluti bestiæ quædam, defectus nostros nõ emendemus: Huic alia non subest ratio nisi quia sumus cæci & speculũ vitæ sanctorum intueri non valemus, quod si enim haberemus lumen, & in talis sanctæ vitæ speculum haud aliter ac mulier exterioris pulchritudinis cupidissima respiceremus, absque vlla mora subito defectus nostri emendarentur, sicuti Mag- S. Anton. de Pad. ser. Dom. 12. Trin.

no

no Patri Augustino primitus accidit, quando oculos aperiens in speculum vitæ sancti Antonij Magni Abbatis respexit: *Respiciet homines & dicet Peccaui.*

Nequit igitur aliquod maius bonum esse quam sit istud, quod cæcus hic à benignissimo cælorum Rege recepit, postquam enim oculorum suorum à Deo recepit lumen, pignus quoddam gratiæ diuinæ securum & certum nec non & gloriæ diuinæ indubitatam arrham, qua nudatus & spoliatus erat, quamdiu cæcus erat.

Curauit eum, ita vt videret.

SERMO XX.

In Feriam II. Dominicæ Tertiæ Quadragesimæ.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum.

Luc. 4.

1. S. P. Ambrosius optime considerat, quod ignis ille qui infamem Sodomæ ciuitatē deflagrauit, paruulam vrbem Segor ne minimum quidem tetigerit, eo quod suo sanctum Loth receperit hospitio, iuxta verbū illi ab Angelo promissum: *Non subuertam vrbem pro qua locutus es.* Indeque egregiam quandam elicit consequentiam, dicens: *Exeunte illo de Sodomis, hospitij causa Segor parua conceditur: quodsi iusto hospitij donatur ciuitas: quanto magis iusto patria conceditur?* Quodsi Segor pro modico illo tempore, quo Loth sanctissimo Dei seruo hospitium præbuit, ab igne qui vicinam consumpsit Sodomam, est liberata: quantæ igitur gratiæ patriæ alicuius viri sancti & virtuosi debentur, quæ eidem non solum hospitium præbuit, verum etiam genuit & nutriuit. Quodsi vero patriæ alicuius serui Dei, ob illius merita, tantæ de cælo promitti debēt gratiæ & fauores: qua igitur ratione fit quod Nazareth oppidum, patria videlicet Christi Domini, quæ ipsum à puero in perfectam vsque ætatem nutriuit & educauit, honoratum, aut miraculis adiutum, aut celebratum nequaquam fuerit, sicut factum est aliis ciuitatibus extraneis; vt proinde sui compatriotæ ob modicum quem Patriæ seu ciuitati suæ deferebat respectum, varias aduersus eum deponere quærelas debuerint? Qua item ratione factum est, quod Elias propheta, magnus ille Carmeli montis incola & Patriarcha, eo tempore, quo homines in Iudæa patria sua moriebantur fame, suorum plane oblitus, auxilij ferendi causa ad extraneam sese receperit viduam? Denique cur magnus Patriarchæ prædicti discipulus Eliseus Propheta, cuius Christus, sicut & Eliæ particularem in præsenti Euangelio mentionem facit, cur inquam ille in Regno Israëlis natus, in quo tot reperiebantur leprosi, à lepra sanare tantum voluit extraneum quendam è Syria aduenientem principem, suorum econtra patriotarum infinitos deferens, omnique subsidio & medela destituens? Quamobrem hi tres magni

Gen. 19. v. 21.

S. Ambr. enar. alter. in Ion.

magni viri Christus, Elias, & Eliseus Patriæ suæ, quam ex vi naturalis affectus cuicunque alteri genti, siue nationi præferre debebant, prorsus obliti, extranearum sese nationum auxiliatores & opitulatores præbuerunt? Quænam huius rei causa fuerit, distincte & perspicue in considerationibus sequentibus videbitur.

CONSIDERATIO I.

Fac & hic in Patria tua.

Locus cui dominatur inuidia, velut Infernus quidam est tot refertus Dæmonibus, quot inuidus cernitur esse occupatus.

2. AD primum dubium respondet magnus ille Mediolanensium Archiepiscopus, & dicit, Christum patriam suam suis noluisse iuuare & honorare miraculis, sicut alias extraneas honorare & adiuuare ciuitates solebat, non ex naturalis affectionis defectu, sed quia ciuitas erat hominibus inuidiosissimis referta. Vnde ingens colligit inuidiæ damnum, & dicit: *Videte igitur quid mali inuidia afferat: indigna propter inuidiam patria iudicatur, in qua Ciuis operetur*: Ratio ob quam Christus in Nazareth solita nequiuerit operari miracula hæc erat, quia videlicet cum miracula ipsius ad lucrum & salutem animarum essent directa, ille vero optime nosset, quod ob compatriotarum suorum inuidiam, pro dicto fine, per hæc talia opera consequendo, frustra laboraturus esset, nullum prorsus ibi patrare miraculum voluit. Sicut enim nullus in Inferno, aut apud Dæmones ibidem habitantes sperari potest profectus, sic neque in ijs locis, in quibus horrendum istud regnat vitium. Ciuitas enim illa, in qua dominatur inuidia, nihil est aliud, quam quidam in terra constitutus Infernus, cuius Dæmones ipsimet sunt inuidi.

S. Ambr. super cap. 4. Lu.

3. Sapientia incarnata, cum Deo Patre suo colloquia miscens, ita eum per os Dauidis Prophetæ alloquebatur: *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam* q. d. Perpicue mihi notum est, ô Domine, quanta cum pulchritudine ac venustate, Maiestas tua, ipsamet manu tua, animam meam & Corpus meum formare voluerit, adeo vt nulla in mundo species aut forma reperiatur, quæ meæ venustati & speciei valeat comparari. Ita hunc locum S. P. Bruno explicat, qui vult *Formare*, hoc loco aliud nihil significare quam *Formosum facere*. Vnde cum Christus dicit: *Formasti me*, idem est, ac si diceret *Formosum me fecisti*: Discursum autem istum Verbum incarnatum vlterius prosequitur, atque subiungit: *Et dixi forsitan tenebræ conculcabunt me*. Per hasce autem tenebras, de quibus hic Dei filius loquitur, idemmet sanctus Patriarcha inuidos intelligit, vultque Christum hic de Hebræis fuisse locutum, qui per inuidiam, qua tantam in verbo Dei speciositatem persequebantur, illam sustinere nequaquam valentes, eandem in Cruce per tormenta mortis conculcare & deturbare studebant: *Et dixi tenebræ conculcabunt me, id est, concepi apud me, tenebræ conculcabunt me in mortem, inuidia formositatis*.

Ps. 138. v. 5

S. Bruno ibid.

Id vero quod ego hoc loco à vobis notari cupio, est, quod nimirum Christus homines inuidos tenebras appellet: *Tenebræ conculcabunt me*. Quamobrem illos appellat tenebras? Ratio est, quia inuidiosi nequaquam homines esse videntur, quales in hac vita viuũt, vbi lux passim resplendet: sed cuiusmodi sunt in Inferno, vbi tenebræ cõgregantur. Vt per hoc innuatur, Inuidiam esse veluti quendam infernum, inuidosque in hac terra haud aliter degere, quam si essent in Inferno, ad eum fere modum, quo tenebræ in Inferno, vbi nox est continua, esse dicuntur.

4. Isaias Propheta quondam vocem quãdam audiuit, qua Angelis serio præcipiebatur, vt ad castigandã gentem quandam conuulsam & lacerã, & ad puniendũ populum quendã qui appellabatur terribilis, omni cũ possibili sollicitudine sese reciperent: *Ite*

Isa.18.v.2. *Angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam ad populum terribilem.* Hugo Cardinalis maturius deliberans quinam per populum hunc terribilem intelligantur, tandem in eam se mentem resoluit, vt per illum significari dicat homines quosdam inuidia

Hugo Car. diuexatos: *Ad populum terribilē per inuidiam.*

Quod cum verum sit, vti est verissimum merito nonnemo quærat, vnde id accidat, quod populus inuidus, terribilis populus appelletur, cum vocari potuisset iniquus, pessimus, crudelis alienæ felicitatis inimicus, malorum proximi videndorū insatiabilis, aut alio quouis vocabulo, quod aptum esset ad inuidi proprietatem magis proprie declarandam? Respondet Cardinalis inuidum appellari terribilem, quia inuidia hominem *facit similem inferno.* Quasi tacitus insinuare voluisset, homines in aliqua inuidorum congregatione compræhensos, non ea se ratione habere ac si homines essent, in huius terræ incolatu viuentes, quibuscum facillime viuitur, sed spiritus quosdam infernales, quorum vnusquisque ob terrorem quem secum adferunt, non conuersationem duntaxat, sed etiam aspectum fugit. *Ad populum terribilem.*

5. Grauiter Dauid Propheta de duris quibusdam afflictionibus suis lamentabatur, quando inferni se doloribus circumdatum, mortisque laqueis conquerebatur esse astrictum: *Dolores inferni circumdederunt*

Ps.17.v.6. *me, praeoccupauerunt me laquei mortis.* Quibus in verbis id accurate notandum, quod prius se à doloribus inferni dicat esse afflictum, postea vero astrictum se esse laqueis mortis: cum tamen mihi videatur contrarium dicere debuisse, modo ad propositum loqui decreuerit, scilicet se primo à morte, & postea ab inferno fuisse afflictum, prius enim homo moritur, & postea, si ita oportet, vadit in infernum; prius sentiuntur dolores mortis, postea vero inferni dolores percipiuntur. Enimuero quod si Dauid de eo inferno locutus fuisset, qui in ipsis reconditur terræ visceribus, vbi animæ per mortis intercedentem violentiam à corporibus separatæ torquentur, tunc haud dubie sic loquendo grauiter errasset; illius enim Inferni dolores nemo nisi superata morte persentiscit. At vero non de hoc, sed de alio quodam Inferno loquebatur, qui in hac vita super facie terræ reuera reperitur, cuius dolores prius, quam mortis dolores percipiuntur. S. Pater Augustinus vult Dauidem hisce verbis certam quandam significare voluisse persecutionem: qua per nonnullos inuidos homines grauissime exercebatur: *In ijs qui me circumdederunt vt perderent me erant dolores inuidentiæ.* Iuxta quem sensum Dauid dixisse videtur. Non me dixi aliam ob causam Inferni doloribus circumdatum, nisi quia singulariter aduerti, eos qui me affligebant ab inuidia crudeliter vexatos esse, cuius morbi dolores, ego inferni dolores appello; tales enim licet in terra viuant, verumtamen secum in peccatore infernum deferunt, ac proinde veluti in inferno esse videantur, siquidem eiusmodi tormenta perpetuo sustinent cuiusmodi sunt illa, quæ æternaliter damnati perpetiuntur in Inferno: *Dolores Inferni. Dolores Inuidentiæ.* S. Aug. ibi.

6. Guilielmus Episcopus Parisiensis existimat benignitatem nihil esse aliud, quam quendam alieni boni amorem seu complacentiam: *Benignitas proprie est amor alieni boni.* Quæ virtus Inuidiæ vitio è diametro est contraria, cum inuidia nihil sit aliud, quam alieni boni inuidia. Qui vlterius prosequitur dicendo *Vnde benigni quasi bene igniti*, q. d. Ab hac dictione *benignitas*, deriuatur alia, scilicet benignus, quod idem significat, quod bono igne ignitus vel accensus. Hoc igitur supposito, videlicet quod benignus idem sit, quod bono igne accensus, optime sequitur inuidos, vtpote qui benignis directe contrarij existunt, malo igne accensos esse. Guiliel. Paris. de Retri. Sanct.

Vt autem consequentiam istam veram esse intelligatis, notandum est S. Ioannem Epist. 1. cap. 3. v. 12. de Caino eiusdemque operibus tractantem, ita loqui: *Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum, & propter quid occidit? quoniā opera eius maligna erant* Hugo Cardinalis in hunc locum commentando quærit, quidnam S. Apostolus significare voluerit, dum Caini opera maligna appellat: & dicit Apostolum per hoc epithetum illius scelerati hominis indicare inuidiā, à qua ad horrendū illud fratricidium committendū instigatus fuit: 1. Ioan. 3. v. 12.

ac demum subiungit, inuidi opera maligna ideo appellari, quia *malo igne, inuidia sunt plena.* At vero quisnam est hic tam malus ignis, quo inuidi ardent? S. Ioannes Chrysostomus dicit ignem illum esse inextinguibilem: *Inuidia ignis inextinguibilis.* Vtique igitur quidam Infernalis ignis erit; omnes enim alij ignes extingui possunt igne duntaxat infernali excepto. Atque ideo inuidi igne absumuntur infernali, & consequenter cum locus ille in quo degunt, infernali eiusmodi igne sit plenus, vtique & ille infernus quidam erit. *Inuidia ignis inextinguibilis.*

Hugo Car. ibid.

7. Idem met os aureum de inuido agens pulchram hanc post se scriptam reliquit sententiam: *Inuidi oculus consumitur dolore, morte viuit perpetua.* Vbi notandum impossibile esse, vt quis in hoc mundo simul viuere & perpetuo mori possit: Istud animabus in Inferno damnatis duntaxat conuenit; ibi namque eo modo viuitur vt simul quis omni hora moriatur, absque eo quod vnquam mori finaliter possit. Talis est vita hominis inuidiosi, inquit Chrysostomus: *Morte viuit perpetua.* Vita igitur ipsius, vita est infernalis haud secus quam si in Inferno viueret.

Chrysost. Hom. 34. in Ioan.

8. Poëta ille qui magnum sibi inter latinos nomen acquisiuit, de inuido ita canebat:

Horatius.

Inuidus alterius rebus macrescit opimis
Inuidia Siculi non inuenêre Tyranni
Maius tormentum.

Quodsi Poëta iste hosce versus suos ad meam composuisset instantiam & sollicitationem, melius ad meum propositum dicere nequaquam potuisset. Nullum enim est in hoc mundo tormentum, quo non inueniatur aliud maius, scil. pœna & dolores Inferni. Ipso autem Inferni tormento maius nullum reperiri aut excogitari potest. Vnde cum Poëta præfato teste, maius inuidia tormentum inueniri non possit, perspicuum est, inuidiam quoddam inferni tormentum esse.

Vnde S. P. Cypriano dicere placuit: *Calamitas sine remedio est odisse fœlicem.* Igitur est calamitas quædam Infernalis, omnes enim reliquæ calamitates suum sibi vendicant remedium, & tametsi omnibus alijs destituerentur remedijs, non tamen morte, quæ omnium malorum finis est, atque remedium. Sola damnatorum Calamitas ea est, quæ nullam admittit medelam, ne quidem mortem ipsam.

S. Cyprianus de Liuore.

9. Vnde S. Ioannes Chrysostomus, de inuidis discurrens, ita concludit: *Coniunctim omnes preces fundamus, vnam eandemq; pro ipsis vocem tanquam pro energumenis edentes.* Ergone inuidi sunt Dæmoniaci, vt proinde sanctus Doctor velit pro ipsis tanquam pro Dæmoniacis orari? Nequaquam inuidi Dæmoniaci existunt, neque id os aureum dicit, sed illos quasi Dæmoniacos esse asserit: *Tanquam pro Energumenis*, quia videlicet torquentur à Dæmone, quia haud secus quam si in Inferno essent viuunt, à suo Dæmone perpetim vexati.

Chrysost. hom. 7. ad Rom.

10. Prisci gentiles, qui quod nullam veræ Diuinitatis haberent notitiam, eandem non tantum hominibus attribuebant & bestijs, canes felesque adorando, verum in eam insuper prolapsi sunt ignorantiam, vt eandem Diuinitatem ipsis quoque vitijs consecrarent, inter quæ recensebant inuidiam, hanc Deam quandam esse asserentes, Dei Erebi filiam. Per Erebum autem, vt Boccacius notat, intelligebant Infernum, quia Infernus: *Nimis adhæret illi quem capit*, nec vllam eidem egrediendi spem relinquit, prouti alibi à me diffuse dictum est.

Boccat. Genealog. lib. 1. c. 8.

Vnde inuidia à cæcis illis hominibus pro Dea habebatur Inferni. Et quid per hoc aliud significare volebant, quam solam inuidorum hominum infælicitatem & miseriam? qui dum huic vitio pectus aperiunt, furiam quandam infernalem & Deam abyssi, ipsos continuo torquentē & affligentem in cor suum recipiunt:, adeo vt vita ipsorum in nihilo ab illa differat, quam ducunt, qui in inferno puniuntur.

11. S. Antonius de Padua de inuidis loquens, mirum quid dicit ad præsens nostrū propositum: *Magnam pœnam faceret Deus inuido, si ipsum poneret in gloria Paradisi, inter Angelos nimirum animasque beatas.* Nec mira profecto est ista. Qua ratione enim possibile est, vt beatitudo cælestis, quæ alijs omnibus inexplicabilis quædam est atque immensa

Anton. de Padua ser. fer. 4. Pas.

mensa fælicitas, inuidis pœna esse possit atque tormentum? Respondet S. Doctor: *Quia ibi totaliter excæcaretur à gloria proximorum, & à luce Beatitudinis ipsorum,* Vtpote qui maius nequit sustinere tormentum, quam sit aspectus boni atque fœlicitatis alienæ: Quodsi in cælo existeret, cum ibi non videantur alij homines, præterquam læti, beati, fœlices, & iucundi, beatitudo ipsi nequaquam esset beatitudo, sicut est alijs, sed ingens pœna & tormentum. Vnde vehementius illum Deus torquere non posset, quam locum ipsi in cœlo cedendo. Ex quo sequitur, quod ad hoc vt inuidus viuere possit, necessum sit, vt inter miserabiles & afflictos homines degat, à quibus procul omnis abest prosperitas. Ideoque oportet, vt locus eius sit instar alicuius inferni, vbi præter calamitates & afflictiones nihil reperitur aliud. Etsi per impossibile infernus non esset, ipse sibi infernum quendam efficeret; vbi enim ipse moratur, ibi vix pauper aliquis incola caput suum prosperando & florendo in coctum erigit, quia illum inuidus subito adoriatur atque in terram deijciat, utpote qui vbi quis prosperatur viuere nequit, sed vbi planctus & afflictiones abundant.

12. Confirmemus idipsum per hoc, quod S. Birgitta à Dionysio Carthusiano citata scribit, nimirum se animam quandam præscitam, diuinæ Maiestati præsentatam, loquentem audiuisse, quæ hisce Deum verbis alloquebatur: *Quamuis possem saluari, non vellem, nec tu consolationem & gaudium haberes de me.* Iuxta quam animam Dæmon astabat, qui ad infœlicis huius animæ verba alludens subiungebat: *Talis est etiam mea voluntas.*

S. Brigitta apud Dionys Carth. in cap. 10. Lu.

Quam ampla lateque extensa sit inuidi peruersitas, explicari nequaquam potest. Nam quod is de proximi sui, quocum nihil ipsi intercedit commercij, prosperitate & gratiositate doleat, ingens profecto est iniquitas: quod vero insuper etiam de gaudio & complacentia, quam de proprio eius bono proximus habet, torqueatur, ac proinde ne proximus suus lætari aut gaudere possit, bonum aliquod sibimetipsi nolit & respuat, tanta hæc est peruersitas quæ explicari nullatenus valet. Vnde certum est, inuidum maius habiturum non esse tormentum, quam si collocaretur in cælo, vbi anima beata tantundem alieno gaudet bono, quam proprio. Reliquum est igitur, quod nullibi melius esse posit, quam in inferno, aliisque locis inferno similibus, à quibus non minus quam ab Inferno omne prorsus bonum procul abest.

13. Et merito infernus esse debebit locus inuidi, siquidem inuidi Dæmones quidam sunt, Dæmones autem præter infernum alium locum non habent: *Nam inuidia,* inquit os aureum, *pestiferum malum, hominem in Diaboli conditionem, & in Dæmonem immanissimum conuertit.* Inuidia pestilens quoddam malum est, quod veluti infernalis quædam Circe homines transformat in Dæmones; Neque hoc mirandum, cum enim Angelos in Dæmones transformet, quomodo non pariter homines transformabit?

S. Chrysost. hom. 4. in Mat.

Passim enim omnibus notum est, Dæmonem, cum esset Angelus, incredibili pulchritudine, & lumine incomparabili amictus, & decoratus, adeo vt inter omnia à Deo creata opera nihil esse possit spectabilius, non minus postea factum esse turpem & obscurum, quam antea esset spectabilis & luminosus.

Porro si nosse cupitis, quidnam id fuerit, quod tanta eum imbuere potuit turpitudine, nec non in tantam reducere miseriam? dicet S. P. Petrus Chrysologus, id nihil fuisse aliud præter inuidiam: *Auctoris lex refert, quod Deus hominem propriam creauit ad vitam; quod homini terram iussit proferre fructus, spontanea seruitute; quod bestias, pecudes, armenta humanæ iussit potestati subiacere non arti: vt homo laboris nescius, doloris ignarus, beatus delitias possideret, sed omnia hæc ne haberet homo, Angelus, qui inter primos habebatur, inuidit, maluitque in Diabolum commutari, ne hominem plenum gloria sic videret.* Cum Deus creasset hominem, eundemque in terrestrem collocasset Paradisum, omnia quæ in mundo sunt, eiusdem subiecit Imperio, terram & bestias: mare & pisces, aëra cum auibus, idque quantum videbatur, eo fine faciebat, vt alijs pro ipso laborantibus ipse ab omni labore prorsus alienus, vita frueretur

S. Petr. Chrys. ser. 148.

retur iucunda atque beata Angelus autem qui inter beatorum agmina maior erat atque primus, tantam hac de re concepit inuidiam vt cum hominem tantopore beatum videre non posset, ipsumque proinde ab hac tam sublimi fœlicitate præcipitaret, ipse Dæmon potius quam Angelus esse maluerit. Vnde liquet inuidiam vere Magam illam fuisse, quæ ipsum ex Angelo transformauit in Dæmonem; Quodsi igitur Angelos in Dæmones transformat, quomodo non transformabit homines. *In Dæmonem immanissimum conuertit.*

14. S.P. Bernardus admirabilem illam diuinæ gloriæ visionem ab Isaia Propheta descriptam considerans, aduertit, quod Seraphini qui throno illi adeo glorioso assistebant, diuinam duabus alis obuoluerint faciem: *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius.* Per quas sublimium illorum spirituum gloriam intelligit & fœlicitatem; *Duabus ni fallor alis sua videlicet ipsorum gloria & fœlicitatis.* Atque his alis existimat illos diuinam ab oculis Dæmonis cooperuisse faciem, ne sceleratus illam spiritus videre posset.

Isa. 6. v. 2.

S. Bern. ser. 5. de Ver. & Isa.

Modus autem quo Seraphini illi per Beatitudinis suæ alas, beatificam diuinæ faciei visionem, ab oculis Dæmonis abscondefunt, à S. Abbate est assignatus: *Quoties enim*, inquit, *sursum dirigit aciem, in Angelicam statim fœlicitatem & gloriam malignus offendit & offendit oculum pessimus humor, liuor proprius, vt penetrare vltra non possit.*

Dicit igitur Dæmonem libenter ab infernali incendio egredi, & beatum esse velle, attamen quotiescunq; oculos sursum dirigit, primū quod illi diuinam videre gloriā cupienti, obuiat, est illa incredibilis beatorum spirituum gloria, ex cuius aspectu, ob eam qua afficitur inuidiam, tanto mox dolore atq; displicentia afficitur, vt plus vltra progredi, & diuinæ faciei visionem assequi minime prætendat: vtpote qui vlterius progredi ab Angelorum gloria & fælicitate impeditur. Vnde potius inter inferni permanere tormenta eligit, quā vt in media aliorum fælicitate viuere beatus. Vnde liquet adeo verum esse, quod inuidia transformauerit Angelum in Dæmonem, vt ipsum quoque intra Dæmonis conditionem permanenter conseruet. *Qui dat esse*, dicunt Philosophi, *dat omnia consequentia ad esse.*

15. Hunc eundem prorsus effectum inuidia quoque in hominibus operatur, vti S. P. Hieronymus profunda quadam probat consideratione quam facit super eo, quod refertur in Parabola de filio prodigo, per quem populum gentilem intelligit, sicut per fratrem seniorem populum Hebræum, qui ab Euangelista senior est appellatus, quia inuidus fuit, cum ea sit inuidiæ proprietas, vt homines ante tempus faciat consenescere, prouti id intelligit S. Ambrosius: *Senior dicitur, eo quod cito aliquis per inuidiam senescat.* Inuidus enim supernacaneis & fluctuantibus obruitur cogitationibus, atq; ideo tam subito canam assequitur ætatem.

S. Ambr. in cap. 6. Lu.

Videns igitur S. P. Hieronymus seniorem illum Paternam domum ingredi noluisse, eo quod aduertisset susceptum ibidem fuisse fratrem iuniorem, dicit Hebræos quoque ad instar fratris senioris. *Nolle fratre non pereunte saluari.* Hebræi enim gloriosam Dei magni Patris nostri domum ingredi nolunt, eo quod eo ingressum ibidemque saluatum videant populum gentilem, sicque obtorquentem illos inuidiam malunt potius ad instar Dæmonis è cœlo excludi, quam nobiscum ibidem societate nostra perfrui: *Nolant fratre non pereunte saluari.* Quodnam euidentius argumentum exquiritis, quo probetur inuidum aliū quendam esse Dæmonem, quando perspicue videtis Angelum Dæmonem factum esse per inuidiam?

S. Hieron. epist. 146.

Ex hactenus igitur dictis causam intelligere poteritis, ob quam inclytus cælorum Rex consueta illa in Nazareth patria sua nō fecerit miracula, quæ facere solitus erat in alijs oppidis aut vrbibus ad ipsum tantopore non pertinentibus; Dicere namque potestis & solide quidem, id non ob naturalis amoris defectum contigisse, sed quia patria sua locus erat inferno haud multum absimilis, & quidem talis per inuidiam factus, quæ Patriæ suæ moderabatur & dirigebat incolas; ob quem defectum Dæmones potius, quam homines iudicari poterant, à quibus proinde per prodigiosa opera sua desideratum salutis animarum fructum consequi minime valebat.

Con-

CONSIDERATIO II.

Clausum est cœlum.

Terra & Aqua tanto peccatum odio prosequuntur, vt hominibus, peccato obnoxijs ordinarium sæpe victum ministrare detrectent.

1. Dionysius Carthusianus super hunc thematis locum dicit, famem, quæ tempore S. Eliæ Prophetæ Hebræum populum afflixit, eidem immissam fuisse, *propter indignitatem & culpam*, homines enim illius temporis gratia illa indigni erant. Vnde ad secundũ dubium supra propositũ respondetur, ꝙ sicut Christus cælestis Rex & Dominus noster ciuitati seu patriæ suæ per miracula alibi patrata succurrere non poterat, idque non ex debiti erga patriam suam affectus defectu, sed quia patriotæ illi tali beneficio digni non erant: ita quoque sanctissimus Dei seruus Elias non exdefectu amoris erga natiuam patriam, populo suo de desiderato pane non prospiciebat, sed quia ob enormia scelera sua, pane quo vesceretur indignus erat, nam propter popularium suorum peccata, cælum factum erat æneum & terra ferrea. Adeo enim execrabile & horrendum est peccatum, vt ipsæ quoque creaturæ insensibiles illi prodigiose videantur indignari vnde ob eiusmodi indignationem terra & Aqua homines peccatorum reos, nonnunquam ordinario victu suo priuare solent.

Dionys. Carthus. hic.

2. Sacra scriptura de infœlicis Absalonis morte loquens, dicit, eundem in aëre suspensum suam exhalasse animam: *Hærens in quercu, cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum.* Circa hunc Scripturæ locum inquirere oportet, quî fiat, quod cum vnicuique homini, imo & cuilibet animali, eo tempore quo moritur, ad hoc vt quiete & tranquille mori possit, terræ nonnihil indulgeatur, super qua moribundi corporis membra extendere, animamque exhalare possit hoc tamen qualecunque terræ indultæ beneficium Absaloni fuerit denegatum, ita vt ex arbore quadam pendulus atque in aëre suspensus mori debuerit?

2. Reg. 18. v. 15.

Porro dicere fortasse nonnulli poterunt, fuisse id fortuitum quoddam Absalonis infortunium, aut accidens aliquod sinistrum, quod eidem casualiter acciderit. S. P. Chrysostomus dicit, non fuisse casuale aliquod accidens, sed quia reuera nullum ad moriendum locum in terra inuenire potuerit, siquidem terra illum nequaquam recipere sustinebat: *Terra enim aduersabatur, non ferens pollui passibus parricidæ.* Ne terra scelerati huius parricidæ conspurcaretur vestigijs, sese ad ipsum procul à se arcendum armauit, ne in suo illum gremio mori contingeret: *Terra enim aduersabatur non ferens pollui passibus parricidæ.* Tametsi terra vniuersalis & communis omnium mater existat, attamen adeo vehementer detestatur & odit peccatorem, vt materni sui amoris nonunquam oblita, ne quidem se peccatoris alicuius pedibus tangi sustineat. Vnde Absalone qui naturalem & germanum Patrem suum persequebatur moriente ipsa illum tanto defœdatum scelere, haud secus, quam si ratione prædita fuisset, adeo vehementer est detestata, vt à pedibus suis se subtrahens, illum in gremio suo morientem pati noluerit, ideoque miserabilis ille iuuenis in medio aëre mori coactus fuit. *Terra enim aduersabatur non ferens pollui passibus parricidæ.*

S. Chrysost. Hom. in psal. 2.

3. Simili prorsus modo ipsum quoque discipulum traditorem mori oportuit: *Suspensus crepuit medius*, inquit S. Petrus. Idque huic nequam accidit, vti Rupertus Abbas existimat, ob odium, quo ipsum prosecuti pariter cæli & terra, ob maximum scelus quod patrauerat: *Suspensus enim crepuit medius, nam vt quidam ait:*

Actor. 1. v. 18.

Rup. Ab. lib. 2. c. 5. in Zach

—— —— Cælo terràque perosus.
Inter vtrumque perit —— ——

Cæli terraque ingens illud tradimentum in tanta habuere horrore & execratione vt traditorem odiendo & abominando nulla ratione ipsi permiserint, vt intra sinum suum spurcam fœdamque suam exhalaret animã.

Vnde

Vnde suspendium eligere, atque in aere pẽdulus mori debuit: *Inter vtrumque perit.*

4. In veteri testamento Deus præcepit, vt nonnullæ designarentur Ciuitates, ad quas homicidæ confugientes refugium inuenirent & salutem. Quæ proinde: *Vrbes fugitiuorum* appellatæ sunt, erantque quoddã miserabilium hominum quasi asylum. Vbi quæro nunquid homicidæ post occisum hominem alio fugere seq; saluare poterant, in syluis nimirum & dumetis, alijsque locis incognitis & occultis, vt proinde Deus opus habuerit ipsis refugij designare loca? Respõdet Oleaster, & dicit, impossibile fuisse, vt alibi saluarentur, & rationẽ assignat: *Tantũ enim terra execratur homicidiũ, vt ex se eijcere videatur homicidã.* Adeo vehementer terra peccatum homicidij abominatur, vt illum non tantum in nulla sui parte assecurare velit, qui homicidium commisit, sed ne quidẽ eundem dignatur recipere. Vnde necessum fuit, vt Deus pietate motus particularia quædam assignaret loca, in quibus terrã diuini virtute præcepti adacta, illis locum cederet, quæ alias ob odium quo peccatum prosequitur, illum omni ex parte repulisset.

Ios. 20. v. 2

Oleast. ibi.

5. Postquam Hebræi Dei filium crucifixissent, & occidissent, ideoque à propria ipsorum regione eiecti & per totum mundum dispersi essent, obseruatum est deinceps, ipsos nullibi se firmare aut stabilire potuisse, sed vbiuis gentium, atque ex omni parte expulsos & proscriptos fuisse. Cur obsecro nullibi firmum ac stabilem locum habere possunt? S. P. Zeno existimat, instabilitatis ipsorum causam terram esse, quæ ob graue & enorme peccatum, quod Dominum suum occidendo commiserunt, illos in faciei suæ superficie sustinere nequaquam potest, adeo illud abominatur & execratur: *Quem mare sustinuit adunatum, non potest terra baiulare dispersum.*

S. Zeno serm. 11. in Exodi.

Ingens profecto istud est miraculum, quasi dicere voluisset: Populus ille qui cum tempore illo quo totus simul vnitus erat & congregatus, à mari portari potuit, idẽ postea in tot scissuras & partes fractus, diuisus, atque dispersus, à terra non valuit sustineri. Neque id mirum vobis videatur: Tunc enim quando mare Hebræos ferebat vnitos, atque in tam ingenti numero congregatos, Hebræi amici Dei erant, atque in fælicissimo diuinæ gratiæ statu constituti; quod vero terra eosdem nunc sustinere & portare non possit, licet diuisi, & in tot partes dispersi sint & pauci, id accidit propter ingens peccatum mortis, & occisionis filij Dei, cuius ipsa, dum ab Hebræis patrabatur, tantum habuit horrorem, vt tota, quẽadmodum Euangelistæ scribunt, à capite ad calcem vsque contremuerit. Vnde tanti sceleris patratores super faciem suam sustinere, nec vult nec potest, sed ex omni parte repudiat atque proscribit. Atque hinc est, quod infælices Iudæi nusquam in toto mundo locum aliquem firmum & stabilem sibi inuenire possint: *Non potest terra baiulare dispersum.*

6. Diuini exercitus Imperator inuictissimus Iosue, in memorabili quodam conflictu, quinque cœpit Amorrhæorum Reges, quos omnes vt sacer textus ait, in furcam simul & semel suspendit: *Percussitque Iosue & interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites.* Rupertus Abbas admirabilem hunc casum considerans plane obstupefactus quærit: Qua ratione factum sit, quod vno eodemque temporis momento tot regna extirpauerit, deiecerit & prostrauerit tot Coronas, totque Reges vna vice voluerit esse occisos? Et respondet tantæ infælicitatis causam fuisse solam peccatorum ab ijsdem patratorum enormitatem, quæ terræ adeo erant horrida & execrabilia: *Tam pessimi erant, tamque peccatores, vt ipsa eos terra merito euomeret,* quasi stomachans & abhorrens illos, ad instar alicuius, qui postquã cibum aliquem pessimum & corruptũ manducauit, mox illum adeo exhorrescit, vt inuitus magnaq; cum stomachi cõmotione eum retineat omni hora illum euomere tentet, vt abominabile pondus illud ad stomachi alleuiationem euacuet, prout reapse quoq; euenit, quando illos per Hebræorum militiam à facie sua proscripsit.

Ios. 10. v. 26.

Rup. Abb. ibid.

7. Quando Dathan & Abyron cum asseclis suis summum ambiebant sacerdotium, quod in meritissimam Aaronis personam

sonam Deus contulerat, iamque omnia tumultu perstreperent, terra ob eandem rationem os suum aperuit, eosdemque vt in suis ipsos sepeliret abyssis, viuos deglutiuit, dicente Dauide: *Aperta est terra & deglutiuit Dathan.* Tantus enim erat horror & nausea, quo terra ambitiosorum illorum exhorrescebat peccata, vt cor ipsius velut ingens quoddam pondus grauare viderentur, quod proinde moliebatur excutere. Philo Hebræus de hac ipsorum pœna loquens dicebat: *Sic vendicatum est, vt terra patefacta atque dehiscens, eos vt grauia sibi tunc pondera corriperet, atque absorberet.* Non desunt ingentia & grauia pondera, quæ terra absque vllo reuisu & reluctantia portat & sustinet, cuiusmodi sunt montes & colles, & tamen Dei offensionem vehementer adeo exhorrescit, vt vires illis deficere videantur, ad sufferendos in superficie sua homines illis reatu obnoxios, vnde ad instar debilis & infirmi alicuius fundamenti aperitur & diuiditur, vt ponderosa illa sibi innixa atque imminens fabrica corruat? *Vt eos grauia sibi tunc pondera corriperet atque absorberet.*

Ps. 105. v. 17.

Philo lib. 3. in vit. Moysis.

8. Cum Cain innocentem fratrem suum occidere decreuisset, hisce eum verbis, vt Moyses scribit, iuxta versionem septuaginta est affatus: *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum, transeamus in Campum: & factum est, dum essent in campo, surrexit Cain super Abel fratrem suum, & occidit eum.* S. P. Ambrosius per hanc dictionem (Campũ) vbi commissum est fratricidium, locum quendam sterilem, aridum & siccum intelligit, vbi nec arbores, nec flores nec herbæ aut quidquam fructuosi, aut ad humanam vitam traducendam vtile progerminari soleat. Quærit igitur cur locus, in quo commissum est scelus istud, sterilis fuerit & aridus, qui nequicquam, vti alia loca faciunt, germinabat, aut producebat? scio nonnullos dicere posse, id factum esse ideo, quia videlicet terra, Natura sua sterilis & infæcunda extiterit, multa enim alia eiusmodi loca videntur, in quibus ne vel minimum quoddam herbæ alicuius gramen succrescat.

Gen. 4. v. 8. Transl. Septuag.

Enimuero non est isthæc huius sterilitatis & ariditatis causa inquit sanctus Archiepiscopus, sed potius horror & execratio qua terra horrendum istud scelus exhorruit: *Tanquam natura præsagiens, tanti sceleris loco germina denegauerat* Tametsi enim terra intellectu prædita non esset, sceleris tamen illius, quod in illo loco Cain commissurus erat, præsaga fuisse videtur, vnde ob illius execrationem, nec herbas nec flores, nec alias arbores, quæ vsui humano vtiles essent, ac necessariæ, voluit producere. Vt per hoc insinuet, se peccatum tam magnopere detestari & execrari, vt in eo, quo peccatum committitur, loco, præter sterilitatem aliud nihil progerminetur, quasi peccatores Creatorem suum offendentes, ordinario victu iudicaret indignos: *Tanti sceleris loco germina denegauerat.*

S. Ambr. de Abel & Cain cap. 8

Simili quoque horrore Aqua peccatum detestatur, vt veluti cum terra aduersus peccatorem illius authorem, eo coniurasse videatur, vt ipsum pro viribus & facultate sua persequatur, eidemque Aquas nauigando sulcanti solitam suam denegaret seruitutem, quam alijs hominibus exhibere est obligata.

9. Magnus ille Naucserus S. Petrus cui, ob nauticæ artis peritiam, regimen magnæ nauis Ecclesiæ Deus commisit, in mari duabus vicibus constitutus, in tanto semper fuit vitæ discrimine, vt à naufragio haud procul abesse videretur. Prima vice quidem, vt scribit S. Marcus, tametsi ipse & qui cum eo in naui erant, remis fortiter mouendis vim brachiorum suorum fortiter astringerent, vix tamen vlla portus attingendi spes supererat: altera vice autem, prouti S. Matthæus scribit, tanta erat procellarum ventorumque tempestas vt vela, temonemque, vel inuiti ventorum furiæ cedere debuerint. Et quidem nisi vtralibet vice, ad præstandam illis miraculose opem suam, tam præsens promptumque illis adfuisset, Magistri & Domini sui adiutorium, submersi vtique ab aquis fuissent.

Verum quærat hic aliquis, vnde accciderit quod cum sanctus Petrus prospere semper hactenus nauigauerit, duabus tamen

men vicibus illis tam infortunate periclitatus fuerit? Nunquid non idem mare erat, quod tot vicibus alias sulcauerat? Nunquid, non ipse idemmet tunc Nauclerus erat, qui ante extiterat? eiusdem quoque, cuius temporibus præteritis fuerat, experientiæ? Cur igitur is qui tot prosperas alias confecerat nauigationes, vtraq; vice prædicta destitutus fuit animo, nauis deseruit gubernaculum, atque de propria sua desperauit salute ob maris superbas furiosasque procellas & turbines? Scio dicturos vos esse, mare serenum; & quietum semper esse non posse, tametsi ab eodem nauarcho, in eademque naui nauigetur, neque aduersus ventorum impetus industriam valere semper, aut artem, ideoque nauigationes Petri non semper fuisse prosperas, nequaquam esse mirandum, siquidem nauigantium perpetua sit ista conditio, vt vicissitudinibus istis continuo fere censeantur subiecti.

Neque egomet ab hac mente vestra procul abessem, nisi legissem S. P. Ambrosium huius periculi sancti Petri veram assignantem causam cum dicit: *Hæc est causa periculi. Erat ibi Simon Petrus, sederat pariter proditor Iudas: quamuis illius fides fundaret nauiculam, huius tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas est, vbi Petrus nauigat, tempestas vbi Iudas adiungitur.* Quando Nauigium sancti Petri in mari sereno & quieto iucunde progrediebatur, tunc Apostolus in bonorum sanctorumque hominum erat societate: cum autem periclitabatur, in aliorum simul consortio reperiebatur proditor Iudas. Tametsi mare lubens libensque, imo veluti cum singulari quodam applausu sanctos Christi Domini portasset discipulos attamen, quando postea ad modum Creaturæ cuiusdam intellectualis, in eorum societate sceleratũ illũ aduertebat discipulum adeo ex abominabili grauissimorũ peccatorũ suorum pondere pressum, indignari mox cæpit, vt iræ impatiens, furere, conturbari, omniaq; susque deque vertere videretur, neque enim illũ vorticibus suis incumbentẽ sustinere poterat, vnde nec vllã iustorũ etiam rationem habebat, dummodo ingentem illum & execrandum peccatorẽ sub vndis suis submersisset: *Tempestas vbi Iudas adiungitur.*

S. Ambros. serm. 62.

10. Idem intentum per alium quendam ex S. Euangelista Matthæo desumptum locum confirmemus, vbi scribitur, quod dum S. Petrus in mari existens videret prædilectũ sibi Magistrum suum siccis plantis versus nauigium suum in quo erat, mari inambulãtem, eundem à longinquo ardenter precatus fuerit, vt se eadem quoque gratia liquidis Aquis velut solido pauimento siccis vestigijs inambulandi dignaretur: *Domine si tu es, iube me ad te venire super aquas.* Dominus igitur discipuli sui ardenti desiderio condescendere volens, plenam petitæ gratiæ donauit facultatem, moxque sanctus Petrus è naui exsiliens, super Aquas maris haud secus, ac super terra gradiebatur verum hæc itineris sui prosperitas diuturna non erat, post modicum enim tantus ab vna Aquarum parte excitari cæpit fluctuum terribilium motus, vt nisi Christus eundem compescuisset, ab Aquis omni procul dubio suffocatus interijsset.

Matth. 14. v. 28.

Circa quam historiam inquirere oportet vnde acciderit, quod dum Christus super aquas ambulare inciperet, mare se tanta cum promptitudine suis sese plantis substrauerit, haud secus, quam si vitreum aut marmoreum fuisset: postea vero adeo subito & inaduertenter mutari, tantisque fluctibus agitari cœperit, vt in mortem & submersionem sancti discipuli reuera coniurasse videretur? Vix se amicum exhibuerat, cum ecce subito mortales moliri & struere cæpit insidias & inimicitias.

Audite obsecro S. Augustinum, huius rei causam reddentem: *Non ambularet* inquit, *nisi crederet, sed nec mergeretur, nisi dubitaret.* Aquæ marinæ S. Petro iter suum inchoante haud secus, ac si fidem quacum S. Apostolus per ipsarum tendebat semitas cõspexissent, firmas sese reddiderunt & stabiles, miroque cum plausu ipsum deportabãt. Mox vero vt fidem perdidit, ac dubitare cæpit, veluti si humanos in ipso abhorruissent defectus, motæ fuerunt valdeq; cõturbatæ ad illius submersionẽ veritim contendentes. Quo euentu innuere quasi volebãt, quod tametsi insensatæ essent, horror tamen & execratio, qua hominum detestantur peccata, tam

S. Aug. de verb. Dom serm. 14.

tam sit vehemens & intensa, vt ne minimas quidem imperfectiones sufferre possint.

11. Vnde gloriosa illa Eremi cultrix & incola S. Maria Ægyptiaca, dum suas Abbati Zosimæ recenseret luxuriæ præteritæ turpitudines, vtpote quæ cum esset in mundo peccatrix famosa, non in terra solum, sed & in mari grauissime delinquere erat solita, hunc in modum tandem subiungit: *Stupesco quomodo meas mare illud sustinuit iniquitatum luxurias*, quomodo non suas iratum aperuerit abyssos & voragines, meque vna cum nauigio quo vehebar viuam non deglutiuerit. Id quod gloriosa pænitens isthæc ideo dicebat, quia optime intelligebat horrorem, quo creaturæ hominis detestantur peccatum; Et inter has aquæ præsertim, vnde ipsa se ab aquarum voragine deglutitam atque submersam non esse, cum tamen peccata illa in ipsius maris patrarentur conspectu, veluti ingens quoddam prodigium, & diuinæ patientiæ agnoscebat miraculum: *Stupesco quomodo meas mare illud sustinuit iniquitatum luxurias.*

Sophron. Ep. Ierosoly in eius vit.

12. De terrestri Paradiso Moyses loquens dicit. In eius medio ingentem quendam erupisse fontẽ, qui per delitiosum istud viridarium sese dilatans, foras emanabat, omnesque totius terræ partes adeo vbertim irrigabat, vt solæ fontis istius aquæ ad germinandum sufficerent, & absque omni pluuiæ aut humanæ industriæ necessitate fertilis esset atque fæcunda: *Non enim pluerat Dominus super terram, sed fons ascendebat à terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.* Quærit hic S. P. Augustinus, ecquid de isthoc fonte sit factum, quod terram non iam amplius inundet, vti à primæuo mundi exordio fecerat? Et respondet: *Nunc enim videmus nullum esse fontem, quo irrigatur omnis facies terræ; forstassis ergo peccatum hominum hanc etiam pœnam commeruit, vt tanta illius fontis repressa largitas, facillimam terræ aufferret fœcunditatem, vt incolentium augeretur labor.*

Gen. 2. v. 5.

S. Aug. lib. 5. in Gen. ad lit.

Notate ad præsens hoc meum propositum verba ista: *Vt tanta illius fontis repressa largitas.* Verbum istud *reprimo*, recessum significat, cuius vi verbi S. Doctor intendit dicere, Paradisiaci huius fontis aquas ob enormia hominum peccata conuersas esse retrorsum, quæ alias adeo promptè manabãt, quasi humanos dedignantes & execrantes defectus, illius ad instar qui ne rem aliquam fœdam, turpem & abominandam cogatur aspicere, viam quam alias ingredi consueuerat solet derelinquere. Atque hoc suo à terra recessu, terram siccam reliquit, & sterilem, in iustum hominum, rem tam horrendam & abominabilem in creaturarum insensatarum conspectu committentium, supplicium.

13. Author Historiæ Tripartitæ scribit. Nilum fluuium, vnum ex quatuor terrestris Paradisi fluminibus, qui Ægyptum perluit & irrigat, Theodosij Imperatoris tempore prodigiosè recurrisse retrorsum. Quod cum ab Ægyptijs Idolorum cultoribus varijs causis licet falso attribueretur Christianus hic imperator veram illis causam in hæc verba rescripsit dicens: *Nunquam curret ille fluuius, si magicis artibus, & fluxu sanguinis vnda polluenda sunt sacri Paradisi:* Quasi voluisset dicere? Mirum non est Nili aquas solitum suum lectum nolle frequentare, sed potius ad Paradisum, vnde suam trahunt originem, reuersas esse; Cum enim in Ægypto homines ad nihil aliud adeo impensè contendãt, quam ad falsorum Deorum cultum, & ad aquas illas impuro animalium Dæmonibus sacrificatorum sanguine prophanandas, aquæ illæ tanto horrore & execratione illa respiciunt scelera, vt ne deinceps amplius contaminentur solitum suum continuare cursum omnino desinant. Dicitur communiter, raras in Aegypto de cælo deciduas esse pluuias; nec regni illius homines, alias quas bibant, aut quibus eorum terra irrigetur, aut fæcundetur, non habere aquas, quam quæ ex hoc flumine deriuantur. Quæ cum illo tempore retrorsum recederent, nec cãpos Aegyptios solum more, ob eum, quem de peccatis in partibus illis commissis habebant horrorem, irrigarent, victum consequenter & alimoniam peccatoribus illis suppeditare detrectabant.

Hist. Tripar. lib. 9. c. 42.

Quibus aliisque prodigijs similibus Deus mundi istius hominibus significare volebat, sterilitatem terræ, pluuiarum necessariarum defectum, caritatem annonæ, & famem ex nullo alio quam à commissis peccatis, deriuari principio. Prout tempore sancti Eliæ Prophetæ obseruatum in Hebræo populo fuit,

lo fuit, quando millenis inuoluti sceleribus, cælum eidem factum est quasi æneum, ideoque passim enecabantur fame, Sanctissimi compatriotæ & Prophetæ sui meritis ipsis nequicquam suffragantibus aut pro ipsis intercedentibus.

CONSIDERATIO III.

Multi leprosi erant in Israel.

Misere decipiuntur, qui diuinas gratias quibus modo aliquo indigni existunt, obtinere prætendunt.

1. TAndem vt tertio & vltimo dubio respondeatur, dicemus, S. Prophetam Eliseum, qui Naaman Syrum hominem aduenam & peregrinum miraculose sanauerat nullum tamen compatriotarum suorum lepræ adhibuisse remedium, idque non tam ob charitatis erga patriam suam defectum, sed vt S. Bonauentura dicit, quia hi tali gratia non erant digni: *Hoc iusto Dei iudicio factum est, quia non erant digni.* Vnde colligitur Deum addictum adeo esse, Iustitiæ amicum, vt nulli gratiam aliquam concedat, qui ea dignus non existit. Vnde vna cum Christi conterraneis decipiuntur illi, qui quos nequaquam merentur, diuinos à Deo fauores obtinere contendunt.

S. Bonau. ibid.

2. Magnus ille Rex, qui à Christo Domino veluti creditor cuiusdam seruorũ suorũ, decies mille talenta ei debentis, parabolice fuit adductus, sub cuius symbolo, is qui Rex est regum mystice intelligitur, hic inquam seruum suum nihil vnde debito suo satisfaceret habere, aut habere posse videns, eum vna cum vxore & filijs, cunctisque quæ possidebat diuendi & sic soluere præcepit: *Cum autem non haberet, vnde redderet, iussit eum Dominus eius vonundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat & reddi.*

Matth. 18. v. 25.

Abulensis hoc Regis illius præceptum considerans, valde miratur, & dicit: Quamobrem Deus, qui natura sua pius est atque benignus, adeo crudelem se huic paupercul o exhibet, vt tametsi bene sciat ipsum nihil habere, vnde reddere possit, strangulare nihilominus ipsum velit, insuperque ipsum vna cum vxore & filijs haud secus ac mancipia diuendi præcipiat, vt vel sic aliquam ex ipso extorqueat pecuniam? Cur illius non compatitur paupertati? Cur eius paupertatem non excusat? Cur ei ex solita liberalitate sua omne debitum munificè nõ dimitit? Et respondet: *Ad incutiendum timorem hoc fecit, erat enim benignus Rex, & videns debitum & impotentiam ipsius ad soluendum, remittere voluit, & tamen noluit dimittere sic simpliciter, sed voluit quod debitor hoc rogaret, vt haberet causam hoc faciendi: & vt debitor magis impelleretur ad rogandum ei incussit timorem, quod vellet eum & vxorem & filios vendi.* Prouti reipsa accidit: vix enim seruus ille perfulminatum Domini sui præceptum fuerat perterrefactus, cum ecce ad Domini sui pedes se subito prostrauit, & debiti sui ab eodem deprecatus est liberalem dimissionem, ipse quoque Dominus sibi totaliter ab eo, de omnibus quæ debebat, satisfactum esse fuit confessus. Id quod à Christo propositum fuit, ad significandum, quod tametsi Deus ad gratiam præstandam semper promptus sit atque paratus, eandem tamen nunquam sit concessurus nisi ex parte nostra aliquo saltem modo ea fuerimus digni, illamque ad minus tribus vel quatuor verbis ad gratiam illam petendam prolatis simus promeriti.

Tostat. ibi. q. 37.

3. Postquam Deus Abrahæ Patriarchæ, desideratũ filium, quem Isaac appellauit, miraculose concessisset, mox eundem adultum factum sibi sacrificari præcepit dicens: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Rupertus Abbas locum istum, considerans, inquirit, quidnam fortasse Deus per hoc filij Abrahæ ordinatum sacrificium intenderit? Eratne fortasse fabulosus quidam Saturnus, qui in sanguine delicietur humano sibique in hominis complaceat morte, ideoque sanguinem hunc innocentem effundi, hominemque occidi imperauit? Nequaquam id præsumendum est de Deo nostro adeo clemente atque benigno, qui vitam hominibus donare potius, quam tollere cupit. Vnde ipse veram huius rationem assignat, dicens: *Absque iudicio & iustitia facere misericordiam non*

Gen. 22. v. 2.

Rup. Ab. ib lib. 6. c. 30.

non cadit in Deũ quæsiuit misericors Deus capitulum in homine per quod possit iustè debitor ipsi teneri, quæsiuit inquam ab homine vnigenitũ sibi filium immolari, vt suum ipse filium iusta vicissitudine deberet homini, q.d. Cum Deus vna ex parte pro hominum salute vnigenitum filium suum in altari sanctæ Crucis immolare decreuisset: ex altera vero parte apud illam infinitam Maiestatem misericordia eius semper cum Iustitia sit intimè coniuncta, adeo vt nulli gratiam concedere intendat, nisi in eo meritum præcedat, ideo prius voluit hominem quendam filium suum sibi offerre in sacrificium, vt hoc sacrificio mediante homines à Deo mererentur, vt is suum quoque filium pro ipsorum salute in ara Crucis immolaret, vti & postea fecit. Vnde perspicue videtur, Deum adeo addictum esse Iustitiæ amicum, vt ipsam quoque vnigeniti filij sui incarnationem & passionem quæ sub nullius humani operis meritum cadere potest, ab hominibus aliquo saltem modo promeritam esse voluerit. Ad innuendum, nullam vnquam à diuinis manibus proficisci gratiam, quam non prius illi promeriti sint quibus confertur. *Absque iudicio & iustitia facere misericordiam, non cadit in Deum.* Aduertendum tamen hic est, me in hoc discursu nullum diuinæ voluntati velle inferre præiudicium, vtpote quæ frequenter iuxta suum beneplacitum, nos sine vllo nostro merito fauorum suorum solet reddere participes. Progrediamur vlterius.

4 Quo tempore Hebræi commorabantur in deserto, maiori quam vnquam alias fuêre flagello correpti, à multis enim mortiferis & crudelibus infestabantur serpentibus, qui mox vt hominem momorderant & intoxicauerant, eosdem incredibilibus doloribus affectos mori subito cogebant. Clementissimus Deus huic eorundem afflictioni compatiens, illis aliquod mali huius dare voluit remedium, ideoque Moysi præcepit, vt æneum quendam fieri curaret serpentem, eundemque ligno cuidam affixum in altum erigeret, subdiditque omnes serpentum illorum veneno imbutos, quotquot serpentem hunc aspicerent æneum, pristinam consecuturos esse salutem. *Fac* Num. 21. v. 8.

serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum viuet.

Tostatus hisce verbis: *Qui percussus aspexerit eum*, immorans, quærit: Nũquid Hebræi illi à serpentum morsibus sanati poterant, absque eo quod hunc æneum à Moyse erectum serpentem aspicerent? Ergone recuperandæ sanitatis virtus à serpente procedebat, vt proinde sine actuali serpentis illius aspectu sanari minimè potuerint? Sicuti Icterici sanari nõ solent, nisi auem quæ Icterus appellatur aspiciant? Et hoc dici non potest Hebræorum namque sanitas, non à virtute serpentis, sed à Deo eosdem inuisibiliter sanante procedebat. Quod si verum est, vti est verissimum, quo igitur fine hic serpentis illius requirebatur aspectus, vt sine illo sanari non possent? Respondet: *Quãuis serpens ille æneus sanatiuam nullam virtutem haberet, nullus tamen à morsibus serpentum consequi remedium poterat, nisi eum intueatur. Huius ratio est quoniam ista sanitas indicta supernaturaliter causabatur, ipse autem nulli hanc conferebat eius negligenti præceptum, cum ipse ad sanitatem consequendam aliquid specialiter definisset agendum.* Plin. lib. 30 cap. 11. Tostat. Parad. 4. c. 39

Tametsi serpens æneus nullam haberet veneno infectos Hebræos sanandi virtutem sanari tamen non poterant, nisi eum aspicerent. Deus enim à quo sanitatis dependebat beneficium neminem sanare volebat, nisi idipsum prius fuisset aliqua saltem ratione promeritus, atque hoc fine eis serpentem aspicere præcepit; vt per hunc aspectum beneficium istud promeriti sanitate potirentur desiderata. Atque ita insinuaretur Deum adeo zelare Iustitiam, vt nihil quod non aliqua saltem ratione ad minus per vnici alicuius obtutus actum, licet is nihili referat, essemus promeriti, concedere soleat.

5. Sponsa cum adolescentulis suis pedissequis colloquens, ijsdem inter alia dicebat: *Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem.* Philippus Abbas hunc scripturæ locum ponderat, & obseruat, quod prius se nigram esse dicat, postea vero se asserat pulchram esse, & non econtra: *Non se rectè formosam & nigram, sed nigram & formosam esse perhibuit.* Rationabiliter hac de re loquendo videri Cãt. 1, v. 4 Phil. Abb. ibi. c. 17.

 posset,

posset, illam contrarium potius dicere debuisse: Mulieres enim prius sunt pulchræ, vt in ipsarum videre est iuuentute, postea vero consenescentes euadunt nigræ: ipsa autem contra ordinem naturalem, prius se nigram & turpem, postea vero pulchram se fuisse dicit. Quodnam est istud hic latens mysterium, & quidnam per illud significare intendit? Venerabilis Abbas quid significet hisce verbis explicat: *Quia primum apud eam nigredo locum obtinuit, dum in eam concessa est habenis laxioribus tribulatio desæuire; & suo tam accessu quam recessu venturam pulchritudinem præuenire.*

Non dixit prius quod pulchra esset, & postea quod esset nigra, sed contra, idque quia non de Corporis pulchritudine loquebatur quæ est donum naturæ, sed de animæ venustate, quæ à Deo conferri solet. Vnde non ad dona naturalia, sed ad gratiæ respiciebat fauores. Magna intercedit differentia inter modum quo Deus suas communicat gratias & modum quo natura suas impertiri solet.

Natura dona sua absque vllo ad merita respectu diuidit, vnde prius pulchritudine donat, & postea aduenire permittit deformitatem. Deus autem econtra nulli aliquid concedere consueuit, quod prius non promeruerit. Ideoque sponsa de diuinis donis loquens, dixit se primo nigram, postea vero pulchram fuisse, vtpote quæ optime nouerat, animam suam nulla vnquam gratiæ pulchritudine donari posse, nisi prius nigra fuerit, id est nisi prius tantum donum iuste frequentibus quas sustinebat tribulationibus promeritus fuerit. Id quod eo fine dicitur, vt aperte constet Deum adeo inuigilare iustitiæ, vt ne dilectæ suæ sponsæ gratiæ suæ concedere voluerit fauores, nisi continuis illos prius laboribus promeruisset.

6. Cum Hebræi ex prolixo illo, quod per Arabiæ desertum confecerant itinere, fatigati essent & fastidijs pleni, viderentque labores illos finem suum dudum adhuc non esse habituros, mox (vti insolentes erant, valdeque temerarij) contra Deum murmurare non dubitarunt. Qua ex re Deus vehementer indignatus, castigare illos, & viuos concremare voluit, ideoque multum de cælo ignem descendere fecit, qui extremam exercitus ipsorum partem in ictu oculi consumpsit. Quo ex supplicio perterrefacti, omnes quotquot ex Hebræis viui remanserant, ad Moysen subito vnâ accurrêre, rogantes eum, vt Deum pro ipsis deprecari, veniamque impetrare dignaretur, prouti & fecit, suaque intercessione excitatum ignem subito extinxit. *Et accensus in eos ignis Domini, deuorauit extremam castrorum partem. Cumque clamasset populus ad Moysen orauit Moyses ad Dominum, & absorptus est ignis.* Num. 11. v. 1.

Circa quem locum causam inuestigare oportet, cur nimirum Hebræi in extrema illa necessitate constituti, non ad Dominũ, sed ad Moysen recurrerint? videtur enim quod cum Dominum ipsummet præsto haberent, nequaquam cum seruo tractare debuerint, cumque per seipsos a Diuina Maiestate poscere potuerint auxilium, exigui in ipsis latentis iudicij signum est alienum quærere intercessorem. Respõdet Oleaster. *Quia se Deum suum offendisse cognoscebat, sanctum inter medium quæsierunt.* q. d. Quia Hebræis perspicuum ex vna parte erat quod Deus pro illo tempore quo gratias est elargiturus, aliquod in hominibus qui eas deposcunt, meriti genus requirat, ex alia vero parte ipsos non latebat, se tunc non solum illum non meruisse fauorem, quem postulabant, sed potius longe maius supplicium, eo quod de præsenti sufferebant, vtpote qui ob murmur quo Deo obstrepuerant puniri potius quam beneficijs affici commeruerant, ideo frustra se facturos esse indicabant, si ad Deum refugium suum quærerent; ad Moysen ergo recurrerunt, qui vtpote vir sanctus, magnique apud Deum meriti facile apud Deum quam postulabant, obtenturus esset gratiam, sicuti reipsa reuera accidit. Vnde colligitur, quod Deus manus suas ad benedictiones & gratias suas hominibus elargiendas nunquam aperiat, nisi illos fauores tales commeruisse, illisque dignos esse certo sciat. Oleast. ibi.

7. Cum Christus ab Apostolis Iacobo & Ioanne rogaretur, vt primos regni sui honores, duasque primas solij sui collaterales sedes ipsis impertiretur, eisdẽ resolute respõdit: *Sedere ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis.* Cur dicit suum non Mar. 10. v. 40.

esse

esse sedes illas distribuere? Quodsi Christus Deus est, ad quem proprie spectat cælestiũ honorum concessio, certe non videtur bene dixisse, cum inquit: *Non est meum dare vobis?* Theophilactus responsionem illam Christi egregie explicat, nodumque hunc difficultatis adductum dissoluit, dicens: *Non est meum dare vobis, hoc est, iusti Iudicis dare vobis absque gratia dignitatem istam, non enim iustus essem, sed ijs qui laborauerint præparata est dignitas illa.* *Theophi. ibid.*

Non dixit, quod gratiam istam illosque honores ijs concedere non fit suum, quia id facere non poterat, sed quia id facere non expediebat, ipsi namque gratiam illam sine vllo suo prætendebant assequi merito, in solo duntaxat parentelæ titulo confisi, qua cum Christo colligabantur; hanc autem petitionem Christus (qui vtpote Iudex iustus in gratiarum suarum diuisione ad nihil aliud quam ad personæ respicit meritum) nequaquam iudicabat expedientem. Atque hac ratione postulatum hunc illis denegando fauorem, simul eosdem docuit, ne vnquam se coram Deo ad aliquid ab eo poscendum sisterent, cuius se indignos scirent, secus enim si faxint, tempus duntaxat inutiliter fallent seque demum deceptos esse comperient.

8. Causamne nostis, cur Lucifer vnus ex primis illis Seraphinis, qui in Cælo existunt, è cælo fuerit eiectus, atq. in inferni abyssum præcipitatus? Isaias dicit, id factum esse, quia se in cælis sedere velle dixit: *Super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti. Veruntamen in Infernum detraheris, in profundum laci.* Verum enimuero quidnam est in eo mali, quod Lucifer in cælo sedere quærat? Quodsi Christus Apostolis suas in cælo sedes promisit: *Sedebitis & vos super sedes duodecim*, cur non similiter ibi Angeli sedere poterant? *Isa. 14 v. 13.* *Matth. 19. v. 28.*

Quodsi Dæmon in cælo sedere quæsiuisset post aliquos exantlatos labores, nunquam prætensio ipsius culpabilis vlla ex parte iudicata fuisset. Sed, vt inquit Hugo Cardinalis, priusquam laborauerat, iam sedere in cælo cupiebat, ideoque è cælo expulsus fuit, vt in Inferni abysso laboraret in æternum: *Vnde Lucifer qui prius volebat quiescere, quam laborasset, expulsus est in locum, vbi perpetuo laborabit.* Temerarius ille Lucifer nesciebat, quod nulli in cælo aliqua indulgeatur sedes, aut requies, nisi primo suos pro illis sustinuerit labores, ideoque ob ausum suum adeo temerarium perpetuo è cælo vituperosè fuit eiectus atque proscriptus. Porro si Christus discipulis suis ibidem sedendi beneficium promisit, id mirum non fuit, fecit enim istud, quia ipsos hac in vita multum laboraturos esse cognouit. Deus enim gratias & fauores suos nulli elargiri consueuit, nisi ijs duntaxat, qui se illis prius per suos labores reddiderint dignos, beneque meritos. Quisquis autem absque labore & merito illos audet prætendere, vna cum Lucifero deceptus, & cum Christi compatriotis à Christo repræhensus, ab ijsdem meretur perpetuo excidere. *Hugo Car. in cap. 9. Gen.*

SERMO XXI.

In Feriam. III. Dominicæ III. Quadragesimæ.

Si peccauerit in te frater tuus.

Matth.18.

1. IEremias Propheta à Domino Deo suo missus, vt peccatorum Hebræorum animas à statu peccati ad diuinæ gratiæ statum reduceret, hæc è diuino ore manantia verba audiuit: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* q.d. Quod si tu, ô Propheta mi dilecte, in honorifico isthoc officio, cui te destinaui, docendi nimirum homines peccatores, eosdemque ad pœnitentiam reducendi, strenuum te & vtilem exhibueris, atque vile, hoc est, peccatum, à pretioso, id est ab humano spiritu separaueris, id præstabis, quod requiritur ad hoc, vt os tuum ori meo simile esse possit. *Vt sit os tuum sicut os Dei,* inquit hunc locum explicans S. Pater Ioannes Chrysostomus. In ore ipsius Dei tria præcipue, ad meum propositum consideranda veniunt, quibus os eius præditum esse debet, cuius officium est alienæ intendere saluti. Primum est dulcedo quædam admirabilis, quotiescunque enim Deus loquitur, mel, nectar & ambrosiam spargere videtur, prouti Dauid Rex dicebat: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Præterea tanta os Domini imbutum est ingenuitate & synceritate, vt idem Dauid dicere non dubitet, verba Dei eundem reddere sonum, quem argentum optime purgatum, atque ab omni terrenæ imperfectionis scoria emundatum: *Eloquia Domini, eloquia casta; argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Denique os Domini lingua vtitur tanquam gladio quodam ancipiti & ex vtraque parte acuto, qui truncat, & diuidit omne quod occurrit: *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Quas proprietates Deus ori Prophetæ sui prædicantis inesse volebat; Easdemque Christus redemptor noster in hoc Euangelio in ore eius reperiri præcipit, qui præcepto fraternæ correctionis vtiliter sese applicare contendit, prouti in subsequentibus considerationibus videre poterimus.

Ierem. 15. v. 19.

S. Chrysost. orat. 5. contra Iudaos.

Ps. 118. v. 103.

Ps. 11. v. 7.

Apocal. 1. v. 16.

CONSIDERATIO I.

Corripe eum.

Diuini oris dulcedinem habere debet os illud, quod pro salutari proximi correctione aperiendum est.

2. CHristus fraternam correctionem præcipiens non dicit; *Vade & increpa,* aut *reprehende,* sed *corripe.* Eum enim qui charitatiuæ huic se vtiliter impendere vult actioni, non vult verbis vti ex præcipiti ira prolatis, aut rigorosis, sic enim nihil omnino præstaret; sed verba eius insinuari vult cum dulcedine quadam grataque affabilitate S. Bernardinus dicit Christum dicendo; *Corripe,* quasi dicere voluisse

Cor-

S. Bernardus de corrept. fraterna serm. 28. art. 2. cap. 1.

Corripe, quod fieri solet ab ijs hominibus, qui moribus suauissimis imbuti, verba ad instar mellis dulcia & suauia fundunt, adeoque suaui suo agendi modo cor vniuscuiusque hominis rapiunt, omniumque captiuas post se ducunt voluntates. Simili quoque ratione cum proximo suo agere debet, qui eundem in viam reducere salutis desiderat, rapiendum est cor illius, qui conatus non-nisi per dulcedinem & suauitatem agendi, finem suum assequetur. Ideoque os suum simile esse debebit ori diuino, quod in eiusmodi negotijs admirabili semper suauitate refertum esse experimur. *Vt sit os tuum sicut os Dei.*

3. Canticorum capite quinto v. 13. inuenimus sponsam de sponsi sui prædilecti labijs tractantem, eadem comparare lilijs myrrham stillantibus: *Labia eius lilia stillantia myrrham.* Similitudo ista, eandem non satis profunde considerantis prima facie valde videbitur impropriè, & contra naturam adducta. Vt enim labia pulchra sint, rubicunda sint oportet, & non alba, aut liliorum instar pallida, prout non nemo de pulchri & venusti corporis coloribus agens dixit:

Cant. 5. v. 13.

Labia, genæ, atque vngues rubea.

Vnde inuestigandum merito est [...] sponsa ad explicandam labiorum dilecti sponsi sui pulchritudinem, non potius coralli, aut purpuræ, quam liliorum vsus sit similitudine? Imo quod si etiam à florum discedere symbolo noluerit, cur illa non dicebat rosis esse similia, id quod futurum fuisset symbolum proposito nostro conuenientissimum? Non est dubium quia similitudines istæ valde futuræ fuissent elegantes, non tamen adeo seruiebant explicando conceptui, sicut lilia, à quibus solum similitudinem suam desumere voluit.

Inprimis itaque scire oportet, non intermisisse naturam, Plinio teste, certam quandam liliorum speciem colore ornare croceo tametsi alia passim vestiuerit bysso, vnde fieri potest, quod sponsa in hac comparatione ad lilia respexerit rubeo vel croceo colore imbuta, essetque hac ratione similitudo ipsius proprijssima. Quod autem sponsi sui labia corallo assimilare noluerit, ideo factum est, quia tametsi corallus rubeum colorem referat, insuper tamen ad instar alicuius saxi est durus. Adhæc neque purpuræ assimilari debuit, eo quod hæc linguam habeat instar cultri acutam, vnde etiam ferrea alio nomine appellatur. Atque ob eandem rationem rosæ quoque symbolum prætermisit, eo quod hanc pungentibus spinis & aculeis vidisset esse circumdatam. Sed præ his omnibus sponsi sui labia lilio assimilare placuit, quod lilium flos quidam sit adeo placidus, gratus & delicatus, vt nec duritiem habeat aut rigorem qui ostendere possit, nec spinas quæ pungere valeant aut vulnerare. Ideoque dixit: *Labia eius lilia.* Ad significandum, quod quotiescunque sese incarnati verbi labia pandebant & loquebantur, adeo semper dulces & grati fuerint eius sermones, vt nunquam inde visum sit egredi verbum aliquod durum, rigidum, afflictiuum, nunquam aliquid exposuerint aut explicarint, quod auscultatorum auribus molestum fuerit aut fastidiosum. Vere lilia erant: *Labia eius lilia.*

Plin. lib. 21. cap. 5.

Verum vt ad propositum nostrum propius accedamus, Notandum, quod quando sponsa Christi labia lilijs assimilabat, eadem myrrham quoque stillasse, adiunxerit: *Labia eius lilia distillantia myrrham.* Myrrha quia aspera est atque amara, symbolum est correctionis fraternæ, quæ aspera & amara est auribus peccatoris, qui corrigitur, vt dicit Hugo Cardinalis. Cum igitur sponsa dicit: Labia Christi myrrham stillantia, hoc est ad corruptos hominum mores emendandos seu corrigendos adhibita, lilijs similia esse, significare volebat, correctiones eius tanta suauitate atque dulcedine fuisse respersas, vt nullum vnquam in ijs prolatum sit verbum, quod durum, rigidum, pungens aut displicens videri potuerit.

4. S. Ioannes Apocalypsios capite tertio scribit, quod dum audiret cælorum Regem, Christum Dominum nostrum Episcopum Laodiceæ repræhendentem, inter alia eidem dicta, hæc quoque sequentia verba

Apocal. 3. v. 19. ba audierit: *Ego quos amo, corrigo, & castigo.* Quasi eidem dixisset: Tametsi hisce ego te verbis repræhenderim, mihique pigritiam tuam summamque quacum mihi inseruis inertiam valde displicere insinuauerim, nullam tamen huius rei causa dolendi rationem habes; sciendum namque vbi est, quod nisi adeo te impensem amassem, tecum hunc in modum nequaquam tractassem neque enim à me vllus repræhenditur, nisi ij duntaxat, quos amo & filiorum loco in visceribus meis fero. Andreas Episcopus Cæsariensis hæc verba contemplans tantam hanc obstupescit suauitatem & dulcedinem quacum Christus correctionis suæ verba temperat, & veluti melle oblinit, dicens: *Pape! quanta Dei clementia, quanta suauitate & benignitate reprahensionem temperat?* *Andreas Episc. Casariensis ibid.* At quid mirum, quod Deus tanta cum suauitate vitia repræhendat humana, quandoquidem ab eiusmodi labijs verba eius reperiuntur formata, quæ lilijs sunt similia adeoque grata & mellea, vt nullum vnquam ex ijs verbum dimanarit, quod rigidum sit aut durum? *Labia eius lilia.*

5. Vbi nos legimus: *Labia eius lilia* *Salom. Rab. ibid. in Cant.* Rabbi Salomon vertit: *Labia eius Rosa.* Rosa, vt scribit Peierius Valerianus, dulcis gratiosique sermonis est symbolum, dicitque vlterius, quod quando *Pier. lib. 55* veteres aliquem dulciter & gratiose loqui insinuare volebant, dicere consueuerint. Hic *rosas loquitur.* q. d. Rosas & non verba spargit. Vnde cum sponsa Christi dicit loquentis & aliena vitia repræhendentis Christi labia rosas esse. *Labia eius rosa,* dicere voluit. Quando sponsus meus myrrham stillat fraternæ correctionis, adeo gratiose loquitur, tantaque cum gratia repræhendit, vt rosas & non verba spargere videatur. *Rosas loquitur.*

6. Cum Christus nonnullos discipulorum suorum repræhendisset, eo quod discursui, quem de admirabilis Eucharistiæ institutione formauerat, credere renuerent, ideoque ipsum deserere, atque ab ipso discedere pararent, conuersus ad alios Apostolos eisdem dixit: *Nunquid & vos vultis abire?* S. Petrus autem, vt- *Ioan. 6. v. 67.* pote cui loco omnium aliorum responsa dare conueniebat, respondit: *Domine ad quem ibimus? verba vita aterna habes.* Quidnam obsecro Apostolus hoc loco dicere volebat, quando verba Christi, vitæ æternæ verba esse dixit?

Abulensis dicit ipsum significare voluisse, verba ipsius ad instar cælestis gloriæ dulcia fuisse: *Id est verba tua sunt dulcia sicut* *Tostat. quæst. 65. in cap. 14. Matth.* *vita aterna.* Tanta referta erant dulcedine, tantaque suauitate, quanta in ipsamet reperiri potest vita æterna, haud secus quam si ex nectare & ambrosia: quæ beatæ gloriæ suauitatem & delitias significant, fuissent composita. Tametsi Christus tunc incredulorum discipulorum repræhendisset infidelitatem, verba tamen repræhensionis illius tanta permixta & temperata erant dulcedine vt visa fuerint S Petro veluti alter quidam Paradisus: *Verba tua sunt dulcia sicut vita aterna.*

7. Christus à mortuis resuscitatus, mox duobus discipulis in Emaus abeuntibus apparuit, eisdemque se in habitu peregrini & ignoti hominis adiunxit. Cum autem iter illud vna cum ipsis prosequendo, animaduerteret, quod de sua Resurrectione dubitarent, grauiter eosdem repræhendit, ipsos stultos atque ad credendum tardos appellando. Castello autem facti propiores cum ipse se longius abiturum fingeret, inquit S. Lucas, qui duorum illorum vnus erat, ipsos eum ad permanendum in ipsorum societate, coegisse: *Et coe-* *Luc. 24. v. 29.* *gerunt illum dicentes Mane nobiscum.* Quidnam discipulos hosce commouit, vt Christum in sua societate perseuerare cogerent? S. Laurentius Iustinianus explicat quidnam illud fuerit dicens: *Insueta tunc cordis percepere gaudia, quando amore* *Laur. Iustin. de Agone. cap. 15.* *dulci aterni Patris secum loquebatur verbum, nonnulli calestis nectaris riui profluebant, per quos eorum animi ineffabiliter iucundabantur.*

Id cuius causa tantam ipsi ad secum perseuerandum intulêre violentiam fuit dulcedo illa admirabilis, quo ex sermone suo perfruiti fuerant, dum per viam

eum

cum ipsis ambulans ipsorum corrigebat incredulitatem: Videbatur enim ipsis quod ex ore eius non iam verba manarent, sed abundantes cælestis nectaris riuo, adeo ingens erat suauitas, quacum diuinum os eius correctionis condiebat rigorem, vt eorum qui ab ipso repræhendebantur, corda raperet.

8. Deus in Osea de sceleratis quibusdam Hebræis ad pænitentiam reuocandis tractans, aiebat: *In funiculis Adam traham eos.* Symmachus & Aquila legunt: *In funiculis hominum traham eos.* Doctor quidam modernus hunc locum explicans & verba illa: *In funiculis hominum,* ponderans, dicit, illis aliud nihil significari quam: *Non imperio, virga, aut terrore, sed benignitate, amore, verborum leuitate alliciam ad obsequium meum.* Ad meum ipsos seruitium reuocabo, non veluti bestias per minas, perterrores, per impetum baculi aut virgæ, sed sicut homines, per affabilitatem, benignitatem & verba dulcia. Ad significandum quod quando os diuinum ad vias hominum iniquas redarguendas se pandit, verbis nequaquam vtatur, asperis, duris, iracundia plenis, sed suauitatem & dulcedinem spargat amoris: Humana si quidem voluntas non per aliam viam quã per istam ad concipiendam transgressionũ suarum pænitentiam reduci aut reuocari potest.

Ose. 11. v. 4.

Christoph. Cast. ibid.

9. Ad similitudinem oris diuini dulce & suaue esse debet os illius, qui suam cum vtilitate proximi impendere vult operam, in fraternam peccati sui correctionem: *Quasi os meum eris*, secus enim faciendo nihil prorsus lucrabitur. Vnde David Propheta de Animæ ex statu peccati ad diuinæ gratiæ statum renouatione loquẽs, aiebat: *Renouabitur vt Aquila iuuentus tua.* quasi diceret: Veteri homine exuto, nouũ indues, dummodo attenderis ad id, quod euenire solet Aquilæ. Vbi merito quærendum, cur David dicat, quod ad hoc vt homo renouari & reiuuenescere possit, opus sit, vt ipsi eueniat quod Aquilæ accidit, non vero quod contingit serpenti, cum tamen etiam serpens non minus quam aquila, veterem suam exuere pellem soleat & noua super indui?

Ps. 102. v. 5.

Ratio autem est, quia modus quo serpens ad pristinam suam reuertitur iuuentutem non ita homini fæliciter succedit, sicut modus quo Aquila renouatur, atque ideo non dicit: *Renouabitur vt serpentis iuuentus tua, sed renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua.* Sciendum itaque est, quod serpens reiuuenescere volens subingrediatur atque constringatur inter duo dura, aspera & rudia saxa, quæ fortiter violenterque pertransiens, veste sua non sine ingenti suo dolore & tormento, veteri spoliatur & exuitur: Facit autem Aquila modo omnino contrario, idest suauibus, lenibus, dulcibusque instrumentis suam renouat iuuentutem, inquit S. Epiphanius: *Se frigidis immergit aquis, aduersusque solares radios se opponit, ac iterum iuuenescit.* Crystallino cuidam immergitur fonti, atque ad solis se exponit conspectum, ibidemque suauium radiorum illius virtute inter frigidas Aquas, veteres plumas deserit, & ex integro à Natura magistra induitur nouis. Ad hoc vt homo antiquæ consuetudinis peccandi vestem deserere valeat, nihil illi prodest vis & adhibita violentia, neque huc iuuant rudium, asperorum durorumque verborum lapides, frustra denique fatigatur, quisquis ad instar serpentis suam renouare cupit iuuentutem; sed huius rei modus ab Aquila potius est ediscendus, huicque fini sol adhibendus est charitatis. Aqua teneritudinis compassiui, singularis denique in hunc conatum adhibenda est dulcedo, sic enim optato nunquam frustrabitur fine. In summa opus est huic actioni os adhibere diuinum, quod in tali occasione mellis fundit suauitatem. *Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua.*

S. Epiphan. in Phisiol. c. 6.

10. Deus Psalmo octuagesimo octauo dicebat, quod Dauidem vtpote quem ad populum suum gubernandum satis comperenat idoneum, consecrasset in Regem: *Inueni David seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum.* Vt autem huic sufficiens esse regimini posset, sinistram eius manum Aquis maris, dexteram vero Aquæ fluuiatili immergi voluit: *Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexte-*

Ps. 88. v. 21.

dexteram eius. Est locus iste admodum curiosus, qui proinde ad vlteriorem illius nos excitat inuestigationem. Quæro igitur, cur Deus ambas Dauidis manus non immerserit simul solis Aquis marinis, aut ambas intinxerit in Aquam fluminis, sed vnam mari, alteram flumini immerserit? Et quod plus est sinistram immiserit mari, flumini autem dexteram? *Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.*

Causa huius esse poterit, quia Deus Dauidem in suo regimine bonum se exhibere voluit superiorem. Superior, cuius munus est ad extirpanda populi peccata conniti, vt bene gubernet, duas habere manus debet, quarum vna defectus corriget, quos emendabiles esse iudicabit, atque hæc illius est dextera, vt enim in hoc suo officio assequatur intentum, magna opus est dexteritate. Alia autem est sinistra, per quam incorrigibiles puniet, illosque ne reliquum inficiant gregem sanum, funditus extirpabit. Hæc manus mari, vtpote cuius aquæ amaræ sunt, immersa esse debebit, ictus enim facere debet amaros valdeque dolorosos, castigare debet sine pietate, cumque omni possibili rigore, vt hac ratione non ab ijs duntaxat sentiatur, quos percutit, sed & ab aliis, vt per tale visum exemplum suam deinceps procurent emendationem aut saltem cum metu & timore viuant. Dexteram vero, correctionis manum flumini immergere debet, quod Aquas semper dulces manat: *Et in fluminibus dexteram eius* Correctio enim dulcis esse debet, suauis, amorosa, dulcique charitatis melle plenissima. Numquam enim id obtinebit, quod per fraternam correctionem assequi intendit, nisi os eius, qui ad proximum, ab eo cui inhæret præcipitio, reuocandum est obligatus, aperiatur per dulcedinem & charitatem. Corrigens enim corrigendi cor rapere debet.

Corripe, cor rape.

CONSIDERATIO II.

Lucratus eris fratrem tuum.

Nihil vtilitatis præstabunt qui animarum saluti ex motiuo interesse seu commodi proprij vacant.

1. CHristianus ob nullum aliud interesse ad fraternæ correctionis conatum moueri debet, quam ob solum motiuum salutis animæ illius, quem emendare prætendit. Vnde Christus dicit: *Lucratus eris fratrem tuum,* hoc est, totum lucrum, quod in hoc tuo negotio prætendere poteris, hoc solum erit, vt miserabilem peccatorem à morte reuocare possis ad vitam, cum Deo ipsum reconciliando, eundemque ex Dæmonum eripiendo manibus, sic enim illum in saluo repones. Quodsi autem spiritualis huius lucri prætensionem dimiseris, atque à proprij & particularis tui interesse motiuo ad hoc impulsus fueris, nihil omnino efficies, inquit S. P. Augustinus: *Si autem amore tuo id facis, nihil facis.* Vnde os correctoris ori diuino simile esse debebit? *Sicut os Dei,* idest, simplex, syncerum, atque ita ab omni imperfectione purgatum, vt nihil ab eo aliud, quam probatum, purgatum, beneque examinatum spargi videatur argentum. S. Aug. ex cap. 5. Tho. hic.

Vnde necessarium quoddam colligitur documentum, merito ab omnibus qui cura onusti sunt animarum, diligenter aduertendum, videlicet, quod nunquam boni quicquam effecturi sint, si ouium sibi commissarum attenderint saluti à solo proprij & peculiaris interesse motiuo instigati. Nihil enim adeo est spiritualis lucri impeditiuum, quam terrenum interesse illius, qui lucro illi vacat & incumbit.

2. S. Matthæus de Christo Domino mundi Saluatore pro eo vitæ tempore tractans, quo prædicationum suarum facere cæpit exordium, ita dicit: *Exinde cæpit IESVS prædicare & dicere: Pænitentiam agite, appropinquabit enim regnum Cælorum.* Mente vestra bene obseruate, dictionem illam *Exinde,* Matth. 4. v. 17.

inde, & quid significet attendite. *Exinde cœpit IESVS prædicare.* Cur *Exinde*, & non prius aut citius. Quidnam obsecro illud fuit, quod prius facere debuit, ad hoc vt postea prædicaret pænitentiam & animas conuerteret?

Dicet hoc Author operis imperfecti: *Ex tunc cœpit IESVS prædicare, ex quo tentatus est, famem vicit in deserto, auaritiam spreuit in monte, vanam gloriam repercussit super templum.* Dicit igitur ly (*Exinde* respicere præcedens tempus tentationis in deserto; Per quod Euangelista demonstrat Christum prædicationibus principium dare noluisse, nisi prius à Dæmone tentatus superasset vitia gulæ, auaritiæ & vanæ gloriæ; postquam has reportasset victorias mox exordium fecit prædicandi pænitentiam, & non prius. *Exinde cœpit IESVS prædicare.* At vero iterum quæro. Quid referebat hunc prædicationem inter & superatas tentationes obseruare ordinem? Nunquid prius prædicare poterat, & postea humanarum imperfectionum intendere victoriæ? Nunquid prædicationes illius tam ante quam post victorias illas obtentas suum assequi profectum poterant? Non est dubium quin potuerint. Verum audite illius rationem, ab hoc Doctore allatam: *Vt nobis ostendat, qui ventri suo contradicere potest, qui sæculi huius bona contemnit, qui vanam gloriam non desiderat, ille debet Christi vicarius factus, iustitiam Christi prædicare.*

Poterat equidem Christus tam ante quam post victorias illas, prædicationis exercitio vacare, id tamen ante illas facere noluit, vt per hoc innueret prædicationibus, quod ad pænitentiam prædicandam, & conuertendas ad Deum animas futuri nunquam sint sufficientes, nisi gula, auaritia, & vana gloria prius superatis & deuictis, secus enim discursus & sermones ipsorum nunquam esse poterunt vtiles & fructuosi, certissimumque namq; est frequentique experientia comprobatum, pulpitum eius qui particularibus hisce subiacet vitiis, nullius esse posse vtilitatis. Interesse enim temporalis lucri & vanæ gloriæ prætensio ipsum obliuisci facient salutis animarum illorum quibus prædicat; & dum tanta cum industria ad seipsum & proprium commodum attendit, nihil efficiet pro illis.

3. Obseruat Rupertus Abbas quod dum Christus in templo Hierosolymitano existens, nonnullos sanare vellet infirmos, suam miraculosæ huic curæ non apposuerit manum, nisi prius in sacro illo loco existentes auaros castigasset sacerdotes. Prius dicit S. Matthæus quod *Eyciebat omnes vendentes & ementes in templo*, & postea subiungit: *Accesserunt ad eum cæci & claudi, & sanauit eos.* Videtur potius omnino contrarium debuisse facere, ex quo enim Deus promptior est ad opera pietatis, quam ad vindictam iustitiæ, prius sanare debuisset infirmos, quod pietatis opus erat, & postea sacerdotes castigare negotiatores, quod erat opus Iustitiæ. Qua igitur ratione fit, quod contra solitum suum morem, hac vice fecerit, & modo totaliter inuerso & contrario sese habuerit?

Respondet Venerabilis Abbas: *Non prius cæcos & claudos curauit, quam illos latrocinantes de spelunca eiecit, quia videlicet non vitia curari, nec virtutes possunt illustrari, nisi prius Mammon de cordibus sacerdotum, aut ipsi sacerdotes cum illo Deo suo de templo Dei fuerint eiecti.* Non est dubium, quin promptior sit Deus ad opera misericordiæ, quam ad rigida Iustitiæ facinora, ideo enim ordinarie prius ad illa quam ad ista manum suam solet apponere. In hoc tamen casu facere debebat omnino contrarium illius, quod facere consueuerat, neque enim illos sanare infirmos potuisset, nisi prius ab illorum sacerdotum cordibus inordinatam cupiditatem pepulisset & profligasset denarij. Ad significandum impossibile esse, vt in Ecclesia Dei, animæ à peccatorum suorum morbo curentur, nisi prius sacerdotes & prædicatores, quibus cura isthæc spiritualis incumbit, à maledicto interesse proprio extiterint purgati: Quamdiu enim fuerint auari, ad suam potius attendent vtilitatem & commodũ, quam ad illorum salutem, qui suæ sunt curæ commendati.

Rupert. Ab. in Ios. lib. 1. c. 21.

4. Mittens Christus ad prædicandum per vniuersum mundum septuaginta duos discipulos, hanc illis dedit instructionem: *Neminem per viam salutaueritis.* Ne vobis per- *Lu. 10. v. 4.*

persuadeatis velim, quasi Christus hisce verbis aliquem discipulis inciuilitatis actū persuasisset, prouti in cortice literæ nonnemini prima facie videri facile posset, magnus enim debitæ ciuilitatis defectus est, homines in via obuios non salutare; qui ne in ipsis quidem sanctis decorus esse posset, prouti alia quadam vice diximus. Vnde pro huius loci intelligentia literam relinquere oportet, & propius nonnihil ad sensum & mentem sancti Patris Gregorij accedere, qui vult, eum in via aliquem salutare; *Qui non amore æternæ patriæ, sed præmiorum ambitu salutem audientibus prædicat, quasi in itinere salutat, quia ex occasione, & non ex intentione salutem audientibus exoptat.* Christus Apostolis suis præcipiens, ne in itinere existentes aliquem sibi obuium salutarent, prohibitionem istam inquit sanctus Doctor, non de temporali aut solita intellexit salutis imprecatione sed de animæ salute, quam discipulos in via existentes impertiri prorsus noluit, neque enim conuenit, vt animæ negotia transeunter, obiter, & per transennam vt dicitur, siue per occasionem tractentur, sed in veritate, & cum pondere tanquam res maximi momenti. Monet igitur suos, ne similes sint ijs prædicatoribus, qui cum in suis sermonibus nihil aliud intendunt, quam pecuniarum lucrum, obiter, transeunter, & casualiter hominum procurant salutem; quisquis enim hac sub intentione sermonibus habendis incumbit, nihil proficit. Quamdiu enim Christianus orator curæ animarum à proprio suo interesse gubernatur, incumbit potius propriam procurabit vtilitatem, quam quod alienam curaturus sit salutem.

S. Greg. apud S. Tho. in Cat. ib.

5. Cum Apostoli in mari piscandi occuparentur exercitio, iamque tota se nocte frustra laborando, & ne vel minimum quidem capiendo pisciculum, confecissent, illucescente diluculo apparuit illis Christus, illosque retia à sua in dexteram nauigij ejicere iussit, securos illos reddendo, fore vt pro suo arbitrio tot capturi essent pisces, quot volebant; *Mittite in dexteram nauigij, & inuenietis.* Prout reuera postea accidit, postquam enim Domini obtemperassent monitioni, tot pisces cæperunt, vt rete à mari extrahere ob nimij ponderis impedimentum, minimè valerent. Circa quem scripturæ locum mihi operæ pretium fore videtur, causam accuratius inquirere, cur Apostoli ad sinistram piscando nihil capientes, à dextera tantam cæperint piscium multitudinem?

Ioan. 21. v. 6.

Doctor quidam modernus causam assignat: *Mittendum est rete in dexteram, non in sinistram, sanctam ac puram intentionem spiritualis piscator habeat, si pisces concludere vult sagena sua.* Causa ob quam Apostoli ad manum dexteram piscando, tantam acceperint piscium quantitatem, cum tamen ad sinistram ne vel vnicum quidem piscari potuerint, causa inquam huius est, quia latus sinistrum temporalem significat intentionem, & catholici piscatoris proprium interesse: dexterum autem rectam & simplicem intentionem zeli animarum significat. Quoties igitur prædicator ab omni terrena intentione spoliatus, in actionibus suis Apostolicis, recta sanctaque regitur intentione, cum tali prædicationum suarum rete in mare mundi huius proijcit, quotquot vult animas subito capit Quodsi vero sinistra gubernetur intentione, & veri finis proprij officii sui oblitus, pro temporali lucro prædicauerit, nihil vnquam spiritualis lucri animarum acquiret. Prædicatores namque ad proprium interesse respicientes, potius loculos suos argento, & vanæ gloriæ vento, quam animas Dei gratia adimplere & facere studebunt. Ad dexteram igitur vt piscentur oportet: *Sanctam ac puram intentionem spiritualis piscator habeat.*

Barnab. Itin. lib. cap. 7.

6. Moyses quondam Deum deprecabatur pro Hebræorum gente: vt graue illi condonare peccatum dignaretur, quod in vituli aurei commiserat adoratione Deus autem hunc illi in modum respondit: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* quasi diceret: Noli mihi deinceps ô Moyses molestus esse, sine me quod decreui facere. Sine me ingratos hosce Idololatras castigare; sufficiat tibi, quod hac etiam populi tui internecione facta, nihil vnquam sis perditurus, post-

Exod. 32. v. 10.

quam enim populum istum funditus exstirpauero in locum populi huius, cuius tu nunc primatum obtines te alterius cuiusdam maioris & quoad numerum frequentioris gentis Dominum constitutum: *Faciamque te in gentem magnam.* Quid obsecro Deus per amplas hasce oblationes, & per speciosas istas quas Moysi vltro deferebat promissiones obtinere nitebatur? Posset mihi nonnemo dicere, nihil Deum aliud oblationibus istis quæsiuisse, quam vt animum Moysis redderet quietum, isque Deo populum suum punire volenti hac ratione nequaquam obsisteret, sed potius pro libitu suo in illum animaduertere permitteret.

Non fuit hoc oblationum istarum motiuum, inquit Oleaster, sed vt experiretur, num forte Moyses homo esset proprio affectus & deditus interesse & commodo: *Ducem tentare voluit, vt experiretur, an pro priuato bono sineret commune perire.* Oleast. ibi. quasi diceret: Non ob aliam causam Deus Moysi dixit, vt desineret pro populi illius condonando peccato se vlterius interpellare, fore enim, vt illum præficeret, populo isthoc extincto, genti longe augustiori, & populosiori quam Hebræa fuerat, non inquam ob aliam id causam fecit, quam vt probaret & expereretur num Moyses ad instantiam illam tanta cum vi & efficacia vrgendam, à priuato moueretur interesse, & commodo, nimirum metuens, ne si Deus populum istum occideret, perditurus illud esset, quod super illo obtinebat Dominiũ, aut vero ad id ex pietatis & charitatis vrgeretur motiuo, ne videlicet graue miseris illis imminens accideret damnum. Quod si ex me vlterius quæsieritis, quidnam Deus per hanc Moysis probationem aut tentamen intenderit? Respondeo, voluisse Deum videre, num Moyses ad populum istum gubernandum aptus esset atque idoneus, vtpote quem in multitudinis illius elegerat prælatum & sacerdotem, ad hoc vt tot attenderet animarum saluti; Experiri itaque voluit, num Moyses homo esset priuato interesse & vtilitati deditus, qui pro obtinendo bono priuato, nihil faceret, tametsi in totalem ruinam ageretur bonum commune; hoc enim pacto regimini isti minime futurus fuisset sufficiens. Ille namque prælatus in cuius pectore locum habet boni priuati respectus, nihil vnquam animabus sibi commissis adferet vtilitatis.

7. S. Lucas de Ecclesiæ primitiuæ tractãs virtutibus, rem quandam dicit consideratione dignissimam, prouti notat Petrus Cardinalis Damiani, videlicet: *Multitudinis autem credentium erat Cor vnum & anima vna nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia: Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Iesu Christi Domini.* Actor. 4. v. 32.

Præfatus Doctor verba ista considerans, diuinum quendam super ijs efformat conceptum, & dicit: *Cur vna Materia alteram interpellat, qui captam prosequi & continuare debuerat?* q. d. Quo id fine fit, quod sanctus Lucas qui de vna iam materia loqui inceperat eandem nondum finitam interrumpat, & alteram tractet? Quamobrem is qui loqui iam inceperat de bonorum temporalium contemptu, quem in primitiua Ecclesia cuncti in Christi admirabantur Apostolis, cæptum suum non prosequitur discursũ, sed continuationem eiusdem deserit & sermonem de Apostolorum prædicatione facere incipit, vtpote Materia, ab ea quam præ manibus habebat, satis superque differente? Petr. Damian. opusc. 24. cap. 6.

Et respondet: *Nisi vt patenter ostendat, quia illi duntaxat idonei sunt ad prædicationis officium, qui nullum terrenæ facultatis possident lucrum.* q. d. Quod S. Lucas, qui iam recensere inceperat, qualiter in Christi discipulis tẽpore primitiuæ Ecclesiæ tantus effulserit rerũ temporalium contẽptus, vt in congregatione quadam adeo numerosa ne vel vnus reperiretur, in cuius corde vel minimus priuati interesse superesset locus, abinde immediate post deprædicationum Apostolicarum tractare voluerit efficacia, per hoc suum nequaquam interrupit sermonem, sed potius continuauit, à causa videlicet ad effectum ordinatissimè discurrens, simulque indicare volens causam, ob quam Apostoli tanta cum efficacia virtute & profectu spirituali discurrerent, in solum refundendam esse terrenarum rerum contemptum, vt vel hac ratione omnibus & singulis innotesceret, neminem in lucro salutis animarum aliquem facere posse progressum qui suum inte-

in rerum mundanarum dominio defixerit affectum, siquidem ad animarum lucrum illi duntaxat reperiuntur habiles & idonei, qui suos ad temporale lucrum considerandum non aperiunt oculos.

Isa. 52. v. 9 9. Isaias Propheta de bono vtilique prædicatore loquens, dicere non dubitauit: *Quam pulchri sunt super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem annuntiantis bonum, prædicantis salutem!* Quid obsecro sanctus hic Propheta in eius pedibus, qui officio intendit prædicatoris, pulchri videre potuit, vt adeo illi esse viderentur speciosi? S. Aelredus Abbas S. Bernardi contemporaneus id explicat dicens: *Pulchri sane pedes, quibus nec saltem puluis adhæret, sed velut posita in peluim aqua ab ipso Christo abluuntur.* q. d. Pedes eorū vel ideo pulchros esse æstimauit, quia à quacunque mundati & purificati erant imperfectione terrena, in ijs enim veluti qui ab ipsomet eorum Domino & Saluatore nostro Iesu Christo loti iam essent, atque purgati re vel minimus videri pulniscolus poterat. Imo clarius vult dicere: Quotiescunque prædicatorum pedes, id est affectus eorum, ad quos proprie spectat, animarum æternam acquirere salutem, à rerum mundanarum puluere purgati fuerint & loti, adeo vt nihil quod terrenum & caducum sit, prætendant, & quærant, tunc revera spectabiles sunt & speciosi, idest in officij sui executione strenuè & egregie progrediuntur, magnamque bono communi adferunt vtilitatem: quasi ècontra inferre vellet, eos qui temporali interesse irretiti essent atque obnoxij, pulchritudinem hanc perdidisse, nec quicquam præstare posse, quod fini illi, in quem ipsos Deus in suam elegerat & destinauerat Ecclesiam, vtile esse possit aut proficuum; Nam intentionem eius, qui saluandis præest animabus, nihil adeo impedire potest, quantum rerum mūdanarum & caducarum cum industria singulari quæsitum commodum proprium & interesse.

S. Aelredus serm. 4. in cap. 13. Isa.

Isa. 1. v. 8. 10. Inter alia mala quæ vrbi Ierosolymitanæ vaticinatus est Isaias Propheta, etiam hoc sequens fuit: *Derelinquetur filia Syon sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario.* Cur illam non dicit derelinquendam sicut palatium aliquod constitutum in ciuitate, aut sicut tentorium quod est erectum in campo sed *sicut vmbraculum in vinea, aut sicuti tugurium in cucumerario.* Hugo Cardinalis existimat, hoc loco notari Prælatos interessatos, seu proprio commodo studentes, nec non & cupidos atque auaros sacerdotes, atque ideo hasce Propheta adducit similitudines, extra quas aliæ à proposito nostro multum futuræ fuissent alienæ atque remotæ: Et bene dixit: *Sicut tugurium in cucumerario, quod tamdiu inhabitatur quamdiu ibi sunt fructus. Et sic est de Ecclesia vos ipsi videte.* *Hugo Car. in cap. 1. Thren.*

Quasi diceret: optime fecit Propheta sanctus, alias non adducendo similitudines præterquam vmbraculi & tugurij, quæ inhabitari non solent, nisi dum vites & cucumeres suis onusti sunt fructibus, ad denotādam illorum Prælatorum & Clericorum auaritiam qui faciendis prædicationibus & confessionibus audiendis in tantum incumbunt, suasque administrant Ecclesias, in quantum illarum fruuntur & gaudent fructibus, easdem vero hisce cessantibus omnino deserunt. Porro quemnam tales homines, qui sub ea quam obeunt animarum cura, aliud nihil moliuntur aut respiciunt quam proprium emolumentum, quemnam inquam tales ex suis Ecclesiarum administrationibus in medium proferre poterunt fructum, qui non quærunt illarum salutem sed primitias, decimas, præbendas, aliaque similia terrena lucra? Concludamus igitur, eum cuius munus est atque professio homines à laqueis exsoluere Diaboli, atque in gaudia introducere paradisi, ab omni vacuum esse debere desiderio temporalis interesse siue emolumenti; secus enim si fiat, nihil efficiet. *Si amore tuo id facis, nihil facis.*

(∴)

CON-

CONSIDERATIO III.

Sit tibi sicut Ethnicus.

Peccatum quadam est animæ pestis, cuius contagium omnibus adhæret, qui aliquod cum committente illud commercium habent.

1. QVando tu pro fratris tui emendatione ea omnia perfecte planeq; obseruaueris, quæ tibi in præsenti Euangelio Dominus tuus præcepit, & fratre tuo in peccato suo pertinaciter perseuerante, laborem tuum in vanum adhibueris, oleumque & operam, perdideris, *sit tibi*, subiungit Christus, *tanquam Ethnicus & publicanus*, hoc est, inquit Theophylactus. *Tunc abijciatur, ne malitiæ suæ participes faciat alios.* A mystico corpore Ecclesiæ Dei sanctæ amputetur & detruncetur, atque ad instar membri mortificati & putridi ab aliorum conuersatione procul alijciatur, ne eos qui sani etiamnum sunt, inficiat atque corrumpat. Quo in casu os tuum esse debebit ori diuino simillimum è quo gladius egreditur ex vtraque parte acutus *Ex ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Idem quoque gladius de ore tuo egrediatur oportet, quocum abscindendæ tibi erunt à corpore mystico omnes personæ infectæ, ne contagio suo alios quoque afficiant. Peccatum enim est horrenda quædam animæ pestis, eiusdemque quoddam spirituale contagium, quod omnes illos inficit, qui mutuam cum Deo qui illud commisit, familiaritatem habent, ac necessitudinis vinculum.

Theoph. Hie.

Apoc. 1. v. 16.

S.P. Ioannes Chrysostomus de peccato loquens dicit: *Peccatum à peste nihil differt,* quasi diceret: Est propriè pestis quædam, & contagiosus quidam morbus, qui magna cum facilitate eius inficit animam, qui cum peccatore familiariter conuersatur. *Peccatum à peste nihil differt.*

S. Chrysost. Homil. 15. Hebr.

Idem quoque Seneca, moralis Philosophus dixit, dum diligentiam persuadere nititur, ac prudentiam, qua tales nobis eligamus amicos, qui peccatores & vitiosi minimè existant, *Serpunt enim vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent. Itaque vt quod in pestilentia curandum est, ne corruptis iam corporibus & morbo flagrantibus assideamus quia pericula trahemus, ita & amicorum legendis ingenijs dabimus operam.* Dicit igitur vitia hanc habere proprietatem vt sese de subiecto in subiectum dilatare soleant, & quisquis vitioso appropiat, vitium quoque illius in semetipso plantat. Vnde quoad eam quam cum similibus personis habere possumus consuetudinem, certissimam efficacioremque quam possumus obseruare debemus regulam, secundum quam à pestis nos præseruamur contagio, idest, sollicitam fugam illius qui pestilentia scitur esse obnoxius, haud dubie enim ab eadem quoque peste nos alias inficeremur. *Serpunt enim vitia.*

Seneca de tran. vita

2. Moyses Sodomæ & Gomorrhæ incendium describens, dicit: Deum vna cum vrbibus iam dictis, eodẽ cælesti igne deuastare voluisse omnem circa regionem vicinam: *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo, & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem.* Quod Sodoma & Gomorrha ciuitates nimirum tot plenæ & refertæ abominationibus, cælesti fuerint igne consumptæ, iustum & æquum fuit: Quod autem omnes quoque circumuicinæ regiones, eiusdem fuerint supplicij participes, id summe mirandum est, qua enim ratione illud fuerant graue supplicium promeriti, aut ob quod motiuum, Deus terribilem adeo ignem in ipsos quoque immisit?

Genes. 19. v. 24.

Hugo Cardinalis rationem assignat dicens: *Subuertit omnem circa regionem, quasi mala vicinitate infectam puniuit.* q.d. Deus iuste eodem prorsus incendio quo Sodomam & Gomorrham deflagrari fecit, regiones quoque circumuicinas subuerti voluit, siquidem per mutui commercij viciniam ijsdem quoque commaculati sceleribus erant. Peccatum enim morbus quidem est contagiosus, qui omnes peccatori approximantes cõtaminat & inficit. *Mala vicinitate infectam puniuit.*

Hugo Car. ibid.

3. Causa cur populus Hebræus Ieroboam rege gubernante Dei veri cultum deserendo, Dæmonem adorarit, ab *Isaia* Pro-

pheta cap. 2. Syncere refertur, dum dicit: *Repleta est terra argento & auro, & non est finis thesaurorum eius, & repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius & repleta est terra eius Idolis, opus manuum suarum adorauerunt.* q. d. Eodem prorsus tempore quo terra Israel argento, auro, equis & quadrigis fuit referta, repleta quoque mox fuit Idolis.

Isa. 2. v. 7.

Qualis autem est isthæc consequentia quod cum Iudæa plena sit argento, auro, equis & quadrigis, repleta pariter sit varijs Idolis? Ita tamen accidit, inquit Oleaster, & rationem adducit, quia *Solent vitia & peccata in vrbes & loca simul cum mercibus vehi, quare videmus vrbes, quibus sunt maxima negotia totius vrbis vitijs abundare.* Videte igitur, quomodo verum sit, quod peccatum vere sit pestis, quod ad instar pestis, de loco in locum, vna cum mercibus transportatur, per illorum nempe cōmercium, qui illas transuehunt. Hebræi enim vt exterarum quoque nationum fruerentur diuitijs, conuersari voluerunt cū Idololatris, Dæmonumque cultoribus, vnde ipsi quoque Dæmones adorare cœperunt & facti sunt Idololatræ. Nesciebat Hispania inquit hic Doctor, quid esset gula aut ebrietas, nisi negotiationis occasione, intemperantes Germani suos ingressi fuissent portus. Neque Germani qui propria sua cum vxore contenti honeste antea viuebant, alienas vnquam cognouerant vxores, nisi idipsum ex mutuo cum mercatoribus Hispanis didicissent commercio.

Oleast. ibi.

4. Hugo de S. Victore causam inquirit, ob quam Christus Saluator noster, bina vice è templo ementes & vendentes profligare voluerit, & hanc tandem eius rationem statuit: *Ne ministri altaris attendentes lucra, eorum corrumperentur exemplo.* Optime namque incarnata sapientia sciebat, quam ingens malæ societatis vis esset & efficacia, ad sodales corrumpendos & inficiendos, atque ideo ne sacri illius templi ministri vitio inficerentur auaritiæ, ipsos mox ex auarorum negotiatorum pepulit & profligauit societate. Qua in re perspicuè demonstratur, qualiter verum sit, peccatum vere pestem quandam esse, quæ per solam peccatoris vicinitatem, facillimo negotio vlterius in alios quoque proserpit.

Hugo de S. Victore Miscel. lib. 1. to. 65.

5. Postquam Pilatus animaduertisset, Hebræos Dei filium ex inuidia ad mortem subeundam persequi, eundem liberare decreuit; Memor igitur illius Priuilegij quo populo Iudæorum in Paschali solemnitate captiuum aliquem è carceribus euocare & liberare licebat, Christum vna cum Barrabba homine sceleratissimo populo proposuit, sibi persuadens fore, vt dimisso Barrabba, innocentem à captiuitate & à morte eximerent Christum. Verum omnino contrarium eius, quod sibi persuaserat, accidit; tota enim multitudo illa popularis vna quasi voce respondit, velle se liberari Barrabbam, Christum vero occidi: *Exclamauit autem simul vniuersa turba dicens: Tolle hunc & dimitte nobis Barabbam.* Estque factum istud consideratione dignissimum, ideoque quæro, quæ causa est, quod cum plebs Iudaica adeo esset Christo deuota, optimeque affecta, vt non solum maxima cū attentione & reuerentia eius audiret sermones, verum etiam, ipsum quocunque se locorum reciperet solita esset subsequi, imo ad capienda in ipsius à malignis sacerdotibus defensionem arma, si hi ipsum præsumsissent inuadere prompta semper esset & expedita, quod inquam eadem plebs ipsum nunc non tantum à morte nolit defendere, verum insuper mortem ipsius summa cum instantia & vociferatione sollicitat, & ne vel vnus è tanta multitudine ipsius deprecetur vitam. Quod Pontifices, sacerdotes, scribæ & Pharisæi per rabidam suam inuidiam mortem illius desiderarint, mirum non est, verum quod vna cum istis vniuersa quoque plebs consenserit res est adeo mira, vt vel ipsamet quoque saxa obstupescere faciat.

Lu. 23. v. 18.

Rupertus Abbas causam illius tangit, dicens: *Multi enim ex eis, non per inuidiam clamauerunt, sed multitudinem secuti sunt.* Tantam inimicorū Christi societas vim habuit, vt deuotā Christo plebē adeo corrūpere potuerit, vt quæ antea ad Christum à morte liberandum suū vltro citroque effudisset sanguinem, nunc summo cum impetu & clamoris vehementia, mortē Christi efflagitet, & ne vel vnus in tam ingenti multitudine reperiri potuerit, qui ipsum inter viuos superstitem manere desiderauerit. *Id quod* clarum

Rup. Ab. in Isa. lib. 2. cap. 29.

clarum & euidens est Argumentum, peccatum pestem quandam esse, quæ admirabiliter, & inaduertenter, omnes quotquot cum peccatore familiariter agunt & conuersantur, inficit & perdit, ac ne vel vnum sanum manere permittit: *Exclamauit simul vniuersa turba.*

6. Cum certior factus fuisset Apostolus, certum quendam Christianum Corinthi, adeo esse lubricum, vt propriam suam carnaliter cognosceret nouercam, in hunc modum ad eandem iam dictam scripsit Ecclesiam: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes: ita vt vxorem Patris sui aliquis habeat, & vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.*

1. Cor. 5. v. 1.

Notat S. Pater Ioannes Chrysostomus Apostolum hanc Epistolam scribendo, in tantos erupisse fletus & lachrymas haud secus ac si Corinthus totaliter ab ipsis fuisset fundamentis desolata ac susque deque euersa: *Paulus ingemuit, quasi Ciuitas illa omnis funditus perijsset.* Circa hoc autem quod os illud[a] aureum hoc loco refert, ego quidem ita sentio, videlicet videri mihi, quod tametsi nemo inficiari possit, quin peccatum illud ingens fuerit, valdeque enorme, nihilominus ille Apostoli dolor adeo nequaquam esse debuerit amarus & excessiuus siquidem vitium istud inter tot fideles qui Corinthi commorabantur, vni duntaxat homini adhærebat, cæteris omnibus bonis & virtuosis remanentibus, ex quorum bonitate dolor ipsius merito valde mitigari, ipseque exinde summopere consolationem haurire debuisset. Vnde rationem scire percuperem, ob quam Apostolus vehementer adeo planxerit, haud secus ac si omnes fuissent deperditi, totaque ciuitas in vniuersalem redacta fuisset ruinam; *Quasi ciuitas illa omnis funditus perijsset?*

Chrysost. de vir. & vit. to. 5.

Respondet S. Doctor: *Nec id quidem maxima ratione caret, sciebat enim nisi ille flagitio desisteret, descendentem ordine morbum alios omnes contrectaturum esse* q. d. Merito tantopere sanctus Apostolus indoluit, tametsi enim peccato illo vnicum duntaxat obnoxium esse intellexisset, summum tamen ipsi videbatur imminere periculum, ne nisi promptum atque sollicitum huic malo adhiberetur remedium, tota illa ciuitas breui in eandem præcipitanda esset voraginem optime namque sciebat peccatum morbum quendam esse contagiosum atque leth feram pestem, quæ dum vel semel vnicā duntaxat corripuit animam, paulo post intra breue tempus per omnia serpit, & integram quandam inficit ciuitatem, & sicut ad ciuitatem quandam imo integrum quoddam regnum inficiendum sufficit pestem vel vni soli adhærere, ita inficiendam per extraordinarium quoddam peccatum integram Rempublicam sufficit, vel vnum duntaxat in ea reperiri qui idem committat.

7. S. P. Theophilus Patriarcha Antiochenus vult, feras in prima sui creatione nequaquam nociuas fuisse aut damnosas, sicuti nunc sunt communiter: *Nec tamen feræ à rerum primordio noxiæ, & exitiales creatæ sunt nam nihil noxium ab initio à Deo creatum est.* Vnde operæ pretium mihi videretur, causam inquirere, ob quam cum feræ à Deo creatæ fuerint cicures, mites & mansuetæ, postea adeo factæ sint damnosæ atque nociuæ. Vnde igitur leoni accidit vindicta, voracitas lupo, serpenti venenum, dolus & duplicitas vulpi, alijsque animalibus tot aliæ imperfectiones, si dum à Deo fuere creatæ, nullum horum habuerint defectiuum?

S. Theop. Antioch. ab Auto lib. 2.

Respondet igitur S. Patriarcha feras ista hæc animalia à prima sui conditione adeo degenerasse, eo quod Adam in terram introduxerit peccatum: *Hominis delictum conditionem creaturarum deteriorem reddidit. Vbi primum homo legem Dei transgressus est, etiam reliqua prauaricata sunt, & degenerauerunt.* An non igitur bene dixi, quando peccatum pestem esse pronuntiaui? Pestis est adeo truculenta & horrenda, quæ non solos inficit homines, sed ipsasmet quoque feras bestias. Vix peccatum in terra locum obtinuit, quando velut lethiferum & irremediabile quoddam contagium, post infectam vniuersi generis humani progeniem, ibi non stetit, sed insuper ipsas quoque inuasit bestias, quæ in eadem cum homine domo morabantur in qua deterrima pestis illa serpebat: *Vbi primum homo legem Dei transgressus est etiam reliqua prauaricata sunt.*

8. Moyses Geneseos c. 7. v. 20. de vniuersali

sali diluuio agens, dicit, eousque aquas excreuisse diluuij, vt quindecim cubitis montium omnium cacumina superaret; *Quindecim cubitis altior fuit aqua super omnes montes quos operuerat.* Circa quem locum humana se cohibere nequit curiositas, quin rationem inuestiget, ob quam Aqua tot cubitis omnia transcendere debuerit montium cacumina? Quodsi enim ad hominum castiganda peccata deputata fuit, sufficere potuisset illa Aquæ altitudo quæ montium culminibus fuisset adæquata, ne vllus sceleratorum illorum imminens sibi euaderet periculum. Eccur igitur tot cubitis montes superexcessit?

Respondet Petrus Comestor, dicendo: *Super montes excreuit Aqua altior cubitis quindecim vt ablueret sordes atris, vsqueque ascenderant opera hominum; vsque ad eundem locum ascendet ignis Iudicij ob aeris purgationem.* Necessum fuit, vt Aquæ diluuij altitudine tanta omnes superexcederet montes; Neque enim Deus tunc aquis illis solum castigare conabatur homines, verum etiam aërem purgare nitebatur qui peccatis hominum valde enormiter erat intoxicatus, ob quem eundem finem ignis quoque vniuersalis iudicij ad eosdem vsque terminos sese extollet. Hinc igitur velim consideretis & noteris, quam sit ad inficiendas animas malignum peccati contagium, quod non feras duntaxat bestias, verum ipsum quoque aërem aliasque creaturas sensus omnis expertes, quibuscum nullam protsus habet analogiam, inficit & inuadit. Dicam adhuc aliud quidpiam illo amplius.

Mag. Histor. schol. ibi. c. 34.

9. Deus causam aperire volens, ob quā suum olim deseruerat templum, ita capite 22. Ezechielis loquebatur: *Sacerdotes eius contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & prophanum non habuerunt distantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt, & à sabbathis meis auerterunt oculos suos, & coinquinabar in medio eorum.*

Ezech. 22. v. 26.

S. P. Bernardinus de Senis ad vltima huius textus verba attendens: *Coinquinabar in medio eorum*, insolito quodam stupore commotus sic inquit: *Admirabile verbum & omni stupore dignum.* Et vere admirabile verbum est istud, Quomodo enim Deus periculum esse dicit, ne si cum hominibus peccatoribus commoretur ijsdem quoque quibus ipsi inficiatur peccatis, si sol in lutum descendens, in eoque manens non sordidetur aut patiatur contagium? si aurum in fimeto absconditum non contrahat æruginē? si venustas non contaminetur deformitati composita? Qua ratione possibile est vt Deus in peccatorum societate constitutus contaminetur? Nunquid Deus natura sua impeccabilis est & incontaminabilis, à cuius gloriosa facie fugit, auolat, seque subducit omnis impuritas, quomodo igitur cum peccatoribus conuersando defœdari & ipsomet ipsorum luto contaminari valebit?

S. Bern. de Senis serm. do socie. bona & mala cap. 1. circa nem.

S Bernardinus ad id diuine respondet: *Coinquinabar*, inquit, *non quod vlla inquinationis via sit inquinamentis ad ipsum Deum, sed quoniam se abstulit ab eis, ac separauerit, ac longe fecit, quemadmodum facere consueuerunt coinquinari timentes.* Et paulo infra: *Vide igitur quanti periculi sit malorum consortium, vt ipse Deus quodammodo coinquinari pertimescat à sordibus impiorum.* Vult dicere quando Deus dicit hominum peccatorum societatem se velle deserere, ne inter homines commorando hominum quoque vitijs polluatur, non velit per hoc innuere quasi Deus vere ab hominibus contaminari possit, cum id sit impossibile, verum hoc loquendi modo vti voluit, vt innueret, quod homo quātacunq; præditus sit sanctitate & vitæ perfectione, imo licet per gratiam Deus quidā esse videatur, quamdiu tamen peccatores inter vivit nequaquā sibi confidere debeat, se ita inde egressurum, quo modo intrauit, cum in perpetuo semper periculo versetur, ne eadem pice contaminetur, quacum defœdati sunt quibuscum conuersatur. Peccatum enim morbus quidam est adeo lethifer & malignus, ac naturæ adeo contagiosæ, vt qualiscunque perfecti, sancti & diuini hominis animam admirabili cum subtilitate inficiat, priusquam id persentiscat aut aduertat, modo peccatori committenti vicinus existat: *Vt Deus quodammodo coinquinari pertimescat.*

Vnde animarum nostrarum Medicus optime dicit, quod si in nostra societate homo qui-

quidam repetiatur peccator, qui ad correctiones nostras se surdum, atque ad Sanctæ matris Ecclesiæ monita obstinatum se exhibeat & pertinacem, eundem ob imminens periculum ne eiusdem pestis corripiamur contagio, è nostro eijciamus & profligemus consortio. *Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

SERMO XXII.

In Feriam. IV. Dominicæ III. Quadragesimæ.

Accesserunt ad IESVM ab Ierosolymis Scribæ & Pharisæi.

Matth. 15.

PLutarchus in Ægide fingit, quod dum cauda aliquando vidisset caput semper reliqua corporis membra anteire, totiusque corporis sese mouentis ducem esse, adeo diuturnum illius imperium fastidiens, aliquam cum illo in regiminis alternatione & vicissitudine partem habere prætenderit, ideoque hæc secum consilia agitauerit, dicendo: Itane? Ergo me honor iste & præeminentia nunquam continget? Egone inter posteriores semper ero? Aliena igitur semper cogar legere & subsequi vestigia? Semper cauda, nunquam caput ero? Cumque quærelæ istæ inhumani corporis Republica increbuissent, iustæ valdeq; visæ sunt rationabiles; vnde in quodam super hac difficultate congregato concilio, concordibus votis decretum fuit, præeminentiam istam ipsi quoque caudæ deferendam esse, id quod reapse ita tandem accidit, capite interea hanc caudæ delatam præeminentiam patienter dissimulante. Enimuero qua ratione ob insolitam valdeque insolentem cæcæ caudæ præcedentiam infœlix corpus progredi potuerit, facile est iudicare, Haud dubie enim vel in profundam foueam vel in ingens quoddam ductum ab illa fuit præcipitium, vnde liberari nunquam potuerit.

Simili quoque ratione de miserrima vrbe Hierosolymitana discurrere oportet, quoadusque sub infami erat cœcorum scribarum gubernio (sic enim ab animarum nostrarum Saluatore in præsenti sunt Euangelio appellati: *Cœci sunt, & duces cœcorum.* A tribus nimirum vitijs & defectibus excœcati. Primo nimirum ab humana passione, quam prodiderunt dum se Christi Domini nostri, suorumque Apostolorum immani odio imbutos esse ostenderunt. Hac autem passione excæcati eosdē ijs in rebus in quibus laudem commerebantur, supplicio dignos esse indicabant. Secundo à diuinarum legum ignorantia, quarum obseruantiam, ob vanas suas traditiones, nihili faciebant. Vltimo deniq; ab auaritia, vt enim consuetis in templo gauderent oblationibus, filios erudiebant. vt egenos parentes suis sinerent immori & succumbere necessitatibus. Quid mirum igitur miseram Ierosolymam perpetuæ cuidam ruinæ fuisse expositam, quamdiu cœcæ caudæ gubernationi subiecta fuit. Imo eidem cum Ierosolymis miseriæ subiacet ciuitas quæcunque aut quoduis regnum si prædictæ cæcitates in earum rectoribus habuerint locum, necessum enim est vt in extremam sui adigantur ruinam, prout iam perspicue videbimus.

CONSIDERATIO I.

Accesserunt ad IESVM ab Hierosolymis Scribæ.

Rector passionatus maximus est Reipublicæ alicuius inimicus.

QVodsi aliquis Ierosolymitanos Officiarios & rectores à sua vrbe versus Galilææ regnum ad conferendum cum incarnata Christi sapientia abeuntes videns, iudicasset eosdem Christum eo fine conuenire, vt aliquid ab eo discant, aut sanum aliquod ab eo capiant consilium, aut alterius cuiuspiã iusti, rationabilis, & honesti negotij causa talis vtiq; in tali suo iudicio grauiter errasset. Nam vt Iansenius dicit, non ad discendum, sed ad calumniandum Christum accedunt: *Veniunt non vt discant, sed vt calumnientur eum.* Cum enim optime sibi perspecta haberent ea, quæ Christus Dominus noster in regione illa recenter fecerat miracula, iniuste ex eo quod discipulos suos viderent panem non lotis manibus manducantes; tantam Domini nostri gloriam obscurare contendebant, ab eoq; tam procul abibant & recedebant, hoc enim in facto sese passionatos, odio implacabili imbutos & malignos homines esse prodiderunt. Cum igitur nos Hierosolymam ab eiusmodi superioribus gubernatam esse conspiciamus, consequenter illam omnino perditam existimare debemus, vtpote in maximorum inimicorũ suorum manibus constitutam. Respublica enim aut ciuitas, vel regnum quoddam maiorem habere nequit inimicum quam si à Rectore passionato gubernetur. Ianson. hic.

1. Cum reuersi essent filij Iacob ex Ægypto, eo quod in Ægypto comparauerant frumento onusti, Patri suo seriatim exposuere, qualiter regni illius Præses ipsos non mercatores, quales se esse dixerant, sed exploratores esse credens coniecisset in carcerem, demũ vero post multas quæstiones quibus illos exagitauerat, audiens ipsos fratrẽ suum Beniamin natu minimũ domi reliquisse, mox iisdẽ à vinculis absolutis præcepit, vt quo ab hac se suspicione purgarent in patriã suam se recipientes inde fratrẽ suum natu minimũ ad se adducerent. Post tempus aliquod elapsum hora promissi in Ægyptũ reditus paulatim approximantes simul omnes communi consensu Patriarchã conuenerunt, eundẽ enixe rogantes, vt Beniaminum fratrẽ suum ipsis instantis itineris adiungeret sociũ, prouti à Domino terræ Ægypti in mandatis acceperant, eidemq; syncera fide promiserãt. S. autẽ ille Seniculus, in hunc dilecti filij sui abitũ, atq; à se faciendã separationẽ nequaquam conscendere valẽs, iisdẽ hunc in modũ respondit: *In meam fecistis miseriã vt indicaretis ei, & alium habere vos fratrem.* q. d. Nequaquã conueniebat vobis, vt isti viro indicaretis, alium vobis fratrẽ domi adhuc reliquũ esse; vnde minime dubito, quin idipsum eo duntaxat fine dixeritis, vt nimirũ me solito magis videretis afflictũ & angustiatũ. Ergone nec nunc quidẽ contenti estis, quod per vestram inuidiam charissimo filio meo Ioseph sim destitutus, verũ insuper vt Beniamin vnicum delitium meum disperdatur contenditis, miserumque Patrem vestrum vtroque veluti lumine orbatũ in perpetuis tenebris hærere vultis? Genes. 43. v. 6.

Quisquis hasce S. Patriarchæ attenderit, quærelas intermittere nequibit, quin filiorum suorũ sese præbeat aduocatũ & defensorẽ, vtpote qui ab illa culpa cuius arguebantur, puri omnino erant atque innocentes. Quam enim committere culpã poterant dicendo, à se domi suæ adhuc alũ quendam fratrũ suorum esse relictum, cum Moyses expresse referat, ipsos hoc dicere coactos fuisse, non vt quicquã Patri suo damni accerserent, sed vt propositis sibi ab Ægypti Prorege interrogationibus responderent, nec non vt demonstrarent, se nequaquã eo fine, vt arcana Regni negotia explorarẽt, sed pro particularibus domus paternæ negotijs expediendis in Ægyptum venisse? Quamobrem igitur Iacob Patriarcha filios suos in facto aliquo arguere volui, in quo vtpote innocentes, omni prorsus culpa carebant?

Oleaster in hunc locũ dicit: *Memento hic aduertere quam cæcus sit amor, vt culpet eos qui omnino inculpabiles sunt.* Quia enim Iacob Beniaminũ suum nimiũ amabat, adeo vt ne ad vnum quidẽ momentũ sese ab eo pateretur auelli, ideo contra eos qui talẽ separationẽ forte fortuito & absq; culpa moliti fuerant, Oleast. ib.

menter irascitur, indignatur, alteratur, atque ab amoris passione excœcatur, culpabiles & peccatores æstimat, tametsi reapse puri essent & innocentes. Ordinaria năq; hominis passionati, vtpote cœci & rationis lumine orbati, proprietas est, nullā eius quod iustum est, & secundum rectam rationem conuenit, habere rationem.

Cum igitur Respublica aliqua tali est commēdata, qui passione excœcatus, veluti cœc* nullum æqui bonique habere respectū nouit, atque culpabiles vt vere culpabiles & reos, innocentes vero vti reuera tales æstimare nescit, sed potius contrariū omnino facit adeo vt sceleratos veneretur & persequatur bonos, scelera foueat, extirpet autem virtutes, videturne vobis Rempublicā talē maiorē expectare posse ruinā, quā quod tali subesse cogatur regimini? Quisnā simili rectore maior esse potest inimicus, qui à Passione excœcatus, culpat eos, qui omnino inculpabiles sunt?

2. Tres Orientis Reges Hierosolymorū, vrbē vix fuerāt ingressi, & veri naturalisq; Iudæorū Regis natiuitatē publicauerant, cum ecce nuntium istud in Palatio auribus Herodis Regis subito innotuit, qui referente S. Matthæo inde mox turbatus est, & omnis Ierosolyma cū illo: *Herodes Rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.* Porro tametsi hic Matth.2. v.3. scripturæ locus, frequenter à nobis in diuersis occasionibus fuerit pōderatus, attamen quia magna sunt, quæ in se recludit mysteria, quotiescunq; illū nostræ considerationi de nouo subijcimus; nouos quoq; in eodē inuenimus sensus atq; conceptus. Obseruādū igitur est circa hūc locū, primo in eo turbari Herodem, & postea ciuitatē. Prius dicitur: *Herodes Rex turbatus est.* Et postea subiungitur: *Et omnis Ierosolyma cum illo.* Idque ad significandū, quod Regis turbatio, causa sit & origo turbatiōis Ciuitatis. Et quod si Rex nequaquā perturbatus fuisset, Ierosolymam quoque nunquā fuisse perturbandam. Quasi voluisset dicere: Cū Herodes verus & legitimus Regnorū illorū Rex nequaquā esset, mox vt natū esse verū & naturalē Iudæorum Regem intellexit, eripiendum sibi ab eodē hactenus inique vsurpatū regium diadema mox metuere cæpit, ideoque alteratus est, mentisque tranquillitate amissa passionatus, menteque cœcus factus est. Hoc totum per hoc innuitur, dū dicitur: *Turbatus est.* Porro turbato iam hac ratione Rege, mox tota turbari ciuitas, hoc est, cōmoueri, confundi, inquietari susque deque verti, atque perturbati & furibundis ventis agitati maris speciem referre cæpit. *Et omnis Ierosolyma cū illo.* Atque hoc ipsum idemmet verbum *Turbari* significat.

Ad significandū quod mox vt Rectorum aliquis suarum fit præda passionum, & veluti cœcus conturbatur, eoque quod ad bonū regimen quam maxime requiritur, recto videlicet iudicio destitutum, ipsæ quoque eiusmodi Rectoribus subditæ respublicæ. Regna & ciuitates similiter à maximo ad minimum vsque conturbantur, suāque perdunt tranquillitatem & pacē, haud secus ac si suum intra mœnia incolis suis admixtum hostem haberent. Cui & quam exitiali ruinæ misera Ierosolymorū ciuitas, eo præsertim tempore, quo rabidi & passionati Herodis Regis moderationi suberat, obnoxia fuerit, de hoc vtpote cuius sua nihil intererat, sanctus Euangelista, nihil equidem meminit. Veruntamen illam ex magna illa, quæ in Bethlehem ciuitate ipsi subdita, excitata fuit, commotione, facile conijcere potestis, vbi tot innocentium Infantum millia trucidari fecit, id quod à maximis gentis illius inimicis vtique factum non fuisset, tametsi vrbem illam vi armorum suo subiugassent imperio, licet enim in eiusmodi occasionibus hi gladio adultiores conficere soleant, tenerorum tamen Infantum vitæ communiter parcunt.

3. David Propheta de tranquillitate & pace quo ciuitas sanctæ Ecclesiæ gauisura erat loquens, magnæ illius pacis rationem assignat dicēs: *Deus in medio eius non cōmouebitur.* q. d. Ideo magna hæc ciuitas nunquam commouebitur aut perturbabitur, quia Deus in medio illius commorari non est dedignatus. Hoc sensu verba prædicta prædicta Magnus exponit Basilius: *Quoniā Deus in medio sua ciuitatis est, eā stabilitate donauit.* Ps.45.v.6. S.Basil.ib.

Enimuero haud abs re erit inuestigare causam, cur ad conseruandam Ecclesiæ sanctæ ciuitatem in statu tranquillo & pacifico, opus sit, vt diuina præsentia non obiuis sed præcise in medio cōsistat: *In medio eius.* Quid

Quid si Deus in quodam sanctæ illius ciuitatis angulo, aut in alio quouis loco à medio procul distante consisteret, nunquid non minus mansura esset quieta atque pacifica, quam foret, si in centro illius siue medio commoraretur? Minimè gentium, idque non ideo, quasi Deus pacem illius alio modo conseruare non possit, sed quia Deus hoc loco, iuxta prophetæ huius mentem, bonum valdeque proficuum & vtilem repræsentat Principem, qui ad hoc vt Regna sua in tranquillo & pacifico statu conseruet, opus habet, vt in eorundem media ijs assistat, à quo si nonnunquam recesserit, pristina mox interibit tranquillitas, totusque regnorum status inde conturbabitur & commouebitur.

Melius idipsum ex pulcherrima quadam similitudine intelligetis, quam Calanus Indiarum Philosophus Alexandro Magno eo fine proposuit, vt per eam illi bonum quoddã suggereret documentum, secundũ quod sua deinceps regna moderaretur. Hic igitur Philosophus crudam quandam & siccam pellem bouinam coram Alexandro poni & extendi fecit, eidemque ostendit quod quotiescunque nunc hanc nunc aliam pellis illius extremitatem pede suo premeret, partes contrariæ siue extremitatibus illis è diametro oppositæ, ad eiusmodi cõpressionem continuo sese in altum semper erigerent; econtra vero dum medium pellis illius calcaret, omnes eiusdem extremitates seu partes in tam integra quiete remanerent, vt ne vna quidem omnium partium loco se moueret. Plutarchus qui factum istud recenset, simul etiam explicat, quid Calanus per hoc Alexandro innuere voluerit, dicens: *Ea imagine significauit, media regni maximè premenda, neque procul ab ijs vagandum Alexandro esse* q. d. Alexandro per symbolũ istud significare voluit, quod ad conseruandũ & gubernandum regna sua in pace, opus illi esset, vt in eorundẽ medio illis semper assisteret. Secus enim si fecerit, pedẽque suũ alio fixerit, futurum fore, vt loca illa à quibus recesserit, contra illum sese erigãt, solitamq; suam amittant tranquillitatẽ.

Plutarch. in Alexdro.

Dicere volebat, quod quoadusq; mundi huius Reges in sua gubernatione in subditorum suorũ se continuerint medio, hoc est, aqualiter & puro cum affectu erga omnes sese exhibuerint, absq; vllius vsu partialitatis & personarum acceptione, tamdiu Regna eorũ admirabili fruitura sint tranquillitate & pace: Quod si autem suarũ se passionum impetui subijcientes, in hanc partem inclinauerint, & ab altera recesserint, vnam amore, alteram odio prosecuti fuerint, mox sua aduersus ipsos regna se erigent, eosdemq; in extremũ præcipitabunt exitium. Insolentis enim & temerarij euadent ij quos fauore cõplectitur: inuidi autem fient & impatientes quos prosequitur odio, adeoque in diuersas & contrarias subditi sui factiones abibunt. Atque hac ratione tandem, licet serius, cõspiciens, se passionibus suis mediantibus status suos in totalem redegisse ruinam & perditionem. Quod si igitur prospere & fæliciter gubernare volunt, opus erit, vt in medio sese contineant, vt Deũ imitentur, qui in Ecclesiæ suæ regimine à medio nunquam recedit, Dauid dicente: *Deus in medio eius nõ commouebitur*: denique vt ab humanis sese expurgent passionibus, secus enim nõ erunt superiores, qui subditos suos gubernent, sed inimici potius, qui in perpetuam subditos suos redacturi sunt ruinam.

Idipsum Romanæ Eloquentiæ lumẽ Marcus Tullius dicere voluit, quando de passionatis vrbis Atheniensis & Romanæ rectoribus qui famosas illas ciuitates passionibus suis in tale coniecerunt præcipitium, vnde nunquam eximendi erant, loquens dicebat: *Quia autem parti ciuium consulunt rem perniciosissimam in Ciuitatem inducunt, seditionẽ atq; discordiam. Hinc apud Athenienses magna discordia orta, in nostra Republica non solum seditiones, sed pestifera etiam bella ciuilia.* *Cicero lib. 1. de offic.*

4. Obseruatione dignum est, quod Christus post Resurrectionem suam, pacem discipulis suos elargiturus, cænaculum in quo simul congregati erant, ingressus, sese in eorundem statuerit medios prout S. Lucas refert: *Stetit IESVS in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis.* Cur obsecro Cælorum Dominus ibidem cum discipulis suis acturus in eorundẽ sese collocare voluit medio, cur nõ in capite, aut in alio quopiam honorificẽtiori loco sese statuere voluit, vtpote qui nõ diuinæ duntaxat personæ suæ, verum etiam glorioso statui suo, in quo tunc erat, maxi- *Luc. 24. v. 36.*

me

me conueniebat? Tametsi enim paulo ante inter ipsos tanta cum humilitate cum ipsis conuersatus sit, sicut vnus ex ipsis: Modo tamen in statu immortalitatis & visibiliter gloriosus existens, minime illi conuenire videtur vt veluti cæteris hominibus similis in discipulorum medio se statuat, sed potius ad partem sese recipere aut à capite ipsorum digniori videlicet loco se collocare debebat.

Hugo Cardinalis hunc locum considerãs, dicit, Christũ per hanc actionem magnum quoddã dare voluisse Ecclesiæ suæ Prælatis argumentũ, è quo nimirũ perdiscerent, qua ratione commissas sibi oues in pace conseruare possent: *Si enim Prælatus sic est in medio, non murmurant subditi, sed sunt in pace. aliter autem murmurant.* q. d. Tametsi Christus cũ Apostolis suis post Resurrectionem suã conuersatus in honorificentiori, suæq; personæ gloriosæ magis proportionato loco se collocare merito debuisset, nihilominus quia pro tũc in corpus huius suæ familiæ mysticũ pacẽ intendebat introducere, opus erat, vt in ipsorũ se collocaret medio. *In medio eorũ.* Vt hac ratione cuius Prælato alijsq; rectoribus innueret, quod si inter subditos suos pacẽ conseruare, eorundẽque quieti consulere intẽderent, in ipsorũ semper medio sese constituerẽt, hoc est, omnes semper æqualiter æstimarent, amarẽt, gubernarent: Nõ ad hos propenderẽt, ab alijs discederent, aut vnũ excessiuus amãdo alios odissent. Quodsi enim vel semel hisce passionibus locũ darẽt seque partiales facerẽt, futurũ haud dubie, vt ciuiles in principatu suo motus excitarẽt, atque prædominantibus passionibus fuiseffi cerent, vt cũ veri sint subditorum suorum superiores, & Domini veri sui ab ijsdem reputarentur inimici.

HugoCard in ps. 81.

5. Doctor quidam modernus Medicinæ professor (cui post Deum debeo, quicquid in hoc mundo possideo) acutè considerat, quod Diuina Maiestas virile corpus formatura, idem non minus mammilis decorauerit quam corpus muliebre, ideoque quærit, Quid viris, opus est mãmilis, quod sine illis, Deus horũ corpus formare noluit? Quodsi nullus alius est vberum vsus præterquã nutrire & lactare infantes, quod ad solas spectat mulieres, viris autem nequaquam conuenit, cur igitur viri ad instar fæminarum vbera habent? Tandem rationem à Galeno allatam prætermittens, qui vult virum ideo vberibus à Deo donatum fuisse, vt hæc cordis propugnacula sint & munitiones, respõdit: *Cum necesse fuerit in fæminis mammas ac papillas generari: hoc autem similitudinis ratio postulabat, vt easdem quoque in maribus efficeret, nullo licet vsu proposito.* q. d. Ex quo Deus pro congruo Infantum nutrimento papillas mulieribus dare decreuerat, hinc vt similitudinem & æqualitatem virum inter & mulierem conseruaret, easdem quoque viro dare decreuit, tametsi hic illis non æque vt mulier indigeret. Deus enim tantus est partialitatis inimicus, adeoque ad æqualitatẽ propensus, vt cum mulieribus instrumenta pro filijs nutriendis contulisset, eadem quoque viris denegare noluerit, tametsi hi illis minimè indigerent. Nisi enim vir æque ac mulier vbera accepisset, conqueri aduersus Deum vir potuisset, veluti partialem, vtpote qui cum muliebre pectus pro cordis defensione duobus communiuisset propugnaculis, suum prorsus reliquisset inerme, omnique munitione destitutum, vnde maritus aduersus mulierem inuidia exardescere, atque inter vtrumque odia atque tumores subnasci potuissent: Quibus omnibus auertendis Deus sapientissimè prouidit, dum nullam in virilis corporis formatione exhibuit dissimilitudinem, aut differentiam. Rectorum namq; partialitas, ingẽs est inter subditos grauissimorũ damnorum occasio.

Fortunatus Fidelis Contempl. Medic. lib. 3. c. 5.

6. Moyses particulares fauores, quos Deus Abrahæ seruo suo exhibere dignatus est, recensens inter alios quorum meminit, vnũ adfert, qui proposito nostro appriime inseruit, dicens: *Dixitq; Deus ad Abraham postquam diuisus est ab eo Loth: leua oculos tuos, & vide à loco in quo nunc es, ad Aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem, omnem terrã quam conspicis, dabo tibi & semini tuo vsque in sempiternum.*

Genes. 15. v. 14.

Oleaster argute hic considerat, Deum opulentã hanc donationẽ Abrahæ nequaquã præstare voluisse, nisi postquã à Loth sequestratus fuisset, ideoque Deũ interrogat: Cur ô Domine Diuina Maiestas tua hæc dona Abrahæ dare nequaquã voluit, quamdiu in Lothi erat societate coniunctus, sed illum

lum ab hoc prius sequesteratum esse iussisti; *Postquā diuisus est ab eo Loth?* Fortasse in præsentia illius idipsum quod Abrahæ donare statueras, dare non poteras, æque ac dum ab illo separatus esset? Id quod dici non potest, dum enim quis id solum donat, quod vere suum est, id tam dare potest occulte, quam in totius mundi conspectu atque præsentia. Siquidem liberalitatem illius nemo valet impedire, nec talis donator vlli aliorum rationibus reddendis est obnoxius. Cur igitur Deus ita facit? Et respondet: *Quia enim viderat Dominus Cain ex inuidia fraterna gratia fratrem occidisse, ad promittendum terram Abrahe, expectauit consobrini separationem.* Oleast. ibi.

Indubitatum est Deum Abrahæ pro suo beneplacito dare potuisse, quod volebat, etiam vniuersum mundum, quantus quantus est, idque tam præsente Loth, quam eodem absente cum enim hoc daret quod suum est, nulli erat reddendis rationibus obnoxius. Nihilominus donare distulit, donec à Loth consobrino suo recessisset, ne partialem se esse demonstraret; præuidebat enim, quod sicut quondam dum Caino præsente publice ostenderet se beneuolo affectu Abelum fratrem suum prosequi, occasionem dedit, vt inuidus Cain tanti boni conspectum sustinere non valens, tanta rabie incandesceret, vt quiescere neutiquam potuerit, donec innocentem & Deo charum fratrem suum crudeliter peremisset; ita quoque similis casus accidere posset Abrahæ, si illum in consobrini sui conspectu diuino suo honoraret fauore. Dum igitur suū statuisset locupletare seruum, ne simile accideret inconueniens, id eousque facere distulit, donec ab eodem esset diuisus: *Postquam diuisus est ab eo Loth.*

Ex quo Oleaster magnum quoddam pro superioribus elicit documentum, & dicit: *Quam oculati esse debent Domini distribuendis bonis, aut ostendendis fauoribus: ne scilicet ex hoc alios ad inuidiam prouocent.* Imitandum est cunctis superioribus istud exemplum, quoties se erga subditorum suorum aliquem particulariter exhibere volunt benignum suamque in tali casu prudenter apertisque oculis moderari beneuolentiam, ne videlicet eandem alij quoque in conciuibus suis notent, atque hoc pacto irritentur ad inuidiam, indeque irremediabilia damna nascantur. Continuo nāmque videtur, quod ex particularibus superiorum passionibus & affectionibus nil nisi æmulationes, odia, inimicitiæ, persecutiones & homicidia seminari, optimi regiminis tranquillitas confundi, ciuiliumque reuolutionum occasiones excitari soleant.

7. Super illum libri tertij Regum locum, in quo Salomon ad iustificandum suum iudicium, quo Ioabum mortis condemnauerat, homicidia illa adducebat in medium, quibus vir ille crudelis Abner & Amasa viros bonos & innocentes citra vllam sibi datam occasionem trucidauerat *Quia interfecit duos viros iustos, melioresque se, & occidit eos gladio, patre meo Dauid ignorante, Abner filium Ner, Principem militia Israel & Amasam filium Iether, principem exercitus Iuda.* Super hunc inquam locum Tostatus obseruat subtiliter, Salomonem Regem, vt efficacius Ioabi scelus aggrauaret, eumque morte dignissimum ostenderet, tertium illi exprobrare potuisse homicidium siquidem idemmet Ioab Absalon quoque occiderat. Licet enim is, dum occidebatur, rebellis erat & perduellis. Optimi Patris sui persecutor, quia tamen hisce criminibus non obstantibus, Dauid expresse vetuerat ipsum occidi, vtique contra expressum Regis ordinem ipsum occidendo, iniuste illum occidit. Abulensis itaque videns Salomonem nullam prorsus homicidij istius facere mentionem, curiose inquirit, quamobrem sapientissimus ille Rex, vt toti mundo suam notificaret iustitiam, Ioabi vero magis aggrauaret iniquitatem, nullam prorsus occisi Absalonis fecit mentionem, sed solum Abner & Amasa occisos adduxit? 3 Regum 2 v. 32.

Et respondet: *Non expressit Absalon, quia Salomon volebat ostendere se procedere ex zelo Iustitia: Si tamen Ioab occidisse Absalon dixisset, videretur procedere ex zelo vindicta, cum Absalon esset frater Salomonis.* Tostat. qu. 40. ibid.

Sapientissimus hic Rex, vtpote cui optime perspectum erat, quam ingens in regimine suo Rector damnum adferat, qui in Iustitiæ administratione à propriæ passionis appetitibus seduci se permittit, qua veluti excæcatus, neque ad id quod iustum & æquum est attendere valens, in centum præcipitari

cipitari errores, millenasque committere iniurias soleat, hic inquam ne bonæ suæ gubernationi aliquam infamiæ labem aspergat, seque passione aliqua vindictæ obnoxium esse manifestè ostendat, nullam mortis fratris sui Absalonis mentionem facere voluit: *Ne videretur procedere ex zelo vindicta.*

8. Dauid Rex dum de mansuetudine, qua versus inimicos suos vtebatur, loqueretur, dicebat: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis* q. d. Quodsi vnquam reddidero malum pro malo, si vnquam inimicorum meorum me persecutorem exhibuero, faxit Deus, vt vita mea dispereat, & in puluerem, imo in nihilum redigatur gloria mea. Gilbertus Genebrardus dicit, non nullos per illa verba. *Gloriam meam, intelligere Regij fastigij spem*, spem scilicet qua se Hebræi populi Regem futurum confidebat. Iuxta quem sensum dicere volebat: Quodsi vnquam aduersus inimicos meos iratus aut indignatus fuero, dãnũque aut iniuriam illatam reddidero, nequaquam permittat Deus vt prætensionem mente mea à me conceptam adipiscar, neq; regium populi sui diadema à Deo mihi alias promissum assequar.

Ps. 7. v. 5.

Genebr. ib.

Verum enimuero quam ob rem Dauid supposito aliquem in se latere vindictæ de inimicis sumendæ appetitum, nolebat, vt ad populi eueheretur principatum? Alia huius nequit esse ratio, nisi quia ipse in tali casu non Princeps aut Pastor, sed Tyrannus & populi sui futurus fuisset inimicus. Optime namque sciebat Regem in cuius pectore vindicta aut alia quæuis humana passio prædominatur, Regno alicui bene gubernando minime fore idoneum, sed potius regnum eius opprimendum, deuastandum, & in ruinam agendum fore.

9. Iupiter Athenarum Rex (qui ob excellens status sui regimen, non solum Deus à suis æstimatus fuit, verum insuper Parens Deorum, vti Poëtæ fingunt) hic inquam referente Lactantio Firmiano, montem incolebat Olympum, indeque vasallis suis administrabat iustitiam: *Iupiter in monte Olympo maximam partem vita colebat, & eo ad eum in ius veniebant, si qua res in controuersia erant.* Obsecro qua de causa Iupiter in monte Olympo, & non in alio monte, aut quouis alio mundi loco administrabat Iustitiam?

Lactant. Firmianus de falsa religi. lib. 1. c. 1.

Sciendum montem Olympum esse omnium terræ montium sublimissimum adeoque eleuatum & altum, vt prout nonnulli dicunt, vertice suo nubes superexcedat, primamque aëris regionem subtus se relinquens secundã pro potiori sui parte incolat, vbi nec venti flant nec decidunt pluuiæ, nec tonitrua audiũtur nec similes aliæ alterationes & turbulentiæ quas hic deorsum experimur, percipiuntur: quin potius admirabili quadam gaudet tranquillitate & serenitate. Iupiter ergo, vt suis innueret, statum mentis suæ eo tempore quo illos gubernabat, eisdemque administrabat Iustitiam. humanis nunquam subiectum fuisse passionibus, tam ad amorem quam ad odium tendentibus, quæ cuiuslibet etiam sapientissimi Rectoris mentem obfuscare & obliquare solent, ne aut verum discernere aut determinare quod iustum est posfit, sed potius omnis passionis expertem, continua quadam gauisum fuisse tranquillitate & quiete, ideo inquam Iustitiam illis in Olimpo monte administrare voluit, vt velsic ex statu corporis facilis illis coniectura eslet de statu mentis. Quem montem superiores illi nunquam conscendunt, qui in suo regimine infestari conspiciuntur nunc ab Austro humanitatis & beneuolentiæ, mox ab Aquilone vindictæ, demum à minarum tonitribus, deniq; à donorum & munerum deciduis pluuijs, quique sine vllo quietis momẽto à centenis alijs passionibus, humanis agitantur, quibus excœcati ad nullas leges alias attendant, præterquam ad illas quas irrationabiles passionum impetus ipsis subministrant, qui proinde omnia sursum deq; inuertunt, confundunt Respublicas, ciuitates in extremas ruinas redigunt, & dum gubernatores videri volunt, sese inimicos apertè declarant & exhibent.

10. Regius Propheta Dauid applausum illum admirabilem in spiritu considerans, q. è Christo Saluatori nostro Ierosolymorũ vrbem ingredienti exhibuere infantes, di-

Psal.8,v.3. cit Deum per horum infantium laudes confundere voluisse inimicum & vltorem: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.* Ast quinam obsecro sunt isti Christi inimici, qui hic inimici appellantur & vltores? Genebrardus opinatur per illos intelligendos esse scribas inuidos & pharisæos. En ipsissima eius verba: *Ideo vt perdas & vlciscaris hostes tuos, & qui tua gloria præcones insectantur, cuiusmodi erant scribæ & Pharisæi,* Genebr. ib.

Quasi ex mente Genebrardi Propheta voluisset dicere. Tu ô Domine tanta cum pompa vrbem nostram ingrediens, nullam aliam ob causam infantium ora aperire, eorundemque linguas in tuam laudem laxare voluisti, quam vt peruersorum scribarum & Pharisæorum confunderes inuidiam, vt per os paruulorum & vasallorum tuorum Magnatum ac superiorum opprimeres rabiem.

Notandum autem tales superiores simul & semel inimicos appellatos esse & vltores: *Inimicum & vltorem.* Per hoc namque insinuatur, quod quotiescunque Homo quidam vindicatiuus & passionatus ad Regnum aliquod aut ciuitatem gubernandam eligitur sublimatur, toties in eodem imbuebatur verus quidam Regni aut ciuitatis illius inimicus, malum enim quod talis suæ passionis impetu in regimine committit, tale ac tantum est, vt potius inimicus illius quam superior sit censendus, ad eum fere modum quo scribæ & Pharisæi erant in miseræ ciuitatis suæ administratione, prouti in præsenti cernitur Euangelio.

CONSIDERATIO II.

Transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras.

Adeo est Rectori necessaria sapientia, vt minus malum censeri debeat Tyranni alicuius regimen, quam regimen ignorantis.

CORnelius Iansenius nouis traditionibus & constitutionibus quas scribæ & Pharisæi Diuinæ legis decretis adiunxerant intendens, eosdem ignorantes appellat: siquidem ijsdem in Deuteronomio non solum præceptum datum fuerat, ne quidquam de ijs quæ in sacris literis scripta sint, demerent, verum etiam ne aliquid vel minimum ijsdem adijcerent. Præterea cum ijdem scire merito debuissent, hominis sanctitatem non in externa, sed in interna munditia & puritate consistere, siquidem cunctæ cæremoniæ externæ à lege præceptæ in ordine ad animæ puritatem fuerint ordinatæ; Ipsi nihilominus idipsum minime considerantes, iuxta traditiones suas adeo superficialis puritatis obseruantiæ erant intenti, vt nullam prorsus internæ curam haberent. Vnde hi tales Doctores, inquit Iansenius: *Cum maximè intelligere debuissent scripturas, tunc omnium minimè has intelligebant.* Cumque ad munus suum perfecte complendum studio & intelligentiæ sacræ scripturæ & diuinæ legis assequendæ totis viribus vacare debuissent, ipsi econtra cæci magis erant & ignorantes, quam vnquam fuerant. Misera igitur Ierosolymorum vrbs in tempore illo caudæ infælici suberat regimini, hoc est cæcorum & ignorantium superiorum suberat directioni, & consequenter in deteriori tunc erat statu, quam hactenus vnquam fuisset; Adeo namque cuiuis Rectori necessaria est sapientia, vt minus malum reputari debeat alicuius regimen Tyranni, quam regimen ignorantis. Iansen.

1. Isaias Propheta de admirabili quadam ruina agens, quæ Ierosolymorum vrbi euentura erat, subdit tandem, futurum aliquando esse vt infœlices Hierosolymæ ciues pro habendo aliquo imminentium malorum remedio, ciuitatis illius regimen certo cuipiam homini oblaturi sint, qui tamen illud acceptare renuet idque vel ob solam qua domus eius premebatur inopiam panis. *In domo mea non est panis, nolite me constituere principem populi.* q.d Onus istud obsecro humeris meis ne imponatis, neque enim ad illud ferendum sufficio, vtpote qui panis inopia domi meæ laboro. Isa.3.v.7.

Enimuero si accuratius hæc excusationis huius verba attenderimus, inueniemus eandem nequaquam veluti legitimam subsistere pos-

re posse. Porro quod si Ierosolymitani incolæ eo potissimum fine illum in principem suum decreuissent eligere, vt suam ab illo quotidie acciperent alimoniam, iam vtique rite sese excusasset dicendo. *In domo mea non est panis*; verum cum in electione sua non panem, sed sapientem duntaxat & prudentem quærerent gubernatorem, qui ciuitatem suam cum dexteritate moderari, eandemque ab imminenti sibi ruina præseruare posset, id quod manifeste satis declarabant dicentes: *Princeps noster esto, ruina autem hæc sub manu tua*, inutiliter se per panis excusat inopiam. Quomodo igitur accidit, vt dum hi in illo scientiam & prudentiam ad porrigendum aliquod angustiatæ suæ ciuitati remedium requirerent, ille adeo extrauaganter respondeat *In domo mea non est panis*, quem illi minime ab eo desiderabant.

Ibid v.6. Pineda de Rebus Salom. lib.3. cap.9 n.8.

Modernus quidam Doctor dicit, responsionem istam valde fuisse congruam, nam iuxta S.Basilij & S Cyrilli expositionem, per panem sapientiam intelligi voluit: *In domo mea non est panis, id est, non est sapientia*. Habemus igitur hinc sapientiam qua Rector aliquis præditus esse merito debet, sub panis symbolo intelligi, idque non ob aliam causam, quam vt innuatur, quod sicuti panis humanæ vitæ adeo est necessarius, vt sine illo diu viuere homo nequaquam possit, ita quoque sapientia haud secus ac panis ad fœlix principis alicuius regimen adeo est necessaria vt sine eadem gubernare haud quaquam possit, imo potius subditos confundet, perdet, affliget & in ruinam aget ad instar pessimi cuiusdam tyranni, quam quod vel minimum ex sua gubernatione subditis bonum adferet.

2. Cum Esau intellexisset Iacob fratrem suum benedictionem paternam sibi tanquam familiæ primogenito iure debitam, fraudulenter surripuisse, cæpit sollicitare apud Isaac patrem suum, vt alterius cuiusdam bendictionis illum participem redderet. Et tametsi Isaac Patriarcha multis petitionem hanc modis renuisset, seque excusasset dicendo quod erogata iam benedictione vni, non superesset alia danda alteri, tandem importunatum vi precum coactus, Esau benedicere voluit, & dixit: *In pinguedine terræ & in rore cæli erit benedictio tua, viues in gladio & fratri tuo seruies*. In cuius loci postremis difficultatem quandam inuenio, quæ me vlterius progredi non permittit. Nam vti audistis volens Isaac Patriarcha filio suo Esau benedicere, ipsum fratris sui germani seruum constituit: *Fratri tuo seruies* Verba autem ista maledictionem potius quam benedictionem secum inferunt, vnde per illa Esau potius maledixisse quam bene precatus fuisse videtur. Quomodo enim apprecatio illa benedictio appellari poterit, per quam ipse liber & nemini subiectus, seruus reipsa efficitur? & qui fratri suo coæqualis erat, redditur subditus? Benedictio gratias & fauores confert ijs, qui illam accipiunt, hæc vero apprecatio non solum nihil boni Esau attribuit, verũ etiam eundem magno quo gaudebat libertatis bono priuat & destituit. Vt proinde loco beneficentiæ quam præstolabatur ab eo filius, non mediocre illi malum accersiuerit.

Genes.27. v.40.

S. Ambros. in ps.104.

§ Pater Ambros. hunc locum exactius considerans, dicit: Isaac Patriarcham dum Esau alteri filio suo Iacob subditum esse voluit, eidem nequaquam male, sed valde bene fecisse; imo subiectionem illam particularem quandam gratiam fuisse, extraordinariumque per hanc Esau exhibitum fuisse fauorem. Cuius hanc adducit rationem: *Quia ad virtutem se proprijs viribus erigere non poterat, nec spontaneum gressum attollere, benedixit eum, vt seruiret fratri suo, & esset ipsius seruus; ostendens ita deteriorem esse insipientiam, vt remedio ei seruitus sit: Quia stultus regere se non potest, & nisi moderationem habeat, præcipitatur proprijs voluntatibus*: q.d. Sicut Patriarchæ Isaac notum erat Iacob virum esse sapientem, ita eidem perspicuum quoque erat Esau ignorantem esse; Adhæc intelligebat, quod si Esau liber remaneret, atque in propriæ voluntatis manu constitutus, eidem ob suam ignorantiam imposibile futurum sit quicquam boni aut virtuosi operari, ac proinde eidem opus esse vt pro tantæ imperfectionis remedio, sub alieno fratris nimirum sui collocaretur regimine. Simulque hoc facto demonstrare voluit, hominem ignorantem adeo defectuosum esse & imperfectum, vt singularis ipsi gratia fieri censeatur, ipsique proficuum valde sit, si sub alienam redigatur potestatem. Quod si enim

enim in appetitus proprij potestate, & sine fræni retinaculo permitteretur viuere, in manifestum sui corrueret præcipitium.

Ex quo perspicuum fit, quod sicuti proprium sapienti est commendare, gubernare, alijsque potestate præesse, ita ignoranti proprium & peculiare sit subesse, & aliena voluntate gubernari; hic enim si in sua permaneat libertate, veluti mente cœcus, nullum euadendi præcipitium inueniet effugium. Quodsi igitur in proprij arbitrij manu sibi ipsi relictus, & gubernando semetipsum, vt ait Ambrosius, *præcipitatur proprijs voluntatibus*, quid fiet si ipse ab alijs gubernandus, cum potestate alijs imperet? si is qui cauda esse debebat caput euadat? Si qui debebat esse subditus efficiatur præfectus? Dignitas illa haud dubiè eius non solum futura esset euidens ruina, sed quod plus est extrema quoque populi à se gubernandi foret perditio?

3. Poëtæ referunt quod Ilio Troiam vrbem fabricante, Palladius Mineruæ de cælo cum hoc salutari monito descenderit, fore nimirum vt vrbs ista salua semper & integra perseueraret, quoad vsque hoc Mineruæ simulachrum intra mœnia sua intactum inuolutumque reseruaret. Natalis Comes fabulosæ huius inuentionis allegoriam attendens, hunc in modum discurrit: Nequaquam homines credere debent; Poëtas fabulæ huius authores sibi vnquam persuasisse, quod sicut apud nos cernuntur, ita quoq; in cælis sint metalla, marmora, ligna, statuarij aut alij artifices, qui in officinis suis statuas fabricent, easque absolutas & perfectas è Cælo in terras hominibus conspiciendas demittant, prouti contigisse scribunt cum simulachro Palladij Mineruæ. Magna enim isthæc in illis fuisset ignorantia, si res eiusmodi falsas persuadere sibi potuissent. Quin potius, inquit Natalis, magnam sapientiæ in Gubernatoribus necessitatem significare voluerunt, ad ciuitates sibi subiectas, fartas tectas, conseruandas, nec non ingens damnum quod ex gubernatorum consequitur ignorantia. Certissimum enim est, inquit præfatus Author, *quod ciuitas illa in qua sapientia deest in rebus publicis administrandis diutius consistere non potest.*

Natal. Comit. Mytho. lib. 4. c. 5.

Impossibile est quod ciuitas illa, cuius Rectores cœci sunt & ignorantes, absque vlla Mineruæ, quæ Dea sapientiæ dicta est, assistentia, incolumis conseruari possit, quin potius oportet, vt extrema illi ruina & præcipitium immineat. Troia ex nulla alia occasione deuastata fuit, quam per Priami Regis illam gubernantis ignorantiam, quod si enim hic nouisset modum Græcis tantundem restituendi, quantum ijs à Paride filio suo ablatum fuerat, illa haud dubiè etiamnum floreret.

4. Ex hactenus igitur dictis colligitur, quam sit ingens damnum illud, quod in suo secum imperio adsciscere subditis solet superior ignorans. Quod certe reapse adeo magnum est, vt minus malum esse reputetur, Tyranno subiectum esse, quam ignoranti, quod iuxta factam à nobis promissionem vlterius demonstrabimus. Hugo Cardinalis inquit: *Pœna magna est habere prælatum cupidum, vel auarum, sed maior est habere stultum Prælatum.* Vbi notandum, idem esse gubernari à superiore cupido & auaro, quod regi à superiore Tyranno. Nam vt dicit Aristoteles Tyrannus ad instar hominis cupidi & auari; *respicit ad propriam vtilitatem, non ad vtilitatem subditorum.* Satis superque notum est, quam ingens & immane vrbis Romanæ flagellum fuerit, qui illam gubernabat, Syllas crudelis & auarus, quando se in publicum omnis sortis & conditionis hominum redactam esse vidit macellum, idque ex nullo alio titulo, quam quod omnibus quæ possidebant bonis spoliatos se esse videbant, Vnde Plutarchus de infortunatis illis temporibus loquens dicit: *Hunc quidem domus interemit amplissima illum hortus, alium aqua calida.* Et quantumuis grande sit flagellum miserabilis populi sub eiuscemodi Tyranni imperio, *Maior tamen pæna est habere stultum prælatum.*

Hugo Car. in ps. 108.

Aristot. Polit lib. 4. c. 10.

Plutar. in Sylla.

5. Salomon cum certis quibusdam Regibus colloquens, hunc in modum alloquebatur eosdem: *Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei vt discatis sapientiam.* Quibus verbis haud dubiè Reges ignorantes alloquitur; eo ipso enim quo edocendi & erudiendi à Salomone supponuntur, necessum est ipsos rudes esse & ignorantes; si enim sapi-

Sapient. 6. v. 10.

entes essent, nullam haberent sapientiã addiscendi necessitatem. Hæc omnia hucusque certa sunt, & bene dicuntur. Notandum autẽ deinceps est, quod vbi nos cum vulgata legimus *Reges*, in alia quadam litera legitur: *Mali Tyranni*; Ex quo legendi modo perspicue videtur, qualiter scriptura sacra Reges ignorantes, malos Tyrannos appellet, ad innuendum quod superiores ignorantes Tyrannis longe sint deteriores; quodque maius flagellum sustineatur sub talium regimine, quam si Tyranni gubernarent. *Mali Tyranni.*

6. Moyses Propheta refert, Deum postquam Adamum è terrestri pepulisset paradiso, ad eius fores quendam collocasse Cherubinum, gladium flammeum manu sua ferentem, pro sacri illius loci custodia: *Collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem.* Verum cur obsecro ante fores Paradisi Cherubim statuit, & non truculentam quandam è syluis natam feram, leonem videlicet aut Draconem, ad eum modum, quo Poëtæ dicunt ante hortos Hesperidum pro fructuũ siue pomorum aureorũ custodia fuisse collocatum. Genes. 3. v. 24.

Ratio huius, quantum ego quidem persuadere mihi possum, est; quia Deus custodi huic gladium igneum atque versatilem daturus erat, vnde necessum erat vt Cherubinus esset, non vero brutum quoddam animal. Notandum igitur quod ly *Cherub* latino sermone idẽ significet quod *Multitudo scientiæ*, estque symbolum Prælati sapientis & literati, moderantis Ecclesiam per Paradisum significatã. Pro cuius custodia Deus Cherubinum non alio fine elegit, nisi quia vult vt ad Ecclesiæ clauum gubernandum sapiens eligatur superior & literatus, vt Iurisdictionis gladium in manus sibi datum, vibrare & tractare prudenter possit, secus enim regimen eius fœlici claudi euentu non posset. Quodsi autem præter opinionem accideret, custodem hunc brutum quoddam animal esse, idest, stupidum & ignorantem, ad instar bruti, quantum talis per gladium flammeum & versatilem non causabit mali? quæ non incendet igni & deuastabit? Haud dubiè conflagrabuntur & confundentur passim omnia.

7. Quantumuis Iupiter adeo esset prudens & sapiens, vt Poëtæ ex capite illius Mineruam sapientiæ Deum seu præsidem prognatam esse finxerint, cuius proinde manibus fulmen est concreditum: attamen, prouti Seneca refert, fulminare nequaquam poterat, nisi prius aliorum Deorum congregato & expresse desuper consulto consilio: *Fulmen mittit quidem Iupiter, sed adhibitis in concilium Dijs, quos superiores & inuolutos vocant. Nec Ioui quidem suum satis est consilium.* Seneca lib. 2 de Natura.

Per quod significare volebant, ijs præsertim quibus ex munere gubernare homines, gladiumque iustitiæ sua manu vibrare conuenit, quod tametsi ad instar Iouis sapientes sint atque prudentes, vt tamen iustitiæ gladium iuste administrent, non illis propriam sapientiam sufficere, sed insuper illis opus esse vt aliorum quoque sapientũ attenta aure auscultent consilium, secus enim gladius iste valde sinistre vibrabitur. Pensate igitur, quid facturus sit stupidus & ignorans, qui omnis iudicicij expers, omnisque inops consilij fulminantem humanæ potestatis gladium manu sua tractat; Haud dubie idem illi quod quondam Phaëtonti eueniet, cui cum concreditæ essent currus solaris habenæ, nec rite illum gubernare nosset, illum confuso ordine & cursu dimisit, sicque vniuersam igni depopulatus est Græciam.

8. Quando Poëtæ olim dixerunt, Prometheum post submersos cunctos diluuio homines, ne mundus ab inhabitatoribus prorsus esset inanis & vacuus, statuas quasdam formasse ex luto, ipsisque Mineruæ subsidio & ope infundendo animam, ex luteis illis statuis formasse homines, ab ijsdemque humanam propagatam fuisse generationem. Credendum neutiquam est, Poëtas illos in hac sua fabulosa adinuentione persuasum sibi habuisse, hominem tanta præditum esse aut esse posse potentia & virtute, vt homines creare aut formare posset, neq; enim tam rudes erant vt nescirent hoc opus creandi hominis diuinæ duntaxat omnipotentiæ esse reseruatum. Sed vt inquit Philippus Abbas, demonstrare tantum volebant, qualis inter homines doctos & ignorãtes sit differentia: *Quia illo adhuc tempore infinita* Philip. Abb. de Silent. Cler. ca. 41

infinita erat stultorum multitudo, quos velut platea lutum, larga ignorantia tenebat hebetudo: nonnullos colligens de medio imperitæ ac stolidæ nationis, prudentem illis doctrinam velut formam humanæ impressit rationis: digna norma velut humana forma reddidit luculentos, quos inuenerat grossa ac informi lippitudine lutulentos. Quia mundus illo adhuc tempore vniuersali quadam oppressus erat ignorantia, Prometheus, vtpote qui in tanta hominum multitudine solus erat sapiens, multos ex tanta turba seligens humanasque illos edocens scientias, ex luto homines formasse dicitur. Vt hac ratione innueretur, inquit Venerabilis Abbas hominem ignorantem tametsi reuera homo sit, non tamen videri illum verè talem esse, sed statuam potius & Imaginem quandam luteam, sola enim peritia & scientia est quæ homines efficit.

Vnde colligitur, superiorem ignorantem omnisque scientiæ & intelligentiæ expertem, non hominem, sed insensibilem quandam & inanimatam esse statuam, quæ non audit, non videt, non intelligit, non mouetur, qui proinde vnicuique pro suo gustu, arbitrio & libitu viuere permittit; Vnde sub talis superioris regimine, homines scelerati absque vllo tam diuinarum quam humanarum legum timore & respectu liberrime viuunt, scientes neminem esse, qui illos aut impedire valeat, aut castigare. Vnde sub talis hominis, si tamen homo vocari potest, insensibili gubernio, quædam cernitur horrenda vitiorum inundatio, & copiosum quoddam scelerum diluuium: Cuiusmodi miseria sub cuiuscunque quantumuis etiam truculenti Tyranni regimine, minime cernitur; Quia enim sub illius imperio homines in aliquali viuunt timore, multi homines scelerati à prauis suis machinationibus impediuntur, neque tam facile tantis Ciuitates illis subditæ replentur defectibus.

9. Confirmatur hoc ipsum per id, quod sanctus Gregorius. Magnus super illum Psal. 68. locum obseruat, vbi Dauid certum quoddam peruersorum peccatorum genus execrans, ita loquitur: *Obscurentur oculi eorum, & dorsum eorum semper incurua.* Psal. 68. v. 24. Adeo obscurari possunt eorum oculi, vt dorsum eorum incuruetur & inclinetur in terram. Intelligit autem sanctus Pontifex superiores, sub oculorum symbolo, hi enim inter subditos, haud secus ac oculi in corpore locum obtinent eminentiorem: per dorsum autem quod oculorum sequitur ductum, eos qui gubernantur, rectorumque suorum ducatum sequuntur: *Oculi quippe sunt, qui in ipsa hominis facie positi, prouidendi itineris officium susceperunt: quibus hi nimirum qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur.* S. Gregor. Past. p. 1. c. 2. Finaliter autem ita concludit: *Obscuratis igitur oculis dorsum flectitur, quia cum lumen scientiæ perdunt, qui præsunt, profecto ad portanda onera peccatorum curuantur, qui loquuntur.*

Dicere id ipsum, de quo agimus, melius nequaquam poterat. Quotiescunque enim oculi Ciuitatis obscurati cernuntur, hoc est, quoties illi qui aliis imperant, cœci videntur, luminis scientiarum expertes, atque ignorantiæ tenebris immersi, toties subditi tanta peccatorum ac scelerum sarcina onerantur, vt tantum pondus magnamque summam sustinere & portare minimè valentes, terram versus inclinari & incuruari necessum sit: *Et dorsum eorum semper incurua.* Videte igitur, ad quas non reducatur miserias subditus, ab homine stolido & ignorante gubernatus, qui tot peccatis onustus, in bonis animæ tot modis offenditur, cum tamen gubernante Tyranno corporis duntaxat bona periclitentur.

10. Ex quatuor illis quæ Salomon vult esse minima & simul sapientissima terræ, lepusculus secundum locum obtinet: *Lepusculus plebs inualida.* Prou. 30. v. 26. Per quos Hugo Cardinalis bonos Prælatos intelligit, qui inualidi dicuntur, non in viribus exterioribus, sed in humili sensu de interioribus suis, oneris enim, quod ipsorum humeris incumbit, ingens momentum probe cognoscentes, ad gubernandas commissas sibi animas insufficientes sese & nimium debiles existimant: *Hi sunt boni Prælati, qui se inualidos ad onera prælationis affirmant:* Hugo Card. ibid. ob quā

can-

eandem causam ijdem minimi vocantur. Quod si vero nosse cupitis, quamobrem sapientissimi sint lepusculorum instar inquit idem Doctor, nam ad instar leporum *semper habent labia in motu*: *ita Prælati nunquam debent cessare à prædicatione* nec à salubribus documentis pro animarum sibi commissarum salute suggerendis. Labia autem stolidorum & ignorantium Prælatorum omnino contrario modo se habent, nunquam mouentur, nunquam aperiuntur, nunquam prædicant, aut verbum aliquod loquuntur, quod ædificare aut ad meliora excitare subditos possit; & quomodo ad prædicandum labia sua aperire poterunt qui prorsus nihil norunt? Vnde populi talium prælatorum regimini subiecti, verbo Dei, quod quidam electus animarum panis est, priuati sunt. Tyrannis itaque peiores sunt, hi enim subditos suos corporali duntaxat pane priuare solent, quod est damnum & malum longe præillo minus.

11. Finiamus hunc locum per quendam ex Isaia desumptum passum, in quo Deus, postquam de populi sui ingratitudine vehementer lamentatus fuisset, quod diuinum cultum tanta cum temeritate cōtempsisset, & Dæmones adorando lapsus in Idololatriam fuisset vt eundem pro demeritis suis condigne mulctaret, dicebat: *Dabo pueros principes eorum.* quasi diceret: Non iam deinceps scelerata isthæc natio impune peccabit, nam condignis, illam, iuxta demerita sua, castigabo supplicijs, efficiamque vt pueri dominentur eorum: *Dabo pueros principes eorum:* Vbi notandum Diuinam Iustitiam, dum adeo grandes & sceleratos peccatores, cuiusmodi sunt Idololatræ, castigare vellet, decreuisse eosdem, punire, illos puerorum subijciendo regimini. Et qidem ni fallar, ego, Deus in hoc decreto suo falli videtur, id est dum castigare intendit, efficit, vt in peccatis suis impuniti remaneant. Ergone enim ô Deus meus ad infames istos Idololatras gubernandos & castigandos, pueros eligis? ecquid à pueris damni recipere possunt; qui manum suam leuare, auricum quemuis leuum, dare vix audent; aut si forte manum ad percutiendum leuent, ictus infligunt, qui risum potius quam dolorem excitent. Vnde est quod Propheta tuus verbera à nōnullis inflicta, per derisum puerorum plagis assimilet dicens: *Sagittæ paruulorum facta sunt plagæ eorum.* Eccur igitur illis non Neronem aliquem, aut quendam Phalaridem aut Mezentium, aut Attilam aliquem, qui se flagellum tuum appellare solebat, aut alium quendam sanguinolentum Tyrannum in gubernatorem constituis, qui illis rigide iuxta demerita sua retribuat, atque in perpetuam atque irreparabilem redigat ruinam?

Isa. 3. v. 4.

Psal. 63. v. 2.

Pro huius nodi solutione notandum est, quod Hieronymus Oleaster dum hunc locum interpretatur per pueros principes superiores intelligat ignorantes: *Dabo pueros principes eorum, scilicet insipientes principes & rectores.* Hoc igitur supposito dico, quod Deus maxima peccata rigide castigaturus, vt ea committentes vehementius torqueat, duriori flagello eosdem dedicare aut subijcere non possit, quam si illos principibus ignorantibus aut stolidis superioribus submittat. Tanta namque tamque exitiosa est talis alicuius Reipublicæ sub tali quodam principe perditio, vt nec Nero, nec alij quicunque diri Tyranni huius mundi, omni sua excogitabili crudelitate, pertingere ad similem possint.

Oleast. ibi.

Vnde facile colligi potest, quam graue fuerit vrbis Hierosolymitanæ flagellum, quando à scribis gubernabatur & Pharisæis, qui tametsi literatorum nomen præseferebant, reapse tamen stolidi, rudes & ignorantes erant, prouti in præsenti Euangelio plus nimium experiuntur.

CONSIDERATIO III.

Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.

Iudicium auarorum recipere praclari est & non recipere.

1. HVgo Cardinalis super illa verba Isaiæ, quibus Propheta de conditionibus eius, qui post hanc vitam cælo fruiturus est, tractans dicit, quod talis: *Excutit manus suas ab omni munere*, ita scribit: *Nota quod excutitur res à manu, quæ lædit, vel quæ inficit.* Vnde perspicue elicitur, quod dona & munera manus illorum inficiant, quæ illa recipiunt. Ac proinde clare videri potest temeraria scribarum impudentia, qui conuenerant ad calumniandos Christi Apostolos, eo quod non lotis manibus mensæ accumberent, cum tamen exinde laudandi potius quam calumniandi essent, vtpote qui ex hoc signo victus sui alimoniæque frugalitatem demonstrabant, ob rationem, quam Seneca de ordinario suo viuendi modo loquens, adfert: *Panis siccus, & sine mensa prandium, post quod non sunt lauanda manus.* Neque ipsi attendebant, quod ordinarie in templis & tribunalibus suis comparerent manibus per dona & munera, quæ non solum ab hominibus recipiebant, sed & extorquebant à populo, defœdatis & conspurcatis. Quas vt etiam adhuc magis defœdarent & inficerent, præceptum Diuinum falsis suis doctrinis insuper temere transgrediebantur, prouti illis idipsum mundi saluator exprobrat dicens: *Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditiones vestras*, docendo nimirum filios, vt consueta munera in templo offerre non omitterent, tametsi parentes eorum ob inopiam fame emori cogerentur, adeoque à propria cupiditate excœcati viuebant, vt tametsi scribæ & Doctores legis essent, ex furto tamen continuo viuerent. Ex furto autem illas vixisse ideo dico, quia Iudices, legis Doctores, alijque officiarij consimiles tunc cum manus suas iniuste recipiendo inficiunt, vere prædari & furari dicendi sunt, illorum namque recipere, non tam recipere quoddam est, quam vere furari & deprædari homines.

Isa. 33. v. 15.
Hugo Card ibid.

2. Deus quondam de Iudicibus lamentans dicebat: *Principes tui infideles, socij furum omnes diligunt munera, sequuntur retributiones pupillo non iudicant.* Id quod hisce in verbis vos notare velim, est, quod Deus populi Hebræi iudices, furum socios appellet: *Socij furum.* Scitisne rationem, cur hoc eos nomine compellet? Fortasse respondebitis, illos ideo vocari socios furum, quia tametsi in platearum compitis, nec non & in tribunalibus conspicerentur per diem, de nocte tamen se furibus associabāt, & furabantur cum illis; & qui ex officii sui obligatione furum debebant esse vltores, illosque persequi, illos non solum non persequebantur, sed se etiam illorum ad furandū iungebant contubernio. *Isa. 1. v. 23*

At vero non hoc Deus dicere volebat, inquit Oleaster, sed significare tantum, quod Iudices essent auari, & corrupti, proni ad recipiendum, ab eis dona & munera, quorum lites ipsi cognoscebant, nullaque inter illorum recipere & deprædari alios sit differentia: *Considera hic, quomodo diligere munera, retributiones sequi, sit partem cum furibus habere* Vt innuatur, quod quotiescunque Iudices cupidi sunt & auari, atque ad recipiendum munera proni, toties illorū recipere, non sit recipere sed furari. Vnde ob hunc solum respectum Hebræi populi iudices, licet nunquam cum latronibus vias infestassent publicas, latrones tamen sunt appellati: *Socij furum.* *Oleast. ib.*

3. Ad idem quoque intentum Saluator noster Christus IESVS respexisse videtur, in illius parabolæ compositione, quam fecit de eo, qui Hierosolyma discedens in Iericho, in manus incidit latronum: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit inter latrones.* Miserabilis homo iste abiens ab Hierosolymis, quæ in sermone latino pacē significant, in sensu autē allegorico illū innunt, qui ex pace qua fruitur, auctus & incrassatus, sese recipiens litibus, *Lu. 10. v. 30.*

bus processibus, & contentionibus in prædā cedit. Hic inquam lites suas prosequendo in manus incidit latronum: *Incidit in latrones:* Quinam sunt fures isti & latrones, in quos miser hic litigans incidit? *Id est*, inquit Hugo Cardinalis, *in manus aduocatorum*. Latrones illi, de quibus Christus loquebatur, sunt legistæ auari, aduocati, Iudices, procuratores, qui hoc nomine appellantur, ob animi suo cupiditatem, quæ in bona ipsorum parte præualet (tamen non desint multi, qui hac in parte integerrimi sunt, iustique amantes) eo præcipue, quod similium officiariorum recipere, non sit nudum recipere, sed furari & latrocinari: *Incidit in latrones.*

Hugo Car. ibid.

4. Cum Christus è templo illos expelleret, qui in sacro hoc loco emebant & vendebant, dicit S. Matthæus, ipsum cathedras eorum, qui columbas vendebant, suique deque euertisse, dicendo vos sacrum templum quod domus orationis est, conuertistis in speluncam latronum: *Cathedras vendentium columbas euertit, & dixit eis Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Vbi notandum, quod Venerabilis Beda hunc locum explicans, per columbarum diuenditores, Episcopos & Sacerdotes simoniacos intelligat, qui spiritus sancti gratiam, quæ per columbam intelligitur, ex auaritia pro lucro terreno conferunt: *Qui autem sunt in templo Dei hodie qui columbas vendunt? nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manuum accipiunt, per quam videlicet impositionem spiritus sanctus cælitus datur?* Hi igitur vocantur latrones, non quia ad instar latronum plateas infestantes furentur & viatores despolient, sed quia cum à Deo in foro animæ electi sint iudices, cum potestate soluendi atque ligandi, eo ipso quo hoc nonnisi pro terreno lucro exequuntur, atque pro eiusmodi actu dona & munera importune exigunt & recipiunt, furantur quicquid corradunt. Recipere enim Iudicis, non est recipere, sed furari: *Speluncam latronum.*

Matth. 21. v. 12.

V. Beda Hom. 7. in Euang.

5. S. Paulus Corinthijs scribens, eosdemque ad tribulationum humanarum patientiam exhortans, ita cum eis loquitur: *Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis in faciem vos cædit.* Quo in loco nihil nobis ad propositum seruit, præterquam illa verba: *Si quis accipit.* Quæ cum Apostolus inter ærumnas seruitutis, aliasque ignominias similes recensuerit, per illa vtique significare grauem aliquam afflictionem & ærumnam voluit. Vnde videndum est, quid per hoc verbum *Accipit* intelligere voluerit.

2. Cor. 11. v. 20.

S. Pater Isidorus vult quod idem significet, quod furari: *Vt enim diceret, si quis rapit,* dicit, *si quis accipit.* Volens dicere Patienter sufferte, *si quis vos rapit,* ipse dicit, *si quis vos accipit.* Vt per hoc innuat, quod inter accipere & rapere nulla sit differentia. Vnde Iudices ad recipiendum proni, rapere dicendi sunt; & tametsi nomen Iudicis habeant, reuera tamen fures existunt dicente Chrysostomo: *Iudices nomen quippe iudicum habent; re autem latronum & homicidarum.*

S. Isid. Ethymol. lib. 12. c. 8.

Chrysost. Hom. 8. in Io.

6. Confirmatur hoc ipsum per id, quod S. Pater Ambrosius Satyrum fratrem suum sæpe dicere solitum fuisse refert, nimirum: *Eos qui aliena quærunt, recte accipitres pecuniæ nominari.* Verum cur tales non Aquilas, aut Gryphes, aut Coruos, aut alio simili rapacium ouium nomine appellat, sed accipitres? Ideo videlicet, quia non ad rapacitatem tantum attendebat illorum, verum etiam respiciebat ad modum quo rapiunt. S. Pater Isidorus dicit hoc nomen *Accipiter*, deriuari à verbo *accipere: Accipiter ab accipiendo, idest, capiendo nomen sumpsit; Est enim auis rapiendis auibus auida, ideoque vocatur Accipiter, hoc est raptor.* Vnde perspicue intelligitur, in latino sermone idem esse accipere, quod rapere, eosque qui Iustitiam administrant & ex auaritiæ appetitu libenter recipiunt, dicendos esse rapere & non accipere, recipere enim in manu similium personarum, nihil differt à rapere: *Accipitres pecuniæ.*

Ambros.

Isido. ibid.

7. Scio bene eiusmodi iudices facile excusare se posse, dicendo, se nequaquam rem alienam rapere, sed id tantum recipere quod oblatum est spontanee. Hæc tamen eorundem excusatio, nequicquam differt ab excusatione Dionysij Tyranni Syracusani, qui dum eas res pretiosas à Dijs suis aufferret, quas illi manibus tenere solebant

Fa el. de Reb. Sic. Decad post post lib. 3. cap. 1.

bant extensis, dicere erat solitus: *Se oblata à Dijs accipere non eripere.* Atque hoc ipsum pro refutatione excusationis eorum in præsentiarum sufficit.

Martialis inquit: Quod dum Barbitonsor posita, ad gulam nouacula, aliquam ab ipso gratiam, aut simile aliquod obsequium postulat, illum pro tali tempore, non tonsorem, sed latronem esse, suamque petitionem, non petionem sed latrocinium esse vocandum.

Martial. lib. 11. Epigram.

Quid si me tonsor, cum stricta nouacula supereſt
Tunc libertatem, diuitiasque roget?
Promittam: nec enim rogat illo tempore tonsor
Latro rogat.

Et reuera talis non Barbitonsor, sed latro est, quia ad instar latronis stricto gladio postulat aliena, nec modicum periculum subest, ne dum desiderio suo non respondet abnuendo, iugulum petat.

Eiusmodi prorsus est petitio Iudicis quā à te tunc sollicitat, quando vnam ex causis tuis ciuilem aut criminalem in manu sua decidendam habet. Nunquid non vides, quod tua à te postulet simul strictum in manu sua super negotia tua potestatis gladium habens tuoque capiti imminens? Nec modicum, imo euidens est periculum, ne si auaræ suæ cupiditati non correspondeas, possessione tua te priuet, de qua apud ipsum lis agitatur; aut vita quam tibi eripere inimici contendunt. Vnde necessum est, vt non solum illi cedas quicquid à te postulat, verum insuper, vt illis adhuc plura alia adijcias, tandemque illi gratias agas, quod à te nonnulla dignatus sit postulare. Iam vero quis non videt postulationem talem sub eiusmodi circumstantijs factam non esse postulationem factam à iudice sed à latrone. *Latro rogat.*

8. Tandem attendamus ad id, quod ad præsens propositum Ecclesiasticus paucis quidem, sed mysterio plenis verbis dicit: *Lingua tertia multos commouit.* Hugo Cardinalis per linguam primam, linguam Moysis, per secundam linguam Christi Redemptoris nostri, denique per tertiam intelligit linguam Doctorum legis. *Prima lingua fuit Moysi secunda Christi, tertia Iustiniani.* De hac tertia lingua Sacra Scriptura hoc in loco loquitur, & dicit illam commouisse inquietasse & tribulasse multos: *Lingua tertia multos commouit.* Verum annon res summè miranda est ista. Cum enim hæc lingua ordinata sit ad pacem stabiliendam, & componenda inter homines dissidia, quomodo igitur non solum pacem & quietem non adfert, sed insuper commotiones introducit & reuolutiones ciuiles? *Multos commouit.* Ratio est, quia lingua illa ab hominibus auaris vsurpatur.

Ecclesiast. 28. v. 16.

Hugo in ca. 1. Danielis.

Id quod Æsopus fabuloso quodam figmento declarare voluit, dicit enim, quod dum piscator quidam rete suum in fluuium quendam misisset, atque saxo quodam ex fune suspenso, aquam pro meliori piscium captura turbasset, certis quibusdam superuenientibus hominibus, qui vt ex eadem aqua biberent aduenerant: Aquam autem turbidam comperientes, ideoque non valentes bibere, eidem piscatori indignabantur, hunc in modum respondit: *Nisi hic fluuius perturbetur, me oportet esurientem mori.* q. d. Quod si pro modico tempore bibere ex Aqua hac non valetis, patienter id obsecro sufferte, nisi enim ego Aquā hanc hoc modo turbarem, fame perire cogerer. Quo Apologo Æsopus significare volebat, quod nonnulli Iudices, Aduocati, Procuratores, quā diu homines bona inter se pace fruuntur, non litigant, nec inter se contendunt, nihil lucrentur, nec vlla dona aut munera recipiant: ideoque mirum non esse quod ad instar piscatoris Æsopici, vt loculos suos implere & farcire possint, turbare excitēt commoueam populos, litem quoque quæ nihil in se æquitatis aut ponderis habet, vt in tribunali subsistere possit, iustam esse persuadeant: atque hoc est quod Ecclesiasticus dicit: *Lingua tertia multos commouit.* Ecquis autem modo non videat, lucrum illud quod hac via acquiritur, iniustum esse & infame & lucrum latronum? cuiusmodi erat lucrum scribarum, qui vt opulentis gauderent oblationibus, non solum diuinas leges nequicquam æstimabant, sed & temerè easdem conuellebant & lacerabant: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.*

Æsopus.

SER-

SERMO XXIII.

In Feriam. V. post Dominicam III. Quadragesimæ.

Surgens IESVS de Synagoga introiuit in domum Simonis.

Luc. 4.

1. S. Pater Augustinus locum illum Euangelij S. Ioannis explicans, *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit*, dicit factum esse ob summam mundi immunditiam: *Si ergo in mundo erat, & mundus eum non cognouit, id factum est, quia nostra immunditia non fert eius aspectum.* Neque enim possibile est, vt Deus videri, aut haberi, eius fruitio possit ab alijs, præterquam vt incarnata ait sapientia, ab ijs qui puro sunt corde & mundi: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Atque hinc fit, quod animæ nostræ, quoadusque immundum hunc mundum incolunt, ab eiusdem immunditiebus conspurcatæ, faciem diuinam videre neutiquam possint, nisi prius à sordibus, quas ab huius mundi incolatu contraxerunt, purificentur. Vnde ne glorioso diuini vultus sui priuemur conspectu, pientissimus Deus, vt ab ijsdem spurcitiebus purificemur, tria deputauit purgatoria, vnum in vita futura, duo vero in præsenti. Alterius vitæ purgatorium, locus quidam est inferno vicinus, in quo Animæ in gratia Dei ex hoc mundo discedentes eousque commorantur, atque in ardentissimo ignis incendio expiantur, donec ab omni in hoc mundo contracta immunditia expurgatæ fuerint. Duo vero huius vitæ purgatoria sunt pœnitentia, & tribulatio; quæ haud secus ac illud prius, illorum maculas expurgant, qui in illorum incendio exuri & expiari promerebuntur. Hæc tria purgatoria in præsenti Euangelio insinuari videntur. Dum enim in illo de domo S. Petri inprimis agitur: *Introiuit in domum Simonis*, primi purgatorij proponitur symbolum. Deinde dum de febri socrus eiusdem Apostoli curata, nec non de obsequijs & operibus quibus sese post valetudinem recuperatam mancipauit, agitur: *Et continuo surgens ministrabat illis*, secundum Pœnitentiæ nimirum purgatorium innuitur. Denique dum postremo variorum introducuntur infirmorum languores, qui pro consequenda sanitate ante Christi adducti fuere conspectum: *Omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum*, tribulationis insinuatur purgatorium. De hisce tribus modis purgandi animas Hugo de sancto Victore loquebatur, quando dicebat: *Aut enim hic per pœnitentiam, vnusquisque peccatum suum purgare debet, aut Deus pie per suum flagellum purgat, aut post mortem igne purgatorio purgabitur.* Et primo quidem sancti Petri domum ingrediamur, & primum pur-

Ioan. 1. v. 10.

Aug. in ps. 6.

Matth 5. v. 8.

Hugo de S. Victore lib. 4. c. 27. de animæ.

purgatorium perlustremus, inde postea iter nostrum ad alia dua instituturi.

CONSIDERATIO I.

Introiuit in domum Simonis.

Pœnæ purgatorij adeo sunt graues & acerbæ, vt merito magnus censeri debeat idiota & ignorans, qui peccatorum suorum in hac vita emundare & expiare valens maculas easdem in alteram vitam reseruat expiandas.

2. RAbanus Archiepiscopus Moguntinus & Abbas Fuldensis dicit, Domum S. Petri, in quam, vti Lucas in præsenti Euangelio refert, animarum nostrarum Saluator dignatus est ingredi: *Introiuit in domum Simonis*, in Bethsaida situatam fuisse *Domus Petri in Bethsaida erat.* Bethsaida in latina lingua idem significat, quod *Domus venatorum*, in quam videlicet Venatores syluam egredientes, capta præda onusti se recipiunt, & in quam totius diei capturam deferunt, eademque demum ad ignem tosta, lixa, assata mensas onerant. Domus autem ista alterius vitæ purgatorium significat, in quam Angeli, qui ab Origine per venatores intelliguntur, fidelium animas eousque deportant, donec per ignem domus illius purgatæ & præparatæ, in Paradisi mensam in qua Deus continuo epulatur, deportentur. Vocatur autem Domus S. Petri, *Domus Simonis.* eo quod S. Petrus ex priuilegio particulari magnæ illius domus claues obtineat, quæ etiamnum in successorum suorum manibus perseuerant. Ardor autem huius ignis ad magnum hunc apparatum deputati, adeo ingens, grauis & pænosus est, vt cum homo peccatorum suorum maculas in hac vita expiare, sese que pro fruitione beatæ gloriæ præparare, possit. & tamen purgationem istam in alteram vsque vitam referuet stultum, profecto stolidum, & ignorantem sese esse demonstret.

Raban. ex Cat. S Th. in c. 8. Ma.

3. Porro circa hanc domum imprimis obseruandum est, quod sanctus Lucas non dicat: in hanc domum Angelum quendam, aut Dæmonem ingressum esse, sed Deum incarnatum: *Surgens IESVS introiuit in domum Simonis.* Idque præcipue, vt innuatur, quod domum purgatorij ad purgandum & torquendum ibidem animas, nec Angeli, nec Dæmones ingrediantur, sed Deus ipse, qui manu sua propria easdem verberat & affligit. Vt proinde dicat Abulensis: *Ignis ille purgatorius, nullo Angelo bono, vel malo accendente, ardet, sed diuina Iustitia nutriente, & affligente per illum vnumquemque.* Hoc tamen obiter præteriri non debet, nisi graui considerationi & ponderationi subiectum. Rationem itaque scire percuperem cur Deus in purgatorio non alienis Instrumentis, sed proprijs manibus ignem accendat, sanctasque illas animas affligat & purget, cum ex ordinario Diuinæ iustitiæ more, in hac vita homines, nonnisi alienis manibus, Angelorum videlicet aut Dæmonum, aut hominum castigare aut affligere soleat? Ratio autem huius est, quia id fit, vt ostendatur tormentorum terribilis illius loci grauitas, quæ apprehendi omnino non posset, si Animæ illæ in purgatorio, aut ab Angelis bonis, aut à Dæmonibus castigandæ & puniendæ dicerentur. Quotiescunque enim Deus proprijs suimet manibus quempiam percutit, aut castigat, semper verbera & plagæ illius adeo sunt terribiles & truculentæ, vt similes nec Angelus, nec Dæmon aliquis infligere posset.

Tostat. q. 48. in cap. 12. Exodi.

4. Pro cuius meliori intelligentia attendere oportet ad id, quod Ioannis cap. 2. scribitur, vbi sanctus Euangelista refert, quod dum Christus die quadam templum Ierosolymitanum ingrederetur, ibidemque impios Pontifices Sacerdotesq; Sacrilegos iniustis negotijs suis intendentes, suoque prauo exemplo populum scandalizantes reperisset, ob tantam eorundem peruersitatem indignatus, funem quendam proprijs suis manibus corripuerit, eun-

eundemque illis impingens ex sacro illos loco pepulerit; *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Circa quem locum S. Pater Gregorius quærit: Quamobrem Christus Dominus auaros hosce pastores condigne castigaturus, flagellum suum non alicui Angelo, aut Dæmoni, aut homini alicui verbi causa sancto Petro aut alteri cuipiam Apostolorum quos secum habebat commiserit, sed suismet illud corripere & infligere manibus voluerit?

Ioan. 2. v. 15.

Quia subditorum culpas, respondet sanctus Pontifex, *per pastores percutit, sed Pastorum vitia per semetipsum ferit.* q. d. Tametsi Deus subditos aut commune vulgus castigare volens, alienis vti soleat manibus: attamen dum Prælatos, aut alios superiores vult supplicio aliquo afficere, proprias semper non vero alienas manus adhibet. Quodsi vero vlterius interrogaueritis, quamobrem Deus subditos alienis, Prælatos autem proprijs manibus puniat? Facilis est responsio, huius enim optimam rationem sapiens adfert, qui de superiorum condignis supplicijs tractans sic loquitur: *Iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet, exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Quando Deus hominum plebeiorum, qui alterius subiecti sunt imperio vult castigare peccata, eos vtpote qui excusationem compassionemque merentur, moderate castigat, ideoque tunc flagellum alienis committere manibus solet: nam *Exiguo conceditur misericordia.* Quando vero Prælatos aliosque rectores castigare decreuit, quia in peccatis illorum, ob eorundem dignitatem, nulla reperitur excusatio, ideoque hi nulla prorsus commiseratione sunt digni, ideo illos acerbius punire volens, siquidem *potentes potenter tormenta patientur*, proprijs flagellum manibus appræhendit ipsosque atrociter ferit, neque enim vlla reperiri manus potest, quæ adeo valide castigare & affligere homines possit, sicut ipsa manus Dei: *Pastorum vitia per semetipsum ferit.*

S. Gregor. Hom. 17. in Euang.

Sapient. 6. v. 7.

5. Ad hæc attendite exactius verborum sancti Pontificis proprietatem, per hanc enim obseruationem id quod hucusque probauimus, clarius apparebit. Equidem quando dicit Deum castigare manibus alienis, vtitur verbo *Percutere.* Quando autem postea dicit Deum proprijs manibus reum pœna mulctare, vtitur verbo *Ferire.* Vt innuat, quod tanta sit differentia inter verbera, quæ diuina Iustitia Creaturarum suarum manibus commisit, & alia quæ Deus proprijs manibus exequitur, quanta est inter verbera & vulnera. Manus creaturæ duntaxat percutiunt, seu verberant, quia carnem non penetrant, manus autem Dei vulnerant, quia pellem lacerant, carnem conuellunt, rumpunt neruos & ossa confringunt.

6. Pro maiori insuper huius confirmatione, Matthæi octauo capite inuenietis, quod cum Christus animarum nostrarum Saluator nouiter regionem ingressus esset Gerasenorum, duos obuios habuerit Dæmones, à quibus alij duo homines grauiter torquebantur, qui cum vix diuinam experti fuissent præsentiã, mox altum exclamabant, contraque Christum obtestabantur dicentes, quod iusto citius, & ante determinatum tempus ad illos affligendos venisset: *Et ecce clamauerunt dicentes: Quid nobis & tibi IESV fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos?* *Matth. 8. v. 29.*

Circa quem locum indaganda merito est ratio, ob quam hi Dæmones lamentati fuerint, quod torquerentur à Christo, non vero fuerint conquesti, quod affligerentur & torquerentur ab inferno, cuius pœnis actualiter irretiti erant, cuius etiam loci dolores, absque vlla comparatione grauiores & vehementiores sunt, quocunque dolore possibili & imaginabili? Et quidem ni fallor huius ratio obseruari poterit in eo, quod Philippus Abbas hunc locum explicans dicit, qui vult hosce Dæmones ideo adeo vehementer fuisse lamentatos, quia tunc durissima Christi manu vapulabant, nouumque inde ac insolitum & irremediabilem experiebantur dolorem: *Dolore irremediabili manum Christi durissimam patiuntur.* Absque vlla namque æqualitate maior dolor erat, quem Dæmones per verbera manus Diuinæ patiebantur, quam is quem sustinebant ex inferni incendio. Vnde haud secus ac si *Inferni* tormenta certo quodammodo essent tolerabilia, de ijs, aut eorum dolore non lamentabantur: Bene autem

Philip Ab. de silent. Cler. c. 105.

lamentabantur, valdeque dolebant de verberibus manus diuinæ, vt innuerent, quod maiorem dolorem, maioremque pœnam manus infligeret diuina, quam infernalis fornacis incendium.

7. Vnde cum pœnæ purgatorij animabus non ab alia manu infligantur, quam à manu diuina necessum est inde concludere, quod grauioribus, crudelioribus, magisque dolorosis tormentis subiaceant, quam vnquam excogitari possint. Vnde vt à parentibus & amicis suis in hac vita degentibus subsidiũ & opem obtineant, eosdemque ad maiorẽ pietatem permoueant, efficacius ad id motiuum adducere nequiuerunt, quam vt dolores suos explicantes dicant: *Miseremini mei miseremini mei, quia manus Domini tetigit me.* (Iob 19. v. 21.) Non dicunt se ab Angelo quodam, aut Dæmone, aut alia quauis truculenta & crudeli creatura torqueri, sed à Dei manu, quibus verbis indicant, aliquod incomparabilis mali sui complementum, quod ab alia quam diuina manu infligi non posset: *Manus Domini tetigit me.* Atque hæc est ratio, ob quam in præsenti Euangelio dicitur, solum Deum incarnatum, non vero Angelos aut Dæmones S. Petri domum, hoc est, purgatorium ingressos fuisse. *Introiuit in domum Simonis.*

8. S. Pater Bernardinus Senensis vult verba illa Ecclesiastici cap. 24. (Eccles. 24. v. 8.) *Gyrum cæli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui, in fluctibus maris ambulaui,* à virgine Deipara Beatissima MARIA pronuntiata fuisse, quæ vtpote pientissima mater, Purgatorij animas persæpe visitare consueuit, vt illas consoletur, atque à tormentis illis liberet, quæ sanctus hic Doctor, per fluctus maris significata fuisse, existimat: *Beata virgo in regnum Purgatorij dominium tenet; propterea inquit: Et in fluctibus maris ambulaui.* (S. Bernard de Nomine Maria art. 2. c. 3.) Porro quod si rationem scire cupitis, cur Pœnæ purgatorij mari assimilentur, hanc idem sanctus Doctor in medium adducere non omittit, dicens: *Pœna siquidem Purgatorii ideo dicitur fluctus, quia transitoria est; & additur maris, quia nimium amara.*

Nemini dubium est, quin tametsi omnia mala & ærumnæ mundi huius sint amarissimæ, prouti Ezechias Rex de infirmitate sua loquens dicebat: *Amaritudo mea amarissima,* (Isa. 38. v. 17.) nihilominus cuncta hæc mala, iuxta Iosiæ Regis opinionem, quædam tantum sint amaritudinis stillæ. *Magnus furor Domini stillauit super nos.* (2. Paralip. 34. v. 21.) Et quia pœnæ, tormenta, & dolores Passionis vnigeniti filij Dei, sine vlla comparatione omnes huius mundi pœnas & afflictiones longe superarunt, ideo appellati sunt Calix, prouti illos appellauit in horto montis Oliueti cum Patre suo æterno loquens: *Pater si vis, transfer calicem istum à me.* (Luc. 22. v. 42.) At vero pœnæ purgatorij ingens quoddam mare esse dicuntur; *In fluctibus maris ambulaui,* adeo enim ingentes sunt & atroces, vt in ipsarum comparatione, omnes quæ in hoc mundo tolerantur pœnæ, etiam illæ quas verbum incarnatum pati voluit, donec moreretur in Cruce sint veluti paruæ quædam guttæ seu stillæ, cum vasto mari comparatæ. Vnde opinio est huius sancti Doctoris, quod *omnes pœnæ, quæ possunt excogitari in hoc mundo, & pœna Christi, & omnium aliorum Martyrum, cæterarumque personarum & creaturarum, nihil sunt respectu pœnæ purgatorij.* (Idem Doct. in Esther serm. 15.) *Et tantum interest inter ignem nostrum naturalem, ab igne purgatorij, quantum interest ignis pictus, à vero igne naturali.* Vnde purgatorium est verum quoddam amaritudinis mare: *In fluctibus maris ambulaui.*

9. Audite quid nobile illud patientiæ speculum S. Iob in persona animæ cuiusdam, quæ ad purgandas peccatorum suorum maculas in purgatorio degit cum Deo loquatur iuxta sanctæ matris Ecclesiæ applicationem: *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?* (Iob. 13. v. 24.) q. d. Scire per cuperem, ô mi dulcissime Domine, quamobrem Maiestas tua me in hac fornace religatum, non solum à Paradiso & visione beatæ gloriæ tuæ, quæ in Diuini vultus tui claro aspectu consistit, remoretur, verum insuper me inimicum tuum esse existimet? Ad vltima autem duntaxat verba ex præcitatis attendite; videlicet; *Arbitraris me inimicum tuum,* hæc enim sola nunc ad præsens nostrum propositum faciunt. Quæ quidem primo intuitu nec rationabilia, neque ori talis cuiuspiam animæ, de qua loquimur, bene conuenire videntur; Siquidem anima,

quæ

quæ postea ex hac vita discedens in purgatorium commigrat, in gratia Dei ex hac vita migrauit, ideoque amica Dei existit, sicut ea, quæ peccato obnoxia hinc discedit, vt torqueatur in inferno, in Dei indignatione est, & eius consequenter inimica. Cum igitur talis anima per Iobum repræsentata Dei amica sit, quomodo dici potest, quod Deus illam inimicam suam esse arbitretur? *Arbitraris me inimicum tuum.*

Ad hanc difficultatem resoluendam Notandum est, Iobum non dicere quod talis anima, vere inimica sit Dei, sed quod Deus illam veluti inimicam arbitretur & tractet, licet reuera amica existat. Idque ideo dicit, vt per hoc innuat dolorum & tormentorum, quibus subiacet, atrocitatem & acerbitatem. Vnde sciendum magnam esse inter supplicia amici & inimici differentiam. Quando castigatur amicus, id fit, vt talis corrigatur & emendetur, ad eum modum, quo Christus dum magnum illum amicum suum male tractaret, dicebat: *Ego quos amo, corrigo, & castigo*: Quando autem in inimicũ fit animaduersio, id fit per modum puræ vindictæ, secundum id quod Deus per os Isaiæ prophetæ dicebat: *Vindicabor de inimicis meis.* Hoc itaque fundamenti loco supposito, Abulensis existimat, animas purgatorij à Deo non ad correctionem, aut emendationem, sed in puram vindictam torqueri: *Eos qui in Purgatorio sunt, non puniri ad emendationem, sed ad vltionem.* Ideoque haud secus, ac si inimicæ essent, puniantur. Et profecto satis reipsa apparet, Deum erga illas animas non se ita habere, ac si illarum amicus esset, qualis tamen reuera est, sed per modum inimici, easdemque tanquam inimicas, grauissimis pœnis mulctat, illas in easdem tenebras recludendo, eidem igni dedicando, eidem glaciei immergendo, in qua animæ inimicæ & reprobæ commorantur, & torquentur: Et tametsi etiam in inferno reuera non essent, pœnæ tamen, quas patiuntur, adeo sunt atroces & truculentæ, vt ob earum acerbitatem, in vero Inferno commorari videri possint, siquidem Purgatorium ab Inferno, sola spe beatæ gloriæ excepta, parum aut nihil differt. *Arbitraris me inimicum tuum.*

Apocal. 3. v. 19.

Tostat q. 6. in cap. 10 Leuitan.

10. Pro hoc conceptu magis confirmando, vna ex purgatorij animabus per os eiusdem Iobi ita loquitur: *Infernus domus mea est.* Qui hasce huius animæ querelas audiret, ignarus existens veritatis illius, de qua loquimur, merito admirari posset, & dicere: Quomodo illa dicit se esse in Inferno, cũ reuera degat in Purgatorio? Cui ex dictis facile responderi poterit, quod videlicet in Inferno se commorari dicat, cum tamen reuera sit in purgatorio, ad significandam tormentorum quibus subiacet excessiuam vehementiam, adeo enim grauia & acerba sunt purgandæ animæ illius tormenta, vt ab Infernalibus parum vel nihil differant, adeo vt licet sint in Purgatorio, esse tamen videãtur in Inferno: Nam doctissimus Tostatus dicit, *in purgatoriis sedibus tanta Cruciatuum, immanitas est, vt ab inferorum qualitate modicum aut nihil distet, quantum ad cruciatuum magnitudinem & duritiem.* Merito igitur in purgatorio existentes in Inferno se esse dicunt: *Infernus domus mea est.*

Iob. 17. v. 13.

Tostat. para. 4. c. 45.

11. S. Pater Bonauentura bene obseruat, quod sancta Ecclesia, veluti pientissima mater, vt purgatorij animas diuinæ clementiæ recommendet, illa Psalmi septuagesimi tertij verba vsurpet: *Animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.* Vnde eadem verba mature ponderans, quærit: Quo fine sancta mater Ecclesia hæc verba pronuntiat? forsan persuasum sibi habet, & timet, ne diuina bonitas animas hasce sempiternæ traditura sit obliuioni, ita vt pœnæ ipsarum, sicut illæ spirituum reproborum, nullum vnquã habituræ sint finem, ipsæque nunquam in æternam introducendæ sint Paradisi gloriam?

Ps. 73. v. 19.

Nequaquam, inquit S. Cardinalis, Ecclesia hæc verba, hoc sensu intelligit, satis enim abunde nouit, tormenta animarum illarum transitoria esse, illasque animas tandem aliquando cælesti beatitudine gauisuras: sed potius miserabilem illarum statum solummodo demonstrare intendit, siquidẽ non tantum inaudita & inimmaginabilia sufferunt tormenta, verum insuper tempus, quo in illo carcere detinentur, puniendæ, adeo est longum, vt illis nullum vnquam videatur finem, & terminum habiturum, haud secus ac si Deus illarum prorsus oblitus esset, ipsasque nunquam liberare, aut

S. Bonau. serm.3. de Mortuis. finem ijs dare cogitasset: *His verbis Ecclesia cum multo gemitu orat, pro pauperibus animabus in Purgatorio, quarum pœnæ intolerabiles, tam durabiles sunt, quasi Dominus obliuioni eas tradiderit.* Vnde perspicue videtur, quam sit Purgatorium simile inferno, non ob atrocitatem duntaxat, verum etiam ob temporis, quo in eo commorabuntur, diuturnam durationem, tametsi infernus æternitatem sibi coniunctam habeat, quæ in Purgatorio nullum prorsus locum obtinet.

12. Nulli dubium est quin maior pæna quæ in inferno reprobos spiritus torquere possit, sit pæna quam vocant damni hoc est, priuatio beatæ visionis diuinæ faciei, quæ pæna in ipso quoque reperitur Purgatorio adeo atrox & vehemens, vt certo quodam modo ab animabus illis pænosior iudicetur, quam pæna sensus inferni, id quod ex sequenti scripturæ loco perspicuè obseruari poterit. In Exodo namque inuenietis, quod tum Moyses videret, Deum statuisse idololatriæ peccatum à scelerato populo suo commissum, nullo prorsus modo condonare, sed potius in tanti sceleris pænam decreuisse illum æterno inferni incendio mancipare, hanc Deo postulationē proposuerit; *Exodi 32. v.31.* *Obsecro, Domine peccauit populus iste peccatum maximū, feceruntque sibi Deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro, quem scripsisti.* quasi diceret: O mi Domine alterutrum horum opus erit vt facias, aut enim indulge peccatum istud populo huic, aut me perpetua quodam litura è libro vitæ exterminato; malo enim absque tui offensa vna cum illis damnatis ardere in inferno, atque hoc pacto in illorum societate permanere, quam solus & illorum societate orbatus cælo frui. Ecquid vobis de hac à Moyse facta resolutione videtur? procul dubio nimis is vobis audax videbitur & temerarius.

S. Pater Bernardus illi compatitur, eumque excusat, videns Moysen nimia coactum amoris vehementia, quo populum illum prosequebatur, quem videbat à Diuina iustitia in inferno damnadum, in hanc resolutionis partem inclinare: *Bern. serm 12. in Cantic.* siquidem *Tolerabiliorem sibi vendicat torsionem quam euulsionem* Tolerabilius sibi tormentum esse videbatur, in inferno in populi sui, quem amabat, societate torqueri, quam ab illo separatum & diuisum in beata & gloriosa cælorum commorari gloria. Tametsi Moyses in diuina pietate, nec non meritis suis, & virtute confisus, de æterno cælestis gloriæ incolatu futuro certus esset atque securus, vtpote qui Diuino Beatorum catalogo iam erat insertus, attamen cum videret eos, quos tantopere ambat, in ignem æternum condemnandos, adeoque se, vtpote qui aliam ingressurus erat semitam, ab eodem aliquādo separandum, hanc tam lamentabilem diuisionem nulla ratione sustinere valens, elegit potius in eorundem societate absque vlla Dei offensa torqueri in inferno, quam à tali societate diuisum, cum Angelis & electis gaudere in cælo; tolerabilius existimās, in eorum quos amabat societate, in inferni ardere incendio, quam ab ijsdem separatum in beata cælorum commorari gloria. *Tolerabiliorem sibi vendicat torsionem, quam euulsionem.*

Vnde facile conijcere licet, quam terribilis in sanctis Purgatorij animabus sit pæna sensus, quamdiu enim illi subiacebunt, necessum est vt ab æterno summoque bono sequestrati sint atque diuisi. Ego quidem existimo, quod millies millies conflagrari mallent cum illis, qui incendio pereunt, ne acerbo diuisionis huius tormento subiacere cogerentur, mallent esse in inferno, quā stare diuisi à Deo summè dilecto, & vna cū Moyse: *Tolerabiliorem sibi vendicarent torsionē quam euulsionem.* Adhæc diuisionis istius pænæ tanto magis augentur, quanto probabilius est, quod referēte Tostato, docet Doctorum nonnullorum opinio, qui existimant Pænam damni prœnosiorem magisque acerbam esse in purgatorio, quam in inferno: quia dicunt *quanto quis magis amat, tanto magis dolet de absentia rei amatæ.* *Tostat. q. 685. in ca. 25. Matth.* Cum igitur damnati non solum Deum non diligant, verum insuper summo ipsum odio prosequantur. *Ideo* (sic Doctores illi concludunt) *non tristantur ita de absentia eius, sicut existentes in purgatorio.* Dicta esto hæc Doctrina obiter tantum & per parenthesin, vt aiunt, siquidem nec doctissimus Abulensis illam veram esse credit, nec ego illam, vt veram, amplector aut sequor.

Quod si

Quodsi igitur adeo atroces & graues sint pœnæ animarum illarum, quas diuina iustitia detinet in purgatorio, vt sicuti diximus quæcunque atrox & terribilis pœna, quam in hoc mundo imaginari nobis possumus, nihil prorsus sit respectu illius: Ex altera vero parte, homo, quamdiu in hæc vita degit, lenibus & suauibus lauacris peccatorum suorum expurgationem facere possit, annō stolidum, delirum & ignorantem eum existimabitis qui peccatorum suorum expiationem in alteram vsque vitam negligenter reseruate vtique. Quis enim hac de re dubitet, cum in hac vita non desint alia purgatoria, in quibus longe maiori cum facilitate & suauitate spurcities animarum lauari & expiari possint, prout in duabus sequentibus considerationibus fusius dicturi sumus.

CONSIDERATIO II

Ministrabat illis.

Peccator pœnitens non iam deinceps is est, qui erat delinquens sed longe alius à se diuersus.

1. DOctor Seraphicus per Socrus S. Petri curatam febrem, curam animæ intelligit, idest veniam & remissionem peccatorum, quæ homo commisit: *Curatio mulieris à febre, est curatio animæ à peccatis.* Quia vero homo post culparum suarum absolutionem, ad hoc vt satisfaciat, & à temporali pœna sibi residua sese expurget, pœnitentia operibus se mancipare debet, ideo sapiens hæc mulier, mox vt mystice fuit absoluta, pijs sese totam Christi & discipulorum suorum obsequiis dedicat & impendit: *Et continuo surgens ministrabat illis.* Hæc autem operā primum formant huius vitæ purgatorium quia animam à sordibus ex peccato contractis purgare consueuerunt. *Nonne videtur nobis,* inquit S. Vincentius Ferrerius, *Purgatorium esse ieiunare in pane & Aqua, portare cilicium: dormire in terra, & sic de aliis?* Hoc autem purgatorium tanta cum efficacia purgat & renouat animam, ipsumque pœnitentem in talem statum reducit vt non videatur idem esse qui erat, cum adhuc peccator esset, sed omnino alius, atque à semetipso diuersus.

S. Bonau. Hic.

S. Vincent. Dom. 3. post Trinit.

Matthæi 13. Capite scribitur, quod supra, frumentum electū, quod magnus Agricola Deus in Ecclesiæ suæ Campo, vel agro seminauerat, peruersus Dæmon noctu occulte veniens superseminauerit zizania, quæ postea nata simul cum frumento succreuerunt, quod aduertentes sancti Angeli Dei, insigni dolore tacti, & mox abiêre idipsum Domino Deo suo nuntiaturi, sua quoque vlterius obsequia præsentantes, vt si Diuinæ suæ Maiestati ita placitum esset, ad euellendam & extirpandam infamem zizaniorum herbā, & frumentum rite purgandum vltroneam suam admitteret operam Quibus Deus expresse, ne tale quid attentarent, prohibuit *Ne forte, inquit, colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.*

Matth 13. v. 29.

2. Huic loco nonnihil vt immoremur necessum est, & inuestigemus rationem, cur Deus sibi persuasum habuerit, fieri nō posse, vt Angeli tanta cum dexteritate eradicarēt zizania, quia simul euellerent & triticū. Cū tamen in Agriculturæ exercitijs quotidie videatur, quod quiuis imperitus, & humilis abiectique ingenij homo, loliū aliasq; herbas infructiferas tanta cum dexteritate eradicare soleat, vt ne vel minima etiam parte offendat aut diminuat triticū; id quod haud dubie cælestes Angeli maiori cū facilitate, diligentia & industria exequi poterant, cur igitur verebatur Deus, ne Angeli sine notabili tritici damno zizania nequirent euellere? *Ne forte colligentes zizania radicetis & triticum.*

Respondeo res Agriculturæ terrestris & spiritualis diuersa prorsus via procedere: tametsi enim terræ cultor, magna cum facilitate terrena eradicare possit zizania, ita vt triticum inde neutiquā offendatur: hoc tamē tanta cum dexteritate fieri nō potest in bladis spiritualibus ne quidem ab ipsismet Angelis, tametsi hi alias tātæ tamq; eximiæ virtutis existant: Et ratio illius est, quia zizania terrena semper sunt & manent zizania; & qui semel detruncauit zizania, semper zizania detruncasse videbitur: Econtra vero licet zizania spiritualia hodie sint zizania, cras tamen deprehendi possunt transformata esse in triticum. Vnde qui hodie zizania amputare audet, euidenti se periculo exponit, ne nō zizania demetat, sed frumentum in quod zizania

mox

mox transformanda erāt. Ad quam transformationem Deus respexit, quando moratus est Angelos, ne triticum à zizanijs expurgarent, iuxta id quod dicit S. Pater Ioannes Chrysost. *Itaque & expurgare ista vetat, nequando enim, inquit, vna cum illis & frumentū euellatis, hoc est, illud frumentum quod futurum est ex illis.* q. d. Quando Angeli petierunt facultatem euellendi zizania, vt hac ratione expurgaretur triticum, sicuti tunc per triticū homines intelligebant sanctos & virtuosos, sic per zizania significare volebant peruersos & sceleratos, qui ad instar zizaniorum non solum sunt infructiferi, verum etiā tritico amicorum Dei molesti & damnosi, quos sancti Angeli ad liberandos amicos Domini sui à tanta molestia, vita exuere volebant. Quod tamen à benignissimo Deo illis fuit prohibitum, ob spem, quam habebat, fore vt mediante insigni pœnitentia transformarentur in viros sanctos. Ex dictis vtique notastis, qualiter homines zizania sint, quamdiu sunt peccatores, quando vero de peccatis suis agunt pœnitentiam, vitamque suam melius & sanctius instituunt, nō iam amplius zizania, sed triticum existant, hoc est, nō sunt amplius qui erant, sed longe alij atq; diuersi. Id quod eo fine hic dicitur, vt per hoc significetur, pœnitentiam tanta cum efficacia & virtute hominem à peccato expurgare, vt illum alium prorsus hominem constituat, omnino ab eo diuersum, qui erat dum adhuc peccator esset.

Chrysost. hom. 13. ad Rom.

3. Rupertus Abbas conuersionem S. Pauli Apostoli considerans, ita inquit: *Vbi proiectus est in terram Saulus, surrexit Paulus.* q. d. proiectus fuit in terram Saulus, & alius quidam resurgēs erectus est. Verum enimuero, quisquis hunc peregrinum loquendi modū audierit, subito interrogare me poterit dicendo. Quodsi vnus idemq; homo fuit qui proiectus in terram & in pedes erectus est, quamobrem igitur Rupertus hanc adfert diuersitatem? Huic igitur respondeo, quod venerabilis hic Abbas hæc verba scribens ad cōsuetas à pœnitentia ortas transformationes & metamorphoses respexerit, quia tametsi S. Paulus vnus idemque semper remāserit, & priusquam ex equo lapsus esset & post lapsum, cum ex lapsu non sit alter homo; nihilominus alter prorsus & diuersus factus esse dicitur, quia post lapsum mox prioris vitæ ipsum vehementer pœnituit, & per hanc superioris vitæ pœnitudinem adeo transformatus est à semetipso qui antea erat, vt non idem sed diuersus esse videretur ad significandam admirabilem Pœnitentiæ virtutem, quæ homines facere solet alios & diuersos ab illis, qui erant dum adhuc essent peccatores: *Vbi proiectus est in terram Saulus, surrexit Paulus.*

Rup. Ab. de Oper. spirit. S. lib. 1. c. 8. de Beat.

4. Confirmatur id ipsum per eiusdem Apostoli doctrinam, qui cum Galathis agēs, ita loquitur: *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus.* Quisnam S. Paulum hoc modo loquentem audiens, non subito existimet discursum hunc merum quoddam esse paradoxum, & veram quandam contradictionem? Et reuera ita est. Si enim ipse erat is qui viuebat, quomodo is non erat sed alius? aut vero si alius erat, quomodo ipse esse poterat? Soluit hanc difficultatem sanctissimus Pontifex Innocentius III. & dicit: *Profecto potest dicere, non sum qui fueram, quia videlicet non est talis in culpa, licet idem sit in natura.* q. d. S. Paulus hæc verba loquens respiciebat ad Pœnitentiam, quam de peccato suo egerat, per quam, tametsi idem esset qui ante, cum idem habeat corpus, eandemque animam quam prius habebat; tamen alius fiebat & à semetipso diuersus; pœnitentia enim homines in alios transformare solet, quam ante sub peccati statu essent: *Potest dicere, non sum qui fueram.*

Galat. 2. v. 20.

Innocent. tertius ser. de vno martyre.

S. Iacob Patriarcha postquam diu cum Deo, qui sibi per Angelum repræsentatus fuerat, colluctatus, totoque virium conatu Diuinam ab eo benedictionem nocte integra deprecatus fuisset, hanc tamen; prout refert Oseas Propheta, obtinere nequaquā potuit, donec prius amare fleuisset: *Et inualuit ad Angelum, & confortatus est: fleuit, & rogauit eum.* Post effusas namque lachrymas, Deus quod illi nomen esset, ab eo rogauit, cumque illum Iacob vocari intellexit eidem præcepit, vt paulatim nomine isthoc deposito Israelis nomen sibi deinceps vendicaret: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* S. Antonius de Padua argute obseruat, Iacobū post effusas amare lachrymas, non vero ante promeruisse, vt Israel appellaretur. *Iacob post luctum vocatus est Israel & non*

Ose. 12. v. 4.

Gen. 32. v. 28.

S. Anton.

& non ante. Sed quænam obsecro est ratio, cur Iacob post pláctum pridem Israel vocari debuerit, & non ante? Certa huiusce ratio hæc est quia Iacob tunc hominem referebat pœnitentem, cui proprium est plangere; Hic autē virtute Pœnitentiæ transformari solet in virum alterum ab eo qui erat, dum adhuc peccator esset, vt proinde vel ideo necessum fuerit, aliud sibi nomen assumere, priori omnino relicto vel suppresso. Post planctum enim, hoc nomen Iacob haud quaquam illi apte conueniebat, sed potius Israelis nomen, quod idem significat, quod *videns Deū*, quasi ex homine mortali factus esset immortalis, ex terreno cælestis, atq; ex viatore beatus; imo qui peccator existens dedicatus & mācipatus erat æternis inferni doloribus, agendo pœnitentiam adeo factus est ab inferno remotus, vt veluti beatus quidam in cœlo constitutus, illorum sibi nomen communicatum acceperit, qui Deum vident, illoque perfecte fruuntur: *Post luctū vocatus est Israel*.

6 Porro conceptus iste maiorem sibi vim acquiret, si alium quendam ex capite secūdo Apocalypseos locum annotauerimus, in quo dicitur, quod cum Christus Dominus noster dilecto suo discipulo præciperet, vt Episcopū Ephesinū conueniens, eundem pœnitentiæ peccatorum suorum commonefaceret, illum non iam Episcopum sed Angelum vocauerit: *Angelo Ephesi scribe: Hæc dicit qui tenet septem stellas in manu sua: Age pœnitentiam & prima opera fac*. (*Apocal. 2. v. 1. & 2.*) Circa quæ verba quoddam mihi dubium suboritur, ideoq; quæro. Eratne Episcopus iste homo, an vero Angelus quidā? Haud dubiè respondebitis, ipsum hominem fuisse, & non Angelum. At vero vlterius inquiro, quod si igitur homo fuit, quāobrem ergo, Christus illum non appellauit hominem, qualis reuera erat, sed Angelum qualis non erat? S. P. Ambros. respondet: *Angelus dicitur, cui pœnitentiæ cura mandatur*. (*S. Ambr. li. de pœnit. tomo. 3.*) Tametsi Prælatus ille reuera homo esset, haud secus ac alij homines, tamen à Deo Angelus appellabatur, eo quod illi suaderetur pœnitentia, qua mediante ex homine in quendā veluti Angelum transformandus erat. Pœnitentia enim eam habet nos magnificandi virtutem, vt nos qui veri homines sumus, in Angelos transmutet. Vnde cum pœnitens homo fuerit ante peractam pœnitentiā, postea vero factus sit Angelus, indubitatum relinquitur, pœnitentem alium prorsus fieri & diuersum ab illo, qui erat dum viueret in statu peccati. *Angelus dicitur, cui pœnitentiæ cura mandatur*.

7. Quando filij Zebedæi ambitiose prima & honoratiora Regiæ cælestis loca quærebant, & rogati à Christo, num calicem Martyrij epotare auderent, respondebant se id omnino posse mox Christus Saluator noster subiunxit: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis* (*Matth. 20. v. 23.*) Nōnihil hic subsistamus, scire enim velim, qua de causa Christus hisce discipulis dixerit; suum non esse, ipsis petitum in cœlestibus locum concedere, cum tamen ipsis postea totum indulserit, quicquid in postulatione sua rogabant, siquidē post Martyrij calicem exhaustū ipsos in primas cœli sedes euectos & exaltatos glorificauit.

Pro huius autem rationis intelligentia opus est, vim huius pronominis, *vobis*, perfectè assequi, quod Christus in data ipsius responsione adhibuit: *Non est meū dare vobis*. Hoc igitur pronomine Christus significare volebat, paratum se quidem ad concedendū postulatam ab ipsis gratiam, sicuti eandem postea reapse concesit, sed non illis, seu vobis. Ne tamen hic loquendi modus videatur paradoxus, optime ex Glossa ordinaria me explicabo, à qua verba prædicta per hanc paraphrasin explicantur: *Non est meum dare vobis superbis, quod adhuc estis, sed alijs*, (*Glos. ibid.*) id est vobis, qui mox longe futuri estis alii, quam modo sitis; non iam deinceps superbi & ambitiosi, sed demissi & humiliati, quando de præsenti imperfectione pœnitentiam agētes, atque à vitijs vos purgantes, virtutibus mentē vestram ornabitis. Vnde duo hi sancti discipuli per peccatorum suorum pœnitudinem, non manserunt ijdem qui prius erāt, sed alij atque diuersi. Idq; vt per hoc intelligamus, quanta cū perfectione pœnitentia animā à præteritis expurget defectibus, vtpote quæ pœnitentem alium reddit & diuersum à semetipso adhuc peccatore.

8. Quando benignissimo Domino nostro, ad pleniorem Mariæ Magdalenæ consolationem, Lazarum resuscitare complacuit, dicit S. Ioannes, resuscitatum Lazarū sepul-

chro facie prorsus tecta egressum fuisse: *Facies illius sudario erat ligata*, ideoque circumstantibus præcepit, vt illum soluerent & discooperirent: *Soluite eum & sinite abire*: significare volens quod sicuti velum Lazaro defuncto bene quadrabat, ita viuo & resuscitato, valdè inepte conueniat.

Io. 11 v. 45

Ast videamus rationem, ob quam Lazarus mortuus faciem habere debuerit tectam & coopertam, resuscitatus autem & viuus facie fuerit nuda & reuelata. Rationem autem hanc S. Pater Ambrosius attulit dicens: *Quia venia data est, reuelare faciem, aperire vultum iubetur*. Quia enim Lazarus mortuus, symbolum erat hominis peccatoris, & in peccato obstinati, facie tecta & cooperta merito stare debebat, peccator enim adeo est turpis, infamis, & vituperosus, vt sicut communiter de tali homine dici solet, non habet faciem qua inter alios comparere ausit, illam tegat & cooperiat, necessum sit. Quodsi autem postea contingat vt agat pœnitentiam, & Deus illi peccata remittat, & veluti alium quendam Lazarum à mortuis resciscitet, antiquum tollendum est velum, & facies discooperienda, iam enim virtute pœnitentiæ, haud secus ac si nunquam peccasset, non amplius turpis, vituperosus aut infamis est, sicut prius erat, ideoque libere iterum, sine vlla verecundia & facie omnino reuelata inter homines comparere, & cuiuis innocenti & virtuoso coniungere se potest: *Non habet vnde erubescat, cui peccatum dimissum est*. Non enim iã deinceps est idẽ qui prius, sed longe alius, atq; à semetipso diuersus.

S. Ambr. de pœnit. lib. 2. c. 7.

9. Refert Alexander Neapolitanus quod circa nauem Thesei, in qua hic in cretam vna cum alijs Argonautis nauigauerat, quæ lignis absoletis, tabulisque cariosis frequẽter ablatis & nouis earum loco suppositis vsque ad Demetrij Phalerei tempora conseruata fuit Athenis; quod inquam circa hãc nauim inter *Philosophos & legistas*, magna exorta fuerit quæstionis controuersia, num videlicet eadem semper mansisset quæ antea fuerat? Videbatur namque vna ex parte dicendum, quod esset eademmet, quia eandẽ continuo reseruabat formam; alia vero ex parte videbatur diuersa, & non eadem, quia constabat omnino diuersa materia, quam ante non habuerat.

Alexand. ab Alexandro Dier. Genial. lib. 3. c. 1.

Legistæ, sub quorum professione hic Author erat, dicebant nauem illam semper remansisse vnam & eandem, sicut enim grex ex determinatione Vulpiani vnus & idẽ semper perseuerat, licet primis pecoribus mortuis in locum illorum alij subingrediantur iuuenci; ita quoque Thesei nauim in qua antiquis tabulis nouæ successerant, quia eãdem semper continuabat formam, eandem semper perseuerasse concludebant. *Philosophi* autem, qui maiori cum indagine quæstioni huic intendebant, volebant ipsam aliã esse longeque diuersam ab illa, quæ ante fuerat, tametsi enim eandem retinuisset formam, diuersa tamen materia constabat. Nã sicuti populus Romanus, dicebat Hermolaus Barbarus, licet etiamnum in eadem degat ciuitate, non tamen idem populus esse, dicitur, qui antiquis olim erat temporibus, cum alii prorsus nunc in eo sint homines, qui prius non erant: ita quoque nauis Thesei, in qua primarum tabularum loco nouæ prorsus, idque frequenter, successerant, tametsi primam conseruarit formam, non eadem, sed alia longeque diuersa dicenda est. Vnde nauis ista ex opinione Legistarũ eadem remanserat: ex Philosophorum vero mente altera & a semetipsa diuersa euaserat. Porro homo pœnitens huic naui persimilis valde esse videtur. nã obsoletis, cariosis, & fracidis animæ peccatricis partibus continuò sublatis, nouæ, id est, virtutes & merita earum loco supponuntur, iuxta salutare S. Patris Ioannis Chrysostomi consilium peccatori pœnitenti pro animæ suæ remedio suggestum, dicentis: *Si pecces quotidie, quotidie pœnitentiam agas, quod in antiquis domibus facere solemus, cum fuerint putrefacta, putrida subtrahimus, & supponimus noua. & à continua cura nunquam desinimus*. Vnde si de hac pœnitentiæ naui, eadem quæ de naui Thesei oriretur quæstio, ego eãdem tam cum Legistis quam cum Philosophis terminandam esse censerem, ac dicerem, hominem pœnitentẽ eundem, & non eundem esse. Eundem quidem, quia idem corpus eandemque possidet animam: Non vero eundem, eo quod tanto cum stupore transformatus sit & ad pristinæ iuuentutis florem renouatus. Determinauit id ipsum hoc modi S. Pater Zeno, qui de homine pœnitente loquens, inquit.

S. Chrysost. Hom. 80. ad pop.

S. Zeno ad Neophytos. quit: *Ipse est, & tamen ipse non est, verus quidem domicilium est, sed nouus est inquilinus.*

10. Alia quædam antiquitus inter sanctæ Ecclesiæ Doctores versabatur quæstio, num videlicet Maria illa quæ pedes Christi vnxit in domo Simonis leprosi, vt scribit S. Lucas, *Lu. 7. & Io. 12. v. 3.* vna eadem que cum illa esset quæ caput vnxit in domo Lazari, vt refert S. Ioannes. Tametsi vero hisce nostris temporibus determinatum sit, esse, & fuisse vnam & eandem, absque vlla tamen temeritatis nota securè affirmare poterimus, fuisse distinctas, adeo vt vna ab altera diuersa sit; Audite Hieronymum Oleastrum hac super re discurrenté: *Oleast. in c. 15. Leuit.* *Neque enim, inquit, eadem quæ vnxit pedes, vnxit & caput. Vnxit ergo Maria sanctum Domini verticem, profectò iam eleuata, iam familiaris effectu, longeque à peccatricis illius absoluta vestigijs, quam infelix ille septenarius confundebat.* q. d. Non prorsus eadem quæ pedes Domini vnxit, vnxit & caput: quia quando vnxit pedes, peccatrix erat; quando vero caput vngebat, iam per pænitentiam è peccati luto eleuata, sancta & innocens facta fuerat.

Vnde sanctus quoque Pater Bernardus eodem sensu de sanctissima Maria Magdalena dicere voluit: *S. Bern. ser. de S. Maria Magdal.* *Est enim vnguentum bonum, quod Maria pedibus Saluatoris infudit: Est & melius quod eadem si tamen eadem super caput recumbentis effudit.* Vbi sanctus & mellifluus Doctor, prout haud dubiè obseruaueritis, dubitando ne forte Maria Magdalena non fuerit eadem post pænitentiam, quæ fuerat dum adhuc peccatrix famosa existeret, demonstrare voluit, peccatoré pænitentem adeo diuersum esse à semetipso, pro tempore illo, quo peccatis adhuc in sordescebat, vt dubitare merito possit, num idem sit aut manserit: *Eadem, si tamen eadem.*

11. Confirmatur id ipsum per aliam quãdam eiusdem sancti ac melliflui Abbatis Doctrinam, qui videns Simonem leprosum adeo ex facto Christi scandalizari, dum videret illum peccatrici cuidam mulieri, cuiusmodi erat Maria Magdalena, culpas suas plangens, adeo factum esse familiarem tantoque illam amore & affectione prosequi, illum Prophetam esse, credere detrectabat, *Lu. 7. v. 39* dicens: *Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* q. d. videte, quam grauiter hallucinemur, credendo hunc esse Prophetam. Quodsi enim talis esset, sciret vtique mulierem hanc enormem quandam esse peccatricem, neque tangi quidem se ab ea permitteret, hunc in modum eundem alloquitur: *Meritò proinde iam nõ peccatrix, iuxta tuam sententiam, ô Pharisæe, sed sancta & discipula Christi vocabitur.* q. d. Merito Christus cælorum Rex se ab hac muliere tangi permittit, vtpote quæ iam nõ peccatrix existit, qualem tu illam esse existimas, sed sancta & feruens quædam Christi discipula, vnde grauiter ô Pharisæe deciporis, dum hanc mulierem, peccatricem appellas, cum illam sanctam & Christi appellare deberes discipulam.

Quisquis prima huius historiæ verba attenderet, quibus S. Lúcas Mariam Magdalenam peccatricem, imo quod plus est, publicam peccatricem appellat: *Mulier in ciuitate peccatrix,* is profectò iudicabit, vti existimo, Pharisæum nequaquam in suo iudicio deceptum fuisse, aut temere iudicasse, dum se sancto Euangelistæ conformans, illam peccatricem appellat. Si enim S. Lucas eam peccatricem appellat, nec tamen inde reprehẽditur, cur reprehendendus erit Pharisæus, quod illam eodem prorsus nomine compellet. Verum enimuero historiam hanc cum S. Bern. intelligere oportet qui dicit, Pharisæum hunc malè, imo pessime iudicasse, siquidem illam sanctam, & non peccatricem appellare debebat. Quodsi Euangelista illã peccatricem vocauit, id fecit ante illius pænitentiam, quando aliter quam hoc nomine appellari non poterat. Posteaquam vero sua amarissimè defleuit peccata, & alia facta est ab ea quæ prius erat, & prorsus à semetipsa diuersa, non iam deinceps mala & peccatrix, quo nomine illam Pharisæus vocauit, sed innocens & sancta dicenda erat: *Iam non peccatrix, sed sancta & discipula Christi vocabitur.*

12. Huc apte spectabit locus ille ex S. Matthæo cap. 28 vbi referens, qualiter Maria Magdalena, corpus dilecti Iesu mortui & sepulti vnguentis suis delinitura ad sepulchrum sese valde mane receperit, ita inquit: *Vespere autem Sabbathi, quæ lucesc it in prima Sabbathi, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum.* *Mat. 28. v. 1.* Circa quem locum interpretes dubium quoddam excitare solent, & diceret Quamobrem Euangelista

 Mariam

Mariam Magdalenam, alteram Mariā quādam appellat? quodsi illa erat eademmet Maria, cur altera erat? Respondentque cum S. Petro Chrysologo, ex cuius doctrina difficultatem hanc hauserant, qui dicit: *Venit ipsa, sed altera; altera sed ipsa, vt mulier mutaretur vita, non nomine; virtute, non sexu.* Quē conceptum postquam syluis meis inserui, reperi eundem impressum & prædicatum esse à multis, vnde mihi visum est conuenientius, obiter tantum insinuatum dimittere, nec inter alios cōceptus meos collocare, qui quantum mihi conscius sum, sunt eiusmodi, vt ex aliorum ore vel calamo nunquam emanauerint.

Petrus Chrysol. serm. 74.

13. Supradictis igitur pulchram quandā addamus Cardinalis Diogonis considerationem, qui audiens Christum iusto & sancto latroni dicentem: *Hodie mecum eris in Paradiso*; sic illum alloquitur: *Tu latronem introducis in Paradisum, sed neque latro in paradiso est* q.d. Tu ô benignissime Domine valde quidem laboras, vt latronem in paradisum intrducas, sed quantum ego video, latro Paradisum nequaquam ingressus est. Valde peregrinum & nouum est, quod hic Doctor dicit, nos enim firmiter credimus & scimus, latronem hodie reuera esse in Paradiso, siquidem mentiri nequit is, qui latroni idipsum promisit; & hic Doctor dicit, latronem in Paradiso non esse: *sed neque latro in paradiso est*. Quonam igitur abiuit, si non concessit in Paradisum? Num forte in inferno, aut alibi extra beatum illud regnum moratur? Ne in cumbiguitate suspensi hæreamus, ideo mox Cardinalis subiungit: *Sed quomodo latro in Paradiso est? non enim iuxta te habitabit malignus. Latro fuerat, quando latebat ante confessionem, iustus post orationem.* Intrauit in Paradisum ipse, sed non ipse, ingressus est sanctus, non latro; transformatus per metamorphosin Pœnitentiæ in virum alterum, per quam etiam breui illo tempore, quo pendebat in Cruce, animam suam à tot commissis sceleribus ritè expiauit: *Latro fuerat quando latebat, ante confessionem, iustus post orationem.*

Lu. 23. v. 43.
Diogonis de Sac. Dom. pass. lib. 1.

14. Similem loquendi modum obseruo in sermone sexto S Patris Gaudentij Episcopi Brixiensis, vbi reddens causam, cur animarum Pastores baculum in manibus portent, dicit, id fieri propter leones & lupos, non vero propter oues. Et subiungit: *Quodsi lupus desinat esse lupus, & cum agno pascatur, & si leo desinens esse leo cum oue manducet paleas, baculo opus non est.* Audite quæso & obstupescite admirabilē Pœnitentiæ metamorphosin. Naturaliter est impossibile, quod leo desinat esse leo, & bos euadat, quod lupus non maneat lupus, sed fiat ouis aut agnus. Vnde ad significandam mutationem quandam impossibilē, dici in prouerbio solet: lupus pilū potius, quā mores & vitia mutabit. Et tamē pœnitentia ordinariè leones in boues, & lupos in agnos transmutat. Ecquid S. Apostolus Paulus aliud, quam leo & lupus erat, quando rabie & furore plenus, sitibundus Christiani sāguinis, vt illos dilaniaret, deuoraret discurrebat? Et tamen per Pœnitentiæ instrumentum Christus lupum tandem transformauit in Agnum: *Occisus agnus à lupis*, inquit S. Pater Augustinus, *& faciens agnos de lupis.*

S Gaud. serm. 6.
S. Aug. ser. 14. de sanctis.

15. Neque veritas isthæc ex iudicio & mente Christi-fidelium tantum attenditur, verum etiam ex opinione gentilium, qui nunquam Christum cognouere, obseruatur. De Cleomene Rege Græcorum scribitur, quod dum certum quendam hominem, quem vitiosum multisque sceleribus onustum esse nouerat, deuote assistentem videret sacrificijs alijsque cæremonijs ad falsorū Deorum cultum pertinentibus quas prius horrori & contemptui habebat, de tali nouitate haud parum admiratus, tale ab eodē homine tulerit responsum, *Quid miraris? non enim idem sum nunc, qui tunc fueram; cum autem non sim idem, nec probo eadem.* quasi dixisset: Non est quod Maiestas tua me modo religiosum & deuotum esse admiretur, iam enim simul cum via mutaui & vitam, tametsi enim superiori tempore diuersis me onerauerim sceleribus, iam eius quod negligenter commisi, intime me pænitet, ac proinde non sum idem qui fui, sed longe alius atque à me ipso diuersus: *Non enim idem sum qui fueram.*

Apoph. pag. 74. n. 10.

CON-

CONSIDERATIO III.

Habebant infirmos varijs languoribus. Luc. 4.

Paradisum inter & animam tribulatam nihil interijcitur, quod illam ex hac vita migrantem à clara Dei Visione impedire possit aut retardare.

QVandoquidem in præsenti Euangelio vna cum socru S. Petri tot ad cæleste medicum saluatorem nostrum perducuntur infirmi: *Qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum*, valde mihi in votis esset, tam pro consolatione illorum, quã quorumuis aliorum, qui aliis humanæ vitæ ærumnis à Deo exercentur, omnibus qui sunt eiusmodi demonstrare, quam sit ingens vtilitas, quæ ex eiusmodi tribulationibus temporalibus percipitur, per illas enim efficitur, vt dum in hoc mundo idipsum exsoluunt, quod persoluturi erant in altero, dũque per ignem tribulationis, pœnam illam hic expiant, cui dirissimo illo Purgatorij carcere necessum erat subiacere: ipsorum animæ ex hac vita descedentes, rectà in cælorum regnum sint euolaturæ, siquidem inter ipsas & Paradisum nihil, quod illas impedire aut à beatifica visione retardare valeat interponere se possit. Cum tamen contrarium euenturum sit illis, qui per hunc tribulationis ignem non purgabuntur, quibus purgatorium post mortem obueniet quod illos prout meritæ sunt in hac vita, per inaudita supplicia & tormenta, à fruitione summi boni tantopere desiderati retardabit & impediet.

1. S. P. Ioannes Chrysostomus fælicitatẽ illorum, qui diuersis in hoc mundo tribulationibus exercentur considerans, quandam ore suo aureo dignã tradere voluit sententiã: *Qui in Cruce est, non vim facit, & Crux, & statim paradisus.* q. d. Ille qui hic tribulationũ humanarum subiectus est Cruci, nequaquã opus est, vllã pro ingressu in Paradisum adhibere violentiam, velut si impediri aut aliunde retardari posset, talis enim reapse ingressus est Paradisum, & Cœlũ manibus suis complectitur. *Et Crux & statim Paradisus*, quasi luculentius dixisset: Is qui in hoc mũdo, prouti quemlibet Christianũ decet, tribulationis suæ patienter portauerit Crucẽ, nõ est quod vereatur, ne in suo ex hoc mundo discessu, in via intermedia, aut impediatur aut retardetur: Cũ enim animæ suæ maculas præsentis tribulationis igne patienter tolerato de facto expurgauerit, vlteriori purgatorio minime indiget, sed rectà potius in cælum migrabit, alius enim à tali anima non expectatur incolatus quam cælestis Paradisi. *Et Crux & statim Paradisus.*

Chrysost. Ho. de diuite Epulone.

2. Vnde persuasum mihi firmiter habeo, quod dum Christus Dominus noster in cruce suspensus, atque à bono latrone simul cũ ipso crucifixo rogatus, vt sui in Regno suo memor esse dignaretur, promptè respondit: *Hodie mecũ eris in Paradiso*, verba illa à Christo mane prolata minime fuerint, quasi dicendo latroni, *Hodie mecum eris in Paradiso*, moram aliquã interijcere voluerit, qua bonus ille latro à beata Dei visione fuisset retardandus: sed in ipsa fuerint pronuntiata luculenta meridie, ea videlicet hora, quam nos communiter diem appellamus, cum aliæ horæ præcedentes vocentur mane, sequentes vero vesper appellẽtur. Ac proinde Christus dicens: *Hodie mecum eris in Paradiso*: dicere latroni voluit, ô te felicem, qui hæres in cruce! cum enim per angustias illas, quas in cruce pateris, animam tuam de facto ab omni labe expurgaueris, nihil omnino est, quod in purgatorio, aut alibi à possessione regni cælestis retardare te possit, Hodie, hodie inquam, in hac eadem hora, qua tecũ loquor, quaque tu in cruce hæres, absq; vllo moræ alicuius momento beatus eris & glorificatus in cælis. *Non ad loca purgatoria*, inquit Arnoldus Abbas de hoc felici latrone differens, *flammasque peccatorum vltrices confitens destinatus, non ad loca tenebrosa & tormenta deducitur, vna Crucis pœna omnia abolet crimina.* Illis igitur verbis incarnata sapientia significare voluit, quod inter animam tribulatam, & cælestem gloriam, nullum prorsus sit retardans impedimentum, quod vel ad vnius duntaxat horæ spatium animã à beatifica visione impedire possit, aut retardare, sed sicuti os illud aureum dicit: *Et Crux & statim Paradisus.*

Arnoldus Ab. de septem verbis Dom in cruce.

3. S. Zeno existimat, scalam illam Iacob Patriarchæ in somno demonstratam, Crucis & tribulationis fuisse figurã, estque conceptus

ceptus iste satis fundatus & rationi consonus, sicuti enim scala ista mediante ascendebatur in Cœlum, sic quoque in idem tribulatione media expeditus est ingressus, sicuti Apostoli dicebant: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Vnde notandum, quod scala ista referente Moyse, quodammodo pertingebat ad Cœlum, ibidemque vertice seu summitate sua reclinabatur: *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens cœlum.* Non erat de genere scalarum illarum, quæ quia breuiores sunt, neque eousque sese extendere possunt, quo ascendere desideramus, aliam præter se scalam necessario requirere faciunt. Qua in consideratione magnum sese pandit mysteriũ, videlicet, quod hi qui in hoc mundo temporali fruuntur prosperitate, duabus indigeant scalis vt ad cœlum perueniant, vna est peccatorum suorum remissio, propter quam destinantur ad purgatorium; altera est earum pœnarum expiatio quæ post peccatũ animæ reliquæ sunt per quam ex purgatorio iter faciunt in cœlum. Illis vero qui ex particulari quodã priuilegio inter continuas tribulationes merentur viuere, vna duntaxat illius, quã quotidie baiulant, Crucis scala sufficit, ad hoc vt in cœli conscendant fastigium, cum enim per hanc in hac vita maculas illas, quæ post peccata remissa reliquæ manent, sufficienter expurgent, nec quicquam aliud habeant, ob quod à recto tramite declinantes, ad purgatorium deuient, recta in Cœlum vadunt, atque ideo dicitur, hanc scalã pertingere vsq; ad paradisum, & cacumen beata illius mœnia contingere: *Cacumen eius cœlos tangebat.*

Act. 14. v. 21.

Gen. 28. v. 12.

Pro euidentiori veritatis huius intelligentia notandum, quod eo ipso tempore, quo sanctus Patriarcha scalam istam conspiciebat, vidit quoque ascendentes per illã Angelos: *Angelos Dei ascendentes per illam.* Per quos sanctus Pontifex non spiritus Angelicos, sed homines intelligit: *Angelos puto homines esse appellatos,* qui per Crucis suæ scalã cœlum versus iter instituunt. Neque hi aliã ob causam Angeli vocantur, quã vt per hoc innuatur, quod tribulatio homines in angelos transformet. Quod si igitur tribulati sunt angeli, quod illis cum purgatorio intererit, siquidem proprius Angelorum locus non est alius, quam cœlum & gloria beata?

Gen. ibi.

S. Zeno. ibid.

4. Audite quo stylo Isaias Propheta Domino suo gratias agat: *Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi.* q.d. Gratias tibi ago, quod me castigaueris & persecutus fueris. Oleaster in hunc locum dicit: *Raritatem & nouitatem gratitudinis expende.* Cum enim pauci admodum reperiantur, qui Deo pro beneficiis acceptis gratias agunt, hic insuper Deo gratias refert de malis & tribulationibus quorum illum Deus reddiderat participem. Et quidem si causam nosse cupitis, ob quam Propheta gratus sit pro malis, à Diuina manu receptis, hanc præfatus Doctor adducere non intermittit, dicens: *Nouerat iste, Dominum non minus benefacere iratum, quã mansuetum.* Et subdit: *Si expenderemus punitiones Domini, cognosceremus vere esse bona, non mala, quẽadmodũ salutiferæ potiones.*

Isa. 12. v. 1.

Oleast. ibi.

5. Quod nos non soleamus iuxta optimam Isaiæ prophetæ consuetudinem nos gratos exhibere, quando nos Deus in hac vita castigare dignatur, sicut facere solemus, quando nos suis visitare & honorare dignatur fauoribus, ratio huius est, quia tribulationis bonum minimè cognoscimus, cum tamen hæc animabus nostris sit haud secus ac purgans quoddam medicamentũ: *Quemadmodum salutiferæ potiones.* Videtur velle dicere, quod quando Deus hominẽ in hac vita in variarum tribulationum detinet exercitio, tunc aliud nihil mediatur, quã vt hominem à peccatorum sordibus expurget, ne in altera vita quicquam remaneat, quod cæli viam, purgatorium versus obliquare possit, ipsumque à beatifica visione impediat: Quemadmodum salutiferæ potiones.

6. Cum Philippenses graui quadam essent tribulatione oppressi, S. Paulus Apostolus pro eorundem consolatione, sequentia ad illos verba transcribit; *Vobis datum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Theophylactus hunc locum exponens, ingeniose obseruat tribulationes ab Aposto donum Dei appellari, & subiungit: *Forsan & hoc donum maius est, quã mortuos suscitare.* Adeo ingens donum est, pro gloria & obsequio Dei pati, vt hoc donũ fortasse, imo infallibiliter maius sit dono resuscitandi mortuos. Verum dicat aliquis

Philip. 1. v. 29.

quis, quomodo id potest esse possibile, cum videamus tribulationes communiter concessas esse omnibus, gratiam vero restituēdi mortuis vitā valde paucis, & quidem maioribus & excellentioribus Dei amicis. Respondet hic Pater, & pulchram huius adducit rationem: *Donat mihi, & super hoc ipse debet mihi.* quasi dicere voluisset: Non est dubium quin Deus maiorem hominibus gratiam præstet, dum illis concedit pro amore suo pati, quam si illis daret virtutem mortuos suscitandi, aut alia similia miracula operandi. Quod si enim Deus mihi dedisset donum miracula patrandi, & mortuos resuscitandi, ego factus essem ingens debitor Dei: quando vero me illa gratia dignatur, vt patiar pro illo, tunc Deus præterquā quod excellenti me dono seu gratia honoret, ipse insuper valde mihi obligatur, vtpote factus iam debitor meus. Et quia donum illud maius est, per quod Deus constituitur debitor noster, præ illo per quod nos reddimur debitores Dei, ipsique obligamur, necessum est concludere, maius donum esse pati pro ipso, quam mortuorum a nobis facta resuscitatio. Cum igitur verissimū sit, eos qui in hac vita pro Dei seruitio laborāt, Deo nihil debere, sed potius Deum econtra fieri debitorem illis, quid facerent tribulari eiusmodi in Purgatorio, vbi ij solum detinentur, qui Deo debent & obligantur. Necessum itaque est tales recta euolare ad cælum, absque vlla ad Purgatorium obliqua declinatione. *Donat mihi, & super hoc ipse debet mihi.*

7. S. Pater Ioannes Chrysostomus infortunatū S. Petri lapsum, & fælix boni latronis supplicium cōsiderans inquit: *Petrus qui claues regni acceperat, cum gloria Regem in Cruce actum videret, abiectis clauibus se coniecit in fugam. At latro cælorum reserans ianuam, claues ipse rapuit Paradisi.* Verba hæc non mediocrem a nobis attentionem expostulant, siquidem latens in iis proprij sensus medulla, non ita facile elici possit, nescio enim quomodo prima facie inspecta, verificari possint, cum nullus Euangelistarum referat S. Petrū tempore Passionis Christi turpiter fugisse, aut Paradisi claues à se abiecisse.

Chrysost. Orat. de Inferno de sensu & latrone.

Etenim verus verborū illorū sensus, quātum humili ingenio meo possum assequi, hic esse videtur, Quia enim Apostolus ab improba & vili ancilla infestatus ne cū dilecto Magistro suo mori cogeretur, illum negauit, & seq; illum non nosse iureiurādo affirmauit, merito crucem & mortē fugisse atque hac ratione fugiendo Paradisi ab se claues abiecisse dicitur. Cum enim illo tempore per honorati nimiam illam Christum confitendi occasionem, portæ Paradisi patulæ illi essent atque apertæ, factum est, vt ratione peccati sui, & pænæ quam peccato suo commeritus fuerat, cælum illi aliquanto temporis spatio occluderetur. Hasce autem claues, inuenit os illud aureum, bonus latro fæliciter inuenit, eo quod à tormentis non solum non fugerit, verum etiam summa cum promptitudine Crucem amplexatus cum Christo mori voluerit. Porro Cruce hac mediante adeo sublime se euexit in altum, vt vicinus & proximus factus fuerit Paradisi, adeo vt eodem prorsus tempore, quo mortuus fuit, vti diximus, absque vllo ipsum retardante impedimento, gloriosus factus fuerit, & beatus, voluit igitur sanctus ille Doctor hisce verbis hoc nobis innuere, quod sicut illi, qui cum S. Petro Apostolo tribulationis Crucem fugiunt, à paradiso valde elongantur, ita alios qui eandē cum bono latrone vltro citroque amplectūtur, beato cælorum Regno adeo appropinquare, vt claues illius veluti manibus suis moderentur & portent, illudque pro suo libitu & arbitrio ingrediantur, siquidē nullū habent impedimentū, quod illos à tam sublimium bonorum visione retardare aut impedire possit.

8. Deus Iosue 7. v. 15 cum Generali exercitus sui capitaneo, de furto, à militibus suis in sacco Iericho commisso agens, eidem præcepit, vt inuentum latronem igne combureret: *Quicunque ille in hoc facinore fuerit deprahensus, comburetur igne.* Cumque furtū tum istud in persona Achan esset proditū, Iosue eundem pro diuini ordinis executione à toto populo lapidari fecit: *Lapidauitque eum omnis Israel.* S. Pater Augustinus hunc locum considerans obseruat Deum quidem Iosue præcepisse, vt Achan igne occideret; *Comburetur igne* Iosue autem illum lapidasse: *Lapidauitque eum.* Vnde quærit quæ de causa Hebræi populi Imperator non fuit ob-

Ios. 7. v. 15.

Ibi. v. 25.

ser-

seruantior circumstantiarũ ordinis à diuina iustitia præscripti, vt cum per hunc ei præceptum esset, Achan igne comburere, ipse illum non combusserit, sed lapidarit?

S. August. apud Gloss. ibi. Et respondet: *Nomine ignis potuit pœna significari.* q.d. Absit, vt dicamus, Iosue nõ fuisse perfecte executum, id, quod à Deo ipsi fuerat ordinatum. Quòd enim lapidauerit & non cremauerit igne Achan, id factũ est, quia quando Deus eum igne cremari præcepit, tũc sub ignis nomine voluit vt intelligeretur lapidatio, prouti idipsum Iosue optime intellexit, & opere ipso perfecit. Verũ quærere nonnemo ex me posset, qua ratione simul conueniunt incendium & lapidatio, vt sub illius nomine hæc intelligi possit? Audite rationem quam sanctus Doctor adfert, quaque nodum hunc optime resoluit: *Recte dicitur lapidationem ignem fuisse vt cognoscatur illa pœna hominem illum fuisse purgatum, ne puniretur inposterum.* Quia Achan tormẽto isthoc mediãte, quasi per vim ignis, adeo expurgaturus erat à peccato, nec non & à peccati maculis animam suam, vt nihil superesset reliquum in altera vita per ignem in ipso purgandum. Ideo Deus lapidationẽ ignem appellauit & incendium, quia ad instar ignis illum expurgatura erat à peccati sordibus. Ex quo perspicue videtur, quomodo tribulationes huius mundi animas nostras à peccati maculis ita expurgare solẽt, vt nulla in eis turpitudo remaneat, quæ per ignem purgatorij sit expianda. Vt proinde ij quos Deus in hac vita ingenti hoc beneficio dignatur afficere, ex hac vita discedentes in alteram, credendi sint absque vlla deuiatione ad purgatorium, recta via progressum ad Cælum: *Ne puniretur inposterum.*

9. Obseruastisne aliquando, quod spiritus sanctus animam cuiuslibet seruorũ suorum ad habitaculum regni cælestis tũc præcipue vocet, quando iam tempus transijt hybernũ? Hanc inuitationem inuenietis Canticorum cap. 2. *Surge propera amica mea, colũba mea formosa mea, & veni: iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit.* Qua de causa animam illam non ante sed post transactum tempus hybernum ad cælum inuitat? Ratio huius est, quia hyems symbolum est tribulationis, sicut æstas prosperitatis. Cum igitur anima per Hyemen ærumnarum singularem sibi candorem conciliet & purgetur à sordibus & maculis in æstate prosperitatis contractis, simul quoque digna facta est, quæ incolat paradisum, nulla enim eo ingreditur, quin purgata sit & mundificata ab omni terrena imperfectione. Porro videtur mihi, nos omnes pisci qui Menas dicitur, persimiles esse, de quo multi authores scribunt, quod niger sit in æstate, in hyeme autem à nigredine ista sese emundet & albus fiat. Vnde spiritus sanctus videns animã ex præteritis tribulationibus rite expurgatã, atque ab humanis imperfectionibus mũdam, illam ad cæli vocat fruitionem, siquidem nullum in ea conspicit impedimentũ ab quod in Purgatorio detineri, aut à beatæ gloriæ spectaculo retardari possit, cum nihil in ea purgandum supersit.

Cant. 2. v. 10. & 11.

Maiolus co loq de piscibus.

Concedat igitur nobis Deus, vt tribulationes, quibus hæc vita abundat, ita sufferre possimus, vt per illas ab omnibus animarum nostrarum maculis emundati, in hora mortis nostræ recta via in cælum concedere, & Deo perfrui possimus.

Qui sit semper & in æternum laudatus.

Sit nomen Domini benedictum.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

R. P. M.

BENEDICTI FIDELIS A S. PHILIPPO

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI REGVLARIS OBSERVANTIS PROVINCIÆ SICILIÆ PROVINCIALIS

PARADISVS CONCIONATORVM.

EX AMOENISSIMIS LECTISSIMISQVE TOTIVS S. SCRIPTVRÆ TEXTIbus, ceu plantis consitus ac constanti, solida, solertique Sanctorum Veterum Patrum, modernorumque præcipuorum Doctorum manu, doctoque calamo excultus, elaboratus & in duas partes diuisus.

HOC EST,

PARS SECVNDA

SERMONVM QVADRAGESIMALIVM

IN SINGVLAS TOTIVS QVADRAGESIMÆ DOMINICAS ET FERIAS distributorum, Conceptibus exquisitissimis, ad formandos fidelium mores, virtutesque illorum animis inserendas adaptatis, atque in Scriptura sacra & Sanctorum Patrum authoritate solidè fundatis vniuersim refertorum

QVORVM SINGVLI TRIBVS CONSIDERATIONIBVS SEV SECTIONIBVS, sic dispositis, vt earum per singulas Dominicas & Festa totius anni facilis, frequensque vsus esse possit subdiuiduntur

Olim Italicè conscripti

Nunc verò Latinitati donati

OPERA ET STVDIO R. P. M. IACOBI EMANS, S. T. D. PRIORIS CONVENTVS *Coloniensis Ord. FF. B. MARIÆ Virginis de monte Carmeli strictioris Obseruantiæ.*

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM BVSÆVM Bibliopolam
ANNO M. DC. LVII.

BENIGNO LECTORI SALVTEM.

EN habes, benigne Lector, ſecundam partem Conſiderationum ſuper Euangelia Quadrageſimalia, quam prælo ſubieci, vt tuo ſatisfacerem deſiderio. Credo equidem, quod non minus tibi placitura ſit, quam alia præcedens, imo forte etiam plus tuo arridebit guſtui, eo quod hæc totius huius operis totale ſit complementum, & maiori conceptuum abundantia referta in lucem prodeat. Spero quod Deo bene fauente, breui aliud quoddam opus morale in lucem daturus ſim de Sanctiſſimo Altaris Sacramento cum continuo ſuper Pſalmum vigeſimum ſecũdum: *Dominus regit me.* Commentario. Circa hanc enim materiam varia hucuſque ſanctorum Patrum aliorumque nonnullorum optimorum ſcriptorum loca ſelegi. Porro quia à fide dignis percepi quod melior bonorum ingeniorum pars maiorem in hiſce operibus peruoluendis guſtum habitura fuiſſet, ſi latino illa ſermone conſcripſiſſem ideo in præfato opere, horum ſatisfacere cupiens deſiderio, idiomate latino non vero vernaculo ſeu natiuo vti decreui. Tentaturus nimirum num hac ratione frœnũ quoddam ori quorundam iniicere poſſim, qui alio quam Charitatis zelo inſtigati, ſub eo prætextu ſiue colore

quod Considerationes hasce in lingua vulgari ediderim, scripta mea carpere & repræhendere gaudet. Nolentes attendere quod cuncti scriptores Itali, nec non Hispani, ij etiam quorum ego ne mediocris quidem discipulus esse possum, sermones suos in lingua natiua, qua eosdem prædicarũt, in lucem ediderint. A qua inclinatione nedum hodie discedere videntur scriptores moderni. Tu interim vale & fæliciter viue.

FACVLTAS

Reuerendissimi Patris Magistri Gregorij Alberti Ministri Generalis eiusdem tertij Ordinis.

F. Gregorius Alberti Doctor Theologus Fratrum Tertij Ordinis S. FRANCISCE Regularis Obseruantiæ Minister Generalis, & seruus.

POstquam Admodum Reuerendi Patres Magistri Fr. Cherubinus Tarantelli & F. Ioannes Alberghinus Ordinis nostri Theologi secundam partem Considerationum Admodum Reuerendi Patris Benedicti fidelis, eiusdem Ordinis nostri super Euangelia Quadragesimalia peruoluerint & approbauerint Nos quantum ad officium nostrum pertinet, vigore præsentium liberam easdem typis mandandi & in lucem publicã exponendi licentiam impertimur. In quorum fidem &c. Dat. in Conuentu nostro S. Antonij Assisij. 5. Augusti. Anno 1635.

Fr. Gregorius Alberti Generalis.

Locus Sigilli

Fr. Hieronymus de Drepano Secretarius.

APPRO-

APPROBATIO

Admodum R.^di P. Magiſtri Cherubini Tarantelli Secretarij Generalis & Prouinciæ Neapolitanæ Exprouincialis nunc vero Prioris Conuentus Beatæ Virginis Annuntiatæ della Ziſa extramuros Panormi, eiuſdem Ordinis.

EX Commiſſione Reuerendiſſimi Patris noſtri Generalis P. Magiſtri Gregorii Alberti ſumma cum attentione & guſtu Secundam Partem Cōſiderationum ſuper Euangelia Quadrageſimalia Admodum R.^di Patris Magiſtri Benedicti Fidelis à S. Philippo huius noſtræ Prouinciæ Siciliæ Exprouincialis & Secretarii Generalis, Ordinis nūc vero Prioris Conuentus S. MARIÆ, Angelorum in Ciuitate S. Philippi: legi & ponderaui inueniq; eaſdem eruditionis plenas valdeque diuites, in ſtylo graues, ſuaues in modo, in ordine artificioſas, eloquentes & ſuccinctas, humanarum diuinarumque hiſtoriarum, ſubtiliſſimorum item conceptuum & ſpeculationum curioſiſſimarum refertiſſimas; in authoritatibus & ſacræ ſcripturæ, nec non Sanctorum antiquorumque Patrum ponderationibus ſententioſas in difficilium locorum eiuſdem ſacræ ſcripturæ & Scholaſticorum Doctorum declarationibus exquiſitas; in quibus proinde Theologus poſitiuus

ſenſuum ſcripturalium , & ſubtilium in Patribus lectionum inueniet profunditatem; Prædicator copioſam conceptuum abundantiam & diſcurſuum ſublimitatem; quilibet vero Chriſtianus deuotionis ſingulare incentiuum & ardentem comperiet diuini amoris fornacem. Neque ſolum Sanctæ Fidei Catholicæ, boniſque moribus nequaquam repugnant, verum inſuper ſanctam admodum in ſe complectuntur Doctrinam, adeo vt cum aureo eloquentiæ flumune Sancto Ioanne Chryſoſtomo in Homelia ſuper illud: *Aſtitit regina* dicere poſſim: *Ad hanc Doctrinam ſi attentus fueris, anxietates à te depellet, cordi tuo inſeret incredibilem voluptatem, ſublata malitia radices virtutum affiget animæ.* Cum igitur tantam fidelibus parituræ ſint vtilitatem, vtpote quæ à Doctore Fideli fideliter ſunt compoſitæ, cuius acutum ingenium, copioſæ literæ, nec non & pius duotuſque ſpiritus in ijſdem Conſiderationibus valde manifeſte ſeſe prodit (prouti circa præcedentes quoque Conſiderationes primæ partis huius Quadrageſimalis eiuſdem Doctoris à viris valde doctis valdeque curioſis quondam iudicatum fuit, vtpote quæ maximo cum applauſu laudatæ, & ambabus vt aiunt vlnis ab vniuerſa Italia amplexus accepere) operæ pretium eſſe iudicaui, ſi non ſolum ad hoc vt in cunctorũ veniant notitiam & quanto citius lucem aſpiceant, typis mandarentur, verum etiã

intime

intime pijs fidelium imprimerentur cordibus; vt tanto liberius Doctrina huius authoris adeo sapida ac dulci ad honorem & gloriam IESV Christi Domini nostri perfrui possint. In quorum fidem &c. Dat. in Conuentu nostro Sanctissimæ Virginis Annuntiatæ della Zisa foris extramuros Ciuitatis Panormitanæ, Die 30. Octobris Anno 1635.

Fr. Cherubinus Tarantelli Doctor Theologus Tertij Ordinis S. Francisci.

APPROBATIO

Admodum R. P. Magistri P. Ioannis Alberghini Exprouincialis Prouinciæ Siciliæ, eiusdem Ordinis.

EX ordinatione Reuerendissimi Patris Magistri Gregorij Alberti Generalis tertij Ordinis S. Francisci attentè vidi, beneque consideraui Secundam Partem Considerationum super Euangelia Quadragesimalia, ad facilem Prædicatorum vsum per Admodum Reuerendum Patrem Magistrũ Benedictum Fidelem à S. Philippo Ordinis nostri concinnatarum & deprahendi illas non tantum nihil sanctæ Fidei Catholicæ aut bonis moribus contrarium in se continere, verum insuper literis bonis Christianaque eruditione esse refertas, singularissimis, copiosissimisque

misque sanctorum Patrum Conceptibus doctè ingenioseque explicatis, haud secus ac aliæ primæ partis communi & vnanimi doctissimorum hominum voce & applausu teste extiterunt locupletatas; Adeo vt per vtriusque partis styli vniformitatem manifestè satis appareat, Considerationes hasce legitimum ingenij huius authoris partum, non vero ab aliis emendicatum laborem esse. Unde easdem dignissimas iudico, quæ pro satisfactione desiderij eorum, qui easdem anxiè expectant, nec non pro cõmuni virtuosorũ vtilitate typis mandentur. Dat. in Conuentu nostro Beatissimæ Virginis Mariæ de Misericordia Panormi. 30. Septembris Anno 1635.

Fr. Ioannes Alberghinus Doctor Theologus
Tertij Ordinis S. Francisci.

QVA-

QVADRAGESIMALES
Siue
CONSIDERATIONVM
Super Euangelia Quadragesimalia
PARS SECVNDA
SERMO XXIV.
In Feriam VI. Dominicæ III. Quadragesimæ.
Venit IESVS in Ciuitatem Samariæ, Ioannis 4. Cap.

CVilibet præsentis Euangelij historiam attendenti clarum est, quòd animarum nostrarum Saluator Christus Iesus, sicut dicit Sponsa cœlestis, manus habeat ex auro purissimo, plenas Hyacinthis, atque ad maiorem sui elegantiam in torno elaboratas, *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Primò namque Sanctissimum Crucis lignum, prout vult S. P. Bernardinus Senensis sub figurâ fontis à Patriarchâ Iacob excitati introducitur, suprà quem post longum per infinitos dolores, pænalitates atque tormenta absolutum iter, lassus & defatigatus, proprijque sanguinis sudori immersus, apertis expansisque manibus sedebat: *Sedebat sic supra fontem,* diuinasque manus in torno elaboratas palàm ostendebat: *Manus illius tornatiles.* Incidens autem posteà in pium illud cum fœlice Samaritanâ colloquium, eidemque gratiæ cœlestis notitiam ac desiderium persuadens dicendo: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, Da mihi bibere tu forsan petijsses ab eo,* easdem manus hyacinthis plenas ostendit: *Plenas hyacinthis.* Vltimò denique dum illi ostendit, quòd ipsam cum quinque amasijs lasciuè ac sordidè hactenùs viuentem, non solum piè semper ac patienter sustinuerit, verum etiam de facto quinque salacibus procis prædictis quintum superinducentem: *Quem nunc habes, non est tuus vir* solitâ cum patientiâ & longanimitate ad pœnitentiam expectârit, aureas quoque illi demonstrauit manus, *aureæ* prouti hæc omnia in Considerationibus sequentibus clarè magis atque perspicuè videbuntur.

Canti. c. 5. v. 14.

S. Bernardin. tom. 2. Serm. 31.

CONSIDERATIO I.

Sedebat sic suprà fontem.

Tametsi Deus ad nos locupletandos munificum se semper & liberalem exhibuerit, attamen in pretiosi sanguinis sui effusione prodigus omninò, & dissipator videri voluit.

1. EO ipso quo Sponsa Christi dilecti sui manus in torno elaboratas esse dicebat, *Manus illius tornatiles*, clarum prorsus est, noluisse eam illas tanquam sphæricas & rotundas describere, ad modum pilæ, hac enim ratione deformes, omnique laude indignæ fuissent; neque enim spectabilis aut pulchra manus est, quæ nec lata est, nec longa, iuxta id, quod non nemo membrorum corporis alicuius pulchri & venusti qualitates, & proprietates describens, dicebat:

Sint longi crines, sit quoque longa manus

Sed potiùs ostendere voluit, illas acutissimorum clauorum torno excauatas & perforatas fuisse, ad eum modum, quo visæ sunt posteà, dum extenderentur in Cruce: *Tunc enim Christo manus tornatiles factæ sunt*, inquit Philo Carpathius *cum eas pro salute nostrâ, crudelissimis clauis in vitæ ligno perforatas extendit.* Quo loquendi modo mundanis hominibus admirabilem, nec vnquam pro dignitate sua intellectam satis Magni Dei nostri liberalitatem manifestare voluit: sicuti enim perforatæ manus, idipsum quod habent, stringere nequeunt ne cadat; sic quoque manus diuinæ, quia nihil vnquam retinere potuerunt, quin ad vtilitatem nostram, in nostrum caderet gremium, perforatæ describuntur: *Largitate habuit manus perforatas*, inquit Hugo Cardinalis *vt nihil ei remaneret, quod non daret; quia seipsum dedit.* Cuius rei viuum aliquod specimen habemus in præsenti Euangelio: vbi Deus incarnatus apertis & expansis brachijs supra fontem Iacob sedens describitur, qui, vt diximus, viua est Sanctæ Crucis figura: *Iesus sedebat suprà fontem cum brachijs apertis*, inquit S. P. Bernardinus ad eundem modum, quo in Cruce erat, vbi ex transfixis perforatisque manibus, veluti ex duobus amplissimis fontibus, pretiosum Sanguinem ad nostri medelam in tantâ abundatiâ sparsit & effudit, vt tametsi præteritis temporibus valdè sese munificum & liberalem exhibuerit, in hac tamen occasione liberalitatis suæ consuetos terminos, adeò excesserit, vt bonorum suorum prodigus videri dissipator potuisset, vti mox videbimus.

Philo Carpathius in ca. 5. Cāt.

Hugo Cardinalis in Psal. 77.

S. Bernardinus to. 4 serm. 24

2. Moyses refert, quod Deus populum Hebræum eo tempore, quo per Arabiæ desertum Palæstinam versus commigrabat, admirabili Mannæ nutrimento cibauerit, quæ licet cunctis perfectionibus possibilibus, quæ in quouis alio cibo desiderari poterant, esset prædita, vnde nomen hoc illi inditum fuit, vt Panis Angelorum appellaretur, nullâ tamen ratione in sequentem vsque diem, quin corrumperetur & scateret vermibus conseruari poterat, prouti ipsamet docuit experientia *Dimiserunt quidam ex eis*, inquit Moyses *vsque mane & scatere cæpit vermibus atque computruit.* Id quod in stuporem meritò agit quemuis attentius idipsum considerantem. Cum enim Diuinæ Maiestati vna ex parte tantas tamque admirabiles Mannæ perfectiones conferre placuerit, cur illam ex parte altera adeò voluit esse fragilem & caducam, vt die vix inclinante computrescere debuerit, & totaliter corrumpi? Certè sicut cibo tali, tot excellentijs & virtutibus prædito, longa debebatur durabilitas, ita corruptio adeò repentina minimè conueniebat. Aut si nullâ huius ratio habenda erat caueri saltem ad minus debuisset tantæ alimoniæ iactura, vtpotè permagni æstimanda, perdebatur enim cibus non vulgaris aut communis, sed valdè præstans & pretiosũ. Huic quæstioni Philo Hebræus Platonizando ita respondet: *Afferentes enim alij aliunde vasa complebant, & iumentis aut humeris apportabant, eo consilio, vt in longum tempus sibi necessaria conderent, quæ tamen condi seruarique non poterant; Deus enim noua quotidiè munera volebat elargiri.* q. d. Tametsi manna cibus quidam esset tot prærogatiuis & perfectionibus imbutus, Deus tamen illã caducã esse voluit, & corruptibilem, ad hoc vt illam quotidiè depluere & dare posset, populusque suus illam semper recentem manducaret & nouam. Vndè

Exod 16 v. 20.

Philo Hebræus in vita Moysis.

Vnde omnipotenti prouidentia sua indilatè disposuit, vt manna subitò & absque mora corrumperetur: nam si per multos dies conseruari potuisset, Deus à mittenda & donanda illis manna necessariò, tàm die sequenti, quàm etiam alijs quibus adhuc integra conseruabatur, cessare ac proindè interea temporis à consuetis liberalitatis suæ exercitijs supersedere debuisset, quod non mediocrem Deo attulisset molestiam, vtpote cui volupe est, manus semper habere largas, atque apertas. Atque ideò vt sua quotidiè dona continuare posset, voluit cælestem hunc cibum vnico duntaxat die esse proficuum, residuum verò subitò corrumpi nullam prorsus huius tantæ iacturæ habens rationem. In donando enim adeò est liberalis atque munificus, vt ne fortassis à donando cessare cogatur, ad nullum prorsus damnum aut frustra adhibitos sumptus respicere soleat. *Noua quotidie munera volebat elargiri.*

3. Accidit aliquandò, vt scribit S. Matthæus, vt Christus Dominus noster cum Apostolis suis discurrens, de præmio illorum, qui ad subleuandas seruorum suorum necessitates procliues sunt, sermocinaretur idque sequentibus verbis: *Quicunque potum dederit vni ex minimis illis, calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* S. P. Ioannes Chrysostomus ingentem promissionem istam obstupescens, Christum Dominum in hunc ferè modum interrogat: Quidnam obsecro Domine magni dedit ille, qui nonnemini ex seruis tuis modicum aquæ frigidæ donauit, quod Diuina tua Maiestas tàm solemni cum iureiurando præmium aliquod adeò excellens, quale est cælorum regnum, donare promittat? Et respondet: *Non enim quia aliquid est quod dat, ideò habet mercedem, sed ob id, quia magnus est, propter quem dat.* q. d. Non ideò Deus cælorum præmio eum remunerat, quia donum calicis aquæ frigidæ alicuius æstimetur, sed quia donum istud propter Deum erogatum est, qui cum natura sua liberalis sit atque munificus, in remunerationibus faciendis magnatum morem obseruare consueuit, ideoque maximis præmijs modica recompensat obsequia. Vndè ad eum modum, quo prophana in comparationem cum rebus sacris venire possunt, Deum Opt. Max. Alexandro Magno haud iniquè comparauero, qui cum Perillo amico suo, pro duabus filiabus suis dotandis quinquaginta talenta donasset, illeque pro filiarum suarum dote talenta decem abundè suffecisse, subintulisset, eidem hunc in modum, Plutarcho referente, respondit: *Tibi quidem accipere, sed mihi nequaquam satis est dare,* quæ quasi coincidunt cum ijs, quæ os Chrysostomi aureum supra de diuina liberalitate pronuntiauit. Quam ob causam Vrbanus IV. huius nominis Pontifex dicere non dubitauit: *Ego enim te illum alterum magnum existimo Alexandrum, qui non attendit quid me oportet accipere, sed quid deceat te dare.* Quotiescunque igitur Deus manus suas ad quippiam donandum aperit, semper iuxta Maiestatis suæ magnificentiam & amplitudinem donat, quæ cum inexplicabilis sit, certum est consequenter, quod quam sit ingens & profusa eius liberalitas, quamque immensa eius dona sint, explicari non possit.

Matth. 10 v. 41.

S. Ioan. Chrysost. Hom. 27. in Matth.

Plutarchus in Apopht.

Vrbanus IV. in Psal. 50.

4. Sub cortice parabolæ illius, quam S. Matthæus de magno illo patrefamilias cap. 20. describit, refertur Deum ad vineam suam excolendam nonnullos conduxisse vinitores, cumque illis de mercede diurna eisdem danda fuisse pactum. *Conuentione autem factâ cum operarijs de denario diurno, misit eos in vineam suam.* Quia verò posteà numerum operariorum pro labore in vinea sua necessario faciendo conductum insufficientem fuisse aduertit, ad plures alios inquirendos in forum sese contulit, quos inuentos ad eundem in vineam suam collocandum laborem destinauit: ita tamen vt cum ijs non sicut cum primis de pacta mercede cõuenerit, sed absolutè in vineam nulla determinatæ mercedis diurnæ mẽtione facta miserit. Quo in loco sollicitè inuestigare, causamque inquirere oportet, quã obrem Deus cum postremis hisce non æquè, ac cum primis de mercede danda pacisci voluerit? Siquidem tametsi circà vesperam conformiter ad sua merita iusta essent mercede donandi, nihilominus periculum erat, ne fortè maiorem opinione mercedem expectantes nec accipientes, lamentarentur, seque debita laboribus suis merce-

Matth. 20 v. 2.

mercede fraudari existimarent, prouti in similibus euentibus haud infrequenter accidit, sicque de Deo veluti iniusto & auaro, qui ad meritum eorum qui in suo obsequio & seruitio fatigantur & sudant, non respicit, grauiter stomacharentur. S. P. Ioannes Chrysost. Deum ideo de mercede mercenarijs illis per diem danda non fuisse pactũ, existimat, quia simile periculum sibi timere nequaquam poterat, & rationem assignat, dicens: *Benignus enim paterfamilias sciebat largitatem suam, quia tantum paratus est tribuere, quantum mercenarij recipere non sperabant. De dato enim eius nemo iuste murmurat, quia amplius dat, quam omnis homo desiderat.* Sicuti reapse euenit; licet enim non nisi vna duntaxat hora laborassent, eandem tamen prorsus cum ijs mercedem reportarunt, qui portauerant pondus diei & æstus, licet id minime sperassent: Obseruate obsecro hac in re, quam sit in alieni laboris remuneratione admirabilis diuina liberalitas, neque enim desiderare tantùm valet homo, quantum Deus dare consueuit: *Amplius dat, quam omnis homo desiderat.*

S. Ioan. Chrysost. Hom. 14. in Ioan.

5. Amantissimus ac pius Pater domi suæ filium suum prodigum summâ cum humanitate exceperat, cum ecce alter eius filius senior, de villâ domum reuersus, deque reditu fratris sui, nec non & de raro & insolito plausu & iubilo, quem Pater suus eius causa fecerat, certior factus, supra modum est indignatus, & non solum domum ingredi noluit, verum etiam Patri instanter vt ingrederetur roganti obmurmurauit, eumdemque de prodigalitate aut superfluitate redarguit, dicens: *Ecce tot annis seruio tibi, & mãdatũ tuum nunquã præteriui, & nũquã dedisti mihi hœdũ, vt cũ amicis meis epularer. Sed postquã filius tuus hic, qui deuorãuit substantiã suam cũ meretricibus, venit, occidisti illi vitulũ saginatũ.* Quod si indignationem & murmur huius filij senioris benè attendamus, inueniemus, quod tametsi is ex vnâ parte culpæ sit redarguendus, vtpotè qui de paternâ pietate nequaquã cõqueri, nec ob beneuolentiam & humanitatem afflicto fratri exhibitam indignari debebat; ex alterâ tamen parte, iustam videatur habuisse quærelandi & lamentandi causam; siquidem dona, blanditiæ, beneuolentiæ & sumptus filio

Luc. 15. v. 29.

debitè recipiendo, à Deo, qui per Patrem hunc intelligitur, adhibiti, vt inquit Theophylactus, adeò fuêre immoderati & superflui, vt meritò illum ad murmur istud & indignationem excitare potuerint; *Tanta enim est Dei benignitas, & tam liberaliter sua bona nobis communicat, vt & indignatio & murmuratio indè nasci possit.* Qua in re perspicue videtur, quod quando Deus Opt. Max. diuinas manus suas ad nos honorandos & locupletandos aperit, tametsi donis suis prorsus simus indigni, tamen quia dando nullam obseruare solet regulam, aut mensuram, adeò in nos liberalis est atque munificus, vt toti mundo occasionem dare videatur, obloquendi & murmurandi: *Vt etiam indignatio & murmuratio indè nasci possit.*

Theophilactus ibid.

6. Hæc de diuina liberalitate, quantum donorum externorum communicationem attinet, dicta sunto. Quod si vere indè ad considerandam eandem in pretiosi sanguinis sui effusione nobis exhibitam, transeamus, animaduertemus ipsum in hac non liberalem duntaxat, verum etiam excessiuè prodigum & dissipatorem extitisse. Dũ pientissima Cælorum Regina, maximaque Domina nostra Virgo Maria, quæ vtpote communis omnium hominum aduocata, particulari Deum pro communibus vitæ nostræ necessitatibus rogandi cura mouetur; in nuptijs S. Ioan. Nepotis sui præsens esset, aduertens quod in meliori conuiuij tempore, vinum nouiter nuptis deficeret, ad Diuini filij sui confugit omnipotentiam, eumdemque pro ferendo extremæ huic necessitati aliquo subsidio poposcit: Cui Christus respondit: *Quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea.* q. d. Quid meâ interest, huic vini defectui succurrere, quando hora mea nondum aduenit? S. Maximus opinatur, quod Christus hoc modo respondens, postulationi virgineæ matris suæ amabiliter indignatus fuerit, *Hæc verba indignantis esse quis dubitet?* Verum enimuero quomodo indignari posset, quando vt suos communicaret fauores humanisque prospiceret necessitatibus, rogabatur, in cuius actionis exercitio ipse summam suam delectationem collocatam habet; neque enim aliò fine de Cælo in terram descendit, aut homo factus

Ioan. 2. v. 4.

S. Maximus Homil. in Epiph.

esti

est. Dicit sanctus Doctor: *Idcircò vt reor, quia de defectu carnalis poculi ei suggerebat, qui venerat totius orbis gentibus nouum salutis æternæ poculum propinare: nam quòd petebat Maria, erat gratiæ temporalis, quod Christus parabat, gaudij sempiterni.* q. d. Nequaquam ideò indignabatur, quia dilecta eius mater ei supplicabat vt suos communicaret fauores, siquidem ipse nullâ aliâ in re maius gaudium habere poterat, sed quia parui nimis momenti erat, quod petebat; ipse namque potius optasset vt suum à se Sanguinem non vero vinum aut aliud quidpiam leue poposcisset. Vndè sensus verborum Christi ferè hic erat: Quamobrem ô charissima mater, modicam adeò & momentaneam gratiam à me pro illis poscis, cùm ego te in particularem omnium hominum aduocatam elegerem? Cur non rogas vt diruptis venis meis sanguinem meum effundam? vt in hortũ montis Oliueti me recipiam, ibique ex omnibus corpóris partibus sanguinem sudando scaturiens quidam sanguinis fons efficiar? vt me columnæ alligandum direque flagellandum sæuis inimicorum meorum manibus cedam, atque ingens quidam sanguinis copiose manantis lacus efficiar? vt in Crucem conscendam, atque ex transfixis manibus, & pedibus perforatis, flumina totidem egrediantur, quæ mare quoddam immensum efforment? Etenim tametsi nondum aduenerit hora illa optatissima, qua huic meo desiderio satisfiat: *Nondum venit hora mea.* Veniet tamen tempus, quo, tametsi nemo id à me postulet, perspicue hos maximi desiderij mei effectus visuri eritis. Quid vobis de hac Domini nostri liberalitate videtur, qua non tantum diuitias suas vobis impertiri, sed proprium vobis sanguinem effundere est par. tissimus? Haud dubie dicetis, illum non tantum se hac in re liberalem, verum insuper prodigum bonorumque propriorum dissipatorem exhibuisse.

7. Porro omnes nostis, qua ratione idem Dominus, è duodecim anni mensibus, Martium præcipuè ad patiendum & moriendum in cruce elegerit. Cur Martium, & non Augustum, aut Decembrem? Hunc quidem, quia in eo quoque natus fuerat: illum vero, quia extraordinarius in eo communiter feruere æstus caloris solet, ideoque ad manifestandum hominibus excessum æstus maximi amoris Deum ad tanta tormenta, talemque mortem perferendam incitantis aptissimus erat? S. Bernardinus ad hocce mysterium acutè se reflectens, diuinam prorsus adfert rationem, ob quam animarum nostrarum Saluator, ex omnibus totius anni mensibus, Martium specialissimè eligere voluerit, vt in eo pateretur, moreretur que pro nobis, dicitque *Cum enim in tali tempore sanguis ebulliat, vt totum versaret & effũderet pro nobis, & nihil in eo remaneret: quia ipso ebulliente de facili emittitur*, quasi clarius diceret. Quia sanguis humanus in mense Martio quo Sol est in ascendenti, non subsidet, aut quiescit, sicut alijs temporibus facit, sed valde ebullit, & propter bullitus violentiam, dummodo aperta illi via esset, totus è venis promanaret, ipsumque corpus exsangue relinqueret: ideo Dominus nostri amantissimus, vtpote qui totum sanguinem ita spargere & effundere desiderabat, vt ne gutta quidem illius in sacris eius venis reliqua esset, quæ pro nostra vtilitate nõ emanasset, in hoc mense præcipue plagari & vulnerari voluit, vtpote qui pro amorosi desiderij sui executione esset conuenientior. Quamobrem si mensis hic Martius, qui tot prodigiorum solus spectator extitit, lingua præditus esset, & loqui posset, viuaciter admirabilem inauditæ prodigalitatis amantissimi Dei nostri largitatem & affluentiam testificari, atque recensere posset, qualiter coram oculis suis sacras venas suas aperuerit, & pro nobis cum sui adiutorio locupletandis totum sanguinem tali cum excessu effuderit, vt nulla quantumuis modica sanguinis stilla residua manente, exsanguis prorsus mortuus fuerit. *Vt totum versaret & funderet pro nobis.* S. Bernardin. Tom. 3. serm. 41

8. Verba ab Isaia cap. 63. relata, videlicet *Torcular calcaui solus*, à Christo responsionis loco reddita fuerunt interrogationi, quam angeli suo & nostro Regi Christo Iesu gloriosum cælorum regnum suum ingredienti proposuerunt, causam scire desiderantes, cur vestimentum eius quo amiciebatur rubrum appareat. Et quidem licet vulgata in verbis illis actiuum sensum retineat, attamen Hieronymus Oleaster in sensu passiuo cadens, *Isaia 63. v. 2.*

eadem, exponit, ita vt sensus verborum Christi hic sit: Ideo rubra sunt vestimenta mea, quia sub grauissimo Crucis torculari pressus sum atque calcatus. Qua ex responsione præfatus Doctor plane attonitus hanc Christo interrogationem proponit. Quid est ô dulcissime Iesu quod cum ad redimendum hominem te vel leuiter tantum vulneratum fuisse sufficere potuisset, tu nihilominus pro salute humana comparanda sanguinem tuum pretiosissimum non solum in tanta statueris copia effundere vt mare quoddam inde confluxisse videretur (huc enim tot tibi inflicta vulnera, tantaq; effusi cruoris tui copia spectant) Verum etiam vt mox à te allata responsio indicat graui te torcularis prælo substernere ab eodemque tam vehementer comprimi volueris? *Torcular calcaui solus.* Cui Quæstioni præfatus Doctor pie non minus quam solide respondet: *Hoc non contentus voluit conculcari vt quidquid sãguinis, quidquid succi in corpore suo latebat, exiret ad lauacrum nostrum.* (Oleaster ibid.) Quantumuis amantissimus Dominus noster ex innumeris quæ in corpore suo habebat vulneribus, in tanta abundantia pretiosum suum effuderit sanguinem, suumque sibi destinatum salutis nostræ obtinuerit finem, quem porro cum minori labore consequi poterat, tantæ nihilominus tamque copiosæ sanguinis sui effusioni nequicquam acquiescens, insuper torculari subijci voluit, ad hoc vt in eodem constrictus atque compressus, modicum illud residui sanguinis, quod in concauis venarum suarum partibus abscondi aut contineri poterat, inde prodiret in publicum, & effunderetur pro nobis. O admirabilem & inauditam nec vnquam hactenus intellectam munificentiam! *vt quidquid sanguinis, quidquid succi in corpore suo latebat, exiret ad lauacrum nostrum.*

9. Confirmatur idipsum per mysticum illud vulnus, quod Christo iam mortuo in eius formatum fuit latere, vnde S. Ioanne referente exiuit sanguis & aqua. (Ioan. 19. v. 34.) *Vt viderunt eum iam mortuum, vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.* Enimuero quo fine afflictus Dominus noster in diuino corpore suo, non solum quando vixit, sed etiam postquam fuit mortuus tot tantaque vulnera recipere voluit? quid per alterum illud lateris vulnus prætendebat, quod non contentus innumeris à flagellis, à spinis, à clauis inflictis vulneribus, lancea quoque cor sibi vulnerari voluerit? Author de duplici Martyrio, existimatus Cyprianus, opinatur Christum per vulnus istud hoc solum intendisse, vt per illud egredi & manare faceret sanguinem qui in corde latebat atque absconditus erat, sicuti de facto sanguis ille inde exiuit & emanauit: *Quidquid resideret in corde sanguinis, emisit.* (Cypria. de dup. Marty.) Quia enim in liberalissimi Domini nostri iam mortui corde modicæ quædam sanguinis guttulæ remanserant, ne per hoc aliquod amplitudini munificentiæ suæ faceret detrimentum aut præiudicium, alterum hoc lateris vulnus admittere voluit, vt guttæ illæ superstites sanguinis inde foras prodirent & effunderentur, prout reapse factum est: *Quidquid enim residebat sanguinis in corde emisit.*

10. Porro quia de facto loco huic discutiendo immoramur, causam scire perc uperem, ob quam postea vulnerato Christi corde, subito sanguis exiuerit & aqua. *Exiuit sanguis & aqua.* (S. Ioan. ibid.) Quod enim exiuerit sanguis, clarum est id factum esse, vti iam diximus, ad dandum euidens aliquod diuinæ liberalitatis argumentum, nec non ad demonstrandum sanguinem suum amore nostri integre esse effusum, adeo vt ne vnicam quidem sanguinis sibi stillam retinuerit: De aqua autem, quæ post sanguinem egressa est, quid dicemus? quid enim illa mysterij significare poterat? Hæc prorsus idem exhibebat argumentum, & quidem maiori cum euidentia. Cum enim sanguis natura sua liquor sit viscosus valde & tenax, hic adeo perfecte effundi non poterat, quin aliquod post se relinqueret cordi impressum vestigium, atque ideo amantissimus Dominus noster aquam hanc miraculose produxit, vt per hanc cor perfecte dilueretur, & ab omni sanguinis adhærescentis vestigio mundaretur, ac demum per eandem è corde emanantem demonstraretur, diuinum sanguinem adeo perfectè iam esse effusum, vt non tantum nulla eius stilla, sed nec aliquod sui reliquum manserit vestigium: *Totus sanguis in illo diuino corpore defluxit* inquit

quit S. Bernardinus *postquam humor aqueus egressus est.*

S. Bernardin. tom. 1. serm. 55. art. 2. ca. 3.

11. Quod si causam ex me rogetis, propter quam Christus summum bonum nostrum, admirabile Eucharistiæ Sacramentum instituere, & innumeris vicibus in altari Sanctæ Ecclesiæ sacrificari voluerit, cum tamen ipse in Sanctissimo Crucis altari tantum immolatus sit semel? Pro huius quæstionis resolutione, diuina mihi videtur responsio illa quam idem S. Bernardinus adfert, quæ etiam præsens hoc nostrum propositum efficaciter valde confirmat, ita enim dicit *Quasi non sufficeret amoroso IESV adinebriati amoris sui ostensionem, quod semel sanguinem suum sacrum pro nobis realiter effudit in ligno, nisi nobis quotidie effundat in Sacramento*: q.d. Tam ingens & admirabilis est diuini Iesu erga nos affectus, vt præ nimio amore nostri totus ebrius esse videatur, siquidem haud secus ac si non esset contentus vnica duntaxat sanguinis sui effusione, semel in ara Crucis peracta, sed cupidus pretiosum sanguinem suum infinities pro nobis effundendi, admirabile altaris Sacramentum instituere voluit, in quo Passio sua ad viuum repræsentatur, idemque innumeris vicibus repeti aut reiterari decreuit, vt hac ratione innumeris quoque vicibus ipsemet Sacramentaliter moreretur, totidemque vicibus pretiosum suum nobis effunderet sanguinem. O quam admirabilis fuit hic liberalitatis excessus! Quousque non progreditur diuina tua in sanguinis effusione munificentia, ne dicam prodigalitas, vt pote cui non sufficiebat, quod semel eo tempore, quo mortalis & passibilis inter nos degebas, ex diuino corpore tuo sanguinem tuum effuderis, verum insuper iam immortalis & beatus existens, eo modo qui in altari videtur, eundem toties repetitis vicibus effundere voluisti. Verumtamen nequaquam id vobis mirum esse videatur, easdem namque manus, quas dum nobiscum versaretur in terris, habuit in torno Crucis perforatas & excauatas, nunc quoque habet in cælis, atque hinc fit, quod ab admirabilis prodigalitatis suæ prodigijs etiamnum quoque minime cesset. *Manus illius tornatiles.*

S. Bernardin. tom. 2 ser. 54 art. 1. cap. 2.

CONSIDERATIO. II.

Si scires donum Dei.

Causa ob quam mundani homines Deum & gratias illius nihili faciant, non est alia, quam ignorantia, qua laborant. Bonum enim quod non cognoscitur, nihili etiam æstimatur.

POstquam Sponsa dixisset, manus amantissimi Sponsi sui in torno elaboratas id est, admirabiliter prodigas esse & liberales, mox subiungit, se easdem quoque hyacinthis conspexisse repletas, *plena hyacinthis*, qui cum sint gemmæ cælestem præ se colorem referentes, cælestium bonorum sunt symbolum. Cum igitur habeamus, Deum ex vna quidem parte adeo munificum & liberalem, ex altera vero parte habentem manus tantis tamque præclaris diuitijs refertam, quî fit, quod nos talium bonorum adeo simus egeni & inopes? Non ob aliud, charissimi, quã quia illa minime cognoscimus, & cõsequenter nihili æstimamus, neq; sollicite eadem inquirimus. Iuxta id quod animarum nostrarum Saluator Samaritanæ in præsenti Euangelio dicit, cui dum se manibus, cœlestibus donis refertis præditum repræsentasset, vidissetque quod nihilominus hæc bona neutiquam ab illo postularet, hanc huius inertiæ causam esse dixit, quia scilicet eadem non cognosceret: *Si scires donum Dei, tu forsitan petisses ab eo.* Bonum enim quod non cognoscitur, etiam non æstimatur, nec quæritur. Id quod in præsenti Considerat one latius ostendemus.

1. Longo illi discursui, quem S. Paulus Apostolus in Carcere vinctus, & catenis onustus, in Agrippæ Regis aulicorumque suorum præsentia habuit, tandem hisce verbis finem imposuit: *Opto apud Deum, & in modico & in magno, non tantum te, sed omnes qui audiunt, fieri tales, qualis ego sum, exceptis vinculis his*, quasi perspicue magis dixisset, vtinam Maiestatem tuam, vna cum vniuersis aulicis tuis, ijsdem viderem honoratam & sublimatam fauoribus, quos mihi cælum digna-

Act. 26. v. 29.

dignatum est concedere, hoc solùm excepto, ne pro Christi mei seruitio ijs infestemini persecutionibus, aut grauemini catenis, & vinculis, quibus ego etiamnum succumbo. S.P. Ioannes Chrysostomus, vtpote cui optimè notum erat quanti Apostolus æstimaret eas, quas pro Christi seruitio patiebatur, afflictiones & ærumnas, dum hæc Apostoli verba attendit, valde obstupefactus, ita eundem alloquitur: O Sanctissime Apostole quid audio? tune Agrippæ & suis omnes honores tuos exoptas, & catenas tuas excipis? certe hoc faciendo ostendis, quod quantum Agrippam Regem æstimas, tantundem catenas tuas erubescas. Quod si ita est, vbi iam gloriatio illa est, quam in persecutionibus & ærumnis tuis solebas habere repositam, quando te semper tanto solebas iudicare gloriosiorem magisque honoratum à Christo, quanto pro Christi seruitio maioribus premebaris ærumnis. An non es amplius idem ille qui literas tuas titulo vincti & pro Christo captiui, quasi maximo è cælo tibi concesso honore exornare solebas, cùm nunc catenas tuas erubescas? Paulo autem post idem sanctus Doctor Apostolum hunc in modum introducit loquentem: *Non deprecor ego nec turpem duco, sed illorum seruio imbecillitati, qui nondum percipere gloriam illam nostram possunt.* q.d. Nequaquam ego nunc alius sum ab eo, qui semper fui, quasi qui nuper pro Christo pati maximum reputaui honorem, nunc deijsdem passionibus erubescam. Satis superque scio, & firmiter credo, hominem in hoc mundo maiori gloria frui nequaquam posse, quam tali ob Christum irrogata contumelia. Quòd autem Agrippæ, Regi alijsque auditoribus meis, catenas illas, quibus ego haud secus ac malefactor aliquis, manibus & collo tenus circumdor, non exoptem, non fit hoc quasi easdem reputem erubescendas, sed quia me eiusmodi hominibus loqui scio, qui cùm Christianæ Philosophiæ scholam nondum vel à limine salutarunt, similia bona ignorant, ideoque catenas & vincula non honori, sed magno sibi ducunt opprobrio & ignominiæ.

S. Ioan. Chrys. hom 53. in 1. ad Cor.

Frustra igitur illis hanc catenarum gloriam desiderarē, qui quid hæ catenæ importent, ignorantes, easdem non solum nullius æstimabunt, verum etiam cum verecundia & rubore recipient? vnde talibus eas quibus ego oneror catenas, optare idem foret quod margaritas ante porcos proijcere; Bonum enim quod non cognoscitur, etiam non æstimatur. *Nondum percipere gloriam illam nostram possunt.*

2. Valde diu percupidus fui sciendi causam, cur non omnes homines religiosorum fortunatissimū statū amplectētes viuos sese in claustra sepeliant, cū extra omnē controuersiam idem status securissimus sit inter fluctuantes mundi huius procellas portus, contra Sathanæ insultus fortissima turris, nec non tuta, vera, certaque ad Regnum cælorum via. Tandem vero, Beati Laurentij Iustiniani vitam, à Bernardo Iustiniano conscriptam forte fortuito peruoluēdo, idipsum perspicue cognoui; In hac enim inter cætera refertur magnum hunc Patriarcham dicere solitum fuisse: *Consulto Deum gratiam Religionis hominibus occultasse, nam si cognosceretur eius fœlicitas, omnes ad eam concurrerent,* ita vt mundus desertus prorsus maneret & inhabitatus; vnde tota ratio, cur tantum hoc bonum hucusque ab hominibus huius mundi nihili sit æstimatum, hæc est, quia nō est cognitum, cum verissimum sit, bonum quod non cognoscitur, nihili quoque æstimari.

Bernard. Iustinianus in vi[ta] S. Laure[n]tij Iustin[i]ani.

3. Christus Dominus noster quondam cum Hebræorum turba loquens, mirabilem quandam Regni cælorum similitudinem eis proposuit dicens: *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* q.d. Quod si scire vultis, quale & quantum sit cælorum regnum, granum sinapis considerate, inde enim quænam sit eius amplitudo & magnitudo facile erit conijcere.

Matth. 1[3.] v. 31.

Porrò nemo est qui ignoret, quod in hoc mundo nihil inueniri queat, quod Regnum cælorum capacitate sua aut magnitudine adæquare possit: adeo enim Regnum illud ingens est & amplum, vt S. Bernardinus nō vereatur dicere, quod si Deus tot crearet terræ globos, quot in maris littore conspiciuntur arenæ, eosdemque sic conditos cælo inferret, ex omnibus illis terræ globis simul iunctis cælum nequaquam impletum iri. *Tanta siquidem est magnitudo empyrei cæli, quod si de nouo crearet Deus eiusmodi magnitu-* dinis

S. Berna[r]dinus ser[m.] de dignit[ate] Animæ a[rt.] 1. c. 1.

denis tot terrarum orbes, quot sunt arenæ maris, vix implerant illud. Vnde hic merito quæritur, cum cælū adeo sit vastum, imo quasi immensum, cur Saluator noster illud grano sinapis comparet, quod vnum est ex minimis mundi? S. Cæsarius Nazianzeni Magni frater respondet id fieri. *Quia illico excidit diuinum Regni granum per digitos eorum.* Pro cuius responsionis intelligentia obseruare oportet, Christum dum hoc in loco cælum grano sinapis assimilabat, non cum discipulis suis, qui cælestia intelligentes vnicè illa sibi cordi ducebant, sed cum turbis, hominibus nimirum mundanis fuisse locutum, qui vtpote ad res terrenas propensi, de rebus cælestibus parum aut potius nihil nouerāt, easdemque parui admodum faciebant. In talium igitur hominum conceptu cælum nō amplum & grande, vti reuera est, sed breue & modicum erat, valdeque ad instar alicuius grani sinapis exiguum. Et sicut is qui simile granum manu sua tenet, quod veluti rem vilem & minimam reputat, nihilque æstimat, facile per disiunctos digitos in terrā illud cadere & perire permittit. Eodem modo quia homines mundani, magni illius regni cælestis excellentiam non cognoscūt, non solum nihili illud faciunt, verum etiam tametsi è manibus suis elabatur, & pereat, de hoc veluti re parui momenti parum curant. Quodsi enim regni cęlestis magnitudinem atque præstantiam cognoscerent, vtique idipsum pro dignitate sua æstimarent, illudq; iam veluti manibus suis tenentes (hoc enim Deus haud raro illis indulget) firmiter obfirmataque constringerent, ne elaberetur, eodemque in loco quo noti pretij gemmam præstantissimam haberent. Quamobrem iactura regni cælestis ignorantiæ ineffabilium bonorum suorum est attribuenda, propter hanc enim nihili fit, & facile è manibus elabi & perdi permittitur. *Illico excidit diuinum Regni granum per digitos eorum.*

S. Cæsarius Dialogo 1.

4. Dauid propheta regius ingens illud quo flagrabat desiderium ascendendi in cælum, Deoque per visionem beatificam fruendi, Psalmo 41. sequentibus verbis enucleate proponit dicens: *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum; quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Quo in loco bene obseruandum est, quod non dicat Propheta: *Desiderauit anima mea,* aut vero *esuriuit,* sed *sitiuit.* Qua de causa Dauid Rex, ad explicandum desiderium, quo ferebatur ad videndum Deum, eoque fruendum, sitis nomine vti voluit? Audite S. Bernardini obseruationem notatu dignissimam; ex illa enim non solum huius rei causam intelligetis, verum etiam ad materiæ præsentis propositum non inutile aut modicum elicietis argumentum. *Notanter dicit: sitiuit anima mea, quia sitis ex salis vsu prouenire solet: sic & sitire Deum ex sale sapientiæ originem habet,* quasi diceret: Propheta principalem causam, ob quam contempto omni bono caduco, præter cæli possessionem, & veri Dei summique boni sui claram visionem aliud nihil desiderabat, insinuare volens, sitis vocabulo vti voluit: sicuti enim sitis suam ex sale originem habet, ita desiderium possidendi cælum & fruendi Deo, ex sale sapientiæ, id est, ex notitia illa quæ de cælo & de Deo habetur, enascitur. Quodsi vero apud terræ huius amatores, qui præsentia tantum bona diligentes, æterna nec amant, nec æstimant, secus accidat, hoc totum ex huius notitiæ defectu oritur; nondum enim de hoc sale degustarunt; Bonum enim quod non cognoscitur, etiam non æstimatur.

S. Bernardinus tom. 3. serm. 4. art 1. cap. 3. de luctu.

5. Tales stulti homines menti meæ haud aliter obueniunt, ac gallus ille apud Æsopum, qui in fimeto pretiosam quandam gēmam inueniens nihili illam fecit, sed vnguibus suis fimetum vertendo, vt hordei granum, quod iuxta iacebat, acciperet abiecit, ob ignorantiam vtique pretij quod latebat in lapide: quodsi enim illius sibi nota fuisset præstantia, vtique pro dignitate sua æstimasset, neque rei tam vili post habuisset. Enimuero Deus respectu rerum terrenarum, quid est aliud, quam gemmá quædam grano hordeaceo, comparata? Et tamē vt quis vili eiusmodi grano potiri possit, Deus persæpè contemnitur nihilique æstimatur, vtpote, qui eiusmodi hominibus pro dignitate sua, vti magnus ille Venetiarum Patriarcha dicebat, nequaquam est notus: *Deum plane si quis agnosceret, amori illius vniuersa postponeret, paruipenderet visibilia, laudabiliterque odiret, quamobrem ex ignorantia summi boni terrena delectant.*

B. Laurent. Iustinianus serm de S. Laurentio.

6. Postquam S. Martha Christum in domus

mus

mus suæ recepisset hospitium, atque in apparandæ mensæ obsequio absque omni sororis suæ adiutorio sola deseruiret, Christũ conuenire, atque de sororis suæ indiscreta inertia conqueri non distulit, vtpote quæ otiosa domi sedens, non curabat illam tot curis & laboribus oppressam negligi omnique ope destitui. *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, vt me adiuuet.* Porro ex quo in hunc scripturæ locum incidimus, dignum videtur, vt causam inquiramus, quæ Martham ad hanc aduersus sororem suam deponendam quærimoniam permouit. Num forte sorori requiem animiq; quietem inuidit? aut vero vlterioris laboris impatiens à sorore laboris postulauit vicissitudinem? Hieronymus Oleaster dicit, neutram ex his causis illam ad hasce quærelas faciendas impulisse, sed potius ipsam id fecisse, ob magnam, quam de magno & insigni Domino, quem domi suæ receperat, habebat notitiam: *Conqueritur Martha, quod soror Maria eam solam reliquit in ministerio Domini, quoniam tam magnum eum æstimabat Dominum, vt non sola ad eius ministerium sufficeret, ideo sororem in ministerium à Christo petit.* quasi diceret: Quia Marthæ omnino perspicuum erat, quantũ domi suæ excepisset hospitem, ideo ingens hæc eiusdẽ Domini æstimatio efficiebat, quod vt obligationi suæ ex omni parte responderet, vires suas pro tanto seruitio rite obeundo, impares iudicaret, ideoq; sororis suæ imploraret auxiliũ. Vnde clare colligitur, quod si Martha non tã clarã personæ Christi habuisset notitiam, eandẽ ipsa haud dubie etiã neglexisset, atque seruorum ancillarumque suarum manibus tractandum dimisisset. Bonum enim quod non cognoscitur, etiam non æstimatur.

Luc.10. v. 40.

Oleaster in cap.31. Exodi.

7. Attendistisne aliquando, quanta cum incõsideratione animique leuitate iuuenis ille prodigus hæreditatis suæ partem se cõtingentẽ à Patre suo petere, nec non alioꝝ in regionem scilicet longinquam commigrandi facultatem exposcere non erubuerit, quantaque cum facilitate vtrumque à Patre suo impetrauerit? Certè quod iuuenis ille, vtpote inconsideratus, inexpertus, nulliusq; prudentiæ compos, nesciens aliquod, inter id quod vtile vel noxium sibi foret, facere discrimen, in laboriosum hoc, nec minori periculo obnoxium iter sese resoluerit, id cuilibet prudenter iudicanti omni prorsus excusatione & compassione dignum vtique censebitur. At vero quod decrepitus ille senecio, Pater eius, qui mundi errores longa didicerat experientia, adeo nihilominus faciliter & prompte in iuueniles filij sui appetitus & desideria condescenderit quomodo excusari id poterit? Et tamen os illud aureum, eundem non tantum excusat, verum etiam ipsum hac in re sapienter matureque processisse existimat, hanc præcipuè ob causam, quam assignat: *Propterea hunc Pater dimiserat, neque prohibuerat quo minus in patriam abiret alienam: quatenus experimento disceret accuratè, quantum beneficium susceperit domi manens.* Imprudens hic iuuenis in paterna domo in magna bonorum abundantia natus & enutritus, nullam vnquam habuit necessitatis alicuius experientiam, ideoque tantam fortunæ affluentiam & prosperitatẽ minime cognoscebat aut æstimabat; permisit itaque Pater, quod postulatus fuerat, omnemque in exteras sese prouincias recipiẽdi facultatem filio indulsit, vt occasione maloꝝ in tali peregrinatione occurrentiũ, oculos suos aperiret, bonũq; illud melius cognosceret, quod tanta cum inaduertentia dimittebat, atque in futuro suo ad Patrem reditu magno in pretio haberet, quod prius nesciens quid vel quã præstans esset, contẽpserat. *Quatenus experimento disceret accuratè, quantum beneficium receperit domi manens.*

S. Ioan. Chrys. hom. 11 ad popul.

8. Duo illi cæci, qui visus recipiendi cupidi, post mundi Saluatorem vt hoc illos dono dignaretur, supplices clamabãt dicentes: *Domine miserere nostri fili Dauid*, acriter vt S. Matthæus preces illorum describens, subiũgit, ab ijs, qui diuina Christi sequebãtur vestigia, repræhensi & increpati fuerant, vt tacerent: *Turba autẽ increpabat eos vt tacerent.* Requiramus obsecro rationẽ, ob quã pauperculi illi adeo fuerint repræhẽsi, ni fallor enim quisquis illorũ verba attenderit, illos nullũ prorsus cõmisisse errorem iudicabit. Quẽ enim errorẽ cõmittere poterant, quãdo debita cũ humilitate & reuerentia accedebant Christũ non solũ Dominũ suũ proclamantes, verum etiã illustrẽ à tot magnis famosisq; Regibus, qualis Dauid erat, eius origi-

Matth. 2 v.31.

originē confitendo honorantes. Vnde non solū non merebantur repræhendi, aut increpari, sed magnis etiā laudibus celebrari debebant. Tostatus hanc difficultatē benè aduertit, proque illius solutione hunc in prædictis cæcorum verbis assignat errorē, dicēs *Indignati sunt multi, qui in Christū credebant, audientes istam paruā laudem Christi, volebant enim, quod non vocarent eum filiū Dauid, quasi hominem, sed filium Dei.* Quia inter illos qui Christū sequebantur, multi erant, qui ipsum non hominem tantū, verum etiam Deū, nō tantum Dauidis Regis, sed potius Regis regū & Domini dominantiū filium esse credebant, qui proinde maiori honoratiorique titulo affici Christum desiderantes, à cæcis autē illum longe inferiori quā meritus erat titulo compellari audientes, indignabātur, satius esse rati si omnino tacerent. Hic tamē error modicus vel potius nullus est in ijs, cū enim hi miserabiles cæci non ex animi malignitate, sed ex ignorātia potius moti, Christū Dauidis & non Dei filiū appellarint, merito videntur excusandi; Ipsi enim sicut corpore, ita quoque mente cæci existentes, cū Christ D[illegible]initatē non cognoscerent, ipsū quoqu[illegible] tanquam Deū æstimare, aut filium Dei appellare, eo modo sicuti ab increpantibus se cognoscebatur & æstimabatur, minime poterant; siquidem bonum quod non cognoscitur, non æstimatur.

Tostatus Q. 113. ibid.

9. Videtur mihi hæc turbæ illius indignatio, similis esse illi, qua Seneca certo cuidam Aniceto vehementer irascebatur. Nā vt Lactantius Firmianus scribit, cū Plato magnus ille Philosophus, qui ob Doctrinæ suæ sublimitatē diuini nomen sibi cōparauit, mancipiū factus turpiter seruire cogeretur, Anicerus supradictus octo sestertiorum pretio eundē redemit & in libertatē asseruit. Quod Seneca audiens adeo cōtra Anicerū redimētē stomachatus & ira cōmotus est, vt continere se non potuerit, quin mille ipsū iniurijs conuelleret. Potuisset hîc nonnemo qui Senecā stomachantem vidisset, nec tamen iræ conceptæ penetrasset, rationē, facili negotio Senecæ obmurmurare, atq; intra semetipsū dicere: apage Seneca, qua enim tu fronte Anicerū ob ea quæ bene & laudabiliter ab eo facta sunt, conuitiari audes? bonus Anicerus Philosophum quendam è graui seruitutis iugo lytro numerato redemit, & ab alio quodā etiam Philosopho ob idipsum vituperabitur & discerpetur? Pulchrā profecto laudem, & honoratum hic liberalitatis suæ reportauit præmium? scilicet. At vero cuilibet arrecta vtrimq; aure vtriusque tam Senecæ quā Aniceri rationes auscultanti pronū vtique erit, tā hunc quam illū excusare & cōpati vtriq;. Imprimis enim Senecam stomachantē bona niti ratione, cōperiet: nō enim hic Anicero quod Platonem redemisset, irascebatur, sed quia ipsum octo tantum redemerat sestertijs, quod est pretiū vilissimum, quo quodlibet quantumuis vile mancipiū & seruus redimi solet, per hoc namque pretiū Anicerus se Platonē pro dignitate sua minimè æstimasse ostendebat. *Insectatus est redemptorem Seneca*, inquit Lactantius *quod Platonē paruo æstimauerat.* Atque eadē cum facilitate inueniri simul pro Anicero defendēdo ratio poterit, hic enim sicuti Platonem non cognoscebat, ita quoque eundē pro meritis suis æstimare, aut ipsū maioris pretij redēptione aut lytro honorare non poterat. Bonū enim quod cognosci nequit, æstimari nō poterit.

Lactant. Firm. de Fals. sa. l. 3. c. 2

10. Hugo de sancto Victore Christianorum pictorum motiuum quondam scire voluit, ob quod Angelum exprimere volentes, hominis formā adhibeant. Cum enim Angeli substantiæ sint spirituales & incorporeæ, nequaquam conuenire videtur, vt eorum qui carne præditi sunt & sanguine figuris exprimantur. Tandem vero hanc huius motiui rationē adinuenit, & dicit *Propter hoc enim in forma humana Angelus describitur, quia homo quanto minus sensu viget, tanto potentior est ratione & intelligentia, & libertate naturalis arbitrij, vbi Angelis assimilatur.* q. d. Quanto homines se à sensu duci & regi minus permittunt, tanto in actibus rationis & liberi arbitrij, per quos Angelos propinquius accedunt, plus præualent. Atque ideo pictores Angelum delineaturi, hominis figuram exprimunt; siquidem ob hunc actuum rationis respectum haud exigua homines inter & Angelos reperitur similitudo Hoc totum pro sequentis nodi siue difficultatis fundamento dictum esto, videlicet: Quam ob causam Adam (in quo quāto minus præualebat sensus, tanto plus ratio dominabatur, qui proinde veluti Angelus quidam erat)

Hugo de S. Victore in cal. Hier l. 10. c. 15.

erat) gulæ peccatum commiserit, per quod relicta Angeli similitudine bestijs similis factus est, Dauide id affirmante: *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ratio enim huius facilis est ex dictis quia sicut idẽ Propheta dicit, Adam se Angelum quendam humana carne circumdatum, à Deo creatum esse nesciuit: *Homo cum in honore esset non intellexit.* Vnde ab hac tanta ac tali ignorantia accidit, quod tantum suum honorem non æstimarit, ideoque illum facillime perdiderit, atque Angeli similitudine relicta bestiam induerit: *Comparatus est iumentis insipientibus.*

Psal. 48. v. 13.

Psal. eod.

11. Admirabilem quandam, si placet, inuitationem auscultate, qua Deus cunctos sitibundos ad gratiarum aquas aduocat, dicens: *Omnes sitientes venite ad Aquas, & qui non habetis argentum properate, emite.* q. d. Huc adsit quisquis in hoc mundo aquis gratiarũ mearum indiget, mihique, qui illis abundo approximet: sciat autem, quod easdem non donare, sed vendere statuerim. Vnde quibus deest argentum, illud studiose & sollicite conquirant, atque aquas mercatũ accedant. Verum mira res est ista! quãdo enim Deus vnquam visus est aliquã pro gratijs suis comparandis exigere pecuniam, sicut in præsenti verbis expressis postulat? Quod si Isaias propheta Deum in proprij sanguinis dispensatione adeo liberalem esse ac munificum dicere non dubitauit, vt illum sine vllo pacto aut dato pretio effundat *sine argento redimemini*, qua ratione hodie in aquis indulgendis, adeo parcus & auarus esse conspicitur, vt sine argento easdem dare nequaquam decreuerit? Audite quid super hunc locum doctissimus dicat Oleaster qui egregie nodum istum resoluit: *Cum enim omnia gratis offerat, quia tamen probè nouit, nos res ex pretio æstimare, adiunxit: emite; sunt quædam quæ licet pretiosa sint, non æstimantur, quia gratis nobis offeruntur. Solent homines res æstimare ex labore vel pretio, quo illas acquirunt, non ex earum dignitate. Gratis exhibentur cælestia, si dãtis liberalitatem spectes, emuntur vero, vt putes pretiosa.*

Isaia 55. v. 1

Isaiæ 52. v. 3.

Oleaster in cap. 55. Isaiæ.

Quando Deus nos gratiarum suarum vult reddere participes, vult ante omnia earum pretium à nobis cognosci, vt eas pro dignitate sua magnifaciamus & æstimemus; vtpote cui probe nota est propensio nostra & inclinatio, qui valorem rei alicuius nequaquam agnoscimus, aut æstimamus, nisi vel magno illam labore acquisiuerimus, aut certe ingenti illam comparauerimus argento, atque ideo gratias suas vendere vult, non vero dare: *Properate & emite.* Neque hoc dicit, quasi vera illas emptione nobis comparare possimus, cum sint inæstimabiles, ipseque illas etiam emptas gratiose nihilominus & liberaliter donet; sed vt nos ad aliqualem illarum notitiam & æstimationem sensim inducat, vtpote qui bonum aliquod non æstimamus, quod non cognoscimus: *Emuntur vt putes pretiosa.*

12. Locus iste alium quendã capitis noni eiusdẽ Prophetæ locũ appellat, ob repugnãtiã quandã quæ inter vtrumque intercedere videtur, Propheta igitur de verbi incarnati aduentu loquens dicit: *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.* q. d. Ne homo deinceps sub inferni reatu amplius detineatur, vnigenitum illi filium suum liberaliter dare Deo complacuit. *Filius datus est nobis.* Idem Doctissimus Oleaster scripturam hanc explicans, *ly Datus* grauiter ponderat, & dicit. *Non venditus, neque commodatus.* q. d. Aduertat hic lector, Prophetam non dicere, quod Deus filium suum vendiderit aut commodauerit, sed quod illum dederit. Cum igitur verissimum sit, quod vti superius diximus, hominibus proprium sit rem aliquam nõ aliunde quam ex pretio, quo illam comparant, cognoscere aut æstimare, videtur quod Deus vnigenitum suum dando, & non vendendo, filij sui præstantiam nequaquam cognitam esse, aut alicuius pretij æstimari voluerit: id quod æternæ Diuinæque Maiestatis consuetudini aduersari videtur, vtpote qui dona sua à nobis adeo vult æstimari, & in pretio haberi, vt illa vel non donet, aut iam donata, ab illis qui ea negligunt, tollat. At vero quia Deus ob eandem rationem vnigenitum suum donauit, propter quam gratias suas, vti iam intelleximus, vẽdidit, ideo Oleaster huic difficultati respondet: *Quoniam in terra nihil erat hoc filio dignum, nobis datus est, non pretio emptus,* quasi diceret: Quod si Deus ad hoc, vt nobis innotesceret diuini filij sui pretium, illumque pro sua Maiestate æstimaremus, nobis illum vendi-

Isaiæ 9. v. 6.

Oleaster ibid.

vendidisset, nos certe comparare aut emere eum nequaquam potuissemus. Cum enim in hac terra ad soluendum alia commutatione vti non possimus, quam gemmarum, auri, argenti, & aliorum similium, quæ merum sunt terræ lutum: si his à nobis emeretur, Deus luto, ostenderetur æqualis, & tanquam lutum à nobis cognitus fuisset & æstimatus, adeoque diuini illius thesauri valor pretio suo infinities mansisset frustratus. Quia igitur tanto bono emendo nulla inueniebatur digna moneta, Deus illum nobis pro nihilo & gratis dare voluit. *Filius datus est nobis*, vt hac ratione nos ipsius, veluti rei alicuius inæstimabilis, cuius nullum in terris condignum reperitur pretium, infinitam cognosceremus præstantiam, ipsumque æstimaremus, non veluti quid terrenum & caducum, sed velut rem aliquam super cælestem & diuinam. Videtur Deus hac in re idem fecisse, quod olim Zeuxes qui, vt Plinius scribit, ingentem picturæ suæ excellentiam mundo patefacere volens, vt tanto maiori ab hominibus haberetur in pretio, illas non vendere, sed donare consueuerat. *Donare opera sua instituit, quod ex nullo satis digno pretio permutari posse diceret.* Sufficienter itaque videtis, Deum nobis multifariam multisque modis donorum suorum ostendere præstantiam & excellentiam, dum illa nunc vendit, mox donat, vt tanto illa maiori habeamus in pretio; Optime enim nouit, quod apud nos bonum illud quod non cognoscitur etiam non æstimetur. Quodsi Samaritana Aquarum Diuinæ gratiæ cognouisset pretium, vtique illas antequam oblatæ fuissent, desideranter expetijsset, vti Christus dicit: *Si scires donum Dei, tu forsitan petijsses ab eo.*

Plinius lib. 35. cap. 9.

CONSIDERATIO III.

Quinque enim viros habuisti:

Ad sustinendum & tolerandum continua & enormia hominum peccata, non sufficit Patientia humana, qualiscunque demum illa sit, sed opus est patientia ipsiusmet Dei.

1. INgens patientiæ abyssus, qua Deus humana scelera æquanimiter & continuo sustinet, in historia Samaritanæ sese euidentissime prodit. Tametsi enim infamis hæc mulier maiorem vitæ suæ partem, in fœdis luxuriæ sordibus consumpsisset, vtpote quæ quinque abusa fuerat lenonibus siue scortatoribus, pientissimus tamen Deus non tantum patienter illam sustinuit, verum etiam dum quinque illis, etiam sextum lasciuientem & salacē hircum superadiungeret, simili prorsus illam longanimitate tolerauit. Vnde bene sponsa manus Dei dilecti sponsi sui aureas esse dicebat: *Manus illius tornatiles aureæ.* Nam sicut aurum adeo admirabili præditum est proprietate, vt sub martello positum, voluntati aurificis ita obtemperet, vt sine vllo rumpendi aut crepādi periculo, secundum quod opus fuerit, aut in fila minutissima distendatur, aut in subtilissimas dilatetur laminas: haud secus magni illius Domini, quem proni adoramus, manus, ac si aureæ essent, tametsi à nobis omni hora grauiter concutiantur & offendantur, ab ordinaria tamen & solita pietate sua nequicquam dimoueri, aut pro nostri castigatione instituenda, arma appræhendere cernuntur, sed patientius quam hactenus vnquam nos sufferunt, atque ad pænitentiam & veniam expectant. *Quemadmodum auri materia*, inquit Lucas Abbas super hunc locum *quo deduxeris, sua mollitie sequitur; ita Maiestatis inimmutabilis bonitas, quantumcunque ab impijs irridetur, non frangitur.* Adeoque nisi nos Deum quendam haberemus omnino aureū, adeoque dulcem, pium & benignum, nemo aliorum hominum, quisquis ille etiam esset, scelera nostra sufferre aut dissimulare posset. Tales enim tāque enormes sunt nostræ iniquitates, vt quæuis demum alia patientia, sola diuina excepta, sub illa deficere & succumbere necessario deberet.

Luc. Abb. in Cōmēt. Appon. super Cātica.

2. Deus populum Hebræum ab antiqua Ægypti seruitute eripere quondam statuens, Moysen in legatum suum elegit, qui cum regni illius Rege hac de re Dei loco tractaret. Ne autem obijci Deo posset, quod in tanti ponderis ac momenti negotio, quale illud erat, hominem amandasset priuatum & plebeium, Deus illum prius Deum creare voluit, ideoque dixit *Ecce constitui te Deum Pharaonis* q. d. Abito hinc Moyses,

Exodi 7. v. 1.

ses, negotiumque liberationis populi tui cum Rege Ægypti transigito, totoque animi conatu in hanc rem incumbito, vt hoc legationis tibi à me impositum munus, ea cum grauitate & Maiestate obeas, quæ tuo conuenit gradui & officio; ob hoc namque tibi à me impositum munus, ex homine, qualis paulo ante eras, Deus à me factus es. *Constitui te Deum.* Verum sistite hic nonnihil; Hic enim in personam Moysis recens collatus honor, nimis excessiue magnus esse videtur. Nunquid enim ad hoc, vt Moyses pro dignitate sua honorifice reciperetur à Rege Ægypti, sufficere potuisset, si Deus Diadema regium Vertici Moysis superimposuisset, ipsumque Regi parem fecisset & æqualem? aut si Deus Moysen Pharaone facere volebat superiorem & maiorem, fecisset Angelum? Cur igitur illum Deum fecit, cum tantis tamque excessiuè magnis, exaltationibus opus minimè esset? Huic difficultati respondendum est, quod si Moyses à Deo Rex coronatus, aut Angelus quidam cælestis factus fuisset, vtique legationis suæ effectum, quem Deus intendebat, minime assecutus aut sortitus fuisset; opus itaque erat vt Deum faceret, vt hac ratione memor semper esset curandi, vt mores & actiones suæ, tanto nomini, tantæque authoritati rite responderent.

In eo namque negotio, ad quod Deus illum elegerat, non solum requirebatur, vt cum Pharaone tractaret, verum etiam vt illum in millenis defectibus, quos Tyrannus ille in hocce tractatu commissurus erat, patienter sufferret, quam patientiam exhibere minime potuisset, nisi Deus quidam factus fuisset. Vnde Oleaster vna quidem ex parte Diuinam Maiestatem, quæ Moysen in Deum elegerat, ex altera vero parte patientiam quam Moyses circa Pharaonem exercebat, considerans, ita inquit *vide quanta sit prudentia eius, & misericordia, vt non eum statim occiderit, sed patientia quasi Dei tulerit & admonuerit.* q. d. vide quantæ necessitatis fuerit, vt Moyses Deus quidam fieret, ad sufferendum nimirum patienter enormes Pharaonis defectus, quem nunquam occidit, quantumuis sceleratus ille mille quotidie mortes fuisset promeritus; qua equidem patientia nunquam vsus fuisset, si illum Deus Regem creasset, aut Angelum. Nulla enim est patientia, quæ ad sufferendum enormes hominum defectus vlterius possit extendi, aut progredi, quam ipsamet Dei patientia, cum aliæ omnes crepent, rumpantur, & omnino deficiant.

Oleaster ibid.

3. *S.* Laurentius Iustinianus opinatur, instantiam illam, pro Christo à morte liberando, à *Pilati* coniuge factam, ex Dæmonis instigatione processisse, qui dum mansuetissimus Dominus noster flagellis atrocissime laceraretur, ex certis quibusdam coniecturis & signis, Christum vere illum esse, vnde populi Hebræi salus & Regni sui ruina oritura erant, sensim cognouit: *Diaboli arte actum est, iam enim Diabolus expauescere caperat, ne esset ipse per quem futura esset salus Iudæorum.* Quod cum ita se habeat, (est enim verissimum) hinc quæro. Quodnam signū aut coniecturam, Diuinitatis in persona Christi arguendæ, habere poterat Dæmon, cum Christus pro illo tempore se non nisi hominem exhibuerit, & hominem quidem valde miserabilem, & infelicem, in manibus carnificum positum, vnum duntaxat & merum toto corpore vulnus factum, proprio suo sanguine madidum, & mortis amarissimæ condemnatum? Respondet S. Doctor, signum illud non fuisse aliud, præterquam admirandam illā patientiā, quam sub ipsa flagellatione in prætorio exhibuerat, de hac enim recte conijciebat, illam aliam esse non posse, quam superhumanam & diuinam. *Supra humanam consuetudinem atque virtutem, patientiam Christi esse cernebat.* Quando enim Dæmon Christum veluti agnum mansuetum in manibus inimicorum suorum positum obseruabat, videbatque quod mille modis illusus, maleque tractatus, non solum nullum proferebat verbum, quo sibi tantas iniurias & afflictiones displicere demonstraret: verum quod insuper veluti insensibilis quædam statua, sese vulnerari lacerarique permitteret, conijcere mox cœpit, ipsum non hominem tantum, qualis exterius cernebatur, sed verum simul Deum esse. Patientia enim illa quæ enormia longaque hominum scelera, tanta cum mansuetudine suffert & deuorat, non hominibus attribuenda videtur, sed Deo, cum sit proprietas Dei naturalis.

Matth. 27 v. 19.

B. Lauret. Iustinianus de Agon. cap. 13.

4. Post-

4. Postquam Rex Dauid mortuo Saule omnia regni sui negotia stabiliuisset, omnesque difficultates, quæ coronæ suæ tranquillitatem turbare potuissent, perfecte completeque superasset, mox vnum ex seruis suis, cui nomen Siba, aduocauit, & dixit *Nunquid superest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei?* Cumque ille respondisset, superstitem adhuc ex Saulis stirpe esse Miphiboseth, Rex illum in suum mox palatium accersiri fecit, ipsumque haud secus ac vnum ex filijs suis tractauit; imo non obstante quod deformis & vtroque pede claudus esset, ipsum mensæ suæ regiæ quotidie conuiuam adhibuit. Doctissimus Oleaster verba illa quæ Rex ad Sibam dixit, argute considerat, obseruat enim quod Dauid misericordiam illam, quam successoribus exhibebat Saulis, non suam, sed Dei misericordiam appellauerit: *vt faciam cum eo misericordiam Dei.* Ideoque quærit, à quonam misericordia illa exerceri debebat? à Dauide, an vero à Deo? Non est dubium, quin à Dauide, & non à Deo exhiberi debuerit. Quodsi igitur Dauid, non vero Deus illam facere debuerit, cur igitur misericordiam illam non suam, sed Dei misericordiam appellat. Videtur profecto quod intra propriæ locutionis terminos se continendo, dicere debuerit: *Misericordiam meam*, & non quemadmodum dixit: *Misericordiam Dei.* Respondet autem: *Nostra in hoc distare à diuina videtur misericordia, quod nostra ad nostros tantum se extendit, diligente tantum eos, qui nos diligunt amicos, non inimicos; misericordia autem Domini præcipuè ad inimicos*, quasi dicere vellet; Dauid misericordiam illam, quam cum tanti sui inimici & persecutoris nepotibus vsurpare volebat, rationabiliter misericordiam Dei, & non suam appellat; magna enim inter nostram & diuinam misericordiam intercedit differentia, cum enim misericordia nostra vltra amicos & familiares nostros non se extendat; non enim solemus amare alios, præterquam eos, qui nos amant: Diuina econtra plus vltra dilatatur, non enim eis tantum succurrit, qui Deum amant, verum etiam inimicis, ijsque qui offendunt. Quia igitur Dauid in præsenti non contentus, se pietatem suam Sauli aduersario suo & Ionathæ filio eius exhibuisse, eandem insuper in eiusdem volebat nepotes extendere, sciebatque humanam pietatem, vtpote quæ subito & faciliter frangi solet, cum tanta patientia coniunctam esse non posse, noluit patientiam illam appellare humanam, sed diuinam, non suam, sed Dei. *Vt faciam cum eo misericordiam Dei.* Solius enim Dei misericordia est illa, quæ instar auri quod non facile crepat, rumpitur, aut frangitur, in supportandis humanis imperfectionibus cum inuincibili sese patientia modo quouis possibili dilatare solet atque extendere. *Nostra ad nostros tantum se extendit.*

2. Reg 9. v. 6.

Oleaster in cap. 18 Gen.

5. Causa ob quam pientissimus Deus arcus & arma rumpere, scutaque ex magno suo armamentario deprompta igni comburere voluit, secundum id quod regius Propheta Dauid scribit *Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni*, à S. Basilio sequentibus verbis adducitur: *vides fortitudinem simul & humanitatem Ducis virtutum, qui cum Dominus sit omnium, & omnes Angelorum turmas secum habeat, nullum tamen inimicum vulnerare, attingereue sustinet, sed arcum conteret, vt non amplius ignea tela per ipsum mittat.* q. d. Obserua quæso admirabilem magni Dei nostri mansuetudinem, qui cum imperio suo tantam potentiam, torque exercitus subiectos habeat, nosque iuste pro meritis condignisque supplicijs affligere possit, omnia tamen arma sua contriuit, & dirupit, seque ne deinceps nos castiget, prorsus inermem reddidit. Attendenda autem inprimis sunt verba illa: *Confringet arma* Non dicit *recondet* aut *reponet arma*, quasi illa duntaxat vice hominibus decreuisset ignoscere, illis vero ad vomitum redeuntibus, illa denuo reassumpturus, ijsdemque sese ad vindictas faciendas armaturus esset, sed dicit, quod Deus illa confringet & comburet: *Arcum conteret & confringet arma, & scuta comburet igni.* Ne videlicet vlterius vsui esse possint, ne per illa delinquentes castiget, aut patientiæ suæ progressum deinceps impediat. Attendendum præterea Prophetam vix verba illa *Arcum conteret &c.* pronuntiasse, cum ecce vocem quandam de cœlo lapsam audiuit, dicentem: *Attendite & videte, quoniam ego sum Deus*, quasi dicere voluisset Deus; Ex verbis illis à Propheta

Psal. 45 v. 10.
S Basilius ibid.

meo

meo pronuntiatis, volo vt me veluti Deum vestrum agnoscatis; cum enim intellexeritis me arcum confregisse & contriuisse arma, scuta quoque igni, ne deinceps vti illis valeam, combussisse, hacque ratione consuetas transgressiones vestras continua quadam, nec vnquam interrupta patientia sufferre posse, nolite credere me hominem esse, similem vobis, sed Deum verum; tanta enim tamque longanimis patientia, non hominis, sed Dei solius est proprietas. *Quoniam ego sum Deus.*

6. Hinc est quod idem Propheta Dauid, cum post correctionem à Nathane factam, apertis oculis miserabilē animæ suæ statum fuisset intuitus, ad Deū à se offensum, remedium & veniam ab eodem postulaturus, confestim recurrit, & dixit. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* q. d. O clementissime Domine Deus meus, quem adeo grauiter offendi, dignare secundum immensam pietatis tuæ magnitudinē, mihi misero peccatori pietatem & misericordiam tuam ostendere. Oleaster in hunc locum casualiter incidens, hoc ly (*tuam*) grauiter ponderat, & quærit: quænam sit causa, quod Propheta opis & misericordiæ se indigentem conspiciens, illam non in communi à Deo, sed in particulari petierit, non enim ipsi sufficiebat dicere, *secundum magnam misericordiam* sed adiungere voluit, *tuam?* An non æque efficaciter iuuari & compassionem à diuina misericordia experiri potuisset, si illa exhibita fuisset secundum misericordiam vnius hominis; veluti si Deus remissionis & veniæ suæ negotium homini alicui commisisset? Et subdit responsionem negatiuam dicens. *Omnis enim misericordia qua non erat Dei, illi erat suspecta:* Dauid enim optime nouerat eam, quæ humanam inter & diuinam misericordiam reperitur, differentiam, quod nimirum cum diuina neque peccatorum enormitatem, neque longum eorum progressum seu continuationem abhorreat; nec non peccatorem peccata sua deplorantem, licet alias mille enormitatibus obnoxium, patienter sustineat & expectet: humana è contra tantam virtutem & fortitudinem habere nequeat, quin ob culparum excessū & superabundantem peccatorum numerum deficiat & rumpatur. Vnde Deus misericordiam hominis nebulæ & rori matutino assimilare voluit, qui mane summo diluculo quidem apparens, mox tamen vt radij solares sese explicant, resoluitur, & deficit. *Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens;* atque ideo solius diuinæ pietatis brachijs sese committere voluit: *Secundum magnam misericordiam tuam* Per hoc insinuans, quod quantum patientem humanorum peccatorum attinet tolerantiam, de omni alia patientia dubitari merito debeat, sola excepta patientia diuina, quæ omnia suffert, nunquam frangitur, aut deficit: *Omnis enim misericordia, qua non est Dei, erat illi suspecta,* Quamobrem magnus ille Cardinalis Petrus Damiani hunc eundem conceptum attendens, Deo dicere non dubitauit *libenter ad te confugio Domine, quia diutius pateris, & velociter misereris quia tu es Deus & non homo.*

Psal 50. v. 1

Oleaster in cap. 11. Isaiæ.

Osee. 6. v.

Petr Damian. serm 56.

7. Postquam S Ioannes librum illum per Angeli cuiusdam manus sibi porrectum deglutijsset, in quo, vt vult S. Andreas Episcopus Cæsariensis in Cappadocia, hominum descripta erant peccata, mox, vt idem Ioannes refert ingentes in stomacho cruciatus persensit, & dolores: *Et cum deuorassem eum amaricatus est venter meus.* Mira profecto res est, quod S. Ioannes, qui calidum adeo atque præferuidem habebat stomachum, vt ab illius ore, veluti ab ardentis cuiusdam fornacis orificio, præter ignem charitatis nihil aliud erumperet; volumen tamen istud consumere aut digerere nequaquam potuerit Non tamen id vobis mirum videatur, inquit S. Pontifex, agebatur enim ibi de digerendis hominum peccatis, quæ à quocunque demum humano stomacho, quantumuis forti & calido, impatibilia & indigestibilia esse comperiuntur *Peccatum coctu facile non est.* Possunt equidem eiusmodi stomachi ferra, catenas, equuleos, aliaque horrenda tormenta digerere, ad peccata autem digerenda nequaquam illam vim obtinent, qua præditus est stomachus diuinus. Neque hoc alicui admirationem pariat, siquidem humanus stomachus carneus est, stomachus autem diuinus, vti Sponsa dicit, est osseus *venter eius eburneus*, vt proinde cum admirabili quadam patientia, quam-

Apoc. 10. v. 10.

S. Andr. Episc. Cæsar. Cappad ibid.

Cant 5. v. 14.

cunque imperfectionem humanam æquanimiter sufferat.

8. Stuporem non paucis attulit, quod Christi præcursor adhuc puerulus existens, vt potius in densis syluis & inter feras, quã in ciuitatibus & inter homines viueret, in horridum desertum secedere decreuerit, prouti sancta mater canit Ecclesia: *Antra deserti teneris sub annis, ciuium turmas fugiens petisti.* Videbatur enim expedientius si Ioannes Deo ac Domino suo Iesu Christo sese conformaret; qui quoadusque in mundo vixit, semper in ciuitatibus & inter homines est conuersatus. Verũ enimuero, inquit Paulus de Palatio, inter homines cõuersari, & habitare in ciuitatibus, Christus quidem potuit, non tamen id potuit eius præcursor, cuius rei pulchram valde rationem adducit
Paul. de Palat. in cap. 3. Matth. dicens: *Quia in ciuitate sunt tot peccata, exiguum stomachum habet Ioannes ad hominum ferenda peccata. Porro Christus grandiori est stomacho* Quantumuis S. Ioannes tot esset dotatus virtutibus miraque sanctitate conspicuus, stomachi tamen sui languorem & debilitatem agnoscens, vtpote qui grauia quæ in ciuitatibus ab hominibus mundanis cõmittũtur scelera, digerere aut cõsumere nequaquam poterat, nõ curans in syluis inter feras commorari, è ciuitate & hominum consortio fugere decreuit. Neque Domini sui exemplum sequi potuit, qui quoadusque vixit, ciuitates & peccatorum conuersationem nunquam vitauit, erat enim fortis & sani stomachi, ad humanas imperfectiones digerendas, idque quia simul verus Deus erat. Sola enim diuina Patientia præualet, vt erroribus & imperfectionibus nostris compatiatur, easdemque sustineat. *Christus grandiori est stomacho.*

9. Leuitici 2. v. 11. Deus Moysi præcepit, vt quotiescunque populus suus ordinarias facturus erat oblationes, aut panes immolaturus, curaret vt panis ille azymus esset, & non fermentatus: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet.* Verum cuperem scire, quænam causa sit, quod cum omnes passim homines panem fermentatum manducent, Deus sibi illum azymum apponi voluerit? Quantum vero capere possum, hæc illius fuisse videtur ratio, quam hisce verbis adducit Abulensis *Panes azymi sunt grati saporis, & duræ digestionis, ideoque vocantur panes afflictionis, ideo Deus prohibuerat aliquid fermentatum sibi offerri.* Quia panis azymus, vtpote duræ atque difficilis digestionis, vt digeri & consumi possit, fortem atque robustum postulat stomachum. Atque ideo fortitudinis stomachi sui optime conscius, alios in mẽsam suã sub inferri panes noluit, quam azymos. Idque eo fine ordinauit, vt nobis admirabilem suam in peccatis nostris supportandis patientiam ob oculos ponat, quæ tanta est, vt cum quilibet alius stomachus in ijs digerendis confundatur, Diuinus econtra ob spem futuræ nostræ pænitudinis, illa diuturno tempore dissimulet & sufferat. Vnde diuina bonitas optime mihi sturno aui comparanda videtur, qui ob stomachi sui robur, & excellentiam, cicutam digerit, herbam venenosam, alijsque animalibus & hominibus quam maxime mortiferam, atque ab omnibus vniuersaliter abominatam. S. Petri stomachus vix illius roboris erat, vt vel vnicum digerere posset Ananiæ mendacium, quem ideo subito in pœnam peccati sui occidit: Christus autem econtra tanquam Deus Apostolum traditorem, tot sceleribus coinquinatum, tot annis tolerare potuit, dicente S. Ioanne Chrysostomo *Mira patientia! Petrus condemnat Ananiam mentientem: Saluator Iudam patienter sustinet traditorem.*

Leuitici 2. v. 11.

Tostatus. Q. 3. ibid.

S. Ioan. Chry. serm 2. F. 5. Passionis.

10. Molestia quam turbæ Christo animarum nostrarum Saluatori, ex ingenti quo ipsum prosequebantur amore inferebant, adeo ingens erat, vt referente S. Marco, die quodam postquam toto die ipsi astitissent, atq; ab eius ore & eloquio insatiabiliter fuissent suspensi, Christo vna cũ discipulis suis domũ quãdã, vt corpora laboribus ac itineribus fracta nonnihil restaurarent, subingresso domum illam turmatim per circuitum, vt iterum incommodarent, cinxerint, & ita quidem infestarint, vt cibum seu prandium dimittere, atque pro aliqua illis satisfactione danda, ad illos foras egredi necessum fuerit. Quod peruersi quidam videntes, eo temeritatis progressi sunt, vt veluti stultum ad delirum hominem illum appræhendere vinctumque abducere conati sint: *Et conuenit iterum turba, ita vt non posset neque panem manducare, & cum*

Mar. 3. v. 20.

cum audissent sui, exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorem versus est. Qua de causa vecordes homines isti, videntes Christum erga se beneuolum, humanisque imperfectionibus compatientem, eundem vituperarunt, & insanum atq; delirum iudicarunt, cum potius laudare & admirari ipsum debuissent? Causa huius, ni fallor, ex ingenti illo patientiæ excessu desumenda est, quo tam frequentes turbarum importunitates & molestias tanta cum æquanimitate sustinebat; credebant enim impossibile esse, vt homo aliquis tanta vti patientia posset, nisi vel delirus & mentecaptus, aut certe verus aliquis Deus esset. Vnde cum Christum verum Deum esse, persuadere sibi neutiquam possent, quippe quem nunquam non purum hominem æstimârant, stultum & prorsus delirum reputabant. Dicit hoc certus quidam eximie deuotus author *Tanta est patientia Dei erga offensiones peccatorum, quod si esset dare hominem, qui patienter tot ac tanta toleraret, demens reputaretur ab omnibus.* Et certe multa cum ratione & fundamento discurrit. Ad hoc enim vt quis tot imperfectionibus & peccatis possit compati, alterutrum horum necessum est fieri, scilicet vel quod homo careat intellectu, nec imperfectiones illas appræhendat, & consequenter stultus sit, aut certe Deus sit, diuinaque patientia donatus, si illas appræhendat, hæc enim sola id facere posset.

Author via salutis ater. c. 14.

11. Paulus de Palatio obseruat, Christum ea die, qua Vrbem Ierosolymitanam solemniter & triumphabundus ingrediebatur, vti refert S. Matthæus, tam asinæ quam pullo eius successiue insidere voluisse: *Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.* Quærit igitur præfatus Doctor, Qua ratione fit, quod Deus vtrique iumento inequitare voluerit; cum in tam breui itinere cælesti Regi nostro portando vel vnum ex ijs sufficisset? Et pro solita sua subtilitate, egregiam huic quæstioni subinfert responsionem & dicit, species isthæc animalium, eo quod libenter aliena tergo suo imposita deferant onera, hominis longanimis & patientis symbolum est; Christus igitur vt demonstraret quanta esset eius in tolerandis hominum sceleribus diuinæ patientiæ magnitudo, tanta videlicet, vt illam nullus posset homo assequi, insidere vtrique iumento, Asinæ nimirum & pullo eius voluit, vt per hoc insinuaret, patientiam suam non vulgarem esse, sed quendam potius patientiæ excessum: *Quia regula est*, inquit hic Doctor, *quod duo vel duplex significat multum, hinc fit, vt Christum duplici asino insedisse, summam eius patientiam significârit.*

Matth. 21.

Paulus de Palatio ibid.

12. Deus quondam sterilem Hebreæ Synagogæ vineam peruersis quibusdam Agricolis & rectoribus, de quibus Matthæi cap. 21. sermo est, elocauerat. Cumque iam tempus reddendi virtuosorum operum fructus transactum esset, vinitoribus illis nihil minus, quam vt debito suo responderent, cogitantibus, Deus nihilominus illos, vt sacer Euangelista dicit, in eo perditionis statu derelinquere noluit, ideoque vt obligationis sibi incumbentis redderentur memores, ex seruis suis nonnullos, vt eos fructuum reddendorum commoneret, ad illos misit, qui ab impiis illis non solum non auditi, verum etiam fustigationibus ac verberibus onerati, lapidati, ac tandem fuêre occisi. Percepta igitur in cælis hac tantorum scelerum fama, Deus eodem fine maiorem seruorum suorum numerum, iisdem peruersis hominibus submittere non distulit, qui tamen haud secus ac primi similiter pessime tractati & trucidati sunt. Neque tamen Deus adhuc suam ab illis misericordiam fustulit; quin potius homicidarum illorum perditioni, plus quam morti suorum compatiens, tandem vnigenitum filium hæredem suum ad illos ablegauit, quem longe deterius, atque crudelius, ac seruos antea missos tractarunt; siquidem illum non tantum quamdiu cum illis vixit calumniati, centenisque modis persecuti sunt, verum etiam finaliter in ligno Crucis probrosissime occiderunt. *Et apprahensum eum eiecerunt extra vineam & occiderunt.* Cogit me hic scripturæ locus, ad inuestigandam causam,

Matth. 21. v. 39.

propter

propter quam Deus audita primorum seruorum suorum morte, de rabido & sanguinolento Agricolarum illorum animo certior factus, maiorem postea seruorum suorum numerum ad eosdem mittere voluerit? Imo quod plus est etiam illorum quos posterius miserat iteratæ cædis, conscius factus, continere se non potuerit, quin suum quoque vnigenitum ac vnicum ex asse hæredem ad eosdem mitteret, cum tamen potius persuadere sibi debuisset, futurum etiam fore, vt is quoque non tantum absque vlla ab ijs reuerentia exciperetur, verum etiam, vti postea accidit, post multas irrogatas iniurias, & inflicta vulnera ignominiosam ab ijsdem cogeretur in mortem. Vnde? consultius facturus videri merito posset, si percepta eorum quos primitus miserat, strage, ad illos non denuo homines, qui non minus quam primi poterant occidi, sed potius integros destinasset Angelorum exercitus, qui acrem exerciti sceleris ab ijs sumerent vindictam: aut horrenda ad illos conflagrandos & incin[illegible] aut Dæmones infernales, qui in æterna illos præcipitassent tormenta; aut si merito illis irroganda auxisset supplicia, sicut ipsi augebant scelera: non vero cumulasset fauores & gratias, prouti reipsa fecit. Pro huius difficultatis solutione notandum, quod S. Chrysostomus existimet, Christũ in hâc parabolâ ingens quoddã inter malignitatẽ hominum, & ineffabilem Dei pietatẽ certamen adumbrare voluisse; siquidem clare in eodem cernitur, quod quantum illa in suâ peruersitate crescebat, tantundem hæc quoque adaugeretur, cum tamen contrarium prorsus circà humanam nostram experiamur patientiam, quæ quanto magis offenditur, tanto plus diminuitur. *Considera quomodo per singulos gradus*

S. Ioan. *misericordia diuina, malitia Iudaeorum cresce-*

Chrys. hom *bat; quomodo per singulos gr[illegible] Iudai-*

40. ibid. *ca malitia, Dei misericordia ad[illegible]tur, & contrà clementiam Dei malignitas hominum certabat. Ecce qualis vir amicus fuerit homo, si semel ab illo passus fuerit iniuriam, quantumque frangitur eius affectus; si iterùm passus fuerit, iterùm magis minuitur. Dei autem clementia, quantò magis à Iudæis offendebatur, tantò magis addebatur in eis.* Ex quo euidenter colligitur patientiæ humanæ in peccatis nostris tolerandis debilitas; & patientiæ diuinæ fortitudo, cum enim illa in offensarum multiplicatione semper deficiat, hæc non solum non deficit, sed crescit semper & augetur. Vndè certi esse possumus, neminem prorsus reperiri, qui tantùm compati & sustinere possit, quantum sustinet & compatitur Deus.

13. Apud Isaiam Deus longum cum Hebræis discursum texere, eosdemque de summâ ingratitudine quam ergà se exercuerant, & etiamnum non considerantes innumeros, quos à Diuinis manibus suis quotidiè recipiebant fauores, exercebant, acriter obiurgare & repræhendere volens, hoc increpationis suæ initium fecit: *Audite me domus Iacob, & omne residuum Is-* Isaia 46

rael, qui portamini à meo vtero, qui gestamini v. 3.

à meâ vulua, vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo q. d. Audite ô cæci & ingrati Hebræi, quos tanto tempore in vtero meo portaui, quosque deinceps in extremam & decrepitam vsque senectam adhuc portabo. Quo in loco obseruandum, Deum ibi à matre accipere similitudinem; ad insinuandum, quod sicut mater filium, dum adhuc infans est, in vtero suo portat, sic ipse quasi mater pijssima suo nos portet & foueat in gremio. Quod cùm verum sit, sicuti est verissimum, quæro: cur Deus illos in extremam senectutem vsque portare velit, cum Deo ad complendum matris officium sufficeret, si illos quamdiu infantes essent portasset. Mater enim paucis quidem mensibus, nimirum quamdiu nondum genitus est Infans, fœtum suum in vtero portat, paucis item mensibus ad vbera pẽdulum inter brachia circumfert, reliquo illum tempore certo dimissura. Non autem ita facit Deus, qui dicit: *vsque in senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo.* Quamobrem id facit? Ratio ab Hieronymo Oleastro hiscè verbis adducitur: *Expen-* Oleaster

de quaeso, cui se conferat, vt ostendat se me- ibid.

rito ferre hominum importunitates. Sed omnia hæc excedunt, quæ Dominus pro

 suis

suis suffert: illa enim etsi paruulum ab vtero ferat & vulua: non tamen vsque ad senium & canitiem, quemadmodum Deus. Deus quidem matris comparationem assumpsit, ad modum quendam extrà ordinarium, quo nostras imperfectiones suffert & sustinet, insinuandum; nemo enim est, qui tantâ cum patientiâ & æquanimitate hominum imperfectiones, importunitates, molestias & fastidia ferat & sustineat, quemadmodum mater facit; ideoque quoad hoc elegantiori, quam à matre desumptâ similitudine vti non potuit. Veruntamen ipse longè maiori cum patientiâ quàm quæuis etiam optima mater nos supportat. Mater enim filiolum suum eo duntaxat tempore in vtero gestat, quo paruulus ad huc & vix palmaris est infans: Deus autem nos insuper vsque in extremam seu decrepitam senectam & senium portare non desinit. Adeoque cum patientiâ maternâ, quâ nullâ maior exprimi potest, in sustinendis imperfectionibus nostris nonnunquam deficiat & languescat, diuina nihilominus patientia nunquam deficit, aut hominem desolatum relinquit: *vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo.*

14. Vndè B. Petrus Damianus ad ea, quæ hactenus diximus, respiciens, obstinatum quendam peccatorem hunc in modum alloquitur. *Nunquid Deus alicui ministrorum suorum, qui vindices sunt iræ eius, in hoc ipsum constituti, reuelauit ignominiam tuam? ecce videt & tacet, videt & non manifestat.* q. d. Cur non vides, ô ingrate homo, quod licet tu in miserrimo tot innumerarum iniquitatum exercitio tuos continuo annos impenderis atque consumpseris, atque in deteriora continuò prolabaris, pientissimus tamen Deus, te tuosque errores tantâ cum patientiâ hucusque tolerando, nemini Angelorum suorum, qui Iustitiæ suæ sunt administri, eosdem hucusque reuelauerit? Cur autem illos non manifestauit? Ideò nimirùm quia si hoc in ipsorum veniret notitiam, vtique honorem Creatoris & Domini sui vindicare nequaquam tardarent. Ex quâ doctrinâ habemus quod Deus Angelis hominum peccata ne reuelet, non ab illis secundùm demerita sua rigidè nimis castigentur. Quod si enim illa scirent, vtique vindictam Creatoris sui de illis sumere non tardarent. Atque vlterius indè colligitur, Diuinam patientiam in Angelis deficere, vtpotè qui peccata nostra nequeunt, sicuti Deus, longanimiter tolerare. Ecce igitur, quam verum sit, quod ad sustinendum peccata nostra nulla patientia sufficiat, præterquam Diuina; siquidem non homines duntaxat, sed nec Angeli illa, sicut Deus, valeant sustinere. Verè igitur aureus est Deus, quia licet continuo à nobis offendatur, ipse tamen nec per iram frangitur, aut crepat per indignationem. *Manus illius tornatiles aureæ.*

S. Petrus Damian. in serm. de S. Mart.

SERMO XXV.

In Sabbathum Dominicæ Tertiæ Quadragesimæ.

IESVS autem inclinans se digito scribebat in terra.
Ioan. 8.

QVisquis sacratissimum Deiparæ semper Virginis Mariæ nomen benè attenderit, tres inibi admirabiles prærogatiuas esplendere comperiet, quæ magnam hanc Dominam cæteris altiùs honorant ac celebrant. MARIA namque in Latino sermone idem sonat, quòd *Domina, Exaltata, Spes. Domina* autem ex mente S. Bernardini deriuatur à verbo *domo, domas*. Et meritò. Ipsa namque domare Deum potuit, qui veluti ferus ac truculentus Rhinoceros, ad preces eorum qui humanam exposcebant salutem, inexorabilem se semper exhibuerat. Dicitur etiam *Exaltata*, quia postquam Cælorum regem in suum suscepit vterum in gradu adeò sublimi exaltata conspicitur, vt altiùs euehi omninò nequeat. Spes denique interpretatur, quia omnem spem humanam in ipsa collocatam esse profitemur. Et quidem videtur quod Christus Dominus ad dilectæ matris suæ honorem has easdem prærogatiuas in præsenti Euangelio explicare contendat. Inprimis enim Christus Dominus noster admirabile Incarnationis mysterium in claustro virginali magnæ huius matris peractum, sub symbolo mulieris adulteræ à peccatis suis absolutæ repræsentans, inclinatus & incuruatus conspicitur: *Inclinans se deorsum.* Vt per hoc insinuetur, ipsum mox vt virginalem ingressus est vteri materni cameram, veluti qui innatæ pietatis tantæ matris factus sit particeps, antiquum suum remittendo rigorem, ad preces & necessitates nostras velociter exaudiendas, factum esse clementem, benignum & pium. Præterea dùm digito spiritus sancti in sacratissima Virginis Matris suæ viscera, veluti in candidissimam papyrum scribens, se hominem facit, ipsam verò Dei matrem: *Digito scribebat.* Ostendit Deiparam in adeò altum dignitatis gradum esse euectam, vt plùs vltra pertingere nequeat. Denique dùm illam terram appellat: *scribebat in terra*, quæ quod germinis viriditate cooperitur, spei est hieroglyphicum, declarauit totius mundi spem in efficaci magnæ Reginæ huius protectione solum esse repositam. Cum itaque sacrum Euangelium hodiernum viam nobis sternat, ad loquendum de sublimissimis Deiparæ virginis honoribus, nos quoque prædictas eius excellentias & prærogatiuas manifestaturi, cũ illius præsidio & adiutorio, easdem totidem Considerationibus describemus.

S. Bernardin. ser. de nom. Mariæ art. 2, c. 2.

CONSIDERATIO. I.

Inclinans se deorsum.

Pietas Diuina quam Deus humano generi exhibet, fructus & partus est viscerosæ pietatis Beatissimæ Virginis MARIÆ.

1. MEritò gloriosa virgo de seipsâ loquens, violæ se assimilare voluit, sicut in alia quadam litera Cant. Secundo capite legitur, vbi dicit: *Ego viola Campi.* Sicut enim viola *Naturaliter caput inclinat*, *id est*, flosculum suum, inquit Hugo de S. Victore: Ita ipsa, vt humanis miserijs præberet remedium, 46. *Cant. 2. v. 1.* *Hugo de S. Victore ser.*

dium, Deum qui superioribus sæculis durus, rigidus, & inexorabilis extiterat, in vtero suo posteà reclusum, ad pietatem inclinauit. Vndè Mariæ nomen illi optimè conuenit, quod in Latino idiomate, vti posteà dicemus, idem significat, quod Domina, hoc est, domitrix, vtpotè quæ indomabilem Deum admirabilium virtutum suarum violentia domare, atque ad pietatem humano generi impendendam inclinare potest; sicuti in præsenti Euangelio, ad absoluendam adulteram, hoc est, Naturam nostram inclinatus cernitur. Vndè clarè ac perspicuè videtur, quantum nos huic Beatissimæ Virgini obligemur, quæ non solum Deum nobis peperit, atque donauit, cum illum prius non haberemus, verum etiam pium, benignum, & clementem illum nobis reddidit, adeò vt partui ipsius tam diuinum filium eius, quam diuinam filij pietatem debeamus.

2. Antiquum illud ac perillustre inclytæ religionis Carmelitanæ sydus Ioannes quadragesimus quartus Patriarcha Hierosolymitanus existimat, quod sub admirabilis illius nubeculæ figura, quam sanctissimus Carmeli montis incola & Patriarcha Elias, veluti futurum famescenti Hebræo populo remedium de mari ascendere vidit, vt tertio Regum libro scribitur; *Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis, ascendebat de mari.* Deus huic sancto Prophetæ sanctissimæ matris suæ Natiuitatem reuelauerit: *Deus sub figurata visione reuelauit tunc Elia, quod quadam infantula nasceretur, scilicet B. Maria per nubeculam illam significata.* Etenim ad explicandam Deiparæ Virginis personam, vel ab ipsomet Cælo elegantius conuenientiusue excogitari hieroglyphicum non potuisset. Sicut enim nubes Aquam in se continet, illaque grauida existit vt illam posteà terræ communicet & depluat, sicque hominibus pluuiam desiderantibus succurrat: ita B. Virgo grauidata & impleta est Deo, vt eundem in necessitatum nostrarum subsidium nobis conferat. Ad quam similitudinem Isaias Propheta respexisse videtur, quandò Cælos deprecabatur dicens: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Obseruandum autem est hanc nubem de mari ascendisse: *Ascendebat de mari*, vt per hoc insinuaretur, quod sicut nubes aquam amaram de mari attrahit, nec tamen illam aliquamdiu intra viscera sua reclusam depluit, aut deorsum ad nos mittit, nisi prius à naturali suâ amaritudine purgatam, dulcem reddiderit: sic quoque Regina nostra Deum eo tempore, quo haud secus ac aqua marina amaritudine totum mundum replebat (quam Iob expertus dicebat, *semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum*) intra virginalem vterum suum attraxit, eundemque intra pientissima dulcissimaque viscera nouem mensibus continuit, ac posteà haud secus ac si innatam suam ei communicasset dulcedinem, illum veluti salutarem pluuiam supra mel & saccarum suauem, dulcemque toti mundo depluit. Vndè Dauid eundem non iam amplius amarum, qualem Iob persenserat, sed dulcem, suauem ac benignum descripsit, *suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.*

3.Reg.18. v.4.

Ioan.44. De Instit. Monach.

Isaia 45. v.8.

Iob.31.v.23.

Psal. 144. v.9.

3. Solet sancta mater Ecclesia gloriosam Deiparam frequenter specioso Matris misericordiæ titulo honorare: *Salue Regina, mater misericordia.* Et alibi: *Maria mater gratia, mater misericordia.* Sed cur non Regina, sed mater misericordiæ appellatur? Ratio est, quia Ecclesia demonstrare vult, illam esse caput & fontem, vnde mundo venerit, nataque sit misericordia; simulque innuere, quod sicuti partus non aliunde quam à matris ventre procedit, sic quoque ex ventre viscerosæ pietatis Virginis Matris erga nos, & non aliunde egressa sit misericordia diuina, qua in hac vita pariter perfruimur. Vnde ad hunc conceptum mellifluus Bernardus attendens, dicere voluit: *Dulcis Dominus, dulcis Domina, quia ille Dominus meus, misericordia mea, hac Domina mea, misericordia porta.* Quasi clarius dicere voluisset: Non aliunde prouenit, quod Deus meus dulcis sit Dominus, nisi quia Dominæ meæ, quæ dulcis est & pia, verus est filius, ex cuius vtero veluti ex porta melle & ambrosia manante, exiuit, mundoque tanta benignitate imbutus apparuit: *Misericordia porta.*

S. Bern. Tom.2. ser. .. de Nat. Dom.

4. Veritatem istam ipsamet Patrona nostra, à Salomone introducta, sublimissimis

Cant. 1. v. 11. missimis hisce verbis declarat. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* q. d. Dum magnus ille cælestis regni monarcha, in secretissimis gloriosi Palatij sui cubilibus, instar viri profundo somno sepulti quiesceret, nec de vllare minus, quam pro malorum abolitione de se ad pietatem exhibendam inclinando aut aliquo mundo auxilio aut remedio afferrendo cogitaret, totque naufragantium animarum nequicquam curaret perditionem, nardus mea, id est, humilitas mea ipsum expergefecit, atque vt rebus nostris prospiceret, sollicitauit; oportunum itaque redemptioni humanæ auxilium præstiturus, velociter cucurrit, atque in vterum sese meum recepit. Ita hunc locum S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus explicat. *Dum esset Rex in accubitu suo, idest, in requie sua quasi dormire videretur, & non curare de salute humana; omnes enim ad inferos descendebant; nardus mea dedit odorem suum. Herba parua est, & significat B. Virginem humilem, quæ maxime dedit odorem suæ humilitatis, quando se totam Deo committens, & subyciens, ait: Ecce ancilla Domini. Qui odor vsque ad cælum ascendit, & in cælo accumbentem quasi euigilare fecit, & in vtero suo quiescere.* At vero causam scire percuperem, cur Deus hoc modo quasi profundum dormiens neque de hominum salute quicquam curans, tametsi tot eius magni amici aliquam saltem pietatis suæ exhibitionem tam sollicite tantaque cum vocis elatione implorassent, vt vnus eorum ad raucedinem vsque se clamasse dixerit: *Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ*, tot clamoribus expergefactus nunquam fuerit. Et tamen benedicta Virgine Deipara, os suum ad eum similiter inclamandum aperiente, eodem quasi momento accubitus sui stratum mox deseruerit, somnoque prorsus excusso ad succurrendum hominibus in terram descenderit? Porro quantum capere possum, ratio huius hæc est: Nam Deus pro illo tempore, propter enormia hominum scelera, valde procul ab hominibus abierat & distabat. Vnde vt à somni quo tenebatur profunditate expergisceretur, atque inter tot tantaque mala ad pietatem moueretur, vox quædam requirebatur valde valida, fortis, atque sonora, quæ sublimem adeo locum assequi valeret, qualis nulli alteri præterquam soli Virgini de cælo concessa erat; adeo vt Deus ab hoc somno nunquam expergiscendus fuisset, nisi benedicta Deipara in altum hunc valdeque profundum clamorem erupisset. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Atque ideo tametsi omnes sancti totius mundi pro subleuanda hominum vniuersali perditione diu clamauerint, Deique misericordiam implorarint, nequicquam tamen obtinere potuerunt, donec supplicationibus illorum, admirabilis Virginis huius clamor accederet. Qua ex re perspicuè videtur, omnem illam pietatem, quam Deus pro humanæ perditionis subsidio & reparatione dignatus est communicare, humillimæ Virginis huius pietati deberi, quæ ad tantarum afflictionum compassionem commota, sola Deum excitare potuit, vt malis nostris auxilium præberet & remedium.

S. Antonin. p. 4. tit. 15. c. 21.

Psal. 68. v. 4.

Lucæ 1. v. 38.

5. Propheta Euangelicus Natiuitatem Deiparæ, vtpote ex qua flos Paradisiacus Christus Dominus noster nasciturus erat, descripturus, eandem sub notissimo virgæ symbolo proponere voluit, dicens: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Certè facile fieri posset, vt si qui huic nostræ Cælorum Reginæ verè deuoti sunt, in huius loci lectionem inciderent, videntes eandem rei alicui adeo fragili & modicæ, qualis virga est, comparari, haud dubie mox iudicarent, Prophetam de hac ipsorum potentissima Domina non ea cum reuerentia fuisse locutum, qualem Maiestatis suæ magnitudo merito postulat. Talibus enim haud dubie videbitur, Prophetam in gloriosæ Virginis descriptione nobiliori sublimiorique comparatione vti, eamque Cedro, Platano, Cypresso, Oliuæ, Palmæ, aut alteri cuipiam nobili plantæ comparare debuisse. At vero vbi mysterium, in quod Propheta respexit, attenderint, illud nimirum, de quo in præsenti loquimur, non mediocrem haud dubie capient satisfactionem. Tametsi enim attenta vna

Isaia 11. v. 1.

ta vna ex parte immensa eius magnitudine, supranotata ei conueniant symbola, ipsamet dicēte. *Quasi Cedrus exaltata sum in lybano; & quasi Cypressus in monte Syonis quasi Palma exaltata sum in Cades &c.* Altera tamen ex parte, si viscerosa eius, quam nobis exhibet, attendatur pietas, facile videbitur, comparationes istas ei nulla ratione conuenire, vtpote à rebus duris, rigidis, & inflexibilibus desumptas. Atque ideo necessum fuit, Prophetam virgæ symbolum sibi vsurpare, hæc enim, quia facili negotio flectitur, torquetur, & inclinatur, Patronæ nostræ pietatem admirabili cùm proprietate explicare poterit, vtpote quæ non solùm ad preces & desideria nostra flectitur, & inclinatur; verum insuper sua quoque inclinatione, Deum altissimum, quem gremio suo claudit, & stringit, vnà secum flectit & inclinat. Vnde Seraphicus Cardinalis S. Bonauentura hunc locum attendens dicebat: *si hunc florem habere desideras, virgam floris precibus flectas, si flos est nimis altus Diuinitate, virga tamen est flexibilis pietate.* Quasi diceret, quod si aliquando Dei egenus & inops, oculos tuos in cælum eleues, ipsumque in throno seu loco quodam adeo sublimi & eminenti sedere videas, noli ob tantam loci eminentiam desperare, te illum tuis necessitatibus posse habere præsentem, sedet enim in gremio suæ Sanctissimæ matris Mariæ Virginis, quæ cum sit virgæ alicui subtilissimæ persimilis, ad pietatem facile inclinatur, inclinabitque eadem cum facilitate ipsummet Deum, quem brachijs suis stringit, eundemque dono tibi donabit: *Virga est flexibilis pietate.*

Ecclesiastici 24. v. 17.

S. Bonau. in spec virg super Dominus tecum.

6. Tametsi terribilior & truculentior bestia videri vix possit, quam sit taurus Syluestris, iugique trahendi prorsus insuetus, attamen facilis est eius domatio, siue domesticatio, si videlicet ad ficulneam quandam alligatus fuerit, tunc enim mox adeo mansuescit, vt crederes ficum, purgata & exclusa innata tauri feritate, propriam & naturalem ei communicasse dulcedinem. Id quod S. Antoninus considerans, nostroq; adaptans proposito; pulcherrimum inde concepũ efformat, dicens: *Sicut taurus quantũcunq; ferus, si alligetur ficui mansuescit, ita Dei filius alligatus virgini dulcissima vinculo charitatis, ex qua incarnatus, effectus est mansuetus.* Quasi dicere voluisset: Ecquid Deus in veteri Testamento aliud erat, quam taurus quidam truculentus, ferox & indomitus, qui sępe ira & indignatione plenus omnipotentiæ suæ cornibus totalem mundo perditionem æternamque ruinam comminabatur. Hac illum specie Moyses describebat dicens. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes, vsque ad terminos terræ.* Verum vnde postea tanta eius domesticatio, vt iugo se alligari permittat? Inde videlicet, quia dulcissimæ alligatus cernitur ficulneæ. De cælo namque Dominus Sanctissimam Deiparam Mariam Virginem respiciens, quæ instar dulcissimæ alicuius ficulneæ, per omnem circuitum in humanam generationem mel stillabat charitatis & pietatis, admirabili animæ suæ pulchritudine captus, indissolubili veri amoris vinculo sese illi alligare, eiusdemque partus & filius esse & dici voluit, indeque adeò factus est mansuetus, pius, & benignus, vt pro nobis ab æternâ perditione liberandis, Crucis iugo sese alligari, in eoque ex mero nostri amore mori non sit dedignatus *Alligatus virgini dulcissima vinculo charitatis, effectus est mansuetus.* Ideoq; Seraphico etiam Doctori dicere placuit: *Christus per mansuetissimam Mariam mansuescit & placatur, ne se de peccatore per mortem æternam vlciscatur.*

S. Antonin. p. 3. tit. 31. cap. 2.

Deuteron. 33. v. 17.

S. Bonau. in spec. cap. 13.

7. Quærit S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, vndè accidat, quod in mense Iulio, & in primâ parte mensis Augusti, nulli fructus prætérquam agrestes & acerbi, illo autem tempore elapso, suaues sapidissimique inueniantur? Et respondet, causam illius hanc esse, quia sol in mense Iulio, atque in primâ Augusti medietate in zodiaci Leonis signo consistit, illo vero tempore transacto virginis signum mox subingreditur; & hinc diuersitatem saporis in fructibus oriri; quasi Leo innata sibi feritate eos amarescere, virgo autem congenita sibi blanditie illos dulcescere faciat. Per quod verus Iustitiæ sol, Deus & Dominus noster significare velle videtur, quod in veteri Lege, ad instar iracundi ac feri Leonis, terram acerbis agrestibusque fructibus cumulârit, neque ad aliud, quam ad iustas attenderit vindictas: at verò in pientissimæ Virginis

ginis gremium ingrediens tantam induerit dulcedinem, vt suauissimis fructibus suis, non temporalibus duntaxat, verùm etiam cælestibus & diuinis totum mundum impleuerit. Ea ipsissima Sancti Archiepiscopi verba: *Sol materialis per mundum discurrens, ex signo Leonis, quando est perfectissimus calor eius super terram, intrat in signum Virginis; ad innuendum, quod sol Iustitiæ Christus Deus noster, tempore veteris testamenti, quandò Deus vt leo rugiens, erat Deus vltionum, puniens terribiliter peccata, ex feruentissimo amoris calore intrans in vterum virginis, totus factus est benignus, suauis, & humanus, vndè & fructus tunc maturescunt, & dulces fiunt.*

S. Antonin p. 4. tit. 15. cap. 22.

8. De Petra deserti montis Horeb, quæ à Moyse percussa, tantam aquarum copiam innumerabili virorum ac mulierum multitudini propinauit, à Rabbinis quibusdam, Haymone referente, fingitur, quod Hebræis ex hoc loco discedentibus, Maria soror Moysis eandem, instar monilis ad pectus suum suspensam, quocunque iret, gestauerit, illaque mediante omnem populo aquarum abundantiam semper præstiterit, vbi & quando illa populus indigeret. *Quidam somniando fingunt, quod tantæ paruitatis fuerit ille lapis, vt Maria soror Moysi ferret illum in pectore suo, per illam vastam solitudinem.* Porrò tametsi idipsum pro figmento & fabula reputetur, nobis tamen hoc clara, indubitata, & euidens veritas esse debet. Nam petra hæc, ex mente Apostoli, figura Christi erat: *Petra autem erat Christus*, vndè nimirum omnes illæ aquæ scaturiunt, & promanant, quæ cælum & terram inebriant atque fæcundant. Hanc autem petram Beatissima Deipara carne suâ & sanguine amictam, in pectore, inter diuina vbera sua continuo portauit, ipsâmet id attestante dum dicit. *Inter vbera mea commorabitur.* vt vel sic Christianus populus diuinæ bonitatis aquis abundare continuo posset. Vndè fit quod ipsa nunquam à Pictoribus Christianis sine hac pectoris sui pretiosa gemma depingatur. Nemò igitur cælestem hunc liquorem sitientium, dum Deum suum petræ similem audit, sibi persuadeat, quod instar petræ futurus sit rigidus & durus, neque se ab illo exaudiendum non esse timeat, sed potiùs cum fiduciâ ad pietatem Mariæ Virginis confugiat; hæc namque carne sua illum vestiuit, vt mollem, facilem, & benignum illum redderet, atque vt illum in deuotorum suorum necessitatibus occurrentibus proruptum efficiat, in pectore suo atque inter vbera sua illum semper portat: *Inter vbera mea commorabitur.*

Haymo in 1. Cor. 9.

1. Cor. 9. v. 4.

Cant. 1. v. 12.

9. Ipsamet Deipara Virgo Sacramentum istud explicare volens, vbera sua magnæ cuidam turri assimilauit dicens *Ego murus & vbera mea sicut turris.* Quodsi verò ex me peteretis cuinam potissimum turri, vbera magnæ Dominæ nostræ esse videantur similia. Haud malè, ni fallar, responsurum me credo, si illa vetustæ cuidam Turri Venetæ similia esse pronuntiauero, adeò nimirum altæ ac eminenti vt ad multa milliaria, ex alto mari videri potuerit, cum enim verticem haberet auro tectum à nauigantibus ad instar stellæ cuiusdam resplendentis procul conspiciebatur, eiusdemque luminis ductu securi ac sine periculo portum obtinebant *Summus, apex adeò sublimis, vt fulgur auri, quo illitus est, ad ducenta stadia ex alto nauigantibus, velut saluberrimum quoddam occurrat sidus* inquit Sabellicus, & Bordonius addit visum fuisse desuper Angelum à quocunque demum vento flante versatilem *Sedentemque in summo vertice Angelum habebat versatilem.* Persimilia terri huic fuisse videntur Deiparæ Virginis vbera. *Et vbera mea sicut turris.* Nam adinstar altissimæ cuiusdam turris adeò exaltabantur, vt dignam illam effecerint, quæ ad summum Dei thronum pertingere, eiusdemque vnigenito filio lac propinare meruerint. Vndè ob altissimum istud dignitatis fastigium ad instar stellæ cuiusdam per vniuersum huius mundi Pelagus præclarè resplendet, hominesque huius mundi naufragos, versus tutissimum cælorum portum securissimè suo lumine dirigit ac manuducit. Vndè *Maria* dicitur, id est, *stella Maris.* Supra ipsam Angelus testamenti conspicitur, idest, Deus incarnatus, ipsamet dicente *Dilectus meus mihi inter vbera commorabitur.* Id vero quod proposito nostro quam maximè deseruit, est, quod Angelum hunc, id est, incarnatum Dei filium desuper teneat versatilem, quia eundem pro suo libitu, quocunque vento flante, gyrat & vertit, quodsi enim fortasse cōtingat

Cant. 8. v. 10.

apud Simonem Maiolum Colloq. 13.

apud eund. ibid.

Cant. 1. v. 12.

singat Deum hominibus indignari, hominibusque velut inimicus tergum vertere, ipsi autem in eiusmodi anxietate ad sanctissimæ matris suæ Asylum suum quærant refugium, mox opportunum plagæ suæ competent remedium: nam propter admirabilem precum suarum efficaciam, cum omni sollicitudine possibili efficiet, vt suam vicissim hominibus faciem ostendat, eosdemque clementissimo diuinæ suæ pietatis oculo intueatur. Hæc virtus & efficacia, Deiparæ duntaxat virgini ex speciali quadam gratiâ videtur esse concessa, nam vti antiqui testamenti docet experientia, tametsi illo tempore potentissimi venti, id est, maximi illius legis Dei amici, flatu orationum suarum conspirassent in vnum, vt faciem Dei à populo suo auersam, ad eundem denuo clementius contuendum conuerterent, Deumque ad pietatem iterum permouerent, Deus tamen in semel conceptis iustitiæ suæ decretis, adeò permanebat firmus & immobilis, vt ne vel latum quidem vnguem ab eo, quod determinauerat, eum remouere possent. Sicuti ipsemet olim Ezechieli Prophetæ, omnem conatum virium suarum adhibenti, vt ipsum in fauorem vrbis Hierosolymitanæ conuerteret, his expressis verbis edixerat. *Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, non liberabunt animas suas, ait Dominus omnipotens.* *Ezechielis 14. v. 14.*

10. Obseruate obsecro illa sanctæ Ecclesiæ verba, quibus sub sponsæ symbolo, Deum priusquam homo factus est, alloquitur. *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te.* *Cant. 8. v. 1.* quasi dixisset: Maiestas tua ô Deus & Sponse meus, adeò est magna & terribilis, vt dum coram te præsentari me oportet, timeam atque à vertice ad calcem vsque tota contremiscam. Ac proinde adsit tandem optatissimus dies iste, quo dimisso sublimi isthoc solio Cælo egrediens, hic in terris ad vbera matris meæ suspensus conspiciaris, ibidemque te iam dulcem & benignum factum amplexata suauiter deosculer. Iacobus de Valentia verba ista grauiter obseruat, & quærit; Qualisnam mulier est illa mater Ecclesiæ, cuius lac huius erat virtutis, vt Deum ex feroci & formidabili, qualis olim erat, dulcem redderet & benignum. Diciitque fuisse Deiparam Virginem Mariam, Dominam ac Patronam nostram. Cum enim Christus sit Ecclesiæ frater, ita namque ipsum hoc in loco appellat, consequens est, vt mater Ecclesiæ, sit quoque ipsissima eiusdem Christi mater. *Postquam Christus est frater adoptiuus Ecclesiæ, & Virgo Maria est mater Christi naturalis, ergò est mater adoptiua ipsius Ecclesiæ.* *Iacobus de Valentia ibid.* Ecclesia igitur hæc verba dicebat, quia certissimè sciebat futurum, vt Deus ex lacte B. Virginis omni melle & saccaro dulcior redderetur & suauior, qui sæculis præteritis erga huius mundi homines adeò se exhibuerat amarum. Vnde Natiuitatis suæ expectabat tempus, vt eundem mox natum, à sacris vberibus pendentem videre & amplexibus stringere, suaque dulcedine perfrui posset. Neque de hoc quisquam miretur aut dubitet, quod si enim, vt os aureum dicit, sanguis S. Pauli Apostoli in lac transformatus, Carnificis illius, qui sacrum eius caput amputauerat, truculentum atque ferocem animum indulcorauit, effecitque vt vna cum socijs Christi fidem amplecteretur. *Quisnam locus tuum sanguinem excepit, lactis specie, in eius qui te percussit, tunica apparentem? qui animum illius barbari supra modum dulciorem reddens, fidelem effecit cum socijs?* *S. Ioan. Chrysost. apud Metaphr.* Cur lac Patronæ nostræ suauissimum, non credatur Deum ex amaro & feroci, qualis olim erat, dulcem reddidisse & suauem, atque in summam illum pietatem inclinasse?

11. S. Bernardus Doctor mellifluus, illa S. Euangelistæ Matthæi verba, quibus Magorum in Diuinum præsepium describit ingressum, nimirum *Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Mariâ matre eius*, accuratè considerat, dicitque *Magi non sine Mariâ matre eius puerum inuenerunt*. *Matth. 2. v. 11.* *S. Bern. ser. 2. de B. Virg.* Quasi dicere vellet: Nisi eo tempore, quo Magi Christum in Bethlehem exquirebant, præsens ibidem fuisset Maria, ipsum inuenire minimè potuissent. Verum dicat aliquis; Quod si tot sancti, Maria nondum nata, inuenire Deum potuerunt, cur Magi sine ipsa Christum inuenire nequiuissent? Verum quidem est multos absque sanctissimæ matris præsentiâ inuenire Deum potuisse, Deum tamen infantem, fascijs inuolutum, dulcem, mansuetum, nunquam sine illâ repererunt. Tali

enim

enim modo; inquit Paulus de *Palatio*, sine Matre reperiri nunquam potuit *si tibi Christus mansuetus & puerulus inueniendus est, cum Maria inueniendus est* Nam admirandæ huius Virginis gremium, Deum quasi mansuefecit, domesticauit, cicurauit, dulcemque ac benignum reddidit, qui extrà illud constitutus, ferox & truculentus erat Rhinoceros, qui ab hominibus inueniri aut capi minimè poterat. *Non sine Maria matre eius puerum inuenerunt.*

Paulus de Palatio in cap. 2. Matth.

12. Magnum illud Incarnati verbi mysterium, in Beatæ Virginis vtero consummatum, à regio Prophetâ Dauide descriptũ est, sub symbolo pluuiæ super lanam decidux *Descendit sicut pluuia in vellus.* Sicut enim pluuia super lanam decidens, tantâ cum suauitate & dulcedine super eam descendit, vt ne vix quidem percipi possit: Eodem modo verbum æternum de cælo in Beatæ Virginis vterum descendens, tantâ cum dulcedine & benignitate eo peruenit, vt nemini eadem persuaderi vllatenùs potuisset Verum dicat aliquis, quonam igitur pristinus ille Dei terror & horror, quem olim incutiebat, recessit, quandò in ipso quoque Cœlo manens, solo suo obtutu atque aspectu fumigare faciebat montes, & tremere terram, prout idem Propheta dicebat. *Qui respicit terram & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant?* cum posteà homo factus, adeò apparuit dulcis & benignus atque mansuetus, vt nullus hominum eius percipere aduentum potuerit. Rationem prodigij huius S. Ioannes Chrysostomus adfert dicens *Mollities lanæ soluit sonum pluuiæ descendentis*; Nos mysticè idem pro nostro dicamus proposito, videlicet Magnæ Matris illius, in cuius gremium descendit, innata pietas, ipsum adeò placidum, mansuetum, atque benignum effecit, qui alias quibuscunque tandem adhibitis remedijs, talis nunquam euasisset. *Mollities lanæ soluit sonum pluuiæ descendentis.*

Psal. 71. v. 6.

Psal. 103. v 32.

S. Ioan. Chrys in Ps. 50.

13. Verba illa Dei, quibus Cant. 7. Sponsam alloquebatur: eiusdemque collum laudans, illud turri cuidam eburneæ comparauit, dicens: *Collum tuum sicut turris eburnea*, iuxta communem Doctorum expositionem ad Ecclesiam diriguntur, dictaque sunt in Deiparæ Virginis laudem, vtpotè quæ est candidum illud & immaculatum Ecclesiæ collum, quo mediante, à capite idest, à Deo, qui *Caput est Ecclesiæ*, omne bonum illud descendit, quo fruimur in terris. Vndè à mellifluo Bernardo *Aquæ ductus*, & diuinarum gratiarum *vehiculum* dicitur. Hâc igitur expositione supposita dico, quod sicuti collum est membrum illud, quod caput pro necessitatibus corporis subleuãdis demittit, & inclinat, adeo vt nisi illud adesset, caput illud rigidum maneret, & immobile: pari quoque ratione Beatissima Virgo, haud secus ac collum, Deum ad nos demittit, & ad pietatem, ad succurrendum Ecclesiæ necessitatibus, inclinat, adeo vt nisi illa esset, Respublica Christiana trunca maneret & mutila, id est corpus sine collo, neque enim alia præter ipsam inueniri creatura posset, sufficiens vt Deum ad pietatem inclinaret, atque ad præstandum nobis cælestes fauores suos permoueret.

Cant. 7. v. 4.

Eph. 5.

Bern serm. de Natiuit. B.V.

14. Perspicuum vtique erit Deum nunquam appellatum esse Christum, nisi postquam ex sanctissimæ matris egressus est vtero. *De qua natus est IESVS, qui vocatur Christus*, inquit S Matthæus, de Deipara loquens. Quasi in admirandæ huius Virginis vtero, particularem certamque aliquam acceperit proprietatem, ob quam sibi nomen istud approprietur, quam ante non habebat. Quidnam obsecro nomen hoc Christus, quod Deo nunquam inditum est, nisi postquam in vterum sese virginis matris recepit, significat? *Christus* in sermone latino idem sonat quod *Vnctus*, atque Deum significat misericordem & benignum. Atque hoc nomine post Incarnationem duntaxat appellatur, quia cum hactenus in lege veteri rigidus, asper, & durus fuerit, mox vt humanam carnem assumpsit, haud secus ac si in virginali claustro vnctus fuisset, benignus, placidus, humilis & clemens est factus. Indeque Christi nomen accepit: *Qui vocatur Christus, olim enim Deus*, inquit Iacobus de Voragine *erat hominibus durus, sed modo est vnctus, & ideo factus est flexibilis & mansuetus, fuit enim vnctus à matre.*

Matth. 1. v. 16.

Serm. 2. Dom. Pass.

15. S.P. Ioannes Damascenus de die Natiuitatis B Virginis discurrens ita loquitur: *Hodie concha gignitur, quæ cælitus ex Diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, & Christum ingentis pretij*

S. Ioan. Damasc. orat. 1. in Natiuit. B.V.

pretij vnionem pariet. q. d. Hic est dies ille fælicissimus, in quo desideratam à nobis concham cœlum producit, quæ opera spiritus sancti paritura est inæstimabilem illam vnionem, quæ est Christus Dominus. Adeo vt sicut ex mente sancti huius Doctoris Deipara sub conchæ symbolo intelligitur, ita quoque Dei filius sub vnionis siue Margaritæ symbolo comprehendatur. Sciendum proinde erit, vnionem diuersam habere conditionem dum est extra concham, & extra mare, ab ea quam habet dum est & in concha & in mari reclusa Nam cum extra concham sit dura, intra concham tamen mollis est, inquit Plinius. *In aquis mollis vnio, exemptus protinus durescit.* Porro hinc habemus, quod sicut Deus dum esset foris extra virginalis conchæ gremium, durus erat & rigidus, ita postquam in eam descendit, tener factus est & mollis Quis sibi duritiem Dei atque rigorem persuadere poterit, quem priusquam in Virginis vterum descendit, fieretque homo, exhibuit? Optime illum expertus est Ieremias Propheta, cui pro Hebræo populo intercedenti, hunc in modum fuit responsum. *Noli orare pro populo isto in bonum.* quasi diceret, potius postula a me, vt peccatis ipsorum id postulantibus, ego ignem de cælo super illos demittam qui comburat illos, aut terræ præcipiam, vt se aperiat illosque absorbeat, aut denique vt eosdem in Inferni abyssum æternaliter præcipites agam. Anne vnquam experti estis animum adeo durum & inflexibilem? Enimuero homo postea factus atque in dulci Patronæ nostræ gremio commoratus, corde factus est tener, mollis, atque pius, adeo vt cuilibet homini chartam albam consignarit, vt in ea supplicando quamcunque gratiam, qua opus habebit, consignare possit: *Petite & accipietis* dicebat apud S. Lucam.

Lib. 9. cap. 35.

Ierem. 14. v. 11.

Luc. 11. v. 9.

16. Verba illa *Dominus tecum* à S. Gabriele Archangelo ad cælorum Reginam pronuntiata, S. Thomam Doctorem Angelicum ad hunc modum formandum pie excitarunt: Quodsi eo tempore quo S. Archangelus hisce verbis beatam Virginem alloquebatur, cælestis hic spiritus Deum secum habebat sicut illum habebat B. Virgo Maria, cur B. Virgini dixit *Dominus tecum*? cur non potius dixit, vti reuera dicere debuisset: *Dominus nobiscum*? videtur enim Archangelus hoc loquendi modo à se Dei præsentiam exclusisse, qua tamen in omni tempore & in omni loco gaudebat. Tandem vero nodum hunc ita dissoluit *Aliter est Dominus cum B. Virgine, aliter cum Angelo, quia cum ea vt filius, cum Angelo vt Dominus*. q. d. Tametsi Angelus nescius non esset, Deum ita sibi, quam Beatæ Virgini præsentem esse, quia tamen optime nouerat, Deum maiori cum excellentia atque prærogatiua in ipsa esse, quia in ea erat vt filius, quam esset secum, cui aderat præsens vt Dominus & Patronus, ideo ipsi videbatur B. Virgini dicendum, *Dominus tecum*, & non *Dominus nobiscum*. Vt per hoc innueret impossibile esse, quod Deus secum eodem modo esset, quo erat cum B Virgine. Deus B. Virgini præsens est, non vt Dominus, sed vt filius, id est, non vt persona quædam imperans & præcipiens, sed vt obediens & obtemperans, & voluntati eius sese conformans, id quod ipsi tanquam matri debebatur. Quia etiam ipsa vt mater nostra, aliud non vult, quam vt Deus nobis propitius sit atque benignus, sequitur clare, Deum vtpote Virginis beatissimæ voluntati perfecte consentientem, propter ipsam nobis factum esse clementem & pium: *Quia cum ea vt filius.*

Opusc. 18.

17. Postquam verbum æternum Patri suo vt in hunc mundum veniens sanguinem suum effunderet, vitamque pro salute generis humani prodigeret, sese obtulit, vti Psal. 39. legitur, *Holocaustum pro peccato non postulasti tunc dixi ecce venio*, mox vt in Beatissimæ Virginis vterum descendit, subiunxit & dixit: *In capite libri scriptum est de me* vbi alij vertunt. *In membranis plicabilibus scriptum est de me.* Pro cuius loci intelligentia notandum est primo, Diuinum verbum bina vice in charta scriptum & explicatum esse: Primo in monte Sina, quando lex data est populo Hebræo, vbi scriptum fuit Dei verbum in tabula marmorea. Secundo in ciuitate Nazarethana, vbi scriptum fuit in purissimis & candidissimis Deiparæ visceribus, quæ à S. P. Ephrem *charta diuinissima*, & à S. Damasceno *Liber nouus* dicuntur. Notandum præterea, magnam inter vnam & alteram chartam reperiri differentiam. Prima namque

Psal. 39. v. 9.

apud Ioan. Lorinum ibid.

de laud. B. Virginis Serm. 1. de Natiuit. B. M.

namque tabula ex duro rigidoque marmore constabat Secunda vero ex mollibus pientissimisque virginis visceribus; ac proinde verbum Dei in antiquo testamento durum rigidumque marmor erat, quod rumpi potius, quam plicari & conuolui poterat, in quo Deus alijs non gaudebat titulis, quam Dei exercituum, & Dei vltionum Domini; semper enim cupidus cernebatur humanum effundendi sanguinem, vitamque tollendi ab ijs, qui ea erant indigni. At vero postquam factum est homo, atque in pijs delicatisque Deiparæ Virginis visceribus fuit explicatum: *In membranis plicabilibus*, antiquo rigore relicto, tener, mollis, & delicatus factus est & ipse. Vnde ne iam deinceps peccatorum effunderet sanguinem, aut eosdem vita priuaret, proprium ipse sanguinem prodigere, nec non & semetipsum propria vita priuare voluit Nescio autem an pietatis illius, quam Deus è sacratissimis Virginis traxit visceribus, maius reperiri argumentum possit, quam quod S Ioannes in præsenti Euangelio proposuit? Notum namque est, quomodo verbum Dei in marmore scriptum absolute volebat mulierem adulteram absque vlla spe remissionis lapidum imbri subijci & mortis condemnari. Postquam vero *in membranis plicabilibus* scriptum fuit in similem fœminam incidens, antiqua relicta duritie ad pietatem inclinatus eandem absoluit. *Inclinans se deorsum.*

CONSIDERATIO II.

Digito scribebat.

Beatam Virginem factam esse Dei matrem, est quoddam non plus vltra Diuinæ omnipotentiæ.

1. PEtrus Cellensis Abbas honorem maternitatis Dei considerans, quo Beata virgo sola, ob incarnati verbi mysterium, in sacro suo vtero celebratum, atque in præsenti Euangelio per digitum Dei scribentem, *Digito scribebat in terra*, repræsentatum, inter omnes creaturas digna erat, insolito stupore correptus exclamat dicens: *Si cæli Reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum tam ab humano corde, quam ore excogitatum protuleris: non assurget ad hunc superindicibilem honorem, quo creditur & penetratur Dei genitrix.* q. d. Quodsi velles Beatam Virginem maximo honore, qui vlli creatæ substantiæ possibilis esset, celebrare, ipsamque nominares aut cæli Reginam, aut Angelorum Principem, aut vero laborares, vt alium aliquem titulum, quem hucusque ob summam sui eminentiam nullus alius intellectus creatus penetrasset, inuenires, impossibile, crede mihi, futurum esset, vt talis ineffabilem quo fruitur maternitatis Dei assequeretur honorem. Omnes namque alij honores superexcedi possunt, hoc vnico duntaxat excepto, propter quem vere nominari potest MARIA, hoc est, Exaltata, ita namque per hunc honorem exaltata & sublimata est, vt ne quidem Deus ipse illam aut vlterius exaltare, aut sublimius honorare aut magnificare posset. Vnde liberè affirmare possumus Beatam Virginem propter diuinam hanc maternitatem, vere esse aliquod *Non plus vltra* omnipotentiæ Diuinæ. Petr. Abb. Cellensis de Panibus c. 21.

2. Quisquis attentius considerare cœperis modum quo scriptura sacra de creatione mundi, & de cælestis Reginæ ad maternitatis Dei gradum exaltatione, loquitur, non modicam inueniet inter vtrumque hunc loquendi modum differentiam. Nam mundi creationem Prouerb. cap 8. hisce verbis describit *Quando præparabat cælos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyssos.* Prou. 8. v. 27. *Quãdo æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarũ quando circũdabat mari terminum suũ, & legẽ ponebat aquis, quãdo ponebat fundamẽta terræ* &c Exaltationẽ vero Beatæ Virginis ad Dei maternitatẽ Iere. 31. hisce verbis describit: *Creauit Dominus nouum super terram, mulier circumdabit virum.* Ierem. 31. v. 22. Quibus in verbis obsecro obseruate, qualiter totius mundi creatio verbo præteriti imperfecti describatur; Exaltatio autem B. Virginis ad Dei maternitatem per præteritum perfectum. De illis dicitur: *Præparabat, vallabat, librabat, firmabat, circumdabat*; De hac autem: *Creauit.* Nemo sibi aliter persuadeat, quin sub diuerso isthoc loquendi modo ingens lateat Sacramentum, quod maximis

cælestis Reginæ honoribus explicandis præclarè inseruiat. Quod vtique assequemur, si Pictorum attenderimus consuetudinem, qui quotiescunque nomen suum tabulis iam depictis & completis inscribunt, semper præteriti imperfecti verbo vti solent, rarius vero præteriti perfecti. Id quod didicerunt à magno Apelle, qui quadris penicillo suo absolutis hisce verbis subscribere consueuerat: *Pingebat Apelles*, cauendo dicere: *Pinxit Apelles.* Idque faciebat, vt ijs qui opera sua admirabantur, insinuaret, tale ac tantò se pollere ingenio, talique ac tanta arte se præditum esse, vt maiorem semper picturæ tali perfectionem & complementum superaddere posset. Quod si vero præterito perfecto vsus fuisset, & in vicem dicendi *Pingebat*, dixisset *Pinxit*, declarasset vtique se in talis picturæ absolutione extremas ingenij sui vires adæquasse, ita vt nihil quod superaddi posset, reliquũ manserit. Sicuti Phidias quondam fecisse legitur, qui vt refert Pausanias, cum quodam Iouis simulachrum, idque secundum artis suæ extremum apicem fabricando absoluisset, præter communem aliorum pictorum consuetudinem, præterito perfecto tempore in subscriptione nominis sui vti voluit, scripsitque: *Phidias Carmidæ filius Atheniensis me fecit.* Similis videtur mihi in scriptura sacra inter creationem mundi, & B. Virginis ad Maternitatis Dei sublimationem differentia notari, omnibus enim rebus à Diuinæ omnipotentiæ manibus efformatis, Deus nouam semper pulchritudinem & perfectionem superaddere potest, atque ideo earundem rerum creatio, per verbum præteriti imperfecti explicatur, dicendo: *præparabat, firmabat, vallabat*: Postea vero Beatissimæ Virginis ad Diuinam maternitatem sublimatio aliter proponitur, in hac enim præteritum imperfectum intermittitur, eiusque loco præteritum perfectum subiungitur. Non enim dicitur: *Creabat Dominus*, sed *Creauit Dominus*, Vt per hoc innuatur, hanc sublimationem opus quoddam esse talis excellentiæ & perfectionis, vt ne ipsa quidem Omnipotentia Diuina illi aliam adiungere excellentiam aut perfectionem possit. *Creauit Dominus.*

3. Videtur mihi mysterium istud in Gabrielis Archangeli verbis insinuari, hic nãque cum B. Virgine multis discurrens, eidemque qua ratione & modo Dei futura sit mater, exponere volens, dicebat: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Vbi autem nos cum vulgata legimus: *Obumbrabit.* Theophylactus ex Hebræo legit: *Extrema picturæ lineamenta ducet*, quasi eidem dicere voluisset: Tu ô gloriosissima Virgo es pictura illa, cui Deus noua semper lumina, nouosque colores addidit, vt te magis semper redderet venustam atque conspicuam, hodie tamen vltimam circa te manum adhibebit, atque extrema picturæ lineamenta ducet, id est omnem possibilem adijciet perfectionem, talem nimirum, vt illa posita, ne ipsi quidem aliud supersit, per quod altiores tibi honores accersere, aut tuam pulchritudinem excellentius adaugere possit aut sciat. Ipse namque faciet, vt mater futura sis vnigeniti filij sui. Qua dignitate ne ipse quidem Deus excogitare potest maiorem *Extrema picturæ lineamenta ducet.*

Luc. 1. v. 35.

Theophyl. apud Maldonatum ibid.

4. Propheta regius Incarnationis verbi mysterium in spiritu considerans dicebat, quod Deus in interminabilem Ventris Virgineæ matris amplitudinem descendens, omnes simul cælos secum inclinauerit: *Inclinauit cælos & descendit.* Quidnam obsecro Deus, dum Incarnationi vnigeniti filij sui iam esset intentus, Cælos inclinando prætendit. Hugo Cardinalis id expresßis hisce verbis significat: *Inclinauit cælos sicut vas, vt totum effunderet*, quasi dicere voluisset: Cælum quod non est aliud quam grande quoddam canistrum gemmis pretiosissimis aliisque inæstimabilibus diuitijs plenum, prouti illud S. Ioannes in sua Apocalypsi describit. Hoc cælum inquam, eo temporis momento, quo Deus humanam Carnem nostram assumere, Beatamque Virginem incompræhensibilibus Diuinæ Maternitatis honoribus ornare dignatus est, miraculosè visum est inclinari, ad hoc vt pro cælestis huius Reginæ venustatione, omnes quantas quãtas habet gẽmas, amplissimasq; diuitias effunderet, seque exinaniret, nec quicquam in thesauris eius reliquum maneret, quod alicuius saltem pretij esse censeretur, quod ipsius ornamentis promouendis non esset attri-

Psal 17. v. 10.

Hugo Cardinalis ibid.

attributum, *vt totum effunderet*. Idque vt insinuetur, Deum eo ipso quo beatissimam Virginem hoc Diuinæ maternitatis gradu honorauit, adeo ipsam exornasse, vt nihil quod ipsam speciosiorem aut perfectiorem reddere in cælestibus suis reliquerit thesauris. *Sicut vas vt totum effunderet.*

5. Possumus igitur nostro proposito applicare verba illa, quæ Seneca quondam Neroni Romanorum Imperatori dixit. Cum enim Imperator ille, vt Plutarchus refert, pretiosissimum quendam textrino, & Phrygiato opere fieri curasset tapetem, auro & purpura diuitē, qui per exquisitos artificiosque labores, gemmis omnium quæ in totius Romæ extabant thesauris, pretiosissimis distinguebatur & ornabatur, omnibusque passim, qui illum videre poterant, summo erat stupori & admirationi, ingensque humanarum diuitiarum reputabatur miraculum, illumque Senecæ suo olim præceptori & Magistro exhibuisset, hic postquam eundem sicut & alij aliquamdiu considerasset, atque admiratus fuisset, ad Neronem conuersus, dixit: *Declarasti te esse pauperem*: q. d. Tu hunc tapetem omnibus passim commonstrando, te pauperem esse declarasti, qualis antea non æstimabaris. Nihil enim in thesauris tuis reliquum mansit, quod opulentum esset aut pretiosum. Eodem modo postquam augustissimus Cælorum Imperator Deus, Beatissimam Virginem, in admirabilem diuinæ maternitatis gradum euexisset & exaltasset adeo vt sublimius ipsam honorare aut euehere nequaquam posset, nos quoque Deo dicere possumus: O Domine quantum in diuino isthoc labore tuo videmus, tu in eodem pauperem te factum esse declarasti. *Declarasti te esse pauperem.* Tot enim tantisque illam ornamentis locupletasti, vt ne vel gemma aliqua in inexhaustis thesauris tuis manserit reliqua, qua illam pretiosius aut locupletius exornare potuisses. *Declarasti te esse pauperem.*

Plutarchus de cohibenda Iracundia.

6. Cum certissimum sit sanctitatem Deiparæ Virginis incomparabiliter maiorem fuisse quacunque sanctitate, cuiuscunque demum iusti & amici Dei. Quærit S. Petrus Damiani, qua de causa Deus per ipsam, quoadusque vixit, ne vel vnicum quidem operatus sit miraculum, cum tamen alijs sanctis, S. Petro nimirum, S. Paulo, & tot alijs sanctis mediantibus, quamdiu in hac terra vixerunt, tot & tanta miracula patrauerit? Dicitque Deum hoc modo alios sanctos honorantem, Matris suæ nequaquam fuisse oblitum. Vnde respondet: *Maria in solo partu quem edidit, omnium procul dubio Sanctorum virtutes & signa præcellit.* Vnicum illud miraculum, quod Deus in immaculatæ Virginis partu patrauit, omnia alia miracula superexcessit, quæ sanctis suis mediantibus vel fecerat vel facturus erat, ideoque nullis alijs miraculis opus erat. Dum enim ipsam per vnigeniti sui Incarnationem, in eius vtero consummatam, veram suam & naturalem matrem fecit, maximum certè patrauit miraculum, quale nimirum ex Dei manibus hactenus nunquam processit, ideoque quādiu in terris vixit, nullum aliud patrare decreuit. Quod si enim maximo isthoc miraculo patrato, Deus aliud quoddam miraculum facere statuisset, factum id eo vtique fine fuisset, vt ipsam magis magisque honoraret & exaltaret, id quod nequaquam post hoc in Incarnatione circa illam patratum miraculum fuisset possibile, semel enim in tam sublimem honoris gradum subuecta, in altius fastigium sublimari nequaquam potuit, vtpote quæ ad *Non plus vltra* Diuinæ omnipotentiæ peruenerat.

Petrus Dam. in vita S. Rudolphi cap. 11.

7. Salomon magnam hanc Dominam in Canticis sub Sponsæ symbolo descriptam laudare & celebrare volens, eandem ciuitati Ierusalem similem pronunciauit. *Pulchra es amica mea suauis, & decora sicut Ierusalem.* Cur illam ciuitati Ierusalem, & non alteri totius mundi comparauit? Quia Ierusalem symbolum est celestis gloriæ, vnde dicere volebat, illam instar gloriæ cælestis pulchram esse & decoram. Idque ad insinuandum, quod sicut Deus per totam omnipotentiam suam creare non potuit aliam gloriam, maiorem gloria Ierusalem cælestis, ita per eandem omnipotentiam maiorem Deiparâ Virgine matrem producere nequeat. Vnde Doctor Angelicus inquit: *Humanitas Christi, fruitio Dei, & B. Virgo ex hoc quod est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito quod est Deus, & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis.*

Cant. 6. v. 3.

S. Thom. 1. 2. Q. 26. Art. 6.

Idem-

Canisius de Deipara lib. 4. cap. 13. Idemque P. Canisius fusius dicit. *Nihil ergo mirum à veteribus tria numerari, quæ tanta sint, vt ne diuina quidem potentia maiora illis in suo quodque genere effici possint nempe humanitas Christi, Maternitas Virginis & essentialis Beatorum gloria, quæ in aperta summi boni contemplatione consistit.*

8. Postquam B. Virgo Zachariæ domum ingressa se primitus Matris Dei titulo honorari audiuit, sancta Elisabetha dicente: *Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* (*Luc. 1. v. 43.*) Deo, qui ipsam tanto fuerat dignatus honore, gratias actura, hymnum quendam cecinit, quem vt vult Ioannes Gerson in diuini filij sui Incarnatione composuerat, in quo inter alia verba leguntur sequentia: *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius*, (*Luc. 1. v. 49.*) quasi dixisset, Merito Deo meo gratias agere debeo, quia magna mihi fecit. S. Bernardinus Senensis, vtpote visceroßissimus ac tenerrimus Virginis Deiparæ amator, ad diuina hæcce verba attendens, vt de Virginis fauoribus atque prærogatiuis magis lætificaretur, cupidus fuit valde illas distincte sciendi, vnde vtinam, dicit, B. Virgo non adeo confuse fuisset locutam, sed distincte magis se declarasset, explicassetque qualia fuissent illa à Deo sibi præstita magnalia. Quia vero tandem ipsam de maternitatis suæ honoribus locutam fuisse intelligebat, hunc in modum eam respondentem introducit. *Qualia autem sunt nõ exprimo, quia nec plane auris angelica intelligere potest. Ista autem magna non solum creaturis sunt maxima & insuperabilia, sunt illi, qui potens est, imo omnipotens est, & sanctum nomen eius: & tamen nec potentiora, nec sapientiora ille facere potuit, quam quæ in me ipse fecit* (*S. Bernardinus T. 3. ser. 6. art. 2. c. 1.*) q. d. Qualia quantaque sint magna illa à Deo mihi præstita, non explico, idque non quia non volo, sed quia non valeo, ad illorum namque intelligentiam, ne quidem ipsæmet aures angelicæ sufficiunt, vtpote quæ adeo sunt grandia, vt non solum creatam quamcunque superent intelligentiam, verum ipsam quoque omnipotentiam diuinam; Deus enim per omnipotentem suam sapientiam, & potentiam maiora illis quæ in me fecit, facere non potest, quippe cum impossibile sit, vt ex ipsius manibus alia me melior mater prodire possit. *Nec potentiora, nec sapientiora ille facere potuit, quam quæ in me ipse fecit.* Vnde S. Bonauentura dicit, Deum magna cum facilitate facere posse alium mundum, isthoc quem videmus longe maiorem; aliud item cælum maius illo quod oculis nostris conspicimus, non tamen facere posse aliam matrem sanctissima matre sua maiorem *Ipsa est mater, quæ tali filio est decentissima, ipsa est mater, cui talis filius est decentissimus; Ipsa est qua maiorem Deus facere non posset. Maiorem mundum posset facere Deus; maius cælum posset facere Deus, maiorem quam matrem Dei non posset facere Deus.* (*S. Bonau. in spec. virg. c. 8.*)

9. Doctissimus Pater Franciscus Suarius rationem inquirit, ob quam sapientia incarnata, dum hic in terris nobiscum vixit, dignata fuerit, vti Euãgelistæ scribunt, Centurionem, S. Petrum, Chananæam, Magdalenam & tot alios sanctos virtuososque homines laudare, & ne quidem os suum aperire dignatus sit, vt Beatam Virginem matrem suam laudaret? quæ ratione sanctitatis & virtutis non homines duntaxat in mundo, sed & Angelos in cælo incomparabiliter superauit. Vnde necessarium videbatur, vt à Diuino filio suo plus alijs laudaretur & celebraretur. Et respondet: *vbi res ipsa & opera quibus Christus matrem honorauit, clamabant, verba non erant necessaria.* (*Suarez. in 3. p. Q. 22. in præfat.*) Gloriosissima virgo non indigebat, vt verbis à diuino filio suo laudaretur, quia res ipsæ & opera, quibus illam honorauerat, eandem incessanter celebrabant. Volebat dicere: Eo ipso quo diuinæ maternitatis honor, quæ primum & præcipuum est eorum, quibus Deus Beatam Virginem honorauerat, Patronam nostram incessanter laudabat, Christus superfluum reputabat illam verbis laudare? Ingens enim honor iste tantum dicebat, vt verba nihil hoc altius superaddere potuerint. Nihil enim sub Deo altius aut maius dici potest, quam quod sit mater Dei, postquam enim Deus ad talis operis pertigit complementum, vltimum assecutus est omnipotentiæ suæ terminum.

10. Tertio libro Regum refertur, Regem Salomonem Matrem suam Bethsabee quæ certis de negotijs cum ipso tractatura ad eum venerat, magnis rarisque cum honoribus excepisse, siquidem non solum obuiam illi processurus de solio regio ad illam descendit

deſcendit eamque in regio ſecum throno ſedere iuſsit, verùm etiam flexis eam genibus adorauit: *Surrexit Rex in occurſum eius, adorauitque eam, & ſedit ſuper thronum eius.* S. Bernardinus hunc ſcripturæ locum ponderans exiſtimat, hoſce à Salomone matri ſuæ exhibitos honores figuraliter illos præſignificaſſe apparatus, quibus verus Salomon Chriſtus Dominus noſter Sanctiſsimam Matrem ſuam in die glorioſæ Aſſumptionis ſuæ in magno cæli palatio recipere dignatus eſt. Ibi namq; vti ſanctus hic Doctor pie meditatur, corā beatiſſimis cælorū ſpiritibus in magnifico regioque ſolio ſuo conſidere illam iuſsit, & flexis coram ea poplitibus eam adorauit: *Reuerentia filiali vt matrem digniſſimā, eam adoraſſe dicitur.* Quod ſpectaculum Sanctus hic Doctor obſtupeſcens, Chriſtum hunc in modum interrogat: Nunquid tu ô Domine es potentiſsimus ille Deus optimus Maximus coram quo omnes creaturæ cœli & terræ, imo & quæ in Inferno ſunt, genua ſua adeo humiliter ſummaque cum reuerentia flectunt, qui proinde nulli aliorum genua tua flectere debes? Cur igitur nunc ſuperexceſſiuum hunc mulieri cuipiam defers honorem vt coram illa genuflectas eamque adores? Omnino hoc ipſum maieſtatem tuam dedecet. Tandem hunc in modum ſibi à Chriſto reſponſum fuiſſe ſubinfert: *Volo eam merito adorare, nam efficit eam adorandam ratio maternitatis.* Nemo miretur, ſi Deum mulierem aliquam adorare conſpiciat, ſiquidem mulier hæc non ſimplex aut vulgaris quædā fœmina, ſed Dei mater eſt; Deū enim ſemel enixa, tantum ſibi dignitatis & maieſtatis conciliauit faſtigium, vt ne ipſe quidem Deus honorando illam, cenſeatur excedere ſi coram ea genuflectat eamque adoret, licet honorem iſtum nulli alteri poteſtati terrenæ indulgeat. *Efficit eam adorandam ratio maternitatis.* Totum hoc ad ſequentem inde conſequentiam eliciendam dictum eſto. Quodſi enim Beatiſſima Virgo ob hunc ſuæ maternitatis reſpectum, tantum ſibi honorem commeruit, vt Deus ipſemet immortalis & glorioſus iam in cælo regnans coram ea genua flexerit, illamque adorarit, neceſſario inde concluditur illam reuera eſſe quoddam *Non plus vltra Diuinæ omnipotentiæ.* Quodſi enim plus honorari poſſet, neceſſum eſſet aliam quandam Maieſtatem dari diuina Maieſtate maiorem, quæ coram ea genuflecteret, quod non eſt poſsibile.

3. Reg. 29. *S. Bernardin. ſerm. de Aſſump. A. 2. c. 2.*

11. S. Birgitta duas valde raras Deiparæ prærogatiuas admirans, nimirum quod cum vniuerſali omnium ſtupore virginitas cum fæcunditate in ipſa reſplendeat, cuiuſmodi gratia nulli vnquam mulierum hactenus conceſſa, nec deinceps concedenda eſt, cauſam à Chriſto ſcire petiit, cur priuilegiū iſtud ad maiorem matris ſuæ honorem non fuerit dignatus eo tempore quo hic in terris vixit, mundo diuulgare. Cui à Chriſto reſponſum eſt: *Quia homo erat difficilis ad credendum, ideo placuit mihi pulchritudinem & perfectionem eius abſcondere* q. d. Cum nulla ſit alia ratio, cur ſanctiſsima mater mea tanto gaudeat priuilegio, quam quod verum Deū vere genuerit, hinc manifeſtata mundo matris virginitate, ipſa quoq; diuina eius maternitas pariter declarari debuiſſet, quæ haud dubie omnium ſuperaſſet hominum fidem, cum nemo perſuadere ſibi potuiſſet, talem dari fæminam quandam poſſe, tot gratijs adornatam, tantiſque exaltatam honoribus, vt ne diuina quidem omnipotentia magis illam adornare, euehere & honorare potuiſſet. Vnde operæ mihi pretium viſum eſt eſſe, myſterium iſtud ad tempus abſcondere. Ex hactenus igitur dictis vos ſatis ſuperque collegiſſe credo, qua ratione venerandum illud MARIÆ nomen, quod idem ſignificat, quod Exaltata, Auguſtiſsimæ Angelorum *Reginæ* excellentiſsimè conueniat, vtpote quæ cum digna eſſet, quæ Dei mater fieret, ad gradum adeo altum peruenit, vt ne Deus quidem illam altius exaltare poſsit.

Reuel. S. Bigitta lib. 5. Interr. 10. Q. 1.

CONSIDERATIO. III.

In terra.

Deiparæ Virgini obligatus eſt vniuerſus mundus, ipſa namque cunctorum Domina eſt atque protectrix.

1. Doctiſsimus Idiota dicit, quemlibet Sanctorum cælitum curam habere parti-

particularem certa quædam mundi loca protegendi. Sic enim S. Iacobus Hispaniam protegit: S. Dionysius Franciam: S. Marcus Venetias; & sic de alijs discurrere licet, quos certarum Prouinciarum protectores, semper esse comperietis, quorum patrocinio & ope, maiorem in magna illa cælorum curia potentiam, quam per alios quoscunque apud Deum experimur. Deipara autem Virgo Maria, sicuti omnium est Regina, ita quoque vniuersalis omnium protectrix existit, atque in cælo præ omnibus præualet *Cæteri Sancti iure quodam patrocinij, pro sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in curia altissimi, quam pro alienis: Beatissima vero Virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic est omnium Patrona & aduocata, & cura est illi de omnibus.* Merito igitur Mariæ nomen habet, quod secundum interpretationem Epiphanij, idem sonat quod spes; congrueq; per terræ viridanti pallio stratæ Hieroglyphicum explicatur, vtpote cui potentissima hæc Domina nostra persimilis existit, non ea duntaxat ratione, quod verbum æternum digito spiritus sancti in ea explicatum fuerit, & Homo factum, *Digito scribebat in terra:* verum etiam quia sicut communis cunctorum animaliū vitæ spes in terra fundatur, sic quoq; communis spes omnium fidelium acquirendi vitam æternam in eius fundata est intercessione. Quam ob causam totus ille mundus obligatus esse cernitur. Ipsa namq; vti iam dicturi sumus, vniuersalis est omnium protectrix, pro omnium salute sollicitè cogitans: *Cura est illi de omnibus.*

Idiota contem. de Virg. Mar. in Proleg.

2. Diuinæ sponsæ collum, tantopere in Canticis deprædicatum, Salomon turri Dauidicæ, è qua mille scuta cernebantur pendentia, simile esse dicebat: *Collum tuum sicut turris Dauid, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Quodnam erat hoc huius Dominæ prodigiosum & grande collum, vt dum alteri cuicunque corpori vnum scutum sufficiat, hoc tamen licet nonnisi vnicum esset, mille scuta habere postulet? Num forte ipsa fabulosus quidam Briareus erat? Verum scuta Briareo quinquaginta sufficiebant, cū in hac mille cernantur: *Mille clypei pendent ex ea.* Porro quia Salomon per collum Ecclesiæ, sponsæ symbolo significatæ, iuxta Georgij Veneti explicationem, Deiparam insinuare volebat, nec immerito, nam sicut collum caput corpori coniungit, ita ipsa Christum qui caput est, alijs fidelibus, qui corpus Ecclesiæ constituunt, connectit; Vnde mediatrix appellatur. Hoc supposito cessabit admiratio, cur videlicet admirabile collū istud mille scutis ornari & armari debuerit. *Mille clypei pendent ex ea.* Mirum enim non est, quod alijs sanctis vnum scutum sufficiat, illi namque sub protectione sua vnicum duntaxat regnum, aut vnam tantum complectuntur ciuitatem, huic autem Patronæ mille scuta conueniunt, quia vniuersalis est omnium regnorum, omniumque Ciuitatum protectrix, & aduocata, omnesque defendit. *Cura est illi de omnibus.*

Cant. 4. v. 4.

Georgius Venetus to. 8. c. 29.

3. Quærit Lucas Burgensis, qua de causa Deipara vnigenitum suum IESVM in templo Hierosolymitano præsentatum, ibidem non reliquerit, vti olim Anna Elcanæ vxor fecerat, quæ vti primus Regum liber refert, Samuelem infantem suum ibi præsentans, in manibus Heli Sacerdotis perpetuò reliquit? Et prima quidem facie videtur, cœlorum Reginam merito huius pietatem religionemque æmulari debuisse, tum quia in deuotione & reuerentia versus sacrum templum nulli alteri cedere debebat, tum etiam quia probe nouerat Sacrū hunc locum, cum propriè Dei domus esset, decentissimum & honorificentissimum locum esse, in quo potius quam in vllo alio totius mundi loco Deus incarnatus collocaretur. Tandem vero respondet: *Oblatum Domino puerum noluit Maria relinquere in illo templo, aut commodare illi tabernaculo Domini, quemadmodum olim Anna Samuelem: non enim voluit eum synagogæ proprium esse, quem pepererat futurum Saluatorem totius mundi.* Quantumuis Deipara non solum in deuotione erga templū, verum etiam in quacunque alia virtute, nec Annæ nec cuiuis alteri mulieri, quæ vnquam in mundo fuisset, aut futura esset, cederet; neque ignoraret nullum in mundo locum ipsi conuenientiorē esse sacro templo, illum tamen ibi relinquere noluit, eo quod locus ille Hebræorum tantum, non vero omnium vniuersim hominum templū esset; cum igitur alia ex parte bene nosset, se vniuersalem omnium Patronam & Ad-

1. Reg. 1. v. 28.

Lucas Burgens. serm. de Iesu oblato.

uocatam à Deo electam esse, hinc vt omnes diuini thesauri, quem pro omnium salute pepererat, redderet participes, illum in hoc particulari & angusto nimis loco relinquere noluit, ne illi duntaxat genti Hebræorum illum appropriaret, quæ omnes & Hebræos, & Græcos & Latinos, & quamcunque aliam gentem, quæ sub sole est, locupletare volebat: *Cura est illi de omnibus.*

4. Angeli in Canticis inæstimabilem Deiparæ gloriam conspicientes & admirantes, hunc in modum inter se colloquebantur: *Quæ est ista, quæ pregreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa vt sol?* Quem locũ si bene obseruaueritis, inuenietis Deiparam in eo stellis comparari mobilibus & erraticis, non vero immobilibus & in firmamento fixis, soli enim comparatur, & lunæ, quæ sunt sydera errantia, & per omnia discurrentia. Hanc autem comparationem adduxisse videntur, ad insinuandam eam quæ Deiparam inter & alios cæli sanctos intercedit differentiam. Tametsi enim alij sancti etiam stellæ sint, sunt tamen stellæ fixæ, particularem à Domino Deo habentes protectionem, & curam vnius duntaxat regni, aut gentis, vltra quam se extendere aut dilatare vix vnquam cernuntur. At vero sacratissima virgo Deipara est Aurora, Sol, & Luna, & velut stella erratica per totum mundum mouetur & discurrit, omnibus lumen defert, omnibusque succurrit, quippe cum nullus sit in orbe locus, quo solitorum radiorum suorum radios non diffundat. *Cura est illi de omnibus.*

Cant. 6. v. 3.

5. Vt S. Gabriel Archangelus S. Iosephum diuini illius Sacramenti, à Spiritu sancto in vtero Sponsæ suæ celebrati, redderet certiorem, de cælo descendens, sequentibus illum verbis est affatus: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est, pariet autem filium.* Theophylactus postrema hæc verba ponderans, audiensque Archangelum eo fine venisse, vt sanctum Patriarcham consolaretur, primo quidem existimabat Angelum Iosepho non dixisse, absolute: *Pariet filium,* sed adiuncto hoc pronomine *Tibi* dixisse: *Pariet tibi.* Nam hoc loquendi modo non solum ipsum fuisse consolatus, sed etiã magno ipsum affecisset honore, dicendo enim, *Pariet tibi*, idem est ac si dixisset. Thesaurum illum grandem, quem augustissima cæli Regina, coniux tua, in sacratissimo vtero suo portat, ipsa ad locupletandum domum tuam, ad familiam tuam honorandam, nec non ad maiorem personæ tuæ exaltationem, denique pro delitijs animæ tuæ pariet. Postea vero idem Doctor rem melius attendens, vidensque Beatam Virginem de cælo in vniuersalem totius mundi Patronam destinatam esse, non vero factam esse propriæ tantum domus soliusque sponsi sui promotricem, ita loquitur: *Non dixit pariet tibi filium, sed simpliciter pariet, non enim peperit illi, sed toti orbi.* Quodsi Angelus sciuisset Deiparam eius fuisse indolis, cuius alia quæcunque mulier vulgaris, quæ nihil ita curat, quam propriæ domus suæ, nec non honorum familiæ suæ incrementum, non intermisisset Iosepho dicere: *Pariet tibi:* at vero, quia intelligebat, quod sicut totius mundi Regina existit, ita quoque omnium hominum exaltationem promoueret, nec non omnium procuraret honores, ideo absolute dixit *Pariet*: non vero *Pariet tibi. Non enim peperit illi, sed toti orbi.*

Matth. 1. v. 20.

Theophylactus ibid.

6. *Ego flos campi & lilium conuallium,* inquit sapientia incarnata in Canticis de semetipsa. Et quantũ mihi persuadeo, floris similitudinem eo fine accepit, vt videlicet fidelibus animabus raras suas insinuet venustates, & decorem inæstimabilem, propter quem omnes curiosè illum attendentes & considerantes, castis illius capiuntur & illaqueantur amoribus. Verum dicat aliquis, quodsi Christus tam rara circumdatus est specie & pulchritudine, cur igitur non flos horti, sed flos campi appellatur; cum flores in hortis nati venustiores ac pulchriores esse soleant, quã quos campi progerminant? Dico igitur ipsum florem campi appellari vt se cælestis Reginæ Dominæ nostræ, quæ sub campi symbolo intelligitur, filium esse declaret, cuius venustates, aliam pulchritudinem creatam quamcunque incomparabiliter superantes, diuinum hunc produxêre florem, qui nec in cælis inter angelos, nec in terris inter homines habere potest æqualem. Beata Virgo autem, vt vult S. Ber-

Cant. 2. v. 1.

 nardus

S. Bernardus serm. 47. in cantica. nardus, ob duas præcipue rationes campum se vocat. Primo quia ad instar Campi, absque vllo humano opere diuinum hunc florem produxit: *Nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo, nec fimo impinguatus, nec manu hominis seminatus*, non vero sicut hortus, vbi quicquid producitur & nascitur, totum per hominis operam progerminat. Adiungit præterea sanctus hic Doctor: *In horto flos clauditur, in campo exponitur.* Ex quo etiam capite Dominæ nostræ ita nomen horti disconuenit, quam bene quadrat nomen Campi. Nulla enim ratione appellanda est hortus, non enim intra breues areolas & sepes diuinum florem recludit aut coërcet, quasi in eius pectore pendeat, vt illo fruantur personæ particulares & priuatæ, aliæ vero excludantur: Sed campus appellari debet quia sicut vniuersalis Domina, & Patrona omnium gentium, absque vllius sepis impedimento, diuinum florem palam publiceque tenet expositum, vt illo pro suo quisque libitu frui possit. Ad quod mysterium simul etiam respicere voluit, quando Oliua campi nominabatur. *Quasi oliua speciosa in campis.* Nã vt inquit Archiepiscopus Florentinus. *Ad oliuam speciosam in campis omnes possunt accedere, & accipere fructum eius; sic ad Mariam & iusti & peccatores possunt accedere, vt inde misericordiam accipiant.*

Ecclesiastici 24. v. 19

S. Antonin p 3 tit. 31. c. 4. §. 3.

7. Propter hoc Deipara merito assimilanda venit Reginæ illi, quæ coniux fuit Artaxerxis Regis; quæ ex præcepto mariti quotiescunque ciuitatem obibat, tali semper vtebatur vehiculo aut Rheda, quæ nec tecto clauderetur, nec obuelaretur cortinas cuius præcepti Cælius Rhodiginius hanc ex Plutarcho rationem adfert. *Quo indigentibus promptior fieret & paratior aditus* q. d. Ad hoc tali debebat Carpento vehi, vt qui gratia sua indigerent pro necessitatis suæ remedio ad illam recurrentes, promptum & expeditum ad illam haberent accessum. Ita quoque Deipara non remansit reclusa, sequestrata & abscondita, adeo vt pauculis duntaxat familiaribus suis liber ad eam daretur accessus, ideoque horto similis esse videretur, sed manifesta omnibusque exposita fuit, portis domus suæ semper per omnia patulis, & instar campi apertis relictis, vt hac ratione omnes qui eius ope indigerent, apud ipsam veluti vniuersalem omnium Patronam, opportunam mira cum promptitudine inuenirent audientiam, gratiamque obtinerent optatam. *Quo indigentibus promptior fieret & paratior aditus.*

Cælius Rhodigin. lib. 22. c. 5.

8. In Prouerbijs magna quædam ab incarnata sapientia fabricata domus describitur, in qua multis ad eam conuocatis conuiuis sumptuosum adparatum est conuiuium. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Supra quem locum S. Ildephonsus dicit. *Sapientia ædificauit sibi domum, id est, Mariam Virginem*; Quæ vel ideo domus appellatur, quia Deus in virginali eius vtero nouem erat mensibus habitaturus. Quæ omnia hucusque valde bene dicuntur. At vero singulariter obseruandus est diuersus modus, quo Spiritus Sanctus fabricam hanc in hisce verbis appellauit, pro eo namque tempore quo præparabatur conuiuium, fabrica hæc domus est appellata: *Sapientia ædificauit sibi domum.* Cùm autem conuiuij epulis ritè pleneque præparatis, ancillæ vt inuitandos aduocarent dimitterentur, non iam amplius Domus, sed ciuitas appellata fuit: *Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Quis hic non admiretur & dicat; Quod si domus fuit, qua ratione ciuitas esse potuit? aut si ciuitas fuit, quomodo domus erit? Domus est particularis & priuata paucarum personarum habitatio; Ciuitas vero quorumlibet indifferens receptaculum; Forsitan simul erat domus & ciuitas? Hoc postremum omnino opus est dicere. Cum enim Beata Virgo sola digna fuerit, Deum in sacri ventris sui recipere hospitium, neque aliorum quam solius Filij Dei debuerit esse mater, merito à Deo ad instar domus fabricata esse dicitur. *Sapientia ædificauit sibi domum.* In quantum vero postea destinabatur, vt sub protectionem suam omnes homines reciperet, non iam amplius domus fuit, quia domus non nisi paucas in se personas continet, sed ciuitas facta est, quæ omnes cuiuscunque demum loci aut regionis, recipit homines, sub amplissimo namque pallio suo, tanquam communis omnium Patrona & Aduo-

Prou. 9. v. 1

S. Ildephõsus ser. vlt. de Assump.

Aduocata, omnes totius mundi populos receptura erat.

9. Ex hactenus dictis vtique intellexistis, quam magna sint ea mysteria, quæ sacratissimum Mariæ nomen in se complectitur & includit. Nunc aliam quandam interpretationem auscultate, quæ considerationem præsentem mirabiliter confirmat. Hebreæ linguæ periti communiter dicunt hoc nomen, *Maria* in lingua Latina idem sonare quod *stella maris*. Vnde sancta mater Ecclesia ad illam salutandam mouetur, dicendo: *Aue maris stella*. Nomen certe Beatissimæ Virgini valde appropriatum & peculiare, cum ipsa sit vera stella maris, id est, stella vltramontana, non solum quia gratiarum suarum radijs, miseros nauigantes ex mari mundi huius, ad cælestem portum perducit, verum etiam quia sicut totus mundus circum stellam istam voluitur & vertitur, ita quoque totus mundus, nulla eius parte excepta, circum augustissimæ huius Virginis thronum voluitur & mouetur; omnes namque ad illam, sicut ad communem omnium aduocatam & Patronam recurrunt, quod non ita alijs sanctis conuenire videtur, vtpote, circa quos particularia tantum loca verti & moueri cernuntur. Quamobrem Albertus Magnus hunc conceptum respiciens dixit: *Nulli pura creatura videtur potius conuenire, mundum circa ipsam versari, quam gloriosa Regina cæli & terræ*

Al. Magnus super Missus est c. 183.

Neque de hoc quispiam dubitare potest; quod si enim hinc inde in diuersas orbis oras oculos vestros circumtuleritis, inuenietis Deiparam ab hominibus omnis sexus, omnis ætatis, omnis professionis, ex quauis etiam natione, ipsorummet quoque Turcarum semper circumdatam, qui eandem inexplicabili cum Reuerentia honorant & colunt.

10. Persuasum mihi omnino habeo, optasse vos sæpius causam scire, ob quam Deipara in Cana ad nuptias inuitata, vini defectu ibidem notato, vtpote qui cum non modica Neosponsorum confusione paulo post infallibiliter accidisset, nec monita, neque pro oportuno dando remedio rogata, ad diuinum filium suum recursum habuerit, suisque precibus id effecerit, vt & in quantitate & qualitate vinũ miraculose abundauerit. Porro tametsi ratio huius difficulter capi possit; videtur enim satius ab ipsa factũ fuisse, si expectasset, donec vel à Neosponsis vel ab illis, ad quos vini prouisio pertinebat, requisita aut rogata fuisset, vt vel sic gratiæ suæ maioris æstimatæ, maioriq; in pretio habitæ fuissent. Nihilominus S. Bernardinus Senensis, qui vnus ex deditissimis charissimisque seruis fuit, quos B. Virgo Maria vnquam habuit, veram pro deuotione qua se eidem à primis annis dedicauit, rationem adfert, nodumque hunc egregie dissoluit dicens: *omnium hominum aduocatam se sentiens, officium aduocationis & piæ auxiliatricis assumpsit, cum videret inopiam, ac si opus non sit eam precibus excitare, quæ omnem oculum pietatis suæ in nos direxit, ac præsciens indigentiam nostram, ac se cunctorum hominum matrem pietatis agnoscens, sollicita pro filijs, irrequisita etiam ad Dei filium intercessit dicens: vinum non habent.* Quasi diceret: Eo ipso quo Beatissima Virgo ad sublimem se diuinæ maternitatis gradum exaltatam vidit, omnium se hominum matrem & procuratricem esse cognouit. Vnde tanquam mater preces nostras sollicitè anteuertit, omneque tempus, singulaque momenta porrigendo egenis remedio oportuna est præstolata, prout in præsenti nuptiarum istarum necessitate reipsa declarauit. Cuius necessitatis remedium & vini supplementũ si eousque donec rogata esset aut requisita distulisset, non solum modicum erga Neosponsos demonstrasset affectum, verum etiam eorum se tantum declarasset patronam & aduocatam, qui ipsam precibus suis rogant aut sollicitant, id quod notabiliter patrocinij sui amplitudinem diminuisset, atque ideo indifferenter omnibus auxiliari statuit, omniumque necessitates, tam illorum qui suis eam precibus ad auxiliandum sollicitant, quam aliorum etiam qui idipsum non faciunt subleuaret. *Omnium hominum aduocatam se sentiens.*

S. Bernard. T. 3. ser. 9. art. 3. c. 1.

11. Scitisne causam, ob quam sanctissima Dei mater, dũ in itinere è tẽplo domũ versus concedẽs, diuinũ suum perdidisset filiũ, toto illo triduo, quo eum anxie requirebat, tanto pressa fuerit dolore, vt tandem inter Doctores illum reinueniens, amorosis illum querimonijs aggredi voluerit dicendo *Fili*

 quid

Luc. 2. v. 48. *quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Confidenter mihi haud dubiè respondebitis, Ecquænam huius alia causa esse posset, quam quod dum à dulcissimo Iesu suo separatam se vidit, visum sibi fuerit oculorum se lumine orbatam, aut opulentiori, quam siue in cælo siue in terra inueniri possit thesauro spoliatam, imo ipsissimo corde suo destitutam se esse reputabat. Etenim responsio ista non est incongrua, præter hanc tamen idem sanctus Doctor aliam quoque assignat dicens: S. Bernardin. ser. 61. art. 1. c. 7. *Dolens quærebat filium, ne mundus perdidisset Dominum suum.* Tametsi enim ipsa particulare malum suum, quod ei ex amantissimi filij sui iactura accidebat, considerans, non mediocriter affligeretur, nihilominus damnum quod inde toti mundo incumbebat, respiciens, longe grauiorem inde dolorem concipiebat, videbaturque crudelem inde se cultrum sensisse animam suam immaniter vulnerantem & penetrantem. Præcipuè tamen in hac S. Bernardini responsione notandum est, non dixisse illum, quod B. Virgo doluisset, eo quod Iudæa aut alia quæuis mundi pars Dominum suum perdidisset, sed quia totus illum mundus perdiderit; Neque enim illa Prouinciam aut aliam in particulari curabat regionem, sed omnes vniuersim prouincias, & omnia regna, quia omnium agnoscebatur aduocata, ideoque ex totius mundi malo affligebatur: *Ne mundus perdidisset Dominum suum.*

12. In Psalmo octuagesimo sexto, vbi de Deipara sermo est, & iuxta lectionē vulgatam legitur: Psal. 86. v. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te,* alij vertunt: *sicut tibi cinum omnium habitatio est in te.* Videturque Dauid iuxta hunc legendi modum Beatæ Virgini dicere voluisse. O admirabilis prorsus & gloriosa Domina, videtur mihi quod Ecclesiæ tuæ, (in quibus ab hominibus coleris & adoraris, vtpote quæ in ijsdem in eorundem Societate habitare dignaris) tubis præliaribus semper sint plenæ atque refertæ: Omnes enim illi qui recurrunt ad te, tuumque suis in necessitatibus implorant auxilium, ex Ecclesijs tuis egrediuntur tuam elata voce & clamore extollentes pietatem, tuam liberalitatem magnificantes, & gratias tibi agendo summo te animi conatu religiosissime venerantes, adeo vt ne vel vnus quidem, quasi frustra & in vanum te inuocasset, ex Ecclesijs deuotisque oratorijs tuis exire cogatur tristis, melancholicus aut mæstus. Tu enim vtpote cunctorum aduocata, omniumque protectrix neminem despicis, sed recipis omnes, omnes exaudis, nulli denique consolationem tuam abnuis. *Sicut tibicinum omnium habitatio est in te.* Vnde S. Bernardus ad hoc attendens, ita eam affatur *Sileat misericordiam tuam virgo beata, si quis est qui inuocatam te in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse,* S. Bern. ser. 4 de Assump. quasi per eadem verba voluisset inferre. Quia impossibile est reperiri posse hominem in mundo, qui non sit tuæ pietatis specialis tuba, ideo consequenter impossibile est hominem aliquem esse, qui postquam recurrerit ad te, è templis tuis non exeat lætus & exauditus, tu enim auscultas omnes, omnes exaudis, omniumq; necessitatibus opitularis, ideoque tanquam à totidem tibicinibus ab omnibus quoque celebraris: *sicut tibicinum omnium habitatio est in te.*

13. In descriptione qua ab eodem regio Propheta gloria illa, qua Deipara Virgo in magna illa cælorū curia gaudet, recensetur, inter cætera Psaltes Deū hoc modo affatur. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Psal. 44. v. 11. Postrema versus istius verba, quæ non apparent æque perspicua ac prima, ab Archiepiscopo Genuensi hunc in modum explicantur: Iacobus de Voragine serm. 2 in Mariali. *Dicitur circumdata varietate; nam coram Rege & eius familia, in tantum est gratiosa, quod omnes eam circumdant: in cælo enim tot sunt varietates, quot sunt sanctorum ordines.* q. d. Varietas cælestis consistit in varijs & diuersis ordinibus, qui in illa patria existunt, cuiusmodi sunt Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, & virgines.

Qui omnes communiter Beatissimam Virginem Mariam circumdant, eidemque inseruiunt & obsequuntur. Quia enim agnoscunt se omne bonum quod in cælis possident, ex intercessionum suarum recepisse beneficio, ordinarie illi assistunt, debitas eidem referentes gratias, atque ideo semper videtur *circumdata varietate.* Obseruandum autem in cælis non solum vnum ordinem esse, qui se recognoscat illi summopere obligatum,

ligatum, sed omnes ordines, omnes illam ambiunt, cingunt, & honorant. *Circumdata varietate*, eo quod illa omnium fuerit protectrix, omnibusque subuenerit.

14. Pro Confirmatione omnium illorum, & pro fine præsentis considerationis optime congruit, quod sanctus Pater Antoninus super verba salutationis, à sancto Gabriele Archangelo Beatissimæ semper Virgini Mariæ insinuatæ, obseruat; Cum enim Archangelus iste à varijs loquendi modis, salutationem suam ordiri potuisset, ipse tamen omni alio loquendi modo posthabito, vsurpare voluit hoc verbum *Aue*, di-
Luc. 1. v. 28. xitque *Aue gratia plena.* Notat autem hic sanctus Pater, ideo eum hoc verbo in salutatione sua vti voluisse, quia tribus constat literis quæ tres principales mundi linguas significant, Hebræam scilicet, Græcam, & Latinam. Nam litera A quæ in gutture formatur, linguam Hebræam significat, quæ verba sua in gutture efformat. E pronuntiatur cum palato, & significat linguam Græcam quia Græci palato potissimum adhibito pronuntiant. V. denique labijs exprimitur, significatque Latinorum idioma, qui labijs potissimum verba sua exprimunt. Adeo vt sanctus Doctor dicat, quod dum Gabriel salutare & honorare Deiparam voluit per verbum hoc *Aue*, ex tribus hisce literis compositum, insinuare voluerit, eã ab omnibus totius mundi linguis laudari & honorari. *Apte ergo inquit Aue, quasi diceret,* S. Antonin. p. 4. tit. 15. cap. 13. §. 3.
omnis lingua tam Hebræa quam Græca & Latina te laudat. Et merito quidem, cùm enim ipsa sit ea, è cuius vtpote vniuersalis omniũ hominum Patronæ manibus, omnes mundi homines gratias & fauores recipiunt, omnes quoque linguæ eam laudare & celebrare debent. *Omnis lingua tam Hebræa, quam Græca & Latina te laudat.*

SERMO XXVI.

In Dominicam IV. Quadragesimæ,

Abijt IESVS trans mare Galileæ.

Ioannis 6. Capite.

1. PRo explicatione verborum illorum capitis 5. Deuteronomij, vbi Deus cum populo Hebræo loquens in-
Deut. 5. v. 6. quit: *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruitutis.* scribit Oleaster *sunt aliqui Do-*
Oleaster ibidem. *mini & Reges, qui sunt sui, Deus vero tuus, non suus, sed tuus est*, quasi dicere vellet, ex hoc loco obserua, quanta sit inter huius mundi Dominos, & Dominum Deum tuum differentia, cum illi sui sint non tui, ipse econtra suus esse noluit, sed tuus. *Ego Dominus Deus tuus.* Idque adeo certum est & verum, vt nec quidem partem aliquam, aut membrum corporis habere voluerit, quod tuum non sit, aut tuis non adhibeatur necessitatibus; prouti in præsenti Euangelio videtur, vbi pro deuotarum se sequentium turbarum ope & subsidio oculos, manus, & pedes libenter impendit. Oculos quidem, vt per eos pro famis subleuanda ad pietatem moueretur: Manus ad modicum panem ibi præsentem multiplicandum; pedes vero ad docendum nos, quomodo illis ad fugã vtẽdo, mundi honores fugere debeamus, ne per fallacem illorum speciem decipiamur. Suntque hæc tria capita quæ pro communi omnium vtilitate in præsenti discursu adinuicem conferemus, idque totidem fere considerationibus.

CON-

CONSIDERATIO I.

Cum ſubleuaſſet oculos.

Oculi Dei, à quibus omnia cæli bona in terram deſcendunt, nunquam reſpicere aliquem ſolent, quin illum omnibus poſſibilibus & deſiderabilibus mundi bonis adimpleant.

2. POſtquam Chriſtus Dominus oculos ſubleuaſſet, vt turbas quæ in deſertum vſque, deuote ipſum ſecutæ fuerant, videret, pietate & compaſſione motus tunc demum illis ſuis in neceſſitatibus, quibus ſubiacebant, ſuccurrit, non vero prius: vnde poſtquam Euangeliſta prius dixiſſet: *Cum ſubleuaſſet oculos IESVS, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum*, ſubito ſubiunxit, quod pietate motus de cibis inter illos erogandis tractare mox cœperit: *Dixit ad Philippum, vnde ememus panes, vt manducent hi?* Qua in re hoc ſingulariter obſeruandum eſt, totum bonum quod hoc fælici die hebræis de cœlo accidit, ab ingenti oculorum Domini noſtri pietate in illos deriuari, vtpote qui nunquam aliquem reſpicere conſueuerunt, quin eoſdem omnibus deſiderabilibus bonis efficaciter adimpleant, prout in ſequentium locorum explicatione latius magiſque perſpicuè videbitur.

Cant. 8. v. 10. 3. Vbi Sponſa Cant. 8. ſecundum noſtram literam legit: *Facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens*, Sanctes Pagninus vertit *Fui in oculis eius ſicut reperiens pacem*. quaſi ſecundum hanc lectionem diceret, Poſtquam digna fui à diuino ſponſo meo conſpici, mox facta ſum ſicut mulier pacem reperiens. Obſeruat hunc ſcripturæ locum Gilbertus Genebrardus, & dicit, nomen hoc Pax, quamcunque felicitatem & proſperitatem poſſibilem, quam Pax in ea loca, vbi viget, ſecum adducere ſolet, ſignificare *Pax Hebrais generale nomen eſt, ad omnem proſperitatem & fælicitatem, quam pax conſerre ſolet.* Adeo vt ſponſa iuxta hunc ſenſum, cum dicit, ſe pacem reperiſſe, poſtquam diuinus ſponſus eius illam oculorum ſuorum obtutu fuit dignatus, clarioribus verbis dicere velle videatur: ſe quamuis reperiſſe bonorum fœlicitatiſque abundantiam, viderique ſibi ſæculum ſe viuere aureum. Id quod iure merito dicebat, cælum enim oculis Chriſti mediantibus, quaſi duabus diuinis feneſtris & fontibus inexhauſtis, quoduis bonum, quod pro hominibus beatificandis in terra deſiderari potuit, communicare conſueuit. *Omnem proſperitatem & fælicitatem.*

Sanctes Pagninus.

Genebrardus ibid.

4. Vtique ſæpius ſtupenda illa terræ promiſſionis prodigia, qualia de nullo alio loco ne quidem de ipſomet terreſtri Paradiſo hactenus memorata, ſcripta, aut recenſita vnquam fuere intellexiſtis, è qua lactis & mellis riui, haud ſecus ac alibi vulgares & communes aquæ profluere ſolent, ſcaturiebant. Sic in Leuitico reperietis, Deum hebræis ingentem opulentamque hanc regionem promittentem ita locutum eſſe. *Dabo vobis hæreditatem terram fluentem lacte & melle, ego Dominus Deus veſter.* Certe res hæc adeo eſt rara & peregrina, vt nec Homerus ſibi tale quid de hortis Alcinoi auſus fuerit imaginari. Vnde merito quæri poteſt, vndenam talis in regione illa abundantia, quam ad cuiuſuis alterius loci poſſidebat inuidiam, ortum ſuum habuerit? Num forte ex naturali quadam terræ proprietate, aut ex fœcunditate rigantis aquæ, aut aëris ſalubritate, aut alia quauis cauſa occulta & ſecreta naſcebatur? veram huius rei cauſam idem Doctor his verbis tradit: *Fluebat lacte & melle, non quidem loci natura, ſed Dei benedictione, de cælo expectans pluuias; quam Dominus Deus ſemper inuiſebat, & oculis ſuis intuebatur à principio anni vſque in finem*, q.d. Terra promiſſionis tanta fertilitate & abundantia, non ex propria & naturali terræ bonitate, aut aliâ quacunque ex cauſa naturali prædita erat, ſed habebat id ex particulari quadam Dei gratia, qua illi de cælo frequenter benedicere ſolebat, quamque illi ab anni exordio in finem vſque diuinis ſuis ſæpe impertiebatur obtutibus. Mirum itaque non eſt, quod terra iſta tantæ fuerit fæcunditatis, riuiſque lactis & mellis abundauerit, quæ continuo diuinorum oculorum illuſtrabatur obtutu; Quocunque enim oculi diuini aciem ſuam dirigunt, ibi tanta mox per eorundem oculorum influxum naſcitur abundantia, vt pro-

Leuitici 2. v. 24.

Genebrardus in Pſal. 47.

prodigiosa merito, & miraculosa censeri possit.

5. Tanta tamque grauis fuit peruersi Caini tristitia, postquam Deum oculos suos à se & ab oblatis muneribus suis auertisse, Abel vero fratrem suum & munera eius, vti Moyses refert, benigne respexisse aduertit: *Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius: ad Cain vero & ad munera eius non respexit.* Gen. 4. v. 5 vt non iam amplius homo esse videretur, sed instar indomitæ cuiusdam & rabidæ feræ, omnis fraterni affectus immemor, Abel fratrem suum è viuis tollere non tardauerit. Porro hic peroptarem scire, quodnam inde damnum Cain perpessus fuerit, quod tantillæ Dei indignationi subiaceret? Siquidem clarum est, quod non nisi de vnico tantum diuinorum oculorum obtutu sibi denegato, fratri suo autem concesso, agebatur. Num igitur propter causam adeo exilem, tanta corripi rabie debebat, vt fratrem suum, innocentem illum iuuenē occideret? Etenim verum quidē est totā Caini, non de alio quam de vnico solum obtutu denegato, conceptam esse tristitiam; attamen obseruandum est, obtutum hunc non ab homine denegatum fuisse, hic enim tanquam res leuis momenti nihili faciendus erat, sed à Deo, qui illum & munera eius dedignabatur aspicere. *Respexit Dominus.* Quotiescunque enim Deus homines aut res illorum dignatur aspicere, quandam diuitiarum cornucopiam semper solet effundere, quæ fælices illos reddat vereque beatos, e contrario illis accidit, quos aspicere dedignatur. *Quos Deus aspicit*, inquit Pierius Valerianus, *fortunari, quos auersari videtur, derelinqui & infelices esse.* Pier. Valerian. lib. 33 Cum igitur Cain huius veritatis probe conscius esset, seque coram oculis Dei contemptum & proiectum, Abel vero fratrem suum coram iisdem gratum & acceptum esse, videret, mox sicuti propriam inde infælicitatem præsagiuit, ita quoque secuturam mox præuidit fratris fortunam. Quia autem natura sua cordis maligni erat & inuidi, neque sibi se adeo potentem fore promittere poterat, vt tanti boni in aliena cernere persona posset spectaculum, se illum è viuis tollere velle statuit, prouti reapse postea fecit; vnde colligitur quanta eorum sint bona, qui à Deo respici & videri merentur, quando homines inuidi & malitiosi, rabie pleni, sibi quod illa integro bonoque corde sufferre & sustinere possint, promittere nequeunt.

6. Idemmet miraculum à S. Ioanne in præsenti Euangelio descriptum, S. Matthæus quoque refert; vnum duntaxat est quod insuper addit, cuius prorsus nullam S. Ioannes mentionem fecit, videlicet, quod quando Christus miraculum iamiam facturus, panem ac pisces in manus suas accepit, oculos suos aperiens in cælū suspexerit: *Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cælum, benedixit, ac fregit.* Matth. 14. v. 19. Possent hic nonnulli curiosi & cupidi inuolutum sub hisce verbis mysterium sciendi, inquirere, cur Christus Saluator, priusquam panes & pisces multiplicaret, oculos in cælum eleuare voluerit? Quorum curiositati hunc in modum satisfacit Origenes. *Cum autem panes accepisset saluator, primum suspexit in cælum, nimirum oculorum suorum radijs, veluti deducturus illinc potentiam, robur addituram quinque panibus, & duobus piscibus ad nutriendum quinque hominum millia.* Origenes ibidem. Fuerunt igitur oculi Christi quidam veluti canales, per quos cælum tantam panum abundantiam deriuauit. Ad insinuandum, totum quod de cælo in terram descendit bonum, per nullum aliud instrumentum, quam per Christi oculos inde deriuatum & deorsum missum esse. Vnde cum illi aperiuntur, & aliquò respiciunt, gratiæ cælestes ibidem non abundare non possunt.

7. S. Lucas refert solem tribus illis horis, quibus Christus in Cruce mortuus pependit, adeo obscuratum fuisse, vt mundus vniuersus densis fuerit tenebris obductus. *Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, vsque ad nonam, & obscuratus est Sol.* Luc. 23. v. 44. Multas sacri expositores causas assignant, ob quas sol illo temporis spatio fuerit obscuratus. Inter alios Petrus Damiani illas accidisse existimat propter oculos Christi in morte obscuratos. *Caligauerunt in mortem oculi sui, & illa luminaria, quæ illuminant orbem, ad horam extincta sunt, nonne illis obtenebrantibus, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram* Petr. Damiani ser. de Exalt. S. Crucis. quasi dicere voluisset: Diuinis oculorum Christi luminaribus, à quibus suam sol lucem sortitur, mortis

mortis velo obductis & obscuratis, ipsum quoque solem simul obscurari necessum fuit, hæc enim consuetum soli lucis influxum dare minime potuerunt; cum tamen tota virtus qua sol præditus esse conspicitur, ipsi communicata sit ab oculis Christi. Id quod S. Zeno quoque clare docuit, dicens: *Hic sol noster, sol verus, qui clarissimos ignes mundi, germanos astrorum candentiumque populorum claritatis suæ de plenitudine accendit.* Sequitur igitur manifestè, quod si solis luce mediante terra fæcundari, venustari mūdus, hominum vita extendi & prolongari, germinare animalium pascua, alijque mille eiusmodi effectus produci soleant, quibus terra tot diuitijs alijsque plurimis bonis adimpletur, omnia hæc oculis Christi debeantur, à quibus sol illos simul cum luce recipit, nobisque communicat; cum ipsi sint primū omnium illorum bonorum instrumentum, quæ de cælo descendunt.

S. Zeno ser. 3. de Natiuit. Christi.

8. Hinc S. Propheta Iob tanta cum instantia Deum, vt oculos suos in ipsum habere defixos dignaretur, rogabat dicens: *oculi tui in me.* q. d. O Domine ex omnibus fauoribus à diuina Maiestate tua mihi cōcessis, vnum duntaxat mihi seruari & continuari peto, videlicet vt oculos tuos in me semper defixos teneas. Quia autem magnus ille Dei seruus futurū præuidebat, nonnullos has suas preces deinceps audientes, curiosos futuros cupidosque huius voti sui causam sciendi, ideo ipse hanc mox subiungit dicens: *Non subsistam.* q. d. Nisi hoc feceris, non subsistam, nec vltra viuere potero: Certus enim sum quod peribo, corruam, moriar quam primum ô Deus meus me, quod absit, vel vnico tantum temporis momento, diuini vultus tui radijs priuare experis. Ita hæc verba Doctor quidam modernus exponit: *Figito tuos in me oculos, illumina vultum tuum super me; nam si faciem tuam auertas, peribo, non subsistam.* Probe namque sanctus Propheta intelligebat, omnes quotquot de cælo promanare solent fauores, ex oculis Domini sui veluti canalibus descendere. Sciebat insuper, quod si magno suo infortunio diuinis hisce radijs priuandus esset, fore vt haud secus ac infirmus quē dedignatur aspicere Iatrus, omni bono amisso, desperatus prorsusque mortuus esset. *Peribo, non subsistam.*

Iob 7. v. 8.

Pineda ibidem.

9. Ad hactenus dictorum confirmationem, meliorem meo iudicio locum adducere vix poterimus, quam illum Isaiæ cap. 54. vbi Deus populum Hebręum hisce verbis alloquebatur. *In momento indignationis meæ abscondi faciem meam parumper à te.* q. d. Quotiescunque tibi indignatus fui, aliud non feci, quam quod te pro peccatorum tuorum demerito castigaturus meam à te faciem absconderim. Ita hanc scripturam Hieronymus Oleaster explicat dicens: *Dominus vindicat iniurias, quibus à nobis afficitur, sola faciei occultatione.* Verum enimuero explicatio ista perspicua & clara non est, tametsi superficialiter audita talis esse putetur. Dum enim Deus homines castigat & punit, plura facit, quam quod faciem suam abscondat. Nonnunquam enim homines peste affligit, vti Dauidis tempore fecit; aut bellis infestat, vti sub Ieroboam Rege accidit: aut fame enecat, vti factum est tempore Achab, multisque alijs acerbissimis flagellis, sub quibus ob sua peccata gemere mundus communiter solet: in hominem animaduertit. Quomodo igitur Deus castigans dici potest aliud non facere, quam quod faciem suam abscondat, *Sola faciei suæ occultatione.* Verum tamen nullus est, qui de eo, quod Deus hoc in loco dicit, vel minimum dubitet. Certum enim est quod dum Deus affligit, aliud non faciat, quam quod faciem suam abscondat, neque hominem ea vultus benignitate, qua solebat, deinceps intueatur; Hac autem diuini vultus auersione supposita, ob diuinorum radiorum suorum subtractionem, quæuis super terram mala, quæ vlla ratione timeri possunt, descendunt. Sicut enim cum faciem suam exhibet, hominemque respicit, cunctis bonis, quæ desiderari possent, eundem adimplet: ita econtra quos obtutibus suis iudicat indignos, ideoque respicere dedignatur; omnibus circumdari malis quotidie videmus; hos enim nunc fames extenuat, aut bellum affligit, aut intoxicat pestis, aut alia acerba mala consequūtur, quæ hominem truculenter affligere consueuerunt: *vindicat iniurias sola faciei occultatione.* Ab ijs igitur malis, quæ visionis Dei priuatio causare solet; de bonis, quæ ijs quos clementer respicit, facere dignatur, arguere oportet.

Isaiæ 54. v. 8.

Oleast. ibid.

10. Da-

10. Dauid regiæ suæ secretarijs quondam præceperat, vt regnorum suorum Annalibus, veluti rem valde memorabilem insererent, Deum aliquando dignatum esse in terram respicere, idque eo volebat fine fieri, vt tanti fauoris conscij posteri, infinitam Dei bonitatem laudare, eidemque infinitas
Psal. 107. v. 10. gratias reddere non cessarent. *Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur, laudabit Dominum; quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram aspexit.* Verum dicat aliquis, quid boni vnicus tantum Dei obtutus operari super terram potest, quod Dauid illum tam insoliti beneficij loco habeat, dignumque æstimet, qui in perpetua & nunquam interitura seruetur memoria? Audite quid circa hanc rem S. Gregorius dicat, & mox qualis hic fauor & gratia sit
Greg. in Psal. Pænit. intelligetis. *De cælo in terram aspexit, vt cælum fieret, qui terra fuit.* Oculi namque Dei tantæ sunt virtutis, vt quando terram aspiciunt, illam tot bonis, tot diuitijs, thesauris, atque delitijs adimpleant, vt iam non terra, sed cælum esse videatur. *Vt cælum fieret, qui terra fuit.* Etenim vos omnes optime nostis, quod cum Deipara nihil esset aliud quam terra,
Psal. 48. v. 13. quo nomine illam Dauid nominabat. *Terra nostra dabit fructum suum,* attamen vix illam respexit Deus, secundum quod ipsamet dicit: *Respexit humilitatem ancillæ suæ,* quin cælum facta fuisse non dubitetur, imo cælo
Luc. 1. v. 48. longe admirabilior, cum enim cæli cælorũ Deum minime capiant & compræhendant, ipsa tamen eum in sacratissimo vtero suo concepit & complexa est.

11. Etenim hactenus dicta, adeo veritati consonant, vt impossibile censeatur, quod Deus aliquem respiciat, nec tamen gratijs suis abunde adimpleat. Eo tempore quo Hebræi procul à patria sua exulabant, atque sub Tyrannico Regis Babyloniæ iugo oppressi viuebant, Ieremias Propheta, qui sub ijsdem miserijs ingemiscebat, hunc in mo-
Thren. 3. v. 49. dum cum planctu amarissimo clamabat. *Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies, donec aspiceret & videret Dominus de cælis,* quasi diceret, Adeo grauia sunt mala quibus opprimor, vt necessum sit oculos meos amarissime flere, donec Deo me respicere placuerit. Etenim verba sancti Prophetæ diligenter attendite, & obseruate, quod non dicat se incessanter ploraturum, donec mala quibus premebatur essent completa, verum potius donec Deus eum clementer aspiceret: *Donec aspiceret & videret Dominus de cælis.* Quod si dixisset, oculi mei eousque lachrymari pergent, donec Deus duræ huic seruituti aliquod dignabitur adferre remedium, videri posset aptius & conuenientius ad propositum locutus fuisse: Nam ponamus casum, quod Deus illum respexisset, nec tamen illum postea, nec stultam gentem illam consolatus fuisset, eo quod longius illam affligi vellet, quomodo tunc Propheta à planctu cessare potuisset, afflictione & ærumnis non cessantibus? Rupertus Abbas vult Prophetam eo modo locutum esse, eo quod certus esset, planctum suum nequaquam vlterius continuandum fore, quam vsque ad benignum aliquem diuinorum oculorum in gentem illam fixum obtutum, vtpote qui sciebat impossibile esse, quod Deus respiciat & non custodiat, eo quod diuinum respicere nihil sit aliud, quam perpetua quædam omnium malorum fuga & exilium, & omnium bonorum, ad eum quẽ custodit locum, reuocatio. *Cuius aspectus & visus, antiquæ captiuitatis solutio, & præsentium captiuorum, qui in Babylonem ducti sunt, consolatio est.* Sic enim per quotidianam experientiam obseruatur, & sensibiliter videtur, quod quocũq; Deus diuinos suos dirigit obtutus ibi mox omnes affluant fauores, quibus vel maximè opus erat. Vnde in humanis ærumnis aliud nihil desiderandum aut procurandum est, quam vnius duntaxat diuinorum oculorum radius, quisquis enim illo dignus factus fuerit, gaudere secure & plaudere potest, quia maiorem hac fœlicitatem nequit desiderare. Rup. Abb. lib. 1. in Ierem. c. 75.

12. S. Ambrosius Christum Dominum per viam in qua cæcus natus iacebat mendicans, transeuntem penitius attendens, vidensque quod dignatus esset miserabilem hominem aspicere, ipso S. Ioanne referente qui ait. *Præteriens IESVS vidit hominem cæcum à Natiuitate,* egregiam inde format consequentiam & dicit *Ergo si eum Dominus vidit & non præteriuit.* q. d. Quod si ergo Christus, vt Euangelista ait, cæcum vidit, tametsi in via aut itinere, haud quaquam vltra processit, sed ibi remansit, & opportunum mise- Ioan. 9. v. 1. S. Ambr. Epist. 45.

miserijs suis remedium dedit. Verum vnde obsecro sanctus hic Doctor motus est, ad hoc argumentum formandum? Ni fallar, inde ipsum motum esse mihi persuadeo, quia naturalem diuinorum oculorum pietatem atque clementiam sibi optime perspectam habuit, qui nusquam respicere solent, quin ijs quos obtutu suo dignantur, diuinarum gratiarum radios simul cõmunicent, quippe cũ impossibile sit, vt Deus aliquem aspiciat, nec tamen eidem benefaciat. Sicuti reapse in casu cœci nati accidit, tametsi enim Christus à peruersis Hebræis fugeret, vtpote eum lapidare & occidere volentibus, nihilominus tamen mox vt miserabilem hunc cœcum vidit, non obstante præsentissimo vitæ suæ imminenti periculo, moratus est, nec iter suum vlterius prosequi, aut longius ire potuit, nisi collata prius huic miserabili homini oculorum sanitate. *Si Dominus eum vidit, non præteriuit.*

13. Certus quidam Hebræus, filio suo, quem, vt S. Lucas scribit, à Dæmone oppressum & vexatum habebat, à Christo Iesu animarum nostrarum medico, malo huic remedium exposciturus, ad eum accessit, neque alijs illum verbis affari voluit, quam istis: *Magister, obsecro te respice in filium meum.* Luc. 9. v. 38. Titus Bostrensis Hebræi huius verba bene attendens, aduertensque illis non multum vrgeri propositum finem, pro quo obtinendo Christum accesserat, interrogat & dicit: Cur pater iste, qui postulaturus aliquod Diabolicæ filij sui oppressioni remedium venerat, solum dixit: *Respice in filium meum,* & non potius dixit ô Domine filium meum sanare dignare, aut à Dæmonio eum quæso libera, aut afflictum filij huius solare patrem, aut alia verba his similia quæ distinctius gratiæ illius erant explicatiua, pro qua obtinenda eo accesserat? Et respondet *Sapiens videtur mihi hic esse, non enim dixit Saluatori; Fac hoc vel illud, sed respice, hoc enim sufficit ad salutem.* (Titus Bostrensis apud S. Thom in Caten. ibid) quasi diceret: Nemo hominem istum veluti ignorantem iudicet, vtpote qui opinione mea valde se sapienter habuit, quod enim non dixerit, ô Domine sana filium meum, aut Dæmonem ab eo propulsato, aut alia quæuis similia, sed solummodo *Respice in filium meum,* id ideo fecit, quia optime nouerat, quod si Christus illum dignaretur respicere, necessario quoque optatam ipsi collaturus esset sanitatem; Neque enim diuini oculi vspiam solent respicere, quin desideratas gratias simul adferant, aut quin consolentur, quos obtutu suo dignantur; atque ideo vnicum tantum respicere Christi postulabat: *Hoc enim sufficit ad salutem.*

14. Iob magnum illud patientiæ speculum historiæ suæ cap. 7. de animarum in Inferni carcere degentium summa infælicitate & miseria loquens, inter alia hisce quoque verbis vtitur. *Non reuertetur oculus meus vt videat bona, nec aspiciet me visus hominis.* Iob. 7. v. 8. q. d. Quod si anima mea post suum ex hac vita recessum, quod Deus clementer auertat, in obscuros inferni Carceres fuerit reclusa, iam nihil accidere certius poterit, quam quod nullum inde sperare exitum aut dimissionem, aut aliquod malorum meorum inuenire refrigerium possim, ibi namque me nunquam aspiciet visus hominis. Optarem hoc loco scire, de quonam homine ibi S. Iob loquatur, cuius visus tantæ sit virtutis, vt si forte in infernum vsque pertingeret, ad lætificandas & beandas animas ibidem misere reclusas, omnino sufficiens foret. S. Gregorius existimat, Prophetam ibidem de Christo Saluatore nostro sermonem habere, deque ipsius aspectu, qui ad infernum vsque ad liberandũ damnatos nunquã pertinget. *Exutam vero carne animam, nunquam eam visus hominis aspicit, quia post mortem non liberat. Quia nimirum Redemptoris gratia quem nunc intuetur vt corrigat, tunc non respicit, vt ab interitu abscondat.* (S. Greg. li 8. Moral c. 8.) Adeoque quod si oculi Christi, animam quandam in inferno solita sua pietate dignarentur respicere, talis haud dubie ab æternis foret pœnis liberanda. Hinc ergo arguere vobis licet, quantopere verum sit, quod quocunque Christus Dominus noster dignatur respicere, ibi quoque gratias & fauores suos soleat communicare; adeo enim id verum est, vt si possibile esset, quod obtutus oculorum suorum in Infernum dirigeret, infinitas pœnas illas haud dubie aboleret, animasque ibi detentas quantocius liberaret. An non enim Christum vix oculis suis eleuatis, turbas, quæ ipsum famis necessitate oppressæ deuote sequebantur, spectasse aduertis, quin con-

continere se minime potuerit, vt illis abundanter panem subministrando prouideret?

CONSIDERATIO II.

Accepit ergo JESVS panes.

Impossibile est bona nostra temporalia alia via multiplicari, nisi in Christi manus reponantur.

1. DIcit Adamantius, quinque illos panes & duos pisces, qui vt aiebat S. Andreas Apostolus, apud certum quendam ex turba iuuenem reperiebantur, crescere & multiplicari, priusquam Christo oblati essent, nequaquam potuisse: *Et donec hi quinque panes, cum duobus piscibus non afferebantur à discipulis IESV, non creuerunt, neque multiplicati sunt, neque potuerunt multos alere*; Siquidem vt S. Augustinus dicit, virtus miraculosæ multiplicationis, in diuinis manibus Saluatoris nostri præcipue erat: *Potestas enim erat in manibus Christi*. Id quod perspicue videtur, nam vti Euangelista dicit, postquam *Accepit Iesus panes*, adeo creuerunt, & multiplicati sunt, vt postquam iam fami quinque millium virorum, totidemque mulierum & infantium satisfactum fuisset, duodecim insuper cophini nihilominus superfuerint. Qua ex re pro eorum, qui bona sua multiplicari concupiscunt, vtilitate, ingens aliquod secretū eruitur, videlicet vt Eleemosynæ exercitijs vacent, qui diuitias ambiūt, discantque facultates suas in Christi manus reponere, vtpote è quibus illos infallibiliter auctos multiplicatosque recipient.

Origen. in c. 14. Mat.

S. August. Tr. 24 in Ioann.

2. Dum Hebræi horrendæ cuidam panis caristiæ, qua tribus annis & sex mensibus affligebantur, subiacerent, Deus sanctissimum Eliam Prophetam suum aduocans, eidem præcepit, vt se ad mulierem viduam Sareptanam reciperet, futurum enim vt hæc illi abundanter datura esset quod manducaret: *Surge & vade in Sarepta sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduæ vt pascat te.* Porro is qui diuinarum cogitationum consiliorumque profunditatem nunquam attendisset, vtique is videns, quod Deus vt cuidam è seruis suis alimoniam præstaret, paupercula quadam vidua opus haberet, & hac quidem adeo modica & egena, vt præter pugillum farinæ, vnde paniculū quendam subcineritium paratura sibi erat, non haberet, Deum impotentem & pauperem æstimare potuisset, vtpote cui alius modus panem, & vitæ sustentationem seruis suis dandi non suppeteret. Verum quis nesciat Diuinam omnipotentiam etiam sine pane hominum vitam conseruare posse, prouti reipsa absque talis viduæ, aut cuiusuis alterius hominis interuentu, eundem Eliam in terrestri Paradiso sustentat? Dicere igitur oportet, quod tametsi Deus Prophetam suum ad miserabilem hanc viduam mittere voluerit, vt panem ab ea postularet, ipse tamen in hoc facto longe aliud, quam sancti Eliæ Prophetæ sui sustentationem intenderit, illud nimirum quod Hieronymus Oleaster insinuat dicens: *Quia enim Dominus volebat viduam Sareptanam ditare, Eliam ad eum misit quasi ab ea panis Eleemosynam accepturus*, q. d. quia Deus viduam illam ex paupertatis miserijs eripere, eiusq; domum bonorum diuitiarumque abundantia adimplere decreuerat, ideo voluit, vt modicam hanc Eleemosynam pauperculo suo Prophetæ erogaret, vt hac ratione, modicū illud quod habebat, Deo donans, eousque donum suum augeret & multiplicaret, donec locupletissima fieret, vti postea quoque reuera accidit. Quicquid enim Eleemosynæ loco erogatur, haud secus ac si daretur ad vsuram, in ipsismet eleemosynarij manibus, per lucrum quoddam extraordinarium augetur & multiplicatur. *Volebat viduam Sareptanam ditare.*

3. Reg. 17. v. 19.

Oleaster in cap. 10. Gen.

Vnde S. Patriarcha Laurentius Iustinianus inquit: *Videsne quam ardenter Dominus tuus abs te cupiat recipere indumentum? Non quod suos nequeat aliunde nutrire egentes, sed vt inueniat in te, vnde tibi dona sua valeat præstare.* Quod si quotiescunque Deus hominē aliquem egenum ad domum tuam dirigit, vt multis cum lachrymis & importunitatibus modicam quandam à te postulet Eleemosynam, tu tibi persuades, id à Deo fieri eo, quod tui bonorumque tuorum opus habeat, vtpote cui nullum aliud, miserias il-

B. Laur. Iustin. ser. in Dom. Palmarū.

lius subleuandi suppetat remedium, male vtique iudicas, magnoque errore deciperis; in Deo enim vtpote in cuius manibus omnes mundi thesauri consistunt, similes necessitates locum non habent, imo potius tuis necessitatibus intendit, nam propter illam à te pauperi tali erogatam Eleemosynam, maiorem bonorum illorum, quæ de facto possides, tibi conferre intendit abundantiam. *Vnde tibi dona sua valeat præstare.*

3. In Epistola quam S. Paulus Apostolus Philippensibus transcripsit, hisce verbis sibi de illis congratulatur: *Gauisus sum tandem in Domino vehementer, quoniam refloruistis.* Super quæ verba Glossa dicit, Apostolum hisce verbis Philippensibus demonstrare voluisse, quod essent Eleemosynarij, vtpote qui tanta cum liberalitate ipsi in ordinariis necessitatibus suis succurrerint: *Refloruistis, id est, ministrando mihi necessaria.* Verum hic merito inquirendum venit, quænam sit causa, quod dum illos declarare vellet eleemosynarios, illos refloruisse dicat? Causa facilis est, id namque dixit, vt significaret eos propter factas eleemosynas diuites factos esse. Florere enim in scriptura Sacra metaphoricè appropriari solet hominibus diuitibus & opulentis. Quo sensu Nabuchodonosor loquebatur, quando Palatij sui celebrabat diuitias dicens: *Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in Palatio meo.* Etenim merito Apostolus id subinferebat, quisquis enim in eleemosynæ elargitione pie se impendit, quia id quod pauperibus donat, in miraculosas Christi manus recondit, adeo auctum & multiplicatum recipit, vt valde diues euadat, dignusque ad quem amici congratulationis & gaudij mutui causa conueniant, sicuti S. Paulus cum deuotis suis eleemosynarijs faciebat: *Gauisus sum in Domino vehementer, quoniam refloruistis.*

Philip. 4. v. 10.

Glossa ibid.

Dan. 4. v. 2.

4. Regius Prophrta Dauid Psalmo 101. obscurum quoddam verumque paradoxum proponere voluisse videtur, nam de certo quodam viro sancto loquens dicebat: *Gloria & diuitiæ in domo eius.* q. d. Tantæ sunt domus suæ diuitiæ & opes, vt cum summa quadam gloria ab omnibus passim suspiciatur, causamque illius mox subiungit dicens *Dispersit dedit pauperibus*, quasi dicere voluisset, causa propter quam in talis viri domo tantæ accumulatæ erant diuitiæ, hæc est quia illas prodigaliter in omnes effudit & sparsit, hoc enim significare intendit per vim & emphasin verbi *Dispersit.* Est profecto hic loquendi modus vere paradoxus: Quodsi enim illas sparsit & liberaliter diuitias suas prodegit, quomodo eisdem domum suam adimpleuit? aut si domum suam diuitijs adhuc plenam habet atque refertam, quomodo illas dispersit & erogando prodegit? Certe quodsi dixisset domum eius ideo multis bonis esse repletam, quia homo est rerum suarum tenax, remque suã familiarem industriè conseruans, bene & consequenter ad propositũ fuisset locutus, nam sicut bonorum conseruatio domum seruat ijs refertam, ita dissipatio illorum eandem euacuat. Clemens Alexandrinus hunc scripturæ locum attendens, hanc quoque difficultatem attingit, atque pro illius solutione obseruat, Prophetam ad significandam abundantiam domus huius hominis iusti, non dicere eundem diuitias suas in vanitatibus mundanis, & in sensualium desideriorum suorum satietate & satisfactione dissipasse, hoc enim modo vere perduntur, & diminuuntur, sed easdem pro Christi pauperumque suorum seruitio & obsequio impendisse *Dispersit, dedit pauperibus*, quæ vera & sola ars est superditescendi, non vero conseruatio & tenacitas diuitiarum: *Quia non qui habet vt seruet, sed qui impertit est diues: & impertitio & communicatio, non autem possessio beatum reddit.* Ille namque qui bona sua conseruat, exponendo illa tam periculo æruginis & tineæ, quam latronum insidijs, alijsque similibus infortunijs, ijs vt plurimum spoliatur, aut iacturam illorum facit & pauper euadit: Alter vero qui illa in pauperibus Deo largitur, præterquam quod securo illas loco reponat: *Vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt*, illas insuper de die in diem, cum extraordinario lucro auget & multiplicat. Idque eo præcipue accidit, quia illas in Christi manus reponit, quæ admirabilem habent virtutem augendi illud, quod ijs committitur: cum certum sit, quod dona quæ nos illi vna manu donamus, ipse instar magni cuiusdam Briarei centum manibus reddere soleat;

Psal. 101. v. 3.

Ibid. v. 8.

Clemens Alexandr. lib. 3 Pædag. c. 6.

Matth. 6. v. 20.

Matth. 19 v. 29. soleat; quo sensu Apostolis suis dicebat: *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis: & vitam æternam possidebitis.*

5. Deus olim per os Isaiæ Prophetæ Cyro Regi pollicebatur, daturum se illi thesauros vniuersæ terræ, & quotquot à mundi Principibus in secretis Gazis & ærarijs suis
Isaia 45. v. 3. tenerentur reclusi: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro: Dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum.* Sicuti postea quoq; reapse fecit, nã non tantũ illum constituit Dominũ & Patronũ cunctarum diuitiarũ Cræsi Regis Libiæ & Chaldæorum, qui Mundi Monarchæ erant, verumetiam omnium earum quæ possidebantur in Asia, vbi in vnius duntaxat templi spolijs tantum sibi acquisiuit auri & argenti, quantum in multis regnis inuenire minimè potuisset. Quo quæso obsequio homo aliquis gentilis, qualis Cyrus erat, qui non solum Deum non cognoscebat, verùm etiam Dæmonia adorabat, tantos sibi à Deo thesauros promeruit? Promeruit illos, inquit Oleaster, per eleemosynam quandam hebræo populo erogatam, qua eosdem à Persarum seruitute redemit:
Oleast. ibid. *Cyro omnium gentium thesauros concessit, pro redemptione populi sui Israel.* Verum dicat forte aliquis, quidnam magni Cyrus Deo pro hebræi populi liberatione dare potuit, quod mirabilem adeo sortitus est vsuram? Respondeo tametsi in comparatione illius quod recepit, modicum, imo nihil fuerit illud, quod dedit, nihilominus quia donum eius in eleemosynam datum est, quæ per Dei manus semper transit, idipsum in tam grandi summa multiplicatum & auctum recepit: siquidem *Mos est ei magna dare pro par-*
Chrys. Hom 42. in Gen. *uis*, inquit os aureum.

6. Semen Abrahæ in Sacra Scriptura adeo multiplicatum & auctum esse legitur, vt cum Cæli stellis & arena maris, quæ numerum non habent, comparari potuerit. Nam ex illius lumbis non tantum populus quidam innumerabilis est progenitus, verumetiam omnes hebreæ gentis viri magni atque illustres; Patriarchæ nimirum, Reges & Prophetæ; imo quod plus est ipsemet vnigenitus Dei filius Christus Dominus noster inde prognatus fuit, idque per gratiam particularem, quam referente Moyse à Deo habuit: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas* Gen. 32 v. 17. *cæli, & velut arenã quæ est in littore maris.* Ecquodnam magnum seruitium Abraham Deo præstitit, vt tot filiorum atque nepotum multiplicatione dignus fieret? Oleaster dicit, Abrahamum hanc promeruisse, eo quod primogenitum suum Isaac, quem Deus sibi in sacrificicium offerri poposcerat, eidem Deo tanta cum liberalitate & promptitudine consecrasset. In qua oblatione Deus sibi ita complacuit, vt illum ipsi non solum sanum & viuum reddiderit, verum insuper illum tot filiorum Patrem esse voluerit, quot sunt stellæ cæli & maris arenę. Ex qua remuneratione Oleaster egregium hoc elicit documentum: *Ecce quid sit* Oleast. ibid. *pro Deo aliquid exponere. exposuit vnitum, & eum non amisit, sed pro eo habuit filios sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in littore maris.* q. d. Obserua quanti referat Deo aliquid doni loco cedere, tandem enim non solum donum ipsi datum recipies, verum vna cum ipso tot etiam alia ad te dona reuertentur, vt omnem prorsus numerum sint excessura. Vnum duntaxat filium Abraham Deo donauit, Deus autem pro illo & cum illo infinitos alios restituit filios. Neque hoc vllam tibi admirationem pariat, quando enim nostra in Dei manus reponuntur, ad nos infinities multiplicata reuerti solent.

7. Hugo Cardinalis supra illum locum Ecclesiastici 33. *Ne dederis alijs possessionem* Ecclesiastici 33 v. 20. *tuam, ne forte pœniteat te*, egregium quoddam dubium mouet & dicit: Cur spiritus sanctus facultates nostras alijs dari prohibet, cum Christus Dominus noster ad hoc, vt quis Christianæ perfectionis statum assequatur, sequentia verba, vti legitur in S. Matthæo primi consilij loco dederit: *Si vis* Matth. 19. v. 21 *perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Et respondet: *Dare alijs possessionem* Hugo Car. in Eccles. 33. *suam prohibet, non tamen vendere, qui enim propter Christum omnia dat pauperibus; nihil dat sed carissime vendit*; quasi dicere voluisset, obseruare debes, spiritum sanctum non prohibere ne facultates nostras vendamus alijs, sed ne illas alijs donemus, id quod doctrinæ Christi nequaquam est contrarium; qui dum consulit, vt pauperibus demus quicquid nostræ est facultatis, non vult vt ea vere & purè donemus, sed vt ea vendamus.

mus: *vende quæ habes & da pauperibus.* Non enim quod pauperibus erogatur, dari censetur, sed caro satis pretio potius venditur. Idque certum est, totum enim Christo donatur, qui vnum recipit & centum restituit. *Nihil dat, sed carissime vendit.*

8. S. Basilius, de Eleemosyna loquens pulchram hanc exprimit sententiam: *Panis in esurientis manu seminatus, multiplex commodum imposterum reddit.* Vbi obseruandum quod non dicat: *In esurientium manibus, sed in esurientis manu.* Quis est esuriens siue famelicus iste, cuius manus ad multiplicandum panem nostrum adeo sunt potentes & virtuosæ? Is vtique Christus est, summum videlicet bonum nostrum, qui in se omnium pauperum famem suscepit, vti in vniuersali iudicio tandem audiemus, vbi Eleemosynarijs dicet: *Esuriui & dedistis mihi manducare.* Quod cum sit verum, sicuti est verissimum, mens sancti huius Pontificis est dicere, quod quamdiu panis noster pro Christi seruitio, non vero ob alium respectum pauperi datus fuerit, in manibus Christi seminatus erit, quæ ad instar terræ fertilis & fœcundæ illum ad stuporem vsque multiplicatum referet, tali enim fertilitate & fœcunditate manus Dei præditæ existunt.

S. Basilius in Lucam

Matth. 25. v. 35.

9. Præterea S. Ioannes Chrysostomus, Eleemosynæ virtutem volens extollere, illam artem quandam appellat, vnde maius lucrum, quam ex omnibus alijs elicitur: *Est ars omnium artium quæstuosissima.* Qualis igitur ars est Eleemosyna quod ex illa maius lucrum quam ex omnibus alijs acquiratur? Existimo, quod dicere velit, Eleemosynam Alchimiam quandam esse, nulla enim aliarum artium, quæ sunt in mundo, inueniri potest, quæ tantum lucrum pariat, quantum Alchimia parit, vilem namque & modicam exponit materiam, & tamen aurum inde extrahit, metallum nempe tanti valoris & pretij. Neque de hoc quispiam dubitet, omnes enim quotquot veras eleemosynæ regulas obseruant, dum panem erogant, pro modico hoc dono integrum sibi Regnum quoddam acquirunt, adeo opulentum & amplum, cuiusmodi est regnum cælorũ. Atque hoc lucrum ideo comparatur, quia quod pauperibus erogatur, in Christi manus reponitur, quæ eandem virtutem in veritate habent, quam Poëtæ Midæ manus habere finxerunt, quæ quicquid tangebant conuertebant in aurum.

Chrysost. Hom. 33. ad pop.

10. Vnde Paulus de Palatio attendens quod idem Dominus noster duos illos cæcos, de quibus S. Matth. cap. 20. Euangelij sui agit, sanaturus, aures eorum & nares tetigerit: *Tetigit oculos eorum & confestim viderunt*, ita inquit: *Tangit oculos Dominus & sanat, tangit Alchimicum aurum alia metalla & ea in aurum vertit.* Vnde colligitur manus Christi eiusdem prorsus Naturæ esse cuius lapis Philosophicus. Sicut enim lapis ille quæ tangit, mox in aurũ conuertit, ita quicquid à manibus Christi tangitur, in aurum conuertetur. Vnde Eleemosynarius pauperi vestem aliquam aut panem aut aliud quãtumuis exiguum donans, in virtute admirabilis huius Alchimiæ, omnia cum stupendo lucro in aurum conuersa recipiet, & diues euadet.

Matth. 20. v. 34.
Paulus de Palat. ib.

11 S. Cæsarius in illum Dauidis locum, vbi dicit solitam hominis pij magnique Eleemosynarij proprietatem esse, quod tunc præcipue lætus sit atque iucundus, quando pauperũ subleuat necessitates: *Iucundus homo qui miseretur & commodat*, scribens, auarum quendam introducit, qui prædicta verba insolita cum admiratione appræhendit, haud secus ac si paradoxa & peregrina, contraque omnem rationem pugnantia verba essent, vnde in persona talis auari quærit: *Quare lætus? quare iucundus?* quasi diceret, cur is qui sua largitur lætus viuere dicitur atque iucundus, cum talis, modò sano polleat iudicio, flere potius & tristis esse deberet? Quis enim non dicat eum qui propria sponte perdit, erogatque pecuniam suam, ærarium euacuat, filijsque suis panem vnde sustentandi essent, tollit, & tamen non solum non ideo plorat aut tristatur, quin potius ob id iucundus lætusque viuit, stultum inanisque cerebri hominem esse? Cui tandem Sanctus Doctor respondet: *Quia parum dat, & accipit multum; porrigit nummum, & comparat regnum.* quasi diceret. Tibi potius ô maledicte & infælix auare plangendum merito esset, qui nescis, quoniam eleemosyna virtutem in se contineat,

S. Cæsarius Hom. 30.

Psal. 111. v. 5.

neat, & vtilitatem adferat, quam cum eleemosynarius probe sciat, ideo in eleemosynæ actuali exercitio lætus & hilaris est. Scit enim, quod dum pauperi succurrit, non solum non perdat, aut amittat id quod donat, verum etiam idipsum admirabili cum lucro auctum reacquirat & comparet, loco enim minimi alicuius denarij egeno dati cælorum regnum accipit. Cogita igitur, an talis se ex eleemosyna erogata adeo locupletatum & auctum cernens, caussam non habeat, in continua viuendi lætitia & iucunditate, nam talis *Porrigit nummum & comparat regnum.*

12. Estq; lætitia isthæc atque iucunditas in eleemosynario adeo necessaria, vt Deus Apostolo teste, eleemosynariũ nõ amet, nisi is lætus sit & iucundus: *Hilarẽ datorem diligit Deus.* Nam vt S. Ioan. Chrysostomus inquit: *Vera eleemosyna est, sic dare, vt gaudeas te dare putesque te magis accipere quam dare* Non amat Deus eleemosynarium illum, qui eleemosynam faciens sibi persuadet se illud perdere quod donat, atque ob illam existimatam iacturam tristatur & dolet. Non enim Deus præcepit nobis vt pauperibus subueniamus, ad hoc vt eleemosynarij bona in pauperes erogata perderent, sed potius vt eadem lucro quodã immenso aucta & multiplicata sibi compararent. Atq; ideo vult, vt eleemosynarij erogatam eleemosynam cum vera cordis lætitia prosequãtur, vtpotè qui sibi firmiter persuadere debeant, se illam facientes potius recipere quam dare, lucrari quam perdere. *Putesque te magis accipere quam dare.*

2. Cor. 9. v. 7.

Chrysost. Hom. de eleem. & Collect.

13. Vnde Guilielmus Parisiensis eleemosynarium sic introducit loquentem: *Semino vestes, non tam planto vites, aut vineam, quam etiam ipsum vinum.* q. d. Ego artem quandam calleo valde specialem, cum enim alij homines vt vestes sibi conficiant, doliaque sua vino adimplere valeant, linũ seminent, vitesque ac vineas plantent, ego potius semino vestes & vinum planto. Modus hic loquendi prima facie paradoxus & nouus omnino videbitur. Quis enim vnquam in mundo vidit, agriculturam suum à seminatione vestium & vini plantatione habuisse principium? Reuera tamen illud paradoxũ non est; nam quando eleemosynarius pauperi vestem donat, aut vini Ciathum porrigit, necessum est dicere quod talis vestem illam vere seminet, & vinum illud plantet, sicuti enim is qui seminat ex vno grano quod seminat nonnunquam centum alia colligit, sic quoque eleemosynarius, id quod pauperi donat, centuplicatum sæpe recepit. *Semino vestes, planto vinum.*

Guilielm. Paris. de Mor. c. 5.

14. Vnde cum Abraham admirabilis huius per eleemosynam comparabilis lucri esset conscius, vnum ex tribus Angelis illis qui illum in forma peregrinorum hospitio carentes conuenerunt, hunc in modum, vti Moyses scribit, est allocutus: *Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas à seruo tuo, sed afferam pauxillum aquæ, ponamque buccellam panis & confortate cor vestrum.* Quisquis hunc loquendi modum, quo Abraham vtitur, recte considerat, iudicabit Abrahamum non obseruasse hisce in verbis veram loquendi proprietatem, sicuti debebat. Cum enim hi peregrini, potius gratiã ab Abraha recepturi essent, vtpotè ad cuius mensam petebant admitti, quam quod ipse aliquem ab ipsis fauorem esset consecuturus, eisdem potius dicere debuisset: Faciam vobis ô Domini mei hanc gratiam & fauorem, vosque in domum & ad mensam meam libenter admittam, non vero vti dixit: Facite mihi gratiam illam, & ad domum meam diuertite. *Si inveni gratiam &c.* Verum enimuero, quia magnus hic vir admirabile lucrum quod eleemosynarij ex suis eleemosynis reportare solent, optime cognoscebat, eo loquendi modo sapientissime vti voluit, qui eum potius gratiam ab ipsis accipere, quam illis gratiam facere ostenderet, verum enim eleemosynæ lucrum non se tenet ex parte pauperis, sed ex parte eius qui pauperi eleemosynam facit. Hunc conceptum Oleaster ex huius loci medulla desumit dicens: *Docet nos non gratiam facere pauperi, eum hospitio recipiendo, sed maiorem accipere, si se ille à nobis recipi permittat.* Vnde Chrysostomus dicere nõ dubitauit, Deum eleemosynam non tam ad vtilitatem pauperum, quam ad diuitum bona multiplicanda instituisse: *Deus eleemosynam non ob hoc solam instituit, vt pascantur indigi, sed etiam vt dantibus accrescant beneficia, atq; adeo magis propter dantes, quã accipientes.*

Gen. 18. v. 3.

Oleaster ibid.

Chrysost. Hom. de eleem. & Collect.

15. Refert Moyses Putipharem, postquam Iosephi sanctissimi illius adolescentis virtutes cognouisset, cuncta quæ suo suberant dominio, manibus illius consignasse, id quod cum ingenti domus suæ incremento fecit, paulo enim post, omnia domi suæ magnopere augeri & proficere vidit: *Benedixit Dominus domui Ægyptij propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus quam in agris cunctam eius substantiam.* Gen. 39. v. 4. Qua obsecro virtute illius serui Dei manus præditæ erant, vt cunctam Domini sui substantiam adeo copiose multiplicare & adaugere possent? Oleaster dicit, manus illius à Dei manibus illam hausisse virtutem, vt omnia quæcunq; tractarent ad stuporem vsque adaugerent, eandemque virtutem cuiuscunque alterius serui Dei manibus adhærescere: *Sunt manus iusti, manus Dei; quæ Deus manibus tangit, augentur; ita & quæ iusti tractant.* Oleaster ibid. Vnde etiam admirabile eleemosynæ augmentum concluditur, quæ non in solis Dei manibus multiplicatur, cui principaliter donatur, verum etiam in pauperum seruorum suorum manibus, vtræque enim virtutem habent multiplicandi illud quod intus reponitur. *Sunt manus iusti manus Dei.*

CONSIDERATIO III.

Fugit in montem.

Valdè miser est ille, qui in mundi fauoribus confidit; siquidem hic nunquam hominem exaltat, quin eundem subito præcipitet.

Nunquid bene dixi Christum Dominum adeo nostrum esse, vt ne aliquam quidem corporis partem habeat, quæ nostra non sit, aut in nostram non adhibeatur vtilitatem? Vidimus nunc in superioribus considerationibus, qualiter oculos suos ac manus nobis impenderit; nunc vlterius videamus quomodo in nostris quoque negotiis pedes suos adhibuerit. Porro aduertens Dominus, quod completo multiplicationis panum miraculo, turbisque tanta cum abundantia saturatis, ex quodam gratitudinis motiuo se in Regem suum eligere vellent, in montem per fugam ipse se recepit, vt sacer Euangelista refert: *IESVS ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Ioan. 6. v. 15. Ad insinuandum, inquit Dionysius Carthusianus, quod honores & dignitates mundi huius fugere debeamus: *vt doceat nos honores prælationesque fugere.* Dionys. Carth. hic. Quippe qui non veri honores existunt, sicuti deforis esse apparent, sed ingens illusionum, odiorum & persecutionum materia; qui etiam homines ex prosperitatis statu præcipitando, prorsus infælices reddunt; siquidem communis mundi mos est, neminem exaltare, quin eundem statim quoque persequatur & deiiciat.

1 Et quidem imprimis locus quidam Actuum Apostolorum ponderandus mihi occurrit, in quibus magni illi recensentur honores, sanctissimis Apostolis Paulo & Barnabæ à populis Lystriæ exhibiti, adeo excessiue magni & rari, vt eos veluti Deos quosdam, qui descendentes de cælo humanam induti similitudinem, in terra fuissent conuersati, adorare decreuerint, & illum quidem Mercurium, alium vero Iouem esse omnino crediderint: *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos, & vocabant Barnabam Iouem, Paulum vero Mercurium.* Act. 14. v. 10. Imo nisi serui Dei, illos sibi exhibitos honores detestantes temerarium ipsorum ausum frenassent, de facto altaria illis erexissent, incendissent incensa, & victimas, quas sacerdos capitibus earum coronatis præparatas habebat, illis immolassent. Verum dicat fortasse aliquis, Neutiquam dubitandum est, crassam quidem fuisse hanc ipsorum ignorantiam: dubitare tamen non licet, quin postquam huius erroris fuerunt admoniti, tametsi tunc sanctos Apostolos tanquam Deos non amplius adorarint, illos tamen veluti homines prorsus prodigiosos, & veros Dei amicos summo deinceps honore fuerint prosecuti. Certe si id credis, summo errore deciperis; sine vlla enim temporis mora, imo in eodem quasi momento, eosdem sanctos Apostolos veluti impios, & seditiosos homines persequi cæperunt, ita vt dimissis incensis & victimis, ingenti eos Saxorum pluuia tantum non sepelierint,

cum-

cumque se S. Paulum de facto lapidibus obrutum occidisse crederent, eundem velut morticinum quoddam foras extra ciuitatem, vt volucribus alijsque feris in escam cederet, abiecerint, *Lapidantesque Paulum, traxerunt eum extra ciuitatem, existimantes eum mortuum esse*, vt subdit S. Lucas. Cur obsecro plebs hæc tam subito suam mutauit sententiam? Huius alia non est causa, nisi quod hæc sit communis fauoris popularis proprietas, quod nimirum varius admodum sit & inconstans, cum hæc sit congenita mundo indoles, ad sepulchrum vsque eos persequi, quos paulo ante ad cælum vsque extulerat.

Ibid. v. 18.

2. S. Ioannes Chrysostomus opinatur, quod quando Sanctissimus Carmeli vates Elias Propheta Achab Regem intuebatur, hic illi non tanquam verus Rex, sed tanquã Rex quidam Scenicus visus fuerit: *Etenim tanquam in scena, & non in veritate Regem sibi cernere videbatur*. Quænam est ratio quod Achab rex verus & legitimus, sancto huic vati haud secus ac Rex quidam scenicus apparuerit? Ratio est quia Rex quidam mundanus fuit, qui proinde coronam haud alio modo sibi habere videbatur, quam si illam commodatam seu mutuatam haberet. Sicut enim Rex Scenicus pauculis quidem horis, quibus coronatum habet capitis verticem, purpura amictus, & sceptro regio præfulgidus coram populo quidem apparet; scenica tamen hac repræsentatione terminata, regia deponit ornamenta, & nihil est. Sic quoque idem eueniet ijs, quibus mundus applauserit, honores magnos detulerit; eodem namque tempore, quo in solio suo superbissime sublimati exhibentur, atque ab ijs, qui conditionem illorum non considerant, aut norunt, tanquam numina suspiciuntur, purpura sua subito exuti, à solio suo exturbati, & in terram prostrati conspiciuntur. Cum igitur fauores quos mundus suis exhibet, adeo sint inconstantes & varij, vt vix aliquem vnquam exaltet, quin eundem quoque subito deijciat, quid aliud facit, quam quod succedaneis vicibus, nunc hunc humiliando, nunc illum mox præcipitandum exaltando, scenas exhibeat texatque comœdias. *Tanquam in scena sibi Regem cernere videbatur.*

Chrysost. hom. 8 ad pop.

3. Naturalis Leonis proprietas est, quod tametsi nihil in terra inueniri possit, quod timeat, iuxta quod sapiens dicit: *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum*, extremè tamen rotarum formidet & expauescat strepitum. S. Antoninus autem Archiepiscopus Florentinus, hanc Leonis indolem homini sancto & virtuoso applicat, qui licet in rebus omnibus, haud secus ac Leo aliquis generosus, se exhibeat intrepidum, solum tamen strepitum timet rotarum. Non gehennalium tormentorum ignem, neque ipsissimum timet infernum, sed rotas timet: *Timet strepitum rotarum*. Quidnam terroris aut horroris in se rotæ continent, quod ab ijs timeantur, qui aliud nihil timent? Continuas suas, inquit S. Archiepispus, habent reuolutiones, quibus quod infimum sursum, quod supremum deorsum agitur; Eaudens nimirum fauorum mundanorum symbolum, vtpote qui dum vix hominem sublimarunt, mox eundem deorsum præcipitant; & hoc solum est, quod iustus expauescit & formidat: *Rota voluitur continuo, ex qua reuolutione id quod supra est descendit ad ima, & significat dignitates, bona res, & prosperitatem temporalem, quæ appellantur bona fortunæ, quæ sunt in magna mutatione frequẽter. Electi igitur, tametsi Leones sint fortitudine, timent tamen poni, vel se reperire in dignitatibus*. Sicut enim vir sanctus & virtuosus, nil æque desiderat, quam vt vere sit beatus, ita si Dei acquirere fauores, qui soli ipsum beatificare possunt, contendens, altera ex parte nihil æque timet quam fauores mundanos, qui ob congenitam suam inconstantiam, in sublime hominem vix extulêre, cum ecce repente eundem turpiter adeo præcipitant, vt è suo miseriæ statu nunquam resurgere valeant. *Timet poni vel reperiri in dignitatibus.*

Prou. 30. v. 30.

S. Antonin. p. 4. tit. 14. c. 4. §. 3.

S. Antonin. ibidem.

4. Nescio an vnquã hactenus de ingeniosissimo throno illo quippiam intellexeritis, quem Darius Rex, vt debita cum maiestate in eo consideret, sibi construi fecit? S. Bernardinus Senensis de hoc throno refert, illum septem distinctis fuisse gradibus innixum; quorum primus ex pretiosis Amethistis, secundus ex smaragdis: Ex topazijs tertius; quartus ex Malogranatis; quintus ex adamantibus; ex auro sextus, ex luto denique

niquè septimus constructus erat. Verba sancti Doctoris ipsissima hæc sunt: *Rex Darius fecerat sibi thronum de auro, & per septem gradus ascendebatur ad eum. Primus erat de Amethysto: secundus de smaragdo, tertius de topazio, quartus de granato, quintus de adamante, sextus de auro, septimus de luto.* Videtur fabrica solij istius valde peregrina, gradusque illius contra debitum ordinem collocati, lutum enim, quod in infima throni parte merito collocandum fuisset, in suprema repositum fuit, cum contrarium fieri debuisset; à luto enim communiter ad gemmas, non vero à gemmis ad lutum ascenditur; atque ideo primus gradus ex luto, sublimior autem ex gemmis construendus erat. Verum equidem est, hic graduum à Dario positus ordo peregrinus quidem videbitur ei, qui fauorum honorumque mundanorum nondum penetrauerit instabilitatem: Dario autem qui hanc honorum inconstantiam optime intelligebat, non sine magno iudicij sui indicio, iam dicto graduum ordine in thronum conscendere complacuit. Per hunc namque ordinem insinuare volebat, eum qui ad vltimum & supremum temporalium honorum gradum peruenit, in eodem haud aliter consistere debere, quam si humi consisteret, non vero considerandum illi esse coruscum conditionis suæ splendorem, qui ab hominibus suspicitur & fere adoratur. Tot enim tantique sunt huius exaltationis suæ insidiatores, vt quasi de momento in momentum periclitetur, ne præcipitetur & in lutum cadat & prosternatur. Sic Domitianus Imperator in supremo Romani Imperij fastigio iam collocatus, pedes suos in luteo gradu nihilominus reposuit, quando vno eodemque tempore visus est Romani Imperij moderari habenas, & ligone rustico horti sui calcinare lactucas, vnde S. Ioanni Chrysostomo dicere placuit: *Qui heri in tribunali sedebat sublimis: qui præcones habebat voce magnifica clamantes, & multos præcursores, & circa forum insequentes; hodie vilis & abiectus, & his omnibus spoliatus & nudus; instar pulueris excussi, & vnda profluentis fluebat.*

5. Cum Hebræi iis, quæ timidi & pusillanimes exploratores circa difficultates futuras in inuasione terræ sanctæ vel promissæ retulerant, plenam adhibuissent fidem, ideoque de terræ illius possessione acquirenda desperantes, retrorsum in Ægyptum regredi decreuissent, priusquam iter illud adorirentur, concilium quoddam congregarunt ad instituendam ducis cuiusdam electionem, qui in præfatum illos Regnum reduceret: *Dixerunt alter ad alterum; Constituamus nobis ducem & reuertamur in Ægyptum.* Circa quod factum Oleaster rationem inuestigat, ob quam nouum sibi eligere ducem, Moyse etiamnum viuente & superstite voluerint? Num forte insufficientem credebant Moysen, qui sicut illos ex Ægypto paulo ante eduxerat, in idem regnum eosdem denuo reduceret? Et respondet: *Consuetum malum est subditos quotidie velle nouum Prælatum habere* q. d. Licet Moyses sufficientissimus esset, qui populo Hebræo ad decreti sui executionem faciendam efficacissima subsidia præberet, nihilominus exauctorare illum atque à ducis conditione deturbare, aliumque loco eius eligere volebant; vetus enim hominum mundanorum malum est, nouos semper vendicare sibi velle Rectores, & iterum illis cum strepitu depositis euehere alios, vt iis postea idem faciant, quod fecerant primis. *Consuetum malum est subditos quotidie velle nouum Prælatum habere.*

6. Duo illi cœci, qui iacentes in via, qua Christus ex Iericho recedens veniebat, magno cum desiderio, luminis oculorum obtinendo postulabant remedium, eoque fine Christum, tum vt illum honorarent, tum vt ad pietatem tanto facilius permouerent, Dauidis Regis appellabant filium, scribit autem S. Matthæus, ipsos propter hoc grauiter à turbis Christum sequentibus fuisse repræhensos, quæ increpabant eos, vt tacerent: *Duo cœci sedentes secus viam, audierunt, quia IESVS transiret, & clamauerunt dicentes: Domine miserere nostri fili Dauid: turba autem increpabat eos vt tacerent.* Eundem hunc scripturæ locum alibi etiam, tametsi ad longe diuersum propositum, ponderauimus, & causam inquisiuimus cur miseri cæci isti adeo fuerint à turbis repræhensi & increpari vt tacerent, & rationem adduximus, secundum quod tunc occurrens postulabat consideratio. Nunc autem alia occurrit præsentis

Marginalia: Bernar. ... n. 5. ... rm. 25. — Num. 14. v. 4. — Oleast. ibid. — Chrysost. ... m. 7. ... lloss. — Matth. 20. v. 30.

tis

tis materiæ proposito apprime deseruiens, eamque tradit Origenes, qui vult ipsos à turba ideo fuisse reprehensos, quod nollent Christum, Regis nomine appellari, eo quod hoc esset nomen probrosum & contemptibile *Turba autem increpabat eos, clamantes: Fili David miserere nostri, vt tacerent, & non appellarent eum contemptibili nomine.* Enimuero causam scire percuperem, cur Origenes opinetur nomen Regis nomen esse contemptibile, cum quotidie videamus illud ab omnibus magnopere æstimari, desiderari, ambiri, imo vt illud acquiratur, homines corporis & animæ vitam periculo extremo exponere minime curent. Dico igitur opinioni huic Origenis facile consensurum omnem illum, qui sano præditus intellectu, syncere vereque apprehendit, quales sint mundi istius honores & fauores; Quod autem alij oppositum sentiant, id ideo accidit, quia honorum finem non respiciunt. Si enim considerarent, qualiter homini iam in solium regium euecto, & ab omnibus tanquam Regi salutato, non inimici tantum, sed etiam subditi, æquales, amici, imo ipsimet eius filij insidientur, atque ex vertice ipsius Coronam tollere procurent, vtique turbarum opinioni accederent, tantaque cum animi auersione Coronas contemnerent & abominarentur, vt si easdem humi iacentes fortuito inuenirent, ne quidem de terra leuare, capitique per iocum imponere dignarentur.

Origen. Tract. 13.

7. Christus Saluator noster ex discipulis suis aliquando sciscitatus est, quidnam homines in hoc mundo de diuina eius persona sentirent. Ipsis autem respondentibus, eum à nonnullis existimari Ioannem Baptistam, ab alijs Eliam, ab aliquibus vero Ieremiam, tandem propriam discipulorum opinionem scire poposcit. Cui S. Petrus ex nomine totius sacri Collegij respondit: *Tu es Christus filius Dei viui* q. d. Quantum nobis intelligere licet, tu nec es Ioannes Baptista, nec Elias, aut Ieremias, quemadmodum mundus quidem te esse existimat, sed potius à nobis crederis esse Christus filius Dei viui. Christus autem hac veritate percepta, vt Matthæus factum istud recensens scribit, mox ipsis seuere præcepit, ne ipsum Christum esse in vulgus spargere præsumerent. *Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, quod ipse esset Iesus Christus.* Cur obsecro publicari noluit se Christum esse? Quod si enim veritas ista disseminata fuisset, melius edoctus fuisset populus, sublatusque à vulgo communis hominum error, qui nescientes quis esset, in tot falsas, quoad diuinã eius personam, distrahebantur opiniones. Rupertus Abbas respondet, & rationem eius assignat dicens: *Quia futurum erat, vt postquam regium hoc nomen de ipso publice prædicaretur, sine vlla mora interficeretur.* q. d. Quod si forte publicatum fuisset ipsum esse Christum, idest, Regem, hoc enim apud hebræos significat hoc nomen *Christus*, incunctanter vtique occidissent ipsum. Quia igitur hora mortis suæ nondum maturuerat, nomen istud pro tunc diuulgari noluit. Adeo enim exosus est mundo, qui gubernat & imperat, vt nec nomen eius sustineri, aut patienter audiri possit, quin idipsum in mortem vsque persequantur. Forte periculum istud magnus ille Scipio Africanus timebat, quando, vti refert Titus Liuius, Hispanis nonnullis prohibuit, ne se Regis nomine salutarent, hanc illis rationem assignans: *Regium nomen Romæ intolerabile esse, regalem animum in se esse, si id in hominis ingenio amplissimum ducerent, tacite indicarent, vocis vsurpatione abstinerent.*

Math. 16. v. 16.

Rupert. Abb. de vict. ver. Dei. lib. 12. c. 8.

Titus Liuius Dec. 3. lib. 7.

8. Audite similem quendam locum ex cap. 40. Genes. vbi Patriarcha Iacob morti vicinus, filijs suis sigillatim benedixisse, eaque quæ post multum temporis eis euentura erant, prædixisse describitur; Cum autem benedicendo ad Iudam peruentum esset, his illum verbis est affatus: *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij Patris tui.* q. d. Fili mi Iuda, inimicorum tuorum tu conculcabis superbiam, à fratribus autem tuis laudaberis & adoraberis. Cuius loci vltima duntaxat verba proposito nostro sunt necessaria: *Adorabunt te filij Patris tui.* Per illa enim vult Oleaster, Sanctum Patriarcham Iudæ regiam in fratres suos dignitatem, vaticinatum fuisse, quasi verbis magis perspicuis eidem dicere voluisset. *Fratres tui regiam tibi Reuerentiam exhibebunt.* Hæc omnia valde bene hucusque dicuntur. Verũ enimuero, cur S. Patriarcha regnum Filio vaticinati

Gen. 40. v. 8.

Oleast. ibid.

cipati

cinari volens, obscuris illis verbis vti voluit, & non potius locutus est clare & aperte? Idem Doctor respondet: *Non dicit ei aperte, tu eris Rex, ne fratres ad inuidiam prouocaret.* Probe namque sanctissimus Senecio sciebat, quantopere nomen Regis exosum esset, ideoque illud aperte exprimere noluit, ne alij id audirent: Quod si enim illud audiuissent, mox inuidia alijsque passionibus humanis stimulati, tametsi fratres essent, illum tamen persequi, & infestare, imo & vita priuare non tardassent; sicuti Iosepho contigit postquam hic fratribus suis somniatus Rex esse innotuit. Hinc igitur obseruetis velim, in qua infælicitate homo à mundo sublimatus vitam suam transigat, quod non tantum ab extraneis gentibus, verum etiam à proprijs fratribus suis in summo semper odio, imo in præsenti inter eos continuoque vitæ discrimine versetur. Quale quantumque sit periculum, quod coronæ & fastigiata mundi diademata secum subinferunt, ensis ille, quem Dionysius Syracusanus super caput Damoclis, qui Dionysium imperantem reputabat beatum, suspendi fecit, indicat atque demonstrat.

9. Ecquid existimatis mouisse animarum nostrarum Saluatorem, vt eo præcipue tempore, quo crucifigi voluit, adeo pomposum & triumphalem in vrbem Ierosolymam instituere introitum, atque à plebe Ierosolymitana, Rex Iudæorum publice proclamari voluerit? Nihil profecto aliud, quam vt mundanorum Regum derideret gloriam, demonstraretque quod tunc cum hæc vel maximè splendescit, mox quoque extinguatur & obscuretur. Ita respondet Iansenius: *Vt irrideret huius mundi gloriam, ostenderetque, quod sit inanis & infida, cum tantos applausus, tamque honorificas acclamationes, ac tantum populi studium, secuta sit Crux.* Quis vnquam credere potuisset, Christum Dominum nostrum Ierosolymis tanto cum honore receptum, atque ab vniuerso populo Regem acclamatum, paucis post diebus ab eodem populo, illum tanta cum solemnitate honorante, tanquam latronum Coriphæum duos inter latrones alios crucifigendum esse? Et tamen reuera ita accidit.

Iansenius Concord. Euãg. c. 10.

Talis est mundi erga illos, quos honorat & exaltat, inconstantia.

10. Obseruate quæso modum illum loquendi, quo S. Ioannes Euangelista vtitur, ad explicandum turbarum conatum, quo Christum sibi Regem eligere moliebantur: *Iesus ergo cum cognouisset, quod venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem &c.* Dicit, quod rapere eum voluerint, vt in thronum regium eueherent & coronarent. Sed cur verbo adeo à proposito suo extraneo & peregrino vti voluit, quod hucusque quoad saltem hactenus obseruare potui, à nemine scriptorum, in regiarum electionum descriptione, unquam est vsurpatum. Ratio huius modi loquendi est, quia nimirum per hunc insinuatur plebei fauoris instabilitas; quem enim plebs ad honores similes exaltat, in illis diu consistere aut perseuerare nequaquam permittit. Sicut enim qui raptor est rei alicujus, rem illam rapina direptam, quoad potest citissimè obligatus est reddere, eandemque in locum vnde illam sustulit, referre. Ita quẽ plebs ad principatus honores exaltat, ob honorum instabilitatem rapuisse censetur inuitum. Vnde vt eundem honoribus & dignitatibus ad quos raptus fuit, exuat, atque in pristinam humilitatem & vilitatem vnde illum rapuit, deponat & restituat, obligatam se putat. Atque ideo facta electione, nullam animi quietem habet, donec ab honore suscepto illum denuo præcipitet & deijciat. Merito igitur Christus Dominus & Saluator noster à turbis omni conatu sese subducere, easque fugere voluit, mox vt aduertit, quod illum rapturi, tantæque vanitatis instabili titulo oneraturi essent *vt raperent eum, & facerent eum Regem.*

Ioan. 6. v. 15.

11. Denique cum à Pilato in Cruce iam suspensus, eodem splendido Regis titulo honoratus esset, sancto & fideli teste Ioanne Apostolo, idipsum hisce verbis referente: *Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super Crucem, erat autem scriptum IESVS Nazarenus Rex Iudæorum,* nec posset illum manibus suis à Crucis stipite diuellere & diripere, neque à Cruce diuulsum procul à se abijcere, aut à superposito capiti titulo fugere, prouti in præsenti Euangelio pedibus sibi per fugam

Ioan. 19. v. 19.

fugam consuluit, vtraque enim membra, nimirum tam manus quam pedes, Cruci clauis affixa erant, diuini capitis sui quod solum solutum habebat & liberum, inclinatione & demissione, se illum omnino abominari execrari, & fugere ostendit. *Inclinato capite*, inquit S P. Bernardinus *videbatur titulum Crucis fugere*. Vnde fauorum honorumque mundanorum vanitatem & instabilitatem, pedibus manibusque ac cæteris corporis sui membris perspicue ostendit, vt nos viso eius exemplo, eosdem omni virium nostrarum conatu adhibito simul omnes fugeremus, neque alios præterquam illos qui in sæcula sempiterna, nobis in æterna Paradisi gloria parati reseruantur, in hac vita sectaremur.

S Bernardin p 3.ar. 2.c 1.p. 614.

SERMO XXVII.

In Feriam II. Dominicæ IV. Quadragesimæ.

Zelus domus tuæ comedit me.

Ioannis Cap. 2.

Sanctissimus Propheta Ezechiel ex Chaldæa in Ierusalem, vt Idolum zeli, quod in sacro altari templi Dei erectum erat videret, in spiritu translatus fuit, prouti ipsemet cap 8. suæ Prophetiæ narrat, dicens: *Et adduxit me in Ierusalem in visione Dei iuxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilonem, vbi erat statutum Idolum zeli ad prouocandum æmulationem*. Idolum istud vti Doctor quidam modernus obseruat, non quædam zeli statua, aut imago erat, quia tametsi gentiles omnigenas hominibus & animantibus, imo vitijs quoque & peccatis sub certa quadam figura repræsentatis statuas erexerint, erectasq; adorarint; Zeli tamen statuam nunquam adorasse comperiuntur, sed quoddam Baal simulachrum, hoc enim Manasses Rex sacrilegus in sacro Dei templo erexerat, atque zeli idolum appellauerat, quia in templo Dei, quod Deus incredibili zelo prosequitur, erectum, æternam illam Maiestatem ad zelum & veluti furorem vehementer excitabat: *Ad prouocandum æmulationem*. Cuius zeli recordati sunt Apostoli, quando diuinum Magistrum suum Virga & flagello armatum, sacratissimum templum auaris mercatoribus, prophanis negotijs suis illud contaminantibus, inde eiectis, ab auaritiæ sordibus expurgantem conspexere. *Recordati sunt discipuli eius, quia scriptum est, zelus domus tuæ comedit me*. Tria præcipue templa inuenio, quæ Deus ardentissime zelat. Primum est æternum, secundum spirituale: corporale vero tertium. Æternum est diuina eius essentia, vti in Apocalypsi dicitur; *Dominus Deus omnipotens templum illius est* Spirituale est Christiani cuiuslibet anima vt, vult Apostolus: *Templum Dei estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis*. Corporale denique est Ecclesia in qua laudamus & adoramus Deum: *Et in templo eius omnes dicent gloriam*. Flammas autem & ardores diuini zeli, quo hæc templa prosequitur, considerare & contemplari præsentis loci erit, & primo quidem agemus de zelo templi æterni.

Ezech 8. cap.3.

Santes ibid

Apocal.21. v.22.

1.Cor.3.v. 16.

Psal.28.v. 9.

CON-

CONSIDERATIO I.

Zelus domus tuæ.

Magna Deus facere solet, ad hoc vt à mundo non adoretur aut colatur alius Deus præter ipsum.

1. CVm certum sit zelum ab amore nasci, nam vt S. Augustinus dicit: *Qui non zelat, non amat*; nec tamen à quocunque amore oriatur, verum ab amore vehementi & intenso, iuxta mentem Chrysostomi dicentis. *Aliunde non nascitur zelotypia, quam ex vehementi dilectione.* Sequitur euidenter Deum semetipsum infinitè amando, incredibili quoque & ineffabili honoris diuinitatis suæ, quæ primum templum est ex prædictis, ardere zelo. Qui porro ex varijs effectibus valdeque peregrinis demonstrationibus, quas hactenus semper exhibuit, & etiamnum, ne vllus præter ipsum adoretur aut honoretur, Deus exhibet, manifeste colligitur.

S. August.

S. Chrysost. hom. 2. Corin.

Moyses Prophetarum sanctissimus vt sacer textus refert, montem Nebo è quo desideratam promissionis terram videre poterat, ex diuino præcepto conscendens, ibidem extremum diem suum obijt; Deus autem anima Moysis in Abrahæ sinum elata, corpus eius ipsissimis manibus suis clam & occulte sepeliuit, adeo vt in hodiernum vsque diem nemo vnquam sepulchri sui locum experiri potuerit. *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum, & non cognouit homo sepulchrum eius, vsque ad præsentem diem.* Ratum quid profecto, atque inter cætera Dei opera maximè obstupescēdū est, Deū de cælo, vt hominē quendā proprijs suis manibus sepeliret, descēdisse: Neque enim in historijs simile quid aut visum aut auditū, aut lectū fuisse traditur. Angelos quidem pro similis officij executione de cælo misisse legitur; vti in sepultura Gloriosæ Virginis & Martyris S. Catharinæ factum esse constat: at vero quod pro tali corporalis misericordiæ opere ipsemet venerit, nusquam in historijs legitur. Vnde necessum est dicere, maximi ponderis esse rationem illam, ob quam æterna Dei Maiestas serui sui sepulturam curæ manus alienæ confidere noluerit; Author libri *de mirabilibus S. scripturæ*, existimatus Augustinus, dicit causam illius fuisse ardentem zelum, quo diuinæ suæ Maiestatis zelabat honorem, cauebatque ne populus hebræus sepulchri Mosaici locum intelligens, cadauer Prophetæ sui adoraret. *Ne sepulchrum eius populus Israel, si cognouisset vbi esset, adoraret.* Populus enim hebræus vna ex parte in Idololatriam adeo pronus erat, vt ad irrationabilium quoque bestiarum adorationem prolaberetur: ex altera vero parte Moysen veluti virum singularem & sanctum venerabatur, vtpote cuius manibus tot portenta atque prodigia excitata fuisse viderat, vnde si sepulchri sui locum inuestigare aliqua saltem ratione potuisset, debitum haud dubie vero Deo cultum, adorandæ eius Maiestati ademptum, cadaueri ducis sui impendisset. Deus igitur, vtpote cultus sibi debiti zelantissimus, ne quod verebatur, reuera accideret, de cælo descendit, & quasi alienis manibus diffidens corpus serui sui in secretissimo loco sepelire ipsemet voluit.

Deut. vlt. V. 5.

S. Aug. lib. 1. de mirab. sacræ scrip.

2. Quærit S. P. Ioannes Chrysostomus, cur Deus Dauidem Prophetam, quem in summum vsque regiæ dignitatis fastigium euexerat & honorârat, fauoribusque non solum temporalibus (in his enim nullum sibi in mundo æqualem habuit.) Verum etiam cælestibus prosecutus fuerat, vtpote quem in Patrem vnigeniti filij sui elegerat, in tria tamen summè horrenda peccata turpiter incidere permiserit? qualia sunt superbia in populi sui numeratione commissa, adulterium alienam cognoscendo mulierem patratum, & quod Vriam occidendo commisit homicidium? Et respondet permissionis huius causam fuisse zelum diuini honoris: *Quoniam Deus erat, & idem sine peccato solus, permisit iustos penes proprium arbitrium humanis erroribus incuruari, sic & hunc permisit in peccatum cadere, quo solus ipse in hominibus corpore sine peccato inueniatur.* Quasi diceret: Ideo Deus sanctos suos, verbi gratia Dauidem in peccata labi permisit, vt differentiam, quæ Deum inter & homines postquam Deus

Chrysost. tom. 6. de Pœnit.

Deus homo factus est, intercedit, aperte manifestaret. Deus enim incarnatus, solus inter omnes homines, nemine prorsus excepto, absque vllo peccati inquinamento esse & perseuerare debebat: Quodsi autem mundus Dauidem, aut alium quemcunque hominem iustum, nullo vidisset defectu obnoxium, sicuti Deum incarnatum omni peccati labe aut vestigio viderat carentem, nullam inter creatorem & creaturam inter Dominum & seruum, inter Deum & hominem notasset discrimen. Vnde vel omnino diminuendus erat honor diuinus, aut vero homo reputandus erat Deus, id quod Deus, diuinitatis suæ honores ardentissime zelans, nullo pacto voluit permittere; Atque hinc est, quod nullum peccatis Dauidis aliorumque seruorum suorum obicem siue impedimentum ponere curarit. *Quo solus ipse in hominibus corpore sine peccato inueniatur.*

3. S. Petrus Apostolus diuinum magistrum suum aquis maris nudis pedibus inambulantem, suæq; nauiculæ occurrentem videns, in occursum eius procedendi cupidus, gratiam sibi à Christo eodem modo aquis inambulandi poposcit. Mox autem vt hanc sibi gratiam obtinuit, iamque è naui super vndas exsilijt repentina quædam in mari tempestas oborta, mare omnino conturbatum euidenti adeo vitæ periculo Apostolum omnino anxium inuoluit, vt nisi Christus eundem ex tam ingenti procellarum periculo liberaturus, promptum adeo vitæ saluandæ extenso brachio tulisset subsidium, submersus procul omni dubio fuisset: *Descendens Petrus de nauicula*, inquit S. Matthæus, qui euentum hunc adeo periculosum describit, *ambulabat super Aquas, vt veniret ad IESVM, videns vero ventum validum, timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac. Et continuo Iesus extendens manum apprehendit eum* Hunc scripturæ locum ponderare nonnihil, & causam inquirere oportet, ob quam Christus ad hanc Apostolo suo concedendam gratiam promptus & ad illam mox subtrahendum facilis fuerit? Cur sicut concessit lætum & prosperum itineris super vndis marinis faciendi principium, ita quoque in fauore illo ad finem vsque continuando non perseuerauit? Causam istam S. Maximus assignat dicens: *Necessarium fuit, ne tanti sublimitate miraculi, in pernitiem forte sui, æquata Christo carnis fragilitas superbiret.* Necessariè & non fortuito accidit istud periculum. Quodsi enim Apostolus iter illud eadem cũ prosperitate compleuisset, qua cum inchoauerat, efferri potuisset, Deum se æstimando, aut reputando se æqualem Christo: Nam vt vult Theophylactus, iter illud nemini nisi soli Deo fœliciter cedere poterat: *Neque enim hominis est super aquas ambulare, sed Dei.* Quia igitur Christus, vtpote honoris diuini indicibiliter zelosus, alios præter Deum viuum & verum Deos credi aut æstimari noluit; hinc tametsi S. Petrus tanta cùm velocitate primitus supra mare ambulare cæperit, postea tamen de perdenda vita & submersione sui, vt hominem non vero Deum se esse crederet, periclitari permisit.

Matth. 14. v. 19.

S. Maximus hom. 2. in Nat. Apostolorum.

Theophyl. in cap. 14. Matth.

4. Obseruat S. Chrysostomus, quod tametsi Nabuchodonosori notum fuerit, non minus Danielem, quam tres illos hebræos pueros, regijs ordinationibus circa statuæ aureæ adorationem conditis, inobedientem fuisse atque rebellem, nihilominus solos tres illos pueros, veluti præcepti regii præuaricatores, fornacis ardentis ignibus tradiderit comburendos, ne minima quidem S. Danielis mentione facta. Vnde quærit: si Daniel vna cum tribus illis pueris sociis suis cognitus fuit præceptorum regiorum transgressor, cur non simul cum iisdem sociis suis ad fornacis ardentis flammas condemnatus fuit? Et respondet, causam illam non se ex parte Regis, sed potius ex parte zeli quo Deus honores tuetur & defendit diuinitatis, stetisse; huiusque asserti rationem assignat dicens: *Nam qui somnium Regis exposuerat, & ab ipso Rege diuinis honoribus affectus erat, & Balthasar Dei nomine appellatus, qui apud Persas celebratur, ne propter impositum illi Balthasaris nomen, repressa vis ignis censeretur, prouidit Deus, ne Daniel in medium reduceretur, vt syncerum esset miraculum pietatis*, q. d. Postquam Daniel Propheta occultum Nabuchodonosoris Regis somnium eidem declarauit, Chaldæi ob tanti stuporis miraculum, illum non iam amplius hominem, qualis reuera erat, sed Deum esse crediderunt, unde

S. Ioan. Chrysost. in Paneg. tractatu 13

Vnde Dei sui nomen eidem indiderunt, Balthasarem illum appellantes. Quodsi igitur posteaquam depræhensus erat regij præcepti transgressor, vna cum tribus pueris in eandem condemnatus fornacem fuisset, consecutum, inde haud dubie fuisset quod Chaldæi videntes ignem hosce fornaci inclusos sanctos pueros nequicquam lædere aut tangere posse, prodigium istud mendaci & existimato Deo suo attribuissent, dixissentque, id solius Danielis intuitu accidisse, vtpote qui Dei ipsorum nomine, quod est Balthasar, insignitus erat, atque ita Deus, verus huius miraculi opifex, sibi soli debita destitutus gloria, ipsiusque loco fabulosus, Chaldæorum Balthasar tanquam huius authour miraculi honoratus fuisset. Quod quia diuinus zelus sufferre nequaquam poterat, ideo Nabuchodonosorem Deus impediuit, ne Danielem ad easdem cum socijs pueris flammas condemnaret: *Ne propter impositum illi Balthasaris nomen repressa vis ignis censeretur.*

5. Magister sententiarum Petrus Lombardus quidem dicit, Angelos in nonnullis scripturæ locis Deos appellari, similis tamen locus hactenus mihi nunquam occurrit, tametsi scripturam sacram frequentius legerim atque relegerim. Hominibus quidem Deitatem frequentius attributam esse reperi, vtpote sancto Seth Genes. 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ.* Iudicibus etiam Exod. 20. *Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos.* Denique quibuslibet fidelibus Psal. 81. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes*, atque in multis alijs locis. Vnde merito inquirendum venit, qua de causa nomen Dei, quod adeo frequenter hominibus attribuitur, Angelis denegetur, cum tamen hi nobiliores creaturæ sint, quam homines, Deoque magis vicini? Et respondet: *Ea mihi causa potissimum occurrit, quare Angeli non dicuntur Dij, ne ab hominibus putarentur colendi, ne homines ad hoc inclinarentur, vt seruitium religionis qua liturgia vel latria dicitur, Angelis exhiberēt.* Adeo namq; ingens est Diuinitatis zelus, quo Deus ardet, quod tametsi Dei nomen hominibus communicauerit, semper tamen circumspectè cautum esse voluerit, ne eiusdem nominis Angeli redderentur participes, ne videlicet Diuinitatis augustissimus cultus, alijs quam Deo viuo & vero attribueretur. Quodsi enim in aliquo scripturæ loco Angelis Dei nomen indulsisset, facili negotio a rudioribus veri potuissent dij existimari, cum nulli non sit nota substantiæ Angelicæ puritas, nobilitas & excellentia, Deo præ cæteris omnibus maxime similis & vicina.

Gen. 6. v. 2.

Exodi 22. v. 8.

Psalmo 81. v. 6.

Magist. sentent. in cap. 8. 1. Cor.

6. Inter alias Dei ordinationes, ab hebræo populo infallibiliter obseruandas, vna fuit, qua omnis prorsus pictura & sculptura cuiuslibet rei siue in cælo siue in terra existentis districte prohibebatur, adeo vt nisi pictores apud hebræos alia quam pictoria arte ad victum comparandum vsi fuissent, ad moriendum fame vtique coacti fuissent: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est sub cælo desuper, & quæ est in terra deorsum, neque eorum quæ sunt in aquis.* Verum dic sodes, ô Deus meus, quamobrem picturæ exercitium populo tuo permittere noluisti, artis nimirum adeo nobilis & preciosæ, & quod plus est, hominibus ignorantibus atque simplicibus vtilissimæ, valdeque necessariæ, vtpote à quibus alij libri nō leguntur, præterquam ij qui colorum subsidio & adminiculo formantur? Rationē huius Deus ipsemet aperire, mihique respondere dignatur: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes; Habens scilicet zelum*, inquit Oleaster ibidem, *qui non patior consortium* quasi dicere vellet: Cur rationem à me quæris, cur pictores in populo meo esse nolim, qui nosti quod propter Diuinitatis meæ zelum, alios diuinorum honorum participes socios sustinere non valeam. Quodsi enim artem istam hebræis indulgerem, genti nimirum ad Idololatriam adeo pronæ atque propensæ, mox solem & lunam, equum & vitulum, & quotquot in mari natant pisces; quotquot stellæ in cælo videntur, cunctaque animalia quæ pascuntur super facie terræ adoraturi fuissent. Aboleantur itaque omnes picturæ, pictores cuncti extorres fiant, æternaque obliuione ars ista sepeliatur, diuinique honores mihi soli debiti, vni mihi exhibeantur: *Non patior consortium.*

Exodi 20. v. 4.

Oleast. ibid.

7. Cum S. Paulus Apostolus Timothei sui societate opus haberet, eum per quandam illi transmissam epistolam conuenit, in qua vt omni mora postposita ad se properaret,

ret præcepit, eo vel maxime, quod Trophimo infirmo Mileti relicto, præter S. Lucam Euangelistam, alium secum viæ socium non haberet: *Lucas est mecum solus: Trophimum autem reliqui infirmum Mileti; festina ante hyemem venire.* Theophylactus hunc scripturæ locum considerat, sciensque quanta Apostolus morbos pellendo, sanandoque infirmos alias fecisset prodigia atque miracula, quærit: Quodsi Apostolus socijs opus habebat, ideoque Timotheum suum aduocauit, cur Trophimum Mileti infirmum dereliquit, & non potius eundem sanauit, cum tanta aduersus cunctas infirmitates humanas præditus esset virtute, vt etiam sudario ipsius inaudita patrata sint miracula? Et respondet: *Quia non omnia potuerunt sancti, Deo hoc faciente vt ne homines Deos ipsos faciant,* quasi dicere voluisset: Dei zelus pro conseruatione honorum diuinitatis suæ, adeo est ardens & magnus, vt ne sancti & electi sui dij & non homines, vti vere erant, æstimarentur, miracula patrandi virtutem, ipsis alijs in occasionibus frequenter concessam, frequenter negarit. Quodsi Apostolus in omnibus occurrentijs proque libitu & arbitrio suo sanare potuisset infirmos, Dæmones pellere, aliaque miracula facere potuisset, certum est, quod veluti Deus aliquis adoratus honoratusque fuisset; prouti Lystriæ populi fecêre, qui ipsum ad vnius duntaxat miraculi conspectum, Deum quendam in forma humana de cælo descendentem crediderunt, & Mercurium appellarunt; zelus itaque diuinitatis quo Deus ardet, S. Paulum, ne Trophimo sanitatẽ tribueret, impediuit, ne ab ijs qui miraculo istius essent aut fierent conscij, vti Deus aliquis latriæ cultu honoraretur.

2. Timoth. 4. v. 20.

Theoph. ib.

8. Ælius Lampridius de Alexandro Seuero Romanorum Imperatore scribit, hunc secretum quoddam sibi in suo Palatio templum fabricasse, in quo inter alias Apollonij, Abrahæ, & Orphei imagines, Christi veri Dei & Saluatoris nostri imaginem inseruerat, coram qua omni diluculo, aliunde non impeditus, consueta & quotidiana immolabat sacrificia. Circa quam historiam S. Ioan. Chrysostomus hanc formar quæstionem, & dicit: Cum senatus Romanus olim hanc sibi stulte arrogarit authoritatem, vt eos quos in mundo ab omnibus adorari volebat pro suo arbitrio decerneret: imo cum ipsemet quoque Seuerus Imperator Christum latriæ cultu clam adorarit, diuinosque illi honores obtulerit, qui fit, quod idem ille Imperator ad hoc vt Christus Dominus publico à Senatoribus Romanis Senatusconsulto Deus declararetur, & non minus quam alij, tanquam verus Deus adoraretur, nullam prorsus adhibuerit industriam? Et dicit, Imperatorem quidem huic negotio toto animi conatu incubuisse, neque vlli pepercisse labori, at vero quia senatores Romani Christum sine vllo præuio Senatusconsulto passim ab omnibus coli & adorari viderunt, Christo indignantes, gloriam ei suam inuiderunt; & quicquid demum Imperator hanc in rem conniteretur, nihil prorsus ab iis obtinere præualuit. Et subiungit S. Doctor: *Hoc autem diuino consilio administrabatur, ipsis etiam inuitis: ne ex humano suffragio Christi diuinitas prædicaretur, neue vnus esse ex multis ipse existimaretur, qui ab illis creati essent.* q.d. Res isthæc non tam ex parte dedignantium senatorum ita euenit, quam quia se huic negotio ex parte Dei quidam diuini honoris sui ardentissimus zelus, qui inuisibiliter vna cũ ipsis operabatur, immisceret; hic enim efficiebat, quod senatores Romani ne vel in minimum punctum illorum quæ ipsis abs Seuero proponebantur, cõsensu suo descenderent. Non enim humano voto Christus indiget vt Deus habeatur & sit; neque inter fabulosos & ridiculos illos, quos Romani declarare consueuerant Deos, numerari aut reputari volebat, vtpote non nesciens diuinitatis suæ incontaminatissimum honorem inde haud parum contaminandum fore.

Ælius Lamprid. in Alex. Seuero.

S. Ioan. Chrysost. hom 6. 2. Cor.

9. Deus olim hebræos in crudelium atque inexorabilium inimicorum manus daturus, eosdemque pro enormium delictorum suorum ratione castigaturus, in manus Medorum illos tradere decreuit, qui vtpote homines in pecuniæ lucrum nequaquam proni, nullam prorsus hebræo populo pietatis speciem exhibituri erant, ideoque Isaiæ Prophetæ dicebat: *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint.*

Isa. 13. v. 17.

velint. Scirene causam vultis, ob quam Deus hebræorum malum atque ærumnam ingentem atque irremediabilem esse volens, eundem populum suum manibus tradiderit Medorum, gentis nimirum, penes quã nullus prorsus pecuniæ amor esset aut affectus? Hanc Oleaster in loci huius explicatione
Oleast. ibid perspicue adfert dicens: *Solent homines nummis mala sua redimere, sed aliquando Deo permittente, talem patientur hostem, qui non admittit vllam redemptionem, vt non fidamus nũmis, sed Deo.* q. d. Quia Deus perspectam sibi habebat hebræorum erga diuina socordiam & inertiam, vtpote qui ob nimiam quam in pecuniis diuitijsque suis collocatam habebant fiduciam, nullam habebant auxiliorũ fauorumque diuinorum rationem aut respectum, prouti quotidie in centenis aliis hominibus videtur, qui non sperant in aliũ Deum quam pecuniam suam, ideo zelotypiæ igne accensus, zeloque plenus, vt illos à sua faceret ignorantia resipiscere, ipsos talium inimicorum manibus tradere decreuit, qui pecunias ab eis adeo dilectas nihili æstimarent. Vt vel hac ratione ex vna quidem parte se tot ærumnis oppressos conspicientes, ex altera vero videntes, se ab ijsdem per aurum suum atque argentum minime subleuari aut redimi posse, errorem suum tandẽ aliquando agnoscerent, neque præter se alium Deum colerent, aut adorarent, neque in aliorum confiderent præsidijs quam suis; Cum ipse solus sit qui illos in quacunque tribulatione perfecte iuuare, & contra quemuis aduersarium ipsos affligere præsumentem, diuinis suis auxiliis securos reddere possit.

10. Inter cætera flagella memorabilia, quibus Ægyptus horrendum in modum afflicta fuit, dum Rex eius liberum hebræo populo dare comitatum seu transitum abnueret, horrenda quædam pestis recensetur, quæ omnia regionis illius animalia, puta equos, Asinos, boues, & pecora repente inuasit, & occidit; iuxta quod Pharao per os
Exod. 9. v. 3. Moysis monitus fuerat dicentis: *Ecce manus mea super agros tuos, & super equos, asinos, & camelos, & boues, & oues, pestis grauis valde.* Quid mali bestiæ Deo fecerant, inquit S. Augustinus, quod adeo miserè fuerint occisa, Quod Ægyptii Deũ quotidie grauiterque offendentes, afflicti & mortui fuerint, in hoc quidem bene factum fuerat, at vero bestiæ, quæ cum peccare nequeant, illum nunquam offenderunt, tanto supplicio eius subiectæ videntur? Et respondet, quod tametsi bestiæ nullam culpam commiserint, totum tamen quod illis accidit malũ, propter ardentem zelum, quo Deus iuste iratus diuinitatem suam zelat, euenit: bestiæ enim in misetrimo isthoc regno veri Dei loco colebantur & adorabantur; Vnde Deus flagello isto stultos hosce homines deridere, ijsdemque mortuos occisosque Deos suos ostendens, dicere voluisse videtur. Videte ô vos cœci & ignorantes Ægyptii, quales Deos adoretis, qui tot tantisque subdi cernuntur flagellis. Vnde S. Doctor dicit: *Vecordia in hoc arguitur, stultitiaque mortalium, qui tanquam irrationabilia pecora, cultum & vocabulum Dei imposuerunt figuris, non solum hominum, sed & pecorum. Vnde iusto iudicio factum est, vt in quibus cultum credebant inesse diuinum in ijs viderent miseranda supplicia.* S. Aug. serm. 87 de temp. Ardens hic Dei zelus Ægyptios eo fere modo habuit, quo illos Cambyses Rex olim tractauit, qui vt refert Herodotus, dũ in Ægypto eo præcise tempore, quo Dei Apis sui festa solemniter celebrabantur, præsens spectator adesset, Deum Apis, qui nihil aliud, quam bos quidam subniger fuit, ad se adduci iussit, & præsentem, stricto cultro transfixit hunc in modum spectantem populum affatus: *O capita nequam! huiusmodi dij existunt sanguine atque carne prediti, & ferrum sentientes?* Herod. lib. 3. *Dignus nimirum Ægyptijs hic Deus.*

Id quod Deus cum quolibet fidelium suorum quotidie facere conspicitur, dum ex illis non neminem aduertit, à quo propter nimium erga creaturas affectum, diuino honore suo veluti spoliatur & exuitur. Sic namque Patri filium ob nimium quo in illum ferebatur amorem, quoque illum variis modis non curabat offendere è viuis rapit: Alteri carnaliter dilectam eripit amicam, cui haud secus ac Deæ cuidam inseruiebat: Aulico denique suum è medio tollit principem, quem haud secus ac si à dium non habuisset Deum, plusquam Deum ipsum amabat, colebat, adorabat.

11. Vnde

11. Vnde S. Zeno Martyr, cum certo quodam Patrefamilias verba conferens, secretum quoddam pro sanitate vitaque filiorum conseruanda, suggessit consilium, dicens; *Deum plus debes amare quam filios, vt habere merearis integros, incolumes ac beatos.* q. d. vt filios tuos diu lætos, sanos, atque beatos conspicere valeas, opus est, vt Deum plus ipsis diligere studeas. Quod si enim magno tuo filiorumque tuorum infortunio contingeret, amorem tuum erga illos maiorem esse, quam quo Deum diligis, illos semper male sanos, miseros, afflictos, ac tandem mortuos videbis. Negotium enim tibi est cum Deo ardenter zelotypo, qui in eiusmodi creaturarum cultu vindicando valde est terribilis; neq; vlla ratione sufferre potest, si sibi vlla præferatur creatura. Id quod Hugo Ætherianus cuidam etiam fæminæ suadebat, ad hoc vt mariti sui vitam diu seruaret incolumem, dicens: *Noli diligere maritum plusquam Deum, & viduitatem aliquando non senties.*

S. Zeno serm. de Iustitia.

Hugo Etherianus de Ani regress ab inferis cap. 2

CONSIDERATIO II.

Zelus domus tuæ.

Adeo ingens est quo Deus erga animas nostras ardet zelus, vt nisi in continua cum illis societate existat, nullam videatur requiem capere posse.

SEcundum templum, quod Deus ob nimiam amoris vehementiam, ardentissimo zelo prosequitur, est anima nostra. Porro tametsi zeli huius mille habere argumenta possimus, videlicet quod cum exquisita diligentia cuncta opera nostra continuo notet, & obseruet, quæcunque facimus; verba quæ loquimur; vsque ad secretos oculorum nutus, mentisque abscondita cogitationes: quod omnia dona illa quæ ab alijs quam suis deriuantur manibus suspecta habeat: quod pro securiori nostri custodia sanctos nobis Angelos suos, veluti totidem Ephebos in promptu esse velit, vt in omni loco & tempore ab ijsdem protegamur: quod ad lectum cordis nullum præter se, quisquis ille etiam sit socium admittat, & infinita alia similia. Ex his tamen omnibus vnicum merito sufficiat, vtpote quod zelantis hominis proprijssimum est vestigium, nimirum quod adeo huic templo animæ nostræ, amantissimo corde suo coniunctus atque addictus sit, vt dum in illius non est consortio, vel communione actuali, nullam capere requiem possit, prouti in præsenti consideratione fusius videbimus.

1. Inprimis igitur responsum illud quod cælestis Paradisi Rex Christus Iesus iuueni illi hebræo, qui vt S. Euangelista Lucas scribit, sinistra se intentione ad sancta ipsius consectanda vestigia offerebat, reddidit, attendamus, nimirum: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Cum enim hoc loco, ex mente S. Ambrosij, per volucres cæli, Dæmones infernales; per caput Christi autê Deus intelligatur, vt inquit S. Paulus, perspicue apparet Christum hisce verbis iuueni illi significare voluisse, vt à se vtpote cælorum regno minime aptus abscederet, ex quo enim Dæmones nidum sibi in ipsius anima fabricarant, Deus in eadem commorari nequibat: Verba sancti Archiepiscopi hæc sunt: *Volucres cæli, quæ frequenter ad nequitiæ spiritalis similitudinem deriuantur, velutinidos quosdam struunt in pectoribus improborum: & ideo filius hominis, quia abundauit iniquitas, non habet vbi caput suum reclinet. Caput enim Christi Deus est, qui vbi mentem probauit innoxiam, super illam quodammodo vim suæ maiestatis inclinat.* Id vero quòd hoc loco maxime obseruari velim, est, quod Christus non dicat, se in anima hebræi huius, vtpote quæ Dæmonis potestati actualique possessioni suberat, habitare non posse, aut circa ipsum eminus & à longe morari, sed quod in ipso non valeat requiescere: Non habet vbi caput suum reclinet, quasi eo ipso, quò extra hominis animam exclusus est, nullum siue in cælo, siue in terra, aut quauis alia mundi parte quietis locum habere possit. Quo loquendi modo ardentem zelum suum, quo ex vehementia amoris erga animam exæstuat, significare voluit. Vnde

Luc. 9. v. 58.

1. Cor. 11. v. 3.

S. Ambros. in cap. 9. Luc.

de cum ipse Dæmonem in sua societate tolerare nequeat, quotiescunque in nobis per peccata locus Dæmoni datur, in continuis ipse molestijs atque fastidijs iuxta nos viuere cogitur. *Non habet vbi caput suum reclinet.*

2. Christus sub nocte quadam ad domum sponsæ suæ, quæ symbolum est animæ nostræ, concessit, atque ad fores illius pulsans, eandem rogauit, vt sibi ad eam ingredi, secumque commorari volenti, ostium panderet. Obseruate autem obsecro, quibus illam verbis sit affatus: *Aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* q. d. O sponsa mea summè à me dilecta, a lecto egredi, foresque domus tuæ mihi pandere ne tardes, iustum enim est vt id facias, nam caput meum à pluuia nocturna prorsus immaduit. Quidnam sponsus per rorem illum quo caput suum prorsus maduisse iam dixit, significare voluit? Rabbi Salomon dicit Sponsum labores & fatigationes suas, quibus tota se nocte confecerat, insinuare voluisse: *Gutta nocturna, pluuiaque nobis designant laborem & defatigationem.* Ideoque sponsus verbis illis clarius dicere voluit. Non solum tota nocte illa non dormiui, aut horam aliquam nocturnæ quietis habui, sed ne vel oculos meos clausi, vtpote qui aperto semper capite, animæ tuæ ostium, pluuiæ continuæ expositus obseruaui, vt summum, qui in diuino eius pectore erga animam nostram exardescit. Zelum insinuaret, qui tantus est, vt quamdiu extra animam exclusus manet, nec requiem illi, nec somnum indulgeat,

Cant. 5. v. 2.

Rab. Salom. ibi.

3. Refert Guilielmus Durandus: morem fuisse antiquis, in exteriori turrium vertice, quandam Galli similitudinem erigere, quæ virgæ cuidam ferreæ insistens, à quocunque venti flatu vertebatur. Porro scire optarem num Gallus ille olim ad turrium sacrarum ornamentum superimpositus fuerit, an vero ad particulare quoddam Sacramentum fidelibus insinuandum? Equidem quantum conijcere possum, videtur mihi vtroque fine gallus iste turri impositus fuisse. Et primo quidem quod Sacramentum attinet, erat Gallus iste expressum aliquod ipsiusmet Dei symbolum, vti exponitur à Petro Berchorio: & zelum Dei significat; Gallus enim animal quoddam est valde zelotypū, qui ob hanc quoque causam in simulachro zeli, à quodam authore moderno effomati dextera manu sustentabatur. Quod cum reuera ita sit, vti est verissimum, dicendum est vlterius, Gallum istum non ob alium finem in templis antiquis exteriori turrium vertici seu extremitati fuisse impositum, quam vt per illum eo collocatum innueretur, quod quotiescunque Deus animarum nostrarum zelotes extra templum animæ nostræ reperitur exclusus, semper in continuo versetur motu & labore, vtpote qui nullam inueuire potest requiem, donec in animam reingrediatur, ibidemque degat securus.

Guiliel. Durandus Ration. Diuin. lib. 1. c. 1. num. 22.

Berchorius Reduct. Mor. lib. 7. c. 20.

Iconolog. Del Bipa. ver Gelosia.

4. S. Ambrosius diuinam Maiestatem, pro eo præcipue tempore, quo operi creationis mundi deditus erat, attendens, vidensque ab eadem creatam esse prima die lucem, secunda firmamentum, tertia arbores, quarta stellas, quinta pisces & aues, in sexta omnes terræ bestias, absque eo quod vel vnam sibi omnibus illis diebus indulserit quietis horam, sed continuo operi huic vastissimo perficiendo insudauerit; quærit, cur diuinæ bonitati placuerit tot diebus suos continuare labores, absque vlla vel vnius horæ interposita quiete? Et dicit: *Cum fecisset piscium belluas, cum fecisset ferarum genera, non requieuit, requieuit autem postquam hominem ad imaginem suam fecit.* q. d. Ratio est, quia hominem, in cuius anima quietem suam habere optabat, non creauerat: illo autem per creationem actualiter deinceps producto, mox die sequenti, vt Moyses inquit, requiescere cæpit: *Requieuit die septimo ab omni opere quod patrarat.* Idque ad zelum Dei erga nos manifestandum, qui quoadusque nostræ non est particeps societatis, in continuo versatur labore & inquietudine, neque suam in vlla re alia quietem valet inuenire.

S. Ambrosius Hexā. lib. 6. cap. 8.

Genesis 2. v. 3.

5. Christus in horto montis Oliueti ab inimicis suis ad se capiendum & occidendum conductos satellites atque lictores expectans, vt S. Lucas refert, orationis ad Deū Patrem fundendæ causa, à tribus dilectissimis sibi discipulis ad eam distantiam, quantam iactus habet lapidis recessit.

Hanc

Hanc autem Christi à discipulis discessionẽ S. Euãgelista verbis refert multa obseruatione dignissimis. Dicit enim: *Ipse auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis.* q.d. Ipse se radicitus ab eis auulsit, violenter ab eis sese abstraxit, non siue summo doloris sensu ab eis sese disrupit, hæc enim omnia significantur, hisce verbis: *Auulsus est.* Ac proinde verba ista causam vlterius sciscitari me cogunt, cur Christus ad recedendum ab hisce discipulis suis, tantam sibi inferre debuerit violẽtiam & vim, neque enim tunc à discipulis suis adeo separandus erat, quasi in exteras & longinquas discessurus prouincias, trans mare situatas aut in cælum abiturus esset, sed ad decem tantum passuum distantiam recessurus? Cui dubio mox inuenio respondentem Iansenium, qui dicit: *Non enim amor patiebatur eum longe diuelli* quasi diceret: Non videatur vobis mirum, quod Christus à dilectissimis discipulis etiam ad modicam distantiam recessurus, tanta opus habuerit vi & violentia, amor enim qui in eius ardebat pectore, ipsum zelorypum effecerat, neque sine aliqua resistentia & renisu breuem hanc ipsi separationem permittere volebat. Verum vt ad propositum nostrum propius accedamus, ipsiusque in discipulos ardentem zelum perspicue magis videamus, obseruandum est, quod tametsi Christus, vt à discipulis suis ad tam modicam distantiam recederet, tantam sibi intulerit violentiam, attamen vti S. Matthæus, refert, hæc ipsum violentia impedire non potuit, quin sensim & paulatim modico temporis interuallo interiecto, ad eosdem discipulos iterum iterumque rediret. Argumentum nimirum zeli illius, qui in ipsius corde flagrabat euidentissimum, qui ipsum in continuo motu laboreque continebat, vt ne vel ad breue quoduis temporis spatium à dilectorum discipulorum suorum separaretur aut diuelleretur societate. *Non enim amor patiebatur eum longe diuelli.*

Luc. 12. v. 41.

Iansen. Concor. c. 137.

Matth. 26. 40. & seq.

6. Quam putatis ob causam, inquit Paulus de Palatio, Christum Dominum in Nazarethana ciuitate nutritum, semperque in ciuitatibus inter homines commoratum esse? cur non potius S. Ioannis præcursoris sui sectatus fuit vestigia, qui in deserto, procul ab vrbibus & hominum consortio, commorari voluit? Porro quæstio hæc nequaquam contemnenda, sed valde rationabilis, & digna esse videtur, quæ moueatur; cum enim Christus Angelos suos semper præsto & ad nutum paratos habuerit, quibuscum summa sua cum gloria, procul ab hominibus separatus, atque ab omni humano contagio remotus, in terris commorari & viuere poterat, cur semper medios inter homines viuere & conuersari elegit? Quid filio Dei cum tot sceleratis hominibus, quibuscum agebat, intercedebat negotii? qui quotiescunque in suo illum habebant consortio, nunquam vel minimam etiam illum calumniandi, & continuo persequendi occasionem negligebant? Tandem idem Doctor respondet: *Qui fieri poterat, vt qui propter hominum amorem ad homines venerat, hominum præsentia per annos triginta careret? Diuelli non potest amans ab eo quẽ amat, quomodo diuelli posset ab hominum consortio Christus? Ioannes vt non adeo homines amans, hominum absentiam patitur, imo hominum præsentiam fugit.* q.d. Quod Ioannes, dum vixit, solitarius Eremita in locis ab hominum conuersatione remotis permanserit, mirum non est, cum tanto in homines non raperetur affectu: Christo autem, qui ex mero hominum amore de cælo descenderat, impossibile erat ab iisdem vel vnico duntaxat passu diuelli, tametsi continuas ab iisdem pateretur calumnias & persecutiones. Proprium namque amantium est, non posse diuelli ab obiecto quod amant, ab illo namque remoti, nec viuere possunt, nec quiescere. *Diuelli non potest amans ab eo quem amat.*

Paulus de Palac in cap. 3. Matth.

7. Veteris legis Chronista Moyses refert, quod postquam Adam ad infelicis coniugis suæ instinctum, pomum manducando vetitum Dominicum præuaricatus fuisset præceptum, tandem à meridie Deum deambulantem persenserit: *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis ad auram post meridiem.* Hugo de S. Victore verbum illud, *Deambulantis,* serio ponderat, & quærit: Cur textus non dicat *Ambulantis,* sed *Deambulantis*? Quid igitur significat verbum illud *Deambulare,* vt Moysi opus fuerit verbo isto vti? nunquid iter illud Dei æque com-

Gen. 3. v. 8.

commode, & significanter per verbum *ambulare* expressisset? Et respondet *Ambulare* significat directe, siue recta via progredi, vti faciunt, qui locum aliquem deserunt nunquam eo reuersuri, ac proinde tali loco terga vertentes, in alium sese recipiunt: *Deambulare* autem significat, rem aliquam ambulando circuire, seu iuxta illam ambulare, nunc ex hac, nunc ex altera illius parte commorando, absque eo quod vel modicum ab illa quis elongetur. Hoc igitur præsupposito, Hugo dicit, Moysen Dei iter describentem, verbo *ambulare* vti noluisse, sed Deum introduxisse deambulantem; quia tametsi Deus post peccatum Adæ ab eiusdem anima recessisset, non tamen omnino terga illi verterat, aut totaliter deseruerat, sed ipsius, reditum & resipiscentiam firmiter sperans, iuxta illum nunc hac nunc illac ambulando præstolabatur: *Non ambulauit, sed deambulauit huc & illuc, quasi errabundus & vagus, in directum non vadens, sed pergens quocunque, hoc est deambulare. Deambulabat tamen & non discedebat, neque abiit in directum elongans, quasi irreuocabilis, nec reuersurus amplius: sed prope gyrans, & iuxta deambulans abiit, modo vadens, & modo rediens, & magno quodam incendio æstuans, quasi nolens sedem suam deserere, nec valens pollutam mansionem sustinere* q.d. Deus optimus Max: nostrique amantissimus, magnusq; zelotes ingratum Adamum Dæmoni iam locum penes se cessisse animaduertens, cum in eiusdem anima moram diutius trahere non posset, tametsi inde violenter ad egrediendum cogeretur, non tamen inde omnino recedebat, aut quasi nunquam eo amplius reuersurus illi terga vertebat, sed iuxta ipsam se sustinens nunc hac, nunc illac; nunc accedendo, mox recedendo nonnihil obambulabat, veluti qui ex vna parte nullo modo amatum deserere obiectum decreuerat, ex altera vero parte ibi commorari non poterat, quod locum illum ab aduersario, Sathana nimirum, videret occupatum, atque hac ratione in continua hærebat inquietudine. Quo loquendi artificio Moysis ingeniosissime demonstrare voluit, magnum illud zeli incendium, quod in pectore Dei, se ex anima Adæ exturbatum videntis, luculenter ardebat, quodque ipsi ne vel vnicum quietis indulgebat momentum. Etenim simili prorsus modo nobiscum se habet; quotiescunque enim propter scelera nostra à mente nostra quasi exulat, nunquam non mouetur, aut quiescit, donec ad nos denuo redeat, atque in suos nos amplexus recipiat.

Hugo de S. Victore Hom. 8 in Eccles.

8. Isaias Propheta quondam hebræis, Deum ob grauia ipsorum peccata se ab ijs diuisisse declarauerat; *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum.* Moxque subiungit, se æternam illam Dei Maiestatem zeli pallio coopertam vidisse. *Opertus est quasi pallio zeli.* Vt autem melius cognoscatur, quale fuerit pallium istud, quo Deus visus est fuisse coopertus, postquam à populo suo fuit separatus. Scire prius oportet, quale sit pallium, hoc, quod zeli palliū appellatur: Dicit igitur Doctor quidam modernus: Pallium zeli esse coloris Cyanei siue Cærulei & Iaspidi similis qui aquæ marinæ colorem refert, idque ad zelotypi statum clarius significandum, qui haud secus ac mare quoddā procellosum ac turbulentum, absque vlla vel vnius momenti quiete, in continuo motu versatur. Tale est pallium quo coopertus est Deus, postquam ob peccata nostra à nobis diuidi atque recedere cogitur: *Opertus est quasi pallio zeli.* Siquidem haud secus ac mare quoddam procellosum, à varijs cogitationum ventis contiguo agitatum, absque vlla vel vnius horæ sibi indulta requie, in continuo agitari labore videtur. *Opertus est quasi pallio zeli.*

Isa.59.v. 2. ibi. v. 17.

Cas. Rip. Iconolog. ver. Gelosia.

9. Per hominem illum, de quo Matthæ. cap. 25. sermo est, qui in procinctu vt in longinquas terras peregre abeat, consistens, thesauros suos negotiandi causa inter seruos suos distribuerat: *Homo peregre proficiscens vocauit seruos suos & tradidit illis bona sua* S. Chrysostomus existimat, Christum Dominum nostrum in eo loco de semetipso locutum fuisse, respicendo ad tempus illud, quo ad beatam cælorum patriam erat ascensurus. Adeo vt secundum hanc interpretationem, consequenter opus sit dicere, Christum ab eo tempore quo ingressus est cælum, ibidem, non veluti ciuem & inquilinum, sed vti hospitem & peregrinum aduenam commoratum fuisse & etiamnum commorari, id enim parabola ista insinuare vide-

Matth. 25. v. 14.

videtur. At vero dicat aliquis, qua ratione fieri potest, vt Paradisi Rex in Paradiso aduena sit & peregrinus, cum Paradisus vera ipsius & naturalis sit patria? Quodsi enim ipse ex gremio Patris æterni, qui in Paradiso moderatur & imperat, venit in mundum, certe mundus potius ipsi terra extera esse deberet & peregrina, & Paradisus patria, non vero econtra. Respondet S. Doctor *Ad regna cælestia, censurus, & ad Patrem suum iturus vnde descenderat, peregre se iturum dicit, propter charitatem sanctorum quos reliquit in terra.* quasi dicere vellet, tametsi cælum vera sit Christi patria, vnde in hunc mundum descendit, attamen discessurus ex hoc mundo ad cælum, se ibidem peregrinum & aduenam fore dixit, idque ad amorem quo erga sanctos suos afficitur, respiciens, quos hic in terris relinquere necessario debebat. Præuidebat enim, quod ex quo absque electorum suorum, quos viuos hic in terris reliquerat, societate, in cælis moraturus esset, haud aliter ibidem foret, ac homo quidam in peregrinatione quadam diuturna atque longinqua hærens, qui nunquam nec vsquam in animo suo quietem habet, aut satisfactionem.

S. Chrysost. hom. 53. ibid.

10. In parabola quam Christus de Pastore illo proposuit, qui vnicam gregis sui amissam ouiculam, reliquo grege suo in loco securo relicto, quæsiturus, itineri se accinxit, ac tandem post labores & sudores multos inuentam, ne deinceps amplius perderetur, humeris suis imposuit &c. In hac inquam parabola Christus itidem de semetipso loquebatur; Ipse namque est, qui humani generis ouiculam, propter Adæ peccatum deperditam cernens, Angelorum grege in cælis, velut loco securissimo, relicto, descendit vt illam quæreret; triginta tribus annis autem illam continuo studioseque quæsitam in Crucis ligno tandem inuenit. In quod ipse ascendens, inuentam ouem humeris imposuit, & ne eam deinceps eadem cum facilitate iterum amitteret, cruci, in qua ouem inuenit, clauis secum affigi voluit. Verũ merito hic aliquis quærat, quid opus fuit post ouiculam in cruce inuentam, cruci insuper affigi? Quæris quid hoc opus fuerit? inquit S. Bernardinus Senensis, vtique ideo hoc factum quia ouem illam secum semper deinceps habere volebat, ne scilicet clauis iam Cruci affixa, iterarò perderetur, aut ab ipso separaretur: *Configitur duris clauis, vt inseparabiles humeri eius sint ab inuenta oue.* Ex quo enim Dominus veluti zelosissimus amator noster, ob ouis vnice sibi dilectæ amissionem, illiusque à se recessum, tot expertus fuerat inquietudines, labores, sudores, tormenta, ipsissimam denique mortem hinc ne in tantarum afflictionum iterum corrueret pelagus, ad maiorem de inuenta iamque possessa oue securitatem, illam tribus durissimis clauis in Crucem secum configi voluit, vt in ea ipsam ad æternum ouile perducat, ibidem in societate sua æternaliter permansuram.

S. Bernardinus de Dign. ani. art. 3. cap. 1.

11. Sapientia incarnata de lecto proprio loquens, dicebat: *In lectulo meo quæsiui quem diligit anima mea*: postea vero de eo lecto, quem cum anima nostra communem habebat loquens, iterum inquit: *Lectulus noster floridus.* Gilbertus Abbas vtrumque locum accurate obseruans depræhendit, quod secundus lectus, in quo videlicet in consortio animæ dormit, floribus respersus sit, quos alter, in quo solus ab anima separatus decumbit, non habet: *Qui communis est floridus est, quando vero proprium lectum suum dicit, nulla ibi fit mentio florum.* Quænam est causa quod proprius Dei solius lectus flores non habeat, cum tamen qui Deo communis est cum anima, floridus esse describatur? Ratio est, quia per hoc insinuari voluit, quod Deus in nostra societate, gratoque consortio constitutus, adeo suauiter dormiat & quiescat, quasi in florido, fragranti, mollique lecto decumberet, cum tamen contrarium accidat, dum solus atque à nobis sequestratus dormire cogitur, quando non dormit, nec quiescit, imo nec oculos claudit, haud secus ac si in lecto saxis strato, spinisque cooperto decumberet.

Cant. 3. v. 1.

Cant. 1. v. 16.

Gilbertus Ab. ibid. serm. 2.

12. S. Augustinus acute Christum IESUM Saluatorem nostrum ex itinere fractum & defatigatum obseruat, præcipue vero, quod referente S. Ioanne iuxta puteum Iacob sedere voluerit: *Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Et dicit, quod hoc sedere Christi in hoc loco, non significet requiescere, non enim requiescebat: *Sedebat supra*

Ioan. 4. v. 6.

S. Aug. ser. 91. de Temp. *supra puteum, non requiescebat.* Verum dicat aliquis, eum fieri non possit, quin homo dum sedet, requiescat, quomodo S. hic Doctor dicit, quod Christus sedens non requiescat? Paulo post idem met respondet: Idem Doct. 86. *Quoniam in Samaritanis non poterat requiescere.* id est nondum Samaritani in suam illum receperant ciuitatem, prouti expectabat, atque ideo requiescere non poterat. Quamdiu amantissimus Dominus noster ex cordibus hominum exclusus est, tametsi sedeat, aut recumbat, aut iaceat, non tamen ob id requiescere dici potest, siquidem requies ipsius non in sedendo, aut iacendo consistit, sicuti quies nostra, sed in intrinseco nobiscum & cum animabus nostris conuictu, vnde quamdiu illo caret, tamdiu nullam sibi censet inuenisse quietem. *Sedebat supra fontem, non requiescebat.*

13. Regius Propheta Dauid Deum, vt vnigeniti filij sui incarnationem accelerare dignaretur, obtestans, sic alloquebatur: Ps. 131. v. 8. *Surge Domine in requiem tuam.* Quasi dicere voluisset. Qua ratione ô Domine fieri potest, quod in cælis manens, in lecto adeo tibi duro & aspero dormire possis aut requiescere? Expergiscere igitur, cælum desere, ad nos deorsum descende, tuamque in terris requiem accipe. Verum vbinam locorum Deus in terris melius quam in cælis requiescere poterat? Chrysippus inquit, eo loco Dauidem de stabulo & præsepio Bethlehemitico locutum fuisse, in quo Deus homo factus postea nasciturus, suaque requie perfruiturus erat: Chrysip. presbyt. de Laud. B. M. *Quam requiem super terram præscripsisti, & in Bethlehem constituisti, vtpote stabulum, præsepe, & fascias.* Immoderatum hoc in loco, qui in corde Diuino erga animas nostras exardescit, Zelum Dei obseruate, tametsi enim Deus in cælis habitans, inter ineffabiles cælestis gloriæ degeret delitias, nihilominus vt eius Propheta dicit, quia ibidem ab hominibus, quos amore deperibat, procul aberat, nequaquam ibidem, sed in terra potius, in stabulo nimirum Bethlehemitico, super aspero fæno, duroque præsepio requiem suam expectabat, idque vel ex hoc duntaxat motiuo, quod ibi nostra esset societate atque consortio perfruiturus.

14. Propheta Euangelicus incarnati verbi Conceptionem & Natiuitatem proponens, his vsus est verbis: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel; Butyrum & mel comedet.* Isa. 7. v. 14. Doctor quidam modernus verba ista considerans obseruat, Deum vix ab Isaia Emanuelem appellatum fuisse, quin protinus addiderit, illum Butyrum & lac manducaturum esse, cibos nimirum dulcissimos & suauissimos: Quasi inferre consequenter voluisset, quod nisi Deus nomen istud sortitus fuisset, nunquam tantæ fuisset dulcedinis particeps factus. Quid igitur hoc nomen Emanuel significat, quod tantas Deo accersiuit delitias, qualibus nunquam antea fruebatur? *Est interpretatum, Nobiscum Deus,* inquit S. Matthæus Euangelista. Matth. 1. v. 23. Isaias itaque dicere voluit; Deum inde quod de cælo nimirum in terram descendens, nostro in consortio ibidem conuersatus fuerit, suaues adeo dulcesque degustasse cupedias, vt similes sibi visum fuerit antea nunquam percepisse. Factus enim homo, tanto ex continuo cum hominibus conuictu perfusus est gaudio atque dulcedine, vt in continua lactis & mellis fruitione & pastu esse videretur. Audite Doctoris illius ipsissima verba: *Postquam enim dixit: vocabitur nomen eius Emanuel, id est nobiscum Deus: statim adiunxit. Butyrum & mel comedet, quasi dicat: Inter homines conuersari, dirigere, atque illos lucrari, mellis atq; butyri loco ponet, quibus nil est in delitijs suauius.* Salazar in c. 8. prouerb. Sicuti econtra quoties se hominum consortio vidit orbatum, quasi felle percepto inquietus, afflictus, & angustiatus semper extitit.

15. Obseruate obsecro, qua ratione verbi æterni incarnatio apud Ezechielem Prophetam describatur: *Hæc dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla cedri sublimis, & ponam, & de vertice ramorum eius tenerum distringam, & plantabo super montem excelsum & eminentem.* Ezech. 17. v. 22. Quo in loco per cedrum sublimem ex mente S. Bernardini Senensis intelligendus est Deus Pater: per verticem ramorum eius, Beata Virgo Maria è sanctis Patriarchis, qui per ramos intelliguntur, progenita: æterna denique sapientia per cedri medullam significatur: Vnde iuxta hanc expositionem, spiritus sanctus ex sublimi æternæ sapientiæ cedro medullam nec-

non de ramis admirandæ sanctissimæque Virginis verticem accipiens, effecit, vt Deus homo fieret, qui postea triginta tribus annis cum hominibus conuersando, super altum cæli Empyrei sublimatus est verticem, vbi ad dexteram Patris sui etiamnum residet gloriosus. Videte quanta cum breuitate sublimissima fidei nostræ proponantur mysteria; Enimuero quod vel maxime hoc in loco obseruatum esse velim, est quod Christus in cælis existens, *tener* appellatus sit: *De vertice ramorum eius tenerum.* Cuius ratio ab eodem sancto Doctore hisce verbis in medium adducitur: *Tenerum autem dicitur à teneo, per contrarium, quod vix se teneat, vt significet Sacramentum Eucharistiæ, eo quod vix Christus se tenet in Cælo, sed tractus amore nostri descendit ad terram* q. d. Tener appellatur per antiphrasim verbi teneo, quia etiam nunc gloriosus existens, vix & quasi per vim sibi factam si in cælis continet. Ab eo enim die quo Christus Dominus noster à nobis quos impense adeo amat, per ascensionem in cælum sublatus est, videtur quod ex separatione ista deinceps nec tranquillus esse possit, nec quietus. *Vix se tenet in cælo.*

S. Bernardinus ser. 56 art. 2. cap. 4.

10 Id quod vel exinde perspicue videtur, quod hodie, vt à nobis videatur, nostroque continuo fruatur consortio, centies millies de cælo in terram sub admirabilis Eucharistiæ species descendat. Vnde ipsemet Dominus noster, per os Dauidis cum Patre suo loquens, Sacramentum istud singularis zeli opus appellat, dicens: *Zelus domus tuæ comedit me.* Id est, inquit S. Bernardinus: *immensus animarum zelus, & zelans amor me comestibilem fecit,* quasi dicere vellet: Cum ego post meam in cælos ascensionem adeo procul ab hominibus, quos tenero & infinito quodam amore diligo, me continere non possim, zelantissimus meus in homines amor effecit, vt ad hoc vt vno eodemque tempore, quo in cælis dego, in terra quoque præsens esse valeam, effectus sim ab hominibus comestibilis, vt hac ratione sicuti ex vna parte in cælis in societate angelorum dexteræ tuæ assideo, ita ex parte altera in sacro altari in consortio sim hominum. Per quod perspicue satis insinuat, quod ne in cælis quidem à nobis diuulsus absque ingenti inquietudine persistere valeat. O zelus admirabilis! *Zelus domus tuæ comedit me.*

Psal. 68. v. 10. S. Bernardin. t. 2. ser. 54. art. 1. c. 1.

CONSIDERATIO III.

Zelus domus tuæ.

Culpa eorum qui sacrum templum prophanant tanto est grauior, quanto maior est ea quam illi debemus Reuerentia.

Ratio cur sacer locus, in quo Diuina Maiestas à nobis in terra colitur & adoratur, S. Ioanni Apostolo de cælis sub forma sponsæ fuerit exhibitus, prouti in Apocalypsi cap. 21. refertur: *Vidi sanctam Ciuitatem Ierusalem nouam, descendentem de cælo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo;* hæc est, vt per hoc ardentissimus zelus, quo Deus loci illius haud secus ac propriæ sponsæ suæ honorem prosequitur insinuetur. Qui zelus ab Apostolis in præsenti Euangelio obseruari potuit, quando ipsum solitæ suæ mansuetudinis oblitum, candenti facie, manuque armata se de ijs qui temporalibus ac prophanis negotijs suis sacrum locum dehonestabant, vindicantem conspexere; tunc enim *Recordati sunt discipuli eius, quia scriptum est, Zelus Domus tuæ comedit me.* Ne igitur in crudeles dirasque zelantis Dei manus cum Hebræis aliquando incidamus, necessum erit, vt singulari cum modestia & reuerentia in sacris locis versemur; supra modum enim grauis est eorum culpa, qui sacra loca temerare aut prophanare præsumunt, vti deinceps videbimus.

Apoc. 21. v. 2.

1. Et primo quidem videamus quanta locis sacris debeatur reuerentia. Cum Philistæi captam in bello Arcam Dei in templo suo collocassent, contigit quod Dagon Dei sui statuam capite & manibus detruncatis in terram coram Arca sequenti die contemptibiliter & probrose proiectam repererint: *Inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra, coram Arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ eius abscissæ erant super limen* Abulensis scripturam istam optime ponderat, magnaque

1. Reg. 5. v. 4.

cum diligentia causam inuestigat, ob quam truncæ inuentæ fuerint Idoli huius manus, & caput, & non aliæ corporis partes, & dicit: *Quare magis caput & manus Dagon abscissa fuerunt, quam alia membra, referendum est ad quandam similitudinem operum nostrorum, ac si diceremus, quod Dagon peccauit male adorando Deum Israel, ideo abscissæ sunt illi partes, quæ ad orationem pertinent, scilicet caput, quia illud non bene curuauit, & manus quia illas non bene eleuauit coram Domino.* Vnde in dignam huius suæ irreuerentiæ pœnam, manus illi cum capite sunt detruncatæ. Ad insinuandum, quam magni Deus templi deuotionem faciat, siquidem nos in ijs adeo velit esse religiosos & modestos, vt minimum etiam membrorum nostrorum motum, quem in ijs facimus, consideret, sollicitéque respiciat, num in ijsdem vel modicum ab eo, quod honestum atque decorum est, recedamus. Vnde Chrysostomus ad hanc veritatem respiciens dicebat: *Non cogitas ipsum hic inuisibiliter adesse Dominum, qui vniuscuiusque motum metitur.* Dic sodes, quænam est causa, O Christiane indeuote, quod in templo sis socors & irreligiosus, nec attendas aut consideres, quod Deus, qui ibidem inuisibiliter præsens assistit, tanta cum diligentia te obseruet, & respiciat, imo quemlibet corporis tui motum eousque metiatur, vt etiam curiose notet, quomodo inter orandum vel manus ad ipsum leues, aut caput inclines: *Vniuscuiusque motum metitur.*

Abulensis quæst. 13. ibid.

S. Ioan. Chrysost. hom. 1. de verb. Isai.

2. Deus quondam in templo Ierosolymitano, in magno quodam augustissimoq; throno sedens, Isaiæ Prophetæ apparuit, cui duo seraphim assistebant, singuli sex alis instructi qui duabus faciem, alijs autem duabus pedes tegebant, duabusque reliquis volabant. *Vidi Dominum super solium excelsum & eleuatum: & ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Idem S. Pater Chrysostomus Seraphinos hosce accuratius considerans, vidensque eosdem faciem suam alis duabus cooperientes, dicit: id quidem merito ab ijs factum fuisse, neque enim splendoris illius, quem diuina facies esse vibrabat, sustinere, aut ferre radios poterant: valde autem miratur, cur pedes quoque suos duabus alijs obuelauerint, cum nulla fuerit necessitas, quæ pedes tegere, vti faciem, suaderet: *Facies quidem merito velant, propter metuendum spectaculum, eo quod non possint inaccessam gloriam obtueri. Verum pedes quare simul velant?* Diuineque respondet: *Inexpugnabilem ergo conditorem reuerentiam exhibere student, multamque anxietatem tum ipso habitu, tum voce, tum aspectu, denique ipsa statione. Quoniam igitur id quod desiderant, quodque conueniebat, non assequuntur, declarant eo quod vndique velantur, nam ita defectum circumtegunt.* quasi diceret: Seraphini in templo corã ipsomet Deo assistentes, non sine profundo quodam sacramento pedes suos alis contegebant, summam namque & insolitam quandam Deo facere & exhibere meditabantur Reuerentiam, vtpote qui eo in loco, tali cum decore, membrorumque religiosa compositione assistere gestiebant, quam gloriosa illa ab ijs exposcere videbatur Dei maiestas. Aduertentes autem quod omni etiam quouis modo possibili studio adhibito, in debito Reuerentiæ decore semper vsque deficerent, statuerunt alas suas quaquauersum extendere, vt ijsdem à capite ad calcem vsque sese contegere valeant. Porro per deuotam hanc substantiæ suæ angelicæ religiosam compositionẽ, eam nos docuere reuerentiam, quæ à nobis eo præsertim tempore, quo in templis adsumus, & coram diuinæ Maiestatis oculis versamur præsentes, merito requiritur: cum Deus enim zelotes nos in sacris locis adeo vult esse religiosos, modestos, compositos & reuerentes, vt magni erroris loco ducat, si vel quamcunque leuem & modicam in nobis incompositionem deprehendat.

Isa. c. 6. v. 1. & 2.

S. Ioan. Chrysost. ibid.

3. Eundem Prophetam alibi, nempe cap. 2. suæ prophetiæ hunc in modum de templo Dei loquentem audite: *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes.* Ponderemus obsecro hunc locum aliquantulum; Et præcipue quidem, verba ista: *fluent ad eum;* hæc enim mihi de fœmina, non vero de mare (licet hunc verba adducta significent) intelligenda esse videntur: Hic enim de domo Dei, quæ fœminino genere significatur, sermo est; ideoque dicendum vide-

Isa. 2. v.

videbatur: *fluent ad eam*, quamobrem igitur dicitur *Fluent ad eum*? Oleaster huic difficultati intendens vult, omnino legendum esse: *Ad eum* prouti hic Isaias expresse scripsit, non vero: *Ad eam*. Et diuinam huius adfert rationem: *Non vt picturas, aut cælaturas ibi videas, aut ornatos aulæis parietes, sed ad Dominum colendum. Vnde non dicit textus, fluent ad eam: sed ad eum omnes gentes.* q.d. Ad templum, non ex humanæ curiositatis instinctu, eundum nobis est, vt scilicet videantur picturæ, aut sculpturæ, aut marmora, aut alij pretiosi parietum apparatus & ornamenta, sed animo puro, simplici atque syncero, & ad Deum duntaxat adorandum, atq; colendũ, directo; atq; ideo Isaias dicit, Gentiles non ad Dei domum, sed ad Deum ipsum in templis præsentem properaturos: *fluent ad eum*. Qua in re summus Dei zelus ostenditur, qui in eo pro tuendo domus suæ honore continuo flagrat, siquidem in eam ingredientibus, etiam leuis alicuius aut venialis curiositatis vanitatulam, verbi causa: oculos ad picturam, sculpturam, & ornatum quendam parietem conspiciendum directos prohibet: *Non vt sculpturas aut cælaturas ibi videas, aut ornatos aulæis parietes, sed ad Dominum colendum.*

Oleast. ib.

4. Refert S. Lucas cap. 5. Apostolorum principem vna cum nonnullis alijs discipulis, qui miraculosæ illi sollus verbi diuini Magistri sui virtute factæ piscationi in mari astiterant, alios quosdam in alia quadam haud procul remota nauicula constitutos socios ad rete trahendum, in auxilium aduocasse, idque non clamoribus, aut vociferationibus, sed manuum duntaxat nutibus: *Concluserunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum: & annuerunt socijs qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos.* Quis hic nõ moueatur ad quærendum causam, ob quam S. Petrus & alij qui cũ ipso erant, cũ sociorũ egerent auxilio & ope, illos non inconditis vt piscatores assolet clamoribus & vociferationibus, inclamarint; aut saltẽ opẽ eorũ non verbis, vt id communiter fieri consueuit, sed manuum tantum nutibus implorarint? Num forte hi muti erant, aut illi surdi, vt proinde vocibus nequicquam illuc inuantibus, ad nutus cõfugiendum illis necessario fuerit; ideoque annuerint socijs? Dionysius Carthusianus inquit, id ex neutra causarum prædictarum accidisse, siquidem & illi loqui, & hi quoque audire poterant, sed ideo eos solis manuum nutibus vsos fuisse, *quia præ Iesu reuerentia vix loqui audebant.* Nam sancti discipuli optime nouerant, qualem & quãtum respectum, cultum, & venerationem homines illi loco debeant, in quo Deus vere præsens est, in cuius præsentia, ea etiam quæ alibi licita, minimeque vetita essent, illicita æstimanda sunt atque prophana; ideoque Christum in naui conspicientes præsentem, non solum non vociferari, sed ne loqui quidem audebant. Vnde omnino mihi persuadeo, quod si in templo, vbi Deus certo quodam modo magis, quam in quouis alio loco præsens est, simul congregati fuissent, vtique longe maiorem ibi, quam in nauicula sua timorem exhibuissent & reuerentiam. *Præ Iesu Reuerentia vix loqui audebant.*

Luc. 5. v. 7.

Dionys. Carthus. ibid.

5. Refert Moyses Gen. 17. quod postquam Abraham Patriarcha post longum cum Deo colloquium, desideratam Generationis filij sui Isaac tandem obtinuisset gratiam, in terram mox corruens effuse admodum riserit: *Cecidit Abraham in faciem suam & risit.* Ponderemus locum istum nonnihil, videamusque causam ob quam Abraham priusquam rideret in terram pronus corruerit? Cur enim reuelata etiam facie coram Deo non rideret? maxime cum risus eius honestus fuerit, valdeque irreprehensibilis, vtpote ex præcordiali quadam lætitia, ob nouam valdeque miraculosam tunc sibi à Domino concessam gratiam concepta, obortus, eccur igitur facie in terram prona occultare & abscondere risum suum voluit? Enimuero inquit S. Ambrosius, quantumuis Sancti Patriarchæ risus rationabilis fuerit & honestus, quia tamen in conspectu Dei fiebat, cuius præsentiæ quãtalibet excogitari potest, Reuerentia debetur, hinc timens ne diuinam offenderet præsentiam, aperta ridere facie non præsumpsit: *Hic reuerentia significatur, quod timuit Deũ velut libero risu lædere, quamuis risus lætitiam declaret viri iusti.* Videte igitur quãta erga sacrum Dei templum esse debeat nostra reuerentia, talis nimirum, vt ab ijs etiam

Gen. 17. v. 17.

S. Ambros. de Abrahã lib. 2. cap. 11.

giam rebus nonnunquam abstinere debeamus, quæ alibi rationabiliter & honeste ab omnibus censerentur fieri. *Timuit Deum velut libero risu ladere.*

6. Infortunatissimo homini illi, qui in celebri illo conuiuio, quod Deus in vnigeniti filij sui nuptijs instruxerat, inuitatus quidem, nuptiali tamen veste carens, accubuit, à Deo dictum est: *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* q. d. Quis audacem adeo & præsumptuosum te fecit, vt nudus vesteque illa, qua alios ob nuptiarum præsentium honestatẽ vides amictos, spoliatus, domum hanc ingredi audeas? S. Chrysostomus in hunc scripturæ locum incidens, verba prædicta diuinè ponderat & dicit: *Neque enim ait, vt quid discubuisti? sed cur intrasti?* quasi diceret. Deus non tam ideo tibi indignatur quod te honorifica carentem veste, splendidissimo huic conuiuio, diuinissimi nimirum Eucharistiæ Sacramenti symbolo accumbentem videat, quam quod locum hunc, in quo admirabile mysterium istud apponetur, temere & absque vlla qualitatis loci consideratione ingredi præsumpseris. Tametsi enim incomparabiliter maior sit irreuerentia eorum, qui animo coinquinato, maleque disposito sacratissimam Christi mensam accedunt, quam eorum qui simili cum animæ indispositione templa frequentant; attamen zelus ille, quo Deus sacræ Domus suæ honorem & splendorem ardentissimè zelat, effecit, quod Deus non tam sacræ mensæ contemptum, quam templo suo irrogatam irreuerentiam respexerit, cordique duxerit. In hoc namque loco cunctos fideles suos eo modo vult spiritualiter esse ornatos, vt nihil in illis sit, tametsi leue & veniale, per quod diuinæ præsentiæ oculos lædere aut offendere possint.

Matth. 22. v. 12.

S. Ioan. Chrys. hõ. 4. Ephes.

7. Cum magnus ille diuini Exercitus Archistrategus Iosue in certo quodam religioso loco ciuitatem Iericho direpturus & depopulaturus, consisteret, S. Michael Archangelus eidem apparuit, faciem præseferens terribilem & iracundam, ipsique strictum manu sua gladium vibrans, mortem est comminatus, eo quod sacrum locum istum pedibus calcaret calceatis; & nisi iuxta Angeli præceptum calceos subito exuisset, è viuis vtique infallibiliter sublatus fuisset: *Cum autem esset Iosue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se, euaginatum tenentem gladium, & inquit. Solue calceamentum de pedibus tuis.* Quisnam obsecro magnus error ille erat, qui à Iosue in illo scripturæ loco, per hoc quod calceos indutus in loco illo consisteret, cõmittebatur, vt propter Iosue de hoc errore monendum, & mortem, nisi calceos exueret, comminandam, opus fuerit, vnum ex nobilissimis magnæ illius cælestis curiæ spiritibus, ita ferroque armatum de cælo mittere? Magister Historiæ scholasticæ dicit, errorem illum, quem Iosue calceatus illo in loco stando commiserat, magnum fuisse, non quidem eo præcise, quod illo loco calceatus incederet, sed ob summæ reuerentiæ illi loco debitæ defectum, hæc enim per pedes nudos & discalceatos significabatur. Cum eadem enim innocentia illo in loco esse debebat, qua primi parentes nostri paradisi solum discalceati calcantes, erant imbuti: *Porro per nuditatem pedum in eiusmodi locis sanctis potest notari innocentia, quæ talibus congruit, eam enim habuerunt parentes nudi.* Hoc igitur tanquam fundamento verissimo supposito, S. Archangelus Michael Iosue dicere voluisse videtur: Qua tu ratione ô Iosue in sacro loco isto sine vllo prorsus respectu & reuerentia consistis? Calceos tuos confestim soluito & abijcito; scito enim non minori tibi cum reuerentia hoc in loco commorandum esse, quam originali adhuc vigente innocentia in Paradiso olim persistiterint prothoparentes nostri Adam & Eua. Quasi clarius dicere & inferre voluisset. Eadem prorsus cum reuerentia hoc in loco degere debes, quæ requireretur si esses in paradiso, vbi præter sanctos & innocentes homines nulli commorantur: *Quasi qualibet Ecclesia sit paruulus Paradisus* inquit S. Bernardinus.

Ios. 5. v. 13. & 15.

Mag. Histor. scholast. ibid.

S. Bernar. tom. 1. s. 20 art. 1 c. 7.

8. Denuo obsecro ad Seraphinos illos ab Isaia, circa thronum sublime in templo sedẽtis Dei, vt supra diximus, cõspectos, penitius cõsiderandos reuertamur, & attẽdamus id, quod ad præsens propositũ quã maximè quadrat, nimirũ hos nõ sedentes, sed erectos & stantes à Propheta visos fuisse: *Seraphim stabant super illud.* Cur non sedebant? Oleaster

Isa 16. v.

Oleaster ib. ster inquit: *Dicitur eos stetisse, non sedisse iuxta Deum, vt scias, ad reuerentiam Domini pertinere, si coram eo in templo irreuerenter & sine causa sedeas.* At vero non immerito hic non nemo dicat: Quodsi postquam ex hac vita migrauerimus, in cælis sedere nobis liceat, eodem Propheta dicente: *sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Cur in templo sedere nobis non licebit? Num forte sanctum Dei templum sacratius est ciuitate cælesti? Non quidem templum sanctius est, quam cælum, quasi ideo tametsi in cælo sedere liceat, in templis tamen idipsum non liceat, sed erecto corpore stare ibidem conueniat; sed potius id dicitur, ad insinuandum ardentissimum Dei zelum, quo templum suum, vtpote domum suam propriam prosequitur, in illo namque videtur Deus certo quodam modo maiorem a nobis exposcere reuerentiam, & munditiem, quam in ipsomet cælo.

Isa. 32. v. 18.

9. Sed de his satis. Tempus nunc est, vt de grauitate culpæ, quam ij, qui aut sacra templa prophanant, aut eadem irreuerenter tractant, committunt, plenius dispiciamus. Quærit Philo hebræus causam, cur cælestes illi legati de quibus, cap. 18. & 19 Genes. legitur, qui tum vt Abrahamum gratia generationis filij Isaac cumularent, tum etiam vt Sodomam aliasque ciuitates finitimas, in eodem horrendo scelere patrato complices, cælesti igne depopularentur, de cælo descenderant, cur inquam hi in domo Abrahæ tres numerati fuerint, in ipsa vero Sodomorum vrbe visi tantum fuerint duo? Dicitque duos ex illis veros fuisse homines, alterum vero Angelorum creatorem fuisse & Dominum, qui in domo quidem Abrahæ, eo quod gratias suas ibidem esset communicaturus, haud inuitus erat: in Sodomam vero eo quod ibi stringendus acriter esset diuinæ Iustitiæ gladius, vna cum alijs duobus Angelis ire detrectauit, Et subiungit: *Æquum iudicans, vt bona per seipsum largiretur, contraria vero exequenda suis potentijs relinqueret; & sic solum suorum bonorum auctor præcipuus, mali vero nullus existimaretur. Id quod mihi videtur Reges ad imitationem diuinæ Naturæ facere, dum per seipsos gratias porrigunt, pœnas per alios sanciunt.* q. d. sicut Deus fauores suos proprijs communicare manibus, velut actionem æstimat, quæ diuinam Maiestatem suam maxime deceat; ita arma proprijs manibus tractare, hominesque supplicijs afficere valde se dedecere existimat, qua in re ipsi quoque mundi Reges eum imitantur, qui ad gratias conferendas proprias manus applicant, cum in suppliciorum executione adhibeant alienas. Idque Deus eo potissimum fine facit, vt hominibus, gratias à diuinis solum manibus illis obuenire, flagella autem & tribulationes non à Deo, sed à proprijs peccatis in ipsos redundare demonstret.

Gen. 18. & 19.

Philo hibr. lib. de Abraha.

10. Cum igitur ea quæ hactenus dicta sunt, in veritate ita se habeant, merito quærendum est, cur Christus, qui in præsenti Euangelio non remuneraturus, aut laudaturus, sed potius auaros sacerdotes tanquam sacrilegos sacri templi prophanatores percussurus & castigaturus in templum venerat, flagellum proprijs manibus arripere, eosdemque castigare & percutere voluerit, S. Ioanne dicente: *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo* non vero illud manibus alicuius Angeli, aut Apostoli commiserit, quem adducere secum in hunc finem specialiter potuisset? aut cur vindictam hanc pro more suo Dæmoni exequendam non demandarit? Ratio autem huius est, quia factum id est, ad declarandam culparum, quæ in Ecclesijs committuntur, enormem grauitatem, vtpote propter quæ Deus longe vehementius dolet & offenditur, quam de alijs quibuscunque; vnde nulla sibi de his sumpta vindicta satisfacit, nisi proprijs illam manibus districtissime exequatur: *Non legitur,* inquit sanctus Vincentius: *quod Christus vnquam proprijs manibus peccata correxerit, nisi hic: quia fecit flagellum de funiculis. Hic apparet quantum displiceat is, qui tangit Ecclesiam sponsam suam.* vnde ex insolito grauique furore, quem Deus in supplicio illorum, qui debito sacra loca respectu & reuerentia destituunt, exhibere videtur, de peccatorum in sacris locis commissorum grauitate facilis est coniectura.

Textus.

S. Vincent. Ferrer. ser. 3. Dom. Innoc.

11. S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha sacrum templum cælum quodde interrenum appellat, quia Deus in illo

haud

haud secus ac in cælo quodam morari videtur. *Ecclesia est terrenum cælum, in quo supercælestis Deus inhabitat & inambulat.* Quod si igitur ex mente sancti huius Patriarchæ, Ecclesia quæuis cælum quoddam est, vtique peccata in eadem commissa haud aliter æstimanda veniunt, quam si in cælo cōmissa fuissent; Et consequenter grauiora esse nequeunt, quam reapse existant. Possuntque quodam modo æquiparari peccato Luciferi qui in cælo peccauit; Imo peiora esse dicetis, si bene attenderitis ad id quod pro considerationis præsentis epilogo, mihi reliquum est dicere.

S. German. l. Rer. Ecclesi. Theor.

12. Domus hebræorum, quas exterminator Angelus, easdem quas Ægyptiorum domibus intulerat, strages facturus, ingredi non poterat, quantum ego quidem intelligo figuræ sunt earum Ecclesiarum, quæ à Christianis frequentantur. Sicut enim illæ, vti Deus Exodi cap. 12. præceperat, sanguine Agni tinctæ erant: ita quoque hæc eadem tinctura ornatæ conspiciuntur, imo tinctæ sunt sanguine tanto nobiliori pretiosiorique, quanto figuratum excedit figuram.

Ad quod Dauid vtique respiciebat, quando templum tabernaculum appellabat sanctificatum: *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* Quasi perspicue magis dixisset, Deus illud pretioso suo sanguine tinxit. Verbum enim istud *Sanctificare*, deriuatur à *sanctus*, quod ex mente S. Bernardini idem significat, *quod sanguine tinctus.* Hoc igitur præsupposito dico, peccata impiorum illorum Christianorum, quæ posthabita omni, quem diuinæ præsentiæ debent, reuerentia & respectu, in sacris locis committere conspiciuntur, adeo esse grauia & enormia, vt ne ipse quidem ea committere Dæmon audeat Cum enim Dæmon hebræorum domus, agni sanguine tinctas prophanare non præsumpserit, hi sacrosanctas Ecclesias sanguine filij Dei tinctas & ornatas prophanare non verentur, id quod ex nimio zeli ardore quo Christus flagrat, maximopere illum affligit, & veluti cor eius deuorare videtur. *Zelus domus tuæ comedit me.*

Psal. 45. v. 5.

S. Bernard. tr. 2. ser. 5c p. 3. art. 4 c. 5.

SERMO XXVIII.

In Feriam III, Dominicæ Quartæ Quadragesimæ,

Ascendit IESVS in templum & docebat.

S. Apostolus Epistola secunda ad Timotheum hunc vnice sibi dilectū discipulum monet, vt studiose semper propositas sibi ab hominibus nimium curiosis & vanis stultas inutilesque quæstiones deuitet: *Stultas autem ac sine disciplina quæstiones deuita.* Et merito eum ad id hortabatur Auris namque Christiana quæstiones illas, quæ ad ædificationem non pertinent, veluti suspectas, maximeque damnosas, summo studio fugere debet; illis vero econtra, quæ prosunt & ædificant toto animi conatu intendere. Tales sunt tres illæ quæstiones, quæ in præsenti Euangelio occurrunt, quas proinde ob vtilitatem, quam inde eliciemus, vtraque debemus aure excipere. Prima equidem quæstionum illarum hæc est. Vnde euenerit quod inuidi Hebræi, tametsi alias cælestem Christi Doctrinam semper fuerint abominati, eandem tamen postea tanto cum stupore laudarint & celebrarint? *Mirabantur Iudæi dicentes, quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Secunda vero est. Quam ob caussam hebræi Christum Dæmoniacum aut à Dæmone possessum proclamarint cum ipsimet ob grauissima peccata quibus obnoxij erant

2. Timoth. 2, v. 23.

erant, in Dæmonis essent potestate? *Respondit turba & dixit: Dæmonium habes.* Denique vltima: quare soli ex hebræis plebei & pauperes in Christũ crediderint, cum Ierosolymitani ciues ex diuitibus non minus quam pauperibus permixti fuerint? *De turba autem multi crediderunt in eum.* Quarum quæstionum responsiones in sequentibus considerationibus fusius declarabuntur.

CONSIDERATIO I.

Mirabantur Iudæi.

Tantus tamque admirabilis est valor, pretiumque virtutis, vt in ipso quoque inimicorum suorum ore sua lumina vibret.

RAtio ob quam hebræi vna quidem ex parte Christi Doctrinam adeo horrebant & abominabantur, ipsumque proinde legis destructorem, Dei aduersarium, populique seductorem appellabant: Ex altera vero parte eandem, vti S. Ioannes in præsenti Euangelio scribit, tanto cum stupore exceperint atque laudarint: *Mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Ratio inquam illius hæc est, quia valor & pretium virtutis adeo est ingens & admirabile, vt in ipsorum quoque ore, qui eandem exhorrescunt & abominantur, sua quoque lumina resplendeant, prout iad primam ex prædictis quæstionibus respondendo, latius exponemus.

1. Alias vtique occasionem intellexistis, per quam Dauid adolescentulus in Saulis Regis curiam fuit introductus. Dicit enim sacer textus, quod Sauli à Dæmone vexato & afflicto persuasum fuerit, pro huius mali sui subleuamine, nullum reperiri posse efficacius remedium, quam sonus Cytharæ, ex artis legibus perfecte factus. Vnde cum de simili quodam perito doctoque Cytharædo inueniendo deliberarent, certus quidam aulicus Dauidem proposuit, dicens; Neminem in toto regno reperiri posse illi parem, non in illa tantum arte, cuius tanta pro præsenti malo erat necessitas, verum etiam in quacunque alia virtute, exercitioque honesto. *Et respondens vnus de pueris ait: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem, scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & Dominus est cum eo.* *1. Reg 16. v.18.* Quærunt hoc loco sacri expositores, præcipue S. Hieronymus, ab Hugone Cardinali citatus, quisnam ille fuerit, qui Dauidem apud Principem suum tanta cum efficacia laudauit & recommendauit? Et communiter respondent fuisse Doech Idumæum, maximum Dauidis inimicum: *Hieronymus dicit, quod iste fuit Doech Idumæus, inimicus Dauid, qui iam conceperat odium aduersus eum.* *S. Hieron. apud Hug. Card. ibid.* Qua opinione præsupposita quæro. Quodsi Doech tam atrox fuit Dauidis inimicus, qui proinde vti homines mundani facere solent, propter odium quo Dauidem prosequebatur, illi detrahere, aut vituperare ipsum debebat, qua ratione permotus fuit vt tot bona de ipso elogia ederet? Respondeo Doech ita illum deprædicasse, quia aliter facere non poterat, virtutes enim Dauidis adeo erant admirabiles & magnæ, vt etiam iurati eius inimici, easdem non valentes subprimere, coacti fuerint illas debitis laudibus celebrare, iuxta id quod ipsemet dicebat: *Qui laudabant me aduersum me iurabant.* *Ps. 101. v.7* Id quod singulari virtutum valori & energiæ debetur, cuius laudes in ipso quoque inimicorum ore resonare debent & resplendere.

2. Quærit Glossa, quænam sit causa, quod Christus Saluator noster, cui explorata compertaque erant enormia, quæ peruersissimus Iudas patraturus erat, scelera, vt puta non solum detractionis, & latrocinij peccata, verum etiam horrenda & execrabilis, quam aduersus innocentem personam suam moliturus erat traditio, illum nihilominus eligere voluerit in duodenarium Apostolorum suorum numerum, vt videlicet vnus esset eorum, qui sui in omni loco & tempore semper testes erant futuri? Et dicit: *Habet enim Christus conscium suæ munditiæ testem, cum suum non dubitet eligere proditorem,* q.d. voluit ipsum eligere, vt aliquod innocentiæ suæ haberet testimonium, opus enim erat vt illa quoque ab ijs testificaretur, qui velut aduersarij sui illi contrariabantur. *Glossa in cap.10. Matth.* Verum dicat aliquis; quodsi Chri-

Christus Iudam ex hoc motiuo ad Apostolatum eligere voluit, grauiter certe errasse videtur, neque enim peiorem vitæ & innocentiæ suæ testem eligere potuisset, quam Iudã; Quid enim aliud Christus ab illo expectare poterat, quam quod tanquam iuratus Christi hostis in mortem eius coniuraret? qui proinde innocentiæ eius testimonium dare rogatus, non solum veritatem celaturus, verum etiam vti inimicis solemne est facere, falsi mille crimina excogitaturus fuisset. Frustra tamen hoc objicitur; neque enim in diuina sapientia error locum habet, aut ignorantia; Potius igitur cum Glossa dicendum est, impijssimi hominis illius ad Apostolatum electionem, eò duntaxat spectasse, vt Christus euidens aliquod innocentiæ suæ per illum acciperet testimonium. Quantumuis enim Iudas magnus fuerit Christi persecutor & traditor, tanta tamen est in sanctitate & virtutibus Christi vis & efficacia, vt ad eas Iudas ore proprio publicandas & testificandas coactus fuerit, sicuti ipsamet postea docuit experientia; vix enim Magistrum & Dominum suum inimicorum suorum manibus veluti malefactorem pessimum tradiderat, cum ecce subito commissi erroris pœnitentia ductus, dum iam in tanti sceleris pœnam in procinctu esset proprijs sese manibus in arbore ficus, laqueo quem collo gerebat, suffocandi & suspendendi, impios & sacrilegos adire sacerdotes, & coram illis tum culpam à se commissam, tum traditi Domini sui puritatem & innocentiam publicè confiteri non destitit; prouti S. Matthæus ipsum magno suo cum dedecore fecisse scribit, & di-
Matth. 27. v. 4. xisse: *Peccaui tradens sanguinem iustum.*

3. Doctissimus Tostatus modum loquendi Moysis eo in loco, vbi de exploratoribus illis qui relationi à Iosue & Caleb factæ, aduersantes, male de terra promissionis loquebantur, agit, argute obseruat, videns enim Moysem eo in loco vti verbo
Numer. 13. v. 33. *Detrahere*: quia dicit: *Detraxerunt terræ, quam inspexerant, apud filios Israel.* Quærit: Quid est quod magnus Dei Chronista Moyses, cum peruersorum illorum exploratorũ murmurationem descripturus, aliud verbum vsurpare potuerit, qualia non pauca in promptu aderant, illis tamen omnibus posthabitis, hoc solo verbo, *Detrahere*, vti voluerit? Et respondet: *Detrahere est minuere, cum aliquis partem famæ alterius tollit, vt si quis non posset totaliter alterius famam elidere, & conetur diminuere eam, dicitur detrahere. Sic fuerunt isti, quia sci icet dixerunt de ipsa aliquod bonum, vtpote quod flueret lacte & melle; & tamen voluerunt ei tollere quandam partem.* Detrahere enim talem sermonem significat, quo homo proximum suum prouti vellet complete & totaliter diffamare, aut virtutes eius obfuscare nõ valens, male quidem, sed diminute de eo loqui solet, ad eum modum quo hi exploratores fecerant. Atque ideo Moyses exploratorum illorum murmurationem explicaturus, omni alio verbo relicto, hoc verbo *Detrahere* expresse vti voluit. Tametsi enim vt cæptum hebræis iter dissuaderent, multifariam aduersus beatam illam regionem fuissent locuti, quia tamen regio ista iucunda & velut alter quidam Paradisus peramœna atque fertilis erat, illamque proinde totaliter vituperare minime possent, illam vel inuiti saltem quoad aliquid sui laudare debuerunt, & dicere, copiosissimos in ea reperiri riuos lacte & melle manantes. Id quod clarissimũ & euidens nobis parit argumentum ad summum virtutis ostendendum valorem & pretium, quod tantum est, vt in ipsismet etiam inimicorum suorum oculis splendores suos retineat. Tostatus ibi q. 40.

4. Vt quæstio illa à cubicularijs Darij Regis quondam proposita; nempe quidnam è cæteris fortissimum esset, determinaretur; in huius namque quæstionis resolutione singuli in singulas diuersas abiere opiniones & sententias, dum alius in fauorem vini, alter pro parte Regis, tandem in fauorem mulieris & veritatis pronuntiarent alij. Darius Rex omnes congregari fecit totius curiæ regiæ sapientes, qui post longas variasque disputationes atque consulta vna tandem voce in veritatis fauorem suam enuntiavere sententiam, illamque rerum omnium totius mundi statuerunt esse fortissimam: *Omnes clamauerunt, & dixerunt: Magna est veritas, & præualet.* Porro mox vt pro 3. Esdræ 3. v. 41.
quæstionis illius determinatione Regni Persarum aulicos simul congregatos esse cognoui, persuasum mihi omnino habui, fore,

fore, vt vel in Regis, vel in vini, aut certè in mulieris fauorem pronuntiaretur sententia; hæc enim tria sunt quæ in Regum curijs maximi fieri & æstimari consueuerunt, non vero veritas, vtpote quæ tanto omnibus odio est atque horrori, tantasque ab aulicis perpetitur persecutiones, vt sicuti alibi dicturi sumus, ne ipsum quidem veritatis nomen ab ijs sustineri aut tolerari possit. Vnde cupidus factus sum sciendi rationem, ob quam veritas adeo magnopere ab ipso quoque inimicorum suorum ore honoretur magnique fiat? Nec dubito, quin ratio isthæc ad cõfirmationem præsentis propositi, cuius expositioni in præsenti consideratione immoramur, profutura sit plurimum, nimirum tantum esse pretium, valorem, æstimationemque virtutis, vt sua quoque lumina & splendores in illorum qui ipsam oderunt, horrent, & persequuntur animi sensu perseuerent, longeque effulgeant.

5. Summus cælorum Rex, summumque bonum nostrum Christus Iesus, à Caipha Pontifice de ea, quam turbis prædicauerat, doctrina interrogatus, hunc in modum respondit: *Ego palam loquutus sum mundo, Ego semper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid locutus sum ipsis.* Quasi dicere voluisset, inquit Hugo Cardinalis: *Non credas mihi, sed interroga inimicos meos, qui insidiantur mihi, eos qui me ligauerunt; hi dicant* q. d. Circa quæstionem istam nihil respondeo, nolo enim solis verbis meis adhiberi fidẽ; vtpote qui me ad ea, quæ inimici mei de me dicturi sunt, prorsus remitto, ij inquam qui me persecuti sunt, tradiderunt, ligarũt; hos igitur interroga, quam enim à me exquiris veritatem, hi tibi liberè pronuntiabunt. Videri posset non nemini, quod dum Christus ad inimicorum suorum sese remittit testimonium, summo sese exposuerit periculo, ne hi ex odio sui contrarium prorsus illi, quod ipse prædicauerat, testificarentur. Quam enim possum de lingua hostili habere fiduciam? vtpote quæ vt offendat quem odit, licet nihil quod veritati sit cõsentaneum, adducere possit, omnia tamẽ quæcunque corde suo confingere sibi poterit mendacia in medium adducet. Vnde inconuenienter Christus doctrinæ suæ veritatem in tam ambiguo inimicorum suorum testimonio statuisse videtur. Enimuero vanus est hic metus; perspectissima enim Christi virtutis vis erat & energia, vtpote quæ ne in ipso quidem aduersariorum suorum ore splendoribus suis obscuritatem aliquam metuit. Ideoque doctrinæ suæ veritatem, persecutorum suorum testimonio confirmandam, remittere nequaquam dubitauit; porro sciebat quod hac super re quæsiti, non solum veritatem dicturi; verum etiam eandem summa sui cum confusione laudaturi essent, & prædicaturi, prouti in præsenti Euangelio manifestè faciunt.

Ioan. 18. v. 20.

Hugo Card. ibid.

6. Dum coram Herode Rege inaudita recenserentur prodigia, quæ Christus summum bonum nostrum passim per loca patrauerat, Herodes inquit: Hic est Baptista Ioannes, quem ego Herodiade coniuge mea sollicitante decollari feci, hic enim à mortuis resuscitatus mortalique vitæ restitutus, tanta operatur prodigia; *Audiuit Herodes nomen eius; & dicebat, quia Ioannes Baptista resurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo.* Dubium quidem non est, quin hæc ab Herode de Ioanne dicta elogia ad sanctissimi præcursoris honorem magnopere cesserint, vtpote qui ab Herode vice Christi filij Dei accipiebatur. Enimuero id quod hoc in loco potissimum à vobis considerari velim, est; Tyrannum ex quodam respectu & ratione mundi politica, ad occultandam videlicet summam, quam in decollatione sacratissimi Martyris commiserat, iniustitiam, Ioannem non solum non laudare, verum potius eundem vituperare, detestari, censenisque mortibus dignum pronuntiare debuisse, vtpote quem alias iniustè condemnasset. Qua igitur ratione factum est, quod illum non solum non vituperauerit, sed summis potius laudibus extulerit, & honorauerit? Nequaquam id vobis videatur mirum, inquit Simeon Metaphrastes, nam; *Efficit virtus, vt eam illi quoque vereantur, qui sunt ab ea omnino alieni.* Tametsi Herodes ob rationem politicam status, ad tegendam nimirum inuoluẽdamque summam suam iniustitiam, obligatus esset, vt linguam

Mar. 6. v. 14.

Metaphrastes apud Lippom. Aug.

linguam suam in sacratissimi huius martyris vituperia laxaret & opprobria, attamen cælestis prorsus huius viri virtus effecit, vt ingenti etiam cum dedecore suo illum laudarit, celebrarit, imo tametsi simplex merusque homo esset, Christo tamen Dei filio existimarit æqualem.

7. Porro ad idem propositum notandum est, quod Moyse Num. cap. 23. referente Balac Regi accidit: Hic namque Balaam magum famosum, vt populo hebræo malediceret, eundemque admirabili & occulta, quam verbis suis inesse credebat vi & energia, funditus exterminaret, in regnum suum magna cum instantia accersiuerat. Hic igitur magus in montem magnum & altum, vnde hebræorum castra clare & perspicuè conspicere poterat, adductus, cum ab omnibus populo huic iamiam maledicturus esse crederetur, eidem non solum benedixit verum raris etiam laudibus adeo eum extulit, vt Rex hisce illum verbis affari debuerit: *Quid est hoc quod agis? vt malediceres inimicis meis vocaui te, & tu econtrario benedicis eis?* (Num. 23. v. 11.) Magnam profecto Rex Balac, de Mago ill-hoc grauiter conquerendi, occasionem habuit, vtpote qui maledicturum se receperat, & tamen benedicendo contrarium faciebat. Veruntamen quodsi rationem inuestigemus, ob quam hebræis benedixerit, non vero male imprecatus fuerit, hanc apud modernum quendam Doctorem hisce verbis traditam inuenio: *Tanta vis est virtutis & veritatis, vt ab impijs & inimicis laudem eliciat & fauorem.* (Ioan Lorinus ibid.) Tametsi enim Balaam homo esset peruersus, impius, capitalisque hebræorum inimicus, quia tamen illos sciebat homines esse virtuosos, laudeque dignos, illos citra propositum suum laudare, ijsque benedicere coactus fuit.

8. Circa locum illum, in quo Isaias Propheta polluta & immunda se labia habere conquestus, Seraphinum quendam pretiosum labijs suis inserentem sibi carbunculũ vidit: *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, & tetigit os meum.* (Isa. 6. v. 6.) Operæ pretium esset inquirere, quidnam Carbunculus iste inter labia Prophetæ immissus significet. Et quidem quantum persuadere mihi possum, cælum in hac visione valorem efficaciamque virtutis demonstrare voluisse videtur, quæ ex ipso etiam inimicorum suorũ ore pulchritudinum venustatumque suarum splendores euibrare, non desinit. Polluta enim & immunda hæc Prophetæ labia, cuiuslibet maledici detractoris labia in quibus præter tenebras proximi famã obscurãtes & cõmaculãtes nihil inuenies, significãt: Carbũculus autẽ, vtpote qui inter omnes gemmas pulchrior est & pretiosior, manifestum virtutis est symbolum, qua nihil etiam præstantius aut pretiosius inueniri potest; pro qua proinde comparanda, ab ijs qui præstantiam eius norunt, omnia quæ possident, merito contemnuntur. Hic igitur Carbunculus inter Isaiæ Prophetæ labia, quæ detractoris alienam famam & honorem contaminantia labia, in hac visione significant, immittitur, vt hinc admiranda virtutis vis & efficacia insinuetur. Sicut enim Carbunculus gemma quædam est, quæ B. Alberto Magno teste, in tenebris posita, ad instar carbonis accensi, a quo suum quoque nomen mutuatur, haud secus ac si in mera die videretur, lucescit: *Lucet in tenebris sicut carbo:* (Albertus Magnus de Rebus metal. lib. 2. tr. 2. c. 3.) Ita virtus in ijs quoque locis, vbi alia quæuis pulchra & spectabilia, obfuscantur, perpetuum suum semper conseruat splendorem & luminositatem: *lucet in tenebris sicut Carbo.*

9. Christo animarum nostrarum Saluatore ad mensam Simonis Leprosi accumbente, Maria Magdalena eo ingressa, vas quoddam alabastrinum ingens, pretiosissimo refertum vnguento, super caput Domini deuotissimè effudit. Sanct. Marcus autem rem istam commemorans, vlterius subiungit; nonnullos è circumstantibus ex facto isto grauiter indignatos & scandalizatos, deuotam hanc pænitentem calumniari cœpisse, dicentes; rem adeo pretiosam, quæ ducentorum scutorum æstimari pretio possit, nequaquam inutiliter prodigendam, sed potius vendendam, & pauperum necessitatibus applicandam fuisse: *Erant enim quidam indigne ferentes intra semetipsos dicentes: vt quid perditio ista vnguenti facta est? poterat enim vnguentum istud venundari trecentis denarijs, & dari pauperibus, & fremebant in eam.* (Marci 14. v. 4.)

S. Ioannes Chrysostomus hunc scripturæ locum ponderans, ingentes ex horum calumnijs & detractionibus, Mariæ Magdalenæ lau-

næ laudes & encomia elicit, quibus mire extollitur & celebratur: *Nam cum dixissent vendi trecentis denarijs vnguentum istud potuisse, quantum ipsa edidisset aperuerunt, & sic magnanimitatem eius manifestaverunt.* q.d. Optime calumnia hæc cecidit; nisi calumniatores isti, vt deuotæ huic pœnitenti detraherent, eandemque calumniarentur, os suum aperuissent, ingens illa pecuniæ quātitas, quam pro vnguento isto sibi comparando erogarat, nunquam innotuisset, & consequenter heroica illius magnanimitas, & erga Dominum suum exhibita liberalitas occultata semper mansisset atque abscondita. Vnde detractio isthæc honorifica illi fuit & vtilis, ipsamque laudauit & extulit potius quam obscurauit. Id quod magnum valde suggerit argumentum, ad comprobandum maximum virtutis valorem, vtpote quæ eodem prorsus tempore, quo ab aduersariorum suorum ore calumnijs aspergitur, summis simul laudibus celebrata reperitur: *Magnanimitatem eius manifestarunt.*

S. Ioan. Chrysost. Hom 81 in Matth.

10. Vnde Seneca ad præsentem conceptum attendens, dicere non dubitauit: *Bona fama in tenebris proprium splendorem obtinet.* Vbinam obscuriores magisque cæcas reperies tenebras, quam sint eæ quæ in ore sunt detractoris? quod proinde Dauid sepulchro obscuro & fætenti simile esse dixit: *sepulchrum patens est guttur eorum.* Inter hasce igitur fama haud raro splendescere solet humanæ virtutis. Sæpe namque videtur, quod detractor eum, quem alias ob inclinationem suam pessimam calumniari & obscurare decreuerat, laudare cogatur. *Etiam in tenebris proprium splendorem obtinet.*

Seneca in prou.

Ps.5.v.11.

11. Dum Hebræorum gens perfida, mira illa laudum præconia Christo ab infantibus hebræis in solemni ac triumphali suo in Ierosolymorum vrbem ingressu acclamata, eidem inuideret, rogaretque vt illos compesceret & silere iuberet; Christus eidem hunc in modum respondit: *Dico vobis, quod si hi tacuerint, lapides clamabunt.* q.d. Quodnam ex silentio infantum vestrorum commodum reportare contenditis? Certe nullum. Imo infantibus silentibus ipsamet saxa, ad supplendum taciturnitatis ipsorum defectum, ora sua talia qualia laxatura fuissent.

Luca 19.v. 40.

Quærit S. Augustinus circa præsentem locum, quidnam Christus per saxa, à quibus laudes sibi & encomia promittebat, intellexerit? Et dicit: *Quid lapides nisi qui colunt lapides? si paruuli pueri tacebunt, maiores & minores gentes clamabunt.* Vnde clare liquet, Christum iuxta hanc explicationem dicere voluisse. Num vobis persuadetis, quod paruulis laudes meas tacentibus, debitis mihi destituendus sim honoribus? graue certe errore decipimini, si id credatis. Tāta nāq; tāq; ingens est veritatis & virtutis in operibus meis relucentis vis & energia, vt perpetuis semper splendoribus, non à solo paruulorum infantum sanctorumque discipulorum meorum ore, verum etiam in maledicis eorum, qui me persequuntur labijs corusca refulgeat. Ipsimet Idololatræ, ac pagani saxorum adoratores, qui contumelijs & opprobrijs me hactenus inhonorarunt, ab erroribus suis resipiscentes, Deum viuum & verum me esse deinceps confitebuntur ac proclamabunt. Vti reapse quoque postea accidit. *Lapides clamabunt.*

S. Aug. ser. 24. de temp.

CONSIDERATIO II.

Dæmonium habes.

Adeo peccatori proprium est, propriam culpam in alienos humeros exonerare, vt hac in re ne ipsi quidem Deo parcat.

S. Ioannes Chrysostomus horrendam illam Hebræorum blasphemiam, qua Christum Dæmoniacum appellabant: *Dæmonium habes*; considerans, ita inquit: *Quis Dæmonium habet? num qui Deum honorat: an qui honoribus Deum prosequentem calumnijs afficit?* Quasi diceret. Dicite quæso quisnam verè Dæmoniacus esse dicendus sit? Num Christus Deum honorans: an vero vos Christū à quo Deus tantopere honoratur adeo atrociter calumniantes & persequentes? quasi tacitus inferre vellet, vos vtique, qui Deum mille sceleribus onusti incessanter offenditis, Dæmoniaci estis, non vero Christus,

S. Ioan. Chrysost. hom. 53. in Ioan.

stus, qui Deum per innocentiam suam omni momento laudat & honorat. Verum dicat aliquis qua igitur ratione fit, quod cum non Christus, sed Hebræi Dæmone obnoxij sint, Hebræi econtra Christum Dæmoniacum appellarint? *Dæmonium habes.* Ratio huius est, quia maxime proprium est homini peccatori, iustum culpa illa aspergere, qua ipsemet pollutus & contaminatus esse conspicitur. Id quod firmam adeo veritatem habet, vt ne ipsimet quidem Deo quantumuis ab omni culpa atque defectu alienissimo hac in re parcat.

1. S. Augustinus nonnullos esse refert, qui S. Patriarcham Iacob duabus vxoribus Liæ scilicet & Racheli copulatum fuisse audientes, eundem hominem valde incontinentem nimiumque libidini deditum fuisse sunt arbitrati, vtpote cui non sufficiebat vnam vxorem duxisse, nisi superinduceret & alteram. At vero grauiter errant, quotquot id opinantur, inquit S. Doctor: Non enim id Patriarcha pro sedando lasciuientis carnis pruritu fecit, sed quia vxorum pluralitas seu Polygamia nondum erat prohibita, vt tanto facilius per plures inde genitos filios seruorum Dei augeretur numerus. Veruntamen nescio quæ me curiositas extimulet intelligendi causam, ob quam illi, de quibus S. Augustinus loquitur, moti fuerint, vt de tam illustri ac sancto viro tantoque Dei seruo infamem adeo opinionem mente conciperent? Causam huius scire cupis? Vere non est hæc alia, quam propria eorundem hominum luxuria & incontinentia, inquit sanctus Doctor: *Quia non possunt delectari vxorum multitudine nisi libidinis magnitudine, errantes non putant haberi potuisse vxores multas, nisi concupiscentia carnalis flagrantia.* Quia propria didicerant experientia vix fieri posse vt quis aliam sibi, ab illa cui licite copulatus est, accersere vxorem possit, nisi id ex incendij & ardoris luxuriæ quo ardent, magnitudine fiat, ideo de castissimo hoc Patriarcha simile formabant iudicium, imperfectionemque suam propriã in huius serui Dei humeros exonerabant.

S. Aug. apud Hugon. Card. in c. 29 Gen.

2. Cum Diues Epulo in Inferni carcere in quem relegatus fuerat, Abrahamum & in gremio eius Lazarum mendicum vidisset, Patriarchæ eiusdem pietatem implorauit, rogans, vt Lazarum pro aliquo linguæ suæ refrigerio porrigendo, deorsum mittere dignaretur, & dixit: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Circa quæ verba Theophylactus quærit, cũ damnatus epulo Lazarum non minus quam Abrahamum viderit, cur non etiam Lazari pietatem simul implorauit, sicut pias Abrahæ suppetias expetierat? Et respondet: *Confundebatur fortassis, existimans Lazarum vindictæ auidum, & ex suis causis iudicabat illum. Si enim ego tanta fælicitate fruens, contempsi illum tantis malis coangustatum, & neque micas ei communicaui, multo magis ipse contemptus vindicabit.* q. d. Infœlix ille Epulo crudelitatis à se, dum in mundo lætus adhuc viueret & beatus, erga Lazarum exercitæ probe memor existens, vtpote cui non solum nullum ex mensa sua ferculum mittere, sed ne micas quidem in terra cadentes dignatus fuit dare; facile persuadere sibi potuit, fore, vt mutato prorsus rerum suarum statu, cum Lazarus fælix ille vero miser esset, Lazarus nõ minus erga necessitates suas durus & inexorabilis esset futurus, ac ipse erga Lazari miserias olim fuerat. Vnde hunc fere in modum secum vtique discurrebat: Ex quo ego tot tantarumque diuitiarum Dominus existens, tantisq; in iucunditate perfruitus bonis, Lazarum inopem & famelicum ne vel vnico teruntio dignatus fui, sed nimis crudeliter fame eundem emori permisi, quid ab illo nunc beneficentiam stolidus præstolor? haud dubie nunc ipse fœlix fortunatusque existens, eandem mihi misero & inopi vicem referet. Ab illo igitur pietatem exposcere, à quo nihil aliud præter crudele responsum expectare debeo, est tempus, oleum, & operam perdere. Videtis igitur, quomodo Lazarum eadem pice, qua ipsemet sordebat, crediderit inquinatum, propriamque iniquitatem suam, in iusti hominis humeros exonerarit. *Ex suis casibus iudicabat illum.*

Lu 16. v. 24.

Theophylactus ibid.

3. Vt Hebræi quantum diuinos Deo vero negando honores, Baalis idest Dæmonis cuiusdam Infernalis adorando idolũ committerent, errorem, clare cognoscerent, sancti-

ctissi-

ctissimus Carmeli Prothopatriarcha Elias Propheta, cum Baaliticis sub hoc pacto conuenit sacrificulis; nimirum, vt duo altaria, in quorum vno ipse Domino Deo suo bouem sacrificaret vnum, in alio vero ipsi bouẽ alterum suo immolarent Dæmonio, erigerentur, tandem vero ille veluti Deus viuus & verus coleretur & adoraretur, qui ad comburendum oblatum sibi bouis sacrificium, ignem cælitus demitteret. Altaribus hisce igitur ex pacto erectis & oblato à sacrificulis Idololatris sacrificio, qui ad meridiem vsque, à mendacissimo suo Baal ignem frustra expectauerant; Priusquam S. Elias Propheta suum ordiretur sacrificiũ, tantam fecit super hostiam offerendam affundi aquarum abundantiam, vt inde ingens quædam fossa circum altare deducta adimpleretur: *Currebant aquæ circum altare, & fossa aquæductus impleta est,* inquit Sacer textus. S. Chrysostomus historiæ illius considerationem aggrediens quærit. Quidnam S. Propheta Elias per hanc aquam prætenderit, aut quo fine ad suum requisita sacrificium fuerit? Et dicit: *In idolorum altaribus foramina quædam sunt ex inferioris altaris parte, & fouea quædam obscura: descendunt autem erroris artifices in foueam illam & ex foraminibus, vt diximus, ignem sufflant ad sacrificium conficiendum, vt multi decepti cœlestem esse ignem illum existiment. Ne igitur Elias in suspicionem veniret, quod & ipse aliquid tale machinatus esset aquam effudit, vt Aqua illa, nulla esse intra altare foramina, ostenderet: vbi enim foramen aqua inuenerit, illic aqua non consistit, sed per foramina ipsa defluat, necesse est.* Hoc autem ex S. Chrysostomo supposito, circa factum istud Eliæ Prophetæ quæro: Quid si Propheta non adeo argutè & curiosè cogitasset, neque talem circa sacrificium suum adhibuisset industriam & diligentiam, quis huic illi dolum imputare, aut miraculi synceritatem calumniari potuisset? Quinam hoc facturi fuissent, quæris? Fecissent idipsum indubiè æmuli sui, inquit sanctus Doctor, fecissent hoc competitores sui idolorum sacrificuli, imo illi ipsi, qui similes ad populum decipiendum dolos & fraudes adhibere & contexere solebant; Et rationem illius subiungit dicens: *Velim consideres, quãto ab Elia hoc factum sit, quoniam erroris mos est, veritati propria vitia obijcere, id quod faciunt meretrices; anticipant enim ipsa, & ingenuas fæminas meretrices vocant, vt non habeant illa, quid conuicij obijciant.* Quia igitur impij hi atque peruersi sacrificuli, ad hoc vt populos deciperent, eisdemque ignem ad sacrificia sua deuoranda de cælo vere descendere persuaderent, similibus fraudibus & circumuentionibus vti solebant, hinc nihil illis fuisset facilius, quam vt Dei holocaustum à Deo cælitus comburi videntes, sanctum Prophetam calumniarentur, & dicerent: Ignem istum nequaquam de cælo descendisse, quin potius ex secreta quadam sub altari efformata fouea ascendisse; atque ita fraudes, dolos, astusque proprios seruo Dei licet præter omne demeritum suum attribuendo imposuissent, prouti cuilibet alteri vitioso homini solemne est facere: *Erroris mos est, veritati propria vitia obijcere.*

3. Reg. 18. v. 34.

S. Io. Chrysost. in S. Pet. & Eliam apud Lippom. 1. Aug.

Vnde S. Bernardino dicere placuit: *Credit latro, quod omnes sint fratres eius,* id est, quod omnes sibi sint pares & similes, eodemque quo ipse scelere coinquinati, quodque aliena, sicut & ipse prædari gaudeant.

S. Bern. to. 2. serm. 14. ar. 3. c. 3.

4. Vnde impossibile est, vt cum homine fraudulento & traditore, nulla etiam ei discordiarum data occasione, pacifice viuere quis possit. Cuius rationem Iob. cap. 15. adducit, vbi de simili impio homine loquens ita inquit: *Sonitus terroris eius in auribus eius, & cum pax sit, ipse insidias suspicatur.* q. d. Qua ratione fieri poterit, vt cum tali quodam homine pacifice & quiete quis viuere queat, quando is nunquã quietum se reputat, aut securum; vtpote qui traditionibus se semper circumuentum esse formidat, etiam ab ijs, qui omni cum synceritate animi semper cum ipso conuersantur? *Cum pax sit, ipse insidias suspicatur.* Audite S. Gregorium Magnum, qui hunc scripturæ locum explicans dicit. Quidnam obsecro illud est, in quo similis homo se fundat, vt à fidelis sodalis sui societate semper sibi metuat, illamque insidiosam semper & fraudulentam arbitretur, cum sit pura, syncera & pacifica: *Quia semper dolose agit, simpliciter ergà se agi non æstimat.*

Iob. 15. v. 21.

S. Greg. Moral. lib. 12. c. 41.

5. Scribit S. Marcus, Christum tantum habuisse salutis animarum desiderium, eorum

rum præcipue, qui doctrinā suā audituri ad ipsum recurrebant, vt nulla illi cibi aut potus cura fuerit, in hoc solū sollicite incūbens vt ad se accedentibus necessaria traderet salutis remedia; Adeo etiam, vt nonnulli idipsum videntes, insanire ipsum crediderint, & veluti hominem mente captum capere catenisque vincire voluerint: *Et veniunt ad domum, & conuenit iterum turba, ita vt non possent neque panem manducare, & exierunt tenere eum: dicebant enim, quoniam in furorem versus est.* Quænam obsecro erat hæc hominum illorum insana temeritas, vt mente captum & delirum iudicare ausi fuerint eum, in cuius pectore omnes Diuinæ sapientiæ & scientiæ thesauri sunt reconditi? Victor Antiochenus vult fuisse Scribas & Pharisæos, qui ob odium atque inuidiam qua erant imbuti, insanire cœperunt: *Inuidia simul & odio perciti, & quasi in vesaniam acti, illum furere dixerunt, atque ita vt eum tenerent, irruerunt.* At vero esto, quod illi stulti fuerint, cur ipsammet æterni patris sapientiam stultam quoque reputabant? Idem Doctor rationem illius subiungit dicens: *Arbitrabantur enim id illum pati, quod ipsi reuera patiebantur.* Omnibus namque malis hominibus solemnis hic mos est, iustum eo defectu notare cui ipsimet subiacent. Sic namque scelerati Scribæ & Pharisæi iam insanientes, suam mox Christo attribuebant insaniam. *Arbitrantur enim id illum pati, quod ipsi reuera patiebantur.*

Marci 3. v.21.

Vict. Antiochen. ibid.

6. Pro cuius conceptus maiori confirmatione, memorialis illius meminisse oportet, quod Pilato Præsidi Iudeæ à principibus Sacerdotum Christo iam sepulto sequentibus verbis conceptum propositum fuit: *Domine recordati sumus, quod seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium, ne forte veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: surrexit à mortuis.* Id quod ego hoc in loco à vobis obseruari velim, est, quod Christum in verbis adductis seductorem appellarint: *Seductor ille.* Quam illi notam contra omnem rectæ rationis renisum attribuere videntur, vtpote qui adeo benignum, mitem, pacificum se erga omnes semper exhibuit, vt ob raram eius patientiam Isaias illum oui comparandum esse duxerit. Quid ergo illos, vt probroso hoc seductoris nomine ipsum compellarent, permouit, cum liquido illum nunquam talem fuisse constet? Glossa motiuum istud exponit dicens: *Quod extant, Domino imponunt.* Cum igitur illi veri essent populi seductores, vti in Barabbæ liberatione manifestè monstrarunt, quam ob seductam ab illis plebem, à communi vulgo obtinuerunt, Christum etiam seductorem mox appellant; peruersæ malorum hominū proprietati se quoad hoc conformando, qui macula & sordibus sibi proprijs innocentem commaculare solent. *Quod extant, Domino imponunt.*

Matth.27 v.63.

Glossa ibi.

7. Porro hæc peruersitas tantam apud huiusmodi homines vim obtinuit & radices egit, vt ipsimet quoque Deo defectus suos imponere non vereantur. Cùm Deus olim Moysi dixisset, elegisse se illū vt populi sui de dura Ægypti seruitute liberator fieret, mox quoque eundem ad munus illud strenuè obeundum est exhortatus vtque illi omni metu posito animos adderet, eidem fore prædixit vt præterquam populus plenam verbis eius adhibiturus fidem esset, ipsum insuper veluti augustum quendam Diuinæ Maiestatis legatum infallibiliter reciperet. Moyses autem omnia quidem verba hæc optime intelligens, de diuina tamen promissione veluti dubius, Deo dixit: *Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent, Non apparuit tibi Dominus.* Quod Moysis responsum Hieronymus Oleaster optime obseruat, & dicit: *Securum reddiderat Dominus Moysen de populi credulitate & beneuolentia, ipse tamen adhuc diffidebat?* quasi diceret: Qui fit quod Moyses de adhibenda sibi à populo infallibili fide certior à Deo factus, nihilominus diffidendo dubitauerit? Et respondet: *Magna est hominis peccatoris erga Deum diffidentia, cum enim Deus facile fidat homini, & illi omnia sua credat, homo tamen, præsertim iniquus, cum maxima difficultate Deo fidit. Cogitaui non semel penes me, vnde hominis diffidentia ad Deum suum oriretur, & cognoui ex eo esse, quod quales nos sumus erga Deum, talem eum arbitramur erga nos. Quia enim nos frequentissime Deo promissa mentimur, arbitramur Deum nobis non seruaturum promissa.* q.d. Nec dici, nec explicari potest, quanta sit homi-

Exodi 4. v.1.

Oleast. ibi.

hominis & præcipue peruersi & peccatoris circa Dei promissa diffidentia. Cuius equidem alia nequit adduci ratio, nisi quia persuasum nobis habemus, Deum se talem exhibere nobis, quales nos ipsi in obsequijs nostris ostendimus. Quia enim nos, ne id quidem à Deo accepturos nos credimus, quod ab ipso promissum est nobis, ideo nos quoque nullam verbis aut promissis diuinis fidem habemus. Vnde perspicue satis videtur, quomodo propriam imperfectionem nostram non in alios duntaxat homines, sed in ipsummet quoque hominum Deum ac Dominum impingamus. Atque ideo tametsi Moyses homo valde sanctus esset, quia, tamen haud secus ac quiuis alius homo imperfectionibus obnoxius promissionum seu datæ fidei firmus obseruator nō erat, Deum quoque sibi similem esse reputabat. Vnde tametsi Deus illum de completa atque perfecta sibi à populo in hoc negotio tribuenda fide certiorem fecisset seu assecurasset; Deo tamen dicere non dubitauit: *Non credent mihi, neque audient vocem meam.*

8. Ezechiæ Regi ab Assyriis in vrbe Ierosolymorum obsidione cincto, vt se vrbemque tanto facilius citiusque dederet, inimici exercitus Archistrategus epistolam quandam transscripsit, in quibus Regem inter cætera hunc in modum hortabatur: *Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis dicens: Num dabitur Ierusalem in manu Regis Assyriorum: ecce tu audisti omnia, quæ fecerunt Reges Assyriorum omnibus terris, quas subuerterunt, & tu poteris liberari?* Quibus in verbis merito obseruandum est, quousque pertingat humana perfidia, vt nimirum persuadere sibi possit, Deum ex data opera in hoc incumbere, vt homines decipiat, doloque ac fraude circumueniat. Quodnam impius iste excogitare fundamentum potuit, vt tam peruersum de Deo efformare iudicium potuerit? Fundamentum istud idemmet Doctor exponit dicens: *Solent impij omnes alios ex seipsis iudicare, & quia sæpe fidentibus sibi sunt mentiti, tales omnes alios, etiam Deum arbitrantur* q. d. Cum sit ordinaria omnium impiorum hominum proprietas, vt quales ipsi sunt, tales quoque alios iudicent; Ipsi quoque homines quotidie per experientiam ex quotidiano mutuo conuictu haustam compertum habeant, quod eos qui in se confidunt decipere frequenter soleant, hinc quoque alios omnes similiter facere existimant, imo ipsummet quoque Deum tametsi is promittendo nō minus verax quā liberalis sit atque munificus: in promissis tamen expediendis mendacem omnino credunt & deceptorem. Atque hoc pacto non solum proprios defectus, aliorum hominum, quibus suus quoque inesse næuus potest, humeris imponunt; verum in ipsum quoque Deum tametsi is ab omni sit imperfectionis nota immunis, refundere non verentur.

Isa. 37. v. 10.

Oleast. ibi.

9. Tostatus verba illa Dæmonis quibus Euā ad vetiti pomi esum, nec non ad transgrediendam Dei legem allexit, considerans nimirum: *Nequaquam moriemini, scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum & malum.* Dicit, quod Draco ille malignus: *Primo fecit Deum mendacem, secundo fecit inuidum.* Mendacem quidem, quia tametsi Deus Adæ dixerit: In quacunque hora comederitis ex fructibus illius, morte moriemini: Dæmon econtra Euæ persuasit, ipsam nequaquam morituram esse manducando, atq; ita Deū mendacē esse ostendit. Inuidum vero esse persuasit, quia Deum ideo pomum istud vetuisse fingit, quod sciens de fructu illo manducantem in Deum fore transformandū, hanc homini fœlicitatem inuiderit, vtpote qui nullam præter suam in mundo sustinere queat Deitatem. Quodsi hunc Dæmonis procedendi modū hoc in loco bene obseruaueritis, clarè & perspicuè ipsum mendacissimum maximeque inuidum deprætenderis. Mendacem quidem, quia Euæ dixerat ipsam ex fructus huius manducatione non morituram, cum tamen ipsamet experientia teste liquidum sit, quanta cum falsitate locutus fuerit, cum tam ipsa, quam omnes quotquot ante nos fuerunt homines mortui sint atque sepulti. Inuidum autem experiemini, quia aliud nullum habuit idipsum prothoparentibus nostris persuadendi motiuum, quam dolorem, quo propter fœlicitatem, in qua primos homines constitutos conspiciebat, gra-

Gen. 3. v. 4

Tostat q. 485. in cap. 13. Gen.

grauiter torquebatur. Vnde vt miserabiles prorsus & infælices illos redderet, singulari cum industria, vt Deum offenderent, procurabat. Vnde summè mirandum est quomodo Deum mendacij & inuidiæ arguere voluerit, cum ipsemet inuidus esset & mendax. Ratio autem huius est, quia vniuersalis est peccatorum proprietas, quod absque vllo cuiuscunque ipsiusmet etiam Dei respectu, proprios errores & noxas humeris hominis iusti imponere soleant; Et ipse quidem Dæmon, vtpote peccatorum omnium qui fuerunt longe maximus, imo omnis malitiæ & iniquitatis caput & primicerius, huic imperfectioni principium dedit, quando propria sua mendacij & inuidiæ scelera Deo attribuit: *Fecit Deum mendacem & inuidum.*

10. In varijs scripturæ locis Diuinam Maiestatem solita cum magnificentia sua multas hominibus facere promissiones, easdemque iuramento mediante confirmare inuenietis. Exodi 13. v. 5. *Cum introduxerit te Dominus in terram, quam iurauit patribus tuis vt daret tibi.* Psalm. 109. v. 4. *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum.* In Epistola ad Hebræos cap. 6. v. 13. *Iurauit per semetipsum dicens, Nisi benedicens benedicam te*, & sic in centum alijs locis. Id quod absque magna admiratione audiri vix potest. Quod enim homines promissa sua iuramento confirment, mirum non est; hi enim non solum primas interdum cogitationes mutant, illiusque quod modo fecerunt aut dixerunt, postea pœnitere solent; verum etiam difficilem, vtpote naturaliter mendaces, verbis suis inter se fidem mutuam inueniunt. At vero quod Deus quoque, apud quem nec mendacium, nec pœnitudo locum habere possunt, suis quoque verbis iuramenta adhibere debeat, quomodo sustineri possit, aut quanam ex causa idipsum accidat nescio. Chrysostomus Deum propter homines mendaces iurare opinatur, qui nisi Diuinas promissiones iuramento confirmatas viderent, ne ipsis quidem Dei verbis fidem haberent. Et rationem assignat: *Quoniam qui mendax est, neminem putat dicere veritatem, neque Deum.* Vnde vt vel ipse Deus apud tales fidem inueniat, verba sua iuramentis confirmat. Non enim crederent nisi iuraret. Vi-

S. Io. Chrysost. Hom. 10. in Matth.

dete igitur in quam non prolabatur peruersitatem homo peccator, dum proprios suos defectus non hominibus duntaxat alijs, verum ipsimet quoque Deo attribuit. *Neminem putat dicere veritatem, neque Deum.* Quemadmodum Scribæ & Pharisæi in præsenti Euangelio facere videntur qui cum ipsimet sint Dæmoniaci, Christum Dominum nostrum verum hominem & naturalem Dei filium Dæmoniacum appellant. *Dæmonium habes*

CONSIDERATIO III.

De turba multi crediderunt in eum.

Nisi Deus diuites ad bene faciendum armata quasi manu vrgeret, difficulter admodum saluari possent.

TAmetsi vrbs Ierosolymorum tam à diuitibus, quam à plebeis hominibus inhabitata fuerit, Christi tamen in ea docentis sermonibus, non diuites, vt scribit S. Ioannes, sed vulgus & communis tantum plebecula credidit: *De turba multi crediderunt in eum.* cuius ratio est, quia impedimenta quæ diuites ab acquirenda animarum suarum salute arcent, tam sunt valida & fortia, vt si Deus solis duntaxat verbis cum illis egerit, nihil boni inde sit facturus. Vnde opus est vt violenter & armata quasi manu illos aggrediatur. Atque hoc demum argumentum latius exponendo suam quoque vltima in præsenti Euangelio adducta Quæstio responsionem habebit.

1. Salomon de diuitijs in manu hominis alicuius peruersi reconditis loquens, dicit: *Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius*, aut sicut septuaginta vertunt: *Ciuitas munita:* quasi diceret, bona diuitis alicuius mundani sunt sicut Ciuitas, aut arx, vel fortalitium quoddam bene custoditum armisque munitum. Peregrina certe Metaphora! Quidnam enim est illud quod mundanæ maleque acquisitæ diuitiæ custodiunt atque defendunt, quod Salomon illas sub Analogia vrbis vel Ciuitatis munitæ ausit proponere? Explicat id Clemens Alexandrinus, & dicit: *Diuitiæ quæ recte non administrantur, sunt*

Prou. 10. v. 15. Transl. Septuag.

Clemens Alexandr. Pædag. lib. 2. c. 3.

sunt arx vitij & sceleris. q. d. Eiusmodi diuitiæ sunt foralitium quoddam, quod diuitis scelera & vitia tuetur & defendit. Id quod quotidie perspicue satis videtur, Iustitia enim humana quæ aduersus defectus alicuius hominis pauperis, veluti aduersus ciuitatem quandam ruinosam, mœnibusque orbatam, tanta fortitudine pollet, aduersus flagitiosam diuitis vitam, qui tum ob delatum sibi propter diuitias ab omnibus respectum, tum per terrorem quem rigidi potestatis seu Iurisdictionis suæ officiales singulis incutiunt, tum per spem dona aliqua ab eodem accipiendi, alacriter & generose defenditur, nihil præualere posse videtur. Vnde dici solet:

Cum parcat coruis, vexat censura Columbas.

Vnde affirmare oportet, humanas diuitias ab homine peruerso possessas inexpugnabile quoddam esse scelerum fortalitium: *Arx vitij & sceleris.* Deus igitur talis hominis vitia correcturus & emendaturus, haud secus agere debet ac is qui munitissimum quoddam expugnare nititur fortalitium, qui nisi catapulta aliasque belli machinas adhibeat, expugnationem illius ad finem optatum nunquam perducet. Nihil enim proderunt inspirationes & verba exhortatoria, nisi frequentium infirmitatum adhibeantur arietes; diuturnæ cuiusdam validæque famis fortis obsidio, ciuilium criminaliumque processuum bombardæ & tormenta; aliarum denique afflictionum malorumque integri exercitus. *Arx vitij & sceleris.*

2. S. Paulus Apostolus S. Timotheo discipulo suo ita scribit: *Diuitibus huius sæculi præcipe sublime non sapere.* Vbi bene obseruandum est, Apostolum non dicere: Roga, mone, exhortare diuites, sed præcipe illis: *Diuitibus præcipe.* Quamobrem Apostolus vult vt discipulus suus Diuitibus austere imperet; potius dicere debuisse videtur, Diuites vtpote qui omnium sunt Domini, omnibus imperant, omni cum reuerentia & respectu tracta, ad modum quo magnates communiter tractari & haberi solent, non vero vti Timotheo suadetur aliquo despectu cum illis veluti cum seruis agas. Ratio quæ Apostolum ad hoc modo scribendum impulit, est, quia Timotheum suum à Diuitibus audiri, illique ab ijs obedientiam præstari volebat, vnde quia eidem valida fortiaque nota erant impedimenta, quibus ab executione rerum ad salutem animarum suarum spectantium diuites adeo retardantur, vt nisi violentiæ ijs adhibeantur arietes, impossibile sit charitatiuo & suaui modo aliquod ex illis bonum elicere posse, ideo Timotheum diuites correpto baculo adoriri, illosque vti seruos & mancipia tractare atque austere illis præcipere voluit. *Diuitibus huius sæculi præcipe.*

Timoth. 6. v. 17.

3. Per ficulneam illam infructuosam, quã Dominus, quod tribus illam annis continuis sterilem reperisset, amputari & eradicari, ne terram frustra & inutiliter occuparet, præceperat: *Succide illam, vt quid terram occupat?* S. Bernardinus Senensis ex mente Glossæ hominem intelligit mundanum, diuitem, sterilem, infructuosum, nullosque bonorum virtuosorumque operum fructus adferentem; hunc enim Deus non superfluis solum quæ possidet prædijs verum etiam modico illo quem instar aliorum hominum in mundo occupat loco, imo ipsa quoque Aqua quam bibit, indignissimum reputat. Hoc enim innuunt verba illa: *vt quid terram occupat*, id est, inquit Sanctus Doctor: *Cur temporali copia vtitur? Ex hoc sumitur argumentum, quod homo peccator non est dignus aqua.* Cum autem animarum nostrarum Saluatori Christo, qui per hortulanum seu agricolam intelligitur, animæ illius displiceret damnatio, Deum Patrem suum deprecatus est, vt eandem adhuc vno anno sustineret, donec adhibito ad illam stercore, videretur an per tentatum hocce remedium fructus aliquis ab eadem sperari posset: *Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora.* Quidnam per stercus illud adhibitum significabatur, quod virtutem habebat bonorum operum in eo qui sterilis hactenus semper fuerat producendi fructus? S. Ambrosius dicit, stercus illud paupertatem significasse; omnibus namque facultatibus, quas possidebat, illum spoliare decreuerat, ipsumque instar lobi inter fœtidi cuiusdam fimeti stercora reponere, hac enim ratione & non aliter futurum sperabat, vt fructificaret: *Cophinum quoque stercoris dixit esse mittendum*

Luc. 13. v. 7.

S. Bernardin. t. 2. ser. 19. art. 2. c. 3.

S. Ambr. in c. 15. Luc.

tendum. Magna vis stercoris, quæ tanta est, vt de infæcundis fæcunda, de vrentibus virentia, de sterilibus faciat fructuosa, in quo sedit Iob. Vt igitur diues ille infructuosus æternæ vitæ fructus produceret, Christus potentiæ suæ armis vti voluit, auferendo illi omnes quas possidebat facultates, ac census quotannis prouenientes, splendida in quibus morabatur palatia demoliendo, omnibus ipsum spoliando, quibus induebatur vestimentis, priuando illum equis, pecoribus, iumentis, pecunijs, seruis, amicis, & quacunque demum alia re quam possidebat ipsumque velut alterum quendam Iob inter media stercora collocando. Neque aliud mitius illi remedium applicare voluit, sciebat enim quod nisi diues virga vrgeretur & baculo, ob incredibiles quæ in salutis via occurrunt difficultates, difficillime corrigi & emendari possit.

4. Nescio num aliquando depictam fortunæ rotam obseruaueritis, in cuius vertice Asinus, subtus vero homo quidam deorsum præcipitatus depingitur? cuius significationem si nosse vultis, illam à S. Bernardino huiusce verbis explicatam inuenietis: *Qui est in summitate pingitur asinus; quia mundus iste facit homines sensuales, quia sequuntur tantum quæ mundi sunt, & non cognoscunt Deum. Ille vero qui est collapsus ad ima, est qui perdidit statum, diuitias, & bona temporalia, tunc vbi prius erant asini in prosperis, efficiuntur retro homines rationales; & incipiunt intelligere istum mundum fore volubilem, caducum, & nihil prosperitatis & stabilitatis manentis in eo; & ideo non pinguntur asini & bestiæ sed homines rationales.*

S. Bernardin tom. 4. ser. 48.

Is qui in hac vita inter humanas diuitias, honores, aliaque temporalia bona solis diuitibus concessa, cernitur exaltatus, Asini, non vero hominis forma depingitur. Cum enim nihil rationis, humani nihil habeat, ad instar bestiæ cuiusdam, sensibus omnino deditus, Deique notitia priuatus vixit. Quodsi vero postea Deus honores, pecunias, prædia, aliasque terrenas, quas possidet diuitias, ab illo auferat, ipsumque à dignitate illa deponat & præcipitet, subito figuram & esse asini derelinquit, & Homo iterum euadit. A superiori namque ignorantiæ caligine resurgens, verum mundanarum apertis oculis intuetur instabilitatem, errores suos agnoscit & corrigit, totoq; ad Deū corde conuertitur. Vt igitur Deus diuitis defectus emendet, opus est vt violenta ad id arma adhibeat, ipsumque ex prosperitatis statu præcipitet centenisque modis affligat; tales namque homines in virtuose sancteque operando tantas patiuntur difficultates, tamque grauibus & validis retrahuntur impedimentis, vt Deus tales nulla alia via præterquam virga & baculo corrigere & emendare posse videatur.

5. S. Chrysostomus vult rationem ob quam Hebræi horrendum illud famis flagellum ex ardenti S. Eliæ zelo immissum, atque in tres vsque annos & sex menses solidos continuatum perpessi fuêre, hanc fuisse; quia nimirum Deus illos per hoc adeo diuturnum supplicium ad seriam resipiscentiā vitæque emendationem, veramque peccatorum suorum pœnitentiam reducere decreuerat; Verum dicat aliquis; nimis rigida Deus ad hunc effectum obtinendum vsus est via. Nunquid ergo mitiora benignioraque ad procurandam populi sui conuersionem deerant remedia? vt proinde gladio quodam adeo horrendo & formidabili, qualis erat fames tam diuturna in illum opus fuerit animaduertere? Respondet S. Doctor non quidem defuisse Deo alia mitiorum pœnarum remedia, per hæc tamen, nisi asperiora adhibita fuissent, speratam populi sui conuersionem extorquere nequaquam potuisset: *Nihil aliud homines illos erudire potuit, nisi fames, vt vel sic angustijs undique coarctati, ad omnium creatorem Deum reuerterentur.* Et ratio huius est, quia Deo tunc cum eiusmodi hominibus res erat, qui per superiorum æstatum fertilitates diuites; & bonorum quorumlibet copiosissimi & abundantes facti fuerant, pro quibus ad Diuinum obsequium mentemque saniorem reducendis, remedia leuia atque suauia, qualia sunt verba, & admonitiones, parum conferunt. Necessum igitur erat gladium stringere, talesque annonæ caritate, paupertate alijsque flagellis similibus eousque castigare, donec syncere resipiscant: *Nihil aliud homines illos erudire potuit, nisi fames.*

S. Ioan. Chrysost. apud Lipom. 1. Aug.

6. Mox vt duo illi Dæmones, de quibus S. Matthæus cap 8. Euangelij sui loquitur Christi Dei & Domini sui cognouere præsentiam,

ſentiam, adeo crudeliter affligi & torqueri, cæperunt vt magna mox voce clamarint dicentes. *Quid vobis & tibi IESV fili Dei, veniſti ante tempus torquere nos?* Toſtatus hunc locum explicans dicit, Dæmones illos merito lamentatos fuiſſe quia ob Chriſti præſentiam nouis premebantur doloribus, atque extra morem ſolitum cruciabantur: *Dæmones realiter ſentiebant ſe puniri præſente Chriſto: ita quod tunc eſſent maiora eorum tormenta quam prius, ideo clamabant præ dolore.* At vero cur Chriſtus per ſuam præſentiam igni eorum nouum ignem ſuperaddere, & maiori quã in infernali abyſſo patiebantur, dolore illos affligere voluit? *Ad oſtendendum*, ſubdit hic Doctor, *illis, ſe eſſe Dominum eorum, cum enim per bonum hoc cognoſcere nolint, oportebat quod tormentis iſtud cognoſcerent.* q. d. Chriſtus à ſuperbiſſimis illis ſpiritibus, tanquam verus illorum Deus ac Dominus cognoſci volebat: Videns igitur, quod ex obſtinata ſua peruicacia atque ſuperbia, ſuam erga ipſum ſubiectionem Deo ob fauores tum in ſui creatione, tum in naturalium donorum ſuorum conſeruatione illis præſtitos alias debitam agnoſcere nollent, tormentorum vſus eſt violento remedio, vt armorum vi coacti id facerent, quod ex debito & obligatione ſua facere detrectabant. *Oportebat quod tormentis iſtud cognoſcerent.* Porro parem quoque Deus eum diuitibus peccatoribus agendi rationem ſeruare videtur: cum enim hi poſt tot ab infinita illa bonitate recepta bona, propter quæ ſola ipſi præ cæteris à Deo in hac vita fortunari & benedici videbantur, diuina pietate abuterentur, Deumque prout merito facere debebãt agnoſcere, & adorare, illique inſeruire nollent, hinc Deus videns quod ad illos in viam ſalutis reuocandos, nihil per blanditias & beneficia proficeret, gladium ſtringit & vibrat, ipſoſque haud ſecus ac Dæmones illos afflictionibus attritos ad ſui facit notitiam peruenire. *Cum enim per bonum cognoſcere nolint, oportet quod tormentis iſtud agnoſcerent.*

Toſtatus q. 108. ibid.

7. Vnde permagni in præſenti propoſito æſtimanda ſunt illa Iſaiæ Prophetæ verba, à Chriſto dum in Nazareth patriæ ſuæ Synagoga ſermonem faceret, prælecta à S. Luca Euangeliſta autem cap. 4. Hiſtoriæ ſuæ regiſtrata: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus miſit me.* Quo in loco Chriſtus, vti videtis, verba illa in ſua perſona à prophera dicta eſſe, intelligens ſe eo præcipue fine de cælo deſcendiſſe ſignificare voluit, vt pauperibus prædicaret, illorumque procuraret ſalutem. Meretur hic locus, vt per bonam aliquam conſiderationem eidem non nihil immoremur. Chriſtus enim non minus diuitibus, quam pauperibus prædicaturus aduenit, cum cælum ſit communis omnium patria, tam diuitum, quàm pauperum. Cur igitur veniſſe ſe dicit, vt prædicaret pauperibus, & non diuitibus? *Euangelizare pauperibus miſit me.* Audite quid ſuper hunc locum Iſidorus Clarius dicat, & rationem illius mox intelligetis: *Perinde quaſi diuites nihil ad hanc prædicationem pertineant; Et reuera ita eſt nam cauſam diuitum pro re deſperata poſuit Dominus*; quaſi dicere vellet: Quãdo Deo cũ diuitibus in viam ſalutis reuocandis negotium eſt, dulcia verborum & ſimilium rerum remedia, aut ſuauia conſolationum diuinarum lenocinia nõ adhibet, vt facit cum pauperibus agens: nouit enim quod ob inſenſati cordis ipſorum veſaniam deſperata ſit per eiuſmodi remedia illorum ſalus, atque ideo rigidiora, fortiora, magiſque efficacia pro illis ſibi reſeruat, cuiuſmodi ſunt grauia flagella, afflictiones extraordinariæ, acutæ infirmitates, perſecutiones diuturnæ, aliaque mala his ſimilia, quæ ſola ad veram de peccatis ſuis pœnitudinem, & in Chriſtianarum virtutum ſemitam reuocare illos valent, quæ niſi adhibeantur *cauſam diuitum pro re deſperata poſuit Dominus.*

Luca 4. v. 18.

Iſidor. Clar. ora. 19. ib.

8. Quia Ezechias Rex Babyloniæ Regis Legatis ex quodam vanæ gloriæ appetitu, omnes totius regiæ ſuæ theſauros oſtenderat, Deus inde grauiter indignatus & offenſus Iſaiam Prophetam, vt eum ab errore ſuo reuocaret ei ſubmiſit, qui ſuum hunc in modum exorſus eſt ſermonem: *Audi verbum Domini exercituum.* Circa quæ verba Hieronymus Oleaſter obſeruat, Prophetam non appellaſſe Deum abſolute Dominum, ſed Dominum exercituum; *Domini exercituum.* Ideoque ab Iſaia cauſam inquirit, ob quam ipſe à Deo miſſus, vt Regis Ezechiæ erro-

Iſaia 39. v. 5.

tem corrigeret & emendaret, non dixerit solum: *Audi verbum Domini* sed insuper adiungere voluerit: *Exercituum* ? Num forte verba eius illam quam optasset, apud Regem non habuissent authoritatem, si ipsum absolute nominasset Dominum, vt proinde opus sibi fuerit appellare illum Dominum exercituum? Respondet quod non. Et rationem assignat dicens: *Quemadmodum bestiæ cum eas curare vis, instrumentum ad os aut ad aures adhibes, quo torqueas ne tibi noceant: vt ergo curandus Rex aduersus medicum non sauiret, timor Domini exercituum adhibetur.* Vt hac ratione Ezechias, Deum furore & ferro armatum sibi imminentem cernens, sese humiliaret, promptasque admonitionibus ab *Isaia* faciendis aures præberet. Totumque hoc ideo præcipue factum est, quia tractandum erat cum viro potenti & diuite, quem nisi Deus illum saluare procurans armatus aggrederetur, oleum & operam censebatur perdidisse.

S. Hieron.

9. Moyses Hebræos, post superatũ mare rubrũ in penitiora terræ promissionis loca introducturus, tanto inter illos conficiebatur labore, quasi omnes, vt sacer textus inquit, per omnem viam humeris suis post se traxisset: *Tulit autem Moyses Israel de mari rubro,* hoc est, tantum subijt laborẽ ac si humerorũ suorum fortitudine adhibita post se violẽter illos protraxisset; ad eum fere modum quo facere solet, qui bestiam aliquam infirmam ac debilem, quæ ad vnum vix passum progredi valet, per viam ducit, qui vt bestiam illam progredi nihilominus faciat, prætorquam quod valido ad illam fodicandam & percutiendam, baculo vtatur, funibus quoque quibus bestiam alligatam tenet, humeros supponit, illamque ex omni virium suarum robore atque conatu trahendo adeo se defatigat, ac si illam humeris suis sublatam deportasset. Hoc sensu verbum illud (*Tulit*) explicat Nicolaus Lyranus: *Tulit, quia cum quadam violentia & importunitate fecit eos inde recedere.* Vnde necessum est causam inquirere, ob quam Hebræi, qui hactenus tanta cum agilitate ad illum vsq; locum ambulauerant, abinde tamen non nisi protracti, raptati, aliasque à Moyse duce suo violentias passi, vlterius dimoueri potuerint. Hanc autem & valde quidem propriam idem Doctor Lyranus assignauit, dicens: *Erant enim cupidi & ideo nimis intenti ad spolia Ægyptiorum submersorum colligenda; quia secundum quod dicunt Hebrai, ista spolia fuerunt maiora & pretiosiora, quam illa quæ asportauerant de Ægypto per accomodationem.* Mox enim vt Pharao cum exercitu suo in mari rubro submersus fuit, mare, vti communiter accidit, cuncta Ægyptiorum spolia ad littoris marginem proiecit, quibus Hebræi vtpote homines cupidi & auari, quod ijs quæ in Ægypto ex diuina ordinatione mutuo acceperant, longe opulentiora & pretiosiora essent, adeo sese onerarunt, vt ne vnum quidem passum ad destinatam sibi promissionis terram progrediendo facere possent. Vnde ad illos à littore dimouendos, opus fuit, vt per vim & violentiam ipsis illatam extreme sese Moyses defatigaret: *Tulit autem Moyses Israel de mari rubro.* Per quod haud obscurè insinuatur, quantam Deus & ministri eius difficultatem habeant, donec diuites & opulentos versus promissam Paradisi patriam ambulare faciant, nisi enim violentiam, & vires extremas ipsis adhibeant, seque mirum in modum defatigent, nunquam sola facilitate & bonis verbis vel pedem in via virtutis mouere suadebunt.

Exodi. 15. v. 22.

Nicol. de lyra ibid.

10. Alio quodam ex Genes. cap. 2. desumpto scripturæ loco considerationem præsentem tandem concludamus; Ibi enim Deus Euam prothoparentem nostram ex Adæ carne & ossibus formaturus, vt sic creatam, Adamo non tantum in coniugem, verum etiam in adiutorium, laborumque ac necessitatum suarum subleuatricem, ac peculiare solamen redderet, Adamum profundo prius somno, vt sacer textus inquit, sepeliuit: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea &c.* Oleaster cæremoniã istam obseruans, vidensque Deum non minus vigilante, quam dormiente Adamo desideratam illi coniugem, & adiutricem formare potuisse, admirabundus quærit, cur Deus Euam illam nihilominus non nisi Adamo futuro marito suo dormiente, creare voluerit? *Nunquid non potest eo vidente illi facere adiutorium, vt opus sit soporem inducere?* Et respondet

Genesis 2. v. 21.

Oleaster ibid.

det: *Ostendit quam sit difficile ab homine auferre, quod etiam in eius cedit vtilitatem. Filij hominum genus auarum, non sinunt sibi auferri etiam quod sibi vtile est: quamobrem opus est ab eo surripere, quod ipse concedere negligit* q. d. Deus per hanc cæremoniam toti mundo testatum facere voluit, quanta sit diuitum auarorum stultitia, vtpote qui vltro citroque, non coacti nunquam opus aliquod bonum faciunt, tametsi idipsum euidenter & clare in ipsorum resultet vtilitatem & commodum, nisi magna illis adhibeatur vis & violentia. Tametsi Adam à Deo fuisset præmonitus, fore vt mulier ita ex costa sua formanda, lectissima sua fieret sponsa, nec non dulce laborum necessitatumque suarum adiutorium atque solamen nunquam tamen Deus ab eodem obtinuisset, vt Deo creatori suo prompta pronaque ex voluntate pro futuræ comparis suæ formatione vnam ex costis suis vltro cederet, nisi Deus prius profundo eum somno sepeliuisset, eidemque costam hanc per vim & citra voluntatem & furtiue quasi sustulisset. Quando Deus tibi, ô Diues auare, persuadet, vt vnam diei horulam ordinarijs occupationibus tuis adimas, animæque tuæ seruitio eandem impendas; aut ne in negotijs tuis nimium superbias & efferaris; vel vt manus tuas aperias, nudum vestias, famelicum nutrias, pauperibus in suis extremis necessitatibus subuenias, quid aliud prætendit, quam bonum tuum, tuam salutem, beatitudinem tuam? Et tamen non nisi per vim tibi illatam obtinere id à te potest; nisi enim se tibi armatum exhibeat & furibundum, nihil boni operaberis vnquam. Vnde liquet quanto melior sit pauperum conditio, qui sine vlla adhibita vi & violentia intenti sunt propriæ salutis operibus, vti in præsenti videtur Euangelio, in quo turba ad sola incarnatæ sapientiæ verba credere dicitur, diuitibus incredulis & infidelibus remanentibus: *De turba multi crediderunt in eum.*

SERMO XXIX.

In Feriam IV. Dominicæ Quartæ Quadragesimæ,

Præteriens IESVS vidit hominem cæcum.

Ioannis. 9.

QVod si Deus primo mundi conditi die scalam quandam formasset valde magnam, cuius vertex in nona cæli sphæra, basis vero in terra fuisset defixa, atq; in eandẽ scalã hominem, hoc ei dato ordine collocasset, vt paulatim deorsum in terram descenderet, omnique die minus quam viginti milliaria non conficeret, talis vtique in hanc vsque horam non solum nondum in terra compareret, verum insuper quatuor illi annorum itineris millia adhuc conficienda restarent: Tanta est quæ cælum inter & terram reperitur distantia. Et- *Simon Maiolus in mat.* enim non minor est quæ pro salute nostra procuranda, inter cogitationes & opera Dei, & nostra intercedit intercapedo, ipsomet Deo per os Euangelici Prophetæ id attestante: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, viæ meæ: quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* *Isa. 55. v. 8.* Tametsi autẽ sacra scriptura nobis varijs in locis varia de hac materia suggerat argumenta, sufficiet tamen de eadem in hoc præsenti Euangelio tria duntaxat

taxat obseruare. Primo enim Dei filius animarum nostrarum negotijs summa cum sollicitudine & vigilantia vacare, corporis vero curam obiter, & pertransennam vt dici solet peragere videtur: cum tamen homines è diametro oppositum illius facere conspiciantur. Præterea Christus ob hominum metum bene operari non intermittit; cum tamen homines econtra ob respectum & timorem humanum bene facere sæpe verecundentur. Vltimo denique Christus pauperes fouere & amplexari in delitijs habet, homines autem quotidie cernuntur eosdem ex suo consortio prorsus abijcere & repellere. Tres iam dictas oppositiones, quas Euangelij Aquila in præsenti insinuat, sigillatim per singulas cōsiderationes fusius aliquantulum peruideamur.

CONSIDERATIO I.

Præteriens Iesus.

Cura & diligentia Christi, & humana in negotijs salutis nostræ curandis negligentia adeo magna est, vt cum Christus animarum nostrarum negotijs strenue ac serio incumbat, res vero corporales obiter tantum curet, sicque maiorem se animarum quam corporum curam habere demonstret, nos secus facientes contrarium prorsus faciamus.

Saluator mundi cœco nato in præsenti Euangelio duo dona & lumina conferre videtur. Vnum est corporis, aliud vero animæ lumen. Primum confert obiter transeundo illum: *Præteriens Iesus vidit hominem cæcum*, ideoque fecit lutum ex sputo & liniuit. Quasi illum non fuisset illuminaturus, nisi eum itineris huius occasione habuisset obuium. Maxima autem cum efficacia cura & sollicitudine administrat lumen secundum, quia singulari cura & industria quærit illud, ac tandem non corpus tantum sed & animam illuminat. *Et cum inuenisset eum dixit: Tu credis in filium Dei?* Qua in re manifestum redditur, quod Christus maiorem habeat negotiorum animæ nostræ, quam eorum quæ ad corpus pertinent, curam & sollicitudinem, cum tamen in nobis omnino experiamur contrarium; Quod in præsenti consideratione latius videbimus & probabimus.

1. S. Antonius de Padua pulchrè obseruat magnam diuersitatem modi, quo Deus executus est admirabile incarnationis verbi mysterium, & modi quo mundi fabricam erexit; vidensque illud factis consummatum esse S. Ioanne dicente: *Et verbum caro factum est*: Hanc vero perfectam esse verbis, iuxta id quod Propheta dicit: *Quoniam ipse dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt*; tandem eousque pertingit vt assequatur Redemptionis animarum nostrarum difficultatem, & facilitatem creationis creaturarum sensibilium, & dicit: *Tanta est differentia inter dicere & facere, quāta fuit inter creare & recreare. Creatio facilis, quia solo verbo imo sola volūtate: sed recreatio difficilis, quia per passionē & mortem.* Dum autem dicit mundi creationem verbis absolutam fuisse, animarum vero redemptionem factis fuisse completā, insinuare vult; Deum qui admirabili cum facilitate, solorum verborum instrumento, imo solius voluntatis suæ nutu formauit, quicquid in mundo conspicimus & admiramur; ad animas nostras ab æterna sua dānatione redimendas, maxima cum difficultate accedere, siquidem ad hoc opus fuit, vt homo fieret passibilis & mortalis, laboraret triginta tribus annis continuis, caperetur ad instar latronis, sub varijs acerbisque tormentis pretiosum suum funderet sanguinem; ac tandem in infami Crucis ligno extensus, clauisque affixus impijssimè occideretur. *Recreatio difficilis quia per passionem & mortem.* Vnde colligitur Deum animas nostras maximopere tanquam rem pretiosissimam æstimasse, plusquam omnia bona temporalia & corruptibilia, nam cum ad res corporales ad præsentem vitam pertinentes verba duntaxat adhibeat; pro rebus tamen ad animæ salutem spectantibus econtra se totum impendit & consumit per longos labores, per amaras lachrymas, sanguineum sudorem, per cordis acerbissimos dolores, Denique vitam prodigendo propriam.

Ioan. 1. v. 14.

S. Anton. de Padua ser fer. 4. post dom. pass.

2. Audi quid Dauid Propheta ad præsens

Ps. 15. v. 8. nostrum propositum apposite dicat: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* q. d. Postquam sæpius mecum attente considerani, quem in locum Deus meus circa me, vt ab inimicis meis me tueatur & defendat, sese recipiat, semper eundem ad dextrum latus consistentem conspexi. *A dextris est mihi.* S. & mellifluus Pater Bernardus hæc verba considerans, interrogat: Cur Deus solam dexteram tueatur & defendat, sinistrã vero relinquat, cum tamen homo ad integram sui à persecutionibus defensionem, diuina protectione tam à dextris quam à sinistris opus habeat? Nunquid conuenientius esset si in hominis defensione prudentis cuiusdam belli ducis imitaretur & faceret officium qui vt commissam sibi ciuitatis alicuius custodiam feliciter obeat, eandem ex omni parte tam dextra quam sinistra circumdat, munit, & protegit, ne inimicus locum habere possit, per quem ruptis muris aditum inueniat. Mellifluus tamen hic Doctor per sinistram bona corporis, quibus in hac præsenti vita fruimur intelligi vult: per dexteram vero bona animæ, quibus fruituri sumus in altera: *Spiritualia quidem bona attribuimus dexteræ, sinistræ vero carnalia.* Atque ideo respondet, & nodum huncdissoluit dicens: *Hac gratia & misericordia Dei in seruos eius, & respectus in electos illius, vt in eorum interim sinistram velut dissimulans, dextera semper studiosus protector assistat.* q. d. Tametsi Deo curæ sit totum hominem defendere, tam in dextera, quam in sinistra, hoc est, & in bonis animæ & in corporis bonis; attamen in bonis animæ illum præcipue defendere dicitur, eo quod maiori cura res animæ protegat, parui sæpe faciendo bona corporis, quæ frequenter inter inimicorum suorum manus derelinquit, vti in persona Iob fidelis serui sui videre licet, cuius animam maxima cura & sollicitudine custodiuit & defendit, facultatibus terrenis & corporis bonis in furibundi Sathanæ manu relictis: *Dextera semper studiosus protector assistit.*

S. Bernardus serm. 7 in ps. 90.

3. Nemesius Episcopus Emissenus causam inuestigat, ob quam Deus Adæ prothoparenti nostro fruitionem arboris scientiæ boni & mali interdicere voluerit, vti in Genesi refertur: *Ex omni ligno Paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas,* & dicit id factum esse ideo, quia cum arboris illius fructus naturalem habuerint virtutem homini illos manducanti, rerum illarum, quibus opus habet humana fragilitas, notitiam communicandi, haud dubie Adam quoque illos manducans in eandem tunc naturalium necessitatum peruenisset notitiam, earundemque subleuamini, & remedio procurando grauiter studuisset; quia ergo hæc temporalium rerum sollicitudo & cura valde Deo displicet; sicuti visum est deinceps posteaquam de fructu illo reipsa manducauit, hinc præceptum illud condidit, & fructus illius esum prohibuit. Verum dicat aliquis: Quidnam Adam mali fecisset, si de fructibus illis manducãs corporisque necessitates perfecte cognoscens, illarum studuisset remedio & subleuamini? si verbi gratia vt se à nimio calore defenderet, aut vt à se pluuiam aliasque aëris iniurias arceret, tugurium aliquod fabricasset, aut si ad nuditatem corporis tegendam aliquam corpori suo adaptasset vestem, aut si calceos pedibus suis curasset, vt commodius ambularet, vt proinde Deus præcepto aliquo adeo rigoroso fructum illum vetare & prohibere voluerit? Idem Doctor malum quod inde subsecuturum fuisset, assignat dicens: *Nolebat autem ipsum, antequam perfectus & absolutus esset, noscere suam naturam: nam vbi multa deesse sibi cognouisset, animi curam vsui cultuique corporis posthaberet* q. d. Quodsi Adam animæ ornamentis nondum perfecte & complete acquisitis, in necessitatum suarum corporalium venisset notitiam, vtique ad præstandum aliquod illis remedium, animæ curam habere neglexisset, id quod Deo vehementissime displicet, qui in oppositum eius quod faciunt homines, maiorem semper animæ quã corporis curam habet, ideoque expresse vult, vt ad sui imitationem animæ prius curarentur necessitates, eæ vero quæ sunt corporis postea.

Gen. 2. v. 16.

Nemesius de Nat. ho. c. 1. Bibl. pat. tom. 8.

4. Circa prima illa verba quibus Moyses mundi creationem describit: *In principio creauit Deus cælum & terram.* S. Chrysostomus obseruat, prius cælum creatum esse & postea terram; Prius enim dicitur *Creauit*

uit cælum. Et postea subditur. *Et terram.* Quia autem id illi valde nouum & mirum videtur, pulchrum hunc difficultatis nodum efformat: *Deus præter humanum morem suum perficiens ædificium, prius cœlum extendit, postea & terram substernit, prius culmen & postea fundamentum, Quis tale quid vidit? quis audiuit? In hominum sane operibus nihil vnquam tale fuit,* quasi diceret, quamobrem magnus ille vniuersi architectus in fabrica domus mundi huius, prius tectum, idest cælum erigere voluit, postea vero pauimentum, idest terram, cum tamen contrarium fieri videatur apud homines, apud quos culmen ædificij nunquam erigitur, nisi fundamento prius bene stabilito? Respondetque ad præsens propositum: tametsi verum sit, hominibus vsitatum esse, prius de fundamento & postea de tecto cogitare, hoc est, prius soleant procurare res corporis, quod est pars ipsorum inferior, & postea ea quæ animam tangunt, quæ est superior hominis portio. Vnde fit quod in omnibus negotijs suis demonstrent primas cogitationes ad corporis necessitates applicatas esse, reliquas vero ad ea quæ animam spectant: Attamen hic humanus fabricandi modus, Deo opt. Maximo minime placet; vtpote qui nunquam subleuare solet necessitates corporis, nisi prius animæ necessitatibus prospexerit, Et ob eandem rationem cælũ prius fabricare voluit ad glorificandam animam, quam terram formaret, super qua corpori breui temporis spatio locum daturus erat. Ad insinuandum quod maiorem curam gerat negotiorum salutis nostræ spiritualis, vtpote rei maioris momenti, quam eorum quæ corporalem salutem attineat, vtpote quæ nonnunquam aut damnum adferunt, aut saltem parum prosunt, licet homo aliter hac de re sentiat seque contrario prorsus modo habeat.

S. Ioan. Chrysost. Hom. 2. in Gen.

5. Iuuenis ille, quem mundi Saluator in suum elegerat discipulum, de quo S. Lucas loquitur, priusquam scholæ diuinæ inculisset pedem, Patrem suum sepeliendi licentiam à Domino petijt, quem iam iam mortuum dereliquerat. Cui Christus: *Sine vt mortui sepeliant mortuos suos.* quasi diceret: Nolo vt à me vel vnico etiam momento discedas, si enim, vti refers, mortuus est pater tuus, non deerunt qui ipsum valeant sepelire. Impossibile, alicui videri posset responsionem hanc, prouti prima facie apprehenditur ex pientissimis Christi labijs manare potuisse, siquidem filio debita prohibet officia, quæ vtpote ad honorem Patri suo exhibendum multis titulis obligatus, sepulturæ cadaueris paterni ex omni ratione impendere debebat. At vero S. Chrysostomus dicit, Christum hæc verba non ideo dixisse, quasi nollet vt filius pro obligatione sua Patrem extremo suo prosequeretur honore, sed quia nolebat permittere, vt negotia animæ, ijs quæ carnem spectant posthaberentur: *Non prohibuit honorare parentes, sed demonstrat cælestibus negotijs nihil esse præponendum.* Quia igitur iuuenis ille iuxta solitum aliorum hominum peruersum morem, se maioris negotia carnis, quam animæ siue spiritus, æstimare ostēdebat, ac proinde prius sepulturæ carnalis Patris insistere, postea vero lectiones Christi audire volebat, hinc Christus contrarium illi præcepit, voluitque vt prius animæ quam carni intenderet, quippe cum Deus maiorem animæ quam corporis habeat rationem.

Luca 9. v. 60.

S. Ioan. Chrysost. apud Hug. Card. ibid.

6. Dum idem animarum nostrarum Saluator, die quadam in Apostolorum suorum societate ambularet, accessit quidam sese illi ad perpetuam vestigiorum suorum cum discipulis suis sequelam offerens: *sequar te quocunque ieris.* Ex qua oblatione Christus supra modum indignatus & offensus, iniuriosis hisce verbis hominem illum à se dimisit: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Tostatus hunc locum obseruat, vultque illum esse vnum è difficillimis qui in scriptura sacra reperiuntur, qui merito quemlibet illum attente ponderantem obstupescere faciat. Vnde dicit quidnā mali hic à Domino poposcit, quod tanta cũ seueritate ab eodem fuerit repræhensus, tamque turpem ab illo passus fuerit repulsam? Nunquid à Christo gratiam sibi indulgeri petijt, qua mundum relinqueret, Dominum sequeretur, obsequium denique præstaret adeo animæ suæ salutare & gratum Deo? cur igitur hanc passus est à Christo repulsam, magnamque ignominiam? Tandem

Luca 9. v. 57.

vetam

vetam se adinuenisse rationem, arbitratur, cũ dicit: *Tepide & inerter accessit ad Christũ, nõ considerans quod res magna erat fieri discipulum Christi & tamen ipse quasi nihil peteret, non attentè sed qualitercunque accessit.* q. d. Tametsi negotium quod cum Christo tractabat arduum esset, magnique momenti, adeoque saluti animæ suæ vtile & necessariũ, & gratum Deo, attamen quia frigide illud & tanquam rem nullius momenti petijt, merito hac ratione repulsus fuit ac reprehensus omnino credo. Quod si idem ille adolescens corporali aliquo morbo obnoxius Christum temporalem sanitatem postulaturus accessisset, omnes vtique ingenij vires adhibiturus fuisset, vt maiori cum deuotione in se excitata, viuaque fide munitus Christum conuenire posset. Quia vero, de negotijs & necessitatibus animæ cum Christo acturus veniebat, inerter, languidè, negligenter & frigide se Christo ad sequelam obtulit. Solemnis nimirum hominum mundanorum est proprietas, maiorem necessitatum corporis rationem, quam eorum quibus anima indiget, habere rationẽ; in illis enim ardentes sunt & feruidi, in hisce frigidi & gelidi esse comperiuntur.

Tostatus q. 57. in c. 8. Matth.

7. Negari non potest, quia gratia remissionis peccatorum quam Christus animarum nostrarum Saluator paralytico illi, qui vt corporis consequeretur salutem tanta cum industria & labore ad sanctos Christi pedes portari se fecit, hisce à S. Matthæo cap. 9. relatis verbis præstitit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, extraordinaria prorsus fuerit, valdeque mira, maior vtique quacunque corporis salute, imo gratia salutis animæ nihilo minor. Nihilominus Ioannes Episcopus, apud S. Thomam in catena ibid. relatus dicit, gratiam illam non tanti ab hoc homine æstimatam, neque vt quid magnum aut alicuius momenti agnitam fuisse, cum enim se à peccatis suis solutum & liberum videns obligatus esset, infinitas in tanti doni recognitionem Christo referre gratias, ne quidem os suum, vt verbum aliquod diceret aperuit: *Audit veniam & tacet paralyticus, nec vllam rependit gratiam.* Tantæ autem ingratitudinis inuestigando causam, hanc inuenit, nimirum: *Quoniam plus corporis quam animæ tendebat ad curam.* q. d. Ideo receptum non recognouit fauorem, nec debitas Christo gratias egit, quia non tam animæ quam corporis requirebat sanitatem, omnes namque diligẽtiæ & industriæ, quas vt Christo præsentaretur adhibuisse videbatur, ad desideratam morbi duntaxat corporalis, non vero peccatorum quæ spirituales animæ infirmitates existunt curam obtinendam directæ erant. Atque ideo tametsi gratia illi concessa nec maior esse potuerit, nec melior, hanc tamen non agnouit, neque alicuius æstimauit, nec debitas Christo benefactori suo de illis gratias retulit. Vulgaris namque mundanorum hominum proprietas est, vt sicut vna ex parte pro consequendis bonis corporalibus, omnes artes, conatus, diligẽtias adhibere solent, nec vlli labori parcunt; ita ex altera parte animæ bona nihili faciant. *Plus corporis, quam animæ tendebat ad curam.*

Matth. 9. v. 2.

Ioan. Epis. apud S. Thomam in cat. ibid.

8. Rabanus opinatur infirmam & aridam hominis illius manum quam Christus in Synagogam ingressus, miraculose, vt idem refert Euangelista, sanauit, dexteram fuisse, sinistra enim eius valida adhuc erat & sana: *Habebat homo dexteram manum languidam.* Dexteram hominis illius languidam, sinistram vero sanam fuisse, quantum ego quidem intelligo, occultum vtique in se recludit mysterium, quod ab eodem Doctore optime notatum & explicatum est hisce verbis: *Habebat autem homo dexteram manum languidam, quia ab Eleemosynis torpebat, sinistram sanam, quia suæ vtilitati intendebat.* Quasi dicere vellet; quia per manum dexteram, res animæ intelliguntur ad æternam salutem spectantes: per sinistram vero res corporales quæ præsentem vitam, vt supra diximus respiciunt, signum est quod homo ille dexteram languidam ideo habuisse dicatur, quia negligenter & languidè operibus insistebat salutis æternæ; sinistram vero fortem & validam habuisse dicatur, quia omni cura, studio, & industria bonorum temporalium lucro & incremento vacabat. Neque mirum vobis videatur, quod Euangelista virum illum appellârit hominem: *Ecce homo manum habens aridam.* Nam segnem & negligentem esse in rebus spiritualibus, animam tangentibus, in rebus

Matth. 12 v. 10.

Rabanus apud S. Th. in cat. ibid.

autem corporalibus curandis, fortem alacrem & sollicitum, communis est omnium fere hominum infirmitas.

9. Deus olim populum hebræum tanto eum rigore & seueritate in Sabbati obseruantia continebat, vt illis manus suas ad aliquod opus seruile quantumuis leue applicare neutiquam permiserit; Vnde tametsi omnibus alijs extra Sabbathum diebus quotidianum illis de cælo manna depluerit, non tamen in Sabbatho ne videlicet illo die in manna illo colligendo occuparentur. Tostatus rationem quærit, ob quam Deus olim hebræos in Sabbatho, necnon & Christianos in sacris illorum festiuitatibus ab operibus seruilibus prorsus abstinere voluerit, eandemque mox assignat dicens: (*Vt daret eis incentiuum siue occasionem vacandi Deo, nam cum aliquis videret se carentem omni occupatione, conuerteretur ad Deum.*) q. d. Deus illis opera seruilia prohibere voluit, ne aliquam in suis festiuitatibus se à diuino cultu diuertendi haberent occasionem, vt nimirum hac ratione vidēntes se illis diebus manus suas ad opera seruilia corporalia extendere nō posse ad ea quæ Deū & animarū suarū salutē spectant, tanto se promptius conuerterent, vt otia fugiant. Vnde perspicue colligitur, causam cur homines festiuis diebus se totos diuino cultui, animarumque suarum saluti impendant, aliam non esse, nisi quia illis diebus à negotijs rerum seruilium & corpus tangentium coercentur & impediuntur, nisi enim tali impedimento ligati essent, ne vnicam horulam quidem spiritualibus negotijs dedicarent. Videte igitur, quanta & quam supina sit in acquirenda animæ nostræ salute negligentia nostra: tanta nimirum, vt cum in rebus præsentis huius & corruptibilis vitæ diligentissimi simus, in alterius tamē vitæ beatitudine acquirenda, nisi forte per occasionem aut vim adhibitam coerceamur, ne manum quidem moueamus, in oppositum scilicet illius modi, quem Christus semper & assidue obseruat.

Tostatus q 12. in ca. 16. Exodi.

10. Vnde homines mihi hac in re Asino non multum absimiles esse videntur; sicut enim Asinus in partibus corporis sui posterioribus, vti dicit, Doctissimus Berchorius fortis est & robustus, in anterioribus vero partibus infirmus est & debilis. Ita quoque illi quoad animæ portionem, quæ prior dici meretur eo quod vt Saluator noster dicit, præ omnibus alijs quæri & inuestigari debeat: *Primum quærite regnum Dei.* debiles sunt & flaccidi: in partibus vero corporis quæ sunt posteriores, sunt fortes, validi, atque robusti. Atque ita ij qui pro corporis obsequijs pro virium suarum possibilitate laborant, centum se inuolutos difficultatibus semper inueniunt, donec pro animarum salute extendere manum possint.

Berchorius Redne. sporal.

Matth. 6. v. 33.

11. Vnde fit quod Dauid Rex de nonnullis à Deo in mundum submissis flagellis loquens dicere non dubitauit: *Percussit inimicos eius in posteriora* Hugo Cardinalis hunc locum obseruans videnſque Prophetam non dicere, *Percussit inimicos eius in anteriora, sed in posteriora*, interrogat, cur Deus illos retro & non ante percutere voluerit?

Ps. 77. v. 66.

Et respondet, locum istum de ijs flagellis intelligendum esse quæ per venerabilium Episcoporum ministrorum suorum manus aduersus homines peccatores & impios, veluti vsurarios, adulteros, blasphematores, aliaque similia hominum monstra vibrari solent. Hi enim nonnunquam non in partibus anterioribus tantum, siue animæ rebus per excommunicationes, aliasque pœnas spirituales, quæ animam tangunt, castigantur & plectuntur; verum etiam in partibus posterioribus per pœnas nimirum temporales & pecuniarias quæ ad corpus pertinent. Idque Deus eo potissimum fine vult fieri vt dolorem aliquem persentiscant: cum enim spiritualium bonorum iacturam minime sentiant, nec de illa doleant, viuacissime econtra pecuniarum aliorumque temporalium bonorum sentiunt iacturam, deque ea acerbe conqueruntur & dolent. En tibi ipsissima Cardinalis verba: *Percussit inimicos eius in posteriora, quia quando quis percutitur anathemate, non sentit, quando vero percutitur pœna pecuniaria, hoc est, in posteriora, tunc sentit ac dolet.* Paulo post autem hæc verba mox Hugo subiungit: *Talis est inimicus Dei*, id est vsitato modo agendi ipsius Dei aduersatur. Quia cum Deus animæ bona magni faciat, corporis autem bona nihili æstimet: Ipse in oppositum eius quod facit Deus, valde æstimat bona corporis,

Hugo Card. ibid.

poris, deque illorum iactura grauiter dolet, animæ vero bona nihili facit; atque si amisso cælo infernum sibi adsciscat, nihili curat: *Talis est inimicus Dei.*

CONSIDERATIO II.

Quia timebant Iudæos.

Nihil æque homines timere debent, quam ne homines timeant.

TAmetsi Christus optime nosset, quod miserabilem hunc cæcum in Sabbato curando, iniustam contracturus esset crudelium inimicorum suorum indignationem, illosque ad persecutiones suas ardentius prosequendas excitaturus, nullo tamen propter hoc inimicorum suorum timore correptus fuit, nec quicquam de tantæ pietatis opere intermisit, in contrarium eius quod fecere parentes, qui vt refert S. Ioannes ob Iudæorũ metũ gratiã filio suo à Christo collatam confiteri noluerunt *Quia timebant Iudæos.* Vnde clare liquet, quam procul absimus & distemus à Christo; cum enim Christus a nullo prorsus quorumuis etiam hominum timore impediri se permiserit, quominus homines subleuaret; Nos econtra Iesum Christum verum Deum glorificare nequaquam audemus ob inanem hominum metum. Quia autem humanus hic timor infinitorum in nobis est malorum occasio, merito curandum nobis erit, vt Christo in propellendo vano isthoc timore conformemur, semperque ab hoc defectu procul abesse curemus, nullumque in negotio animarum nostrarum alium admittamus timorem, quam ne hominum vano & puerili timore terreamur.

1. Primi qui ad festum dedicationis statuæ aureæ à superbo Nabuchodonosore Rege erectæ concesserunt, vt sua coram illa genua flecterent, eamque adorarent, Magnates, nobilissimique totius regni sui primores fuerunt. *Tunc congregati sunt Satrapæ,* Dan. 3. v. 3. *Magistratus, & Iudices, Duces & Tyranni, & optimates qui erant in potestatibus constituti, & vniuersi principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem statuæ.* Hos demum alij, plebei videlicet & pauperes, vti idem Propheta subiungit, sunt subsecuti. Dicere etenim hic aliquis posset adorationem istam eo quo à Propheta proponitur ordine factam esse, vix est credibile; Plebei namque vtpote gens ab omnibus mundi negotijs expedita, Deoque deuota, communiter primi sunt, qui ante omnes alios ad festa velocius concurrunt, ad quæ nobiles econtra tardè conueniunt & communiter vltimi comparere solent; qua igitur ratione hoc in loco contrarium prorsus fieri videtur? Neque tamen hoc aliquam in vobis admirationem pariat, inquit S. Hieronymus, nam: *Principes congregantur ad adorandum, vt per principes seducantur & gentes,* S. Hieron. ibid. quasi dicere vellet: Quod Principes apud Danielem omnium primi in templo reperiantur, non id factum est quasi maiorem præ cæteris habuerint deuotionem, sed ob expressum Regis præceptum, qui quod in plebe aliquam experiretur circa Idoli adorationem difficultatem, optimatibus suis præcepit, vt in ea solemnitate primi essent, vt hac ratione communis plebs eorum exemplo reuerentiali quodam metu perculsa, nequicquam auderet contradicere, vti etiam postea reapse accidit. Hoc autem supposito scire percuperem, cur Rex optimates in adorando Idolo non repererit difficiles, cum tamen vt communem plebeculam ad tantum scelus induceret, difficultatem non modicam repererit; Nunquid magnates, vtpote sapientiores, maiorisque apud Regem authoritatis, maiorem tyranno contradicendi habuissent facilitatem & libertatem quam communis plebecula? Ad hoc sanctus Doctor respondet: *Qui enim diuites sunt & potentes, dum timent carere diuitijs & potentia facilius supplantantur.* Atque ideo tametsi satrapæ alijque Chaldæorum optimates, sapientiores & potentiores plebe extiterint, metus tamen Regis, qui illos occupabat, ne bonis & facultatibus quas possidebant spoliarentur, illos in tam enorme scelus adeo facile consentire fecit. Adeoque ob vnius hominis metum, ad tantam indignitatem committendam sunt prouoluti, vt insensibile quoddam metallum veluti verum Deum suum adorarint *Dum timent carere*

vere diuitijs & potentia, facilius supplantantur.

2. Postquam hebræi ad abiurandos Deo suo viuo & vero diuinos honores, atque ad vituli cuiusdam aurei adorationem se resoluissent, ad Aaronem summum sacerdotem confestim se receperunt, ab eodemque Idoli illius fabricam & erectionem extorquere conati sint, dicentes. *Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Aaron autem sine vlla cunctatione illis non vitulum tantum fabricauit; verum & altare simul erexit, nec non veluti præco quidem, ad sequentis diei solemnitatem populum ipsemet conuocauit. Certe quisquis Aaronis sibi perspectam & notam habuerit integritatem vitaque sanctimoniam, tantum tamque nefandum ab illo scelus commissum esse audierit, continere se haud quaquam poterit, quin exclamet & dicat: Quomodo eheu magnus ille tot ornatus virtutibus, totque ab omnipotenti Deo suo honoribus sublimatus Dei sacerdos committere potuit, vt tantæ talisque abominationis ipsemet artifex fieret, cum potius sancto armatus zelo, gladium stringere, omnesque simile facinus machinari præsumentes repellere & impedire debuisset. Quomodo non potius pro Dei Opt. Max. honore, corpus & vitam suam cuiuis exposuit periculo, ad eum modum qui de sanctis Martyribus Claudio & socijs eius nobilissimis sculptoribus legitur, qui quod Romanorum Idola facere nollent, sanguinem & vitam suam ex crudelis Diocletiani sententia iussi sunt prodigere. S. Antoninus dicit, quod Aaron magnum hunc errorem commiserit: *Timens ne denegando occiderent eum, sicut Hur collegam suum, sicut is occiderunt, qui eos arguebat de tanta stultitia* Adeoq; metus Hebræorum, quo sanctus ille sacerdos erat correptus, effecit, vt in tantam ipse abominationem prolaberetur, videte igitur quantopere à nobis timendum sit, ne homines inaniter timeamus; siquidem ob vnum hunc defectum, maiores Dei amici, hominesque sanctissimi perfectissimique in tam horrenda, imo fere incredibilia scelerum præcipitia deturbari videantur: *Timens ne denegando occiderent eum.*

Exodi 32. v. 1

S. Antoninus par. 4. titulo 24. cap. 4.

3. Multi causam quærunt, ob quam protoparens noster Adamus tametsi adeo fuerit sanctus & prudens, oblatum sibi nihilominus à stulta coniuge sua fructum recipiens manducarit, cum tamen probe satis nosset in dono illo, venenum quoddam, non sibi duntaxat, sed & omnibus ex lumbis eius nascituris hominibus apprime noxium latere absconditum. Huius autem ratio hisce verbis à doctissimo Abulensi adducitur: *Adam consensit vxori, ne eius delitias contristaret.* Timebat enim ne coniugem suam offenderet, aut delitias eius aliqua amaritudine aspergeret; aut ne si donū illud respueret, perpetuam sibi illius adscisceret inimicitiam, familiaremque hoc modo lateri suo indissolubiliter adhærentem haberet aduersariam. Licet igitur Adam homo fuerit adeo sanctus, ingensque illud in quod tum semetipsum, tum vniuersos alios mundi homines, per vetiti illius fructus esum deturbaturus erat, periculum præuiderit, attamen ob hunc vanæ & fatuæ huius mulieris timorem in tantæ perditionis pelagus sese præcipitare non curauit. Vnde merito affirmare possumus, humanum timorem & respectum solum fuisse primogeniæ Deo offensæ, tot dolorum quibus repletus est mūdus, exclusionis ab æterna gloria, & perpetuæ tot hominum damnationis principalem causam atque originem.

Tostat. in cap. 3. Gen.

4. Quod Maria Magdalena in principio in primum inciderit carnalitatis peccatum, mirum videri nequaquam debet, cum enim carne fuerit circumdata, quæ magnos quoque sanctos ad Dei offensam impellit & inclinat, facile tanquam mulier quædam vana, mundana, & sensualis, cuiusmodi ipsa tunc erat, labi poterat. At vero quod ipsa, vtpote mulier quædam adeo spectabilis, nobilis, opulenta, & generosa, postea facta sit integræ alicuius ciuitatis publica meretrix, prout S. Lucas refert: *Mulier in ciuitate peccatrix,* hoc profecto tanquam quid stupendum suspensos merito tenet omnes. Quanam enim arte vsus fuit communis humani generis inimicus, vt ipsam tot multiplicare culpas coëgerit? ecquomodo ipsam in lachrymabilem adeo præcipitare potuit voraginem. Humano tantum ad omnes hasce miserias excitandas vsus est timore, inquit S. Vincentius Ferrerius. Ex quo enim pri-

Luc. 7. v. 37.

primitus cum nobili quodam iuuene, qui illam deperibat, clam & secreto peccauerat, hic vti salacium eiusmodi iuuenum pessima fert indoles de peccato isthoc cum ipsa commisso apud alios sodales & contubernales turpiter est gloriatus, qui omnes pro simili voluptate captanda eam postea sigillatim conuenerunt, eidemque ne procaci illorum libidini quouis, sub quæsito prætextu abnuere auderet, fortiter comminabantur, se illam, nisi in turpia eorum consentiret desideria, publicè coram omnibus infamaturos : *Venerunt ad eam dicendo, certe nisi mihi consentiatis, ego reuelabo.* Vnde misera & infœlix iuuencula ob infamium linguarum illarum metum, lasciuijs paulatim se obtulit & exposuit integræ ciuitatis factaque est humano suadente timore publica meretrix.

S. Vincent. serm. de S. Maria Magdal.

5. Quodsi vnquam aliqua in mundo mulier fuit, tam suæ zelans castitatis, quàm carnalium spurcitierum abominatrix; ea certe vt Romani volunt fuit Lucretia; in cuius laudem Valerius Maximus inquit: *Dux Romanæ pudicitiæ Lucretia, cuius virilis animus maligno errore fortunæ muliebre corpus sortitus est.* Verum facile nonnemo obijciet. Quodsi castitas Lucretiæ adeo cordi fuit, ipsaque adulterium tantopere est abominata, qua igitur ratione factum est, quod cum Tarquinij superbi filio adulterij se labe contaminarit? Ratio illius, vt refert Tostatus, fuit, quia adulter comminatus est illi : *si non consentiret, occideret eam, & quēdam seruum, poneretque in lectum eius vtrumque occisum, & diceret, occidisse se ambos, quia inuenerat eos pariter commisceri. Sic territa Lucretia timore infamiæ futuræ, commisit adulterium.* Vnde misera hæc mulier metu comminatæ infamiæ lasciuo huic iuueni optatam cessit in prædam. Eheu quantum in corde hominis præualet humani timoris tyrannus, vtpote qui hominem sæpe cogit facere, quod ipsa etiam morte deterius abominatur & odit. Lucretia enim ab lasciuii huius iuuenis comminatorijs verbis intimidata, commisit, quod morte vehementius horrebat; pretiosamque perdidit pudicitiam, quam pro omnibus mundi thesauris ne leuiter quidem vnquam commaculasset, nedum amisisset. *Timore infamiæ futuræ commisit adulterium.*

Valer. Max Lib. 6. cap. 1.

Tost. in 1. Paral. cap. 17. quæst. 21.

6 Vnde Dauid Propheta ruinam hanc præuidens Deum suum hunc in modum deprecabatur : *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, à timore inimici eripe animam meam.* Videri non nemini posset Dauidem satius fuisse facturum si Deum rogasset, vt se ab inimico suo liberaret, quam vt se ab inimici timore absolueret, siquidem damnum quod timeri poterat, ab inimico, non vero à timore formidandum erat. At vero quia Dauid nec inimici manus, neque ipsammet quoque mortem timebat, sed verebatur ne inaniter inimicum timeret, prouti Dionysius Carthusianus hunc locum ponderans & premens egregiè obseruat : *A timore inimici eripe animam meam : eripe inquam, non vt occidar, sed ne occidentem carnaliter verear;* Ideo non orabat vt ab inimico, sed vt à timore inimici eximeretur. Nimirum magnus ille Israelis monarcha optime intelligebat maximam hominum ruinam, non ab inimici manibus, sed à timore procedere inimici. Inimicus enim nil aliud in illos potest, nisi eosdem temporaliter affligere, rebus suis illos exuere, sanitatem ac denique vitam eisdem eripere, quæ sunt mala quidem, sed transeuntia & nihili facienda. At vero timor inimici priuare illos potest diuina gratia, cælo illos semper extorres facere, illosque morti æternæ subijciendo in inferni perpetui barathrum præcipitare, quæ incomparabiliter maiora & grauiora mala sunt. Tot hisce tantisque malis obnoxium se vidit Marcellinus sanctissimus Pontifex, quando Diocletianum Tyrannum metuens obtemperare illi, suisque Idolis incensa offerre consensit; qui tamen postea corde suo ab hoc timore pleni expurgato, factusque ab eo solutus & liber, tametsi capite truncatus fuerit, ad cælum tamen vita beata potiturus lætus euolauit. Concludamus igitur & dicamus malum hominis non ab inimico, sed à timore inimici prouenire. Vnde merito Dauid non ab inimico sed à timore inimici eripi postulabat, vtpote à quo vltimam animæ suæ perditionem metuendam cognoscebat. *A timore inimici eripe animam meam.*

Ps. 63. v. 1.

Dionys. Carthus. in c 2. Luc. 1.

7. Inter cætera quæ Deus populo Hebræo, veluti immunda, & prophana animalia esse declarauit, suum quoque lepores locum

locum habent vti videre est Leuitici cap. 11. Et quantumuis variæ huius adduci possint rationes, quantum tamen præsens propositum nostrum postulat, sequenti duntaxat ratione contenti esse possumus. Sciendum igitur, quod tametsi lepus animal sit timidissimum, vtpote quod ad quemuis leuem strepitum tremit & palpitat, imo metus ille quo canes pertimescit, adeo est vehemens, vt sicut Pierius Valerianus narrat, canibus aliquando propius accedentibus, tametsi nullo adhuc morsu ab illis læsus aut vulneratus sit, mox exsanguis reddatur & mortuus. Vnde symbolum esse poterit hominis cuiuslibet formidolosi; qui homines impios, qui non iniuria per canes intelliguntur, valde formidat. Hoc igitur præsupposito dico, quod ratio ob quam Deus eiusmodi personam meticulosam, veluti immundam haberi vult, sit ea quæ sequitur; inanis nimirum hominum timor, ob quem se quotidie millenis peccatis contaminat & inuoluit, vel enim talis homo meticulosus superior est, aut vero persona priuata. Si est superior, cum contra eiusmodi canes non ausit rationem administrare iustitiæ, eosdemque pro meritis castigare, vtique illis vt sine vllo legum, aut pœnarum fræno viuant, aliasque personas virtuosas pro libitu conturbent, permittet; eritque gubernium ipsius euidens illius quam curandam habet Reipublicæ exterminium. Si autem persona fuerit priuata, quis nescit eum mox vt ab eiusmodi canibus fuerit impetitus, impijs eorundem appetitibus suum quoque daturum consensum esse, adeo vt si ad falso in canum illorum vtilitatem iurandum sollicitetur, prompte suas super sacra Euangelia manus sit extensurus, aut si ad faciendam in gratiam canum istorum, de eorundẽ inimicis vindictã interpelletur, sollicitus futurus sit, siue vt machinetur fraudes, & dolos, siue vt enses & cultros stringat, ijsdemque nunc hunc, nunc illum inuadat, aut alijs centenis sceleribus & impietatibus animam suam contaminet; neque enim tantum illis est animi, vt ijs quæ aduersus humanas diuinasque leges ab illis postulantur, vel minimum contradicere ausint.

Pier. Valer. lib. 11.

8. Priusquam Deus cum Moyse de ipso in Ducem populi sui eligendo tractaret, calceos suos vt exueret illi præcepit? *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Quidnam obsecro Deus à Moyse per cæremoniam istã prætendit? Certe meopte ex ingenio quid ad hoc respondendum esset dicere non possem. Videtur enim cæremonia ista ab eo, quod ipsi committere volebat, munere, seu negotio, valde impertinens & extranea. Nunquid enim Deus forte volebat vt nudis discalceatisque pedibus, ad illud pro quo mittebatur negotium se reciperet? sed quid referebat siue eo discalceatus, siue calceos indutus abiret? Referebat plurimum, inquit S. Ambrosius; Nam si abiuisset calceatus, ne vel vnicum negotiorum illorum pro quibus electus à Deo fuerat, exequi potuisset. Audite ipsissima Sancti Doctoris verba, sic enim rationem facile penetrabitis: *Mortale igitur atque terrenum calceamentum iubetur soluere, cum mitteretur ad populum liberandum, huius enim minister muneris timere nihil debet, nec à suscepto officio mortis periculo retardari.* q. d. Quia calcei vtpote ex animalium mortuorum pellibus formati, symbolum sunt nostræ mortalitatis, ideo Deus Moysen in generalissimum populi sui Ducem eligens, eidemque vt calceos è pedibus solueret, & procul à se abijceret præcipiens, per hoc eidem Moysi insinuare volebat, quod si imperio illi ad quod eligebatur se reddere idoneum vellet, opus esset vt cor à quocunque humano timore adeo purgatum & mundum habeat, vt non tam homo passibili & mortali carne circumdatus, qui ab alijs hominibus offendi, lædi, aut quicquam pati posset, quam Angelus aut potius Deus quidam esse videatur, qui homines nequaquam timent, vtpote qui ab ijs nequicquam lædi possint aut offendi; qui etiam licet in executione rerum ad officium suum spectantium, ineuidens incideret mortis periculum, haud secus ac si immortalis sit, nequicquam timeat, neque ab eo quod ex obligatione sibi faciendum incumbit, vllatenus retardetur. Nam apud Prælatum pusillanimem & formidolosum, omnia in ruinam abeunt: leges abolentur: Iustitia ad cælum reditum parat, mores deprauantur & insolescunt, nec quicquam est quod ad diuinum

Exodi 3. v. 5.

S. Ambros. in cap. 10 Luc.

resultare

resultare honorem possit. Atque ideo vt regimen suum debito modo obeat, opus est, vt veluti alter quidam Moyses, Calceos exuat, pellem leporis deponat, econtra vero leonis sese pelle cooperiat. Denique vt diuinam perfecte exequatur voluntatem, nequaquam respiciat, siue offendat infimos, siue ad iracundiam excitet magnates, tametsi hi sibi ipsissimam quoque mortem machinarentur: *Nec à suscepto officio mortis periculo retardari.*

9. An nescis (ita olim Deus Ezechielem prophetam alloquebatur) faciem tuam non iam ad instar hominum cæterorum ex carne constare & sanguine, sed illam à me adamantinam factam esse? *Vt adamantem dedi faciem tuam.* Vnde licet tibi immineat ferrum, aut ignis, tamen veluti Adamas quidam insuperabilis & imperterritus, non mutabis colorem, aut impallesces; vti quidem facturus esses si tibi facies esset, vti antea, ex carne & sanguine coagulata. Cuperem hoc loco ediscere causam, ob quam sancto Prophetæ deinceps non bene conuenerit facies carnea, cum eadem illum tempore præterito non dedecuerit, ideoque hoc loco opus fuerit vt Deus adamantinam ei inderet faciem? Et quantum ratione assequi possum, hæc videtur illius causa fuisse, quia videlicet illum in Prædicatorem populi sui elegerat, sic enim paulo superius illi dixisse legitur: *Vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos.* Facies namque boni prædicatoris non debet constare carne & sanguine, quæ hominum tangi timore, aut impallescere possit, tametsi hi mortem ei comminarentur, aut strictum pectori eiusdē admouerent, sed ex adamante, qui nec ferrum timet, nec ignem. vnde per hoc Deus significare voluit, Ministrum verbi Dei constantem, fortem, intrepidum esse debere, & quasi impassibilis esset aut immortalis, nullo cuiuscunque terreni periculi, etiam mortis commoueri timore. Nam si pusillanimis fuerit, nullam habere poterit authoritatem repræhendendi vitia, sceleratos corrigendi, aut emendandi commissos ab illis animæ defectus. Vnde nunquam latro persuadebit, vt iniuste ablata restituat: nec vindicatiuus vt receptas offensas condonet: aut vsurarius vt iniquum scripturæ instrumentum aboleat: nec concubinarius vt dimittat amasiam; nec quiuis alius peccator, vt via Inferni relicta cælestem terere incipiat. Necessum igitur est vt faciem habeat adamantinam, nec quicquam timeat: *vt adamantem dedi faciem tuam.*

Ezech. 3. v. 9.

Ibidem versu 4.

10. Nescio num hactenus aliquando studueritis inuestigandæ rationi, ob quam Christo Domino nostro in horto montis Olineti oranti, aperti fuerint diuini sui corporis pori, è quibus diuinus eius Sanguis in tanta copia est effusus vt instar pluuiæ cuiusdam seu imbris vehementis in terram decurrerit: *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terra.* inquit S. Lucas. Rationem igitur hanc S. Bernardinus adfert, & dicit factum id esse ob memorabilem quandam victoriam, quam in lucta seu agonia cordis Christi amor diuinus de humano timore reportauit; *Concurrerunt ad inuicem timor & amor, scilicet timor pœnæ quam passurum se intelligebat, qui timor pœnæ fecit currere Sanguinem ad cor. Et amor humani generis pro quo passurus erat, similiter cucurrit ad cor: & tunc, amor ita impleuit cor, quod cum subito & magno impetu expulit de corde sanguinem dicens: Exi foras sanguis, quia amor vincit timorem quia volo quod Christus moriatur pro populo suo Christiano, & cum tanto impetu tetigit cor Christi quod omnes pori corporis aperti sunt.* quasi diceret: Christus orans, atque ingentes instantis suæ mortis dolores considerans, in inferiori sui parte, locum dare voluit timori humano, vti refert S. Marcus; *Cœpit pauere & tædere*, Timor autem ille omnes Diuini corporis sui meatus ita obfirmauit, vt ne vel vnica quidem sanguinis guttula è Sacratissimo Christi corpore egredi potuerit, quin potius vt eundem Sanguinem intra corporis venas tanto efficacius contineret, totum illum ad interiora reuocauit, atque ad cingendum cordis centrum recollegit. Hæc igitur Diuinus Christi amor accurate prospiciens, vehementer inde prouocatus, ad eundē mox locū festinus accurrit, ac veluti in timorem eliminandum armatus clamans: Exi foras sanguis cedatque palmam timor amori, validum adeo cordi ictum impressit, vt mox totius Diuini

Lu. 22. v. 44.

S. Bernardus serm. 45 in Quadrag.

Marci 14 v. 33.

Diuini corporis pori aperti sint, sanguisque amori obtemperaturus ad pristinum locum decurrens, apertosque cutis meatus inueniens toto egressus corpore instar imbris vehementis in terram defluxerit. O Sancte & benedicte amor, qui in salutis nostræ subsidium te adeo fortiter accinxisti, armasti, adeoque nobilem victoriæ palmam ex lucta illa reportasti, quanto tibi homines debito obstringuntur? Quis enim nescit quod si timor humanus sedem suam, vti sperarat, in corde Filij Dei firmasset, vsque in hanc horam adhuc clausus esset Paradisus, morsque viua, & peccatum mansisset indomitum, nosque procul à cœlo in manu Diaboli constituti in æternum mansissemus proximi abysso Inferni? vnde igitur nisi propter te solum humanum genus salute donatum videtur atque beatum? Quis item dubitare poterit, quin si Christus Hebræorum pertimuisset odium, aut crudelissimorum ministrorum suorum barbaram tyrannidem, aut tormentorum dolores, nos irreuocabiliter perditi atque damnati fuissemus futuri? Tales igitur maledictus ille timor producere consueuit effectus, quem proinde Christi exemplo procul à cordibus nostris pellere atque arcere, nec non studere debemus, ne aliud quidpiam timeamus, præterquam vanum & inanem hominum timorem.

CONSIDERATIO III.

Eiecerunt eum foras,

Pauperes non habent causam conquerendi de eo quod se à mundo contemptos & abiectos esse conspiciant, siquidem alia ex parte in Christi se amplexibus, tantisque se cumulatos esse vident fauoribus, vt si diuites saperent, suam illis fortunam merito inuiderent.

Tanta inter Dei & hominum opera reperitur distantia, vt dum Iob hominem se esse dicere vellet, Deo se è diametro oppositum appellarit: *Posuisti me contrarium tibi.* Id quod præter ea quæ hactenus diximus, in præsenti Euangelio, in per-

Iob. 7. v. 20.

sona cæci iam à Christo illuminati vltimo declaratur, qui cum vna ex parte ab Hebræis foras extra synagogam esset eiectus, ex altera parte à Christo requisitus fuit & inuentus: *Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras & cum inuenisset eum &c.* Vnde vides, quod sicut homines mundani pauperes spernunt & abijciunt, ita Christus illos industriè requirit vt secum retineat. Nullam igitur pauperes conquerendi & dolendi rationem habent, quod à mundo spernantur & opprimantur, siquidem ex parte altera à Christo benignè recipiuntur, tantisque ab eodem afficiuntur fauoribus atque blanditijs, vt hanc illis fortunam diuites merito inuiderent, si saperent.

1. S. Petrus Chrysologus gloriosas splendidasque exequias, quibus Deus mendici Lazari mortem honorare voluit, considerat, videns autem missos, vt S. Lucas refert, de cælo Angelos ad ipsum in Beatum Abrahæ gremium deportandum: *Factum est vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, tantumque honorem obstupescens, quærit: Quibus meritis homo mendicus prorsusque miserabilis tantum à Deo fauorem promereri potuerit, vt ad pauperculum mortui mendici feretrum deferendum suos Deus ex Paradiso Angelos miserit? Et dicit: *In obsequium diuitis migrat tota Ciuitas, cum funus effertur; pauper vadit solus, pauperem duorum portat miseratio baiulorum, nec quatuor vt mortuo, sed duo sub vno vecte quasi proijciendo oneri portitores addicuntur inuiti. Merito ei mox angelica officia, merito diuina deputantur obsequia, cui tam crudeliter denegata sunt humanitatis extrema.* Vnde singularis Lazari fortuna fuit, quod in hoc mundo ab hominibus fuerit derelictus, secus enim Deus exequiarum suarum sibi non vendicasset curam: neque Angelicos de cælo Spiritus pro anima eius in cælum perducenda submisisset. Felix igitur pauperum afflictorumque sors est dura; veluti propudia & mundi peripsemata in hoc mundo spernuntur, & deseruntur, quando in altera vita tanto cum splendore à Deo recipiuntur. *Diuina deputantur officia, cui tam crudeliter negatæ sunt humanitatis extrema.* Progrediamur vlterius.

Luc. 16. v. 22.

S. Petrus Chrysol. serm. 121.

2. Pauperculus Christi Apostolus S. Petrus.

die

die quadam, & quidam ea ipsa hora qua alij homines prandebant, vt S. Lucas scribit, orationi vacabat; contigit autem vt dum qui eum hospitio exceperant, iam in procinctu essent, vt quantum quidem illorum ferebat paupertas, prandium ipsi appararent, Apostolus oculis sursum eleuatis, cælum viderit apertum, indeque ingens vas quoddam egrediens, ad instar lintei cuiusdam, quod ex quatuor oris siue capitibus tenebatur, deorsum descendens, omnigenis tam cæli volucribus, quā terræ quadrupedibus refertū, sibique a Deo pro mēsæ suæ apparatu demissum: *Ascendit Petrus in superiora vt oraret circa horam sextam, & cum esuriret, voluit gustare: & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & volatilia Cæli: & facta est vox ad eum: Surge Petre, occide & manduca.* Inuestiganda hoc loco causa est, cur eo præcise tempore, quo Simon coriarius hospes Petri cibum Apostolo præparabat, Deus quoque eidem non solum prouidere, verum etiam pro adornando epularum decenti apparatu cælestes de cælis Angelos submittere voluerit? Hanc autem a S. Ambrosio pulchrè assignatam reperio, qui dicit: *Pransuro igitur Petro desunt coquorum apparatus, desunt obsequia famulorum, sed quod est melius, ministeria diuina non desunt, & vtili commutatione, Sancto viro quod deest in terris, abundat in cælis. Vt reficiatur Petrus, non cellarium sollicite reseratur, sed cælum ipsum protinus aperitur, integrum conuiuium Angelorum multitudo subministrat.* quasi diceret, Cura quam Deus ijs, qui mundum eiusque commoditates negligunt, prouidet, tam est ingens, vt eorum supplere necessitates mira semper cum liberalitate studeat. Sic enim quia mensa Simonis Coriarij frugalis nimium & parca erat, quam vt pro obsequio & refectione S. Petri Apostoli viri nimirum pauperrimi, omnique consolatione mundana destituti sufficeret. In huius namque domo, nec coquus, nec pincerna ad manum aderant, nec alij ad lautam mensam ministrandam necessarij famulorum ordines. Ab huius item mechanici viri mensa, Capones decrant, Phasiani, perdices, vituli; aliæque

Acto. 10. v. 10 & seq.

S. Ambros. in fest. SS. Petri & Pauli.

quibus diuitum mensæ onerantur, similes carnes exquisitæ, hinc Deus Angelis suis præcepit, vt delicatissimas aues, tenerrimasque quas inuenire possent, carnes, ac demum quicquid pro gula eorum, qui ventri inseruiunt, in mensas inferri solet, curiosissime congregarent, hæcque omnia ad gustum optime præparata & condita S. & pauperi Petro apponerent. Neque hic stetit diuina liberalitas, non enim sufficiebat Deo, quod Angeli cibos illos nude tantum præparassent, verum insuper voluit, Angelisque præcepit, vt S. Petro prandenti, haud secus ac serui principi suo assisterēt, inque diuersis mensæ obsequijs ministrarent. Ad insinuandum pauperibus, vt cum se à mundo contemptos vident & desolatos, non ob id contristentur, videntes quod tanta cum liberalitate & munificentia à Deo locupletati, sub Diuina eius protectione semper degant.

3. Vnde S. Petrus Damiani Cardinalis, fælicissimam Sanctissimi Martyris Apollinaris Episcopi Rauennatis sortem obseruās, (qui dum ab Idolorum cultoribus captus, & in squalidum carcerem detrusus esset, in quo vt fame rigida enecaretur, omnia ad ipsam vsque frigidam denegabantur, Angelos ad se de cælo descendentes vidit, qui lautis exquisitisque cibis desursum allatis in barbarorum custodum suorum præsentia & conspectu ipsum delitiose confortabant) ita loquitur: *Quam delitiosa fame affligitur, qui cœlestis promptuarij dapibus satiatur, quam fælix miser est, cui Xenium diuinitus mittitur, angelicus cibus ministratur.* Quibus in verbis bene obseruandum est quod Sanctus hic Cardinalis & Doctor eximius, hominē quendam miserum, mendicum, & tantum non fame enectum, qui quod mundus suum illi panem negasset, cælesti pane cælitus nutriebatur, fæliciter miserum appellet. *Fœlix miser*, quasi dicere vellet; quod pauper aliquis, à mundi diuitibus sit derelictus, nec vnius quidē panis, quo vitam suam sustentet, Dominus existat, miseria quidem est, sed fælix & beata; quam desiderare omnes, omnibusque pauperibus, inuidere merito deberemus, talis enim à Deo blande fouetur & recreatur eidemque terreni alimenti loco, manibus Angelicis ministratur

Petrus Damianu serm. 22.

Ambrosia Paradisi: *Dum terrenis eget impendijs, Angelicis fulcitur obsequijs*

4. S. Bernardinus opinatur Christum saluatorem nostrum per verba illa Matth. cap. 5. relata: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Cælum pauperibus nõ eo tantũ modo, quo illud cæteris Sanctis virtuosisque hominibus promissum est, polliceri, vt videlicet illud pridem assequãtur post mortem: verum insuper innuere magni illius regni possessionem, ex speciali eorundem priuilegio, illis nunc quoque impertiendam esse dum viuunt, priusquam ex hac vita in cælum commigrent: *Claues Regni cælorum non tantum promissiue, sed possessiue conceduntur.* Adeo vt pauperes non tantum futuri sint Cælorum Domini & patroni, postquam ex hoc mundo discesserint, verum etiam illud proprietariè sub claui sua habeant nunc, dum hic deorsum in terris nobiscum morantur. Verum enimuero ex quo materiam istam ingressi sumus, fundamentalem scire rationem percuperem, ob quam cælestis gloria pauperibus tanta cum acceleratione donetur, dum scilicet adhuc mortales hic in terra degunt, cũ tamen alijs Sanctis paradisi possessio post mortem pridem, quando vitam patriæ agere cæperunt, donetur: *Huius rei ratio est*, inquit Sanctus Doctor, *quia Euangelica paupertas nihil habet, quod mundi sit sed quia prudentissimus Creator & gubernator, nullam Creaturam sine loco fecit, cum paupertas locum in mundo non habeat, ideo ei possessiuè ex nunc cælicas sedes dedit.* q. d. Ex quo Diuina prouidentia cuilibet rei quæ in mundo est, postquam creata fuit, proprium suum assignauit locum, deditque verbi causa stellis cælum, aërem auibus, mare piscibus, hominibus, nec non & alijs animantibus terram, & sic per omnia alia discurrendo, inuenietis quod nihil præterierit, cui suus proprius locus non sit assignatus. Hinc Deus videns, quod pauperes quibus alias non minus quã diuitibus, suus in terra locus datus fuerat, per insatiabilem diuitum cupiditatem, qua hi soli terram sibi vendicare desiderant, à terra proscripti sunt atque eiecti, ne contra generalem rerum omnium dispositionem, sine vllo in terra loco consisterent, eisdem in hac vita possessionem Paradisi magnique regni illius claues donauit, tametsi nondum adhuc eo ascenderint. *Claues regni Cælorum non tantum promissiue, sed possessiue conceduntur.* Atque ideo tametsi pauperes à diuitibus extra hanc terram quasi eiecti & pulsi sint, & quotidie adhuc pellantur & eijciantur, ob hoc non solum non dolere, verum insuper valde gaudere debent, quippe cum Deus illis loco terræ, ingens illud donauerit regnum cælorum. Et quod magis stupendum est, priusquam sursum ad cælos se recipiant, quasi veri cælorum Domini atque patroni claues illius habent, nec non absolutum cælorum Dominium, atque hic in terris inter viatores haud secus viuunt, quam si in Cælis inter beatos consisterent. *Ipsorum est enim regnum cælorum.*

Matth. 5. v. 3.

S. Bernardinus de pauper. art. 3. c. 3.

5. Et fortasse veritatem istam S. Paulus Apostolus confirmare voluit, quando S. Timotheo Episcopo dicebat: *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum.* Tota energia huius loci in illis verbis est abscondita (*huius sæculi*) quæ non satis bene & profunde eadem considerantibus prima vtique facie videbuntur superflua. Nam si solum dixisset: *Præcipe diuitibus*, & non adiunxisset, *huius sæculi*, vtique à suo discipulo, & à quouis alio qui in eius Epistolam legendo incidisset, optime intellectus fuisset, quippe cum notum sit, nomen diuitis solum tribui ijs, qui opulenti sunt in hoc mundo. Vnde quæri merito potest, quæ causa sit, quod S. Apostolus verba hæc, haud secus ac si pro conceptus sui explicatione fuissent necessaria, non vero superflua, nequaquam omittenda putauerit? Quibus S. Ioannes Chrysostomus, hunc in modum respondet: *Qui dixit Diuitibus huius sæculi, demonstrauit, & alios futuri sæculi diuites esse, qualis ille Lazarus erat.* Quod si illi duntaxat diuites essent, qui in isto mundo præsentia & caduca bona possident, tunc Apostolus de illis loquens, illosque huius sæculi diuites appellans, haud dubie in tautologiam seu verborum superfluitatem aliquam calamo suo lapsus fuisset, siquidem ad hoc, vt intelligeretur, simplex duntaxat Diuitum vocabulum suffecisset: At vero quia præter hos, alij quoque extant diuites alterius sæculi, id est, diuites in regno Cælorum, cuiusmodi sunt pauperes.

1. Timoth. 6. v. 17.

S. Io. Chrysost. hom. 2. ad Popul.

peres, & cæteros inter Lazarus mendicus, ideo ad dignoscendum quod de illis, non vero de his loqueretur, operæ pretium æstimauit adiungere: *Huius sæculi.* Vnde colligitur, quod tametsi pauperes spiritu, de quibus duntaxat in hac consideratione loquimur, in hac vita sint mendici, illorumque bonorum, quibus alij in hac vita fruuntur, expertes & egeni, diuites tamen valdeque sint opulenti in Paradiso. Idque quia sicut diuites huius sæculi terrena possident ædificia, ita ipsi in reali sua possessione cælestia tenent palatia. Quomodo igitur videntes se à bonis terrenis eiectos, dolere poterunt, cum se in cælestium diuitiarum possessionem subingressos esse conspiciant? *Ipsorum est enim regnum calorum.*

6. Moyses tum in maximo quo Deus illum prosequebatur amore, tum in obsequijs hactenus à se Diuinæ Maiestati exhibitis, confisus, supplex quondam à Deo petijt, quatenus sibi vna cum populo suo terram ingredi promissionis, illiusque admirandæ regionis fructibus concederetur perfrui. Deus autem huic Moysis precationi subirascens, dicebat: *Nequaquam vltra loquaris de hac re ad me.* q. d. Quod si tibi cordi sit, O Moyses, meam erga te continuari gratiam, caue sis ne de isthoc negotio loquaris amplius, quippe quod tibi nequaquam concedere firmiter statui. Petrus Cellensis hanc responsionem magnopere demiratus, ita Deum alloquitur: *Quid est Domine? Hæc est illa prædicabilis & prædicata vbique gentium amicitia ad amicum tuum Moysen? taliterne finiuntur promissiones tuæ? ita remunerantur, qui in castris tuis vsque ad mortem militando merentur?* Tandem veram inquirens rationem, quæ Deum ad denegandam Moysi petitam hanc gratiam mouisset, eandem inuenit, nodumque hunc egregie dissoluit dicens: *Omnipotens & misericors Deus idcirco terram morientium negat, quia ad cælum Moysi animam subleuat.* q. d. Nemo sibi persuadeat Deum Moysi terræ promissionis possessionem veluti iratum denegasse, imo potius pium atque benignum se id denegando exhibuit, nam in vicem terræ Cælum illi dare volebat: *Terram morientium negat, quia ad cælum Moysi animam subleuat.* Qua responsione Deus pauperes consolari eorumque lachrymas abstergere voluit, atque extenso velut digito innuere, nequaquam illos contristari debere, videndo quod quicquid bonum & dulce est terræ huius, in manibus contineatur diuitum, ijdemque tanquam terræ promissæ Domini & patroni, lacte & melle in domibus suis abundent; cum tamē ipsi velut si in terra nati non fuissent, in amaro quodam amaræ necessitatis & inopiæ pelago videantur submersi, sed potius lætari & festiuos sese iucundosque exhibere: Deus enim hoc ipsum non ex ira, aut indignatione: sed mera ex bonitate & pietate permittit; nec non vt illis Cœlum terræ loco donet, ipsosque vice lactis & mellis quo diuites gaudent, æternæ beatitudinis nectare & ambrosia saturet & adimpleat: *Terram morientium negat, quia ad cælum animam subleuat.*

Deuteron. 3. v. 26.

Petrus Cell. de paup. cap. 12.

7. S. Bonauentura de admirabili Seraphici Patris mei S. Francisci paupertate discurrere parans inquit, magnum hunc Dei seruum eo ipso quo vidit, quod paupertatis sanctissima virtus, licet cœlorum regi Christo Domino nostro admodum familiaris fuerit & amica, in omnibus tamen mundi partibus execrabilis sit & exosa, atque è domibus omnium quoad fieri potest, velut in exilium proscripta & eliminata, eandem domi suæ blandè honorificeque suscepisse, atque in lectissimam sibi sponsam adoptasse: *Hanc filio Dei vir sanctus familiarem attendens, & iam quasi toto orbe repulsam, charitate sic studuit desponsare perpetua, quod non solum pro ea patrem matremque reliquit, verum etiam quæ habere potuit vniuersa dispersit.* Verum enimuero dotem haud dubie intelligere desiderabitis, quam in hisce cum paupertate initis nuptijs Diuinus hic homo accepit; Neque enim immerito de accepta aliqua dote dubitatur, cum enim paupertas nihil habeat proprij, nihil quoque ab ea vir Dei sanctus accipere potuit emolumenti. Itane? vos illum nihil à paupertate accepisse existimatis? Erratis profecto grauissime, neque enim est opulentior aut copiosior facultatum substantia, quam sit dos illa, qua magna hæc Domina suos dotare sponsos solet. Intelligetis idipsum per Apologum quendam a S. Bernardino adinuentum: Regi cuidam, inquit sanctus, duæ erant filiæ, quarū

S. Bonau. in vita S. Francisci. c. 7.

vna nō minus erat turpis quā altera speciosa erat, quas cum nuptui tradere pararet, accidit, quod sicut ea quæ pulchra erat, à multis principibus certatim ambiebatur, ita alteram deformem omnes ob sui turpitudinem abominarentur. Huic igitur die quodam coram Patre suo astanti, suamque amaro animo deploranti infælicem sortem, bonus ille Pater: *Noli flere*, inquit, *dilectissima filia mea, nam qui in sponsam duxerit sororem tuam, nihil secum accipiet, nisi pulchritudinem suā: Qui vero te sponsam acceperit, dabo illi regnum meum.* Cumque in dicto apologo sanctus hic Doctor per Regem Deum; per filiam pulchram & amabilem diuitias; per deformem vero, ingratam omnibus paupertatem intelligat, mox ita concludit: *Hanc turpem filiam qui acceperit in vxorem, promittit ei Deus regnum suum, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quasi dicere vellet: omnes quotquot in hoc mundo amatores facti fuerint pulchritudinis auri, amplissimorum palatiorum, possessionum valde fertilium, aliarumque rerum consimilium, in quibus vanitas humana consistit, pro sua quidem parte diuitias accipient, præter illas autem nihil à me prorsus expectare debebunt. Alij vero qui deformem omnibusque exosam elegerint paupertatem, vna cum ipsa cælestis regni dotem amplissimam accipient, qualem sanctissimus Fratrum Minorum Patriarcha per fortunatum istud sponsalitium promeruit accipere. *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quod cum ita sit, vti est verissimum, iubilare merito, festiuaque gaudia solemniter instituere debent omnes pauperes spiritu, quodsi enim in vita isthac momentanea se ijs, quibus diuites abūdant, mundanis commoditatibus destitutos conspexerint, in altera vita econtra proprietatem siue Dominium habebunt Regni cælorum, è quo diuites procul arcebuntur in sempiternum.

S. Bernardinus ser. de paup. in procem.

8. Fierine posset vt homo cui tale domi est instrumentum, cuius virtute ex homine in Angelum mox transformaretur, ob fœlicem eiusmodi metamoraphosin factus iam Angelus doleat? Dolere quidem poterit si stultus est & fatuus, quod si autem sapiens & prudens sit, nunquam dolebit, sed lætabitur potius, mireque ob eiusmodi fælicem metamorphosin exultabit. Summè igitur gaudere quoque debet homo in paupertatem redactus, eo ipso enim paupertatis instrumento mediante ex homine factus est angelus. Audite Bernardinum diuinè prorsus hac de re discurrentem: *Audacter dixerim paupertatem aliquid simile habere cum cælestibus rationalibus Creaturis; eo quod beata prædicatur in terris De cælo paupertas deuenit ad terras, sicut pro nobis Dominus factus egenus, de cælis descendit, præferens ipsius virtutis normam. Calestem esse monstrauit, cum non habere neque velle terrena gerat similitudinem Angelorum. Qui terrena concupiscere neque possidere nouerunt, Angeli sunt terrestres.* Eo ipso quo pauperes ipsomet Christi ore prædicati sunt beati, absque vllo vultus rubore audacter dicam, nullam prorsus inter Angelos & pauperes esse differentiam, quippe cum vtrique beati existāt. Præterea cum paupertas à magnifillius cælestis regni potentissimo Rege de cælo huc in terras sit delata, nemo dubitet, quin angelica potius & cælestis, quam terrena & humana virtus existat. Denique cum Angeli nihil eorum, quæ in terra sunt possideant, aut possidere velint, idemque omnino sit pauperum propositum, concludere consequenter oportet, ipsos quoque Angelos esse terræ incolas: *Angeli sunt terrestres.* Quodsi igitur pauperes Angeli sunt, qua ratione de paupertate sua dolere poterunt, propter quam adeo sublimati conspiciuntur.

S. Bernardinus ibi art. 3. §. 1.

9. Parum nimis dixi, dum homines pauperes Angelos esse pronuntiaui, quippe quos paupertas in longe sublimiorem gradum exaltare consueuit, quando Deos illos facit. Huc seruit quod Christus cum discipulis de vtilitate renuntiationis omnium bonorum temporalium, nec non de Euangelicæ paupertatis excellētia loquens, hunc discursum suum hisce verbis conclusit: *Vbi enim est thesarus tuus, ibi est & cor tuum.* Cum igitur homo totum quod possidet in manus pauperū dederit, per illas in cœlo reponendum, atque ita ipsemet quoque pauper factus fuerit, cor suum deinceps in Cælo vtique habebit, ibi enim est cor hominis, vt Christus inquit, vbi fuerint bona & thesaurus ipsius, Adeoque vnus idemque talis homo in

Matth. 6. v. 21.

mo in cælo simul & in terra erit, cor enim eius ob terrenorum bonorum contemptum suam in cælo sedem habet; vt ex dictis liquet; pedes autem in terra quoque habeat necesse est, ob terræ huius incolatum, quãdiu in hoc mortali corpore viuit. Nequaquam igitur homo esse poterit, sed Deus aliquis esse debebit. Deus enim in cælo sedet, suosque pedes in scabello terræ habet repositos, ipsomet per os Isaiæ Prophetæ sui dicente: *Cælum sedes mea, terra autem Scabellum pedum meorum.* Vnde Paulus de Palatio admirabilem hanc pauperis sublimationem obstupescens, ita eum alloquitur. *Cor habes in cælo, sedes tibi cælum: si sedes in cælo tibi est, terra est Scabellum, vbi consistunt pedes tui. Num Deus es tu, cui cælum est sedes, terra autem pedum pedamentum* q. d. Ex quo tu secundum consilium Domini tui amator factus paupertatis, vt pauper fieres, bona tua pauperibus es elargitus, hinc perspicuum mihi est, quod cor tuum in cæli sedibus collocatum habeas, terram autem vsurpes velut Scabellum pedum tuorum, terrena bona calcando; Non igitur iam amplius homo, sed in Deum totaliter transformatus esse videris, siquidem Deus similiter prorsus sedet & regnat. *Num Deus es tu, cui cælum est sedes, terra autem pedum pedamentum.*

Isa. 66. v. 1

Paulus de Palatio in cap. 6. Matth.

10. Ecquid Petrum Teloneatium instigauit, vt omnia quæ possidebat bona relinqueret, & pauper fieret, nisi quia Deus quidam fieri volebat? scribit Leontius S. Ioannem Patriarcham Alexandrinum, qui cognominabatur Eleemosynarius, narrare solitum fuisse; quod cum Petrus Christum Dominum nostrum suo vidisset amictum pallio, quod pridiano die pauperi cuidam nauclero, qui nudus naufragium quoddam euadens, nihil quo sese cooperiret habebat, dederat, de nouo isthoc spectaculo non minus attonitus quam lætus intra semetipsum dixerit; *Viuit Dominus, si inopes Christus meus sunt, non moriar, sed fiam tanquam vnus ex eis.* q. d. O Deum immortalem! Quodsi paupertas homines eousque exaltat, vt Deos illos faciat adeo vt veluti alter quidam Christus, simul sint Deus & homo, ex nunc per omnia sacra iuro non moriturum me donec pauperem me fecero, fiamque Christus similiter ego Atque ita sanctæ huius inuidiæ adactus calcaribus, omnia sua quæ habebat, spreuit, & in pauperes distribuit, factusque est pauper & Deus quidam euasit. Quodsi igitur ij qui diuites sunt & opulenti, ob inuidiam qua pauperibus paupertatis bona sancte inuident, omni cum industria pauperes se facere, & Dij quidam fieri student, qualis erit isthæc aliorum stultitia & vesania, quod cum paupetêres sint, terrenas quærant diuitias, sicque esse diuino amisso homines fiant? *Inopes Christus meus sunt.*

Leont. in vita S. Io. Eleemosyn.

11. Num forte rationem nostis, ob quam Deus in cælis residens, tantasque possidens diuitias, illis nihilominus in cælo relictis, in terram descendere, & pauper fieri voluerit? S. Bernardus dicit nullam huius rei aliam rationem fuisse, præterquam sanctam quandam ergà fœlicem pauperum sortem inuidiam. Tametsi enim omnia desiderabilia bona in cælo reuera essent, attamen paupertatis bona in cælo nequaquam inueniri, in terra autem duntaxat abundare aduertens, infinitas Cæli diuitias, vt paupertatis bonis frueretur, derelinquere minimè curauit: *Bonorum omnium æterna in cælis affluentia suppetebat, sed paupertas non inueniebatur in eis; porro in terris abundabat, & superabundabat hæc species, & nesciebat homo pretium eius Hanc itaque Dei filius concupiscens, descendit, vt eam eligat sibi, & eam nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam.* Vnde obseruare licet, quam magna sint bona pauperum, tanta nimirum, vt Deus sancta quadam æmulatione stimulatus, de cœlo descenderit, vtque illorum se participem redderet, inexhaustos thesauros suos dereliquerit, factusque sit pauper, diuitesque exemplo suo docuerit, quanta bona stulte contemnant & abominentur.

S. Bernardus ser. 1. de Nat. Dom.

Concludamus igitur dicendo, quodsi ex vna parte pauperes cum cæco nato à mundo sese videant abiectos & contemptos, quia tamen altera ex parte tam amabiliter recipiuntur, totque à Christo fauoribus cumulantur, fælicissimam reputare debeant infælicitatem suam, deque sua miseria gaudere, vtpote quæ beatitudo potius, quam miseria appellari meretur.

SERMO

SERMO XXX.

In Feriam V. Dominicæ Quartæ Quadragesimæ,

Ecce defunctus

Lucæ 7.

1. IN Epiſtola ad Hebræos ſcripta, vbi de innocentis Abel à maligno Caino fratre ſuo occiſi morte agitur, dicitur quod licet Abel mortuus ſit, adhuc tamen loquatur: *Abel defunctus adhuc loquitur.* Quibus verbis Apoſtolus clarum quoddam paradoxum proponere videtur, nam vt Hugo de S. Victore dicit, quod ſi Abel mortuus eſt, quomodo loquitur? aut ſi loquitur qua ratione dici poterit mortuus? viui ſunt qui loquuntur, non vero mortui, impoſſibile enim eſt hos loqui poſſe. At vero non eſt ita, vt dicitur. Apoſtolus enim in illo loco non de ſermone Abel, ſed de eo qui fit à nobis, loquitur; adeo vt ſenſus horum verborum *Abel defunctus adhuc loquitur*, hic ſit, *Abel defunctu, s nobis adhuc eſt materia loquendi.* Quo ſenſu de quocunque alio defuncto dici poterit Nam homine aliquo moriente vel mortuo, ampla dari ſolet diuerſorum ſermonum & diſcurſuum materia; loqui enim tunc ſolemus de bona vel mala defuncti hominis vita, quam dum viueret nobiſcum, traduxit: aut de rigoroſo Diuini tribunalis iudicio, coram quo operum ſuorum rationem redditurus, præſentandus neceſſario fuit: aut vero de præmio & pœna, quam in virtutum aut vitiorum ſuorum compenſationem erat reportaturus; aut de materia aliqua illi ſimili, quam ſimile ſpectaculum facile ſolet ſuggerere. Eodem modo mortuus Naimiticæ viduæ vnicus filius locutus fuiſſe videtur. Hic enim primo copioſam ſuggerit materiam exponendi, quam ſit terribilis ille dolor, quem moriens experiebatur: Præterea qualiter homo in altera vita nullam apud Deum pietatem inuenire poſſit, niſi eandem ſibi adhiberi in hoc mundo promeruerit Denique quomodo ij qui in Domino, ſiue in diuina gratia moriuntur, non mortui ſint, ſed viui, in oppoſitum eius, quod peccatoribus accidit; qui nimirum mortui ſunt, dum etiamnum viuunt. Quæ vti videbimus à S. Luca glorioſo Chriſti Euangeliſta in hiſtoria Euangelij præſentis ſubtiliter ſunt aſsignata.

Hebr. 11. v. 4.

CONSIDERATIO I.

Ecce defunctus.

Facies mortis adeo eſt horrenda & terribilis, vt etiam viri ſancti & perfecti, nedum peccatores, illam mirum in modum pertimeſcant.

2. S. Lucas Euangeliſta ad ordiendam defuncti huius hiſtoriam, hoc vocabulo, *Ecce.* vti voluit: *Ecce defunctus efferebatur.* Quod vti Petrus Berchorius obſeruat, *Res miras, res nouas, res magnas & inſolitas* ſignificat. Ad inſinuandum, quod cum adoleſcens ille Euangelicus dolores guſtauerit mortis, dolores expertus ſit miros, nouos, magnos & inſolitos. Quaſi dicere voluiſſet, videre illum qui ſuum in ſemitas horrendiſsimas

Pet. Berch. in Dict. verbo Ecce

dissimas pedem reposuit; qui inimaginabiles expertus est dolores; qui adeo peregrina & horrenda vidit, qualia vix cogitari possunt. Et reapse ita est. Mortis enim faciem, homines non tantum peccatores, sed & iusti adeo incredibiliter timere videntur, vt satis inde liqueat, nihil in hac vita excogitari posse ipsa morte horribilius, magisque tremendum, vti hac consideratione latius ostendemus.

3. Guilielmus Durandus acutè obseruat, Ecclesiam diem mortis non solum appellare diem natiuitatis, quod homo in illo ad meliorem vitam nascatur: aut diem trãsitus, quia nimirum homo illa die ex hoc mundo transit ad alterum: aut diem obitus, eo quod Angeli illa die electis obuiam processuri, de cœlo descendant: verum etiam diem illum appellare diem passionis vultque nomen hoc postremum cæteris omnibus generalius & communius esse. Vnde vniuscuiusque hominis morti applicari debet, non tantum sancti & iusti, cuiusmodi sunt virgines, Confessores, & Martyres, verum etiam morti peccatoris & reprobi. Ab hoc tamen Doctore scire percuperem, quam ob causam Nomen hoc Passio quod morti tribuitur, non solum attribuatur morti sanctorum martyrum: verum etiam morti eorum, qui sine martyrio moriuntur, atque ex hac vita recedunt, cum tamen hoc nomen Passio solum significet martyrium, adeoque consequenter soli Martyrum morti applicari debeat. Audite rationem quam assignat: *Passio dicitur, quia tunc maxime corpus patitur, & etiam anima, quando per violentiam ab inuicem separantur, & obitus vniuscuiusque potest passio nominari, quia sine amaritudine & violentia quadam nulla anima de corpore tollitur.* Omnes enim homines, nemine prorsus excepto, eo ipso quo moriuntur tempore, maioribus obnoxij sunt doloribus, quam in vllo possibili tormento quoadusque viuunt possint experiri. Vnde licet non moriantur tanquam martyres, mors tamen illorum appellari Passio solet, adeo enim magna & ingens est afflictio, quam corpus & anima in horrenda illa separatione persentiscunt, vt merito mors talium, martyrium & passio æstimari debeat. *Quia sine amaritudine, & sine violentia nulla anima de corpore tollitur.*

Guiliel. Duran. Ration. Diuin lib. 7. c. 1.

4. S. Ioannes visa innumerabili animarum beatarum turba, quæ vna eademque cum Angelis Paradisi fruebantur gloria, mox intellexit, easdem ad tanti fruitionem boni ex magnæ cuiusdam tribulationis fornace processisse: *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione.* Quænam obsecro est isthæc tribulatio, cui omnes in vniuersum sancti confessores, & Virgines, & Martyres subijci debent, vt cælum ingrediantur? S. Vincentius Ferrerius vult per magnam illam tribulationem, mortem intelligendam esse. Nemo enim est, qui non ex hoc mundo discedens, per magnæ huius tribulationis transeat vestigia. Obseruandum quoque est, mortem hoc loco non simpliciter tribulationem appellari, sed magnam tribulationem. *Ex magna tribulatione.* Separatio enim animæ à corpore, est maxima pæna, intensissimusque dolor, qui homini accidere potest in hac vita; nec inueniri quidpiam potest adeo amarum & dolorosum, quod illis comparari doloribus possit. vnde etiam omnium terribilium terribilissima appellatur, quo nomine illam Aristoteles appellat: *Hæc tribulatio est mors, & hæc est maior, quia omnium terribilium terribilissimum est mors.*

Apoc. 7. v. 14.

S. Vincentius Ferrer serm. in vigil. Epip.

5. In diuersis sacri Euangelij locis, vbi Christus de morte sua agit, inuenietis, quod illam appellarit calicem. S. Petrum mortem ipsi dissuadere volentem repræhendens, eidem dixit: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Item Filios Zebedæi, num in casu persecutionis mori possent, interrogans, eisdem dixit: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Denique dum oraret in horto cum Patre suo loquens, mortem suam quoque calicem nominauit: *Pater si possibile est transfer Calicem hunc à me.* Quamobrem illam Calicem nominat, qui tot alia illi vasorum aliorum nomina imponere poterat? Ratio huius est, quia Calix significat vas aliquod, in quo medicamenta purgantia porrigi solent, quæ infirmis horrenda, nauseabunda & amara esse videntur: *Quia in calice,* inquit Abulensis *medicinalia dantur nobis ad bibendum, valde amara prouocantia horrorem, & ideo est difficile illa gustare.* Ad insinuandum, quod mors adeo sit amara atque horrenda,

Ioan. 18. v. 11.

Matth. 20 v. 22.

Mar. 14. v. 36.

Tostatus q. 73.

vt nullus hominum illam absque horrore & terrore experiri queat. Vultisne videre, inquit Anastasius Episcopus Nicænus, quam mors terribilis sit & formidabilis? In hominis moribundi faciem obsecro respicite, hunc enim videbitis haud secus ac hominem quendam, qui amarum aliquod medicamentum inuitus bibere cogitur, tum vultus pallore, tum contractione genarum, tum denique pauore oculorum, illum exprimere dolorem, quo cum hanc mortis amaritudinem viuacissime persentiscit, atque in exteriori corpore explicare id, quicquid inuisibilis terror & dolor, qui intus affligit, efficere potuit: *Quomodo qui amara gustant medicamenta, propter amaritudinem vultum contrahunt, Anima ad eam, quam ex visis illic molestijs habuit affectionem oculis imprimit characterem, & ex figura eius quod apparet suum occultum aperit dolorem.* Porro licet scriptura sacra ad exprimendum moribundorum dolorem, medicinalis potus vtatur metaphora, id non facit quasi æqualem potus ille in se includat amaritudinem; cum infinites, & absque vlla comparatione maior sit, sed quia aliam ab hominibus per experientiam magis compertam similitudinem ad manum non habet, qua in declaratione tremendæ illius afflictionis vti possit.

Anastasius Episc. Nice. q. 23. in script.

6. Legatis obsecro caput 6. Reuelationum S. Ioannis, ibi namque sequentia verba scripta comperietis: *Omnis anima viuens mortua est in mari.* Videbitur vobis haud dubie modus iste loquendi valde nouus & peregrinus, tametsi enim plurimi homines in mari sint mortui, negari tamen non potest quin longe plures mortui sint in terra. Quo fine igitur Apostolus dicit, omnes mortuos esse in mari, cum etiam nonnulli in terra mortui sint, & plures in terra quam in mari? Diuine ad hoc S. Bernardinus respondet: *Omnis anima mortua est in mari, id est, in amaritudine doloris.* quasi dicere vellet, Tametsi homines tam in terra, quam in mari moriantur, attamen in solo mari mori dicuntur, vt insinuetur, omnes quotquot moriuntur, nemine prorsus excepto, acerbissimis amarissimisque mortis doloribus esse subiectos, quorum acerbitas & amaritudo cum non sit vulgaris aut mediocris, ideo non fontes lacus, aut flumina amaritudinis vocantur, sed mare, siquidem sunt dolores magni, excessiui, rari, inimaginabiles, neque per experientiam vnquam hactenus comperti. *Omnis anima viuens mortua est in mari.*

Apoc. 16. v. 3.

S. Bern. serm. de mort. in princ.

7. Christus Saluator noster die quodam cum Apostolis suis de vniuersalis iudicij die loquens, vniuersalis diluuij tempori, quo totus viuente Noe submersus est mundus, assimilare illum voluit, & dixit: *Sicut autem in diebus Noe, sic erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noe in arcam & non cognouerunt, donec venit diluuium & tulit omnes: Sic erit & aduentus filij hominis* q. d. In vniuersali iudicio mundus eodem modo castigabitur, quo diluuij tempore castigatus fuit. Sicut enim homines ante diluuium, verbis Noe credere nolentes, edebant & bibebant, & nubebant, atque à diuina mox ira abripiebantur: similem sibi homines ruinam in vniuersali iudicio debebunt pertimescere. Hunc scripturæ locum obsecro bene attendamus, videtur enim mihi affirmare velle, castigatum fuisse mundum diluuio, eo quod homines illius temporis manducauerint, biberint & nupserint quasi Deus actionibus hisce fuisset offensus, illisque nullo modo sustinere amplius volens in tantum furorem exarserit. Id quod mihi nequaquam dicendum videtur, siquidem edere, bibere, & nubere non solum non sunt peccata sed etiam actiones honestæ & licitæ, imo à Deo præceptæ, vti videre est in ipsa mundi creatione. Cur igitur homines operibus honestis, licitis & necessarijs vacantes haud secus ac si Deum offendissent, per diluuium sunt castigati? Audite quid Cornelius Iansenius in loci huius explicatione dicat, qui quæstionis huius adfert resolutionem. *Cum dicit Dominus, edebant & bibebant, vxores ducebant, non voluit his significare peccata, ob quæ diluuio homines sunt perditi: sed hominum securitatem in qua vixerunt, cum vltiones illæ mundo obuenirent:* quod videlicet quantumuis se breui morituros esse præmoniti fuissent, ipsi tamen diuinis illis com-

Matth. 24. v. 38.

Iansenius in Concor. Euang. c. 124.

commonitionibus non credentes, bibendo, comedendo, nubendo & pergræcando tempus sibi ad pænitentiam concessum inutiliter consumpserint. Cum alias si vicinam adeo sibi mortem imminere credidissent, nec manducare illis libuisset, nec bibere. Mortis enim facies adeo est horrenda & formidabilis, vt si homines illam sibi ob oculos positam haberent, non solum omnis mundanæ & illicitæ actionis obliuiscerentur, verum etiam omnium rerum ad vitam humanam pertinentium & necessariarum, cuiusmodi est manducare & bibere, nullam habuissent reminiscentiam.

8. Refert Dionysius Carthusianus, Lazarum postquam à Christo resuscitatus esset à mortuis, nunquã risisse: *Legitur quod Lazarus post suam suscitationem non risit.* Cur non risit vt alij homines solent? Forte post resurrectionem & deinceps non amplius homo extitit, sicut prius erat? Et videtur quod non, cum enim risibilitas vna sit ex præcipuis hominum proprietatibus, vnde homo dicitur animal rationale, risibile, perdendo ridendi potentiam, ipsam quoque humanitatem perdere videtur? Iacobus de Voragine dicit, rationem ob quam S. Lazarus post resurrectionem suam nunquam riserit, esse hanc, quia dum aliquando ex Magistro suo Christo Iesu quæsijsset, num iterato esset moriturus, audiuisset que quod sic, nunquam amplius ridere potuerit, siquidem tantus, tamque amarus fuit dolor & afflictio; quam expertus fuerat in morte, vt dum audiret se amarissimum calicem illum iterato gustaturum, quasi cogitabundus & attonitus semper remanserit, vitamque vixerit adeo tristem & afflictam, vt non iam homo amplius esse videretur, neque leuis aliquis ex ore eius animaduerti potuerit cachinnus, sicut in alijs hominibus sæpe videtur. *Post suscitationem non risio.*

Dionys. Carth. in cap. 11. Ioan.

9. Philippus Abbas vtriusque Prophetæ, Ionæ nimirum & Eliæ preces optime ponderat, quibus Deum miro quodam cum feruore, vt illos è viuorum tolleret medio, deprecabantur. Vno illorum dicente: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam:* Altero vero: *Et nunc Domine, tolle quæso animam meam, quia melior est mihi mors, quam vita.* Et quærit: Quod si vti communiter creditur, mortis dolores longe terribiliores, & incomparabiliter maiores sunt quouis alio dolore, qui homini in præsenti vita accidere possit, qui fit igitur, quod duo hi Prophetæ, vt ab huius vitæ eriperentur angustijs, mortis sibi dolores expetierint, tanquam longe leuiores & tolerabiliores? Nequit adduci quæstio, tum pulchrior ista, tum curiosior cuiusmodi etiam est quæ à prædicto Abbate quæstioni huic subnectitur responsio: *Videtis Ionam & Eliam vitæ huius tædia refutare? experta inexpertis futuris volunt præsentia commutare. Quia cum læsa præsentibus ab eis grauius mens dissentiat, sensorum odia leue reputat, quidquid experientia non sentit.* q. d. Quia hi sancti Prophetæ magnis huius vitæ tunc subiacebant angustijs, adeo vt viribus illorum longe impares & insupportabiles, viderentur, hinc Deum, vt illas cum mortis commutaret doloribus, rogauere, quos vtpote nondum per experientiam quales essent probatos, in comparatione earum afflictionum quibus de facto subiacebant, tolerabiliores & leuiores iudicabant, tametsi reuera tales non essent. Quod si enim mortis dolores vna cum Lazaro experti fuissent, vtique præsentibus doloribus fuissent contenti, tametsi Deus illos longe amplius auxisset ac multiplicasset; afflictiones enim aut angustiæ vitæ huius, in comparatione earum quæ accidunt in morte, afflictiones appellari minimè merentur.

3. Reg. 19. v. 4.
Iona. 4. v. 3
Philip. Ab. de silent. Cler. c. 84.

10. Ambo Zebedæi filij, à Diuino Magistro suo duo præcipua immensi regni sui, loca, quondam poposcerunt, cum ecce Christus exploraturus num sicut pro eis ipse erat moriturus, ita eis quoque animus esset occasione data moriendi pro se, respondit eis: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Cui illi imperterritè prompteque subiunxerunt: *Possumus.* Abulensis horum sanctorum Apostolorum responsionem acute obseruat, illamque supra modum demiratus dicit: Quid est quod cum mors cuiuis homini adeo sit horrenda & formidabilis, hi tamen Apostoli adeo illam appræhenderint dulcem & facilem, vt animose eidem subijcere se paratos ostenderint? Et respondet cum Chrysostomo: *Hoc dixerunt non tam ex fiducia suæ fortitudinis, quam ex ignorantia, inexpertis enim leuis videtur esse tentatio passio-*

Matth. 20 v. 22.
Tostat. q. 76. ibi.

nis & mortis. q d. Ipsi quidem hunc in modum responderunt, non quod se adeo agnoscerent magnanimos & generosos, vt duellum & luctam tentationum & dolorum mortis sine timore & horrore ingredi possent, sed quia ignari adhuc erant, nec quid mori esset, fuerant experti. Quod si enim mortem aliquando probassent, haud dubie de alia responsione danda sese resolvissent. Neque enim vnquam aliquis in mundo homo fuit cordis adeo generosi, fortis, & magnanimi, qui sine timore & tremore dissolutionem animæ à corpore sustinere potuerit. Sicut visum sæpe est in exemplis sanctorum, imo in eo qui est sanctus Sanctorum, Christo nimirum Domino nostro, qui ad conspectam horrendam mortis faciem, vt scribit S. Marcus: *Cœpit pauere & tadere.*

11. Nostisne dare causam, ob quam Christus in horto orans, mortemque expectans, per omnes diuini corporis sui poros, tantam sudauerit & effuderit sanguinis abundantiam, vt eodem terram tinxerit & irrigauerit? *Factus est sudor eius*, inquit S. Lucas, *Sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Luc 22. v. 44.
Bene equidem scio multas à sacris expositoribus huiusce copiosi sanguinei sudoris assignatas esse causas, in præsenti autem proposito, illa sufficiat, quam S. Gregorius Magnus in medium adducit, nimirum: *Appropinquante enim morte, nostra mortis in se certamen expressit; qui vim quandam terroris atque formidinis patimur, cum per solutionem carnis aterno iudici propinquamus.* q. d. Quia homines quamdiu in hac vita degunt, acerbitatem afflictionum & dolorum, quos in morte passuri sunt cognoscere nequeunt, ideo Christus iam iam moriturus in diuina persona sua quandam eis illorum dolorum imaginem explicare volens, ex omnibus corporis sui partibus diuinum sanguinem suum effudit, vt inde veluti ex speculo quodam appræhenderent, dolorem ipsorum futurum esse valde atrocem, vtpote qui absque vllo deforis applicato tormento sufficiens sit ad sanguinem ipsorum ex omnibus corporis partibus effundendum. *Nostra mortis in se certamen expressit.* S. Greg. apud S. Thom. in Cat. ibi.

12. His addendum, quod cum idem Dominus noster Ierosolymam versus iter faciens, mortisque quã ibidẽ breui passurus, erat memor, ad discipulos suos conuersus dixerit: *Ecce ascendimus Ierosolymam:* quasi dicere voluisset, inquit Imperfectus: *videte quia voluntarie vado ad mortem.* Vt se hisce verbis, subiungit idem Doctor, Deum verum, non vero hominem esse perspicuè demonstraret, cuius equidem diuinã quandã rationem assignat dicens: *Nam etsi posse mori hominis est, velle tamen mori hominis non est, sed Dei;* adeo namque graues & horrendi sunt mortis terrores & dolores, vt ijs sese Deus solus voluntarie in prædam dare possit, omnes vero alij quantumuis sancti & perfecti, id non nisi vel per quandam sibi illatam violentiam, vel ex particulari Dei fauore possint: *Velle mori hominis est.* Matth. 20. v. 18. Auct. oper. Imperf. ibi.

13. Quis credere posset, quod Leo, symbolum hominis iusti, tametsi vt dicit sapiens: *Ad nullius pauebit occursum*, viam tamen publicam timeat valdeque formidet? Quod si à me petieritis, quidnam via publica, adeo bestiæ illi fortissimæ, quæ omnis expers est metus, formidabilis significet? Pro me S. Antoninus respondebit, qui mortem per illam significari inquit, eamque viam publicam ideo appellari, quia ab omnibus & singulis hominibus, nemine excepto calcatur: *Leo timet stratam publicam, scilicet mortem. Vnde si quis moritur, dicitur viam vniuersa carnis ingressus. Est enim mors, secundum Philosophum, vltimum terribilium, quam & sancti timent.* Videte igitur quam terribilis mors sit coram oculis carnis, cum ipsimet quoque Leones, qui aliud nihil timent, illam expauescant. Videre ne vultis, inquit S. Archiepiscopus, quam hoc sit verum? S. Paulum Apostolum igitur consideretis velim. Certissimum namque est, nunquam à mundo visum esse Leonem generosiorem, magisque intrepidum, quam fuerit electus hic Christi Apostolus. Dum autem generosus Leo iste ad locum educeretur supplicij, vt nimium quem in se persentiscebat timorem non nihil antreuerteret, à Plautilla discipula velum capitis, quo oculos ne ferientis lictoris cerneret ictum, obuelaret, petijt, & accepit. Hinc igitur licet colligere, quam tremenda esse debeat imago mortis leporibus, si adeo formidabilis ipsis quoque videatur Leonibus. Prou. 30. v. 30. S. Anton. par. 4. tit. 14. c. 4. 3.

14. Vet-

14. Verba illa quæ sapientia incarnata S. Petro Apostolo dixit, nimirum: *Amen amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te & ambulabas vbi volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quo tu non vis*, ab interpretibus communiter intellecta sunt de tempore mortis, quam Apostolus senex iam & decrepitus in crucis ligno erat passurus. In quibus inter alia præcipuè obseruanda sunt sequentia: *Alius cinget te, & ducet quo tu non vis*. quasi diceret inuitus, violenter, & voluntate omnino renitente traheris ad mortem. Sed quomodo violenter traheretur? Ecquid S. Petrus in hac vita sperare amplius poterat, quod mori tergiuersaretur? Iam senex erat decrepitus & canus, annorum suorum cursum iam compleuerat; Iam gloriam expectabat Paradisi: præstolabatur Angelorum Societatem & amantissimi Magistri sui consortium; cur igitur moriturus erat inuitus, cum potius pennæ sibi columbæ accersendæ volandumque fuisset, vt summa cum acceleratione eo posset pertingere? S. Iulianus Archiepiscopus Toletanus dicit, quod S. Petrus *solutus à corpore volebat esse cum Christo. sed si fieri posset, sublata mortis molestia vitam concupiscebat æternam: ad quam mortis molestiam nolens ductus est; & reliquit hunc infirmitatis affectum, quod nemo vult mori adeo vsque naturaliter, vt eum Beato Petro nec senectus auferre potuerit, cui dictum est: Cum senueris ducendus es quo non vis*. q.d. Tametsi S. Petrus omni cum sollicitudine cælum ingredi, suoque dilectissimo Magistro perfrui desiderarit: attamen si ita fieri potuisset, desiderium istud adimpleri cupiuisset sine prægustatis doloribus mortis, quia vero istud fieri non poterat, Christus illi licet seniculo decrepito prædixit, ipsum valde inuitum & reluctantem mortis aditurum agonem. Quibus verbis insinuare voluit, mortis timorem in humanis cordibus adeo radicatum esse, vt in ipsis quoque Sanctis & electis Dei tanta vi & efficacia polleat, vt ne quidem ipsa spes cælestis præmij ipsos in senectute adeo animare & corroborare possit, vt mortem non timeant. *Nemo vult mori.*

Ioan. 21. v. 18.

S. Iulian. Archiep. Tolet. prog. lib. 1. cap. 16.

15. Cum sanctissimus Prothomartyr Stephanus sub saxis iaceret sepultus, Deo mox suum redditurus spiritum, eleuatis oculis suis in cælum, quod apertum illi exhibebatur, Christum ad dexteram Patris erecto corpore stantem vidit: *Intendens in Cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & dixit: Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Quidnam Sanctus hic Prothomartyr significare volebat dicendo, quod Christum erecto corpore in Cælo stantem videret? quomodo & quo corporis situ illum videbat stantem? Venerab. Beda respondet, dicere illum voluisse, quod Christum Crucifixum, eademque prorsus corporis specie viderit, qua visus fuerat in Cruce, dum in monte Caluario agonizans & moribundus spiritum suum in manus Patris sui redderet, & rationem huius visionis exhibitæ hanc assignat: *Ad confirmandam Martyris patientiam cælum panditur; & ne homo lapidatus titubet in terra, Deus homo crucifixus apparet in gloria.* q.d. Ad hoc vt diuinus hic Athleta debita cum patientia acerbos mortis sufferre posset dolores, non solum ipsi aperti sunt cæli, exhibitumque illi fuit immensum passionibus suis reseruatum præmium: verum insuper Christus ipsi inter beatos angelorum choros crucifixus & veluti moribundus apparuit. Adeo enim ingens & intolerabilis dolor ille erat, quem in horrendo isthoc momento patiebatur, vt ne viribus deficeret dulci quadam beatitudinis prælibatione subuenire, eumque viua imagine mortis Domini sui confortare & animare opus illi fuerit: *Ne homo lapidatus titubet in terra, Deus homo Crucifixus apparet in gloria.*

Actor. 7. v. 55.

Beda apud Gloss. ibid.

16. Inter alia mysteria & profunda verba quæ in Hymno quem S. Augustinus dum baptizaretur, cum S. Ambrosio cecinit, leguntur, suum quoque locum sequentia habent: *Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti virginis vterum.* At vero quidnam obsecro circa Virgineum Mariæ ventrem notabatur, ob quod horrori filio Dei esse poterat? Quis nescit B. Virginem ob eximiam eius puritatem & munditiam qua erat prædita, cælo simillimam fuisse, vt proinde ab omnibus, passim cælum sit appellata, vnde cum ipsa mysticum quoddam cælum fuerit, quomodo Deus

Hymno Te Deum.

 qui

qui cæli habitaculo tantopere delectatur exhorrescere illam potuit? Audite Iacobi de Valentia, hac de re sententiam, sic enim quidnam illud fuerit, quod in virgineæ matris vtero Deus horrori habere poterat, mox intelligetis: *Non horruit* inquit hic Auctor *virginis vterum, ratione hominis ex vtero virginis assumpti in quantum ille homo erat mortalis & passibilis? Quia licet mors & Passio est omnibus hominibus trepidanda, & horrenda & fugienda, tamen filius Dei non horruit tale corpus assumere, propter vtilitatem totius generis humani; & sic charitas coegit eum, imo roborauit, ne tale corpus passibile abhorreret.* q.d. Quando duo illi sancti Doctores dicunt, peculiarem fuisse hominum fauorem, quod Deus ventris virgineæ Matris habitaculum non horruerit, id non dicunt quasi in hoc sacro ventre horridi aliquid lateret, quod Deus horrere potuisset, sed quia in eodem concipiendus erat homo passibilis, mortisque doloribus subiectus, qui adeo sunt tremendi & horribiles, vt ipsemet Deus illos meritò timere & abhorrere posset, ne homo factus illis subiacere cogeretur, vnde ex hoc duntaxat motiuo fieri potuisset, ne vnquam Deus de cælo descenderet, aut homo fieret, nisi nostrum amore ad id fuisset instigatus & compulsus *Charitas coegit eum, imo roborauit, ne tale corpus passibile abhorreret.*

Iacobus de Valent. ibid.

17. Post iterata à Dæmone Deo incarnato in deserto Ierichuntino intentata tentationũ filtra, aduertens tentator, quod illũ quibuscunque etiã viribus & conatibus suis adhibitis, vincere tamen minimè valeret, ad tẽpus aliquod, vt refert S. Lucas, ab eo recessit, paulo post iterum reuersurus: *Et consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab illo vsque ad tempus*, Scilicet bonæ alicuius natæ occasionis, tali enim fortuito obueniente, ad Christum iterata vice tentandum reuerti decreuerat, nunquam enim spem omnem abiecerat fore vt magnum illum detriumpharet pessundaretque gygantem quem alias tot varijs modis infestatum reppererat inuictum. Verum quodnam obsecro fuit tempus illud, in quo tantam sibi Draco infernalis aduersus Cælorum Regem promittere poterat victoriam? Magister Historiæ Scholasticæ dicit fuisse tempus mortis; illo enim tempore per amaræ mortis dolores atque timorem se illum sternere & detriumphare facillime posse sperabat: *Discessit à Domino Lucifer ad tempus. tempore passionis rediit timore mortis, putans eum deijcere.* Quid igitur in horrendo isthoc mortis momento facturi sunt miseri Pigmæi quando nimirum tot inter mala ab ipsis quoque truculentis Dæmonibus tanta nimirum fortitudine & robore munitis vt [illegible] quoque gygantibus formidabiles for[illegible] fidere ausint, cincti & circumsepti erunt? Quisnam mortis horror infælicem peccatorem inuadet, quando homini Sancto tanta formido & pauor incutitur. *Ecce defunctus.*

Luc. 4. v. 13.

Petrus Comestor in Euang. cap. 35.

CONSIDERATIO II.

Misericordia motus super eam.

Diuina misericordia, & hominis vita adeo inter se connexa simulque coniuncta sunt, vt in eodem prorsus momẽto quo hæc extinguitur, illa quoque infallibiliter deficiat, in eiusque locum Diuina subingrediatur Iustitia.

CHristus defunctum hunc iuuenem à mortuis resuscitare voluit, non quia cõpassus sit super miserijs demortui huius adolescentis, sed potius ob pietatem qua cõpassus est lachrymis viduæ & afflictæ matris. Vnde Euangelista non dicit, quod Christus miraculum istud operatus sit *misericordia motus super eum, sed super eam.* Vnde colligitur hominẽ, qui ex hac vita discessit, & mortuus est, frustra sperare obtenturum se à Deo errorum suorum misericordiam, licet facile illam dum adhuc in viuis esset, impetrare potuerit. Diuina enim misericordia & peccatoris vita adeo sibi mutuo sunt coniuncta, vt in eodem prorsus momento quo vita definit Deus quoque erga hominem misericordia & pietate vti cesset, & mox rigorosæ iustitiæ locum cedat.

1. Angelus ille quem S. Ioannes cap. 10. Apocalypseos vidit, qui iuxta quorundam expositionem Christum Dominum nostrũ referebat, vocabaturq; *Magni cõsilij Angelus*, mox

mox vt de solium in terras descendit, dexterum pedem super mare, sinistrum vero super terram firmauit: *Et posuit pedem suum dexterum super mare, sinistrum autem super terram.* Per pedes huius Regis cælestis, Sancti Doctores Augustinus & Remigius: illa Psalmistæ verba: *Vniuersæ viæ Domini Misericordia & veritas*, explicantes, Misericordiam & Iustitiam intelligunt, adeo vt Misericordia sit pes dexter, sinister vero sit Iustitia. Quod cum verum sit, nunc causam obiter videamus, ob quam Christus misericordiam super mare, Iustitiam vero super terram firmauerit, & non potius è contrario? Et quantum equidem assequi possum, huius non est alia ratio, nisi vt dicamus id fieri pro explicatione illius mysterij, quod in præsentiarum probare contendimus. Notandum igitur, quod iuxta S. Gregorij Nysseni explicationem mare in Sacra scriptura, præsentis vitæ, in qua degimus, symbolum sit: *Maris appellatione vitam hanc designat.* Terra vero alterius sæculi est hieroglyphicum; vbi postquam ex hac instabili vita discesserimus, pedem nostrum figemus, quod instar terræ æternum ac stabile erit. Quod igitur Christus misericordiam supra mare, Iustitiam vero supra terram firmauerit, *Posuit pedem suum dexterum super mare, sinistrum autem super terram.* per hoc insinuare voluit, quod quoadusque in mari huius vitæ sumus, & nauigamus, hoc est, viuimus, misericordiæ suæ (cuius præsens vita proprius locus est) semper participes simus. Quodsi autem postea ad littus finè in terram nos appellere contigerit, id est, in altero sæculo pedem nostrum fixerimus, non iam amplius speranda est misericordia, sed Iustitia; tunc enim Deus secundum merita & demerita nostra nos præmio aut supplicio condigno afficiet.

Apoc 10. v. 2.

S. Aug. S. Remig. apud Bla ibid.

Psal. 24. v. 10.

Greg Nyss. tract. 1 in ps. c. 8.

2. De infortunato homine illo, qui ex Ierosolymis in Hiericho, descendens in latrones in via incidit, qui illum non tantum rebus suis exuerant, verum etiam grauiter vulnerarunt, ipso nudo & semiuiuo relicto; De hoc inquam referunt in S. Luca, eum in pientissimi Samaritani corde, qui in infelicem hunc hominē fortuito in via incidit, magnam reperisse charitatem & beneficentiam, vtpote à quo adiutorium pariter & remedium accepit: *Samaritanus quidam iter faciens, venit secus eum, & misericordia motus appropinquans, alligauit vulnera eius, imponens oleum & vinum.* S. Ambrosius, qui iuxta communem aliorum Doctorum opinionem, per Samaritanum hunc Christum Dominum nostrum intelligit, causam inuestigans, ob quam Dominus noster ad pietatem versus infortunatum hunc hominem motus fuerit; huc tandem, velut in causam se reflectit dicens: *Fortasse ideo non præteriuit eum, quia aliquid vitale in eo cognouit, vnde posset vitam resumere.* q. d. Causa quæ Samaritanum ad pietatem commouit, hæc potuit esse, quia vti Euangelista aduertit, Latrones illum non occiderunt, sed semiuiuum reliquerunt. *Semiuiuo relicto.* Quodsi enim illum reperisset mortuum, nō solum nullam erga ipsum pietatem exercuisset, sed ne quidem ipsum fuisset dignatus respicere, cum certum sit Diuinam misericordiam, quæ semper ad dandum viuorum plagis remedium, prompta est mortuorum necessitates dedignari & derelinquere.

Luca 10. v. 33.

S. Ambros. lib 5. de pœnit. cap. 10.

3. Dauid Propheta de Diuina misericordia loquens dicebat, hanc vltra omnia Dei opera extendi: *Miserationes eius super omnia opera eius.* Idque indicat ly (*super*) sicut ex alio quodam eiusdem Prophetæ loco colligi potest vbi de sede Dei loquens dicebat: *Qui sedet super Cherubim.* id est, sedes vltra Cherubim, non in Cherubinis sed supra illos, *Quasi non in Cherubim* inquit Hugo, *sed in Seraphim*, quæ sunt supra vel vltra Cherubinos. Adeoque ex ore Dauidis habemus, Diuinam misericordiam supra omnia Dei opera extendi, quasi tacitus inferre vellet, ipsam non habere eiusmodi extensionem supra alia opera quæ Dei non sunt. Verum dicat quis quid est quod Deus non fecit, super quo proinde Deus suam pietatem non extendat? Respondet ad hoc sapiens, omnia à Dei manibus egressa esse, sola morte excepta: *Deus mortem non fecit.* Vnde consequenter opus est affirmare misericordiam Diuinam non se extendere supra vel vltra mortem. Negari non potest quia subtus, seu infra mortem, id est, quamdiu hic viuimus semper misericordia Dei parata sit & ad succurrendum necessitatibus nostris, & condonanda peccata exposita; at vero vltra

Ps. 144. v. 9.

Ps 79. v. 2.

Sap. 1. v. 13.

vltra vel supra mortem, hoc est, postquam ex hac vita migrauerimus, impossibile erit inuenire pietatem, sed potius rigorosam iustitiam, instamque iram. *Miserationes eius super omnia opera eius.*

4. Obseruat Chrysostomus, Deum Adæ dixisse, quod eodemmet die quo de arbore vetita vesceretur, Diuinumque transgrederetur præceptum, certo certius esset moriturus: *In quocunque die comederis ex eo morte morieris.* At vero postquam infausta illa dies tandem aduenit, in qua infælicissimus homo peccauit, non solum non est mortuus, verum alijs centenis & triginta annis insuper vixit. vnde quærit cur Adam postquam Diuinam ordinationem iam fuerat trangressus, immediate post subito mortuus non est, prout illi Deus fuerat comminatus, verum insuper tantam habuit vitæ suæ prorogationem? Et dicit: *Non dedit morti potestatem illico reum inuadendi; etenim si transgressos protinus arripuisset, pœna fuisset irreparabilis, citraque pœnitentiæ remedium.* q. d. Tametsi Adam mox vt peccauit, comminatam vere promeruerit mortem, nequaquam tamen mortuus est subito, nam cum Deus statuisset casui huic infœlicissimi hominis illius aliquam ferre opem, & remediū, suspendit ictum & trangressorem viuum conseruauit. Quodsi enim tunc hominem mori voluisset, malum eius futurum fuisset irremediabile, sicut enim Diuina misericordia semper est parata & prompta ad succurrendum necessitatibus viuorum, ita mortuorum indigentias & necessitates contemnit & deserit. *Pœna fuisset irreparabilis.*

Gen. 2. v. 17.

S. Ioan. Chrysost. in ps 95.

5. Ad periculosum huncce casum Dauid respiciebat, quando Deo dicebat: *Miserere mei Domine quoniam infirmus sum.* Quasi magis perspicuè dicere voluisset: Miserere huic misero peccatori, quoadusque modicum hoc vitæ illi reliquum manet, ideoque remissionis & gratiæ tuæ promerendæ adhuc capax existit. Quodsi enim ingenti malo suo (quod tu ô Deus auertas) infirmitas morte præuenta & terminata fuerit, frustra à te clementiam postulabit, vtpote quā viuis duntaxat concedere, mortuis autem negare consueuisti.

Ps. 6 v. 2.

6. Dum maligni Scribæ & peruersi Pharisæi verba illa quibus animarum nostrarum saluator certo cuidam Paralytico peccata sua remittebat, audirent, ipsumque ex iisdem verbis Blasphemiæ arguerent, Diuinam quandam, & huic proposito apprime necessariam ex ore Christi extorserunt Doctrinam. Nam ad illos conuersus dixit: *vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait Paralytico) tibi dico surge.* Id quod mihi hoc in loco præcipue considerandum assumo, est, quod Christus dicat se habere potestatem dimittendi peccata in terra: *Habet potestatem in terra dimittendi peccata.* quasi extra terram illam non haberet. Id quod mihi valde peregrinum videtur; Deus enim tam in terra quam foris extra illam peccata nostra dimittere potest, cum potentia ipsius non sit maior in terra quam extra illam. Quia tamen Deus irreuocabiliter disposuit nostris peccatis adferre remedium, quamdiu in hac terra sumus & viuimus, non vero cum ab illa recessimus, siue postquam hinc in alteram vitam emigrauerimus, ideo Christus potestatem remittendi peccata, nonnisi in terra habere se dicit, non quod hanc extra terram, in Cælo nimirum, non habeat, sed quod illam in terra duntaxat exerceat, foris autem extra illam se haud secus habeat, quam si potestatem illam nequaquam haberet, illamque reipsa exercere non posset. vnde Theophylactus inquit: *vide quod in terra dimittit peccata, dum enim sumus in terra peccata nostra delere possumus. Postquam vero à terra tollimur non valebimus confiteri, clauditur enim ianua.*

Matth. 9. v. 6.

Theoph. apud S. Thom. in Cat. ibid.

7. Confirmatur id ipsum per dictum Dauidis Prophetæ Psal. 32. vbi sic loquitur? *Diligit misericordiam & iudicium, misericordia Domini plena est terra.* Quasi discurrere hunc in modum voluisset: Ne vobis persuadeatis velim, quasi Deus in castigandis humanis culpis non sit æque iustus & seuerus; si quidem si ex vna parte amat misericordiam, ex altera parte quoque Iustitiam impense diligit & æstimat: *Diligit misericordiam & iudicium.* Et sicut in hac terra locum dedit misericordiæ: *Misericordia Domini plena est terra.* Ita postquam ab hac terra demigrauerimus, Iustitia nobis occurret, Quamdiu enim in hac vita sumus peccata nostra pientissime remittuntur, postquam vero

Ps. 32. v.

vero hinc in alteram vitam recesserimus, summo cum rigore eadem castigabuntur.

8. Doctor Angelicus illa Apostoli verba ad Hebræos explicans: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis*, veluti profundæ Diuinæ pietatis abyssi optimè conscius, non mediocri circa hæc verba admiratione afficitur, vtpote cui potius videbatur dicendum: *Dulce est incidere in manus Dei viuentis* quam si diceretur: *Horrendum est.* In cuius opinionis suæ confirmationem Dauidis exemplum adfert, cui cum Propheta Gad pro expiatione peccatorum suorum vnum ex tribus sequentibus flagellis, fam is nimirum, bell , aut pestis, obtulisset, vt ex ijs, quod expedientius sibi videbatur, eligeret: Ipse sine longa deliberatione præuia, pestis flagellum elegit, seque in Dei manus pure & simpliciter resignauit, easdem longe pientiores æstimans & benigniores, quam manus hominum: *Melius est vt incidam in manus Domini, multæ enim misericordiæ eius sunt, quam in manus hominum.* Quodsi igitur tanti Prophetæ iudicio & æstimatione, manus Dei adeo sunt dulces, piæ adeo & benignæ, quamobrem Apostolus illas adeo tremendas & horrendas esse iudicat? Tandem vtrumque locum bene considerans, egregiam adinuenit distinctionem, per quam eas inter se reconcilians eleganter ostendit, quanta cum ratione S. Paulus fuerit locutus, tametsi neque Dauid fuerit deceptus: *Dicendum est quod vsque ad iudicium non est horrendum in manus Dei incidere, qui iudicat misericorditer, qui est Pater misericordiarum: sed post iudicium horrendum est incidere in manus Dei, quando sicut Deus vltionum iustitias iudicabit.* q. d. si Homo dum viuit in manus incidat Dei, non solum id nō est horrendum, sed etiam dulce & consolatione plenum, nam quamdiu Deus in hac vita nobiscum agit, impossibile est vt solitæ suæ obliuiscatur pietatis, ad quod tempus Dauid respiciebat, quando potius Dei quā hominum manibus sese committere voluit. Posteaquam vero mortali culpa contaminatus ex hac vita discedens, Diuino se tribunali præsentari, seque Dei manibus cedere coactus fuerit, nihil æque horrendum ac terribile accidere ipsi poterit. Deus enim in illa hora non minus erit crudelis,

Hebr. 10. v. 31.

2. Reg. 24. v. 14.

S. Thom. in cap. 10. Hebr.

quam fuerit in hac vita clemens & pius quando nimirum manus eius vngues videbuntur esse leonis, vindictæ, sanguinis & mortis auidæ. Ad quod tempus Apostolus respexit, dum illas horrendas esse iudicauit. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

9. S. Ioannes Chrysostomus velocitatem & accelerationem quacum Iudas traditor ad sui suspendium properauit, argute obseruat, cumque infælicis illius animæ perditio vltra modum ipsi displiceret curiose gia tantæ sollicitudinis causam inquirit, videtur enim ipsi, quod si per aliquam temporis morulam nonnihil magis tardasset, spem habere potuisset de suo peccato resipiscendi, faciendi pænitentiam, & peccatorum suorum quantumuis grauium veniam obtinendi à Christo, qui tametsi adeo grauiter fuerit offensus, attamen tanquam benignus, pius, & clementissimus Dominus, illum ad instar dilecti filij peramanter vtique recepisset & amplexatus fuisset, ipsumque in primitiuam denuo gratiam restituisset. Tandem vero causam illam inuenit, & dicit: *Pernitiosum fuit consilium Dæmonis, præripuit enim eum antequam pæniteret, vt pænitentiæ fructum amitteret, & extrema morte, cunctisque manifesta suspensus perijt.* Sciebat enim virulentus Draco, Iudam quoadusque viueret, grauissimæ noxæ veniam facile impetrare potuisse, vtpote qui intra illud tempus pænitere, & plangere poterat. Ne igitur hoc eueniret summa cum acceleratione illum ad furcam perduxit, effecitque vt proprijs sibi manibus laqueum texeret, necteret, ligaret, sesequ e conficeret, sicque in peruersæ voluntatis suæ statu perseuerans, Diuinæ misericordiæ auxilia amitteret, quæ viuis duntaxat conceduntur; à Dæmonibus vero, & in peccato mortali mortuis perduntur.

S. Ioan. Chrysost. Hom. 89. in Matth.

10. Diuinam Salomon Sapientiam introducit, veluti cum homine in hoc mundo iocantem & ludentem: *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, Ludens in orbe terrarum.* Omitto hic latinum quendam Poetam adducere, qui prorsus idem dixisse comperitur.

Prou. 8. v. 30.

Ludit in humanis Diuina potentia rebus.

At vero quid Deus in hac vita facit, quod nobis-

nobiscum dicatur ludere; Habet se ad instar ludentis, quia ludere quis dicitur, dum non facit quod videtur facere. Ita Deus dum nobiscum in hoc mundo tractat, siue præmiet, siue castiget, semper ludit, & non facit vere quod facit. *Ludens in orbe terrarum.* Sicut enim diuitiæ, honores, prosperitates, aliaque bona transitoria, quæ in isto mundo concedere dignatur in comparatione eorum quæ in Ciuitatem cælestem vsque reseruat, non sunt appellanda vera bona, sed bona ludicra. Simili quoque modo ludere dicendus est, dum in hoc eodem mundo affligit; præsentis enim vitæ afflictiones & ærumnæ, non sunt ærumnæ veræ, sed ludicræ, & terriculamenta duntaxat puerorum; non enim à vero, puro, & simplici furore & ira procedunt, sed à furore quodam qui mixtus sit pietate. At vero vitæ huius fabula & scena finita, Deus diu nobiscum ludendo & iocando defatigatus, inquit D. Chrysostomus, vere & non ficte seu ludicre aget: *Præsens quidem vita ludus est, futura vero non ludicra.* Quod B. Laurentius Iustinianus optime intellexisse scribitur, qui iam iam in Cœlos abiturus circumastantibus discipulis suis dixit: *Hactenus filij per iocum res acta est, serio nunc agitur.* Tunc enim Deus à consueta sua misericordia, per quam huius vitæ afflictiones indulcorare solebat, adeo desinet siue intermittet, vt ne minimum eius vestigium ad temperandum iusti rigoris sui furorem, futurū sit reliquū, totus enim furor, totus ignis, totus vindicta erit.

S. Ioan. Chrysost. Hom. 47. ad pop.

Be Iust. in vita B. Lau. Iustin.

11. Non mediocriter timor iste Dauidē Prophetam affligebat, cum Domino diceret: *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.* q. d. Dignare ô clementissime Domine vnicam animam meam à tremendo Iustitiæ tuæ gladio liberare, valde enim timeo, ne illum in vltimo die vitæ meæ districturus & vibraturus sis, necnon & de horrendi cerberi manibus, qui expectabit vt deuoret eam. S. Cæsarius Episcopus Arelatensis optime obseruat, quod Dauid hoc loco animam suam vnicam appellet: *vnicam meam?* Ideoque quærit: *Quare dixit vnicam?* Cur vnicam appellat animam suam, eo præcipue tempore, quo diuino sistenda erat tribunali? Et dicit; *Quia ipsa sola & singularis ante tribunal cæleste, remotis omnibus solatijs abitura est.* Quamdiu anima coniuncta est corpori, & hac vita fruitur, sola dici non poterit, siquidem suis in afflictionibus diuersis consolationibus à diuina pietate sibi præparatis stipatam se experitur. Habet imprimis Angelum custodem, lateri suo semper assistentem, qui illum monet & instruit hic & nunc quomodo à fallacibus semitis pedem suum declinare debeat, atque virtutum & Cæli semitas demonstrat, per quas inambulet. Habet Sacramenta & pretiosum Domini sui sanguinem, quem illi in vulnerum suorum dedit medicinam. Habet Deiparæ virginis aliorumque sanctorum intercessionem. Et quod plus est habet ipsummet Redemptorem nostrum Iesum Christum, qui coram æterni Patris sui tribunali pro ipso Aduocati exercet officium, atque cum efficacia admirabili suam procurat salutem. At vero posteaquam è viuis fuerit sublata, à Diuinæ pietatis auxilijs pariter desolata erit, remanebitque vnica & sola; Discedet enim ab illo Angelus eius, nullam Sacramenta illi vtilitatem adferent, Dorsum illi vertet Deipara virgo, neque illam alij sancti iam deinceps recognoscent; Denique Christus ex Aduocato Iudex fiet mirum quantum rigorosus. *Ipsa sola & singularis ante tribunal cæleste, remotis omnibus solatijs reditura est.*

Ps. 21. v. 21.

S. Cæsar. Hom. 1.

12. Ad hoc idem propositum idemmet Propheta loquebatur, quando Deo dicebat; *Misericordia tua ante oculos meos est.* Quasi dicere vellet: ô Domine quoadusque oculos meos habuero apertos, securus sum quod misericordiæ tuæ beneficijs perfruar. Quod si vero summo meo malo, peccatis meis ita demerentibus, acciderit, vt per mortem in hoc miserabili statu oculi mei claudantur, tunc vtique sicut misericordia coram me abscondetur, ita coram me statuetur Iustitia, vnde iam non amplius pietatem & veniam sperare licebit, sed potius ira & supplicium imminebit. Ps. 25. v. 3.

13. Huius quoque mysterij S. Iob. ignarus non erat, dum Deo diceret, vitam sibi à Deo simul datam esse cum misericordia: *Vitam & misericordiam tribuisti mihi.* Vbi bene obseruandum quod non dicat: *Animam* Iob. 10. v. 12.

& mise-

& misericordiam, sed *vitam & misericordiam tribuisti mihi.* Insinuare namque volebat, Deum misericordiam non dedisse in consortio animæ seu simul cum anima, adeo vt animam vbicunque associaret, sed simul cum vita, vt vitam associet. Ex qua scriptura peccator sibi hoc tanquam certum vendicet, quod in tantum affectuum diuinæ misericordiæ futurus sit particeps, in quantum vitam habebit, vnde si accidat quod perdat vitam, perdet similiter & misericordiam, atque in solius *Iustitiæ* manibus remanebit. Vnde ob eandem rationem Christus in hoc Euangelio ad pietatem motus non est ob filium viduæ, qui vitam amiserat, sed ob viduam & desolatam matrem quæ etiamnum viuebat. *Misericordia motus super eam.*

CONSIDERATIO III.

Noli flere.

Qui in statu Diuinæ gratiæ moriuntur, non mortui, sed viui sunt: infelices peccatores econtra etiam viui mortui sunt.

POstquam Christus Dominus noster viduam matrem, iuxta filij feretrum inconsolabiliter vidisset plangentem, ipsi vt à planctu desineret præcepit: *Quam cum vidisset Dominus misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.* Non quod illi huius mulieris planctus displicuisset, quem tanto cum pondere causarum maternus suggerebat affectus; sed quia filius non iam mortuus, sed potius viuus æstimandus erat, vtpote quem ipse intra breue tempus erat suscitaturus: Lachrymæ enim non minus disconueniunt, si fundantur pro viuis, quam congruant si spargantur pro mortuis, *Non enim*, inquit Iansenius: *deflenda erat mors eius, qui mox maiori cum gloria & lætitia matris erat victurus.* Vnde colligitur peccatoris mortem duntaxat deplorandam esse, non vero eam quæ iustis accidit. Quippe cum ij qui ex hac vita in gratia Dei discedunt, non sint mortui, sed viui, ad contrarium eius quod reperitur in reprobis, qui in hac etiam vita mortui existunt.

Iansf. Concord. Euang. p. 46.

1. De Iobo Sanctissimo illo Patientiæ speculo Moyses historiæ præfati Prophetæ luculentus descriptor refert, quod consummato terribilis illius probationis spectaculo, in quo Deus virtutum huius serui Dei euidens toti mundo specimen dedit, idem Deus vniuersam eius iacturam munificentissima reparatione restaurauit, omniaque quæ perdiderat dupliciter restituerit: *Adiecit Dominus omnia quæcunque fuerant Iob duplicia.* Adeo vt si v.g ante stragem à Dæmone illatam septem millia pecorum habuisset, postea quatuordecim millia receperit, & sic consequenter de bobus, Camelis, cunctisque alijs facultatibus suis loquẽdo, quas omnes illum duplicatas reacquisiuisse scriptura testatur, vnde sequitur ipsas quoque filias & filios quos amiserat, in duplum ipsi restituendas fuisse. At vero S. Ioannes Chrysostomus, se hoc nullibi inuenire dicit: Et quidem si hoc factum fuisset, opus erat vt cum è maribus & fæminis Deus decem ei proles sustulerit, bis totidem eidem restituerentur, cum tamen scriptura expresse dicat ipsum nonnisi decem recepisse: *Fuerunt ei septem filij & tres filiæ.* Ac proinde quærit: *Quomodo iumenta quidem in duplum, in simplum vero restituuntur liberi?* Et respondet. *vt ostenderet, quoniam illi tametsi perempti sunt, viuunt tamen, ac omnes Sancto Iob lætitiæ sunt, cohæredesque applaudunt: quamobrem ei non dat præter decem, quo Iob inueniatur, non à vita in mortem, sed à domo in domum transiens, cum eum decem filij vitæ terminum finientem ad tumulum vsque duxerunt, decem eundem iterum in resurrectionis die à tumulo in regnum suscipiunt.* vult insinuare, quod tametsi filij coram oculis mundi videbantur mortui, quia tamen veluti tam sanctæ arboris rami boni erant & virtuosi, ideo coram oculis Dei non mortui, sed viui censebantur. Bene equidem bestias in duplum restituit, quas Iob varijs in cæli stragibus occisas perdiderat: Filij autem ab ipso amissi non erant, nec illorum occasus mors vera fuit, sed potius translatio de huius vitæ domo, in aliam alterius sæculi, vbi optimũ suum Patrem operiebantur, vt illum similiter ingressurum ad cælum comitarentur

Iob. 42. v. 10.

Ibid. v. 13. S. Ioan. Chrysost. Hom. 4. in Iob.

atque deducerent. Atque ita per occultum istud mysterium mundo testatum fecit & manifestauit, quod dum serui Dei moriuntur verè non moriantur, sed viuant *Tametsi præcepti sunt, viuunt tamen.*

2. Obseruate qualiter Dauid ad Sacramentum istud explicandum, cum Domino suo locutus fuerit: *Non moriar sed viuam, & narrabo opera Domini.* q. d. quisquis sibi me moriturum esse persuadet, graui certe errore decipitur, semper enim victurus sum ad prædicandum mirabilia tua. Quomodo enim se non moriturum esse dicit, cum non minus quam alij homines caducus esset & mortalis, cumque expresse constet ipsum de facto, sicut omnes ab Ada descendentes posteri, mortuum fuisse atque sepultum. S. Bruno verba ista optime ponderat & dicit. Nunquam ex Dauidis regio ore veritatem certiorem fuisse egressam, quam sit ista; quia tametsi Dauid mortuus esset, vere tamen mortuus non erat. Et rationem assignat: *Mors enim corporalis, quæ per tribulationes accidit, mors dicenda non est, sed vitæ principium. Post hanc enim mortem sancti fœliciter viuere incipiunt, vnde etiam dies obitus Martyrum, natale dicitur, tunc enim in æterna vita nascitur, nunquam deinceps amplius moriturus.* Dauid itaque vtpote homo sanctus & perfectus, & consequenter veritatis istius valde gnarus dixit se non moriturum: *Non moriar, sed viuam.* Sicuti reapse quoque accidit, tametsi enim mortuus fuerit, non tamen est mortuus, sed potius in Paradiso perenniter viuit. *Post hanc enim mortem sancti fœliciter viuere incipiunt.*

Ps. 117. v. 17.

S. Bruno Ibid.

3. Christus Redemptor noster occasione cuiusdam à malignis Pharisæis propositi dubij, hisce illos verbis est allocutus: *Non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed Deus viuentium.* At vero, da ò Deus veniam verbo, videtur enim mihi ex hoc antecedente contrarium concludendum eius quod à te concludendo inferebatur; Quodsi enim Deus est Abrahæ, Isaac & Iacob, qui mortui sunt, & non viui, oportet dicere ipsum esse Deum mortuorum non vero viuentium. Philippus Abbas dicit, Christum hæc verba dixisse; *vt eos iam non mortuos, sed in æternum viuere cognoscatur*, id est, vt insinuaret, quod tametsi Sancti & amici Dei haud secus ac alij homines moriantur, in cælo tamen spiritualiter viuant, ideoque Deum illorum viuorum & non mortuorum Deum appellandum esse. Illi namque qui ex hac vita in gratia Dei discesserunt, non mortui sed viui existunt, cum mors peccatorum & inimicorum Dei propria sit. *Vt eos iam non mortuos esse, sed in æternum viuere cognoscatur.*

Matth. 22. v. 32.

Philip. Ab. de silent. ser. 6. 90.

4. Nostisne rationem edicere, ob quam fideles Christiani defunctorum suorum feretra lauri, hæderæ, & cypressi, non vero vitis, ficulneæ, Platani, aut arborum quarumuis similium frondibus ornare soleant? Guilielmus Durandus illam hisce verbis assignat: *Hædera vel laurus & huiusmodi, quæ semper seruant virorem, in sarcophago corpore substernuntur, ad significandum, quod qui moriuntur in Christo, viuere non desinant: nam licet mundo moriantur secundum corpus, tamen secundum animam viuunt & reuiuiscunt Deo.* Quia quamuis corpora illorum videantur mortua, marcida, putrida, & sub terram sepulta, animæ tamen illorum in cæli viridario, vbi æternæ beatæque vitæ virorem perpetuo conseruant, nec mors locum habet, repositæ existunt. *Secundum animam viuunt & reuiuiscunt Deo.*

Guiliel. Duran. ration. diuin. lib. 7. c. 35. nu. 38.

5. Quodsi Christus propria morte sua nostram comminatus est occidere mortem: *Ero mors tua ô mors*, prouti reuera illam occidit *Mortem nostram moriendo destruxit* Cur igitur Sancti post Christi mortem moriuntur, pro quibus, vt mortē euaderent, Christus mortem occidit? Respondeo quodsi Deus soli morti vim occidendi homines, non vero etiam alijs attribuisset, efficax vtique tunc fuisset illatio dicentis, mortua mors est, Ergo nullus deinceps homo mori potest. Nunc vero cum eadem qua mors virtute præditus quoque sit amor, prout in canticis dicitur: *Fortis est vt mors dilectio.* hinc est, quodsi post mortem mortuam sancti quoque moriantur, id non vi mortis, fiat, quæ talem homini vim deinceps facere non præualet, sed diuini potius virtute amoris. Quos autem amor enecat, non mortui sed viui censentur, siquidem amor rem amatam deterioris conditionis non efficit, sed potius meliorem reddit; non mortificat,

Ose. 13. v. 14.

Cant. 8. v. 6.

ficat, sed viuificat: non tollit vitam sed commutat, & de hac mortali & caduca vita, suos ad immortalem Cæli transfert gloriam.

6. Peregrinum valdeque rarũ fuit, quod in sanctissimi Dionysij Areopagitæ morte visũ fuit spectaculum. De hoc enim celeberrimo Martyre scribitur, quod à carnifice decollatus, sacratissimum caput suum, quod humi decussum iacebat, propriis manibus è terra sublatum in conspectu circumstantis populi ad duorum milliarium spatium genero sè portarit: *Memoria proditum est*, inquit in Breuiario Romano sancta Mater Ecclesia *abscissum suum caput abstulisse, & progressum ad duo millia passuum in manibus gestasse.* Quidnam obsecro Deus per ingens huius miraculi portentum innuere voluit? audite Hugonem de sancto Victore idipsum explicantem: *Ne mors inquit, vitam hæreditaret, in mortuis vitæ signum faciens, caput manibus baiulauit.* quasi diceret, ne mors sibi aliquod in mortuis vitæ dominium habere persuaderet, S. Dionysius iam mortuus existens, quandam viuentis hominis exercuit actionem, & venerãdi capitis sui ipsemet per tãtum viæ spatium proprijs manibus baiulus extitit, quasi morti insultasset dicendo: *vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus.* Tu quidem conoisa es, vt vitam mihi eripiens me inter mortuos tuos reponeres, sed vide iam, labores tuos frustra in me adhibitos, vtpote qui mortuus non sum, sed viuus, vide quia instar viuorum me moueo & gressus facio; indeque euidenter cognoscas, quod omnes quotquot vna mecum Regi omnis vitæ seruierunt, & obdormierunt in Domino, non mortui sint, sed viui, & quidem meliori vita viuentes, quam ante dum viderent.

Breuiar. Rom 9. Octob.

Hugo de S. Vict. de vanitate mundi lib. 4 circa fin.

7. Causamne aliquando examinastis, ob quam Christus & Apostoli post celebratam vltimam cœnam priusquam in montem abirent Oliueti, quendam inter se alternis vocibus hymnum cecinerint: *Et Hymno dicto exierunt in montem Oliuarum*, inquit S. Marcus. Quantum equidem prima facie apparet, hymnus iste à Christo & discipulis decantatus, tempori Christo tunc imminenti inopportunus videbatur, erat enim Dominus noster illo tempore in proximo procinctu eũndi ad mortem; vnde plangere potius Christus & discipuli, quam canere debuissent. Porro quod nascente Domino Angeli cecinerint, mirum non est, Natiuitas enim tempus est gaudij & lætitiæ, ideoque cantus ille valde erat tempori oportunus. Quod vero tempore mortis, quando mundus plangere & lachrymari consueuit, non solus ipse cantarit, verum insuper ipsos quoque simul cum ipso canere voluerit Apostolos, peregrinum hoc valdeque mirum esse videtur. Mouet hanc difficultatem Paulus de Palatio, qui eandem, nouæ huius cæremoniæ assignando rationem, egregie resoluit, dicens: *Canit in morte, vt ostendat canendum esse in ea morte, qua mortis prior est finis & vitæ sequentis initium.* Serui enim Dei moriendo non moriuntur, sed mori cessant, cum vita hæc, nihil aliud sit quam quædam prolixitas mortis, qua absoluta æternaliter viuere incipiunt, ac proinde haud secus, ac si die illa nascerentur, lætitiæ, non vero vt in morte fit, luctus signis sunt prosequendi.

Marci 14. v. 26.

Paul. de Palatio in cap. 26. Matth.

8. Porro planctus & lachrymæ, in mortem vsque peccatorum & inimicorum Dei sunt reseruandæ, hi enim non tantum post mortem, verum etiam dum viuunt æstimãdi sunt mortui. Id quod ex paucis ijs locis demonstraturi sumus qui pro considerationis præsentis complemento sunt reliqui.

Sacra scriptura[a] refert Salomonem iam consenescentem in Idololatriæ peccatum incidisse: *Cumque iam esset senex, depravatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos.* Postea vero de annis quibus regnauit tractans, subiungit, numerum horum quadragenarium fuisse: *Dies autem quos regnauit Salomon quadraginta anni sunt*, vnde quia non est credibile Salomonem in exordio imperij sui puerum fuisse, ideo Magister historiæ scholasticæ ipsum paululum vltra quinquaginta annos vitam suam produxisse opinatur. Ac proinde pulchram quandam hic ingreditur difficultatem: *Quæritur autem qua ratione dicitur Salomon senex fuisse cum modicum vltra quinquaginta annos vixisse legatur.* q. d. Quod si Salomon quinquaginta tantum annis vixit, cur spiritus sanctus illum dicit mortuum esse senem,

3. Reg. 11. v. 4.

Mag. hist. schol. cap. 27. in 3. Reg.

cum

cum senex nondum appellandus sit, qui ad illam tantummodo pertigit ætatem, sed tunc homo vt plurimum senex appellatur, quando decrepitus est & confectæ ætatis. Respondet autem, Salomonem vere mortuum esse senem, quia vti *Iosephus* Hebræus refert, septuaginta annis regnauit, & annos nonaginta quatuor vixit. Ratio autē cur postea quadraginta annis regnasse scribitur, hæc est. Quia Diuina scriptura eos tantum annos exprimit, quibus antequam præuaricaretur, regnauit, aut quibus in diuinorum præceptorum obseruantia vixit, & sanctus fuit; aliorum vero annorum nullam inter annos vitæ suæ facit mentionem, non enim vitæ, sed mortis anni sunt, cum homo peccator & extra gratiam Dei constitutus, qualis Salomon tunc erat, mortuus merito dici debeat.

9. Filij *Iacob* Patriarchæ *Iosephum* fratrem suum viuum in Ægypto reperientes, ipsumque à regni illius Rege sublimatum adeo videntes & honoratum, domum reuersi decrepito Patri suo dixerunt: *Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti* Origenes verba ista ponderat & dicit: Putasne quod in casu quo *Ioseph* in lasciuas coniugis Domini sui sollicitationes consentiens, adulterij peccatum commisisset, fratres eius verba prædicta, decrepito patri suo pari cum veritate dicere potuissent, sicuti ea nūnc potuerūnt dicere, quando instanter à Domina sua sollicitatus, cum scelerata illa contaminare se nequaquam voluit? Scio equidem, inquit Origenes, fore nonnullos, qui id affirmabunt, dicent enim, ex quo filij *Iacob Iosephum* fratrem suum viderant, cum illo etiam locuti & conuersati fuerant, quid impedire posset, quominus tametsi in enorme illud adulterij peccatum fuisset prolapsus, salua tamen veritate dicere vere potuissent: *Ioseph filius tuus viuit*, nisi enim vixisset; cum illo loqui aut conuersari non potuissent: At vero opinio Origenis est, Patriarchas illos talem ad Patrem suum de *Iosepho* relationem supposito illius peccato, minime fuisse facturos, neque enim salua veritate id facere potuissent, tametsi enim peccator viuus appareat, non tamen viuit, sed mortuus est: *Si enim ponamus, quod potuisset ruinea libidine, & peccasset cum vxore Domini sui: non puto quod hoc à Patriarchis de eo nuntiatum fuisset, quia filius tuus Ioseph viuit, hoc enim si fecisset, sine dubio non viuebat.*

Gen. 45. v. 26.

Origen. Hom. 15. in Genes.

10. *Isaias* Propheta gloriosam illam visionem, quam in templo habuerat, describere volens, accurate assignauit tempus, quo Deus illum tali fauore dignatus fuit, & dixit: *In anno quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Dicunt hoc lòco Doctores hebræi, quod tametsi Ozias Rex illo anno summi Sacerdotis officium temere vsurpans, Deum per hoc grauiter offenderit, ideoque in peccati commissi pœnam lepra percussus fuerit, ipsum tamen, non eodem anno morte fuisse sublatum. Ex qua hebræorum traditione, circa verba prædicta difficultas oboritur, quomodo videlicet, si Rex Ozias tunc nōdum mortuus fuerit, Propheta illum tunc mortuum esse affirmare possit? Respondet Nicolaus Lyranus cum Rabbi Salomon: *Iste non fuit annus mortis oziæ, accipiendo mortem pro separatione animæ à corpore, sed annus quando fuit à Domino percussus lepra, quia voluit officium sacerdotale vsurpare, quia ex tunc reputatus fuit tanquam mortuus* q. d. Quod si per mortem intelligatur separatio animæ à corpore, Ozias illo anno mortuus dici non potest; post illum namque annum multis deinceps adhuc annis vixit: si vero per mortem intelligatur separatio Dei ab anima, quam homo incidit, quando Deum mortaliter offendit, quæ vera hominis mors est, opus est dicere Oziam illo anno mortuum fuisse, postquam enim religiosa officia soli summo sacerdoti concessa vsurpauit, Deum grauiter offendit & peccauit, ideoque tunc quoque mortuus fuisse dicitur; *Peccator* namque etiam in hac vita tanquam vere mortuus habetur.

Isa. 6. v. 1

Nicolaus de lyra ibi

11. Audite egregiam Petri Chrysologi sententiam qui de Herodis Regis natali die, & de Sanctissimi Præcursoris morte loquēs Paradoxum aliquod composuisse & enuntiasse videtur, dicens: *Scire nos conuenit, quia & Ioannes de morte sua natus est & de natali suo mortuus est Herodes.* An non istud vobis paradoxum videtur? In morte namque moritur non vero nascitur homo, & in natali idem nascitur non vero moritur. Quomodo igitur Ioannes Baptista dici potest natus, quādo

S. Pet. Chrysol. serm. 11

do moritur, & Herodes mortuus, quando nascitur? veruntamen Doctrina isthæc nequaquam Paradoxa dicenda est, sed simplicissima & perspicua veritas. Nam sicut Ioannes Baptista quando occisus fuit, ad meliorem vitam natus est, quam esset ea qua fruebatur in terra; sic Herodes suum celebrans Natalem, sanctumque in eodem præcursorem occidens, non potest dici natus, aut suum celebrasse natalem, sed potius dici debet mortuus, suasque celebrasse exequias. Iustus enim nascitur dum moritur, peccator vero dum peccat moritur: *De suo natali mortuus est Herodes.*

12. S. Iosaphat Rex, vti refert S. Ioannes Damascenus, Barlaam Eremitæ occurrens, ab illo petijt quotnam ætatis numeraret annos; audiensque ipsum duntaxat ad annum vsque pertigisse quadragesimum secundum, respondentem mire est admiratus, siquidem in vultu eius illum septuagenario longe maiorem esse legerat? subiunxit igitur Eremita: Quodsi ò Rex annos meos à die quo natus sum in hunc mundum, nosse velis, vere iudicasti, scilicet me septuagenario maiorem esse: Ego vero quadraginta tantum duobus annis me vixisse respondi, quia annos illos quos extra statum gratiæ Diuinæ traduxi, quosque in vanitate mundi & Dæmonis seruitio collocaui, inter annos vitæ meæ minime recenseo, sed illos duntaxat, qui in Dei collocati & transacti fuêre obsequio, nec non pro animæ meæ salute impensi, his enim solis me vixisse, reliquis vero mortuum me fuisse arbitror: *Nam cum in peccati seruitutem addictus carni viuerem, quantum ad interiorem hominem attinet, mortuus eram: quamobrem mortis annos vitæ annos nunquam appellauerim.* Qua ex responsione perspicue videtur, quod ex mente magni huius serui Dei, peccator non post mortem tantum, sed etiam dum adhuc mortali hac vita fruitur, nequaquam viuis sed mortuis sit annumerandus, quamdiu enim vita gratiæ destitutus erat, mortuum & non viuum se reputabat: *Mortis annos vitæ annos nequaquam appellauerim.*

S. Ioan. Damascen. in vita S. Iosaphat.

13. Susanna mulierum castissima à duobus illis impudicis & lasciuis senibus, veluti duobus famelicis lupis eandem vel ad perdendam callitatis munditiem Deique offensam conciliandam, vel ad perpetuam infamiam vituperosamque mortem eam redigere parantibus, infestatam se cernens, cũ amaro cordis suspirio eiulans dixit: *Angustiæ sunt mihi vndique, si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras.* Quæ verba mature ponderantibus videri facile possent non cum prudenti satis iudicio pronuntiata fuisse; Morituram enim se dicit in casu quo turpi senum istorum libidini consentiret; cum tamen contrarium potius dicere debuisset, scilicet, quodsi in peruersorum iudicum istorum libidinem non consentiret, mortem nequaquam euasura esset: senes enim in casu non dati consensus ipsam veluti adulteram lapidare decreuerant, quod euidens secuturæ mortis periculum, eorum sollicitationi inhonestæ annuendo vtique euasisset. Obseruandum tamen est cum B. Hieronymo, sanctam hanc mulierem mortis nomine peccatum intellexisse: *Pecatum, mortem vocauit.* vnde prudentissime respondit; sensus enim verborum suorum hic est, quodsi vestris iniquis sollicitationibus morem gessero, peccabo, & Deum grauiter offendam, vnde dicendo *Si enim hoc egero mors mihi est.* Peccatum mortem nominauit; quia vix peccatum animam subingreditur, cum ecce simul cum peccato mors ipsa subintrat, æstimandusque est peccator non iam amplius viuus, vt antea, sed potius cadauer quoddam mortuum, tametsi alijs videatur viuere. *Peccatum mortem vocauit.*

Dan. 13. v. 22.

S. Hieron. apud Hug. Card. ibi.

14. Forte creditis quod Dæmon Prothoparenti nostræ Euæ, vt fructum vetitum manducaret, sibique à Deo impositum transgrederetur præceptum persuadens, factamque à Deo post pomi vetiti esum mortis comminationem falsitatis arguens, dicendo nequaquam ipsos pomum vetitum comedendo morituros, prout Deus eisdem comminatus fuerat: *Nequaquam morte moriemini;* fortasse inquam videntes parentes nostros pomum edentes non subito mori, creditis, quod Dæmon fuerit verax, Deus autem mendax? Auertat Deus ne tale quid iudiceris vnquam. Nam Origenes de Adamo loquens dicit: *statim namque vt præuaricatus est mandatum, mortuus est; mortua est enim*

Gen. 3. v. 4.

Orig. Hom. 1. in Gen.

enim anima quæ peccauit. Et arguitur serpens se fellisse, qui dixit: Non moriemini.

15. Rex Niniuitarum sententiam à Deo aduersus Niniuen ciuitatem suam decretam, atque à Iona Propheta promulgatam vix intellexit, cum ecce mox, vt omnes vrbis incolæ, simul cum bestijs & iumentis cooperirētur saccis, grauissimorumque peccatorum suorum à Deo veniam exposcerent, serio præcepit: *Operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Dominum.* Chrysostomus hanc Regis Niniuitarū ordinationem considerans, ita eundem Regem interrogat: *Quid dicis? muli sacco vestientur?* quasi dicere vellet: Quod homines sacco se cooperire debeant, bene id quidem ordinatum est, fas enim est, vt cum peccauerint, de suis quoque peccatis agant pœnitentiam. Quid vero bestijs cum lugubri isthoc vestimento commune est, quæ peccatum non habent? Et dicit Regem non sine magna ratione id præcipere voluisse; Idem enim in sua Ciuitate volebat videri spectaculum, quod in morte Principis cuiusdam videri solet, iuxta cuius feretrum, non viri tantum & mulieres, verum etiam equi, muli, & alia è stabulis iumenta nigris cooperta stragulis conspiciuntur. *Sicut diuite aliquo mortuo, non seruos solos & ancillas, sed & equos necessarij sacco amicientes, & agasonibus tradentes, ad sepulchrū sequi iubent.* Sapientissimus igitur Niniuitarum Monarcha præcepto isto insinuare voluit, æquum esse, vt cum subditi eius grauibus essent peccatis obnoxij, & consequēter nequaquam viui, sed mortui, in signum luctus funebris homines simul cum bestijs nigris amicirentur operimentis: *operiantur saccis,* vti in Exequijs fieri assolet, vt hac ratione mortis suæ commone facti, per veram salutaremque pœnitentiam, gratiam à Deo obtinerent à peccatorum morte resurgendi. Vnde liquet quod licet homo peccator viuus esse putetur, non tamen viuus sed mortuus sit, iustus vero econtra tametsi è viuis sublatus sit, non tamen mortuus sit sed viuus, quippe cum occasus eius non mors, sed vitæ melioris principium existat, vnde Christus illam deplorari noluit, *Mulier noli flere.*

Ionæ. 3. v. 8.

S. Ioan. Chrysost. Hom. 3. ad prop.

SERMO XXXI.

In Feriam VI. Dominicæ Quartæ Quadragesimæ,

Erat quidam languens Lazarus

Ioannis 11.

NOn tantum splendidum & opulentum, verum etiam multis vtilissimis & moralibus documentis plenum atque refertum fuit donum istud, quod Sanctissimus Pontifex Innocentius III. Regi Angliæ transmisit. Et quidem plura inter, tres eidem transmisit gemmas pretiosissimas, scilicet smaragdum, sapphirum, & Ametystum: quarum primam Fidei, aliam spei, tertiam denique amoris symbolum esse voluit, vnde in adiunctis literis Apostolicis dicebat, quod Smaragdum mitteret, *vt haberet quod crederet*, Sapphyrum, *vt haberet quod speraret*, Denique Amethystum *vt haberet quod diligeret.* Simile nobis donum in Historia mortis & resurrectionis S. Lazari exhiberi videtur. In eo namque

namque inprimis habemus Smaragdum, vt credamus ruinam mundi consistere in morte amicorum Dei, Item sapphyrum vt videntes incredibiles præsentis vitæ miserias, spes nostras in altera vita collocatas habeamus. Denique Amethystum habemus, vt abominemur vitium & amemus virtutem summi boni nostri principalem causam, vti in sequentibus Considerationibus fusius videbimus.

CONSIDERATIO I.

Quem amas infirmatur.

Mundo maius accidere nequit infortunium, quam mors alicuius veri amici Dei.

1 DOlor Mariæ Magdalenæ & Marthæ, de fratris Lazari infirmitate, quantum ex literis ipsarum ad Christũ transmissis obseruatur, illas non tam quod in periculo essent amantissimum fratrem suum ammittendi, quam quod vero quodam Dei amico orbandressent, videbatur affligere, non enim dicunt: Frater noster infirmatur, sed amicus tuus: *Quem amas infirmatur.* Tametsi enim negari nequeat, carnem & sanguinem illarum in morbo fratris sui naturalis doloris sensus fuisse participem, magis tamen affligebantur & dolebant, videntes quod mundus hominem sanctum & magnum Dei amicum perderet. Mundus enim in morte bonorum murum perdit, quo ab ira Dei protegitur & defenditur, manetque desolatus. Vnde certo credendum est, maximum quod accidere, mundo potest infortunum esse mortem alicuius veri amici Dei, Et hæc quidem prima gemma, est in præsenti nobis Euangelio hodie præsentata.

2. Iosue Exercitus Dei generalis Archistrategus, Hebræos in conflictu cõtra Chananæos, audita incredibili inimicorũ fortitudine, pusillanimes & pauidos factos esse conspiciens, vt eorundem animos iterũ erigeret, illos bono & impauido animo esse iussit, iisdemque demonstrauit, quod licet vires & potentia hostilis esset ingens valde, facili tamen negotio illos perdere & conficere, atque in diuitiarum suarum Dominium subingredi possint, vnde illos hunc in modum est affatus. *Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem sic possumus eos deuorare, recessit ab eis omne præsidium.* Quo in loco, vbi vulgata legit: *Recessit ab eis omne præsidiũ.* Ex Hebræo vertitur: *Recessit ab eis vmbra.* Quasi dicere voluisset. Nemo ex vobis in hoc cum Chananæis congressu expauescat, aut fiduciam in Deum amittat, cum enim illi vmbram suam perdiderint, facillimo negotio & sine vlla resistentia haud secus ac panem illos deuorare & vincere poterimus, vti reipsa postea accidit. Quærit hoc loco Abulensis, quidnam per vmbram illam intelligatur, quæ præsidium erat Chananæorum, ob cuius defectionem, tametsi validi, fortes, & numerosissimi essent, tanta cum facilitate ab Hebræis fuêre superati? & dicit: *Aliqui dicunt, illam vmbram fuisse Beatum Iob, qui fuit in terra Chananæorũ, & illum tunc fuisse defunctum cuius meritis Deus sustinebat Chananæos, qui ideo perirent statim.* Id quod magnus hic Dei Athleta dicebat, eo quod, robur & fortitudinem regnorum & ciuitatum, non in illorum qui illas gubernant, prudentia; neque in mænium illas circumdantiũ fortitudine; neque in præpotenti armamentariorum suorum bellica suppellectile, neque in militum qui illas, custodiunt vigilantia; sed in magni alicuius serui Dei in illis viuentis aut commorantis tutela consistere posset, Hic enim simul ac moritur sua confestim morte ciuitatum illarum mænia veluti deijcit, ciuitatesque & regna in desolationem & exterminium redigit & perdit. *Recessit ab eis omne præsidium.*

Num. 14. v. 9.

Abul. q. 12. ibid.

3. Author operis imperfecti Sanctos verosque Dei seruos, quamdiu in terris nobiscum viuunt, & habitant, mundi istius medullam quandam esse dicit: *Medulla huius mundi sunt homines Sancti.* Cur obsecro medulla potius quam oculi, manus, vel pedes mundi appellantur? videtur longe rationabilius aliorum nominum aliquod illis attribui posse; Mundus enim per illos, veluti oculos suas videt proprias imperfectiones

Auct. oper. imperf. Hom. 1.

nes easdemque à Sanctis iam ante visas, frequenter emendat; per illos item tanquam per manus tot tantaque cæli bona recipit; per eosdem denique tanquam per pedes ad salutem progreditur æternam. veruntamen præfatus hic Author ad illud duntaxat bonum videtur respicere, quod mundus ex Sanctorum præsentia temporaliter recipit, ideoque non oculos, manus, aut pedes, sed medullam mundi illos appellat. *Medulla huius mundi sunt homines sancti.* Elegantem autem huius rationem ab eodē authore hisce verbis accipire *sicut enim medulla quamdiu in arbore fuerit sana, semper floret, cum autem percomesta fuerit, tota paulatim marcessendo siccatur, sic & quamdiu sunt fideles stat iste mundus, & cum sancti de isto mundo deficient, casurus est iste mundus.* q. d. sicut quamdiu medulla, quæ arboris veluti anima est, vnde vitam haurit, sana est & viua, sana quoque, viua, virescens & florida arbor manet, illa autem emarcescente & deficiente, arbor quoque siccatur & moritur. Sic quoque quamdiu Deo placuerit amicos suos in hoc mundo viuos conseruare, mundus quoque florescet, prosperabitur, & profectus incremēta accipiet. Mox vero vbi in dignum peccatorum humanorum supplicium huic mundo eripiuntur, moriuntur, atque ex hac vita recedunt, mundus quoque flaccescere & perire incipit, quia medullam vitamque suam deperdidit. *Casurus est iste mundus.*

4. Animarum nostrarum saluator, cùm Patre suo agens, eundemque pro discipulis suis rogans, ita ait: *Non rogo vt tollas eos de mundo, sed ut serues eos à malo.* Quid si autem Christus Patrem suum precatus fuisset, vt discipulos suos ex hoc mundo ereptos ad se in cælos euocaret, iisque promeritas in cælo sedes impertiretur, quidnam illis inde damni vel iacturæ obuenire, aut timeri potuisset, vt Christus id à Patre suo petere caueat? Certè quantum videtur, non tantū nullum id illis creare damnum potuisset, verum summi beneficij & præmij loco id à Deo debuissent sperare; hac enim ratione à planctu & lachrymis ad consolationem, à labore ad requiem, à morte ad vitam, ac denique ab inferno ad gloriam translati fuissent. Cur igitur Christus Deum non orat, vt illos à mundo tollat, sed potius vt à mundi malis illos præseruet? Caietanus hunc locum explicans, respondet: *Homines enim tales sunt, quibus mundus indiget.* Tametsi quidem Apostoli ex hac vita discedentes, nullum passuri fuissent damnum, sed potius ineffabile quoddam sibi bonum acquisiuissent, & quidem incomparabiliter maius illo, quod hic in terris perseuerantes recipiebant, magnum tamen inde mundus damnum habuisset; Deus enim homines sanctos è viuis aufferens, mundo eripiebat medullam, mundusque anima & vita destitutus mansisset, perditus, desolatus & ruinæ proximus.

Ioan. 17. v. 15.

Caietan. ibid.

5. Sapientia incarnata de Ecclesia Christiano-catholica loquens, eandem cuidam decem virginum Choro comparare voluit. Sic enim legitur in S. Matthæo: *Simile est regnum Cælorum decem virginibus.* Quod Catholici fideles comparentur virginibus, id haud dubie fit, quia fides illorum est incontaminata, & omnis prorsus expers corruptionis & erroris. Id vero quod hoc in loco præcipuè obseruatum velim, est quod in similitudine illa Euangelica non paucioribus quam decem assimilentur. *Simile est regnum Cælorum decem virginibus.* Cur decem similis esse dicitur, non vero viginti, aut quinque, aut vero alteri numero vel maiori vel minori? Paulus de Palatio dubium istud mouet & dicit; Christum in hoc virginum numero ad decem illas respexisse personas, ob quarum merita Deus Sodomæ parcere decreuerat, prouti cum Abraha Patriarcha loquens dicebat: *Non delebo propter decem, nimirum* si forte tot iusti in Sodomis reperti fuerint. Ad insinuandum, quod si quando Deus mundo parcat, eundemque in bona pace & prosperitate conseruet, non vero pro scelerum suorum demerita puniat, id potissimum piorum & Sanctorum Christianorum meritis esse tribuendum, qui vna cū impijs in eodem degunt. *Christiani sunt plane,* inquit hic Doctor, *quorum gratia toti mundo parcitur, alioquin totus mundus Deum ad iracundiam omni die prouocat.* Nisi enim iusti eiusmodi homines in terra degerent, mundus multis abhinc annis haud secus ac Sodoma deflagrasset, atque in perpetuam perditionem redactus fuisset.

Matth. 25 v. 1.

Gen. 18. 32.

Paulus de Palatio in cap. 25. Matth.

6. Vnde Philo Hebræus dicebat: *Equidem*

Philo Hebr. de sacr. Ab. & Cain.

quando

quando aliquem bonum virum habitantem in aliqua domo aut vrbe video, & domum & vrbem illam beatam prædico, ratus, tum præsentem et fœlicitatem mansuram perpetuo, tum absentem expectandam cumulatiorem, Deo vltra modum mensuramque diuitias suas in gratiam dignorum, etiam in indignos profundere solito. Perinde audita morte alicuius eorum, magna tristitia, magnoque dolore afficior, non tam ipsorum vicem dolens, quam superstitum. Illos enim Naturæ ordine necessario manet is exitus, vt post vitam fœliciter exactam, gloriosa mors eos excipiat. Istos vero destitutos, magna potentique manu, qua protecti ante fuerant, suorum malorum sensus imminet, nisi Natura tanquam in arbore, de qua maturi fructus defluunt, alios recentes substituat, quibus alantur, fruanturque quibuscumque datum est. Atque ideo, vti S. Vincentius Ferrerius refert, vrbis Mediolanensis Magistratus & primores, mox vt Sanctissimi Archipræsulis sui Ambrosij intellexere mortē, merito de totius Lombardiæ ruina & interitu metuere cœperunt, & dicere: *Lombardia est modo perdita, quia Deus ex Sancta vita Ambrosij dissimulabat peccata nostra.* Quod argumentum, postquam se scuto hoc potentissimo, quo continuo ab ira Dei peccatis suis super se prouocata, protegebantur, destitutos viderunt, rite concludit.

S. Vincent. Ferrer ser. de S. Ambrosio.

7. Isaias Propheta hominum mundanorum stoliditati & imprudentiæ, quam in morte cuiusdam veri amici Dei prodiderant, grauissime indignatus, eisdem hunc in modum exprobrauit: *Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo.* q. d. Ergone homines mundani sunt statuæ, cordis omnisque sensus expertes, vt homine aliquo sancto moriente, haud secus ac si illorum frequentissimus in mundo numerus esset, nullam inde concipiant tristitiam animique mœrorem? Eccur non omni cum industria quæuis possibilia inuestigant remedia, vt eos à morbo & à morte liberent? Eccur non omnes facultates suas impendunt, vt eos gemmis & auro cibare valeant? Cur non solemnes supplicationes Processionesque instituunt, vt Deus precibus ipsorum fatigatus sanctos eiusmodi homines in vita cōseruet? verum dicat aliquis, cur sanctus Propheta obsequia eiusmodi sumptuosa & insolita ab ijs extorquere nititur, quæ ne quidem in amantissimorum filiorum suorum infirmitate facturi essent? Oleaster hunc locum explicans, hanc illius tradit causam. *Ostenditur quanti Deus faciat eos qui mala non mittit, ne eos quoque contingat, aut contristet. Non enim Dominus eos de medio tolleret, si viuentibus mala non esset immissurus.* q. d. Ex hoc loco colligere licet, quanti homo aliquis sanctus æstimari à mundo debeat, siquidem cum quouis damno proprio, & sumptu adhibito Mathusalemiticos illi procurare annos eundemque immortalem, si fieri posset, reddere obligemur; ob solum enim illorum respectum, ne videlicet, quamdiu inter viuos in hac vita degunt, quouis modo affligantur & contristentur, tot peruersorum hominum peccata Deus longanimiter tolerat. Cum vero ex hoc mundo eos tollit, signum est quod cæteros qui in hoc mundo superstites remanent perdere decreuerit: *Non enim Dominus eos de medio tolleret, si viuentibus mala non esset immissurus.*

Isa. 57. v. 1.

9 Oleast. ib.

8. Hypocrates Dionysio suo scribit Abderitarum populos in Democriti Compatriotæ sui infirmitate, non solum vehemēter doluisse, verum etiam grauiter adeo infirmatos fuisse, vt illos simul cum Democrito medicina adhibita curare necessum fuerit: *Admirabile est hominum O Dionysi, per consensum affectio, velut vna anima cum ciue ægrotat, quare mihi videntur etiam ipsi curatione opus habere.* Talis prorsus, imo longe maior esse deberet hominibus in hoc mundo, ob magni alicuius serui Dei infirmitatem vel mortem sensus doloris: Abderitæ enim nihil sibi sinistri aut mali ex Philosophi sui morte vereri poterant, quale Deus per hominis alicuius sancti mortem insensibili huic mundo comminari videtur, quem Deus vt scelera in terra superstitum castigare valeat, ad se in cælum ex hac vita euocat.

Hypocr. ad Dionysi.

9. Per capillos Christi quos spiritus sanctus gregi caprarum in monte Galaad similes pronuntiat: *Capilli tui sicut greges tonsarum, quæ apparuerunt de Galaad.* S. Gregorius Nyssenus præcipuos & speciales Dei amicos intelligit, qui pilis Capræ, non vero viri aut mulieris alicuius similes esse dicuntur, quia sicut pili Capræ tam caput, quam

Cant. 6. v. 4.

quam cætera corporis membra côtingunt, similimodo sancti tam sunt coniuncti Christo, qui caput ipsorum est, quam Christi corpori, id est Reipublicæ christianæ; vtrumque enim Christianæ Charitatis præceptum integerrimè adimplent. Huius autem occasione loci, sanctus Doctor obseruat, Capillum quidem sine suo dolore, non tamen sine dolore corporis è corpore euelli. *Corpus quidem ipsum vnde nascitur, si velli, catur, dolorem percipit, verum Capillus ipse si reseceetur, neque si decerpatur, quidquam eorum quæ fiunt sentit* Id quod cuiuslibet hominis sancti morti valde appropriatur. Quod si enim talis è viuorum medio resecetur, non tantum nullum inde doloris sensum percipit, verum nouum potius insolitumque inde gaudium experitur, vtpote qui ingenti cum auiditate desiderio, vniendi se cum Christo, cælestisque præmij bono, mortem semper expectauit. Totus ergo qui inde nascitur dolor, est solius corporis ciuilis, illius nimirum ciuitatis aut Reipublicæ, vnde euellitur, aut mortis falce seu nouacula resecatur, quæ propter eximium quod perdit bonum intimè luget. Hæc namque vtpote gnara quod sanctus ille dum viueret, solus effecerit, vt Deo eius merita respiciente, bonis omnibus abundaret, diuinique furoris ensem, ne iuxta ciuium demerita peccata eius vindicarentur: à se auerterit, procertissima consequenter certitudine, secure firmiterque credit, quod per mortem illius, & fælicitatis suæ cornucopiam perdat, & instar cuiusdam muris & ante muralibus suis denudatæ arcis diuini furoris gladio sit exposita Merito igitur mundus imminentem sibi cernens ruinam in tanti protectoris separatione dolere debet. Persuadere enim sibi facile potest, sacros illos capitis Christi capillos, haud eadem prorsus esse proprietate præditos, qua magni illius Samsonis capilli olim præditi erant; quamdiu enim hi salui manebant & intonsi, viuum quoque saluum ac incolume corpus eius conseruabant: illis autem abscisis & detonsis, ille quoque misere succubuit, inimicorumque suorum, nec non & mortis manibus traditus fuit.

S. Greg. Nyssen. Hō. 7. ibidem.

10. Angelis illis, qui zizania inter triticum fraudulenter & dolose in agro seminata aduertentes, opem suam ad eadem euellenda vltro offerebant, Deus hunc in modum respondit. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem* Optarem equidem à Christo Domino causam scire, ob quam malæ ac noxiæ huic herbæ tantum detulerit? cum ecce illam ab Origene adductam mox deprehendo; qui vult hunc à Deo delatum esse fauorem zizaniæ, ob frumenti seu tritici societatem, vtpote quocum nutrita fuit, non vero ob meritum suum, aut ob vtilitatem quam adfert, cum sit herba infructifera & damnosa. Vt per hoc intelligeremus, omnem fauorem quem Deus in hac vita hominibus peccatoribus per zizania intellectis defert, ideo illis tribui, quod cum sanctis suis, qui per triticum intelliguntur, pariter & communiter seu collegialiter viuant; ob horum namque merita Deus illorum differt castigare peccata. Vnde hic Doctor dicit; *Quid iusti mundo sint, parabola docet, quæ venenosas & nociuas herbas eradicari non sinit, vsque ad messem propter triticum.* Et hoc est certissimum, nisi enim sancti homines inter nos viuerent quisnam futurus esset inter nos adeo fortis, qui Deum tot modis offensum & exacerbatum impedire posset, ne contra nos irasceretur; neue suum in nos gladium stringeret & vibraret; aut ne tot tamque impios ex hac vita eradicatos in æterna inferni incendia concremandos conijceret.

Matth. 13 v. 30.

Oleast. in cap 8. Gen

11. Super locum illum, in quo Deus Moysi duas Cherubinorum efformare statuas, easdemque iuxta arcam collocare præcepit, vt veluti duæ columnæ aureæ, diuinum ibidem propitiatorium sustinerent, Oleaster obseruat, duas hasce statuas ex hebræorum quorundam Doctorum mente, pueri alicuius repræsentasse effigiem. Hoc enim nomen *Cherubim*, ex hebræa quadam dictione nimirum *Rabiath* nascitur, quæ in latino sermone *Puerum* significat Fueruntque hoc modo dicti: *Eo quod puerorum haberent effigiem.* Hoc autem supposito quæro: Quænam est causa, quod hæ sacræ imagines, quæ diuinum in terra propitiatorium sustinere debebant, non magnorum seu adultorum hominum, sed paruulorum & puerorum habuerint effigiem? Et quidem quantum assequi possum, id fa-

Oleast. in cap. 25. Exodi v. 18.

ctum esse iudico, vt insinuaretur diuinam misericordiam in hac terra à pueris, id est, ab hominibus simplicibus, puris, & sanctis (hi enim per pueros significantur) sustineri & sustentari. Adeo vt nisi illi in mundo essent, Deus solitam à mundo pietatem suam omnino aufferret eundemque vindictis horrendis, cæde, sanguine, peste, & morte adimpleret. Vnde S. Hilarion huius veritatis minimè ignarus, S. Antonium Magnum, qui vnus fuit, & quidem valde præcipuus ex hisce Cherubinis, die quadam conueniens, hisce illum verbis salutare non dubitauit: *Pax tibi Columna lucis, quæ sustines orbem terrarum.*

Vit. Pat. lib. 15 cap. 17. n. 4.

12. Origenes in lectionem capitis quinti libri Iudicum incidens, vbi scriptura Othonielem Hebræi populi capitaneum & Iudicem defunctum esse refert: *Mortuus est Othoniel filius Cenez.* Ad hæc verba mox subiunxit: *Rem video periculosam* quasi diceret, dubito valde de prosperitate populi Hebræorum; videor enim mihi apertam totalis ruinæ suæ portam videre. Verum ecquid mali Hebræo populo adferre potuit mors huius sui ducis & Iudicis, quando liberum illis fuit, alium in demortui locum mox substituere, vti etiam deinceps fecerunt? Audite quid præfatus Doctor dicat, & confestim malum intelligetis. *Mortuus est Othoniel quia tam indignus est populus, qui haberet talem Iudicem.* quasi clarius diceret: Quia Hebræi gratijs illis, quas Deus ijs hactenus ob merita sanctissimi Othonielis ducis sui de cælo præstitit, indigni à Deo iudicati fuerunt; Ideo manus suas hactenus illis tam beneficas ab eis submouere, atque ad illos debite castigandos gladium iræ furoris sui arripere volens, Othonielem ducem suum è medio viuorum prius tollere decreuit, ne ingentia huius sui dilecti amici merita, illum à decretorum suppliciorũ executione impedirent. Neque Origenẽ hæc sua fefellit opinio; vix enim mortuo Othoniele, Deus correpto more ense aduersus rebellem populum istum maximè indignatus comparuit, crudelique & cruento quodam bello illum afflixit, in quo victus & in primo certaminis ardore captus abductus, suisque inimicis decem & octo annis pro-

Iud. 3. v. 11

Origen. Hom 2. ibidem.

brosissime seruire coactus fuit; vnde ipsamet experientia teste cognouit, quam sit ingens damnum, quod sancti & iusti alicuius hominis mors adferre solet ijs, qui post mortem eius manent superstites.

13. Nunquam fortasse vos cupido sciendi permouit, vt causam cur Deus sanctũ Enoch à mundo eripere, ipsumque terrestris Paradisi habitatorem facere voluerit perciperitis? Moyses quidem in libro Geneseos cap. 5. dicit: *Henoch ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit illum Deus*, causam tamen translationis istius minime assignat. Oleaster ideo factam esse existimat, quia Deus vniuersalis diluuij aquis totum mundum submergere decreuerat; præuidens igitur quod pro eo tempore, quo hic seruus Dei in mundo erat, mundum prout per sua scelera iustè fuerat promeritus, castigare minimè posset, hoc Dei seruo meritorum suorum scuto mundum defendente, diuinæque iræ gladium intra diuinæ pietatis suæ vaginam constringente, ante immissum pænæ supplicium Enoch abripuit. In cuius veritatis testimonium accidit quod subito vt Enoch in paradisum fuit translatus, mundus diluuio fuerit submersus. Vnde hic Doctor certum quoddam format prognosticum in cuiuslibet alterius serui Dei morte bene obseruandum, & dicit: *Est euidentissimum signum punitionis mundi, iustorum ablatio; neque hoc mundus cogitat sed putat eos casu esse sublatos.* Merito igitur illustrissimæ hæ Magdali nobilissimi Castelli hæreditariæ Dominæ, Maria Magdalena & Martha diuino suo Magistro, vehementissime condolent, de Lazari fratris sui infirmitate, non tam quod timerent de amantissimi fratris sui salute, quam quod mortem eius meruerent, qui verus quidam Dei amicus erat, vtpote quæ in hac morte præuiderent & conciperent magnam Dei aduersus homines mundanos indignationem. *Ecce quem amas infirmatur.*

Gen. 5. v. 24.

Oleast. ibidem.

CONSIDERATIO II.

Lachrymatus est Iesus.

Mala quibus præsens vita est obnoxia adeo sunt grauia & magna, vt potius mors & viuus quidam Infernus, quam vita æstimari debeat.

1. CHristus seruator noster, non ideo quod Lazarum amicum suum mortuum videret & sepultum, doluit aut plorauit: *Lachrymatus est IESVS* sed quia se per importunas deuotarum sororum suarum lachrymas ad eundem resuscitandum, miserijsque vitæ præsentis, à quibus iam semel fœliciter exsolutus & liberatus fuerat, denuò inuoluendum necessitari vidit. *Lachrymatus est*, inquit Innocentius Tertius. *Non quia mortuus est, sed eo potius quia mortuus ad vitæ miserias remeabat.* Qua in re diues quidam & opulentus nobis præsentatur sapphyrus qui videlicet efficaciter valde nobis persuadet, quanto cum desiderio & affectu vitam desiderare cælestem, & præsentem, cuius afflictiones & ærumnæ adeo sunt graues & magnæ, vt potius mortis & inferni loco à nobis habenda sit, quam vita æstimanda, contemnere debeamus.

Innocent. PP. III de Contemptu mundi lib. 1, cap. 24.

2. Tradit sancta mater Ecclesia, diuinum verbum caro factum mox vt sanctissimum Virgineæ matris vterum fuit egressum, profusis lachrymis plorasse: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia.* Qui ploratus ab eodem non tantum ex vi naturalis proprietatis est editus, sicuti alijs infantibus, vt verum se hominem esse demonstrent, naturaliter accidit; verum etiam ob particulare quoddam, quod per hunc suum planctum intelligi volebat, mysterium. Quod vtique aperuisset, inquit S. Vincentius Ferrerius, si B. Virgo illum plorantem cernens, huius sui planctus causam ab eodem poposcisset, vtique enim paruulus hunc in modum responsurus fuisset. *Quia intro in hunc locum bestiarum*, idest, ideo lachrymor, quia annos vitæ meæ acturus, locum ingredior bestiarum. Neque melius respondere potuisset, cum mundus iste nihil sit aliud, quam locus quidam bestiarum. Nam vti sancti Doctores Damascenus & Angelicus Thomas de Aquino docent, sicut Paradisus à Deo formatus fuit, vt hominum esset hospitium, ita terra ista creata fuit, vt receptaculum quoddam esset bestiarum: Adeo vt miserrimus homo, postquam pulsus est è Paradiso, annos vitæ suæ deinceps agere cogatur in stabulo quodam in consortio bestiarum. Vnde conijcere facile licet, quantis præsens vita repleta sit miserijs, cum in ea viuere quis debeat cum leonibus iracundis, qui semel offensi nunquam ignoscunt: cum dolosis vulpibus, qui ad proximum tradendum & circumueniendum, in fraudibus & dolis negotiantur; Cum famelicis lupis, qui nedum carnes deuorant, quin etiam sanguinem tuum tibi exsugunt; & cum centenis alijs eiusmodi monstris rationis expertibus, quorum societas efficit, vt homo in continuo planctu perseueret & luctu tali, vt dignus sit qui ab ipsomet etiam Deo deploretur.

S. Vincentius Ferrer ser. 31. Dō. 10. post Trin.

3. In cuius confirmationem Parabola illa merito adduci poterit, quam ipsemet Christus Saluator noster de miserabili homine illo recenset, qui ab Ierosolymis in Iericho descendens, in latrones in via incidit, à quibus lethaliter vulneratus, à pientissimo quodam Samaritano, malis suis condolente, curationis illi adhibendæ gratia in stabulum quoddam est deductus: *Imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum.* Qua in parabola hoc solum obseruationem meretur, quod Samaritanus infælicem hunc hominem, non in hospitale, aut aliud quoddam diuersorium, quod ab hominibus incolatur, perduxerit, sed in stabulum quoddam, habitaculum nimirum Equorum, mulorum, Asinorum, taurorum, aliarumque bestiarum, quæ inter stercora, sordes & pædorem inibi continuo persistunt. Idque Christus Samaritanum hunc fecisse dicit quia Adæ lapsum in hac Parabola adumbrare, eiusdemque statum, in quem postquam è Paradisi delitijs turpiter fuit explosus, redactus fuit, ob oculos nobis clare proponere statuerat; qualiter scilicet Paradisi amænitates cum hac infælici vita, in hac lachrymarum valle misere traducenda

Lucæ 10. v. 34.

cenda

cenda commutauerit, cum enim hæc potius habitatio bestiarum quam hominum diuersorium dici mereatur, stabulum à Christo appellata fuit. *Duxit in stabulum.* Huius enim vitæ miseriæ, ob tot ferarum, quibuscum morari cogitur, importunitates & molestias, adeo sunt graues & magnæ, vt aliquid…nomen…propriari non possit. *Potius…stabulum quam domum,* inquit Dio-

Dion. Carthus. ibid. nysius Carthusianus. *Vt præsentis vitæ fætores & molestias attendamus.*

4. Locus ille Psalmi centesimi sexti: *Qui descendunt mare in nauibus* à S. Gregorio

Ps. 106. v. 23. Nysseno de Adamo & Eua iam ex Paradiso terrestri expulsis atque in hunc mundum detrusis intelligitur, de quibus Dauid eo in loco dicit, quod in mari & non in terra vixerint, licet id mihi verisimile nequaquam videatur, nam vti Moyses refert, prima omnium nauis, quæ vnquam in mũdo mare, aut alias etiam aquas visa est sulcare, à Noe fabricata fuit, ea nimirum, per quam Aquas euasit diluuij, qui multo post Adamum tempore vixit. De Adamo autem quod factus Nauclerus vna cum coniuge mare traiecerit, nemo refert. Verum enimvero tametsi id verum non sit, attamen secundum Prophetam dici debet, Adamum & Euam postquam è Paradiso exularunt, in mari & non in terra vixisse. Ex quo enim ad huius vitæ miserias fuere condemnati, veluti tempestuosi cuiusdam pelagi habitatores, rabiei ventorum, & procellarum furiæ, nec non naufragij euidenti periculo semper & omni hora fuere expositi. *Loco Paradisi,* inquit magnus ille Doctor: *quem cole-*

S. Greg. Nyss. in Ps. cap. 8. *bant & in quo prius viuebant, artem falitant submersioni obnoxiam. Maris appellatione vitam hanc designat, quæ corpori & materiæ immersa, omnibusque tentationibus exposita est, & passionibus sibi mutuo succedentibus exagitatur.* Ex hoc colligi possunt innumerabiles præsentis vitæ miseriæ, in qua haud secus ac in pelago quodam tempestatibus agitato degimus, in quo præter continuos quibus expositi sumus labores, ipsam quoque mortem insuper omni hora ob oculos nostros circumferimus.

5. Nuntiata animarum nostrarum Saluatori Præcursoris sui morte, ipse mox Apostolos suos vna secum in deserto ab hominibus segregatus nonnihil quiescere iussit. *Venite seorsum in desertum locum, & quiescite pusillum.* Et merito. Iustum namque erat, vt ipse, vtpote variis semper modis occupatus & afflictus, laboribus superatis aliquam sibi etiam quietem animique remissionem indulgeret. Obseruandum autem Marci 6. v. 31.

Dominum parum tantum requiescere voluisse. *Quiescite pusillum.* Cur autem ô Deus meus parum, & non potius multum tibi quietis indulges? cum enim quies exantlatis correspondere laboribus debeat, tuaque Diuina Maiestas plurimum sane laborarit, dignum fuisset, vt tantundem quiesceres, quantum laboraras. Respondet Albertus Magnus & rationem illius assignat. *Necessi-* Albertus Magnus ibid.

tas vitæ non permittit quiescere nisi pusillum. q. d. labores miseræ huius vitæ adeo sunt magni & continui, vt homini aliquam sibi requiem & animi remissionem indulgere volenti, hanc illi non nisi breuissimo tempore permittant. Vnde Christus Saluator noster adhuc in terris viuens, inter tot labores, quibus continuo infestabatur, vix vnquam dimidiam quietis horam complete habere potuit. *Necessitas vitæ non permittit quiescere nisi pusillum.*

6 Vti Regius Propheta iuxta vulgatam Ps. 38. v. 6.

Deo dicebat: *Mensurabiles posuisti dies meos,* alij vertunt: *Palmares posuisti dies meos.* Quasi dicere voluisset: Mihi dies meos consideranti videtur, quod dum illos, ô Deus meus, gratiose concessisti, eosdem manus tuæ palmo dimensus fueris. At dicat hic aliquis, quod si dies Prophetæ Dei manu dimensi fuerint, longi haud dubie & magni esse debebunt cum manus Dei adeo sit magna, vt sicut dicit sancta Ecclesia, dum adhuc fasciis inuolutus infans esset intra puerilem manum suam, totum mundum haud aliter ac si minutissima quædam pila fuisset concluserit: *Mundum pugillo continens.* Hanc consequentiam S. Ambrosius ex hoc loco colligit dicens: *Non ergo breues, sed magni dies* S. Ambros. ibid.

Prophetæ, quos Deus mensus est palmo. Verum ecce pulchrum hic nobis exsurgit dubium; videlicet quod si dies Dauidis adeo fuerunt longi & magni, vti ipse hic affirmat, cur igitur illos postea adeo breues & fugaces esse dixit, vt vmbræ illos similes esse pronuntiauerit? *Dies mei sicut vmbra declinauerunt,*

runt, quomodo magni esse poterant, & simul parui? Respondeo dies eius reuera breues fuisse, imo quouis vento & vmbra fugaciores; quia tamen dies erant miseræ huius vitæ, in quibus vna cum alijs hominibus, cõtinuis afflictionibus erat obnoxius, ideo idem illi accidit, quod homini in equuleo, aut alio quouis atroci tormento extenso euenire solet, quibus vna hora integer quidam annus esse videtur, tametsi enim dolores illi sint momentanei, illis tamen infiniti anni & sæcula æterna quasi nunquam finienda esse videntur. *Palmares posuisti dies meos.*

7. Atque ideo necessum est affirmare, miseram hanc vitam, nullatenus vitam esse, sed potius mortem, imo viuum quendam infernum. Videamus primo qualiter mors quædam sit. Priusquam S. Ioannes Apostolus Apocalypsin suam scribere ordiretur, prœmium aliquod illi præmittere voluit, in quo amantissimi Magistri sui Christi Iesu mentionem facturus, glorioso titulo fidelis testis, primogeniti mortuorum, & principis Regum terræ condecorare illum voluit, dicens *Gratia vobis à Christo* Iesu *qui est testis fidelis, primogenitus mortuorũ & princeps regũ terræ.* Et quidẽ nemini dubiũ est, quin Christus testis sit summè veridicus, Princeps item Regum terræ, cum hoc ipso sole clarius sit. At vero non video, quomodo saluari possit, ipsum esse primogenitum mortuorum. Quodsi enim ipse esset primogenitus mortuorum, necessario ante omnes alios mortuos resuscitari debuisset, quod tamen factum non est, siquidem diu ante ipsum plures alij resuscitati fuerunt, videlicet is quem suscitauit Elias, Item Lazarus, filius viduæ Naimiticæ, & tot alij quos ipsemet Dominus ad vitam reuocauit, priusquam ipsemet à mortuis ad vitam resurgeret. Cum igitur inter eos qui resurrexerunt à mortuis non sit primus, primogenitus etiam mortuorum minimè videtur esse, prout illum nominauit Apostolus suus dicens: *Primogenitus mortuorum.* Veruntamen titulus iste mundi Saluatori adeo conuenit, vt iure nulli alteri appropriari possit, cuius Nicolaus Lyranus diuinam adfert rationem dicens: *Licet enim ante ipsum Lazarus, & multi alij fuerunt re-* *Nicol. de Lyra ibi.*

suscitati, hoc tamen fuit ad vitam mortalem, quæ magis dicitur mors quam vita. Vera resurrectio fit ad vitam immortalem, ad quam Christus resurrexit primus.

8. Audite quæstionem aliquam à Dauide Rege Psal. trigesimo tertio valde gratiose hisce verbis propositam: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* q.d. *Ps. 33. v.* Scire percuperem, num in innumera hominum multitudine qui sunt super terram, vel vnus etiam inueniri possit, qui viuere, diesque suos in continua prosperitate trãsigere velit, talem enim hactenus inuenire non potui. S. Bernardus dicit, Psalmistam potius dicere debuisse: *Quis est homo qui non vult vitam*, quam *quis est qui vult vitam*; nullus enim est inter homines qui viuere nolit, aut non libenter omnem adhiberet possibilem industriam, ad hoc vt immortalem se reddere posset. Quodsi igitur omnes homines, nemine excepto, ament, vitam, eamque permagni æstiment, imo semper viuere desiderent, cur igitur Propheta se ne vel vnum eorum inuenire posse protestatur? Et respondet, Dauidem in eo loco non agere de vita præsenti, vtpote qui non ignoret, hanc omnes homines immoderate diligere, adeo vt optarent se nunquam mori posse; sed de vita patriæ cælestis, quæ à paucissimis amatur & æstimatur. Et subiungit: Hanc esse mentem Prophetæ clarum est atque perspicuum, quia si loquutus fuisset de vita præsenti, dixisset vtique. *Quis est homo qui diligit mortem.* Vita *S. Bern. in Ps. 90. ser. 17.* enim huius mundi, ob graues miserias quæ in eadem tolerantur, mors potius appellanda est quam vita: *Hæc enim vita, qua viuimus, magis mors est.*

9. Seneca opinatur nos homines pro eo tempore quo in hoc mundo viuimus, continuo mori *Quotidie morimur, quotidie enim* *Seneca epist. 24.* *demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum crescimus, tunc vita decrescit.* Vnde etiam S. Bernardus dicere non dubitauit. *Quid agi-* *S. Bern.* *mus ex quo primum incipimus viuere, nisi morti appropinquare, & incipere mori.* Ad hoc idem propositum Isidorus Clarius notat, corpus nostrum in lingua græca, tali quodam nomine appellari, quod in latina significat *sepulchrum. Recte autem quidam dixit* *Isidor. Clar. tr. 53.* *corpus à græcis appellari vocabulo, quod latine sonat*

sonat sepulchrum. Neque id casualiter ita accidisse arbitremini, sed potius ad mysteriũ istud explicandum, cui ponderando de facto inhæremus; Necnon ad insinuandum animam quoadusque in corpore clauditur & viuit, vere non viuere, sed in illo velut in sepulchro extinctam & mortuam degere. Non igitur vita præsens æstimanda est vita, cum anima vitæ præsentis tempore velut in sepulchro delitescat: sed mors. Et forte ad hanc veritatem Thrausi Thraciæ populi respiciebant, qui vt refert Herodotus Halicarnasseus, sicut ad vniuscuiusque hominis mortem ridebant, festiuaque gaudia instituebant, memores miseriarum huius vitæ, quas euaserant, ita in hominis natiuitate flebant: *Edito pueri propinqui cũ circumstantibus comploratione prosequuntur, recensentes quascunque necesse est illis humanas calamitates perferre, hominem vero fato perfunctum per lusum atque letitiam humo demandant.* (lib. 5.) Cum igitur gens hæc se habuerit modo omnino contrario illi, quo nos agere solemus, qui festa agimus in hominis natalitio in morte vero plangimus & lachrymamur necessum est vt omnino contrariæ opinionis & sensus fuerint ab opinione & sensu nostro, sibique certo persuaserint mortem non mortem, sed vitam esse; Et econtra vitam non esse vitam, sed mortem, ideoque eos qui ad vitam ordiendam mundum intrabant amare deflebant.

10. Considerastisne aliquando causam ob quam postquam Cain innocentem fratrem suum occiderat, Diuina Maiestas eundem certo quodam signo notauerit, ne ab vllo hominum occideretur? *Posuit Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum*, inquit Moyses. (Gen. 4. v. 15.) Nonnulli id ipsum audientes, haud dubiè existimabunt Deum se erga Cainum nimis exhibuisse pium atque benignum, quam par erat, videtur enim Deum ne vnicam quidem vitæ horam maligno huic homini concedere debuisse, qui cum tanta animi peruersitate sanctissimum valdeque innocuum fratrem suum vita priuauerat. Sciendum autem est illis; Deum in hoc facto non à pietate, sed à furore & iracundia motum fuisse & instigatum; Dicit enim Abulensis, *Posuit in Cain signum, quia voluit Cain viuere* (Tost. in ca. 5. Gē. q. 10.)

magno tempore, vt multum angustiaretur. Quasi dicere vellet: Quodsi Deus Cainum, mox vt Abelum occiderat, è viuis quoque sustulisset potius illi benefecisset, quam castigasset, adeo enim graues sunt vitæ huius afflictiones & ærumnæ, vt Deus mortem alicui immittendo, fauorem & gratiam magnam præstare existimetur. Id quod Dauid expertus fuerat, dicens: *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* (Ps. 114. v. 7.) Vide huius nostri Argumenti proposito insistendo, dicere oportet, Deum vitam nostram, ob incredibiles illius miserias, non solum morti æqualem, verum etiam ipsa morte longe existimasse peiorem, dum illam in mortis fratri illatæ irrogat supplicium; Erit igitur infernus, & reipsa est.

11. Dauid Propheta Deo, qui ipsum ab inferno liberauerat, gratias acturus, dicebat: *Misericordia tua magna est super me, eripuisti animam meam ex inferno inferiori.* (Ps. 85. v. 13.) Quibus in verbis obseruandum, quod Propheta de inferno, vbi Dæmones cum animabus præscitis torquentur, loquens, illum non appellet absolute infernum, sed infernum inferiorem: *Ex inferno inferiori*, quasi insinuans, se loqui de inferno in Centro terræ situato, non vero de alio quodam inferno superiori qui est super faciem terræ. Ecquis obsecro est ille alius infernus? S. Bruno dicit per illum mundum hunc, in quo viuimus intelligi: (S. Bruno ibid.) *Infernus inferior congruè dicitur infernus ille localis, ad comparationem huius mundi qui superior est.* Vnde quoad vsque viuimus in hoc mundo, qui ob graues miserias, quibus est refertus, infernus dicitur, vita nostra vita infernalis erit, vita damnatorum & exulum, ad semper ærumnandum & patiendum. Non igitur vita appellari poterit, sed infernus potius.

12. Confirmatur id ipsum per alium quendam eiusdem Prophetæ locum, vbi hunc in modum discurrit: *Pericula inferni inuenerunt me. Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. ô Domine libera animam meam.* (Ps. 114. v. 3.) Videri posset non nemini Prophetam hoc loco non agere de inferno, secundum veritatem

tem Catholicam, cum enim fides nostra doceat hominem semel carceribus inferni inclusum inde nunquam egredi posse, ipse tametsi sibi persuadet se illum posse euadere, neque enim alias Deum pro liberatione sua precaretur. Verum difficultas isthæc nihil prorsus ponderis habet, nam si Dauid eo loco de inferno inferiori ageret, illo nimirum, qui in terræ centro est collocatus, tunc haud dubie grauiter errasset, at vero vt inquit Innocentius III. Dauid ibi de vita præsenti loquebatur, quam scriptura sacra infernum nonnunquam appellare solet. *In sacra scriptura infernus quandoque dicitur miseria præsentis vitæ. Vnde pericula inferni inuenerunt me.* Appellatur autem hoc nomine, quia mala quæ homines in vita sua hac patiuntur, adeo sunt grauia & magna, vt videatur spiritui sancto, illam non vitam aut mortem, sed infernum appellandam esse, quia non est aliud quam quidam infernus. *Pericula inferni inuenerunt me.*

Innoc. tertius in Ps. 1 pœnit.

13. Poëtæ per Charontem tempus significabant, atque ideo illum senem decrepitum, & inferni incolam seu habitatorem esse finxerunt, qui denique homines ex hac vita in alteram per Acherontis flumen traijciat. Et merito quidem id illi attribuerunt, quia quodsi in mundo aliquid est, quod consenuisse dici possit, illud profecto est tempus, atque illud ipsum est, quod homines per fluctuantia huius vitæ flumina ad alterius sæculi ripam in cymba mortis traijciendo deducit. Ioannes Boccatius qui huius allegoriæ est author, insuper rationem explicare volens ob quam Poëtæ Charontem inferni ciuem esse, finxerint, dicit; Poëtas per infernum intellexisse terram, vbi solum est temporis necessitas. *Apud inferos vero ideo positus est Charon, quia superi tempore non indigent, vt nos mortales.* Idque quia per continuam incredibilium miseriarum, quibus in hac vita subijcimur, experientiam, illam verum quendam infernum esse cognouerunt. Vnde Iob dicit: *Infernus domus mea est.* Non dicit: *Erit* sed *Est*, vt veritatem hanc digito demonstraret, innueretque quod nullam inter inferni mala, & huius vitæ miserias faceret differentiam, quibus haud secus ac si in inferno fuisset, de facto subiacebat.

Ioan. Bocca Genealog. Deor. lib. 3. c. 35.

Iob. 17. v. 13.

14. Num forte aliquando conati estis ad inuestigandam rationem, ob quam Dæmon eodem tempore quo peccauit, in pœnas gehennæ infernalis fuerit eiectus, homo vero tametsi etiam mortaliter peccauerit, ad huius vitæ ærumnas non vero in infernum, vti Dæmon condemnatus fuerit? Papè! quid est hoc? ex quo vterque mortaliter peccando promeritus fuit infernum, cur vnus illorum ardoribus Gehennæ subijci debuit, & non alter? Num forte partialis aut personarum acceptor est Deus, vt maiorem proinde respectum Adæ peccatoris, quam Angeli transgressoris habere voluerit? Nequaquam. Deus enim nequit esse partialis, vtpote qui iustissime per omnia iudicat, omniumque tam hominum quam Angelorum peccata iuste condemnat. Quodsi enim Deus Dæmonem in carceres coniecit inferni, certè nec homini suus quoque deest infernus, siquidem ex Paradiso expulsus est in hunc mundum, qui ob dolores quibus abundat, parum certe ab inferno distat. Ita Paulus de Palatio hunc modum dissoluit: *sicut Diabolus pulsus è cœlo fuerat in infernum, ita homo expellitur è Paradiso in terram, quæ post peccatum infernus quidam est, vt iam quæri nobis non liceat, cur tot in hoc sæculo nos mala premant, quia in quodam inferno sumus.* Quamobrem vita huius mundi, nequaquam vita, sed mors & infernus est appellandus. Nemo igitur miretur, quod Christus Saluator noster Lazarum denuo resuscitaturus, atque ex quietis & consolationis loco in præsentis inferni miserias denuo repositurus, adeo amare fuerit lachrymatus: *Lachrymatus est Iesus.*

Paulus de Palatio in c. 1. Matth.

CONSI-

CONSIDERATIO III.

Infremuit spiritu.

Quia sancti nullam afflictionem adeo timent, sicuti peccatum, ideo plus timent offendere Deum quam pœnas mortis & inferni.

1. FRemitus Saluatoris nostri ab Euangelista in præsenti historia relatus (tum illa, quo Mariæ Magdalenæ obuius factus infremuit, tum alter quem Lazarum, peccatoris symbolum, resuscitaturus, sepulchro appropinquans ostendit. *Fremens in semetipso venit ad monumentum*) ingentem demonstrabat horrorem quo Christus tum peccatum, tum pœnam, quam peccati causa homines fuerant promeriti, abominabatur; *Duplex fremitus, est duplex horror, de culpa & de pœna*, inquit Hugo Cardinalis. Porro quia de pœna peccati quæ in huius vitæ miserijs habuit principium, hactenus præcedenti consideratione locuti sumus, nunc vt tanto fortius ad virtutem amandam constringamur (id quod per pretiosum illud Amethysti donum, cuius superius facta est mentio, facere persuademur) videamus quam terribile & tremendum sit peccatum coram oculis seruorum Dei præcipuè, qui magis illud, quam mortem & infernum exhorrescunt. Hugo Card. ibid.

2. Postquam Abraham altissimo Deo suo debitas redditurus gratias solemne quoddam obtulisset sacrificium, Moyses ipsum in spiritu eleuatum vidisse refert, qualiter nepotes sui in exteram Ægypti regionem conducendi, ibidemque haud secus ac serui ac mancipia in dura futuri essent seruitute. Quo exspectaculo sanctum Patriarcham summo metu perculsum magnus irruit & inuasit horror mentisque stupor: *Sopor irruit super Abraham, & horror magnus; dictumque est ad eum. Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subijciens eos seruituti.* Paulo post alia quædam subsecuta est visio magis horrenda, & terribilior quam prima, fornacis cuiusdam ardentis, & fumantis, vmbrosæ & obscuræ cuidam inuolutæ caligini, quæ nedum cordi carneo, quale illud Abrahæ erat, verum etiam duro cuiuis, ferreo & frigido cordi metum incutere potuisset. *Facta est caligo tenebrosa, & apparuit clybanus fumans & lampas ignis ardens.* Qua in visione graues & incredibiles afflictiones, quas ijdem nepotes sui in graui illa seruitute innocẽter erãt toleraturi significari intellexit. Circa hunc Scripturæ locum Rupertus Abbas obseruat, primam Abrahæ visionem fuisse terribilem, non vero secundam. In prima namque Moyses inquit; *Sopor irruit super Abraham & horror magnus*, quod non dicit de secunda, videturque ipsi contrarium omnino accidere debuisse. Tametsi enim primus Hebræorum in Ægyptum ingressus, per primam visionem repræsentatus, laboriosus admodum extiterit, quia tamen ille ob Iosephi, regnum illud gubernantis, fauorem, fœlicem habuerat successum, ideo is sancto Patriarchæ consolationem potius quam horrorem attulit. Opus igitur erat vt horror ille in visione secunda locum suum obtineret, in qua horrendas persecutiones, strages, occisiones, quæ etiam circa ipsos Ægyptiorum infantes exercebantur vidit, & tamen hoc videndo nequaquam exhorruit. Tandem rationem illius solerter inuestigans, eandem inuenit & dicit: *Prior quidem aduersitas, res fuit iniquitatis, propter quod signanter dictum est: sopor irruit super Abraham, & horror magnus: sequens vero aduersitas, res afflictionis extitit, unde & sine interpositione horroris.* Quia Abraham in prima visione afflictiones vidit Hebræorum, quas passuri erant in Ægypto, tandem in visione secunda illarum quoque causam pariter vidit, quæ fuit peccatum filiorum Iacob, propter vindictam innocentis fratris sui Ioseph, atque hinc horror & terror ille quo fuit perculsus. Secunda vero, in qua nullum vidit peccatum, tametsi prima longe terribilior esset, magisque horrenda, nullum tamen

Gen. 15. v. 12.

Ibidem v. 17.

Rupertus Abbas lib. 5. cap. 22. ibidem.

illi horrorem & terrorem incussit. Et ratio est, quia sancti vtpote qui temporalem aduersitatem aut damnum, qualecunque illud tandem sit, non timent, sine vllo horrore aut terrore, quicquid illis aduersi acciderit, aspiciunt, solo peccato excepto; adeo enim ingenti horrore & terrore ex conspectu peccati percelluntur, vt ne quidem solum peccati imaginem sine cordis terrore & metu respicere valeant.

3. Moyses Cap. 49. eiusdem Libri Patriarcham Iacob, primogentium suum Ruben hunc in modum alloquentem introducit: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei.* q. d. Fili mi Ruben, ignoscat tibi Deus, scis enim te esse vnicum malorum meorum principium, nisi enim tu fuisses, domus mea vsque in hanc horam, quod tribulatio & afflictio sit, ignorasset. Ruben ad hæc verba conticuit, neque ad se excusandum os suum aperire ausus fuit, tametsi magnam sese defendendi causam haberet, vtpote qui libere dicere poterat: Quomodo mi amantissime Pater, me dolorum tuorum dicere potes esse principium, cum non mea pridem, sed iam dudum à tuæmet propriæ Natiuitatis die, in continuis ærumnis vitam tuam transegeris? Notum est enim, qualiter dum adhuc in vtero matris tuæ clauderetis, cum Esau auunculo meo luctatus fueris, à quo proinde à prima lanugine tua, eo quod naturalem primogenituræ felicitatem clam ab eo sustuleris fugere atque in terra passim vt aduena & peregrinus oberrare debuisti. Inficiari insuper haud quaquam poteris, quod ad hoc vt Rachelem tibi in sponsam adsciscerers, ingrato socero tuo quatuordecim annis continuis inseruieris, æstui semper & gelu rigido expositus, absque eo quod nocturno etiam tempore vel horam vnicam quietis tibi indulseris, nec tamen ego tunc adhuc genitus aut natus eram? Qua igitur ratione me appellare potes ærumnarum tuarum originem, quibus iam dudum me nondum nato, grauiter obnoxius fuisti? Quî fit igitur quod Ruben his alijsque similibus verbis suam non sit conatus defendere innocentiam? Quomodo id acciderit, quæris? factũ hoc est, ex certa cognitione & scientia quã habuit de veritate verborum Patris sui, inquit idem Venerabilis Abbas, hæc enim fuit, quæ ipsum obmutescere fecit, Patriarcha enim hæc verba dixit: *Non quod in nullo ante doluerit, sed quia verus dolor de plaga peccati, primum in domo eius de isto accidit deinde incrementum accepit de venditione filii.* Pro meliori responsionis istius intelligentia, sciendum est, quod Ruben propter adulterium, quod cum Bala vxore Patris sui commiserat, primus fuit, qui peccatum in domum Iacob introduxit, quem postea secuti sunt eius alij fratres per Iosephi fratris venditionem. Cuius peccati conspectus tantum sancto Patriarchæ incussit dolorem & afflictionem, vt ab illo die primum putauerit se habuisse afflictionum suarum principium, non quia antea nunquam afflictus fuisset, cum in continuis hactenus vixerit ærumnis, sed quia in comparatione illius doloris, quem ex peccato filij sui Ruben persenserat, nullum alium æstimaret dolorem aut ærumnam in mundo Horror enim & abominatio, qua sancti peccatum detestantur, tanta est, vt iudicent deterius sibi damnum aut dolorem accidere non posse, quam à peccato diuinarũque legum transgressione.

Gen. 49. v. 3.

Rup. Abbas lib 9. c. 26. ibid

4. Dum animarum nostrarum Saluator in horto mortis Oliueti moraretur, truculentos ibidem expectans carnifices atque lictores, qui ipsum ligaturi atque in crucem vsque per diuersa tribunalia raptaturi erant, ibique suam ad Patrem æternum funderet orationem, faciem suam, referente S. Matthæo in terram prostrauit: *Procidit in faciem suam orans.* Isidorus Clarius admirabilem hanc prostrationem põderat, illiusque causam assignat, dicens: *Referebat enim genus nostrum, & illius scelera ante oculos proponens, tanta ac tam horrenda intuebatur, vt faciem occultare cogeretur, neque auderet illam in cælum attollere. Procidit in faciem suam.* Obseruate bene, potuisse Christũ facie discooperta & reuelata, absq; vlla verecundiæ nota, sese conspiciendum sistere, dum instar cuiusdã scurtæ caperetur & catenis oneraretur in horto, dũ infamæ crucis lignũ in monte Caluariæ baiularet, dum inter duos latrones, veluti latronum Coriphæus coram oculis totius mundi in Cruce penderet confixus. At verò in horto, vbi peccatoris personam referebat,

Matth. 26. v. 39.

Isid. Clar. c. 39.

bat, summè verecundatus est, faciemque suam occultauit. Idque ad insinuandum, quod cor hominis innocentis & sancti, aliud non cognoscat damnum, neque aliam timeat ærumnam aut afflictionem, quam quæ à peccato dimanat. Hanc pænam abominatur, timet & fugit, neque aliud malum præter istud sibi accidere posse iudicat. Huius quoque opinionis simul erat S. Chrysostomus, quando dicebat: *Vt mala huius vita mala non sunt, ita neque bona, sed peccatum duntaxat malum.*

S. Ioan. Chrysost. Hom 19. in Is.

5. Cum igitur peccatum coram oculis alicuius serui Dei adeo sit tremendum & horrendum, hinc fit quod in maiori illud horrore & terrore habeat, quam ipsammet mortem. Quamobrem Moyses ex præcepto Dei legem quandam, tam aduersus blasphemos quam alios, qui nomen Dei in vanum assumere præsumerēt, promulgauit, dignasque vtrisque pænas & supplicia determinans dicebat: *Homo qui maledixerit Deum peccatum accipiet; nominans autē nomen Domini morte moriatur.* Origenes hunc scripturæ locum considerans, vidensque eum qui nomē Dei in vanū assumeret ex Dei lege occidēdum esse, blasphematorem vero nulla alia pæna plectendum, quā vt in peccato remaneat huius supplicij determinationem valde miratur, & quærit: Qui fit quod cū blasphemia sit peccatum incomparabiliter grauius & enormius, quam assumptio nominis Diuini in vanum, tamen pæna mortis pro minori delicto statuatur, non verò pro maiori, quod ab omni pæna & supplicio immune remanet? *Quid est hoc? Qui maledixerit Deū non habet pænam mortis, sed qui nominauerit nomen Domini? Nonne multo grauius est maledicere Deum, quam nominare, quamuis in vanum nominare dicatur? & quomodo qui maledixerit peccatum suscipit tantum; qui autem nominauerit morte mulctatur.* Et tamet si pro huius difficilis nodi solutione, varias variorum adduxisset resolutiones, ipsemet tamen tandem respondet, eundemque hic soluit: *sed nos consequentiam sermonis, tali quodam sensu tentemus aperire. Multo esse grauius recipere peccatum, & habere secum, quam morte mulctari.* q.d. Moyses in lege illa condenda, & determinandis duarum istarum transgressionū supplicijs, non prætermisit ad grauitatem peccati blasphemiæ, & leuitatem culpæ illorum, qui Dei nomen in vanum assumunt, spicere. Quod autem hanc mulctaturus ideo peccatū in pænam decreuerit, *Peccatum accipiet:* non vero pænā mortis, contra minorem culpam promulgatam, id factum est, qui peccatū pænam quandā esse longe maiorem, longeque grauius tormentū appræhendit, quā ipsissima mors sit. Ipse namque tanquā homo sanctus & perfectus, peccati recte cognoscebat enormitatē, illudque plus quam mortem abominabatur & exhorrescebat, ideoque illud blasphemiæ infligebat, tanquā supplicium morte ipsa longe asperius & grauius. Tametsi ab illis, qui vero animæ lumine sunt orbati: contrariū indicetur. *Multo grauius est accipere peccatum quam morte mulctari.*

Leuitici 24. v. 15.

Origenes tomo. 14.

6. Neque prætereunda est alia quæ iam ab eodem Doctore in cap. 4. Geneseos allata consideratio, tpote in confirmationem hactenus dictorum mire deseruiens. Refert itaque Moyses, Filios Iacob ad faciendā sibi aliquam panis prouisionem in Ægyptum regredi volentes, eo quod cum alias ibi essent, præceptū accepissent à vice-Rege Ægypti Fratrem suum minimum Beniaminū videlicet secum adducendi, Patrem suum adijsse, ipsumque vnanimiter deprecatos fuisse vt paruulum prædictum pro hoc itinere faciendo societati & consortio ipsorū adiungeret. Quia vero Iacob, vtpote qui Beniaminum summis in delitijs haberet, omnemque senectutis suæ spem in eodem collocasset, metuebat ne aliquod illi periculum aut sinister casus accideret, ideoque illum comitatui ipsorum nulla ratione iūgere statuerat, Ruben eidem dixit: *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum.* Nec tamē hac etiam oblatione facta quicquam obtinuit. Postea igitur Iudas etiam vnus filiorū eius accessit, qui vt Patrem suum ad consentiendum permoueret, subiunxit: *Ego suscipio puerum, de manu mea require illum nisi reduxero & reddidero eum tibi, ero peccati reus.* q.d. Quod si illum Ruben fratri meo credere detrectas mihi saltem eundem concredito, maioremque pro eo quam pro memetipso curam habebo. Et casu quo eum tibi non reduxero, peccator apud te semper audire volo. Vix Iudas sermonem suum com-

Gen. 42. v. 37.

Ibidem. 43. v. 9.

compleuerat, cum ecce mox sanctus Patriarcha puerum hunc amantissimum suum Beniamin fidei Iudæ concredidit & consignauit. Origenes Adamantus loci huius considerationē ingreditur, quærit. Quamobrem Iacob dilectum suum Beniaminum Ruben dare noluit, cum tamen hic in casu quo illum non reduceret duos filios suos tanquam obsides mortis sententiæ exposuisset, & tamen eosdem Iudæ cessit, qui ad hoc tantum sese offerebat: vt in casu quo non rediret velut peccato ab illo haberetur? Et respondet: *Iacob pater ipsorum sciens multo esse grauius quod promiserat Iudas, qui dixerat Peccator ero in te, ab eo qui dixerat, occide filios meos. Ruben quidem non credidit filium, Iudæ tradidit, sciens grauius esse quod elegerat.* q.d. Iacob vtriusque filij oblationes seu vadimonia attendens puerum Iudæ potius quam Ruben dare voluit, nam in casu quo non reuerteretur maiori pœna ille se exposuerat quam iste, ideoque sperabat Iudam ad euadendam pœnam quam sibi ipsi statuerat, maiorem adhibiturum esse curam, de reducendo paruulo, quam facturus Ruben fuisset, qui minori se malo astrinxerat. Apud sanctos namque mors minus malum æstimatur quam peccatum, cum haud raro videantur se potius mille mortibus offerre & exponere, quam vnico tantum peccato sese contaminare.

Origenes ibi.

7. Quisquis horribilem illam Antipathiam audit quæ hominem iustum inter & peccatum intercedit, eandem haud dubie melius quam sub Arminij nitidissimi animalculi symbolo proponere non poterit, qui nitorem candidæ pelliculæ suæ qua amicitur, in tantum curat, vt mori potius eligat quam fœdari. De S. Ludouico Rege Franciæ, seraphicæ Religionis meæ S. Francisci primo Protectore scribitur quod cum aliquando graui & lethali morbo esset oppressus, neque Medicis pro illius curatione vllum superesset remedium, quam vt illum ad alienam mulierem carnaliter cognoscendam inducerent, eo quod coniux propria procul ab eo in remotis degeret regionibus. Magnus ille Dei seruus, remedium istud adeo horrendum audiens, ad Medicos illos conuersus dixit: *Malo incurrere mortem ex hac infirmitate, quam ab ea releuari cum offensione creatoris mei.* Adeo magnus hic seruus Dei peccatum abominabatur, vt haud secus ac Arminius quidam, ne se per illud defœdaret præsentem potius vitam vltro citroque contemnere, ac mortem præeligere decreuerit, ac de semetipso Epigraphen illam Emblemati Arminij subimpressam dicere potuerit. *Potius mori quam fœdari.* Simile quid etiam in vitis Sanctorum Patrum, de sancta quadam virgine, cui nomen Alexandra erat legitur, quæ cum sepulchro cuidam viua esset inclusa, interrogata quamobrem mortem elegisset priusquam moreretur, respondit: *Quidam insano mei amore tenebatur, ne cum viderem, malui me viuam in hoc monumento inferre quam offendere animam, quæ facta est ad imaginem Dei.* Ex heroico isthoc virginis huius facinore facile conijcere potestis, quam sit in oculis sanctorum horrendum peccatum, adeo nimirum, vt ne Deum offendant mortem & sepulchrum elegerint priusquam moriantur.

Pepinus in cap.19. Gen. Claus.4.

Vit. Patr. lib. 8. cap 5.

8. Moyses electus Dei Propheta aduertens Hebræos ob aquæ penuriam valde sibi offensos, vtpote qui ex Ægypto in sterilem regionem istam illos eduxerat, adeo etiam vt nimio furore perciti saxa leuarent ad se lapidandum & occidendum; mox ad Deum suum sibi refugium quærens accurrit, eidemque dixit: *Quid faciam populo huic? adhuc pusillum & me lapidabit* q.d. Obsecro te Domine, modum necessitati populi istius satisfaciendi mihi suggerere ne tardes, id enim nisi sat cito feceris, breui me subingenti quodam saxorum imbre occisum & sepultum videbis: Hugo Cardinalis hic dicit: Quodsi Moyses in hoc fortuito euentu ideo ad Deum recurrit, quia videlicet mortem pertimuit, non se videtur digne satis & conformiter statui in quo erat gessisse: Nam Sancti & perfecti homines, inter quos ipse tunc primus siue præcipuus numerari poterat, in Diuini obsequij negotijs, cuiusmodi illud erat, non solum mori non timent, verum insuper animose & intrepide, mille mortis tormentis vitam suam exponere sum-

Exodi 17 v.4.

summè gaudent. Cum igitur, subiungit idem vere Eminentissimus Cardinalis, tam sancto & innocenti viro talis tantusque defectus impingi aut imponi non possit, dicere oportet, Moysem non ideo ad Deum recurrisse, quod mortem timeret, sed quia peccatum supra modum formidabat, quod populus ille furibundus occidendo ipsum fuisset commissurus: *Non dixit hoc ex timore, quod timeret sibi sed quia timebat, ne populus peccaret.* Obseruate obsecro quantus sit horror & abominatio, quo aliquis Dei seruus peccatum detestatur, tantus nimirum vt mori non timeant non solum ne se ipsos peccatis defœdent, verum etiam ne proprios inimicos suos in mortem eius conjurantes peccatis commaculatos conspiciant, & peccatum non in sua duntaxat anima, verum etiam in aliorum animabus plusquā mortem suam detestentur & exhorrescant. *Timebat ne populus peccaret.*

Hugo Car. ibid.

9. Adhæc tam immensa est abominatio illa qua amici Dei detestantur peccatum, vt in inferni ignibus potius ardere, quam leue duntaxat peccatum committere, aut Deum leuiter offendere vellent *Terribilius & horribilius ipsa gehenna iudicant in re leuissima cultum Omnipotentis offendere*, inquit sanctus Bernardus. Dauid Propheta die quodam debitas Deo gratias acturus, qui ipsum ab inferni faucibus liberauerat, ita inquit: *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quoniam misericordia tua magna est super me; & liberasti animam meam ex inferno inferiori.* Per infernum, è quo Dauid hoc loco liberatum se esse dicit, nequaquam intelligendus est horrendus ille malignorum spirituum, reprobarumque animarum carcer; nam vti supra diximus quod si in eundem semel redactus fuisset, nunquam in æternum exinde à Deo redemptionis futuræ spem concipere potuisset; sed potius de peccato loquitur, quamdiu enim peccatis grauioribus obnoxius extitit, veluti in inferno quodam sibi videbatur reclusus. In hunc locum intelligit Franciscus Titelmannus dicens: *Posset infernus iste rectè intelligi carcer malæ conscientiæ.* Obseruandum etenim peccatum à Propheta non appellari infernum absolutè sed infernum inferiorem: *Ex inferno inferiori.* Appellat autem peccatum hoc nomine ad insinuandum quod peccatum opinione sua magis horrendum atque tremendum sit, quam ipsemet infernus, nam postquam Deum suum offendit, in altiorem profundioremque voraginem sibi incidisse videbatur quam si in ipsammet infernalem abyssum præcipitatus fuisset. Vnde concludit hic præfatus Doctor: *Verè enim infernus est peccatum: & inferior atque extremus infernus est.*

S. Bernar. serm. de tripl. cohæsione

Ps. 85. v. 12.

Titelm. ibid.

10. Apostolus Romanis incredibile illud desiderium manifestans, quo Hebræorum salutem exoptabat, tametsi ij maximè essent sui inimici, & ad mortem vsque truculentissimi persecutores, dicebat: *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Sanctus autem Ioannes Chrysostomus opinatur Apostolum tunc sibi in salutem fratrum suorum Israelitarum exoptasse infernum, nihili curando suam damnationem, dummodo illi saluarentur: *Pro lapidantibus & infensis, ac se affligentibus subire gehennam cupiebat.* Quod si dicere voluisset subdit sanctus Doctor: *Optabilius mihi erat in gehennam incidere quam Israelitas infideles, & incredulos videre.* Ex altera verò parte iisdem Romanis scribens, deque venius peccati commissione per quam à Christo summo bono suo separandus necessario esset, tractans dicebat impossibile sibi videri vt ad illius commissionem induci posset, vnde cunctas omnium rerum creatarum vires provocabit, dicebatque certum se esse & securum, quod tametsi omnia creata simul congregata & coadunata aduersus se conspirarent ad ipsum in hanc infelicitatem & miseriam redigendum, frustraneus tamen futurus esset ipsorum quantuscunque conatus: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum enim quia neque mors neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes &c. neq; creatura alia poterit nos separare* à cha-

Rom. 9. v. 3.

S. Ioan. Chrysost. serm. de Charit. et. Ibid. lib. 3. de Prouiden.

Rom. 8. v. 35. & seq.

à charitate Dei. Quod si igitur qui vnicum tantum peccatum committere adeò abhorrebat, adeo resolutus fuit pro salute Israelitarum adire in infernum, quis est consequēter dicere, peccatum in sanctorum cordibus inferno damnatorum longè esse horribilius magisque pertimescenum, siquidem is qui pro Israelitarum salute procuranda vltrò citroque ire voluit in infernum, nequaquam manum suam pro eadem salute promouenda extendisset ad committendum vel vnicum peccatum.

11. Sanctus Ioannes Chrysostomus orationem quēdam in medium adducit, quam Sancti Patres in Eremo prandij tempore ad mensam benedicendam recitare consueuerant, in cuius fine deuotissima hæc verba habentur: *Inueniamur in conspectu tuo acceptabiles sine verecundia, quando vnicuique reddes secundum opera sua*, quasi dicere voluissent: ô dulcissime Domine, in die illa, qua in Angelorum hominumque præsentia, in conspectu Maiestatis tuæ præsentandi sumus, concede nobis gratiam tuam, vt sancti, innocentes, & sine vlla verecundia inueniamur peccati. Sanctus autem Doctor orationem istam optimè ponderat, & quærit: Quodsi dixissent: *Inueniamur in conspectu tuo sine damnatione*, nunquid melius fuissent dicturi, quam dicendo: *Inueniamur sine verecundia*? Fortasse minora mala esse reputabant tormenta inferni, quam verecundiam peccati? vt hac de causa hoc modo orarint? Et respondet: Quinimo. *Nō dicunt ne puniamur, sed ne verecundemur; id nobis etiam ipsa gehenna terribilius est, si videbimur Dominum ostendisse.* Non rogabant Deum vt animas suas ab inferno, sed vt à peccato liberare dignaretur, adeo enim vehementer abominabantur peccatum, vt ne illa abominatione defœdati coram Diuina Maiestate præsentarentur, in infernum condemnari minimè curarint, horribilius enim & execrabilius esse censebant peccatum, quam cuncta tormenta totius inferni. *Ipsa gehenna terribilius est, si videbimur Dominum offendisse.*

S. Ioan. Chrysost. Hom. 56. in Matth.

12. Vnde Sancti mihi videntur pari & æquali horrore execrari & fugere peccatum, quo serpens abominatur & fugit fraxinum. Plinius scribit adeò vehementem esse antipathiam naturalem serpentem inter & fraxinum, vt etiam ramorum eiusdem arboris vmbram horreat atque declinet. Et subdit, quodsi luculentus quidā extrueretur ignis, atque in eundem frondibus fraxineis quaqua versum circumdatum serpens conijceretur, serpens ille cum non videret aliam sibi euadendi viam superstitem esse, præterquam per frōdes illas fraxineas, ac sub inimicæ illius arboris vmbra cogeretur transire, potius eligeret in igne comburi & mori; Estque hoc ipsum varijs experientijs valde comprobatum. Haud secus veri Dei amici, qui iuxta Diuini Magistri sui Doctrinam, serpentinæ prudentiæ veri æmulatores existunt: *Estote prudentes sicut serpentes.* non minori cum execratione detestantur vitium ac serpens exhorrescit fraxinum. Vnde quodsi coram tali seruo Dei ex vna parte poneretur incendium inferni, & ex altera parte reatus peccati, illeque cogeretur vel se in infernum præcipitem agere & semper mori, aut se immergere in peccatum & in vita continuari, talis potius semper & in æternum moriturus prosiliret in infernum quam ad euadendam mortem peccato se defœdaret. Audite quidnam diuinorum illorum serpentum vnus promiserit facere. Edinerus Anglus scribit sanctissimum Anselmum Archiepiscopum admiranda hæc verba dicere solitum fuisse: *si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, & necessario vni eorum immergi deberet, potius infernum quam peccatum appeteret.* Concludamus igitur non tantum coram oculis Christi vti in hodierno Euangelio videtur, verùm etiam in conspectu seruorum suorū adeo esse tremendum & horribile, vt quilibet etiam alius Christianus illud meritò abominari, virtutem verò, vtpote omnis boni sui certam & veram causam, diligere deberet.

Plin. lib. 16 cap. 13.

Matth. 10. v. 16.

Edinerus Anglus in vita S. Anselmi.

SERMO XXXII.

In Sabbathum Dominicæ IV. Quadragesimæ.

Ego ſum lux mundi.

Ioan. 8.

DEus Opt. Max. nullam aliam ob cauſam Beatiſſimam Virginem Mariam exornare voluit Sole, Luna, & ſtellis, dando ei ſolem loco amictus, ſeu in veſtem; Lunam loco calceorum; ſtellas vero pro Corona & regio capitis ſui diademate; prouti S. Ioannes ſe illam vidiſſe refert: *Signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim,* niſi vt in conſpectu Angelorum & hominum notum facere, & manifeſtum, quod ſicut Sol, Luna, & ſtellæ ſunt viui omnis luminis fontes, quod de Cœlo in hanc terram deſcendit, ita quoque ipſa verus ſit & naturalis fons, vnde ad nos deſcendit, nobiſque natus eſt vnigenitus Dei filius qui in præſenti Euangelio, ſub lucis mundi ſymbolo clare proponitur. Ego ſum lux mundi. Vnde S. Epiphanius magnã hanc Dei Parẽtẽ ſalutans dixit: *O virgo ſancta, lucis æternæ mater: lucis quæ dicit, Ego ſum lux mũdi.* Porro talia hæc tantaq; ornamenta ad decorandã virginẽ Deiparã requirũtur, tũ vt hac ratione rari Diuinæ maternitatis explicẽtur honores, tum etiam vt profundæ ſuæ humilitatis excellens exhibeant meritum; tum etiam quia ineffabilem eius erga nos filios ſuos charitatem perſpicue inſinuant, prouti in ſequentibus conſiderationibus latius viſuri ſumus.

Apoc.12. v.1.

S.Epiphan. apud Lip pom.8. Decemb.

CONSIDERATIO I.

Ego ſum Lux mundi

Deipara Virgo Maria ſole amicta, ſub pedibus Lunam, in capite vero ſtellas habens apparuit, quia lumen mundi Chriſtum Dominum noſtrum in virgineo vtero ſuo portauit.

1. SAncta mater Eccleſia nouos & inſolitos ſereniſſimæ Reginæ noſtræ Mariæ Virginis honores ſummè admirans ita loquitur: *nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem:* quaſi dicere vellet: ſicut mundus hactenus ſimilem illi creaturam nunquam conſpexit, ita nec deinceps promittere ſibi poterit, ſe aliã poſt ipſam viſuram ipſi parem; In omnibus namque honoribus ſuis, ipſa inter omnes totius mundi homines prima cenſeri debet & vltima, cum alia nunquam hactenus viſa ſit, quæ vera Dei mater fuerit, nec in futuris ſæculis ſequentibus talis expectari poſſit. Conueniens igitur erat, vt pro explicandis nouis & ſingularibus inclytæ Dominæ noſtræ honoribus, noua quoque & ſingularia eidem præpararentur ornamenta, cuiuſmodi ſunt Sol, Luna, & ſtellæ. Et quidem ex his aſtris B. Virginem adornantibus ſolem primo conſpiciamus.

2. *Amicta sole.* Ad hoc vt Beata Virgo digna fieret Dei mater, opus erat, vt Sol Iustitiæ illi fieret vicinior, propiusque ad illam quam ad vllam aliam creaturam accederet, adeo nimirum, vt sicut vestis contigua & proxima est corpori, ita quoque Deus vicinus & proximus fieret virgini. *Amicta sole.* Magnus ille pictor, qui tantis, tamque varijs hanc terram depingit coloribus, non est alius quam sol, prouti in Hymno quodam Græco de sole dicitur: *Grande syluarum decus, ipse pingis floribus terram.* Vnde fit quod quanto locus aliquis præ alijs terræ plagis Soli vicinior est, tanto præ alijs rarioribus venustatibus decoratur. Sic Arabia fælix teste Diodoro Siculo ad totius mundi inuidiam, pretiosissimis diues est gemmis, pulchrioribus ornata est auibus, nec non viuacissimorum colorum floribus depicta est & adornata, idque ab omnibus magnæ solis ad illam viciniæ attribuitur, qualem aliæ regiones minime habent. Quamobrem cum Sol Diuinus omnium rerum creator, omniumq; venustatum & Diuitiarum mundi huius primus author, adeo sit sanctissimo Reginæ Virginis corpori vicinus, vt magis nunquã cum vlla aliarum creaturarum fuerit, consequenter dicendũ erit, ipsam omnibus possibilibus venustatibus florum omnium virtutum, quæ in vlla vnquam anima conspici potuerunt, locupletatã fuisse. Et merito; in suo namque virgineo prato eum productura erat, qui est super omnes flores non terræ duntaxat, verum etiam Paradisi. *Qui florigeram inhabitat patriam* inquit Seraphicus Cardinalis S Bonauentura.

Apud Natal. comit. Mytholo. l. 5. c. 17.
Diodor. Sicul. lib. 3. c. 12.
S. Bonau. in spec. c. 10.

3. *Amicta sole.* Ægyptij, vt notat Diogenes Laertius, solem appellare solebant Osirim, quod nomen in nostra lingua idem sonat, quod corpus aliquod multoculum, siue plurium oculorum. Dicendo itaq; Beatã virginem sole amictam esse, videtur insinuari ipsam multis esse oculis instructã: Ad quam expositionẽ S. Epiphanius respexit, quando illam nominauit *Multoculam.* Estq; hic certus quidam loquendi modus eorum, qui raræ alicuius venustissimæque picturæ aut similis alicuius rei, quæ cum totius mũdi summa admiratione aspicitur, excellentias describere volunt; hi enim dicere solent, est hoc adeo venustum & decorum, vt omnium hominum in se oculos rapiat, defixosque detineat. Quem loquendi modum Aquila illa sublime volans vsurpasse videtur, ad significandum Angelorum hominumque pro illo tempore, quo peregrinũ illud pulchritudinis inauditæ monstrum, ad tantum honorem sublimatum, coram oculis mundi huius fuit repræsentatum, ingentem stuporem, cum dicit se vidisse virginem Matrem sole vestitam: *Mulier amicta sole.* Quasi clarius dixisset: Adeo rari, insoliti, peregrini, & magni erant colores, pulchritudines, & honores illius, ex cuius vtero pro communi hominũ salute, nasciturus Deus erat, vt omnes creaturæ ad illum intuendum & reintuendũ currant & anhelent, & non tantum cum stupore, verum etiam insatiabili cum cupiditate & desiderio, illum aspiciendo & reaspiciendo satiari non possint, oculos suos in eo quasi defixos & suspensos relinquentes. Vnde ex omni parte mihi oculis circumdata esse videtur. *Amicta sole Multocula.*

Dioge. Laert. lib. 2. cap. 1.
S. Epiphan de laud. B. Mariæ.

4. Quia totius mundi Imperatorem vtero suo tenebat reclusum, opus erat, vt sol foris circum ipsam consisteret. Scribit Macrobius, temporibus suis Solis imagines visas esse arcu & sagittis armatas *Arcu & sagittis simulachra Apollinis decorantur;* quasi esset sagittarius præsidium & custodia Paradisi, quæ ad portas cæli ad custodiendum corpus regium sublimis illius Regni commoretur. Quia igitur Deus illo tempore in sacratissimum admirabilis illius creaturæ vterum descenderat, opus erat vt vna cum ipso custodia corpus suũ cingens & protegens simul descenderet. Atque ideo visa fuit circumdata sole. *Mulier amicta sole.*

5. Ob eandẽ rationem etiam Luna ornata videtur: *Luna sub pedibus eius.* Primo quia ipsa per inexplicabilem super alias creaturas excessũ, in terra haud secus ac luna quædã esse videtur, adeo vt cælestes Angelorum chori suã admirantes pulchritudinem, eandem appellarint *pulchram vt lunam.* Nã sicut teste Pierio Valeriano, Luna est cælũ quodã terræ adeo vicinũ, vt in terra quasi videatur consistere *Terrestre cœlum.* Ita quoque similis honor Deiparæ virgini conuenit, quia enim Deum Virgineo suo vtero claudebat,

Cant. 6. v. 9.

debat, erat veluti cælum quoddam, sed cælum terrenum, quia diuinum hunc fauorem à Deo promeruit, dum terræ adhuc, nō vero cæli habitatrix incola esset. Id quod vnū est ex rarissimis prodigijs, quæ Deiparā virginē quā maximè honorant. Nā si aliquis ex cœlitibus, qui iam in cæli patria morantur, hoc tā sublimi dignatus fuisset honore, tametsi idipsum quid magnū, imo maximū fuisset; quia tamen illum nobilitas patriæ cælestis ad hunc honoris gradum capessendū quodammodo disposuisset, fecissetque idoneū, non tantū nobis causasset stuporē, quantus causatur in nobis videntibus mulierē quādā in vilissimo terræ loco natam, & nutritā, ad tantam dignitatem sublimatā & assumptā fuisse, ad qualem ipsimet cæli incolæ pertingere nequaquam possunt; Deniq; illam quæ terra erat, in vno eodemq; tempore simul cœlum factam esse, imo cælo ipso longe maiorem & capaciorem. Vnde ipsi accinit Ecclesia: *Quia quem cæli capere non possunt, tuo gremio contulisti.*

6. Verumenimuero notare oportet, ipsam lunam pedibus suis habuisse substratam: *Luna sub pedibus eius.* Idque ad aliud quoddam mysterium, ad Maternitatem Dei spectans, insinuandum. Notandum igitur, quod sicut antiqui gentiles stellarum adoratores, solem cæli Regem appellabant, ita quoque lunam appellasse cæli Reginā, quo illam nomine Apuleius appellauit, nec non & Ieremias Propheta abominationes populi sui eidem exprobrans dixit: *Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentam Reginæ cæli.* Quia vero Regnum istud fictum, atque ex hominis mendaci Phantasia est excogitatum, siquidem neque in cælo, neque in terra alia Regina quam sacratissima virgo Deipara inuenitur, cui in die quo ad diuinæ maternitatis honores fuit sublimata, amplissimum super cœlum, omniaque alia quæ cælo circumcinguntur concessum fuit Dominium, prouti S. Bernardinus dicit: *Monarchiam totius promeruit & obtinuit vniuersi*; atque ideo lunam pedibus calcare videtur: *Luna sub pedibus eius*, quasi demonstrare vellet, valde eos decipi, qui aliam ab illa cæli Reginam honorant & adorant: *Luna sub pedibus eius*,

Apulei. Metam lib 11.
Hierem. 7. v. 18.
S. Bernard. to. 1. Fer. 4. pasch. art. 3. c. 6.

7. *Luna sub pedibus eius.* Dauid Propheta considerationi honorum & gratiarū quas Deus homini contulit, valde intentus, insolito quodam stupore correptus Deo dicebat: *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum?* Verum dic mihi sodes ô Dauid, quidnam in homine magni vidisti, ob quod tanta raperis admiratione, vt ad tantum humanæ dignitatis fastigium pertingere non valens, à Deo id tibi petieris explicari? subiungit & respondet: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper & pecora campi: volucres cæli, & pisces maris qui perambulant semitas maris.* Quasi diceret, quis mihi prohibeat, ne magnam hominis dignitatem considerans, extraordinario afficiar stupore, ex quo in homine creaturam aliquam conspicio, cuius pedibus substernuntur omnia quæ sunt in terra, pecora, boues, oues, omnesque cæteræ bestiæ, volucres cæli, & pisces maris. Cum itaque omnia quæ naturam non excedunt assequi possim, quæcunque illa sint, nec tamen ingenium meum ad tantum dignitatis fastigium capiendum extollere possim, confundor in memetipso, Diuinam hac in re responsionem præstolaturus. Ex hac admiratione B. Laurentius Iustinianus hominis magnam dignitatem colligit, & ad hominem conuersus, dicit: *Omnibus quæ sub cælo sunt prætulit te.* Quod si igitur homo eo, quod Deus omnia quæ sub cælo sunt pedibus illius subiecerit, eorumque ipsum Monarcham constituerit, cunctos illud penitus consideraturos tanto afficit stupore, qualem stuporis excessum Deipara virgo secum adferet, vtpote sub cuius pedibus non terrena solum, sed etiam cælestia substrata videntur, quæ ideo etiam Luna, veluti calceo induitur. Deus enim illam non hominum qui terram incolunt duntaxat Reginam constituit, verum etiam Angelorum, ciuium nempe cælestium Dominam effecit.

Ps. 8. v. 5.
B. Laur. Iustin. de vit. solit. c. 6.

8. Ad obseruandum insuper qualiter illustrissima stellarum Corona qua capitis huius serenissimæ cæli terræque Reginæ virgineus vertex redimitus fuit maiori cum euidentia Diuinæ maternitatis honores demonstrat: *Et in capite eius corona stella-*

stellarum duodecim. Necessum est prius scire causam ob quam tametsi in cœlo Sol quidam fulgentissimus Deiparam amiciens & circumdans manifestè apparuerit, nihilominus stellæ illæ, quæ caput eius coronabant, in eodem cœlo simul emergere, & clarè conspici potuerint, cum tamen in Hemisphærio nostro obseruemus, quod nascente & prodeunte sole, stellæ obscurẽtur & dispareant, nec sit possibile, vt simul & eodem tempore quo Sol resplendet, stellæ quoque simul resplẽdere possint. Et quidem quantum assequi possum, causa veritatis istius hæc mihi esse videtur, quia videlicet Deus ostendere volebat, serenissimam Reginam nostram vere & indubitate factã esse Dei matrem. Notandum igitur, quod tametsi stellæ ordinariæ sole præsente splẽdere non soleant, attamen quando Sol in nostro Hemisphærio constitutus eclipsatur & obscuratur, mox splendores suos vibrant, omnibusque conspicuæ fiunt. Atque ideo apparentia manifesta stellarum, sole etiam in nostro Hemisphærio præsenti, infallibile est magni illius luminaris Eclipsati, seu Eclipsin patientis signum. Cum igitur sole non tantum præsente, verum etiam augustissimam Angelorum Reginam à capite ad calcem vsque amiciente, stellæ nihilominus ad instar regij cuiusdam diadematis, in capite eiusdem Reginæ apparuerint, manifestum id atque euidentissimum signum fuit, vnde colligere licebat, Diuinum iustitiæ solem Christum Dominum nostrum circum ipsam obscurari, atque Eclipseos deliquium pati; vtpote à virgine Matre mortalitatis nostræ peplo coopertus & obscuratus; secundum quod Hugo Cardinalis dicit: *Ipsa est in annuntiatione eclipsans solem* Iustitiæ. Vnde stellæ istæ per illud extraordinarij luminis signum, Beatissimam virginem veram Dei matrem esse publicabant. *In capite eius corona stellarum duodecim.*

Hugo Card. ibidi.

9. Quodsi præterea scire desideretis, quo fine stellæ Beatissimam virginem Deiparam circumstent, tunc, quando ipsa filiũ Dei in vtero suo gerebat? breuiter ad illud respondendo me expediam. Supponendo quod secundum Philosophos, nominatim vero iuxta Aristotelem Peripateticorum Principem, mundus hic inferior stellarum ministerio à Deo gubernatur. *De necessitate iste mundus continuus est superioribus lationibus, vt omnis ipsius virtus gubernetur inde.* A qua opinione, vt in sancto Augustino videri potest, ipsi quoque Theologi non discordant. Ad propositum ergo: Cum Deus de facto iam in Sacratissimum Mariæ vterum descenderit, ideo ne mundo consuetus & ordinarius illum regendi modus deesset, opus fuit vt stellæ quoque velut totidem sublimis potentiæ suæ officiales & ministri de cælo descenderent, illumque circumstarent ipsique assisterent. Vnde sancta Ecclesia dicit:

Arist. Meteor. c.

Cui Luna, Sol, & omnia
Deseruiunt per tempora
Perfusa cæli gratia
Gestant puellæ viscera.

Quasi dicere vellet. Non solum Deus dum est in Cælo, verum etiam dum in virgineæ matris suæ commoratur vtero, ad hoc vt consuetum mundum gubernandi modum continuet, sua à sole, Luna, alijsque stellis accipere debet obsequia: *Et in capite eius Corona stellarum.*

10. Vult insuper Deus per hanc admirabilem Coronam mundo insolitam dignitatis sanctissimæ matris suæ manifestare magnificentiam & Maiestatem. Cum enim vertex capitis sui ornatus sit duodecim stellis, duodecim signa Zodiaci ipsi Deus dedisse videtur, quo velut cingulo quodam Deus cælum circumdedisse & accinxisse dicitur, vnde Zodiaci nomen habet, eodemque Zodiaco diuinum illius caput exornasse. Dicite obsecro quidnam de magnitudine corporis Imperatoris Maximini dicturi essetis, si audiretis ipsum, vti narrat Iulius Capitolinus armillas coniugis suæ loco annuli in digito suo portasse? *Vxoris dextrocherio vtebatur pro annulo.* Quodsi Maximini digitus grossitie sua adæquabat alterius brachium, facilis est coniectura quanto fuerit magnitudo corporis? Aut vero vt maiori cum proprietate loquamur. Quid dicturi essetis de magnitudine hominis illius, cuius caput cingulo corporis

Iul. Cap. in Max.

poris magni alicuius Gygantis vix circumdari aut cingi posset vtique illum Rodiensi collosso crassiorem, altiorem, longeque maiorem iudicaretis. Deus caput Sanctissimæ virginis matris redimere ac cingere voluit, vt igitur illud complete & adæquate circumplecteretur, cingulum quo cælestis sphæræ immensum corpus succinxisse legitur, dissoluit, capitique virgineo Deiparæ circumposuit, atque hinc est quod duodecim stellis coronata appareat. Per hoc autem spectaculum insinuare tacitus voluit, maximam hanc cæli terræque Dominam, absque vlla comparatione Cælo ipso longe maiorem, magisque immensam esse, tametsi nulla alias in creatis magnitudo sit reperibilis, quæ cælo æquiparari possit. Et reuera talis ipso facto fuit. Siquidem quem Cæli Cælorum ne capere quidem, ne dicam concludere possunt, hunc (Deum scilicet optimum Maximum) ipsa sacratissimo suo in ventre conclusit. *Et in capite eius corona stellarum.*

11. Ex hactenus dictis itaque habemus quod Deus ad insolitos virginis matris honores manifestandos eam amictu solis calceis lunæ, & corona ex stellis fabricata vestire voluerit. Neque conueniens erat, vt sine alterutro horum ornamentorum tanta demonstratio fieret. Quodsi enim illam solo dūtaxat amiciuisset amictus ille sanctissimæ matri magnum aliquod aut extraordinarium ornamentum adferre non poterat, quando ipsi quoque cælestis Paradisi beati spiritus, qui vasalli sunt virgineæ huius matris ad instar solis resplendent, vti ipsamet sapientia incarnata testatur dicens: *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum? Quid mirum*, inquit seraphicus Cardinalis: *si Regina sole vestitur, vbi quilibet in regno sole vestitur? Iusti fulgebunt sicut sol in regno Dei, ait Dominus.* Necessum itaque fuit, ad statuendam aliquam inter Reginam matrē & Regni vasallos differentiam vltra solis amictum, calceos illi Lunæ, necnon ex stellis fulgidissimis confectum coronam superaddere.

Matth. 13. v. 43.
S. Bonav. serm. 1. de Assump. B. V. Maria.

12. Adhæc num aliquando audistis consuetudinē quæ in classe aliqua nauium bellicarum in mari obseruatur: cum classis aliqua alto sese mari cōmitrit hoc illi solemne est, vt cum omnes aliæ triremes vnam duntaxat facem seu lampadam nocturnam erigant, regia triremis econtra tres erigere soleat. Alexander Neapolitanus scribit, quod dum Scipio Africanus capiendam armis Carthaginem sese præpararet, singulasque classis suæ naues vno lumine ornasset, Prætoriam econtra tribus luminibus instruxerit & adornarit. *Singula rostrata naui, prætoria trina lumina dedit.* Attendatis obsecro omnes virgines, & videte qualiter singulæ lampades suas accipientes: *Accipientes lampades suas* Dominam & Reginam suam Mariam virginem sequuntur; *Adducentur virgines post eam.* Vt igitur aliqua inter Reginam eiusque Gynæceum, inter triremem regiam quæ cælestis Paradisi Regem nouem mensibus portauit, donec illum in hūc mundū exponeret, aliasque naues, quæ hanc sequuntur, esset differentia, tria lumina ipsi dare opus fuit, solem videlicet, lunam & ex stellis factam coronam. *Tria lumina dedit.*

Alexander ab Alex. Dier. Genial lib. 4. c. 2.
Matt. 25. v. 1.
Ps. 44. v. 15.

13. Denique vt considerationem præsentem concludamus, Zeuxes Iunonis imaginem depicturus, in Girgentem concessisse fertur, vbi maxima totius Græciæ muliebris speciei venustas videbatur, summaque cum diligentia ex omni speciosissimarum puellarum numero, quinque sibi elegisse, quæ pulchritudine cæteras inter quā maximè eminebant, atque pulchriores corporis partes ex singulis singulari cum industria collectas in vnam Imaginem coadunasse, vnde pulcherrima quædam Iunonis resultauit Imago, digna quæ in perpetuā asseruaretur memoriam. Dicitque Aristoteles Zeuxem completam Deæ Iunonis effigiem ex vnica duntaxat puella noluisse desumere, sed ex multarum membris in vnam Imaginem construendam redactis, idque quia credebat nullam mulierum reperiri posse, quæ in toto & per omnia membra cū ipsa Dea conferri posset: *Vt pulchriora omnia in pingendo exprimeret, pulcherrimam Iunonem effingeret: ne qua mulier esset quæ tota Iunoni sese conferre auderet.* Non aliter Deus in conferendis Sanctissimæ Matri suæ debitis ornamentis fecisse videtur, dum illam non ex solo solis ornatu, aut ex solo decore lunæ, aut ex stellarum pulchritudine vestire voluit, sed potius ex sole amictum illi dedit,

Arist. in Poet. apud Faret. de Reb. Sic. l. 1. c. 1.

 ex

ex luna calceos, coronamque denique ex stellis eidem formauit, ne illa daretur creatura, quæ se illi per omnia similem esse iactaret. Sicuti reapse factum est. Sicut enim sola Dei mater esse promeruit, ita quoque sola sine pari & similitudine aliqua digna fuit, quæ quo ad ornamenta toti mundo stupori & admirationi esset. *Nec similem visa est, nec habere sequentem.*

CONSIDERATIO II.

Ego sum lux mundi.

Profunda B. Virginis Deiparæ Mariæ Humilitas in Cælo nobis à Deo reuelata est per amictum solis, calceos lunæ, & coronam stellarum duodecim.

CÆlestis luminis mater, quanto maior fuit, tanto plus se humiliauit, extra illam enim tanta sublimitas cum tanta profunditate coniuncta in toto mundo videri nequit, vtpote quæ vno eodemque tempore quo Dei mater facta, atque in Angelorũ Reginam erecta, superque omnes cælos exaltata fuit infimam se ancillam esse confiteri non erubuit In cuius admirabilis humilitatis, submissique de seipsa sensus signum, sole amicta, lunæ calceos induta, & stellis coronata in cælo apparuit, prouti in præsenti consideratione deinceps videbimus.

1. *Mulier amicta sole.* Obseruandum inprimis, quod dum S. Ioannes Apostolus se Deiparam sole vidisse amictam refert, non illam Dei matrem, Angelorum Reginam, aut alio simili augusto nomine raris suis excellentiis & prærogatiuis proportionato nominare voluerit, sed mulierem tantum appellarit. *Mulier amicta sole.* Idque fecit, tum vt se ordinario loquendi modo & stylo cælestis Magistri sui conformaret, tum etiam vt magnum quoddam pro præsenti consideratione argumentum suggereret. Multi Doctores rationem inquirunt, ob quam Christus Dominus noster, sanctissimæ matri suæ tam in nuptijs Canæ in Galilæa, quam in monte Caluariæ, dum penderet in cruce loquens, illam nunquam matrem, sed semper fere mulierem appellarit? *Quid mihi & tibi mulier?* dicebat ei in nuptijs. In Caluario monte autem *Mulier ecce filius tuus.* Quærunt igitur, cum ipsa vera Christi mater fuerit, nec quicquam minus in se ab alijs matribus habuerit, qui fit igitur quod ipsam semper mulierem, nunquam matrem appellet? Omittit diuersas responsiones, quæ pro huius nodi solutione à diuersis adducuntur, & illam solum in medium proferam, quam Author additionum Glossæ tradit, quæ præsenti proposito nostro multum deseruit: *Matrem, cuius humilitatem maximè cognoscebat, mulierem vocat, quod est nomen commune cuilibet mulieri, non autem matrem, quod maximam dignitatem includit.* q. d. Quia Christus humilis & profundi sensus, quem sanctissima mater sua de seipsa habebat, probè sibi conscius erat, ideo cum illa agens, nunquam matrem, sed semper fere illam mulierem appellare voluit; cum enim nomen hoc, *Mater Dei*, infinitam in se excellentiam & dignitatem contineat: hoc vero nomen, *Mulier*, ob sexus fragilitatem, æqualem fere imperfectionem & vilitatem importet: ipsi autem perspicuum fuerit, ipsam ob eximiam humilitatem suam, maiorem in titulis humilibus & inferioribus, quam in honorificis & sublimibus gustum & delectationem habere, ideo ipsi magis in hisce, quam in illis titulis daris complacere volens, ipsam non matrem, sed mulierem appellabat. Vnde cum S. Ioannes etiam ob continuam cum sublimi hac Domina conuersationem, & quotidianum cum illa conuictum, huius suæ submissæ indolis non esset ignarus, ideo vt illi huiusmodi nomine complaceret, noluit illam Dei matrem, Angelorum Reginam omnium hominum Dominam, aut alio quouis titulo, sublimibus priuilegiis suis magis appropriato appellare, sed mulierem vocauit: *Mulier amicta sole.*

Ioan. 2. v. 4. Ibid. cap. 19. v. 26.

Aut Addit Gloss. ibid.

2. *Mulier.* Præterea, sicut nomen matris Dominum significat, quod mulier super hominem à se genitum obtinet: ita nomen mulieris subiectionem significat, quam mulier sub viri imperio habet: atque ideo S. Ioannes, vt profundam Deiparæ humilitatem insinuaret, vtpote quæ cũ vt S. Lucas dicit, Diuinum sibi filium subditũ haberet

beret. *Et erat subditus illis*, non tamen se erga illum vti mater, hoc est, vt Domina gessit, sed vt ancilla & ministra se gessit, non vero matrem appellare voluit, *Mulier amicta sole.* Estque hoc verbis ipsiusmet Virginis in gratiarum actione, quam in domo S. Zachariæ Deo reddidit pronuntiatis conforme, nam postquam ab Elisabeth cognata sua mater Dei agnita fuit, ita Canticum suum exorsa fuit. *Magnificat anima mea Dominum.* super quem locum sanctus Antoninus obseruat, quod Beata Virgo in verbis illis, Deum Dominum vocet, ad eum modum, quo omnes alij eum appellare consueuerunt. Vndè quærit quâ ratione fiat, quod cum Deo admirabili huius Virginis vtero homini facto eiusdem Virginis Pater, Filius, & Sponsus fieri placuerit ipsa nihilominus in solemni hac pro tot receptis fauoribus gratiarum actione, illum non Patrem, Filium aut Sponsum appellet, sed Dominum: *Magnificat anima mea Dominum.* Et diuinè prorsus respondet; *Non dicit Sponsum, non Patrem, non filium, quamuis quodlibet eorum dicere potuerit verè sed tantum dicit Dominum, vt omni via proprias laudes fugeret. Si dixisset Sponsum, in multum se laudaret, si dixisset Patrem vel filium aqua laudis esset: sed dicit Dominum, quod est relatiuum ad seruam & ancillam.* quasi dicere vellet. Ingens Deiparæ Virginis humilitas, quamdiu ipsa inter homines vixit, adeò fuit magna & admirabilis, vt impossibile sit similem in quacunque alia persona quantumuis sancta & perfecta reperire. Nam ne vel in minimum quid incideret, quod humillimo animæ suæ sensui de se ipsa præiudicaret, ipsa quoque quæ dicere decreuerat verba priusquam ab ore egrederentur, attentè regulabat. Vndè cum Deum iure meritissimo Patrem, Sponsum & Filium appellare potuisset, vtpote vera Sponsa, Filia, & Mater Dei verè existens: nihilominus quia periculum erat, ne si fortè Deum aliquo ex his nominibus compellaret, maximè verò nomine filij, quo Deum dominio suo subiectum esse declarasset, vti reuera dignatus est ei subijci, in animo suo quadantenus extolleretur, nullum horum nominum vti voluit; contenta nimirum si eum Dominũ suum tantummodo appellaret *Mulier amicta sole.* non *Mater amicta sole.*

Luc. 1. v. 41.

S. Anton. p. 4. tit. 1. c. 28 §. 3.

3. Quodsi conformiter ad mentem Ruperti Abbatis, visionem hanc per somnium quod Ioseph Patriarcha de personæ suæ exaltatione vidit, declaremus, res hæc, vti credo, longè fieret clarior magisque perspicua. S. igitur hic Patriarcha referebat circum se visum sibi esse Solem, Lunam, & stellas, quæ flexo illum poplite adorabant: *Vidi per somnium, quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me.* Atque hæc eadem astra Sol, Luna, & stellæ, Deiparam quoque Virginem circumstant. *Amicta Sole. Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.*

Rup. Ab. in cap. 1. Apoc.

Gen. 36. v. 9.

Nunc insuper videamus, num ab eisdem luminaribus, sicut & Ioseph fuerit adorata. Quod illam Luna, hoc est, Ecclesia adorarit, nullam patitur difficultatem; hæc enim ad sanctos eius pedes deuota, supplex & inclinata prouoluitur. *Luna sub pedibus eius. Iam te mater misericordiæ* (ita eam Sanctus Bernardus de Ecclesia loquens affatur: *Per ipsum syncerissima mentis affectum tuis iacens prouoluta pedibus Luna, mediatricem sibi apud Solem Iustitiæ constitutam, deuotis supplicationibus interpellat, vt in lumine tuo videat lumen, solis gratiam tuo mereatur obtentu.* Quod autem eandem quoque simul stellæ, idest, Angeli adorarint, nullus etiam dubitabit. Cum enim ipsa illorum electa sit Domina & Regina, opus est, vt suæ quoque satisfecerint obligationi, ei nimirum, quam erga Dominos suos habere solent omnes vasalli. Sola quæ occurrere possit difficultas, Solis adorationem spectabit, idest eam quæ à Christo illi exhibita sit, qui cum ratione naturæ Diuinæ similis sit Elephanti, hoc habet, quod sicut omnes creaturæ sibi genua flectunt, eumque adorant; ita ipse nulli alteri inclinetur. His tamen nequicquam obstantibus, ego inuenio Christum sanctissimam Matrem suam adorasse, non in terra solum, verum etiam in cælo. Sanctus Antoninus dicit Beatam Virginem, dum adhuc in terris inter nos ageret, Diuinum suum & vnigenitum filium in secretum cubile suum nonnunquam secum adduxisse, ibidemque coram eodem sese prosternere, ipsumque adorare volentem, ab eodem

S. Bern. serm. super signum Magn.

eodem, qui vt Deus idipsum præuidebat, præuentā & primitus adoratā fuisse. Qua de re ipsa vehementer intra se afflicta, eidem filio suo dicebat: non decet vt Deus mulierē adoret. Cui ipse respondit. Tametsi non deceat vt Deus mulierem adoret, decet tamē, vt filius adoret matrem: *Illa dicebat: Deus meus non decet Deum fœmina inclinari; sed ille dicebat tamen istud decens est, matri filium subdi.* In cælo quoque ipsam post gloriosam eius Assumptionem adorauit, prouti tradit sanctus Bernardinus: *Reuerentia filiali vt matrem dignissimam, eam dicitur adorasse.* Vndè sanctus hic Doctor, quasi adorationi huic præsentialiter astitisset, Deum coram vna muliere genibus flexis prostratum attendens, insolita quadam admiratione correptus, sic Christo dicebat: *O bone Iesu, Omnipotens sempiterne Deus, quid est, quod mulierē adoras?* q. d. Tune Omnipotens Deus, qui ob Maiestatis tuæ sublimissimam Celsitudinē, à summis magnæ illius cælestis curiæ spiritibus coleris & adoraris, mulierem reueteris & adoras? cui Christus: *Volo eam meritò adorare, quia adorandam efficit meritum humilitatis, nam in ea fuit humilitas incomparabilis.* q. d. Non sit tibi mirum si me adorare mulierem videas, adeo namque eius in hoc mundo adhuc degentis humilitas profunda fuit & alta, vt iam in cælis super Angelos exaltata mereatur, vt coram ipsa Deus ipsemet se inclinet, eamque adoret. Adeoque sol circum Deiparam visus, eandem haud secus ac sol ille, quem Ioseph Patriarcha viderat, ipsam reuerebatur & adorabat, profundamque ipsius demonstrabat humilitatem, propter quam digna facta fuit, quæ tā immensos reciperet honores, non in terra duntaxat, verum etiam in magna cælorum curia, in Angelorum omniumque electorū Dei præsentia. *Amicta sole.*

S. Anton. p. 3. tit. 31. c. 4. §. 2.

S. Bernar. to. 3 serm. de Assum. ar. 2. cap 2

4. *Amicta sole.* Deipara Virgo sole, id est, Deo incarnato amicta conspicitur, Sole diuino & æterno, sole non tali qui deforis eā circumdaret, sed sole quem vtero suo concluserat & circumdederat, cuius cælestes radij, quos intus vibrabat, foris apparebant & lumine eam immenso vestiebant. Vndè vt sanctus Ioannes diuinum hoc sacramentū explicaret, subiunxit: *Et in utero habens.* Vndè S. Bernardinus admirabili cum subtilitate profundam B. Virginis elicit humilitatē, in nulla persona alia, tam in cælo, quam in terra hactenus obseruatam. Pro cuius explicatione maiori, vniuersum mundum magnæ cuidam sphæræ assimilat, quæ multos & varios habet circulos, quorum vnus intra alterum in circuitu centri sui ordinate collocatus sit atque dispositus. Per illos autem Circulos, res creatas, tam corporeas quam intellectuales, per Centrum vero Deum intelligens, ita discurrit. Sicut circuli sphæræ alicuius, quanto magis à Centro recedunt, tanto maiores & ampliores apparent, quanto vero ad Centrum propius accedunt, tanto augustiores & minores demonstrantur: simili modo res creatæ, tanto apparent maiores, quanto magis procul à Deo absunt, sicut econtra tanto minores videntur, quanto Deo magis sunt propinquæ & vicinæ. Adeo vt res corporeæ, quæ primum huius sphæræ circulum efformant, eo quod à Deo plus aliis sint remotiores, maiores quoque à nobis esse conspiciantur. Hac sequuntur vegetatiuæ, quæ alium circulum efformant, sed minorem primo. His paulo intimius succedunt creaturæ sensitiuæ, quæ vtpote centro, id est Deo propinquiores magis quoque abbreuiantur. Intra quarum ambitum subingrediuntur creaturæ intellectuales, quæ cum proximius aliis Centro approximent, circumferentiam quoque suam longe magis diminuunt. Tandem inter hæc omnia Beata virgo apparet, quæ ex prærogatiua quadam speciali, Deum adeo proxime stringit & amplexatur, vt Deum inter & ipsam, nihil omnino sit intermedium, quod interponatur: siquidem ipsa non solum mentis suæ affectu, verum etiam sacratissimi vteri sui vinculo promeruit, vti Ieremias dicit, ipsum circumdare & circumplecti: *Mulier circumdabit virum.* Vnde ob hanc rationem opus est, vt in suo de semetipsa sensu humillimam, se & veluti minimam creaturarum quæ in hoc mundo vnquam extiterunt, exhibeat: *Inter hac omnia,* concludit Sanctus Doctor: *Beatissimum facit circulum Beata Maria, qua per mentis deuotionem arctius Deum constringit, & inter beata viscera clausit & portauit.* Cuius admirabilis humilitatis Deus coram oculis totius mundi, publicam facere

Ierem. 31 v. 22.

S. Bern. Hom. M art. 2. c

cere

cere voluit ostentationem, cum ipsam diuinum centrum suum immediate cingere & circumdare demonstrauit. *Breuissimum facit circulum.*

5. Videamus nunc qua ratione luna, pedibus eius supposita, idem nobis mysterium explicet. *Luna sub pedibus eius.* Elegantia & pulchritudo passuum Deiparæ Virginis, quam Deus summe admirans in sacris canticis tantopere, laudauit: *Quam pulchri sunt gressus tui filia Principis in calceamentis!* (Cant. 7. v. 1.) nisi ego fallar inde procedebat, quia videlicet lunæ passibus ambulabat, vti illam S. Ioannes vidit; *Luna sub pedibus eius.* Vtique sæpius animaduertistis, qualiter luna, dum à sole procul remota est, pulchra resplendens, luminisque plena demonstretur, vbi vero ad solem magis appropinquauerit, obscura, deformis, & veluti in nihilum redacta videtur. Tales erant Deiparæ virginis in humilitatis virtute progressus, vt veluti cum luna progredi videri potuerit. *Luna sub pedibus eius.* Quanto enim Diuinæ summi solis sui sphæræ propinquior videbatur atque vicinior, tanto se humiliorem obscurioremque se exhibebat. Adeo vt dum in illa hora qua Deum in sacratissimum vterum suum recepit, adeo stricte cum Deo vnita esset atque coniuncta, vt propinquior illi fieri nequaquam posset, non solum se æstimauerit seruam & ancillam Dei. *Ecce ancilla Domini.* Verum etiam se in nihilum redactam esse confessa fuerit, prouti in cælesti suo dicebat cantico; nam vbi nos legimus: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*, alij vertunt *nihileitatem ancillæ suæ*. Ex qua re magnæ huius Reginæ nostræ ingens humilitatis abyssus facile colligi potest, quæ vno eodemque tempore, quo in summum Regnum exaltabatur, seruam & ancillam sese profitebatur. Neque id cuipiam mirum videatur, ipsa namque lunæ passibus gradiebatur: *Luna sub pedibus eius.*

6. Refert Pierius Valerianus Pythagoram lunam non solum appellasse cælum terrestre, vti diximus, verum etiam terram cælestem: *Pythagoras enim lunam modo terram cælestem, modo terrestre cælum appellabat.* (Pier. lib. 44.) Vnde cum Deo Sanctissimam matrem lunæ circulo ornare placeret, demonstrare voluit, ipsam lunæ persimilem esse, id est esse veluti terram quandam cælestem, sicut enim cælo nihil altius reperiri valet, nec terra quicquam humilius, sic quoque B. Virgo postquam Dei electa est mater, ad sublimiorem gradum exaltari non potuit; dumque se in eodem tempore seruam quoque reputaret & ancillam in humiliorem se locum demittere & profundare non poterat. Erat igitur instar lunæ, seu terra quædam cælestis, sicuti luna. *Terram cælestem.*

7. *Luna sub pedibus eius.* Sanctus Apostolus non refert se lunam supra pedes eius vidisse, sed sub pedibus illius. *Luna sub pedibus eius.* idque vt demonstraret, Beatam virginem Deiparam de rebus huius mundi contrarium habuisse sensum, qualem nimirum alij homines non habent. Scribunt Historiæ Arcades lunam super calceos portare consueuisse, idque ad insinuandum antiquas ipsorum diuitias, & nobilitatem cuiusuis alterius nationis nobilitate longe esse maiorem. Eccui autem obsecro ingens istud ornamentum maiori cum ratione debebatur, quam Deiparæ virgini, vtpote tali, quæ à progenitoribus adeo opulentis, potentibus, ac nobilibus, à Patriarchis nimirum descendit, quæque à Regibus atque Prophetis suam trahebat originem. Et tamen ipsa tanquam viscerosissima humilitatis amatrix, bona illa & diuitias, quas mundus tanta cum efficacia quærit, & æstimat, nihili faciens, pedibus suis conculcat, & contemnit. *Luna sub pedibus eius Beata Dei Genitrix*, inquit S. Bonauentura: *Lunam sub pedibus habet, quia cuncta temporalia despexit.* (S Bonau. in spec. virg.) quasi dicere vellet. Quia luna Hieroglyphycum est Diuitiarũ, honorum, & dignitatum huius mundi, quarum Deipara, quoadusque vixit, adeo gloriosa contemptrix fuit, ideo iam nobis super cælos exaltata exhibetur, pedes super lunam habens & veluti illam calcans: *Luna sub pedibus eius.*

8. Sicuti necessum fuit, vt luna quæ sub pedibus eius videbatur eo tempore quo ipsa in cælo sole apparuit amicta, sese ab oculis terræ huius occultaret & absconderet, ita coram oculis eorum qui in cælis sunt tota lucida & lumine plena videri debebat ad eũ modum quo luna soli facit, quando illum Eclyp-

Eclypsat, & pedibus suis premit. Ita quoque tametsi Deipara in admirabili hoc spectaculo admirabili quodam lumine à cælorum incolis visa fuerit conspicua, attamen coram oculis hominum obscura repræsentabatur & caliginosa, idque ob humilem Beatissimæ virginis conuersationem & mores, quibus quamdiu inter homines terræ huius viuebat, erat prædita. In eodem namque tēpore, quo Angeli cælestes Diuinos splendores, quibus Deus illam, ad cuiuslibet alterius creaturæ inuidiam, circumdederat, considerantes, eandem ingenti cum stupore admirabantur & celebrabāt, homines eandem, veluti vulgarem quandā & humilem personam, contēnebant, nihilique æstimabant. Modestis enim humillimisque motibus suis diuinorum fauorū lumina quibus abundabat, à cuiuslibet hominis oculo occultabat.

9. Denique quia vt Pierius dicit luna terra dicitur; *Terra enim lunaris globus esse perhibetur*, Luna clarum esse poterit virtutis humilitatis Hieroglyphicum, nam *Humilitas* secundum interpretationem Iacobi de Valentia; *dicitur ab humo quæ est terra, quæ est infimum elementum*. Beatissima ergo virgo Deipara super luna veluti super basi quadam argentea cælum versus se erigente sese exhibens maiorem honores suos ostentare, illorumque præcipuum fundamentum explicare voluit, nec non insinuare fundamentum illud super quo tantopere à Deo sublimata & honorata fuit, non fuisse fidem, charitatem, virginitatem, aut aliam quampiā virtutem ex alijs quibus anima illa gloriosa plene perfecteque dotata erat, sed humilitatem, ob quā Deo in tantū placuit, vt ipsam ad sublimissimum Diuinæ maternitatis gradum exaltare voluerit. Vnde super cælestis cantici sui verba, vbi exaltationis suæ causam assignās dicit: *Quia respexit humilitatē ancillæ suæ*, dicit B. Laurentius Iustinianus: *Non ait respexit virginitatem, non innocentiam, non virtutes cæteras, sed humilitatem tantum, vt manifestaret, quantum præemineret reliquis, quantumque Deo placeret humilitas.*

Pier. lib. 44. — *Iacob. de Valentia super Magnif.* — *B. Laurent. Iustin. de vita solit. c. 14.*

10. *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* In Demonstratione humilitatis Deiparæ per amictum solis, & per calceos lunæ significatæ corona stellarum simul concurrit. Vnde sciendum est solemnem Regis cælestis morem esse, vt omnia plane contrario modo æstimet & tractet ab eo quo nos æstimamus & tractamus. Vnde quos nos æstimamus magnos, hos ille æstimat & tractat veluti paruos, & econtra, quos nos paruos reputamus hos ille tanquam magnos honorat & tractat. Vnde cum Regem Saulem valde elatum videret atque superbum, eidē dixit: *Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus est*, ac si aperte dicat, inquit S. Bernardinus: *Magnus fuisti quia despectu tibi, sed nunc quia magnus tibi factus es & despectus mihi.* q.d. Cum tu te paruum reputares, & tanquam talis à Regno fugiebas, ego te magnum æstimaui, tibique Regnum concessi: postquam autem magnum te iudicare teque diademate regio dignum esse credere cæpisti, ego te veluti paruum & corona regia prorsus indignum abieci, qua etiam breui spoliandus eris. Vnde sequitur B. Virginem coronam cælestem optimo iure promeruisse, quando in oculis suis adeo erat humilis & abiecta, vt ancillam se reputaret, *Ecce ancilla Domini* opus erat vt apud Deum magna esset, dignaque quæ Regina fieret, magnumque illud cælorum Diadema in capite suo ferret. *In capite eius corona*. Vnde S. Bernardus inquit: *Merito facta est nouissima prima, quæ cum prima esset, omnium sese nouissimam faciebat, merito facta est omnium Domina, quæ sese omnium exhibebat ancillam. Merito denique super Angelos exaltata est, quæ infra viduas & pænitentes, infra etiam eam, de qua eiecta fuerant septem Dæmonia ineffabili sese mansuetudine inclinabat.*

1. Reg. 15. v. 17. — *S. Bern. ser. 9. in Pente. in princ.* — *S. Bern. ser. super sig. Magn.*

CONSIDERATIO III.

Ego sum lux mundi.

Mirum non est Deiparam virginem humano generi adeo addictam esse, ex quo ipsa intra se solem subtus se lunam & in capite stellas habeat.

1. CVm lux pellens tenebras, & diem illuminans, ab igne nascatur, & procedat, ideoque stellæ, à quibus lumen super terram descen-

descendit, à Statio igneæ vocentur.

Stat. 1. Theb. *Ignea multiuago transmittit sydera lapsu.*

Ipsaque sacratissima Virgo Deipara mater sit illius qui lumen est mundi, quo nomine semetipsum in hoc Euangelio dignatus est appellare dicens; *Ego sum lux mundi*, per necessariam consequentiam inde concluditur, ipsam nil aliud quam ignem esse; ignem inquam amoris & beneuolentiæ erga nos miseros egenosque homines, quos haud secus ac filios proprios amat, pronaque voluntate complectitur. Vnde ad maternam hanc viscerosamque affectionem manifestandam, corpore tenus in sphæra solis, pedibus super Lunam consistit; caput denique stellis circumdatum esse cernitur.

Amicta sole. Obseruandum imprimis, qualiter cælum in hac visione Matrem Domini sui, non in vna tantum corporis parte, sed per totum corpus solis sphæra circumdatam & amictam esse demonstret. Vnde S. Ioannes hoc vocabulo *amictus* vti voluit, quod pallium aliquod totum corpus vestiens & tegens significat, & dixit: *Amicta sole*, hoc est a capite ad pedes vsque tota cooperta & immersa est in sole. Anaximander Philosophus opinabatur, vti refert Plutarchus: solem ingentem quandam sphæram esse, ad instar fornacis alicuius, plenam igne. Et sancta Ecclesia quoque ipsum igneam rotam appellat.

Plutar. de placit. Philos. lib. 2. c. 1.

Quarta die qui flammeam
Solis rotam constituens.

Cum igitur Regina nostra rotæ huic igneæ totaliter inclusa sit. *Amicta sole*, adeò ipsa tota accensa fuit & inflammata, vt ne vnica quidem sui pars reliqua esset, quæ in hunc magni amoris sui ignem transformatam non esset. Equidem non ignoro, multos Dei amicos promeruisse, vt diuino hoc igne inflammarentur, verum in vnica duntaxat corporis sui parte. Sic Isaias in labijs ignem accepit; Apostoli in capite; denique vir ille similis filio hominis in capite primo Apocalipseos in pedibus: at verò Deipara tota flammis fuit immersa, atque à capite ad pedes vsque accensa, totaque in ignem transformata fuit, adeò vt nihil in ea reperiri potuerit, quod tepidum, aut frigidum esset. Hanc consequentiam sanctus Bernardus ex eo elicit, quia matrem Dei in sphæra solis collocatā vidit; *Iure Maria sole perhibetur amicta, vt luci illi naccessibili videatur immersa, illo nimirum igne Propheta labia purgātur, illo igne Seraphim accenduntur: longe vero aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis vndique & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sane sed & calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid aut non feruentissimum liceat suspicari.*

S. Bern. super sig. Mag.

2. Ad hoc idem mysterium Isaias Propheta respiciebat, quando de B. Virginis Natiuitate scribens, dicere voluit: *Egredietur virga de radice Iesse* De radice Iesse nascetur virga quædam, idest, Beata Virgo, quæ virga dicitur, quia florem nobis produxit Paradisi, Christum Dominum nostrum; nec non quia antiqui serpentis caput contriuit. Denique quia populi Christiani gregem versus ouile cæli dirigit & gubernat. Verum obseruandum radicem hanc ex Iesse natam esse: *Egredietur virga de radice Iesse*, quod nomen in sermone latino *incendium* significat. *Incendium*. Idque ad insinuandum ipsam vehementi illi amoris igni qui in corde huius magnæ Reginæ erga Deum & homines continuo ardebat, adeo esse immersam, atque ad illum feruoris pertigisse gradum, vt in ipsomet incendio nata & genita fuisse videatur, neque vnquam aliquid habuisse quod igneum non esset. Vnde B. Petro Damiani dicere placuit: *Beata Maria ignea natura fuit*, quasi dicere voluisset. Non est mirandum, quod in pectore huius Dominæ nostræ tantus amor ardeat, quando ipsa naturæ est igneæ, vtpote in igne concepta, in igne nata, & quasi cælestis quædam Salamādra in igne nutrita, semperque in igne vegetata. *Ignea natura fuit*.

Isa. 11. v. 1.

Petrus Damia. in serm. de Epiphan.

3. Hinc est quod Sanctus Bonauentura illam Sacræ coniugi Abrahæ assimilare voluerit, non tantum ideo, quia sicut ipsa peperit Isaac, qui *risus* interpretatur, ita ipsa risum quoque peperit, qui in terra homines, Angelos in cælo lætificauit. Verum

rum etiam quia hoc nomen *Sara* in latino sermone idem significat quod *Carbo* accensus scilicet & inflammatus. Et subiungit: *Hoc benè Mariæ conuenit, quæ tanquam Carbo ardore charitatis ignea fuit.* Nomen profectò admirabili huic Virgini satis conueniens & proportionatũ, ipsa namque nihil est aliud, quam viuus quidam & accensus Carbo in camino positus, amoris & charitatis igne totaliter circumdata. *Amicta Sole.*

S. Bonau. in spec. sup. Benedicta.

4. Idipsum quoque Spiritus sanctus in duobus Canticorum diuinorum locis proponere voluit, dignis nimirum, quæ in hac consideratione bene ponderentur. Primus est in capite 7. vbi sponsus comas sponsæ laudans easdem purpuræ cuidam assimilauit: *Coma capitis tui sicut purpura Regis.* In qua comparatione insinuare volebat, Comas eius rubicundas fuisse, purpura enim rubeum colorem refert. Et reapse vti refert Albertus Magnus: Capilli Deiparæ hunc colorem referebant. Et si causam scire vultis, ob quã capilli Deiparæ, non sint aurei, aut flaui coloris, aut alterius tincturæ, qualis in aliarum mulierum capillis videtur, sciendum est, quod sicut rubedo, vti Medici docent, ex calore, sicut albedo ex frigore nascitur, ita colores medij ex vtriusque qualitatis commixtione dependent. Vnde capilli albi ex frigido temperamento gignuntur, vti in senibus videre licet, in quorum vertice, quia calor naturalis in ijsdem sensim tepescit & extinguitur, cani plurimi videntur. Capilli coloris medij ex calido per frigus temperato, quales sunt flaui. Rubri denique ex solo calido temperamento nascuntur. Quia igitur in Deiparæ Virginis pectore perpetuum quoddam flagrabat incendium, quod nullam vnquam vidit frigoris permixtionem, ideò comæ illius non flauæ, aut albæ, sed ad similitudinem purpuræ rubræ esse describuntur. *Comæ capitis tui sicut purpura Regis* siquidem vis amorosi illius ignis, qui in eius pectore dominabatur, tam ingens erat, vt nulla vnquam se ibi prodiderit frigoris permixtio, quæ ipsum à summo gradu suo deijciens temperasset.

Cant. 7. v. 5.

Alber. Magnus super miss. est, c. 56.

5. Alter locus est in Cap. 4. vbi spiritus sanctus labia eius dilaudans, dicebat: *sicut vitta coccinea labia tua,* quasi dixisset: ô dilecta mea, quoties te ante Maiestatis meæ thronum præsentari, atque ad intercedendum pro hominibus genua tua te flectere, tuasque preces exponentem video, tuaque interea labia attentius considero, videntur mihi labia tua vittæ cuidam de cocco pulcherrimæ simillima esse: *sicut vitta coccinea labia tua* Notandum autem quod coccus ob coloris similitudinem, quam cum igne habet, vt vult Origenes, à doctis tanquam symbolum quoddam ignis accipiatur. Quando igitur Spiritus sanctus labia sponsæ matris suæ cocco similia esse dicebat: *sicut vitta coccinea,* inferre volebat illa ignea esse flammasque vomere inferre volebat. Verum enimverò vndè hic ignis ad labia huius cælestis Virginis peruenit? Ex internis eius visceribus, dicit Gilibertus Abbas: *Concepta in corde charitas, quasi ignis flammigerans coccineo colore labia inficit, quæ erumpit.* Quia cor eius sicut accensa quædam fornax erga nos, quorum succursu & subsidio preces suas explicabat, perfecti amoris igne plenum erat, ideo quotiescunque pro nobis intercedens in dilecti Dei sui præsentabatur conspectu, ignis qui ipsam ad orationem illam faciendam impulerat, sursum ascendens, labia eius inflammabat. Vnde quasi duæ plicæ panni coccinei esse videbantur, aut velut duæ accensæ lampades, aut sicut duæ laminæ igneæ veluti portæ fornacis flammiuomæ ignis plenissimæ. Et meritò talis esse debebat, quæ in sphæra ignis collocata erat. *Amicta sole.*

Cant. 4. v. 5.

Gilbert. Ab. in Cant. ibi.

6. Ad probandum splendorem, quem B. Virgo è diuina facie sua, postquam mater Dei est facta, vibrabat; ob quem etiam S. Iosephus sponsus eius, eo quo solebat modo, eam aspicere & cognoscere non poterat, vti S. Matthæus dicit: *Non cognoscebat eam,* S. Vincentius propositione hac Philosophica vtitur: *Omne agens naturale, quantum dat de forma substantiali, tantum dat de accidentibus consequentibus formam, vt qui dat ignem, dat etiã calorem & splendorem.* Et subiungit: Cum igitur cælum cum in ventre sacratissimæ Virginis recluserit, qui Moyse teste, nihil est aliud quam ignis: *Dominus Deus tuus ignis consumens est,* vtique splendorem similiter eò reclusit, qui veluti proprietas ignem semper & vbique comitatur. Vnde faciem habuit instar solis semper splendescentem, adeò vt nullos suum in eam figere obtutum vlla.

Matth. 1. v. 24.

S. Vin. Fer. serm. 2. Vigil. Nat. Dom.

Deut. 4. v. 24.

vllatenus posset. Hoc igitur præsupposito dico, Quod si B. Virgo eo quod in virgineo claustro suo diuinũ recludebat ignẽ, & quasi sole vestita foris resplendebat, atque hac ratione se ex vnius ignis accidentibus factam esse participem monstrabat, oportebat quoque illam alterum eiusdem ignis effectũ similiter participare, vt simul etiã interius arderet. Nam qui ignem & simul illius accidentia donat, non solũ splendorẽ, sed etiam ardorem, qui alterũ est ignis accidens, illum semper & vbique concomitans, communicat: *Qui dat ignẽ dat etiã & calorẽ & splendorẽ.*

7. Quod si ignis illius, qui in Beatissima virgine ardebat, magnitudinẽ vultis cognoscere, ponderetis illa Isaiæ verba, quæ is per occasionẽ natiuitatis vnigeniti Mariæ filij enuntiauit, videlicet: *Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Per terram sitientẽ, de qua virga Dei incarnati mundo apparere debebat, Hugo Cardinalis Sanctissimã matrem suam intelligit: *De terra sitiente, id est de B. Virgine.* At vero quod si ita est, vti alias vulgo dicitur, quod Beata virgo sit terra quædã amplissimo cuidã aquarũ mari immersa, vnde nominata fuit Maria, quod idem est quod mare, quod est proprijssime particularis locus ille vbi omnes aquæ congregãtur, cur igitur Propheta illã nominat terrã sitientem? *De terra sitienti.* Ratio illius nomenclaturæ, inquit præfatus Cardinalis est magna illa sitis qua hominum sitiebat salutẽ: *Quia cum ad eã venit Angelus ipsa orabat salutẽ humani generis, quã sitiebat.* Tametsi nunquã creatura aliqua in mũdo fuerit visa adeo diuinarum gratiarũ abundans & saturata, quam ipsa, vtpote quæ sicut nomen illius declarat, mari cuidam videbatur immersa, nihilominus videns homines talium bonorum inopes & egenos, in semetipsam alienã transferens necessitatem, incredibilẽ bonorum hominibus necessariorum habebat sitim & desiderium; vnde nihil à Deo præterquã humanã postulabat & petebat salutẽ. Cum igitur ex molestia & vehemẽtia sitis, excessus arguatur caloris interius ardentis, opus quoq; erit ex siti & desiderio boni nostri, quo B. Virgo cõtinuo vrgebatur, amoris sui, quo erga nos interius, in materno dulcissimo corde suo continuo flagrabat & ardebat ignem concludere.

Isa. 53. v. 2.

Hugo Card. ibid.

8. Rupertus Abbas dicit, quod tempore illo quo dilectus virginis filius, vnum iam merumque vulnus toto corpore factus, proprio sanguini suo immersus, à crudeli & diro ligno pendebat moribundus, in afflicto Deiparæ virginis corde, velut in amplissimo quodam stadio, duo amores valde potentes per strenuum quendã continuumque inter se conflictum concurrebant, amor scilicet Filij sui & amor hominum. Ille innocentis Domini mortem nequaquam volebat permittere, quam hic gratanter acceptabat valdeque ambiebat, post longum vero duellum ex præsupposito diuinæ voluntatis beneplacito erga homines amor viribus maioribus præualens, vicit eum quem erga filium suum habebat amorem, sicque complacuit vt crucifigeretur: *Optabam quidem vt non moreretur talis dilectus, sed amplius desiderabam humani generis salutem.* Obseruate obsecro ignis amoris, quo erga nos in animata isthac fornace flagrabat, excessum; tametsi enim amor erga Diuinum filium infinite magnus esset, attamen amor ille quo erga nos maternum pectus eius exarsit, viribus longe præualuit: Imo immensum illud tantorum dolorum pelagus, cui ob hominum amorem in horrido passionis suæ tempore immersa erat, tantæ sitis incendium non solum extinguere non potuit, verũ maiora potius inde incrementa accepit: *Amplius desiderabam humani generis salutem.* Et subiungit S. Antoninus quod si postquam Deus vnigeniti sui mortem determinauit, nemo repertus fuisset qui ipsum adegisset in Crucem & occidisset, magnum autẽ illud & cruentum Crucis sacrificium Benedictæ matri fuisset cõmissum, ipsa vtique tum ob conformitatem quã cum Diuina voluntate habebat, ne in ista virtute Abrahæ vllatenus cederet, tum etiam ratione amoris quem erga homines gerebat, nullam ad impositum sacrificium proprijs manibus suis exequendum moram fecisset: *Ita proximum dilexit, quod si defuisset qui filium crucifixisset, ipsa pro salute humani generis eum cum manibus suis in cruce posuisset.* Hi sunt tanti amoris effectus, qui non nisi ex ampla quadam ingenti igne repleta fornace oriri potuerunt.

Rup. Ab. lib. 1. in Cant.

Antoninus par. 4. to. 15. c. 17. § 4.

Denique Deus illam sole vestire voluit, ad significandum ipsam eodem modo quo sol

sol erga homines se gerere. Vnde est quod in canticis quoque soli comparetur. *Electa vt Sol* Sicut enim sol vt dicit Macrobius Leoni persimilis est, eo quod apertis semper ignéque spirantibus oculis mundum aspiciat. *Leo oculis patentibus atque ignitis cernit semper, vt sol patenti igneoque oculo terram conspectu perpetuo atque indefatigabili cernit.* Ita quoque magna Dei parens, haud secus ac sol nec horam nec momentum elabi sinit, quo oculis apertis hominem non respiciat aut illuminet. Quodsi oculi isti, ita exigētibus peccatis nostris, vel vna tantum vice clauderētur, Ecclesia æque misera foret, quam esset mundus destitutus sole. Vnde Hugo Cardinalis dicit: *Tollatur sol & est miserabilis mundus, tollatur B. Virgo, & est miserabilis Ecclesia.* Insuper ad similitudinem solis ipsa nos quoque igneis oculis intuetur. Sicut enim sol illuminans mundum, & vitam ei impertiens, merita hominum nequaquam respicit, adeo vt huic subueniat, ab altero autem radios suos subtrahat, sed æqualiter & absque vlla personarum differentia cursum suum ordinarium perficit, suosque fauores impertitur, ipsamet incarnata sapientia dicente: *Solem suum oriri facit super bonos & malos.* Haud secus magna hæc Regina nostra facit, inquit S. Bernardus: *Ea est quæ velut alterum solem induit sibi, quem admodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur; sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitatibus amplissimo quodam miseratur affectu.* Ipsa instar solis non respicit, num hic sit sanctus, & gratijs suis dignus, ille vero peccator & indignus, sed indifferenter auxiliatur & subuenit omnibus; tam iustis quam peccatoribus, & æquali cum affectu necessitatibus omnium expetitum subministrat remedium: quod idem est, ac si oculis eos igneis respiceret. specialis namque amoris proprietas est, rei damatæ non videre defectum, tametsi alias defectuosa sit & vitijs obnoxia. *Delicta non videt vis amoris*, inquit S. Petrus Chrysologus.

Macrob. Satur. lib. 1. cap. 2.

HugoCard in cap. 26. Ecclesiast.

Matth. 5. v. 45.

S. Bern. super sig. Magnum.

S. Petr. Chrysol. ser. de duobus filijs.

10. Quodsi potest sub pedibus eius lunam respiciamus: *Luna sub pedibus eius*, similiter ad affectuum amorosi ignis illius, qui in eiusdem Reginæ nostræ pijssimo corde flagrabat, notitiam perueniemus Nam lunam sub pedibus suis tenendo demonstrare velle videtur, quod dum ad succurrendum nobis in necessitatibus nostris, ad nos venit, iter illud ad nos institutum, tanta cū festinatione & velocitate expediat, vt lunam inequitare videatur, cuius velocitas, vt dicit Macrobius, nobis præ aliarum stellarū velocitate notior est & manifestior *claritate sui & velocitate notabilior est*. Vnde illud Deuteronomij illi applicare possumus. *Equitans cælum in auxilium tuum.* Vtpote quæ vt ad porrigendum nobis auxilium tanto magis pro nobis sit sollicita, velociores cæli equos inequitat. Nondum vinum in Nuptijs Canæ defecerat, sed deficiebat, seu deficere incipiebat. *Deficiente vino*, inquit S. Ioannes, quando amantissima Domina manum ad porrigendum remedium extendit. Nōdum cognatæ suæ Elisabeth ex præcursore Christi grauidæ perceperat necessitates, cum ecce ad illi velociter subueniendū veluti aduolauit. *Abijt in montana cum festinatione.* Imo communiter experimur, quod licet preces nostræ in cælis virgineis auribus nondū insonuerint; aut insonare potuerint, cum tamen exauditos nos & consolatione plenos inuenimus. Neque hoc mirum videatur, cū ignis amoris alas amātibus addere soleat. Vnde etiam alatus depingitur.

Macrob. de som. lib. 1. c. 18.

Deut. 33. v. 26. Trāl septuag.

Luc. 1. v. 39

11. Quodsi demum in fine duodecim stellis in capite coronata conspiciatur: *Et in capite eius corona stellarum duodecim*, cum stellæ nihil sint aliud quam *sempiterni ignes*, vti illas Cicero appellat, dubitare non licet, quin Deiparam veluti flammiuomum quendam Æthnam exhibeant, qui cum intus plenus sit igne, capite ornatus conspicitur flammis vndique cincto. Vnde infra ipsam poni posset Epigraphe illius, qui monte hoc pro deuotorum affectuum suorum Emblemate vtens, hæc ei verba subscripsit: *Foris legitur*, hoc est, qualiter ego intus ardeam, foris legitur. Simili modo Deipara apparet capite cælestibus ignibus circumdato, vt hac ratione foris legeretur, qualiter ipsa erga nos ardeat interius.

Cicero in somn. Scipio.

12. Præterea ne in nocte huius sæculi in præcipitiū corruamur inferni, dux noster esse voluit; ideoq; tot secū faculas defert,

quia

quia sole, Luna, & stellis ornata conspicitur. Ad quod munus S. Methodius Martyr respiciebat, dum illam hoc magnifico nomine,
Metod. mart. apud Canis. lib. 1. c. 2. *Fidelium fax* appellabat. Et S. Epiphanius: *Nubes columnæ similis, quæ Deum habes qui populum perduxit per desertum.* Quasi dicere vellet, sicut Deus Hebræis ne veram terræ
Epiphan. promissionis perderent semitam, ducis loco columnam dedit igneam: Ita quoque nobis, qui per obscuram huius vitæ noctem cælum versus contendimus, ne à vera semita deuiemus te amantissimam Dominam ducem nobis tribuit, quæ sole vestita, calceata Luna, & stellis coronata tot luminibus ad ciuitatem nos gloriæ perducas. de laud. B. MARIÆ.

SERMO XXXIII.

In Dominicam Quintam Quadragesimæ.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

Ioan. 8.

1. Tametsi virtutes quæ in anima Regis cælestis Christi Domini nostri, veluti in amœnissimo quodam horto regio, ad instar elegantissimorum florum, cum vniuersali cæli terræque lætitia conspiciebantur fuerint innumerabiles & infinitæ: sanctitas tamen, veritas & mansuetudo, quæ quasi totidem Lilia super alios virtutum flores eminebant, ipsam longe pulchriorem & venustiorem reddiderunt. Ad quarum elegantiam & pulchritudinem Dauid in compositione Psalmi 44. respiciebat, dum illi veluti præfixo pulcherrimo quodam Liliorum serto hunc titulum formauit, & scripsit: *Pro Lilijs.* In discursu autem ex parte sua qualia illa Lilia sint demonstrans, nominauit, veritatem, mansuetudinem & sanctitatem:
Ps. 44. v. 5 *Specie tua & pulchritudine tua, intende prospere, procede, & regna. Propter veritatem & mansuetudinem & Iustitiam. Sunt ergo Lilia,* inquit S. Bernardus: *ex quibus species decoris*
S. Bern. ser. 70. in Cãt. *eius; procede,* inquit, *& regna propter veritatem & mansuetudinem, & iustitiam, Lilia inquam orta de terra micantia super terram, eminentia in floribus terra.* Cumque ob hæc ornamenta ab omnibus qui ipsum nouissent, merito amari, reuereri & celebrari deberet, peruersi tamen Hebræi illum odiebant, abhorrebant, & ad mortem vsque persequebantur; vti in præsenti Euangelio dicitur. In quo S. Euangelista Ioannes recenset, quod Dominus noster in infamis populi huius præsentia, admirabilium florum istorum egregium proposuerit specimen. Et primo quidem sanctitatis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Postea veritatis: *Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi?* Denique mansuetudinis quando ab ipsis Dæmoniacus appellatus suauiter respondit: *Ego Dæmonium non habeo;* ipsi vero truculentiores magisque furibundi effecti lapides acceperunt, vt ipsum occiderent: *Tulerunt lapides vt iacerent in eum* Vnde perspicue apparet, quam sit ingens odium illud, quo homines scelerati & impij alios sanctos & virtuosos prosequuntur, & quidem illos præcipue, in quibus tres illæ prædictæ virtutes relucere dignoscuntur, adeo vt ne ipsummet quidem

dem Dei filium sustinere & tolerare potuerint, prouti insequentibus discursibus videbimus.

CONSIDERATIO I.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

Homini peruerso maior Crux accidere nequit, quam sancti alicuius hominis consortium.

2. DIcunt Naturales, quod sicut color rubeus tauro est exosus, ita albus color abominabilis sit porco. Vnde sicut taurus ad mortem persequitur eum, qui colore vestitur rubeo, ita econtra porcus eum execratur qui albo colore induitur. Cum igitur homo in viciorum spurcitie defædatus & insordescens, porco fit simillimus: *Sus in volutabro luti*, hinc hominem albo innocentiæ colore vestitum execratur, & persequitur vti in Saluatoris nostri exemplo videtur, qui ob sanctitatem suam continuis à populo Hebræo persecutionibus infestabatur. Cuius ratio est, quia homo malus personam hominis sancti sustinere non potest, siquidem amarior in hoc mundo aut dolorosior Crux eidem euenire non potest, quam hominis alicuius virtuosi consortium.

2. Petri 2. v. 22.

3. Postquam S. Petrus admirabilem illam piscationem, virtute solorum verborum Dei & Domini sui Iesu Christi miraculose factam, atque à S. Luca cap. 5. descriptam vidit, non solum vehementer obstupuit, verum etiam admirabilem Domini & Magistri sui sanctitatem ex patrato miraculo vna ex parte agnoscens, proprium vero imperfectum altera ex parte cernens, illum vt à se discederet est deprecatus; Cum enim in hoc miraculo tanta illum sanctitate præditum esse cognouisset, bonam cum illo societatem inire non poterat, vtpote qui multis se defectibus obnoxium esse agnoscebat: *Exi à me, quia homo peccator sum Domine.* Vnde obsecro motus est sanctus Petrus dicit Iansenius, vt Christum è sua se societate recipere rogaret, cum potius peccatorem se agnoscens ipsum vltro abiturantem vt secum remaneret, rogare debuisset, eidemque vna cum Dauide dicere. *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me?* Et respondet: *Metuis ne ob commercium indignitatis suæ cum sanctitate Domini, vindicta sumeretur iniquitatum eius à Deo.* q. d. Ex quo Apostolus vna ex parte magnum se reputabat peccatorem, Diuini vero Magistri sui sanctitatem, agnoscebat ex altera, timebat, ne forte in Christi consortio perseuerando, fieret, vt peccata sua palam fierent. (Nam opposita iuxta se posita magis elucescunt) ipseque à Deo castigaretur. Tametsi S. Petrus vere sanctus fuerit, verbaque illa ex profunda sua humilitate permotus dixerit, in hoc tamen facto hominem peccatorem referebat, qui si lateri hominis alicuius virtuosi diu assistat, merito tamen ne ob innocentiæ illius splendorem scelera sua manifesta euadant, non solum ad lucem mundi huius, verum etiam coram oculis Dei; veretur enim, ne in continuo versetur periculo diu promeritum recipere supplicium; atque hinc fit, quod talis hominis abominetur præsentiam, commercium horreat, fugiat Societatem, eandemque magnæ crucis loco interpretetur.

Luc. 5. v. 8

Ps 37. v. 22 Iansen. ibi.

4. Similem quendam locum habemus in Genesi cap. 19 vbi Moyses refert, quod dum duo illi diuinæ iustitiæ ministri in procinctu essent, infamem Sodomam igne cælesti deuastandi & incinerandi, sanctum Loth magna cum precum instantia vehementer rogarint, vt suæ in vicino monte saluti & securitati consuleret. *Salua animam tuam, ne stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.* Quibus Loth plorans dicebat: *Non possum in monte saluari, ne forte apprehendat me malum & moriar.* q. d. Vt quid præcipis mihi saluare me in monte, quem ob maiorem ad cælum viciniam plus vereor & timeo, quam domum meam in Sodomis situatam si ita saluandus sum, minus quidem malum euadam vt in maius prolabar, in prunas incidam qui candentem declinare contendo sartaginem, & qui syllam euasi, inuoluar Charybdi. Ponderemus hunc locum nonnihil, & causam videamus, ob quam Loth montem hunc timuerit, prima namque facie

Gen. 19. v. 17.

cie videbatur quasi certum, quod vti ipsum quoque Angelus ipse certiorem reddebat, ignis ille in tantam altitudinem vsque sua non esset incrementa accepturus, vt proinde in mōte isto, ad quē remittebatur saluādus, nullam opus esset habere mali alicuius formidinem. Vera huius dubitationis, & formidinis, qua Loth afficiebatur, ratio adfertur à Nicolao de Lyra, qui nonnullorum Hebræorum Doctorum opinioni consentiens, vult Loth non quidem ignem pertimuisse, vtpote bene sciens, quod vti Angeli quoq; illi dixerant, ignis ille ipsum montis verticem nequaquam esset assecuturus, sed potius patrui sui Abrahæ valde formidasse præsentiam, siue viciniam, cuius tūc in mōte illo domicilium erat, timebat enim, ne si forte eidem nimis vicinus fieret, magni illius Patriarchæ sanctitas efficeret, vt imperfectiones suæ tanto citius omnibus palam manifestarentur, diuinaque iustitia ad earundem commoueretur vindictam *Timebat enim Loth, secundum expositionem Hebraicam, ne si veniret iuxta Abraham, qui erat sanctus, eius imperfectio magis appareret, & à Deo puniretur.* Loth enim, vti de S. Petro diximus, dubitabat, ne forte esset peccator, atq; ideo ne sua reuelarentur & castigarentur peccata, omnibus viribus, ne in sancti & iusti patrui sui incideret consortium & societatem cōtendebat; vnde ne ab igne offenderetur, magis se reputabat securum si in Sodoma remaneret, quam si consortio se hominis innocentis ingereret. Patet igitur qualiter homines scelerati omnibus neruis in hoc adlaborent, vt à sanctorum præsentia procul absint; Et casu quo in illam incidant, timentes ne scelera sua manifestentur & castigentur, illos oderint & abominentur, imo vt illorum consortium totaliter euadere possint morte nonnunquam afficiant.

Nicolaus de Lyra ib.

5. Super verba illa Psalmi 77. vbi Propheta de auibus illis agit, quas Deus populo Hebræo cælitus & miraculose, dum in deserto, esse depluit nimirum: *Pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.* Hugo Cardinalis ad sensum allegoricum accedens, per aues homines sanctos & perfectos intelligit, qui virtutum suarum pennis terram deserentes, in cælum sese extollunt. Et hanc explicationem suam ex eo magis confirmat, quia aues illæ non coturnices fuerint, vti alias multi opinātur, verum aliæ quædam aues, quæ à Gallis *aues regiæ* appellantur, quæ quantum sunt in occidente delicatæ & pretiosæ, tantū sunt in oriente viles & contemptæ. Quo nihil melius hominibus sanctis conuenire potest, vtpote qui in vitæ huius oriente communiter vilesiunt, inuisique & abominabiles existūt, cum tamen in occidēte mortis ab hominibus tanquam valde pretiosi honorentur & adorentur. Obseruandum igitur, inquit hic Doctor, Dauidem sanctos hosce homines arenæ maris comparasse. *Et sicut arenam maris volatilia pennata*, idque: *Propter ponderositatem, quia alijs sunt pondus.* Sicut enim arena res est grauis & ponderosa, ita homines sancti vitiosis & peccatoribus graues sunt & onerosi, adeo vt cum illis conuersantes, Athlantem aut Æthnam quendam humeris suis deferre videantur, neque se omnis molestiæ expertes esse credant, donec illis in terram prostratis mortem machinentur. *Quia sunt alijs pondus.*

Ps. 77. v. 27

Hugo Card ibid.

6. Ad hoc vt Noe experiretur, num Aquæ diluuij subsiderent, & cessarent super terram, coruum simul & columbam ex arca dimisit, cumque columba per oliuam ore latam responsum significans, in arcam esset reuersa, coruus in eandem nunquā deinceps redijt. *Dimisit coruum qui egrediebatur & non reuertebatur.* Verum qua ratione fiebat, quod columba in arcam redeunte, coruus tamen eo nunquam reuerteretur? Rationem S. Ambrosius assignat, dicens: *Egressus coruus non reuertitur ad iustum, quia euasisse se credit iniustus, tanquam de vinculis, cum iustus ab eius se consortio separauerit.* Cum coruus sit auis quædam carniuora, fraudulenta & vitiosa, ideo postquam semel arcam euasit, seque à sancti Noe societate procul remotam esse vidit, tormentum aliquod se euasisse existimabat, vnde ne in easdem iterato redigeretur molestias, in eius consortium nunquam redijt. Molestia enim quam peccator ex eo quod coram oculis hominis alicuius virtuosi conuersetur, sustinet, adeo est ingens, vt in equuleo quodam sibi videatur extensus, illamque fere intolerabilem æstimet.

Gen. 8. v. 7.

Amb. de Noe & Arca c. 17.

7. Mors innocentis Abel multos co-

git ad inquirendam causam, ob quam peruersissimus eius frater tantum committere scelus decreuerit, cum nullam ex parte sancti iuuenis occisi occasionem, per quam ad tantæ enormitatis executionem vrgeretur accepetit. Ne tamen hominem aliquem nulla data occasione occisum esse existimemus, ideo vera huius temeritatis causa ab Hugone de S. Victore adfertur, qui dicit: *Quia enim vita illius grauis ei fuerat, ideo ad mortem ipsius festinauit. Cruciabatur enim nequam conscientia quotidie contra se testimonium cernens vitam iusti, & quasi grauis ei ad videndum fuit, ex eius præsentia, sua condemnabatur malitia; idcirco auferre festinauit è medio.* q.d. Quia virtuosus & sanctus iuuenis ille, in eadem cum Caino domo commorari debebat, ideo vitæ suæ bonitate scelerato fratri suo Crucem & martyrium adferebat adeo graue, vt veluti in continuo tormento & afflictione vitam agens, neque ærumnam illam diutius sustinere valens eundem sine mora morte media è medio tollere decreuerit. *Cruciabatur enim grauis conscientia.*

Hugo de S. Vict. Miscel. l. 1. tit. 48.

8. Ad idem propositum S. Bernardinus respiciebat, quando hominem iustum sub stellionis symbolis intellectum esse voluit, sicut sub eodem symbolo Salomon illum in Prouerbijs suis exposuit: *Stellio nititur manibus, & moratur in ædibus Regis.* Stellio paruum quoddam animalculum est, lacertulæ persimile, vestitum pelle multis aurei coloris distincta maculis, quæ totidem stellæ esse videntur. Vnde sortitum est hoc nomen stellio. Similis animalculo huic est homo iustus, cuius anima tot stellis exornatur, quot virtutibus est imbutus. Subiungit autem S. hic Doctor animalculum istud adeo execrabile esse scorpionibus, vt ad solum illius conspectum timeant, tremant, sudent, & velut stupidi euadant *Scorpionibus adeo contrarius est, vt eo viso in pauorem & stuporem veniant, in tantum, vt sudore frigido perfundantur.* Et sequitur: *Merito per eum designatur perfectus homo, decoratus stellis & radijs virtutum & gratiarum; ad cuius conspectum qui male viuunt & timent, & sudore madescunt.*

Prou. 30. v. 28.

S. Bernard. de societate bona & mala art. 3 c. 1.

9. S. Loth animaduertens quod abominabiles Sodomitæ ad duos illos cælestes peregrinos, quos in elegantium spectabiliumque iuuenum forma hospitio susceperat molestandos, domum suam veluti obsidione quadam cinxissent, ad illos egressus est, tum vt ipsos à peruersa illa prætensione diuerteret, tum etiam vt a graui quod committere volebant scelere illos dehortaretur, & deprecatus est eos; illos autem ad monita sua surdos conspiciens, duas filias suas virgines quas domi secum habebat turpi & lasciuæ libidini suæ in prædam dare consensit, dummodo ab impio ac præpostero quod cæperant conamine desisterent. Ipsi autem in peruersa turpique voluntate sua solito obstinatiores facti, hisce seruum Dei inter alia allocuti sunt verbis: *Ingressus es vt aduena, nunquid vt iudices?* q. d. Ridiculo profecto res est, quam in hac Ciuitate nostra videmus! Nos te in consortium nostrum dum peregrinus atque ex aliena patria fugitiuus esses, tanquam conciuem nostrum recepimus, & nunc Iudex noster factus eris? Verum enimuero quamnam S. Loth Iudicis actionem in illos exercebat, vt ipsi verba ista exprobrarent? Ligabatne forte illos, aut torturæ subijciebat? aut vero ad eum modum quem ipsorum merebantur delicta, illos præsumebat castigare & mulctare? Quantum in scriptura legitur, nihil prorsus horum fecisse videtur. Cur igitur Iudicem ipsum appellabant? Oleaster dicit, quod tametsi Loth nulli harum actionum contra Sodomitas manum suam applicuisset, Sodomitæ tamen, vtpote qui Loth veluti hominem sanctum, & virtuosum obseruabant, ipsum reputabant tanquam Iudicem. Homo enim iustus & bonus in peruersorum hominum oculis talis esse videtur. *Mali quasi iudices torquentes ferunt bonos.* Ipsis namque videtur, quod dum eiusmodi hominem in suo habent consortio, imminentem sibi habeant rigorosum officialem, qui omni genere actionum quas alias Iudices & officiales exercere solent, illos crucient, affligant, & torqueant: *Quasi Iudices torquentes ferunt bonos.*

Gen. 19. v. 9.

Oleast. ib.

10. Moy-

10. Moyses Dei Chronista refert, quod conuiuio illi quod Ioseph Patriarcha fratribus suis instruxit, nonnullos quoque Ægyptios cum Ioseph manducantes interfuisse, qui tamen in mensa quadam ab Hebræis separata accubuerunt, cuius causam ex parte Ægyptiorum fuisse dicit, qui rem execrandam & abominabilem esse credebant, vni & eidem cum Hebræis simul mensæ accumbere. *Illicitum est enim Ægyptijs comedere cum Hebræis, & prophanum putant huiusmodi conuiuium.* (Gen. 43. v. 32.) Cur autem Ægyptij cum Hebræis simul manducare horrebant? Rationem huius Oleaster in loci huius explicatione obseruat. *Vide* inquit hic Doctor (Oleast. ibid) *quales elegerit Deus, quos scilicet omnes fastidiunt, & à quibus omnes abhorrent, quos mundus reijcit.* quasi dicere vellet: Ex quo Hebræi sancti, virtuosi, Deoque chari & grati erant, ideo Idololatris Ægyptijs adeo execrabiles erant, vt ne quidem lateri suo illos habere voluerint vicinos, haud secus ac si bonitas illorum illis vicinior facta, ali quod illis allatura fuisset damnum, aut incommodum: vnde ab illis haud secus ac à mortifero quodam contagio infectis, ne vitam perdant, cauere sibi solebant.

Hic est solemnis sceleratorum mos: nam inquit os aureum. *Semper contra virtutem insaniuit malitia* (S. Io. Chrysost. hom. 33 in Gen.) Et S Leo *Iniquitas cum Iustitia non habet pacem; temperantiam odit ebrietas; falsitati nulla est cum veritate concordia* (S. Leo ser. 9 in Quadr.) Sicut non est possibile inter oues & lupos stabilem inuenire concordiam, aut inter Elephantem & Draconem, aut Deum inter & Dæmonem, ita quoque inter virtutem & vitium nulla vnquam reperietur amicitia. Vnde dum aliquis in hominem euadit bonum & virtuosum, necessum est vt ense se accingat, vt contra sceleratos, qui quo adusque pedem suum in virtutum via constanter tenuerit, aperto illi marte sine vlla induciarum indulgentia, crudelia bella mouebunt confligere possit. *Iniquitas cum Iustitia non habet pacem.*

11. In libro Numerorum cap. 8. Moysi Deus ætatem determinabat, qua Leuitæ, Diuinæ Maiestatis suæ seruitio applicandi præditi esse debebant, & dicebat: *Hæc est lex Leuitarum, à vigintiquinque annis & supra ingredientur, vt ministrent in Tabernaculo fœderis,* (Num. 8. v. 24. Transl. Pagnini.) Pagninus vertit: *A viginti quinque annis egredientur ad militandum in opere tabernaculi.* Oleaster hunc locum obseruat & quærit. Quænam est ratio, quod Deus dicat, eos qui sanctis suis dedicantur seruitijs, domum suam ad militandum & pugnandum ingredi? Quænam conuentio aut similitudo Ecclesiæ cum stadio? legis, cum ense? Ministri Dei cum milite? obsequij Deo in templo exhibiti, cum seruitio militari quod exhibetur in campo. Et respondet: *Quis enim dicere queat, quot oppositiones, obiecta, contradictiones hodie patiantur, qui pie in Christo viuere volunt? Armatus videtur orbis omnis aduersus eos, qui se Dei ministerio tradiderunt; vt plusquam milites, imo & martyres oporteat esse eos, qui ad ministeria diuina accedunt.* (Oleast. ibid) Talis namque tantaque est rabies, qua scelerati bonorum persequuntur virtutes, vt nullam vnquam illos calumniandi & infestandi occasionem neglecturi sint, donec eos è medio sustulerint, ne in suo illos cogantur videre consortio: *Martyres oportet esse eos, qui ad ministeria diuina accedunt.*

12. Quod Ecclesia Psalmos graduales à Psalmo centesimo decimo nono qui incipit. *Ad Dominum cum tribularer clamaui,* (Ps. 119. v. 1) exordiatur id sine grandi mysterio, quod Ecclesia per hoc insinuare contendit, factum esse, nemo sibi persuadeat. S. Vincentius Ferrerius dicit solemne olim summo Hebræorum sacerdoti fuisse, Psalmos istos per singulos gradus recitare, donec sancta sanctorum fuisset ingressus quæ Gloriæ cælestis Paradisi sunt symbolum, ad quam per virtutum Christianarum gradus ascenditur, prouti alibi Dauid dicebat: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Syon.* (Ps. 83. v. 8.) Porro quia primus gradus, per quem ad summi boni acquisitionem ascenditur, est patientia. Ideo primus Psalmus ex

Gradualibus est: *Ad Dominum cum tribularer*, quo homo afflictionibus oppressus, hanc à Deo virtutem expostulat. Ratio autem ob quam primus ad gloriam gradus sit patientia, à S. Doctore assignatur dicens: *Patientia est primus gradus scalæ bonæ vitæ: ratio est, quia statim mundus bellat contra illum, qui incipit bonam vitam.* Probè enim nouit sancta mater Ecclesia, mundum armare se consueuisse aduersus eos, qui ad acquirendam animarum salutem, virtuose & studiose viuendo, scalam cœli conscendere contendunt, ideoque prima virtus, qua hominem indigere nouit, est patientia, qua veluti scuto quodam adamantino armari debet, ad sustinendas continuas malignorum hominum persecutiones quibus sine intermissione exercebitur, vtpote quem scelerati digerere aut cõcoquere nequeũt, quemque in sua societate habentes, crucem suam æstiment & martyrium. Quomodo ab ijs habitus est Christus Dominus noster, nam vti in præsenti Euangelio scribitur, Iudæi vt ab hoc sese liberarent martyrio, lapides temere arripuerunt, vt Christũ, qui spina in oculis ipsorum erat, vita priuarent.

S. Vincent. Fer. serm. 3 in Quinq.

Tulerunt lapides vt iacerent in eum.

CONSIDERATIO II.

Si veritatem dico vobis.

Adeo certum est quod in hoc mundo inter mendacia vitam transigamus, vt qui in hoc mundo verum dicere præsumit, nihil deinceps boni in eodem obtinere possit.

CHristus Hebræis dicens: *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* eosdẽ hunc in modum affari voluisse videtur: ex quo me in sermonibus meis semper adeo depræhendistis veridicum, vt nemo ex vobis vllius me hactenus mandacij arguere potuerit, cur nullam verbis meis fidem adhibetis, sed potius ira & odio me persequimini, ipsamque mihi machinamini mortem? cui equidem ipsi meo iudicio respondere potuissent: Ideo nos te odimus, persequimur, mortisque insidias struimus, quia veraxes & non mendax. Quæ porrò responsio rationi valde fuisset conformis, siquidem eousque malignitatis infamis iste mundus peruenit, vt sicut illi qui mendacia loqui gaudent felicem in omnibus progressum habent, sperare bene, commodissimeque viuere solent: ita econtra alij qui veritatem familiarem sibi amicam habent, timere & ne minimum quidem bonum sperare debent. Nunc propositionis illius rationem penitius attendamus.

1. Propheta Dauid de modo, quo cum hominibus mundi istius conuersari solebat, cum Deo tractans, inter alia dicebat: *Viam veritatis elegi*. q. d. In hoc semper gauisus sum, quod iuratus mendaciorum inimicus existens, veritatis semper viam inambulauerim, de cæteris nihil vnquam curando super quæ verba S. Ambrosius dicit: *Hoc non potest dicere qui negotiatur, non enim viam veritatis elegit*. q. d. Hæc quidem verba eius duntaxat hominis ori quadrant, qui sanctus verusque mundi contemptor existit, non vero ori hominis mundani & negotiatoris, qui huic semitæ pedem suum ingerere negligit. Verũ enimvero quænam est ratio, quod mercatores veritatem decliuantes mendacium diligant? ratio est, quia locupletari & honoribus adaugeri in hoc mundo volunt, quod assequi alia ratione non possunt, nisi odio veritatis & mendaciorum maximo studio.

Ps. 118. v. 30.

S. Amb. ibid.

Cum coram Torquato Tasso & nonnullis mercatoribus, aliquando tractaretur de laudibus virtutum, omnesque laboriosæ mercaturæ studio, studium præponerent literarum, vnus duntaxat è cæteris, qui contrariam sectaretur opinionem est inuentus, isque hac præcipuè ratione ductus; quod videlicet homines scientiis dediti & imbuti rarò videantur diuites & opulenti. Cumque hac super re Torquati etiam rogaretur opinio, hic respondit: homines verè docti nequeunt vlla ratione locupletari, eo quod nec mentiri, neque alios decipere aut circũvenire possint. Id quod tanta cum animi libertate ideo dicebat, quia compertum illi erat, quam procul mundus à vero abesset, & inclinaretur ad falsum, adeo nimirum vt veritatem veluti exitiosam detestetur, virtuosque homines, & veritatis amicos plane exhorreat, econtra verò mendaces & illos

Ioan. Masonella in vita Tass.

illos qui prorsus quid veritas sit, ignorant, amet & diligat. Vnde fit quod dum bonis & mundi huius facultatibus abundant, ingentem quoque adulatorum, ambitiosorũ, mendaciumque mercatorum aliarumque similium hominum turbam circum se videant, quibus nequaquam placet cum Dauid Propheta dicere: *Viam veritatis elegi*.

2. Diues Epulo in horrendo inferni incendio ardens, oculosque in cælum eleuans, Abraham Patriarcham conspexit, & precatus est illum, vt Lazarum, quem gremio suo tenebat, in domum Patris sui ad corrigendum fratres suos amandaret, ne & ipsi earundem quoque calamitatum, quibus ipse erat inuolutus, redderentur consortes: *Rogo te Pater, vt mittas Lazarum in domum Patris mei; habeo enim quinque fratres, & testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Obseruat hoc loco S. Ioannes Chrysostomus, damnatum hunc diuitem Abraham patrem suum appellare: *Rogo te Pater*, Lazarumque in domum Patris sui mitti velle: *Mitte Lazarum in domum Patris mei.* Vnde sciens hominem non nisi vnicum duntaxat parentem habere posse, diuitem hunc interrogat: Qui fit, quod dum cæteri homines non nisi vnicum tantum parentem habeant, tu econtra duos tibi numeres, in terra videlicet vnum, & alterum in cælo? Et mendacij illum manifestè coarguens subiungit: *Vide peruersitatem, nec in ipsis pœnis continet veritatem.* q.d. Vide quam promptum peruersus homo iste mentiendi habitum sibi acquisierit, vtpote qui ne in ipso quidem Inferno verum dicere noui. Nil itaque mirum quod tantus mendax; tantas quoque diuitias mundique commoditates in hoc mundo possederit: siquidem mundi bona ad illos tantum pertineant, in quorum ore nullum sibi veritas locum vendicat.

Lu 16 v. 17.

S. Ioan. Chrysost. conc. 1. de Lazaro.

3 Refert S. Ambrosius quod Isaia propheta in carcere cum periculo vitæ perdendæ detento, Dæmon apparuerit hisce illum verbis affatus: *Dic quia non à Domino locutus es, quæ dixisti, & omnium in te mentes affectusque mutabo, & qui minantur iniuriam, absolutionem conferant.* q.d. Quodsi ô Isaia libertati restitui desideras, vnum opus est ut facias, scilicet vt dicas mendacium esse omne id quod hactenus locutus es, hoc enim si feceris, ego mox omnium animos adeo inflectam, vt qui vitam tibi eripere studebant futuri sint tibi propitij, teque pristinæ restituturi sint libertati. At vero Sanctus Propheta in prima sua opinione immobilis perseuerans, pro veritatis amore potius vitam perdere, quam mendacium proferendo viuere voluit. Vnde S. Doctor subiungit: *sed ille gratius iudicauit pro veritate supplicium, quam pro adulatione beneficium.* Porro id quod ego in hoc facto accuratius nonnihil à vobis considerari velim, est quod Dæmon Hebræi populi animos mutare, & ex persecutoribus fautores facere, sancto prophetæ promiserit, dummodo mendax fieri vellet. Id namque promittere facile poterat, sciebat enim, quod vniuersalis omnium ærumnatum, quas seruus Dei patiebatur, causa esset, ea quam populo prædicauerat veritas, vtpote res mundanis auribus adeo abominabilis & exosa; vnde certus erat, quod Propheta contrario loquendi modo vtente, contrariam quoque persecutores eius accepturi essent resolutionem. Quisquis enim in mundo, veritatem dicendo, malum expectat, idem falsum dicendo bonum sibi promittere debet, siquidem mundus non minor est mendaicorum amicus, quam veritatis inimicus esse possit.

S. Ambros. in ps. 118. Oct. 2.

4. Videtur mihi proinde Dæmon eodem modo cum Isaia Propheta egisse, quo certus quidam aduocatus cum Torquato Tasso de quo iam iam locuti fuimus, egerat. Tasso namque ob certum quendam casum in carceres coniecto, Aduocatus quidam modum persuadere conabatur, quem in Iudicis examine, ad quæstiones sibi propositas respondẽdo obseruaret. Cumque inter cætera Aduocato multa quoque ori eius mendacia inserere volenti, Tassus diceret, responsiones illas veritati conformes nõ esse futuras. Aduocatus subiunxit, hunc nihilominus, & nõ alium respondendi modũ, ad euadendã imminentẽ sibi pœnam adhibendum esse, nullo veritatis aut falsitatis considerato discrimine. Tassus tandem ecquænam aut qualis pœna illa futura esset, interrogauit Cui cõsiliarius aut Advocatus pœnam illam mortis pœnam futuram respõdit. Quod magnus ille Tassus audiens subiunxit. *Nunquid magis ex-*

Ioan. Mansonella ibid.

expedit vitam perdere, quam mendacium dicere. Generosa equidem responsio, sed ex qua colligitur, mirum non esse, quod Torquatus Tassus inops semper fuerit & pauper, toties ab aulis repudiatus, persecutiones tam frequentes ab aulicis passus, maioremque vitæ suæ partem in carceribus contriuerit, siquidem tanta cum animi firmitate & constantia veritatẽ amarit, mendacium autẽ execratus fuerit, cum mundi huius bona alios possessores nesciant, quã homines mẽdaces.

Ps. 115. v. 2. 5. S. Basilius illa regij prophetæ verba: *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax*, obseruat & dicit: quod si quis scire desideret, quo in loco, aut qua sibi data occasione Dauid verba illa dixerit, obseruare debet, eum illa dixisse, dum in aula versaretur Regis Achis, vbi vt inuidorum aulicorum effugeret manus, stultum se fingere, & mẽdax fieri coactus est; *Tunc dixit, omnis homo mendax: etsi nõ voluntariè, neque in pernitiem proximi, sed vt inimicorum insidias vitaret, mendacium finxit.* (S. Basil. ibid.) Adeo vt Dauid tunc dicere voluisse videatur: Nunc verè cognosco, quantum mendacia in misero isthoc mundo ad bonũ aliquod obtinendum præualeant; siquidem ego ipse, qui alias veritatis deliquium tantopere abominor, coactus sum etiam inuitus, simplex aliquod pro saluanda vita mea componere mendaciũ, meque dum sapiens essem, fingere stultum, secus enim inter persecutorũ meorũ manus mori debuissem. vt inimicorũ insidias vitaret, mendacium confinxit.

6. Porro vt hodierno tempore prætensiones humanæ fælici bonoque claudantur euẽtu, homines nulla alia arte vti videntur, præterquam mentiendi arte; certi namque sunt, per hãc viam illos placere, beneque de omnibus conatibus sperare posse, veritatis econtra semitam ingredientem, nil nisi male sperare debere. Cum Rex Nabuchodonosor neminem inueniret, qui suum præteritæ noctis somnium ei interpretari posset. Daniel Propheta Arioch Regis aulicum cõuenit, atque ab eodem ad Regem petijt introduci, vt eidẽ de omni eo, quod scire cupiebat, plenissime satisfaceret. Hic igitur Arioch Danielẽ introduxit, & dixit ad Regẽ: *Inueni hominem de filijs transmigrationis Iuda qui solutionem Regi annuntiat.* (Dan. 2. v. 25.) q. d. Non est modica illa ô Rex quã adhibui diligentia & industria, vt aliquẽ qui interpretatiõi somnij perspicue faciendæ, vti Maiestas tua requirit, sufficiat, inuenirẽ. Nicolaus Lyranus verba illa: *Inueni hominem* diligenter attendit, vidensque quod Arioch non quæsiuisset Daniel, sed hic potius illum diu multumque inquisiuisset, seque illi vltro pro hoc munere coram Rege præstãdo obtulisset, quærit: cur Arioch tam perspicuum Regi obtrusit mendacium, & non potius negotium prout vere acciderat Regi syncere exposuit: Et dicit: *Hic modus est illorũ, qui assistunt Regibus, fingere illa se fecisse, quæ sciunt Regi placere,* (Nicol de Lyra ibid.) sciunt enim se hac via assequi posse quod prætendunt, & obtinere quicquid volunt, scribit Franciscus Petrarcha, quod cum duo ex Eminentissimo Cardinalium collegio, die quodam cum summo Pontifice collocuturi, in eius se Palatium recepissent, nec tamen ab eodẽ grauissimis negotijs præpedito audientiã obtinere possent, vnus ipsorũ alijs quibusdam præcipuis viris, eandem Palatij Antecamerã subingredientibus dixerit, sese iam iam post longum cum summo Pontifice habitũ colloquium, è conclaui eiusdẽ egressos esse, atq; pro certis quibusdam viros illos concernentibus negotijs, intercessores siue mediatores extitisse, eoq; rem deductã esse, vt omnia ipsis à summo Pontifice pro votis concessa fuerint, solã se literarum Apostolicarum expeditionem præstolari, atq; hanc illius, quam in Antecamera traherent moræ causam solam esse. Quo audito alter tã perspicuum & euidens admiratus mendacium, vtpote qui certo sciebat, neque tunc, neque multis alijs retro diebus, aliquam cum Papa loquendi facultatem ob nimiam negotiorũ multitudinem impetrari potuisse, audacter illa inuerecundè mentientem repræhendit, dicendo; An non te pudet quod tanta cum temeritate atque impudentia homines decipias? cui ille: *Imo verò te pudeat tam ingenio tardo te esse, vt curiæ artes addiscere tanto iam tempore nequeas.* (Francisci Petrarch. Epist. 16.) Qua in responsione hoc peculiariter obseruandum venit, quod mentiri ars appelletur aulicorum, quasi illa duntaxat arte viuerent, suumque statum sustinerent, qui absque illa fame alias morituri fuissent; Et reuera ita est; quisquis enim boni aliquid ab hoc mundo expectat, mendax vt sit oportet

tet, veritatis namque amici omnibus exosi, in manifesto versantur periculo ne fame emoriātur, nisi Deus illis alia via succurreret.

7. Atque hæc est ratio: cur ad Principum aures veritas nunquam perueniat, & cum Principum palatia quædam sint omnium bonorum Conucopiæ, huius tamen magni boni, patiantur inopiam, vti olim Lodouicus Franciæ Rex dicebat: *Se in suo Regno, & potissimum in aula rebus omnibus abundare, excepta re vna, videlicet veritate.* Quamobrem palatia templis Ægyptijs mihi videntur esse similia, in quibus Ægyptij falsos Deos Isidem & Serapidem adorabant, ad quorum templorum fores, statua quædam collocata erat, quæ superimposito ori digito, altissimum templa illa ingredientibus innuebāt silentium. Cuius rationem Sanctus Augustinus à Varrone allatam esse dicit, nimirum: *vt homines eos fuisse taceretur.* Tametsi Dij illi, qui in templis illis adorabantur, veri homines fuissent, deuoti tamen illorum adoratores nolebant veritatem istam palam fieri notam, ideoque ingredientes seruandi hac de re silentij commonebantur, adeoque statua illa eum præcipuè ob finem ad fores templorum illorum collocata erat, vt veritatem à templis procul arceret. Simili quoque ratione dubitandum non est, quin in aulæ cuiuslibet foribus, similis collocata sit statua, cuius munus sit, ab auribus Magnatum & Principum veritatem procul arcere & abigere. Quot regna & ciuitates amplissimæ tyrannicè à peruersis ministris administrari videntur, in quibus millenæ rapinæ exercentur, opprimuntur boni, scelerati exaltantur, diruptæ & conuulsæ sunt leges, nullus Iustitiæ locus est reliquus, vitia verò econtra passim inundant. Cur Rex aut Princeps ad quem talibus malis remedia adhibere pertinet, ad tantas enormitates dormit? cur ijs non prospicit? cur non euertit tyrannicum illud regimen, gubernatores seu potius tyrannos illos cum melioribus non commutat? ratio est quia in arcano Regis conclaui grandia mala ista nondum insonuerunt. Ad fores enim palatij certi quidam exploratores commorantur, qui propter ordinariam opulentorum donorū & munerum, quam à diuersis accipiunt prouisionem, quærelas adducere volentibus comminantur, præoccupant literas, easque supprimunt, lacerant memoralia, denique omnibus pro veritate introducenda instantias facturus ora claudunt & obfirmant, ne loqui possint, vel ausint; adeoque nūc in mentiendi arte se exercitando, nunc veritatem opprimendo, non tantum commode viuere cernuntur, sed etiam ad maiora sese indies promouent, donec altum, quod mente sibi destinarant, dignitatis assequantur fastigium.

Thesau. polit. lib. 3. c. 13.

S. August. de Ciuit. lib. 8. c. 5.

8. Nunc vlterius videamus, quomodo ij qui vatiniano mendacium odio persequentes, veridicos sese esse & dici amant & profitentur, omnibus sint exosi, tantasque in mūdo persecutiones patiantur, vt ne minimū quidem mūdi bonū promittere sibi possint. S. Paulus Apostolus Prædicator veritatis ardentissimus, Corinthijs scribens, dicebat. *Itaq; epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis synceritatis & veritatis.* Quasi dicere vellet: filioli mei, conuiuia nostra ordinata & frugalia esse debent, non qualia vult sensus, aut qualia mundus instituere cōsueuit, mensas carnibus alijsq; similibus ferculis onerādo, sed apponendo synceræ veritatis cibum pane azymo optimè conditū. Ad intelligendū, condimentum, quocum Apostolus veritatem manducabat, præintelligere oportet, condimentū, quocum Hebræi azymum panem manducabant, quod aliud non erat, quā vti in Exodo legitur, lactucæ amaræ atque agrestes. *Edet azymos panes cum lactucis agrestibus.* Amaritudo itaq; condimentū erat, quo cum Apostolus ferculum comedebat veritatis. Vix enim illā ad prædicandum & enunciandū ori suo ingesserat, cum ecce subito odiorum, inimicitiarum, persecutionum, aliorumq; mundanorū damnorū persentiscebat amaritudines, vt inquit S. Hieron. *Amara est veritas, & qui eā prædicant, replentur amaritudine. In azymis enim veritatis & synceritatis Domini Pascha celebratur, & cū amaritudinibus comeditur.* Vnde quisquis veritatis zelo ardet, non solum nullum sibi ab huius mundi hominibus bonum promittere debet, sed potius quoduis possibile & imaginabile malum: horrori enim, execrationi, & odio omnibus erit: *Amara est veritas & qui eam prædicant replentur amaritudine.*

1. Cor. 5. v. 8.

S. Hieron. lib. 2. aduers. Iouin.

9. In tertio libro Esdræ refertur Darij Regis

Regis cubicularios, quandam inter se quæstionem excitasse, nimirum quidnam esset in toto mundo fortissimum & potentissimũ. Cumque vnus vino palmam dedisset, alter Regi: tandem tertius illam mulieri & veritati deberi censuit. Quisnam obsecro fuit vir ille tam audax, vt in aula quadam tam splendida & magnifica, in qua ipsa experientia teste, veritas adeo est abominabilis & exosa, illam tamen non tantum nominare, sed & multis eam præconijs in altum extollere, nec non illam præ omnibus mundi rebus potentiorem fortioremque pronũtiare ausit? Sacer textus inquit fuisse virum quendam Hebræum, cui nomen erat Zorobabel: *Tertius qui dixerat de mulieribus, & de veritate, hic est Zorobabel*, Zorobabel secundum interpretationem Imperfecti in Latino sermone idem significat, quod *Fruitio postposita*. Quid igitur mirum, si omni timore excluso veritatem in aulam regiam introduxit, tantumque prædicauit, qui cuncta bona transitoria, quæ haud secus, ac defluentes aquarum torrentes defluunt, transeunt, atque perduntur, posthabuit & contempsit; nec in ulla re quam mundus conferre poterat, sperauit. Quodsi ad instar cæterorum Palatinorum Principis aut Regis prætendisset fauores, aut beneuolentiam ministrorum, aut aliquam in aula dignitatem, puta Regni gubernationem, siue integri alicuius exercitus superintendentiam, aut magnum aliquem titulum, galerum purpureum aut viridem, nequaquam sibi hanc ausus fuisset vendicare animositatem eo ipso namque quo cognouisset, quam execrabilis & exosa veritas sit ijs, quibus illum in similia loca introducendi plena erat potestas, simul etiam damnum agnouisset, quod veritas suis erat prætensionibus allatura. Siquidem mundi bona aliis non cedunt in proprietatem & dominium, præterquam solis adulatoribus, simulatoribus, alijsque eiusmodi mendacibus iuratisque veritatis persecutoribus.

Esdræ 4. v. 13.

10. Cum Redemptor animarum nostrarum pro decernenda ipsi mortis sententia, coram Præside Iudeæ Pontio Pilato examinaretur, accidit, vt respondendo aliquam veritatis mentionem faceret: *Ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.*

Ioan. 18. v. 37.

Pilatus igitur nouum istud & peregrinum vocabulum audiens, curiosus & cupidus fuit sciendi, quid significaretur hoc nomine *veritas*, & dixit: *Quid est veritas?* Mox vero quasi memor subito factus, quid veritas esset, non expectando propositæ Quæstionis responsum, ad tractandum cum Iudæis foras egressus est. *Et cum hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos.* Cur foras egressus est, nec modicum id præstolatus est temporis, quod pro audiendo propositæ Quæstionis responso requirebatur? Respondet Nicolaus Lyranus: *Voluit procedere ad eius liberationem.* q. d. Noluit Christum quicquam de veritate loqui, quia laborabat vt Christum à morte liberaret. Præuidebat enim, quod si Christus vel modicum de veritate mussitaret, futurum esse, vt non solum illum, vti facere contendebat, à morte non liberaret, sed potius cogendus esset, vt longe crudeliori illum morte mulctaret, quam illa erat, cuius postea condemnatus fuit. Per illam enim propositæ Quæstionis resolutionem, Christus facile, infamia illius aulæ siue curiæ scelera prodidisset, ac demonstrasset, nullum in eadem locum esse Iustitiæ, leges profunda obliuione sepultas esse, vitiũ honorari, præualere fauores, dona diligi, exerceri vindictas, pauperes spoliari, nullosque æstimari præterquam adulatores, parasitos, ardeliones, meretrices, mendaces aliasque similis farinæ personas, adeoque ob illum discursum, totam facile vna cum capite curiam aduersus Christum armandam, ac in extremum furorem redigendam fuisse. Atque ita Pilatus liberationem eius, quam procurare decreuerat, exequi minime potuisset. Vnde ne Christo ad eiusmodi sermonem faciendum vlla daretur occasio, nõ expectando responsum, foras egressus est. Vnde colligitur, quod quisquis de veritate tractare audet, non solum nullum sibi in mundo, quantumuis minimum bonum promittere poterit, verum potius quoduis possibile malum sibi accerset, semper enim omnibus exosus, contemptus & execrabilis erit. Prouti in hodierno Euangelio experimur, vbi filius Dei veritatis se prædicatorem declarando in manifesto fuit lapidationis & mortis periculo.

Nicol. de Lyra ibid.

CON-

CONSIDERATIO III.

Dæmonium non habeo.

Ideò mundus seruos Dei affligit, omnibusque ærumnis afficit, quia videt illos nec scire, nec velle malum pro malo reddere.

TErtium & vltimum lilium, quod inter maiores Domini nostri venustates resplendet, est mansuetudo, quam in præsenti Euangelio, corã inuidis Hebræis, vna cum sanctitate & Iustitia euidentissime manifestam atque conspicuam fecit. Tametsi enim Dæmoniacus summa cum temeritate esset appellatus, ob hoc tamen nequaquã est indignatus, neque de tam enormi se blasphemia vindicauit, sed mansuetè respondit *Ego Dæmonium non habeo.* Cũque illũ ad verborũ illorum sonũ admirari, laudare, & honorare meritò debuissent, ipsi inde potius ferociores, magisque temerarij & audaces facti, acceperunt lapides vt ipsum lapidarent. Solemnis nimirum hæc est infamis mundi proprietas, quod videntes seruos Dei nec posse nec velle se de malis receptis vindicare, eosdem tunc tanto animosius affligant, maioribusque tribulationibus & ærumnis afficiant, prouti ex sequentibus locis cuilibet facile est obseruare.

1. S. Ioannes Chrysostomus prodigiosas Samsonis vires considerat qui cum omniũ stupore inermis & solus integros inimicorum suorum in fugam vertebat exercitus, leonesque qui cuilibet, quantumuis generoso heroi, solo suo rugitu incutiunt formidinem, nudis & solis manibus sicut agnos lacerabat. Postea vero oculos suos ad victoriam illam detorquens, quam de prodigioso isthoc homine, Dalila, mulier timida, fragilis, excors, quæ sicut quæuis alia mulier, etiam pueri aut imbellis iuuenis alicuius viribus impar erat, reportauit, totus obstupefactus quærit: *Cui nec leones, nec alienigenæ poterant resistere, sua vxor prostrauit. vnde autem hoc potuit?* Quod si Samson adeo fuit validus, generosus & fortis, vt nec feræ, nec homines aliquod ipsi damnum potuerint accersere, qua igitur ratione mulier illum tanta cum facilitate vincere & sternere potuit? Et respondet: *Ex mariti bonitate*, quasi diceret: bonitas & mansuetudo, qua cum illam tractare solebat, sola omnis huius mali causa fuit. Quod si enim prima vice, qua se ab illa traditum & circumuentum esse aduertit, illam more viris cordatis consueto, egregiè delumbasset, aut saltem ad minus domo sua expulisset, haud dubiè huic ruinæ nunquam subiectus fuisset: At vero quia sustinebat illam, illi compatiebatur, noxasque commissas facile condonabat, & velut indiuiduam sibi sociam semper esse volebat: pessima hæc mulier ob solitam Samsonis bonitatem & mansuetudinem, nihil sibi mali metuens, animum denuò resumpsit, secunda & tertia vice illum iterato aggrediendi, donec vna cum capillis detõsis omni illũ generositate & robore exuisset, inque inimicorum suorum illum tradidisset potestatem.

S. Ioan. Chrysost. apud Anast. Sinaitam q. 63.

2. Postquam vxor Putiphatis, vt lasciuæ suæ satisfaceret cupiditati, castum Iosephum diuersis ad concubitum illicitum viis sollicitasset, tandemque oleum & operam se perdere aduertisset, facta est ex amante inimica, suamque noxam in innocentissimi iuuenis humeros exonerans, sequentibus illum apud maritum suum verbis accusare non dubitauit: *Ingressus est ad me seruus Hebræus, vt illuderet mihi, cumque audisset me clamare, liquit pallium quod tenebam, & fugit foras* quasi dixisset: habes profectò, ô marite, domi tuæ seruum admodum, si Dijs placet, honoratum & fidelem. Silere enim diutius nequeo, ipsum ad turpia & inhonesta cum ipso patranda me sollicitare non fuisse verecundatum, & nisi hodie tum meæ honestati, tum tuo honori prospexissem, mirum non fuisset, si ob violentiam, quam mihi intulit, in magnum prolapsa fuissem pessimi criminis errorem. Gen 39. v. 18.

S. Ambrosius hæc huius infamis fœminæ verba audiens, supra modum eius miratur inverecundiam & temeritatem, qua tot ausa fuit fingere mendacia, & innocentem iuuenem illius criminis accusare, cuius ipsa sola rea erat, atque culpabilis, cum potius ipsi metuendum fuisset, ne paulatim lasciuia eius proderetur, sanctusque iuuenis ille sese defenderet, clarisque ac perspicuis argumẽtis suam non minus innocentiam, quam eius impietatem comprobaret. Tandem ve-

to sanctus hic Doctor deprehendit, eiusmodi dubium aut perplexitatem, lasciuæ huius mulieris menti nequaquam obuenire potuisse, vtpote quæ per continuum cum hoc iuuene conuictum, familiatuque consortium, illum experta semper fuerat mansuetum & bonum, qui ab vnoquoque absque vlla sui defensione aut vindicta attentata sese affligi atque vexari libenter patiebatur. Vnde nihil sibi mali metuens, tanta cum iniustitia illum persequi non dubitauit: *Ipsa igitur quod celare debuerat, prodebat, vt composito crimine laderet innocentem: iustus autem accusare non nouit, ideo impune hoc impudica faciebat.* Quodsi infamis illa mulier sciuisset, Iosephum aliqua præditum animositate fuisse, ita vt non adeo facile irrogari sibi aliquam pateretur iniuriam, haud dubié non ita facile per iniustam accusationem seruum Dei affligere statuisset, sed timuisset vindictam. Quia vero illũ nouerat esse hominem virtuosum & sanctum, qui ob bonitatem suam malum pro malo nequaquam redderet, ideo illum falsa ista calumnia aggrauare non metuit. Vnde in cõmuni Prouerbio dicitur: *Qui oues euadit manducatur à lupo* Tandem vero sua quoque lupum peruersitatis suæ pœna, sicut & ouem mansuetudinis suæ præmium manebit.

S. Ambr. de Ioseph. c.5.

3. Tostatus argutè obseruat, quod eo ipso quo Aaron & Maria, ob inuidiam, qua ob fauores Moysi fratri suo à Deo præstitos agitabantur, in libro Numerorum contra dictum fratrem suum murmurasse referuntur, simul etiam de magni huius serui Dei ingenti mansuetudine particularis mentio fiat: *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Ideoque quærit: Quænam est ratio, quod de mansuetudine Moysis hoc potius in loco, quam in quouis alio particulari mentio fiat, cum tamen non defuerint plures aliæ eiusmodi occasiones, quibus eandem describere, aut aliquam saltem eius mentionem facere potuisset? Et respondet? *Ponitur ad ostendendum, quomodo Maria & Aaron ausi fuerunt murmurare contra Moysen, quia timere debebant, quod Moyses redderet illis vices, maledicendo eis, aut cum esset princeps populi, inferendo eis pœnam pro hac murmuratione:* Nunc vero nullum alicuius mali metum habebant, quia sciebant ipsum hominem mitem & mansuetum, qui omnibus benefaciebat, etiam ijs, à quibus damna recipiebat, atque ideo illum offendere aut male de ipso apud alios loqui minime dubitabant. Ob eandem rationem pauperes religiosi nullum in hoc mundo habent respectum, quin potius tum factis, tum verbis indigne à quouis homine tractantur; Cum enim quilibet sciat, quod sicut veri Domini sui imitatores, malum pro malo reddere nec possint nec velint, ideo nihili fiunt, sed nullo ipsorum respectu habito ind gne tractantur.

Num. 12. v. 3.

Tostat. ibid. q.3.

4. S. Chrysostomus super illum Actuum Apostolicorum locum vbi Sanctus Lucas Apostolum Christianæ religionis Zelosissimum defensorem nec non peruersitatis Hebraicæ impugnatorem acerrimum describit dicens; *Vehementer enim Iudæos reuincebat publicè ostendens per scripturam esse Christum Iesum*, dicit Qui fit quod Iudæi videntes S. Paulum Apostolum eodem spiritus ardore Christianam Religionem defendere, quo ipsorum confundebat & redarguebat incredulitatem, ipsum ad mortẽ vsque persequi non dubitarint; Cum tamen Apollo, qui eadem Apostoli consectabatur vestigia, nihil omnino mali intulerint? *Curnam huic quidem nihil fecerunt, Paulo autem insidiabãtur?* Et respondet: *sciebant autem quod ille Princeps esset.* q.d. Quia nouerant Apollo hominem esse magnum valde & potentem, ideo illi multum molesti esse non audebant, ne forte iuxta vires & potentiam suam se defenderet, atque de ijs se vindicaret. Vnde aduersus Apostolum totaliter se erigere, eundemque varijs ærumnis vexare cæperũt, cuius quod vulgaris conditionis esset, nullum omnino habebant timorem.

Act. 18. v. 28.

Chrysost. Hom. 4 ibid.

5. Vnde Salomon considerationi huic insistendo, certos quosdam homines valde impios introducere voluit, qui simul contra sanctum quendam hominem, coniurantes, hæc post multa alia verba dicebant: *Deglutiamus eum sicut Infernum* Quare non dicunt deglutiamus & deuoremus

Prou. 1. v. 12.

mus eum prout deglutire & deuorare solent homines, sed *sicut Infernum.* Rationem assignat Iansenius, qui dicit, quod per hanc comparationem: *significabant, id ad quod inuitant fore facile, nam difficultas multos retrahit à vitijs.* q.d. Hac similitudine vti voluerunt ad significandum, quod bonum illum hominem facillime & absque vlla difficultate aut contradictione vexare & affligere possent. Pro cuius faciliori intelligentia obseruandum est, quod sepulchrum (hoc enim Salomon per Infernum intelligit sicut in aliis quoque scripturæ locis per infernum intelligitur) non eodem, sed valde diuerso modo degluriat, ab eo quo homines deglutire solent. Cum enim homo piscem v.g. aut auiculam manducaturus, vtpote qui ossa & spinas in tali cibo timet, eandem cibum inconsiderate nequaquam manducat: sepulchrum econtra, vtpote quod nullum timere aut recipere damnum potest, clausis vt dicitur oculis, sine vlla appræhensa difficultate quicquid ori eius ingeritur, deglutit & deuorat. Quando igitur scelerati peccatores iactant se hominem sanctum deuoraturos, ad modum quo Infernus vel sepulchrum hominem deglutit & deuorat, non vero ad modum, qui in comedendo seruatur ab hominibus: *Deglutiamus eum sicut Infernum,* significare volunt, omni cum facilitate, & sine vlla mali alicuius formidine, se illum aggressuros, & pro libitu suo vexaturos absque eo quod per vllam incidentem difficultatem, ab eiusmodi vexis & molestijs tali homini inferendis, impediantur, idque ideo quia nimirum sancti & virtuosi homines non solum malum acceptum non reddunt, verum insuper malefactoribus quoq; suis benefaciunt.

Iansen. ibid.

6. Ad hunc quoque sensum Dauid Propheta respiciebat, quando Christi Domini nostri personam referens dicebat: *sicut Aqua effusus sum.* q.d. vexatus, contemptus, & abiectus sum sicut Aqua. Non sicut oleum, mel, balsamum aut sicut alij similes liquores, *sed sicut Aqua. Quia,* inquit, Doctor quidam modernus: *sine cura & circumspectione funditur aqua.* quod in aliorum liquorum effusione fieri non solet, sicut enim quando oleum, mel, balsamum, aut similis aliqua res pretiosa effunditur, quæ sui perditione magnum aliquod adferre damnum potest, id fit oculis apertis, magnaque cum consideratione & deliberatione, iurando ne quidquam illius, quantumuis modicum, perdatur & pereat: ita econtra dum aqua effunditur, quia ex illius, vtpote rei vilissimæ, effusione damnum nullum timetur, sine vllo respectu aut reflexione clausisque quasi oculis proijcitur, aut effunditur. Quando igitur saluator noster se ab inimicis haud secus ac Aquam male tractatum esse asserit: *sicut Aqua effusus sum*, non vero sicut alij liquores, insolitam Hebræorum in suis persecutionibus vult manifestare temeritatem, qui cum per continuam experientiam cognouissent, quam dulcis & mansuetus Dominus esset, vtpote qui ne vel minimo verbo de receptis se iniurijs vindicaret, viderentque proinde nullum esse vindictæ alicuius perpetiendæ periculum, ad instar hominis alicuius vilissimi, absque vllo respectu aut timore, pro insolenti libitu & arbitrio suo illum persequebantur & affligebant.

Ps. 21. v. 15.

Ioan Lorinus ibid.

7. S. Petrus ab effectu carnali aliquando instigatus, morti & Passioni amantissimi sui Magistri obicem ponere tentabat, quod cum Christo Domino non mediocriter displiceret, eidem dixit: *vade post me Sathana.* Hugo Cardinalis hunc locum ponderans rationem inquirit, ob quam Christus discipulum suum, ex omnibus quos habebat dilectissimum, Dæmonem appellare voluerit, cum illum alio quodam nomine non adeo probroso & horrendo appellare & repræhendere potuisset? Et dicit Christum non potuisse Petrum alio nomine compellare, eo quod is in hoc facto se non vt hominem, sed potius vt Dæmonem haberet. Et rationem assignat: *Etenim desiderium Diaboli non erat pati Christum.* Vnde postea Christo capto & compræhenso illũ ab inimicorũ suorum manibus omni studio conatus est liberare, sicuti illum per Pilati coniugẽ fecisse satis liquet. cũ igitur Apostolus in eundẽ Dæmonis scopũ collaboraret, opus erat illũ quoq; Dæmonẽ appellare.

Matth. 16. v. 23.

Hugo Card. ibid.

 pellare.

pellare. Verum hæc omnia bene probeq; dicta sunto; causam tamen scire optarē, cur cū Dæmon maiorem inimicum, & persecutorē Christo non habeat, sitq; adeo natura sua truculentus, & vindicatiuus, mortem tamen ipsi non solum non procurarit, verum etiam ipsum, dum iam iam moriturus esset, ex imminentibus ipsum tormentis soluere, vitamq; illi dare desiderarit? Respondeo igitur veram huius causam esse, nimirum id. Dæmonem ideo fecisse, quia sciebat, quod procurando Christo mortem, regni sui quoque procuraret interitum atque ruinam, vtpote quæ à magni huius Domini morte dependeret. Vnde colligitur, quod licet improbi & scelerati homines valde sint proni ad hoc, vt alijs nocumenta & damna inferāt, tamen si qui sint, à quibus sibimetipsis aliquod euenturum malum formidant, ne vel ad minimum talibus vnius pili damnum accersendum manus leuare non audeant, quia potius omnes suas calumnias & persecutiones illi duntaxat parti referuent, quæ nec vult nec scit, de receptis iniurijs aliquam sumere vindictam.

8. Principalis ratio, ob quam gentiles adeo truculenti Christiani nominis inimici, tot tormentis tam atrocibus, vt similiū extra infernum nulla vnquā fuerit experiētia, primitiuos fideles afflixerunt, ab ipsomet Christo Domino nostro, Apostolos suos ad Euangeliū suum prædicandū per orbem dispergente, hisce verbis explicata fuit: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Cur sicut oues, & non sicut alia animalia. Maldonatus dicit: *Oues mihi videtur appellare, quia inermes.* sicut enim oues non solum nulla ad alicuius offensionē arma habent, verū nec aliqua, quibus se ab aliunde ab alijs illatis defendant iniurijs: ita quoq; Apostoli alijq; Dei serui erant, quando cum Christiani nominis inimicis tractabant, siquidem non solum neminem offendere poterant, sed ne quidem à continuis contra ipsos omni hora excitatis persecutionibus præseruare aut defendere se valebat. Atq; hinc velut ex radice natus est ille truculentorum Tyrannorum, adversus populum Christianum tā temerarius ausus, horrendæ persecutiones, inauditaque martyria. Videbant enim sibi cum ouibus negotium esse, id est, cum eiusmodi viris, qui sese defendere nollent, quique in vnam maxillam percussi, mox ad recipiendam aliam alapam porrigebant & alteram. Probantes se hoc modo veras magni illius Pastoris oues, quæ in die illa, qua vnicuique operum suorum reddenda erit ratio, ob admirabilem māsuetudinē ad dexteram collocandæ erunt, vt larga in cælestibus remuneratione locupletentur quæ proinde nunc quoque oues dicendæ sunt: *Oues dicti, quia saluabuntur propter mansuetudinem,* inquit Origenes.

Matth. 10. v. 16.

Maldonatus ibid.

Orig. tract. 34 in Mat.

9. Traditori discipulo, qui sub mendacis osculi larua, Christum Dominū nostrū traditurus, atq; inimicorum suorum manibus consignaturus in hortū venerat, ad osculandū se iam inclināret, mansuetissimus Dominus dixit: *Iuda osculo filium hominis tradis?* S. Ioan. Chrysostomus hæc verba obseruans notat, non dixisse illi Christū: Magistrū tuum, Dominū tuum, Benefactorem tuum tradis? sed filium hominis. *Non autem dicit: Tradis magistrum tuum, tuum Dominum, tuum benefactorem, sed filium hominis.* Cur Dominus illi exprobare noluit, quod Magistrum suum, suū Dominum & benefactorem tradat? An forte suus Magister, Dominus, & benefactor nō erat? Id ipsum negari nequaquam potuit, sed dicit Sanctus Doctor hominē se duntaxat appellare voluit, vt magnitudinē mansuetudinis suæ insinuaret, quæ naturalis est hominis proprietas. Vnde existimat, quod dū illi dixit: *Tradis filium hominis?* quasi perspicue magis illi dicere voluerit: *Tradis hominē mansuetū & mitem?* q. d. Qua ratione possibile est, quod tu qui me cognouisti adeo piū & mansuetū erga te, cum alias ob scelera tua multo abhinc tempore te castigare, atq; in Infernū deturbare debuissem, nihilominus in manus inimicorū meorū, occidere me volentiū, tradere audeas? verū enimuero, hæc ipsa Domini nostri pietas & mansuetudo in causa fuit, quod peruersus ille discipulus Dominū hunc dulcissimū tam atrociter fuerit ausus offendere: Quod si enim Dominus ad primū scelus patratū, illum correpto flagello, iuxta suū demeritū castigasset, haud dubie nunquā deinceps tantas enormitates ausus fuisset committere. Veruntamen væ illis qui cum ad diuinæ pietatis conspectū emēdari debuissent, deteriores inde euadūt, quibus

Lu. 22. 48.

S. Ioan. Chrysost. apud Caten. S. Th. ibid.

bus vereor ne tandē idē eueniat, quod Iudæ ob tantæ mansuetudinis abusum accidit.

10. Tandem ad finem huius considerationis propius nonnihil accedamus, ad ponderandum quendam Apocalypseos locum, in quo S. Ioannes refert se vidisse librum firmiter clausum & sigillatum, & vocem quādam simul percepisse, qua manifeste dicebatur, neminem præter victorem ouantemque Leonem, librum illum soluere aut aperire posse: *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum.* Dumque iam Leonem visurus præstolaretur, ecce loco Leonis Agnum quendam vidit librum illum deinceps aperientem: *vidi, & ecce in medio throni agnum stantem; & venit, & accepit in dextera sedentis librum, & cum aperuisset &c.* S. Bernardus hanc Apostoli visionem, ab eo hoc in loco relatam considerans, haud mediocriter admiratus, dixit: *Leonem Ioannes audierat, & agnum vidit?* Quid hoc est? Expectatur vt veniat Leo, & loco Leonis comparet agnus? Dum autem paulo infra legendo, inuenit Angelos aliosque cælites, post apertum iam librum iubilantes, atque in laudem agni hoc canticum dicentes: *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam & fortitudinem,* iam motæ difficultatis nodum ita resoluit: *Dignus denique est,* aiunt, *agnus qui occisus est, accipere fortitudinem, nō mansuetudinem amittere* quasi dicere vellet: Nemo miretur, quod Ioannes Leonem se visurum credens, agnum viderit. siquidem vtrumque animal Christum in Resurrectionis statu significabat, quando admirabilis libri illius sigilla aperuit. Tametsi enim tunc vna ex parte, mortali fragilitate spoliatus, fortis, & potens vt Leo apparuerit, tamen altera ex parte solitam versus peccatores non deserens mansuetudinem, simul etiam se exhibuit agnum. Vnde colligitur, quod si Christus post suam Resurrectionem simul cum solita mortali fragilitate suam quoque exuisset mansuetudinem, adeoque sic fuisset leo vt totaliter agnus esse aut videri desiisset, neque in sufferendis hominum offensis, adeo fuisset mansuetus, & pius, sicut erat, dum inter nos mortalis viuebat, homines vtique ad easdem offensas obstinate iterandas adeo proni & procliues minime fuissent. Nunc vero, quia per continuam experientiam, mansuetudinem eius admirabilem cognoscunt, tanta patientia abutentes, sine vlla verecundia & timore, scelera sua vlterius protendere non desinunt.

Apoc. 5. v. 5

S. Bern. ser 1. in pasch.

11. Verum socordes illi & negligentes homines minimè attendunt, in maiorem ipsorum ruinam, & pernitiem, venturum aliquando diem, in quo exutis agni spolijs leo duntaxat apparebit, qua in specie, in die qua iudicaturus est mundū, palàm ab omnibus videbitur. Omnino mihi persuasū habeo, quod dū Christus intolerabilē talium hominum inuerecundiam de cælo respicit, qui in longanimitate & patientia sua nimium confidentes, frequentissime, nimisque turpiter illum offendunt, eadem illis verba dicere velit, quæ quondam Agesilaus Tachi Regi Ægypti dixisse fertur. Scribit namque Athenæus, hunc Regem ob res maximas, quas de Agesilao dici audiuerat, valde cupidum fuisse tum illum videndi, tum eius præsentia in aula sua gaudendi, ideoque ipsum magna cum instantia in Regnum suum introduci fecisse. Agesilao autem coram Rege præsentato, Rex qui sibi persuaserat, visurum se hominē grandem & procerum, è stirpe gygantæa oriundum, videns hominem claudum, statura breuem, facie turpem, cæterum vulgari veste amictum, illum contempsit, atque ad optimates suos conuersus, eisdem dixit: *Parturiuit mons, extimuit Iupiter, hic murem peperit.* Cui magnus Dux Agesilaus ex improuiso respondit: *Videbor aliquando etiam leo.* q. d. Ne me despicias Tachi dum in hacce me specie vides; erit enim aliquando tempus cum me tibi leonem exhibebo, & summe me timebis. Haud secus mihi Christus obstinato peccatori dicere velle videtur, videor enim mihi illum audire dicentem: O Homo stulte, atque peruerse, & mentis inops, qui me agnum, tanta cum patientia & mansuetudine tua supportantem peccata, & ne de continuis iniurijs quibus me quotidie offendis, vindictam sumam Iustitiæ meæ gladium suspendentem videns, peccata tamen peccatis, culpasque culpis cumulare non vereris. Eheu miserum te & infœlicem, quia veniet aliquando dies, quo non iam agnus, sed leo omnibus esse videbor, tunc

Athen lib. 4. cap. 4.

enim longanimis hæc mansuetudo mea in horrendum commutabitur furorem. *Videbor tibi aliquando etiam leo.* Quæ verba etiam in interno obstinatorum Iudæorum cordis fundo dicere poterat, quando admirabili sua mansuetudine abutentes.

Tulerunt lapides vt iacerent in eum.

SERMO XXXIV.

In Feriam II. Dominicæ V. Quadragesimæ.

Si quis sitit veniat ad me.

Ioan. 7.

S. Ambrosius per fontem Paradisi qui hortum illum deliciarum irrigabat, ornabat floribus, fæcundabat fructibus, illumque auro locupletabat & gemmis, ac deinde egrediens in quatuor brachia, quibus quatuor ingētia formabantur flumina *Phison* nimirum, *Geon Tigrin & Euphratem*, diuidebatur, animarũ nostrarum intelligit Saluatorem, qui omnes totius mundi homines, ad super cælestis gratiæ suæ aquas in præsenti Euangelio inuitat, referente id S. Ioanne, qui dicit: *Stabat IESVS, & clamabat dicens: si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Fons dicitur sapientia Dei*, inquit S. Archiepiscopus: *Fons enim est secundũ Euangelium dicens? Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Qui ob admirabiles, quos gratia sua producit effectus, in totidem simul flumina diuiditur, easdem proprietates habētia, quibus quatuor illa flumina Phison, Geon, Tigris & Euphrates quæ ex Paradiso scaturiunt, prædita esse noscuntur. Vnde vt aliquo saltem modo eorum, qui diuina amicitia facti sunt digni, diuinisque hisce aquis abundant, fælicitatem cõspicere possimus, non vos pigeat vna mecum sacrorum fluminum istorum aquas nõ dico traijcere; ille enim conatus, cum flumina illa mirum in modum profunda sint & rapida, vix erit possibilis sed pbambulare. Et primo quidē ad ripam seu littus fluminis Phison.

Gen. 2. v. 11

Textus.

S. Ambros. de paradis. 3.

CONSIDERATIO I.

Si quis sitit.

Tanta est Dei erga amicos suos prouidentia, vt dum peccatores fame moriuntur, hi panibus abundent.

PRimus fluuius, qui è Paradiso nascitur, & in mundo nostro conspicuus apparet, est Nilus, *Phison* à sacra scriptura appellatus quod in nostra lingua idem est quod *Abundantia*, quia, inquit Nicolaus de Lyra *terram per quam transit fertilem facit* Tam enim ingens est diuitiarum illarum copia, quam regioni illi quam alluit, secum adfert vt eandē omni bono adimpleat, & abundare faciat, clarum proinde ac perspicuum flumini diuinæ gratiæ, eiusdemq; naturalis proprietatis symbolũ. quod in fælicissimis animabus illis quibus est concessum non cœlestiũ duntaxat fauorum, verum etiam bonorum temporalium ingentem secum adducit abundantiã. Vnde haud infrequenter à multis obseruatur, quod dum infælices peccatores mori nonnunquam fame videntur, iusti semper perabundent.

Nicol. de Lyra in ca. 2. Gen. v. 1

1. S. Hieronymus argute considerat, quod quam diu filius prodigus in propria optimi Patris sui commoratus est domo, terra semper fuerit fæcunda & fertilis, tota circũ regio

gio pinguis copiosa, & abundans, annique tempora feliciter fluebant. At vero postquā stultus hic iuuenis, hæreditaris parte se contingente à Patre accapta peregre est profectus, mox mundū ab eo statu, quem in paterna domo reliquerat, deiectū & penitus quasi inuersum inuenit, vt fere vna cū alijs quibuscū morabatur, fame mori debuerit.

Luc. 15. v. 14. Ita enim S. Lucas ait. *Facta est fames valida in regione illa & ipse cœpit egere.* Quamobrē non mediocriter admiratus quærit. Vnde magna isthæc annonæ caritas & fames accidetit, quæ miserū hunc iuuenem adeo atrociter afflixit, quaque illū in domo Patris sui cōmorantē affligere non audebat. Accidit ne hoc anno isto mere casualiter & fortuito? aut euenit per infestā quandam cæli constellationē, aut per diuturum aliquē pluuiæ defectum; an vero erat ordinariū quoddam regionis illius malū, erat malū, adeo vt terra vtpote ex natura sua sterilis & infæcunda, homines terræ illius incolas continua fere fame afflixerit? Et respondet hanc sterilitatē naturale quoddam & ordinariū regionis illius malū fuisse, cui ob magnā quā à magno Patre nostro Deo habet distantiā, subiecta erat. Omnis namq; locus qui Dei est expers, famis sitis, & cuiusuis alterius mali, quod in mundo timeri possit flagello est aggrauatus.

S. Hieron. Epist. 146. ad Dam. *Omnis locus quem Patre incolimus absente, famis, penuria & egestatis est.* Quodsi igitur abundantia ex Dei præsentia nascatur, ergo quisquis in mortalis peccati statu viuit, & procul à Deo existit remot⁹, famis necessitate prematur & enecetur necesse est, & ecōtra quisquis in Dei gratia viuit, neq; à Diuina eius præsentia vel modicū recedit, necessario pane alijsque bonis abundare dicēdus est. Atque hinc accidit, quod peccatore fame intereunte, iustus cōmuniter pane alijsque bonis abundet, prout filius prodigus fœlicē seruis patris sui cōditionē quasi inuidēs dicebat: *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.*

Luca ibi. v. 27.

2. Origenes pulchra quadam cum subtilitate diuersitatem illam attendit, secundū quā sacra scriptura de fame regionis peccatorū & iustorū tractat. In Genesi enim vbi de fame illa agit, quæ septem illis sterilibus annis à Iosepho Patriarcha prognosticatis, totam affligebat Ægyptum, ita inquit: *Crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitque Ioseph vniuersa horrea & vendebat Ægyptijs, nam & illos oppresserat fames.* Famem vero Regni Chanaan in quo Hebræi Dei amici habitabant, postea describens, verba longe diuersa adhibet dicens: *Fames autem inualuit super terram.* Et obseruat, quod licet vno eodemque tempore fames tam in terra Hebræorum, quam in Ægypto æque inualuisset, fames tamen illa Hebræos nō afflixerit, sed tantum Ægyptios. De his enim dicitur: *Oppresserat illos fames. De illis autē: Fames inualuit super terram.* Vnde quærit quænam sit causa quod eum fames tā Hebræorū Regionem, quam Regnum Ægypti inuaserit, ex his tamen ambobus solos afflixerit Ægytios, non vero Hebræos, cum tamē vtraque gens vni & eidem prorsus flagello subiecta fuerit? Et respondet: *Non enim facile de Hebrais scriptum inuenies, quia obtinuit eos fames; licet enim scriptum sit, quod inualuit fames super terram. Quamuis enim veniat ad iustos fames, non tamen obtinet eos.* Tametsi regio illa, in qua serui Dei habitant, fame nonnunquam aggrauata videatur, flagellū tamen istud solos inuoluit peccatores, qui vna cum ipsis in eadem terra commorantur, iustos enim vtpote quibus nihil vnquā deest, quique ab amico sibi Deo larga manu continuo cumulantur, fames obtinere, aut inuadere non audet: *Quamuis veniat ad iustos, non tamen obtinet eos.*

Gen. 41. v. 56.

Orig. ibi in cap. 43. Transl. Septuag.

3. Inter alias Regulas quas Christi discipuli mundum perambulando, cælorumq; regnum prædicando obseruare debebant, vna hæc erat. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque peccuniam in Zonis vestris.* Rupertus Abbas præceptum istud considerans dicit: videri posset nonnemini, Christum hisce verbis toti mūdo testatum facere voluisse, se nullam habuisse temporalis salutis Apostolorum suorum curam, siquidem dum pro suis illos dimittit obsequijs & seruitijs, non solum illis de rebus, quæ per viam extremè necessariæ sunt, non prospicit, verum etiam illas secū portare districte vetat. Ecquomodo hi pauperculi homines, extremæ necessitatis tempore viuere poterant? ante illos enecare volebat, congruum certe videbatur quod cum ex vna parte nollet, vt peras in qui-

Matth. 10. v. 9.

quibus aliquam sibi panis prouisionem facere potuissent, secum deferrent, ex altera saltem parte merito minutum illis nummum aliquem permittere debuerit, quo, cum ea, quibus pro incidentium necessitatum ratione indigebant, procurare sibi potuissent. Et respondet, particularem Christi erga seruos suos curam & prouidentiam explicari nequaquam posse. Quando enim Apostolos Euangelij prædicandi causa per totum mundum distribuens, non solum nullam prorsus ijsdem prouisionem rerum necessariarum curauit, verum insuper particularem illis prohibitionem de non portando secum siue pane, siue pecunia imposuit, idipsum fecit, quia illos ne vel minimam similium rerum passuros esse necessitatem præsciebat. Nam *si totus fere mundus aliquando esuriat, & pane indigeat: iustum illum cuius in corde domesticum, cuius in ore familiare est verbum Dei, non videbis derelictum.* *Et verum est, quod scriptura dicit: Non interficiet Dominus fame animam iusti* q. d. si totus mundus fame affligeretur, & aliquot hominum millia præ inopia in pedibus ob nimiam inediam consistere non valentia, retrorsum caderent & morerentur: impossibile tamen esset hominem aliquem virtuosum & sanctum aliquam pati posse inopiam, quodsi enim non nisi vnicus panis esset residuus, suus ille futurus esset: aut vero si nullus etiam panis vspiam superesset, Deus illum vtique de cælo mitteret, prouti tot annis Hebræorum populo, S. Paulo primo Eremitæ, & centenis alijs seruis, suis paternè præstitit. Tametsi enim Deus seruos suos mille modis mori permittat, illos tamen fame mori nunquam sinit, *Non interficiet Dominus fame animam iusti.*

Rup. Abbas lib 8 c.9. ibid.

4. Deus olim Isaiæ Prophetæ promittebat, se eos, qui ipsum secuturi erant, non solum in campis planis, verum in publicis quoque platearum compitis pascere velle: *Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum.* Mirabilis valde est ista promissio, inquit Oleaster, & reuera in effectu talis videtur. Quod in campis inueniendæ essent herbæ & pascuæ, hoc quidem transeat, in talibus enim locis herbæ vnde animalia suum accipiunt nutrimentum nascuntur: at vero quod herbæ & pascuæ in vijs quoque publicis prodituræ essent, vbi vix progerminant aut nasci incipiunt, cum à pertranseuntibus subito etiam pedibus proteruntur & conculcantur, sicuti semini Euangelici Agricolæ accidit, id quomodo saluari possit, non video. At vero quia, vti dictum est, hic de seruorum Dei agitur nutrimento, credite mihi eandem pro ijs in vijs publicis annonæ reperiri abundantiam quæ in pratis. Nam vti hic Doctor inquit; *Vbicunque sunt serui Dei, ibi quæ sibi necessaria sunt habent. Ne ergo timeas in via Dei aliquid tibi deficere. quoniam via & montes tibi alimenta ministrabunt.* Quia in re innuitur, quod vbicunque serui Dei futuri sunt, siue in desertis locis maris, siue in asperis montibus, & in quocunque demum alio loco, vbi impossibile videri posset inuenire cibum, ibi semper panem victui suo necessarium quoque sint inuenturi. Impossibile enim est, vt panis eis deficiat, qui fideliter Deo inseruiunt; Deus iamque efficiet, vt in extremis talium necessitatibus, in vijs etiam publicis & montibus, pro talium seruitio panes sint adfuturi. *Quoniam via & montes tibi alimenta ministrabunt.*

Isa 49. v. 9.

Oleast. ibid.

5. Miraculum istud à Christo patratum, quando septem panibus, & pauculis piscibus, quatuor millia hominum, exceptis pueris & mulieribus, quorum longe maior forte numerus erat, miraculosè satiauit, quantum quidem ex responsione, Christo ingentem hanc multitudinem cibare volenti, ab Apostolis data colligi potest, in deserto exhibitum fuit. Dicebant enim Apostoli: *Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, vt saturemus turbam tantam,* Iansenius miraculũ istud bene considerans, causam inquirit, ob quam animarum nostrarum Saluator nobile istud miraculum, in deserto patrauerit, non vero in locis ab hominibus inhabitatis, in ciuitatibus nimirum, oppidis, pagis, villis, aut similibus alijs locis? Eandemque hisce verbis assignat: *Dominus hoc miraculo significare voluit, ijs qui sibi adhærent, etiam in deserto nullum necessariorum bonorum defuturum* q. d. Insinuare voluit, impossibile esse vt qui in gratia sua secum perseuerant, pane, aut alia quauis re ad humanam vitam traducendam necessaria egere, cum etiam in deserto, vbi est summa rerum

Matth. 15. v. 33.

Iansen. Concord. Euang. ca. 57.

omnium

omnium inopia, efficiat, vt panis illis abunde ministretur. *Etiam in deserto nullum necessariorum bonorum defuturum.*

6. S. Ambrosius Sanctissimum Carmeli Patriarcham Eliam Prophetam obseruat, qui toto illo triennio, quo horrenda adeo fames Hebræum populum oppressit, ab omnibus hominibus sequestratus ad ripam se recepit torrentis: nec non & Sanctum Danielem in duro & squalido carcere inter septem ferocissimos leones reclusum, & quærit: Quidnam miserrimo illo tempore, pauperes illi serui Dei faciebant? vnde sibi necessariam accipiebant vitæ conseruandæ annonam? Tametsi enim nonnemo inuentus fuisset, qui pietate motus Eliæ libenter subleuasset inopiam, eique voluisset succurrere, attamen propter vniuersalem annonæ caritatem nihil illis suppetebat, vnde id ipsum præstare possent. Neque Daniel à quoquam homine iuuari poterat, Quomodo enim inueniri aliquis potuisset adeo audax, & temerarius, qui vel vnicum illi porrigere panē fuisset ausus, qui in summa Regis erat indignatione, iamque de facto mortis condemnatus. Quid igitur de illis futurum erat? Num forte manere debebant ieiuni? aut fame erant necandi? Minime gentium, id enim dici non potest, subdit idem Sanctus Doctor, quia impossibile est. Nam quando serui Dei ieiunant, aut inediam aliquam patiuntur, alimonia per aëra ad illos aduolat: *Ieiunantibus epula volant* pro- (*S. Ambros. de Elia cap. 11.*) ut in reapse accidit, ad Eliam namque quotidie coruus submittebatur, qui per aëra volans panis & carnis quotidianum illi deferebat subsidium. Et Danieli Abacuc Propheta mittebatur, qui ab Angelo per capitis comam in aëra eleuatus ex Iudæa in Babyloniam aduolauit, vt cibum quem suis iām essoribus præparauerat, Danieli ocius adferret. *Ieiunantibus epula volant.*

7. Quia Christus post patratum multiplicati panis miraculum, à S. Ioanne cap. 6. descriptum, aduertebat, quod turbæ illum in Regem suum eligere decreuissent, ipse in montem obiendam secedens, fuga sibi consulit: *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Quidnam obsecro turbas mouebat, vt Christo regiam deferre coronam decernerent? Fortasse merita eius ob quæ ipsum Regno suo dignum æstimabant? aut vero commodum & interesse proprium, eo quod talem prætenderint sibi eligere principem, qui ad succurrendum ipsorum necessitatibus promptus esset, omniumque rerum abundaret affluentia. Potuit fortasse vel alterutra, vel vtraque illos ad hoc ipsum decernendum permouisse causa, at vero Magister Historiæ scholasticæ, secundam causam assignat, dicens: *Quia sub tali Principe, videbatur eis non posse egere.* (*Petrus Comment. in Euang. c. 75.*) Per manifestam namque valdeque frequentem experientiam compererant, quod vbicunque Christus aderat, ibi quoque omnia bona redundabat & superabundabant, ideoque illum sibi in Regem eligere statuerant, certi prorsus atque securi, quod quamdiu talis Principis subessent gubernio, nullius vnquam rei penuria premi possint. Id quod Dauid etiam in compositione Psalmi 22. attendebat, cui hoc dedit principium: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit,* quasi dicere voluisset. Quænam vspiam sub solis oculo reperiri persona poterit me felicior aut beatior, qui Regis subdor regimini, Regis nimirum adeo potentis & opulenti, vt ipso auspice & moderatore nullius prorsus rei inopia premendum me esse sciam? Ita hunc locum explicat Isidorus Clarius: *Cum non sim nescius, inquit, Deum mei enutriendi causam cepisse; quid sub tam beneuolo atque etiam diuite & prauigili Pastore deesse vnquam potest?* (*Isidor. Clarius Orat. 33. in Lucam.*)

8. In supradicto Isaiæ loco, in quo Deus seruis suis promittebat, quod illos tam in vijs publicis quam in planis camporum pascere vellet mox subiungitur: *Non esurient, neque sitient,* (*Isa. 49. v. 10.*) quasi diceret. Postquam in ouium mearum numero erunt, meæque securæ submiserint, nunquam siue fame siue siti vexabuntur. Obseruat hæc verba Oleaster, & videt illo loco non dici, non defuturum illis cibum & potum, postquam famem & sitim passi fuerint, sed potius promitti, quod nunquam ad illam venturi sint egestatem, vt fameant, aut sitiant. Idque vt idem Doctor inquit, quia valde parum esset in comparatione ad diuinam omnipotentiam, date seruis suis edere & bibere, tunc

tunc cum illos fame & siti affligi videret, vnde velut maioris momenti beneficium illis concedit, dum non permittit vt quid fames aut sitis sit, vnquam experiantur: *Parum Domino est eos esurientes saturare, sitiētes potare sed quid? Non esurient, neque sitient.*

Oleast. ibid.

9. Inter alia quæ Deus in tabernaculo suo collocari præceperat, erat etiam mensa quædam, quam sacerdos continuè præparatam, & panibus habere debebat in structam: *Panes semper in ea erunt.* Idem Doctor super hunc locum dicit: Quid tibi ô Domine opus erat manducare, quod panem coram te poni postules. Et quidem quod si ad instar hominum mensæ accumbere & manducare tibi sit animus, sufficeret vtique, sicut & hominibus abunde sufficit, si mensa tibi in meridie & circa crepusculum, non vero omni hora & momento sterneretur, vti præceperas? Et respondet, hanc mensam olim non fuisse stratam Diuinæ maiestati, vtpote quæ pane nostro nequaquam indiget: verum pro illis tantum, qui in templo pro suis dimorabantur obsequijs, diuinoque cultui mancipati erant, quos tanta abundantia affluere gaudebat, vt ne vel vnico duntaxat momento domum suam abunde panum apparatu instructam non esse permittere vellet, vt vel hac ratione quid fames sit scire aut experiri nequaquam possent: *Non vult Dominus etiam ad momentum domum eius esse sine pane ne cibus possit deficere eis qui seruiunt ei.*

Num. 4. v. 7.

Oleast. ibid.

10. Porro quod peccatores panem in hoc mundo habeant, vnde vitam sustentare possint, id nemo sibi illis ob meritum operum suorum accidere persuadeat, cum propter illa æterna potius digni sint fame; sed potius hæc illis fortuna ideo accidit, quia in bonorum commorantur societate, ideoque gratiarum illis à Deo largiter factarum redduntur participes, secus enim haud dubie morerentur fame. Attendamus obsecro locum quendam in S. Matthæo relatum, vbi Christus cum discipulis suis de Dei erga Sanctos suos prouidentia loquens dicit: *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos.* Circa quem locum Author operis Imperfecti, qui

Matth. 5. v. 45.

Chrysostomus esse creditur, obseruat, quod Deus prius solem suum oriri, pluuiamque suam stillari faciat super bonos, & iustos, & postea super malos & iniustos. De sole enim agens prius dicit illum iustum esse oriri *super bonos*, & postea subdit, *super malos*: sicut & de pluuia prius dicit quod cadat *super iustos*, & postea *super iniustos*, non vero econtra. Causam vero huiusmodi loquendi inuestigans, Sacramentum quoddam adinuenit, quod propositum optime concludit & recludit: *Quia omnia bona Deus non propter omnes homines dat super terram, sed propter paucos Sanctos. Contentus est enim magis, vt peccatores contra meritum suum bonis Dei fruantur, quam vt iusti contra meritum suum à bonis Dei fraudentur.* q. d. Omnia bona quæ Deus de cælo in terram demittere solet, in iustorum non vero peccatorum vsum & commodum conceduntur; licet peccatores in iustorum societate permixti, illorum quoque sæpe reddantur participes. Cura enim quā Deus habet seruorum suorum tam est ingens, vt ne hi ordinarijs premantur necessitatibus, potius subuenire velit peccatoribus contra eorundem meritum, quam Sanctos merito suo defraudare. Quæ veritas adeo est clara & euidens, vt ad ipsas gentilium aures, quæ de Christo nihil vnquam perceperunt, peruenerit. Audite enim quid Seneca hac de re dicat: *Dij multa ingratis tribuunt, sed illa bonis parauerunt: contingunt autem malis, quia separari non possunt. Sanctius est autem prodesse etiam malis propter bonos, quam bonis deesse propter malos.* Ex hactenus igitur dictis obseruanda est admirabilis illa abundantia, qua cælestis Diuinæ gratiæ Phison Sanctorum adimpleat domos, & mensas eorundem oneret, quæ talis est, vt dum alij, vtpote necessario cibo suo indigni, à fame sæpe tribulantur & castigantur; ipsi econtra læti sunt & hilares, tantaque satietate affluentes, vt etiam quid fames sit prorsus ignorent.

Auct. operis Imperf. ibid. Hom. 13.

Sen. de benef. lib. 4

CON-

CONSIDERATIO II.

Si quis sitit.

Amicus Dei super alios homines adeo est sublimatus, vt non homo, sed Angelus quidam imo Deus esse videatur.

SEcundum flumen, quod Paradisus terrestris è felicibus aggeribus suis in hanc terram emittit, est Geon quod hodie Ganges appellatur, quod in latino sermone idem quod *Exitus*, siue *Eductio*, significat. Estque appropriatum Diuinæ gratiæ Hieroglyphicum, quæ dum è Christo Domino nostro, tanquam proprio fonte suo emanat & in animam hominis deriuatur, eundem propriæ Naturæ suæ terminos egredi facit, ipsumque in tantam super alios homines altitudinem & sublimitatem extollit, vt tametsi reuera homo sit, non tamen homo, sed Angelus, imo Deus quidam esse videatur.

1. Dauid Propheta opinatur, quod quotiescunque homo conturbatur, frustra, & sine omni prorsus vtilitate conturbetur:
Ps. 38. v. 7. *Veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur.* Chrysostomus legit: *Vane conturbatur omnis homo.* Ex quo loco colligitur, Dauidem de omnibus hominibus, absque alicuius exceptione, locutum fuisse; & voluisse dicere: Quodsi talis vere homo est, & tamen conturbatur, vere talis conturbatio frustranea, & sine vlla vtilitate adhibita erit. *Vane conturbatur omnis homo.* Et quidem si hic Dauidis sensus fuit, non modico mihi errore lapsus videtur: tametsi enim illi concedere possimus, peccatores in vanum conturbari, non tamen dicere valemus turbationem Sanctorum & amicorum Dei infructuosam esse atque inutilem. Ergone enim Deipara virgo ad verba Archangeli turbata, quando se audiens, ab Angelo, cum tanto suo merito laudari, tam profunde se humiliauit, & quasi de laudi-
Luca 1. v. 29. bus erubescens *Turbata est*, vt Sanctus Lucas inquit: *in sermone* eius, frustra conturbata fuit? Ergone Christus Dominus, cuius opera & cogitationes infiniti meriti erant, frustra turbatus est in Resurrectione Lazari, quando vt S. Ioannes refert: *Infremuit spi-* Ioan. 11. v. 33.
ritu & turbauit semetipsum. Et tot centeni alij homines pœnitentes, qui in viam obsequij diuini pedem suum firmarũt, qui propter offensum à se Dominum Deum suum, magno suo cum emolumento frequenter conturbantur & cum eodem Propheta dicunt: *In me turbatum est cor meum*, turbantur frustra. Aut vero quodsi Sancti magno suo cum emolumento solent conturbari, quî fit, quod Dauid dicere ausit, frustra omnes homines conturbari, cum tamen inueniantur nonnulli, qui nequaquam frustra, sed potius magno cum fructu & vtilitate sua conturbantur? Sanctus Doctor difficultatem istam tangit, & admirabili cum facilitate, illum nodum suum resoluit, & dicit: *Cum enim omnem dixit hominem, tamen iustum non comprahendit, quoniam is supra hominem vitam agit.* q. d. Quando Propheta omnem hominem frustra conturbari dicit, verissimum loquitur, imo maiori cum veritate loqui non posset. Intelligendus enim est ibi loqui de omni homine mundano & peccatore, non vero de homine iusto & Dei amico, qui ob eximiæ sanctitatis vitam, quam ducit, ob quam etiam super omnes alios homines adeo est exaltatus, non est homo, & consequenter homo appellari non debet: *Quoniam is supra hominẽ vitã agit.*

Ps. 142. v. 4.

S. Ioan. Chrysost. in ps. 38.

2. Vt certus hominum numerus, qui in populo Hebræo reperiebatur, certo sciri posset, Deus eundem populum à Moyse exactè numerari, bonamque numeri reperti rationem haberi voluit. Moyses igitur huius diuini præcepti de numeratione facienda executionem facturus, de tribu in tribum vniuscuiusque homines exacte numerando, ordinatissime transiuit, Leuitarũ autem tribum innumeratam reliquit, neque capita illius sicut aliarum tribuum recensere voluit: *Leuitæ autẽ in tribu familiarũ suarum non sunt numerati cũ eis.* inquit sacer Textus. Hic opus esset causam inquirere, ob quam Moyses populum Hebræum numerando, Leuitas numerare noluerit, cum tamen illi eiusdem populi consortes, earundemq; ciuitatũ inquilini essent? Hanc autẽ

Num. 1. v. 47.

Doctissimus Hieronymus Oleaster assignauit, dicens, id factum esse quia: *Non veniunt in numerum sancti cum aliis.* Quia igitur Leuitæ in populo Hebræo sancti erant, ideo illos Moyses, quasi homines non essent, in aliorum hominum numero ponere noluit. *Non veniunt in numerum sancti cum aliis.*

Oleast. ibi.

3. Audite quid David Propheta Psalmo 115. dicat: *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Quodsi id quod hoc loco, ô David, scripsisti inquit S. Basilius, tanquam certum habeas, illudque vniuersaliter, absque reflectione ad certos homines, de quibus particulariter loquaris, de omnibus hominibus dictum esse velis, videris mihi profecto aduersus temetipsum loqui, omniaque quæ in Psalmis tuis dictauit Spiritus sanctus, eadem iniuriæ labe conspergere. Cum enim per te affirmetur omnes homines, absque vllius exceptione, esse mendaces: *Omnis homo mendax*, certumque sit te hominem esse, sequitur euidenter, te quoque vna cum alijs mendacem esse, ac proinde neque tibi, neque ijs, quæ scribendo chartæ commisisti, fidem aut credulitatem adhibendam esse: *si enim omnis homo mendax, David est homo, mendax ergo & ipse est: si mendax, non sunt credenda ea quæ dixit.* Verum enimvero quia David homo fuit virtuosus & sanctus, atque à Spiritu sancto illuminatus, mendacium vtique nũquam siue scribere, siue dicere potuit. Vndè sanctus Doctor pro difficultatis istius solutione obseruat, Dauidē de hominibus fuisse locutum: *omnis homo mendax*, inter quos ipse recenseri aut compræhendi minime potuit, vtpote sanctus, & non homo, cum sancti homines non sint; & rationem assignat dicens: *Homines enim dicuntur ii, qui humanis perturbationibus & affectibus retinentur: qui autem his fuerit exemptus ac liber, & ob mentem perfectum ad Angelorum naturam accedat, intra homines minime censebitur, extra aliorum sortem se constituens.* quod homines propriè dici debent, qui humanis passionibus reperiuntur subiecti, non vero ij inter quos David pertinet, in quorum animis passiones illæ locum non habent. Vnde Angeli potius æstimandi sunt, quam homines?

Ps. 115. v. 2.

S. Basilius ibid.

4. Pro meliori veritatis huius intelligentia sciendum est, sanctos in scriptura sacra sub capillorum symbolo intelligi, id quod Glossa docet, illa Apocalypseos verba explicans: *Capilli erant candidi tanquam lana alba*, Et ratio huius in natura capillorum fundata est. *Capillus enim*, inquit sanctus Hieronymus: *Cum sit de corpore, nescit tamen corporis passione.* Estque hoc clarum & euidens: nam si manum, pedem, aut aliud corporis membrum vulneres, vulnus irrogatum sentit, & dolet: quodsi vero capillum radas, aut minutim conscindas, haud secus ac si corporis partes non essent, nec dolorem se inde nec sensum habere demonstrant. Sicut igitur capilli respectu aliarum corporis partium se habent, ita quoque sancti in comparatione ad alios homines sese habere noscuntur. Alii enim homines, mox vt offenduntur, aut affliguntur, indignantur & dolent, & sese vindicandi occasionem procurant: sancti vero in simili casu gaudent, atque oportunitatem benefaciendi aduersariis suis studiosè inquirunt: Quodsi alii homines naturali appetitu ad mundanos inclinentur honores, sancti in eiusmodi appetitus passione sunt veluti statuæ mortuæ. Cũ alii homines in terra viuant, tanquam nunquam morituri: sancti econtra vitam suam non aliter continuant ac si essent mortui. Num igitur homines illos æstimabitis, qui tam diuersam ab aliis hominibus vitæ viam ingrediuntur & sectantur? Credo quod nõ, quia *Homines dicuntur ii, qui humanis perturbationibus & affectibus detinentur.*

Apoc. 1. v. 14. Gloss.

S. Hieron apud S. Bonav. in c. 2. Luc.

5. Apostolus in Epistola ad Galatas, monens eosdem & docens, quod si opera sua ad placendum tantum hominibus facerent, veri serui Dei futuri non essent: *si adhuc hominibus placerem, seruus Dei non essem*, hoc loquendi modo insinuare volebat, sanctos non esse homines. Quod si enim mens sua non fuisset hoc docere, sibimetipsi vtique contradixisset in iis, quæ scripserat ad Romanos, quos hortatus fuerat, vt cunctas actiones suas ita ordinarent atque componerent, ut semper proximo placerent & gratæ essent: *Vnusquisq; vestrum proximo suo placeat.* Et dici illi potuisset: Qui fit quod cum nobis præcipias, vt studeamus in actionibus nostris placere proximo, tu illis ex industria displicere contendas? Nunc vero quia discipulis suis

Gal. 1. v.

Rom. 15. 2.

suis præcipiens, vt proximo placerent, de hominibus duntaxat sanctis, & in gratia Dei constitutis loqui intendebat, ijsdemque vt placere studerent, præcipiebat. Per homines autem quibus displicere volebat, peccatores intellexisse dicendus est, à quibus excluduntur sancti, quasi qui non sint homines, vt alii. Ita hunc locum sanctus Hieronymus à Glossa citatus explicat, dicens; *Vbicunque homines sine additamento aliquo nominantur, in malam partem accipiuntur in scripturis, vt est illud: omnis homo mendax: Et secundum hominem ambulatis: Igitur quicunque talibus placere voluerit, necesse est vt eorum faciat voluntatem: sancti autem tantum Deo amantibus placent, qui plusquam homines esse meruerunt.*

S. Hieron. apud Gl. in 5. Gal.

6. Dauid ad hoc vt Diuinæ Maiestatis explicaret magnificentiam, dicebat, sub illius imperium pertinere omnes fines terræ: *Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus super omnes Deos, quia in manu eius sunt omnes fines terræ.* Quibus in verbis bene obseruandum est, Dauidem non dicere quod tota terra sub Dei dominium pertineat, sed tantum fines terræ eo pertinere: *Omnes fines terræ.* Verum quid si dixisset, Diuino Dominio non fines terræ tantũ, verũ etiam vniuersam terrã subijci, vtpote cuius Deus absolutus est Dominus, prout in alio quodam Psalmo dicebat: *Quoniam Rex omnis terræ Deus*, nunquid hoc modo Diuinam Domini sui maiestatem longe eminentius magnificasset? Non est dubium. Cur igitur cum Deus adeo potens sit Dominus, vt in manu sua totam terram habeat, Dauid illius Maiestatem potius diminuens, dicit, ipsum præter fines terræ aliud nihil possidere? Pro huius nodi dissolutione sciendum est, Prophetam per fines terræ homines intelligere sanctos & perfectos. *Fines terræ, idest, iusti* inquit sanctus Bruno, *qui soli in manu Dei sunt.* Salomone dicente: *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Terra enim, idest, peccatores in Dæmonis potestate & manu remanent. Ratio autem ob quam sancti appellati sunt fines terræ: *Fines terræ*, secundũ eundem Doctorem est, quia *Finiunt in se terrenitatem*, quasi essent sine terra. A prima namque die qua initium fecerunt seruiendi Deo, infinitamque illius bonitatem amandi, à rebus transitorijs atque terrenis adeo perfecte sunt sequestrati, vt ne quidem vel vnicam mundanam & vanam cogitationem sustinentes, à quacunque re terrena, qualiscunque illa sit, priuati & exuti viuant. Vnde fit quod sancti in lingua Græca appellentur *Agyos*, quod interprete Abulensi idem est, quod *sine terra*, id est, homines purgati & separati à terra, qui nihil in se habent quod terrenum sit. Quomodo igitur homines tales, qui nihil terræ in se retinent, homines esse dicentur, cum nomen hominis deriuetur *ab humo*, idest, à terra?

Psal. 94. v. 4.

Psal. 46. v. 8.

S. Bruno in psal. 06.

Sap. 3. v. 1.

7. Deus quondam Iustitiæ suæ ministris præceperat, vt terram, mare, & arbores in totalem redigerent ruinam, cum ecce subito alium quendam de cælo Angelorum misit, qui decretum illud à se supplicium per aliquod temporis spatium adhuc suspenderet; qui deorsum veniens, alta voce clamauit: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus.* Circa quem locum aliud inquirendum non habeo, præterquam vt videamus, quinam homines per terram, per mare, & per arbores hoc loco intelligendi veniant. Et secundum quod Doctor Angelicus sanctus Thomas arbitratur, per terram & per mare intelligendi sunt peccatores, qui viles sunt sicut terra, & sicut aquæ maris in præcipitium inferni rapidissimo cursu decurrunt: *Terra & mari idest, peccatoribus, vilibus flexibilibus.* Per arbores autem, subdit idem sanctus Doctor, sancti intelligendi veniunt, qui quantumuis sint in terra & de terra, prout & alij homines, nihilominus haud secus, ac si nullum haberent humanæ conditionis participium, terram deserunt; atque arborum instar in cælos eriguntur: *Neque arboribus, idest, iustis terram excedentibus*, quasi non essent homines, vti apparent sed alteriuscuiusdam sublimioris & nobilioris naturæ: *Terram excedentibus.*

Apoc. 7. v. 3.

8. Memini me legisse quod Carolus V. augustissimus Romanorum Imperator, cum Francisco I. Rege Franciæ captiuo suo loquens, eundem interrogauerit, quænam esset totius Regni sui maxima atque amplissima ciuitas? Francisco respondente eam esse Rothomagum, Imperator qui credebat

Pet. Matt. Hist. Franc. lib. 6. Nar. 5.

bat Galliæ Regem Parisiensem vrbem suam cæteris Regni vrbibus prælatum esse, subiunxit: Quid igitur vrbs Parisiensis? Franciscus: hæc vrbs est prouincia quædam, respondit. Quæ responsio ex Aristotele facilius intelligetur, qui vt Nicolaus Lyranus scribit, de Babylonia, maxima nimirum totius mundi ciuitate loquens, dicere solebat, hanc non ciuitatem, sed prouinciam quandam esse muris circumdatam; *Non erat proprie Ciuitas, sed regio clausa muris.* Non quasi Parisius & Babylonia veræ ciuitates non fuissent, ideo ciuitates non appellabantur, veræ enim ciuitates erant, sicuti adhuc etiamnum sunt, sed ob immensam ferè ipsarum amplitudinem, aliaque extraordinaria priuilegia, quibus ad reliquarum totius mundi ciuitatum inuidiam, videbantur gaudere, inter alias ciuitates numerandæ non erant, vtpote quæ sublimiori digniorique nomine appellari merebantur. Similiter ego de sanctis & Dei amicis dicam, qui tametsi verè homines sint, quia tamen opera illorum, omnium aliorum hominum opera incredibili cum excessu superarunt, adeo vt homines illos esse vix aliquis credere posse videatur, homines appellari non debent, vnde sanctus Bernardus dicit: *Homines isti fuerunt, qui nos præcesserunt, qui tam mirabiliter processerunt per vias vitæ, vt vix homines eos esse credamus.*

Nicol. de Lyra in c. 3 Ione.

S. Bernar. serm. in vig. SS. Petri & Pauli.

9. Cum itaque ex hactenus dictis habeamus, sanctos non esse homines, quidnam illos aliud esse dicemus, quam Angelos & Deos quosdam? Angeli esse in Iacobi Patriarchæ mystica scala demonstrantur, per quam duo Angelorum gradiebantur exercitus, è quibus nonnulli descendebant in terram, alij in cælum ascendebant. *Vidit* inquit Moyses de Iacobo tractans: *In summis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælos: Angeli quoque Dei ascendentes & descendentes per eam.* Per Angelos de cælo in terram descendentes intelligendi sunt Angeli præuaricatores, qui in cælo peccarunt vnde postea descenderunt, & præcipitati sunt, atque in obscurum centri terræ carcere perpetuo reclusi. At vero cum per alios qui de terra in cælum ascendebant, Angeli boni, qui nunquam peccarunt ac proinde in terram nunquam descenderunt intelligi nequeant, restat, vt per illos intelligantur homines sancti, qui post hanc vitam è terra abeuntes, in cælum sese recipiunt. Porro ne existimetis interpretationẽ istam ex proprio meo cerebro esse confictam, audite eandem à sancto Brunone Carthusianorum Protopatriarcha allatam. Nam per descendentes Angeli maligni significantur, qui per superbiam descenderunt. Per ascendentes sancti, qui fuerunt spirituales vt Angeli. Quod vt certissimum esse vobis videatur, dicam insuper, adeo indubitatum esse sanctos, existimandos esse Angelos, vt cum scriptura sacra de illis tractans eosdem homines appellare potuisset, non tamen illos homines, sed Angelos appellare voluerit: *Angelos quoque ascendentes per eam.*

Gen. 28. v. 12.

S. Bruno in ps. 12

10. Idem met sanctus Doctor de Cherubinis illis tractans, quos Salomon in ligno Oleagino siue Oliuæ sculpi fecerat, & in tabernaculo Dei collocauerat, prouti in tertio Regum libro legitur: Fecit in oraculo duos Cherubin de ligno Oliuarum, imaginatus sibi fuisse videtur, quasi deuotus quicunque Christianus sacras hasce imagines, ex ligno Oliuarum fabrefactas esse videns, ligno illi inuideret, illudque beatum fortunatumque existimaret, quod idem in Cherubinos transformatum fuisset, vnde vt illum animaret, gratiose hominem quemuis christianum alloquitur dicens: *Tu quoque si vis Cherubin fieri potes, melius enim ex hominibus, quam ex lignis fiunt Cherubin, & multi quidem Cherubim ex hominibus facti sunt. Vis videre Cherubim? respice Paulum.* quasi dicere vellet: Ne te affligat, aut conturbet, Christiane frater, dum ex lignis Cherubin factos esse vides, siquidem etiam homines, dum sancti euadunt, Cherubin fiunt, & quidem longe excellentiores, quam fuerunt illi in oraculo collocati. Illi enim ex oliuis facti, Cherubini sunt ficti & mortui, homines autem post acquisitam sanctitatem, Cherubini erunt viui & veri; vis videre hominem in viuum verumque Cherubinum transformatum, respiciens velim sanctum Paulum Apostolum, & cognosces, quanta cum veritate

3. Reg. 6. 23.

S. Bruno in ps. 111

ritate & proprietate hæc eloquar. Vides itaque quod sanctus hic solitariorum Dux & Patriarcha, persuasurus hominibus, vt fierent sancti, ipsis persuadeat, vt fiant Cherubini, hoc est, vt desinentes esse homines fierent Angeli. Qua in re perspicuè satis insinuatur quod homo factus sanctus, homo esse desinat & fiat Angelus.

11. Christus Dominus noster, vt ab Apostolis explicatam eliceret Confessionem eius, quod ijdem de sua persona interius credebant, eos die quadam simul in vnum congregauit, dumque inprimis ab illis hominum de se opinionem scire cupiuisset: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Mox replicauit, & propriam illorum opinionem scire poposcit: *Vos autem quem me esse dicitis?* Quæstio ista videri nonnemini posset superflua. Cum enim iam ab ipsis hominum opinionem interrogasset, simul quoque ab ipsis propriam opinionem exequisiuisse censeri poterat, siquidem & ipsi homines erant, non minus quam alij. Vnde non immeritò excitari poterit Quæstio: cur Apostolos suos, post perceptam hominum de se opinionem, iterato de propria opinione interrogarit, quando ad sciendum quod volebat, sufficere poterat prima? Etenim ratio huius in promptu habetur; nempè factum id esse ideo, quia Apostolos in hominum numero recenseri minime volebat, sed potius in numero Deorum, ideo post hominum opinionem clarè satis perceptam, scire quoque voluit opinionem Deorum. Est hæc speculatio sancti Hieronymi, dicentis: Prudens Lector, *Attende quod ex contextu sermonis, Apostoli nequaquam homines, sed Dii appellantur. Cum enim dixisset: Quem dicunt homines esse filium hominis? subiecit: Vos autem quem me esse dicitis? ac si dicat illis quia homines sunt humana opinantibus; vos qui Dii estis, quem me esse existimatis?* Quibus verbis incarnata sapientia insinuare voluit, homines sanctos & perfectos; cuiusmodi erant sui discipuli, non esse homines; sed Deos, quia plus diuini quam humani habent. *Nequaquam homines, sed Dii appellantur.*

Matth. 16. v. 13.

S. Hieron. apud S. Tho. in epi. ibid.

12. Sanctus Ioannes Apostolus attentè sacrum illum centum quadraginta quatuor millium virginum exercitum coram Domino stantem est contemplatus, & vidit, quemlibet illorũ fronti suæ diuini nominis characterem habuisse impressum: *Habentes nomen eius, & nomen Patris eius, scriptũ in frontibus suis.* Quidnã obsecro mysterii Diuina nobis bonitas per hanc sacrosancti nominis sui scripturam, frontibus seruorum suorum impressam, significare voluit? audite quid hac de re Doctor Angelicus dicat, & mysterium haud dubiè intelligetis. *Nomen Patris eius scriptum in frontibus suis, scilicet nomen Dei Patris, quod est Deus, quia à Deo possunt dici Dii.* quasi diceret: Ex quo omnes, quotquot oculos suos ad tantos Dei seruos & amicos videndos leuabant, nihil sibi facilius persuadere potuissent, quam quod homines essent, & quidem nulla in re ab aliis hominibus qui sunt in terra differentes, atque ita in non modicum prolapsi errorem fuissent, hinc Deus sacrum nomen suum frontibus eorum inscribere voluit, ne videlicet homines esse iudicarentur, quales forinsecus esse videbantur, sed Dii prouti id ipsum scriptura docebat. Tametsi enim Dei amici homines sint, Diuinæ tamen gratiæ artificio supra Naturam suam adeo sunt eleuati & sublimati, vt non iam homines, sed Dii appellari debeant. *A Deo possunt dici Dii.*

Apoc. 14. v. 1.

S. Thom. ibid.

13. Porro circa præsentem materiam rationem quandam valde efficacem, in propositione quadam Philosophica fundatam, nonnihil attentius consideremus. Aristoteles arbitratur commune illud axioma: *Amicorum omnia sunt communia* adeo esse perspicuum & verum, vt eadem cum veritate & efficacia concludat, amici personam, vnam eandemque identicè rem esse cum altero amico: *Alter enim ipse est amicus.* Virtus namque amoris non solum res, verum etiam ipsammet personam & animam amantis, amato communicat. Huc Alexander Magnus respexit, quando Sisigambi afflictæ & captiuæ, in persona sua erranti, & loco Alexandri, quem non nouerat, amicum illius Hephestionem, quem

Arist. Moral. Nicom. lib. 9. c. 9.

quem Regem esse credebat, adoranti, illiusque erroris commissi veniam poscenti, dixit: *Non errasti mater, nam & hic Alexander est.* Quod cum verissimum sit, consequenter liquet, quod si sancti sunt dilecti à Deo, eiusque amici, bona autem amantis omnia ad amatum pertineant, consequenter Sancti in Diuinorum bonorum possessionem adeo intimè & plenè subingrediuntur, vt non solum ea bona, quæ extra Deum sunt, ijs appropientur, verum ea etiam quæ ad ipsummet Deum pertinent. Vnde necessum est, illos ipsammet quoque Diuinitatem participare, adeo vt desinentes homines, Dij euadant. Ita hac de re discurrit S. Bernardinus de Senis: *Omnia quæ Dei sunt, dici possunt animæ existentis in gratia per Charitatem. Vnde si amicus est alter ego, anima per participationem est alter Deus.*

Quintus Curtius lib. 3.

S. Bern. Tomo 2. ser. 24. in princip.

14. Ex mente S. Cypriani principalis causa, ob quam animarum nostrarum Redemptor homo fieri, & pro hominibus mori voluit, fuit, vt homines in Deos transformaret: *vt qui sine Deo fuerant, dum dominaretur in eis peccatum, reducti ad iustitiam conformes Christi, & Christi efficerentur & Dij.* Verum enimuero cum Apostolus dicat, Christum de cælo descendisse, & in hunc mundũ veniens mori pro hominibus voluisse, vt eos à peccatis purgatos ab æterna quoque damnatione liberaret: *Christus Iesus venit in hunc mundũ peccatores saluũ facere.* Quomodo sanctus hic Doctor illum venisse dicit vt homines Deos faceret? optime dicit, neq; in hoc procul ab eo recedit quod dicit Apostolus. Nam homines à peccatis purgare, eosdemque Deos facere est vnum & idem. Turpitudo enim peccati vnicum illud erat, quod homines à Diuina gratia recipienda impediebat, quæ illos in Deos transformare potens erat. Adeoque homines in tantum non erant Dij, in quantum peccatores & extra diuinæ gratiæ statum constituri erant. E contra vero in eodem prorsus tempore quo Christus illorum peccata purgauit, & gratia sua dignos effecit, Dij quoque subito facti sunt. Vnde concludere oportet diuinam gratiam esse id, quod homines in Deos trãsformat, ipsosque sanctos qui in Dei gratia existunt, potius Deos, quam homines esse.

S. Cyprianus serm. do pass.

I. Timoth. 1. v. 15.

15. Considerationem istam per sequentem Quæstionem finiamus. Quodsi causa ob quam Lucifer & Adam peccarunt, & propter quam ille de cælo præcipitatus, hic ex Paradiso fuit expulsus, vnica & sola hæc fuit, quia Dij fieri volebant, eo quod ausus ille adeo temerarius Deo summè displiceret, qua igitur ratione fit, quod Sancti Dij fiant, & in hoc Deo simul placeant, illosque non solum in terra non relinquat, verum insuper in cælum vsque eosdem euehat? Ratio huius à S. Gregorio hisce ipsissimis verbis assignatur: *Idcirco vterque cecidit, quia esse Deo similis non per Iustitiam, sed per potentiam concupiuit.* Lucifer & Adam Deum offenderunt, quia veram viam qua Dij fierent, inuenire non potuerunt, atque ideo quoque de sublimi felicitatis suæ statu prolapsi sunt. Vera enim via, per quam Creatura ad diuinitatis participationem peruenire potuit, non est potentia, & violentia, aut præsumptio, qua infælicissimæ creaturæ illæ vsæ sunt, sed gratia diuina & Sanctitas animæ, quæ solæ hominem ab aliis hominibus eximiè euehunt, atque in Deos transformant.

S. Greg. Moral. li. 29. c. 1.

Intellexistis igitur Diuinæ gratiæ prodigia, miracula, atque inauditas transformationes & metamorphoses, vtpote quæ non solum euehit, & exaltat homines super homines, verum etiam eosdem ipsis quoque Angelis simul adæquat: Et quod maioris ponderis est Diuini esse illis participium communicat, efficitque, vt non iam amplius homines, sed Dij esse appareant & appellentur. Verum nimirum flumen *Geon*, id est, *Exitus*, quod lutum adeo perfecte lotum transilire facit, vt non iam lutum amplius esse appareat. Vnde diuini huius fluminis vndæ, similes mihi esse videntur Aquis fluminis Heraclini, in quibus Plutarcho teste nemo immergitur: *Quin penitus in alienam transeat Naturam.*

Plutarchus de ferm. Num. vi dict.

CON-

CONSIDERATIO III.

Si quis sitit.

Quantum Deus sollicitus est, vt nobis per gratiam suam succurrat, tantundem nos pigri sumus & inertes, vt operam nostram in ipsius impendamus seruitium.

TErtium & quartum Paradisi flumen sunt Tigris & Euphrates, quæ eo quod, vt refert S. Ambrosius, simul per Mesopotamiam decurrant, atque in eadem simul recludantur, simul quoque à nobis in hoc vltimo præsentis Euangelij discursu cōsiderabuntur: id quod proposito quoque nostro mire deseruiet. Simul enim coniuncta, clarum & viuum diuinæ gratiæ, suorumque effectum efformant symbolum, quod ab inuicem disiuncta non facerent. *Tigris* in latina lingua idē significat quod *velocitas*: *Euphratres* autem idem quod *fructificant*. Et insinuant Diuinam gratiam (sine qua anima fructus æterna vita dignos producere non potest, Christo dicente: *sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me manseritis*) adeo esse velocem, atque ad necessitates nostras sublenandas promptam, vt non tantum velox, quin potius ipsamet velocitas appellari mereatus. Deus enim erga nos se habet modo omnino contrario illi, quo nos erga Deum vtimur; Quantum enim Dei sollicitus est, vt nobis per gratiam suam succurrat, tantūdem nos pigri sumus & inertes, vt operam nostram in ipsius impendamus seruitium. *Ioan. 15. v. 4.*

1. Vix Sacratissima virgo Deipara in virgineo vteri sui cælo magnū illū cælorū Regem, quem alias omnes cæli capere non poterant, Dei benignitate acceperat, quando vt S. Lucas refert, ad Elisabeth cognatam suam visitandam, se mox accinxit itineri, quod insolita atque incredibili cum velocitate absoluit: *Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zacharia, & salutauit Elisabeth.* *Lu. 1. v. 39.* Origenes in hujus loci consideratione descendit, & itineris illius summā accelerationē & velocitatem attendens, miratur, qua ratione B. Virgo Deipara, vtpote quæ nec vanitatibus hauriendis dedita, neque ad circumcursandum per alienas domos curiosa, vti aliæ mulieres esse solent, extiterit, relicto Nazarethano conclaui, in quo perpetuā alias agebat solitudinē, per montana Iudeæ instar leuiculæ mulieris, non tardo & modesto grassu, sed mira cū celeritate discurrere potuerit, siquidem velox iste discursus, tum leuitatem eius arguere, tum cælestis personæ suæ dignitatem, virgineorumque morū suorum grauitatem, omnino dedecere, aliorum opinione videretur? Demum vero attendens, quod Deus homo factus in ipsius sic velociter discurrentis vtero clauderetur, haud difficulter festinati huius itineris rationem inuenit, vnum ad propositam difficultatem respondet: *Iesus qui in vtero eius erat, festinabat, adhuc in ventre matris Ioannem positum Sanctificare.* *Orig. Hom. 7. in Lu.* quasi dicere vellet, festinabundi itineris Deiparæ virginis, causa, non ipsa sed à verbo incarnato, quod in eius vtero portabatur, procedebat, quia enim finis huius itineris Sanctificatio erat sui præcursoris, ideo omni cum sollicitudine concito gressu volare, nedum ambulare conabatur. Nam quando Deus gratias suas communicat, tanta id cum festinatione & velocitate facere solet, vt nihil sit quod ipsum ab admirabili hac sua sollicitudine tardare aut impedire possit. *Festinabat adhuc in ventre matris positum sanctificare Ioannem.*

2. S. Bernardinus de Senis Deum in summitate scalæ illius reclinatum considerat, per quam vt Moyses refert, Iacob Patriarcha Angelos nunc ascendentes, mox descendentes cōspexerat: *Et Dominum innixum scala.* *Gen. 28. v. 13.* Scripturæ autē istius mysteriū inuestigans, quærit: Quid est quod Deus prætēdit, quādo sublime solium suū deserens, in locū adeo profundū descendere, ibidemq; commorari voluit? Et pulchre respondet: *Dominus innixus describitur scala, quasi desiderio flagrans, & nostra bona opera acceptare, & propter illa nouas nobis gratias multiplicare.* *S. Bernardin tomo. 2. ser. 63 in princ.* quasi dicere vellet: Angeli per diuinam scalam istam ascendentes, mundo venerant manibus bonis deuotorū Christianorū operibus onustis eadem Diuinæ Maiestati præsentaturi: Alij vero in eadem scala descendentes, gratias, prædictorumque operum præmia deorsum

de

de cælo portabant: cum autẽ Deus non minus cupidus sit, opera nostra bona recipiẽdi, quã eadem nauis fauoribus remunerandi, ideo vt illa recipere, hæc vero remunerare tanto maiori cum sollicitudine, posset, de summo solio suo ad scalæ verticem descendere voluit; vt hoc suo descensu nobis insinuaret, quod dum de nobis donis suis locupletandis agitur, adeo sit sollicitus, vt curet nobis adeo esse propinquus, quantum est possibile fieri, ne ministri cogantur in deferendis donis suis longam conficere viã, suiq; fauores tãto tardius ad hoc perveniãt.

3. Super illa Apostoli verba, in prima ad Corinthios, in quibus de petra Horeb, quæ à Moyse percussa, populo Hebræo præ siti contabescenti, tantam præstitit aquarum copiam, fit mentio, & in particulari dicitur: *Bibebant de spirituali consequente eos petra.* super illa inquam verba, Haymone referente, Rabbini nonnulli dixerunt, dictam petram toto illo tempore quo Hebræi fuerunt in deserto, illos fuisse miraculose subsecutam, quia ad instar molæ cuiusdam trusatilis siue versatilis, continuo cum ipsis itinere procedebat, idque vltro citroque, nemine illam mouente, trahente, aut cooperante, vt hac ratione in omni loco quo se recipiebant, satiari & aquis abundare possent: *Vbicunque figebant tentoria, voluebatur in medio castrorum, nullo hominum impellente, emittens largissimos riuulos ad satietatem populi & iumentorum.* Verum enimvero quia Apostolus dicens petram Hebræos secutam fuisse, nequaquam in fabulam illam ab ignorantibus Hebræis confictam collimauit, sed potius sub petræ symbolo, de Saluatore nostro Christo Iesu loqui instituit, prouti in verbis immediate subsequentibus perspicue satis declarauit, dicens: *Petra autem erat Christus;* Hinc dicendum est, mentem Apostoli esse, dicere Christum sub petræ symbolo Hebræos insecutum fuisse, nõ vero petram, vti Hebræi fabulantur. At vero si Christus ex mera pietate sua, gentis illius succurrere necessitatibus volebat, cur iuxta illos ambulabat, & non potius ad exhibendam maiorem Maiestatis suæ magnificentiam, in honoratiori quodam loco remanebat, ad quem in necessitatibus suis pro gratiarum suarum aquis participandis suum potuissent habere refugium? Sanctus Ambrosius ad hoc respondet: *Sequens Petra dicta est, qua intelligitur Christus, vbi enim deficiebat eis humanum suffragium, aderat Christus, ideo sequebatur, vt vbi defecisset, ille subueniret.* Quia Christus Hebræorum necessitatibus omni cum sollicitudine subuenire contendebat, ideo iuxta illos manere, ipsorumque lateri immediate adhærere voluit, ad hoc vt subito, vbi opus esset, promptissime assisteret, veluti efficax necessitatum illorum remedium. Tanta nãque cum sollicitudine gratias suas communicare consueuit, vt ad hoc ne tardius concedantur, semper propè & præsto adsit, manibus cumulatissimè plenis, nec quicquam solitam suam conseruare Maiestatem curat.

Haymon. ibid.

S. Ambr. ibid.

4. Inter alia quæ Isaias Propheta de Christo Saluatore nostro, pro eo tempore, quo redemptionis nostræ operibus insudabat, magnifica, multique ponderis dixit, fuit hoc vnum, quod videlicet adeo modicum locutus fuerit, vt visus fuerit nullum omnino os habere: *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum.* Id quod per experientiam manifestam videre licuit, quando ab Herode interrogatus, ne verbum quidem respondit, & Pilato adeo parce locutus est, vt miraretur vehementer. Quamobrem hisce loqui noluit? videtur omnino decuisse, vt omnem officialibus illis dedisset respondendo satisfactionem, tam pro innocentia sua conuincenda, quam pro arguenda Hebraica illa peruersitate. Tametsi enim cum propter sermões suos à morte liberaturi nõ fuissent, in summam tamen sui redacti fuissent confusionem, vtpote qui hominem adeo innocentem & sanctum, qui tot variis verisque rationibus suam ipsis probasset iustitiam, nec non & aduersariorum qui ipsum accusauerant impietatem, ad tam flagitiosorum rabularum forensium importunas sollicitationes, mortis crudelissimæ condemnabant. Rationem huius Hugo Cardinalis assignat: *Non aperuit os suum, coram Pilato & Herode. Pauca enim respõdit, ne differretur salus humani generis.* Quotiescunque enim Deus homines gratiarum suarum vult facere participes, ipse vtpote in simili casu pronus ad sollicitudinem & tarditatem detestans, ostendere aliquo signo solet, quod omnem moram, quæ ipsum tardare aliquo

Isaia 53. 7.

Hug. Card. ibid.

modo

modo posset, quantumuis leuem & modicã, fugiat atque declinet. Vnde cum in procinctu esset hominibus conferendi humanæ Redemptionis gratiam, ne ab hoc tam salutari opere, vel modico etiam illo tempore, quod ad respondendũ Herodi & Pilato requirebatur, tardaretur, os suum illi haud secus ac si mutus fuisset occlusit, hunc vero paucis, admodum verbis subito expediuit. *Ne differretur salus humani generis.*

5 Deus quondam Moysi præcepit, vt Deo populo suo peccata dimissuro, propitiatoriũ fabricaret, quod veluti quoddam diuinæ pietatis suæ tribunal esse debebat, illudque in tabernaculo suo super Arcam reponeret. *Pones propitiatorium super arcam testimonij in Sancta Sanctorum.* Oleaster diuinum hocce Moysi impositum præceptum considerans, dicit: Quod si nonnemo causã scire desideret, ob quã propitiatoriũ super arcam, & nõ in quauis alia tabernaculi parte ab arca remota collocari debuerit, huic ego respõdeo: *vt si contingat in lege peccare ad manum esset propitiatorium.* q. d. Cum lex in Arca recluderetur & conseruaretur, noluit Deus propitiatorium procul ab arca, sed potius prope ipsam consistere, vt in casu quo lex violaretur, & offenderetur Deus, propitiatorium & offensæ remissio non procul abessent, sed præsentanea statim adesset & prompta, neque vlla in gratiæ illius concessione interijceretur mora siue tardatio, Qua in re Deus admirabilem promptitudinem insinuare, quam in fauorum suorum concessione solet adhibere, seque non minorem sollicitudinis amicum, quam tardationis moræque omnis hostem exhibere voluit. *Vt si contingat in legem peccare, ad manum esset propitiatorium.*

Exodi 26. v. 34.

Oleast. in cap 25. Exodi.

6. Nondum Filius prodigus in paterna domo aduenerat, cum ecce amantissimus eius pater foras è domo ei obuiam egressus illum dulciter amplexatus est & osculatus, seruisque præcepit, vt cum maxima qua possent festinatione, nobilem ei vestem adferrent, nudasque eius carnes eadem cõtegerent: *Cito proferte stolam primam & induite illum.* Obseruat hunc locum S. Petrus Chrysologus, & dicit: Iam iuuenis hic vagabundus omnia bona sua luxuriosè consũpserat, grauiq; sanguinis sui proprij dedecore & ignominia factus fuerat subulcus, atque ex Domino, qualis ipse domi suæ erat, alterius factus erat seruus, & tamen Pater eius non solum priusquã illũ vestiat, de commissis eum non castigat erroribus, aut vel minimo illum verbo repræhendit, sed & ne quidem interrogat illum, vnde veniat, vbinam gentium hactenus commoratus fuerit? quid de pecunia dilapidata factum sit quam è paterna secum domo abiens tulerat? aut denique cur tam lacer nudus, squalidus & fame tabefactus reuertatur, qui tã splendide vestitus tantaque pecunia onustus paterna è domo recesserat? *Non dixit vnde venis? vbi fuisti? vbi sunt quæ sustulisti? quare tantam gloriam tanta turpitudine commutasti?* Tandem vero considerans, quod Pater ille misericordissimum Deum symbolice significaret, vtpote qui pro ineffabili pietate sua Pater noster dignatus est fieri, difficultatem istam resoluit, & dicit: *Tardam misericordiam Pater nescit.* quasi diceret: Iustum quidem & æquum omnino fuisset, vt Deus ipsum acerrime de commissis repræhenderet erroribus, nec non miseriarum illarũ explorasset causam, quibus reuertebatur implicitus; veruntamen quia ipsum gratiæ suæ veste cooperire & ornare decreuerat, quæ ab ipso summa cum acceleratione solet concedi, ideo ne verborum interiecta multitudo aliquam moram interijceret, omissis omnibus hisce interrogationibus & discursibus, qui tardare aliquatenus gratiam poterant, ad filij sui accurrit amplexus & oscula, illiusque mandat accelerari ornamenta. Nam *Tardam misericordiam Pater nescit.*

Lu. 15. v. 22.

S. Pet. Chrysol. ser. 3 de duobus Filijs.

7. Post patratum celeberrimum illud multiplicati panis miraculum, satiatis iam abunde turbis, collectisque reliquijs Christus Apostolis suis, vt in Carphanaum transfretarent, ibidemque eum operirentur præcepi, ipse namque in montem secedere, ibidemque solus orare decreuerat, prouti reapse postea factum est: *Compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum transfretum, & ascendit in montem solus orare.* Apostolus autem iuxta præceptum Domini mare iam nauigantibus, repentina quædam suborta est in mari

Matth. 14. v. 22.

mari tempestatum procella adeo terribilis & periculosa, vt portus assecutionem plane desperantes, perditos se omninò crederent, velaque dirupta ventorum furiæ & exagitationi plane cogerentur cedere: cum ecce amantissimum suum Magistrum iuxta nauiculam suam conspexere ambulantem, qui in ipsorum auxilium & consolationem accurrerat. *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare.* Atque ita ad ipsius diuinam præsentiam, subito in ictu oculi cessarunt venti, serenatus est aer, pristinæque mare restitutum est tranquillitati. Verum dic Sodes, qua via Christus tantum subitò iter confecit, vt afflictis discipulis tam velox & sollicitus auxiliator adesset? Maldonatus ipsum aera permeasse asserit: *Momento temporis credendum est, per aera permeans, discipulos assecutum esse.* Ex hoc loco obseruetis velim, quam sollicitus pro nobis sit Deus, quemque velociter gratiarum suarum nobis daturus suppetias, & consolaturus ad nos aduolet, nimirum ne vlla ipsum mora impediat non iam per terram, sed per aera viam carpit, atque vt iter suum vnico expedire momento possit, quasi assumptis alis velocissime ad nos aduolet. *Per aera permeans.*

Maldon. ibid.

8. Porro per huius loci occasionem facillime intelligetur, quod Dauid de Dei Omnipotentia loquens dicit: *Dominus regnauit, irascantur populi, qui sedet super Cherubim moueatur terra.* Illis namque verbis dicere velle videtur: notum esto omnibus inimicis meis, quia Dominus gloriose regnat, & sedet super Cherubim. Atque ideo fremant ac frendeant aduersum me vniuersi mundi populi, quantum & quoadusque voluerint, sub tali namque Principe, Patrono ac Protectore nihil vestrum metuo furorem. Et quidem verba illa penitius considerans, firmiter mihi persuadeo, Dauidem illa proferentem, ad Arcæ propitiatorium respexisse, quod à duobus sustentabatur Cherubinis, qui alis expansis atque erectis Arcæ superimminebant; quibus Deus, quamdiu inter homines degebat, insidere credebatur. Verū ecquid putatis Deum insinuare voluisse, efficiendo vt sedes sua à Cherubinis istis portaretur? Explicat id Oleaster dicens: *Sunt Cherubim, vt ex scripturis constat, animalia velocissima, cursum ad omnem plagam paratum habentia, super quibus Dominus sedere dicitur, vt adumbret nobis, quam velox veniat in adiutorium nostrum.*

Psal. 89. v. 1.

Oleast. ibi.

9. Clemens Alexandrinus verba illa Isaiæ 34. capite, vbi Propheta postquam opera illa, in quibus exercendus est Christianus, ad hoc vt coram oculis Dei gratus euaderet, exposuisset, tandem subiungit: *Tunc inuocabis me & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet: Ecce adsum.* Valde profunde considerat, & supra modum promptitudinem illam admiratur, quacum Deus de cælo descendit, nostrisque præstat necessitatibus subsidium. Dicit enim Sanctus hic Doctor, quando hactenus in afflictionibus meis Deum inuocabam, atque ab eodem necessarium mihi gratiæ suæ exposcebam auxilium, his mihi in cælo verbis responderi persuadebam. Satis superque te audio, aut vero præstolare nonnihil, quia missurus sum tibi auxilium: aut vero si magnus de cælo afficiendus erā fauoribus, maius quid mihi dici posse non persuadebam, quam si precibus meis hæc de cælo fieret promissio, paulo post infallibiliter tecum ero, vt adiuuem te: at vero iam monente Propheta hoc Euangelico intelligo, non hunc solum fauorem precibus meis de cælo fieri, quod mox ad suppetias ferendas præsto futurus sit, verum insuper precibus meis à me vix absolutis, mox ipse dicat: *Ecce adsum*, q. d. en me quē inuocasti tibi verè præsentem, præsto sum manibus promptis atque in tui auxilium expeditis. Vnde præfatus S. Doctor Deo dicit: *Celerius exaudisti, quam ego expectabam Domine.* Cum enim ego crederem, fore vt donec preces meæ in cælum vsque pertingerent, ibidemque felicem sollicitati fauoris nanciscerentur expeditionem, bona pars temporis laberetur, nunc plura mihi promitti video quā sperare audebam. Vix enim ad orandum os meum aperui, quando admirabili cum sollicitudine te iuxta latus meum video præsentem, promptumque ad hoc vt gratia tua mihi subuenias. *Celerius exaudisti, quam ego expectabam Domine.*

Isaia 59. v. 9.

Clem. Alexand. Pædag. lib. 9.

Id quod à Dauide Propheta Psalm. 29. obseruatum quoque fuit, vbi Deo dicebat: *Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me* quasi voluisset dicere inquit S. Basilius:

Psal. 29. v.

Nihil

S. Basil. ibid. *Nihil medium, nullumque interuallum fuit, inter meam vocem & tuam gratiam, sed simul clamaui & sanitas prodiit.*

10. Quando Deus Adamum Prothoparentem nostrum quærens, terrestrem obambulabat Paradisum dicens: *Adam vbi est* (Gen. 3. v. 9.) viscerosissimæ pietatis actum erga infelicem Adamum, vt inquit Moyses Barcepha, (Moys. Barcef. de Paradyso cap. vlt.) exhibere voluit; *Ostendit ita se Adamum quærere, vt Pater amissum filium sollicite vestigat.* Et merito id Rabinus iste opinatur, ibat enim eo fine vt Adamum lapsum à cōmisso faceret peccato resipiscere, eundemque in gratiæ suæ amplexus reciperet. Quod cum verum sit, vti indubitatè est, obseruandum bene est, quod Deus ambulabat *ad auram post meridiem*, id est, inquit Abulensis: (Tostat. qu. 24. in cap. 3. Gen.) *Videbatur venire de illa parte, de qua ille ventus flabat, qui est post meridiem.* quasi diceret: videbatur ex illa parte venire, ex qua ventus flabat; & quia vētus tūnc spirans ventus erat meridionalis, ideo à meridie venire volebat, quasi impulsus & actus à vento fuisset. Idque fecit vt insinuaret, quam admirabilis sit sollicitudo illa, quacum Dominus Deus ad nobis opitulandum venit, dum gratia illius indigemus, siquidem ne vel vnico quidē temporis momēto tardando, haud secus ac ventus aliquis ad nos aduolat, prouti Dauid quoque dicebat: (Ps. 17. v. 11.) *Volabit super pennas ventorum.*

11. Inter alia verba, quæ Moyses in benedictione tribus Aser dixit, fuerunt etiam sequentia: *Non est Deus alius, vt Deus rectissimi, ascensor cæli auxiliator tuus.* (Deuter. 33. v. 26.) Alii vertunt: *Equitans Cælum in auxilium tuum.* quasi diceret: Quæras licet per totum mundum, neque tamen vllibi Deum inuenies adeo ardentem, & festinum seu velocem in subsidio suis ferendo, quam sit Deus noster. Nam vt cum omni possibili velocitate subueniret, quasi in vicem velocissimorum Dromedariorum cælis vti solet: *Equitans cœlum in auxilium tuum.* Idque reipsa visum fuit eo tempore, quo vt homo fieret, de cælo descendit, quando vt miseriis succurreret humanis; in solis sphæra tabernaculum suum reposuit, seque ab eadem sphæra in virginis matris gremio portari fecit, Dauide Propheta id referente: (Ps. 18. v. 6. & 7.) *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: Exultauit vt Gygas ad currendam viam.* Credo vos nosse, quam ingens sit motuum cæli velocitas, vtpote qui sagittæ alicuius volatum, aut globi alicuius tormentarii cursum, aut impetum tonitrui indicibili quodam excessu superat. Astrologi dicunt, stellas primi mobilis in vnico duntaxat momento, quod secundum ipsos est centesima octuagesima pars vnius horæ, currat quasi per spatium ducentorum octuaginta sex milliarium nostrorum. Deus igitur tanta cum velocitate de cælo accurrit, vt in terram veniat, nostrisque necessitatibus remedium afferat, vt cælum equitare possit, *Equitans cælum in auxilium tuum.* Ac proinde Oleaster hunc locum explicans dicit: (Oleast. in cap. 33. Deuter.) *Mirum valde est quanta cum velocitate Dominus auxilio suis est.* Dici à nemine, aut imaginari potest, quanta cum acceleratione *Dominus Deus* noster currere, imo volare soleat, vt gratiis suis homines adiuuet.

12. Audite obsecro, quanta cum elegantia Sponsa opinionem istam explicet, de manibus Christi Saluatoris nostri dilecti sui loquens: (Cantic. 5. v. 14.) *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ Hyacinthis.* Pagninus vertit: (Transl. Pagnini.) *Manus eius vt circuli aurei, plenæ lapidibus pretiosis.* id est, manus eius sunt veluti totidem sphæræ cœlestes, qui sunt veluti circuli quidam aurei, plenæ lapidibus pretiosis. Ex quo manus Dei plenæ sunt monilibus & gemmis pretiosissimis, & sphæris assimilentur cœlestibus, indubitatum est, voluisse ipsam per hanc metaphoram velocitatem innuere, quacum ad locupletandum nos accedant. Rupertus Abbas hunc locum considerans, quærit causam, ob quam Christi manus in gratiarum suarum collatione, tanta moueantur cum velocitate, eandemque hanc esse dicit: (Rupertus Ab. ibid.) *Nimirum ex eo quod sunt aurea. Substantia namq; verbi incarnati, verum aurum est, vera Diuinitas est.* Tanta cum velocitate ad nos accelerant, quia *Dei* manus sunt, Deus enim hominem aliquem suis fauoribus honoraturus, aut magnificaturus illum gratiis, aut eundem bonis suis locupletare volens, in cælestes sese sphæras transformare quasi consueuit, vt tanto velocius

locius illa de cælo descendent. *Manus eius vt circuli aurei.*

Nos vero tantam hanc Dei benignitatem non attendentes, pigri & tardi in illius sumus seruitijs. Obseruat S. Petrus Chrysologus Mariam Magdalenam, vti S. Matthæus refert, vesperi Sabbathi ad conspiciendum Christi sepulchrum exiuisse: *Vespere autem sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum.* Vnde quærit, Quamobrem Magdalena sepulchrum Christi visitatura, non fuit festina, velox, & sollicita, vt egrederetur mane summo diluculo, sed vesperi, & quasi sub crepusculum noctis. Certe quod si obligationis suæ debitum respiciamus, dicere omnino oportet, conueniens admodum fuisse, vt valde mane veniret, Diuini enim obsequij negotia, ijs quæ corpus & mundum spectant, longe præferenda sunt, Christo hoc ipsum præcipiente: *Quærite primum regnum Dei?* Et dicit: *Sero mulier currit ad veniam, quæ maturè currit ad culpam. Vespere quærit Christum, quæ in matutinis Adam se nouerat perdidisse.* quasi diceret: Ne id vobis mirum videatur, humana namque proprietas est, summa cum sollicitudine operam suam offensæ Dei impendere, Dei autem seruitio, cum summa erubescendaque tarditate & mora. An non videtis, qualiter mulier, quæ Deum summo diluculo in terresti Paradiso offendit, valde sero abeat ad inquirendum Christum in sepulchro? vnde liquet quantum in studijs & conatibus nostris diuersi simus à Deo, ipsique contrarij. Quantum enim Deus sollicitus est, vt nobis per gratiam suam succurrat, tantundem nos pigri sumus & inertes, vt operam nostram in aliquale ipsius impendamus seruitium. Cumque Deus gratias suas nobis communicaturus Tigride velocior existat, nos dum tantæ velocitati pro modulo nostro respondere debemus quauis testudine tardiores sumus & lentiores.

Matth. 28. v. 1.

Ibidem 6. v. 33. S. Petr. Chrysol. ser. 74.

SERMO XXXV.

In Feriam III, Dominicæ, V. Quadragesimæ.

Erat autem in proximo dies festus Iudæorum.

Ioan. cap. 7.

CVm Simeon deuotissimus ille senex, dolenti corde, oculisque præ lachrymis stagnātibus puerulum Iesum fælicissimis brachijs suis stringeret, & spiritu sancto plenus, ærumnas illas, quibus inter homines agens ab ijsdem afficiendus erat, consideraret, ad circumstantes conuersus dixit: *Ecce positus est hic in signum cui contradicetur.* q. d. Hic quem manibus meis stringo & amplector incarnatus Deus, aliud nihil in hoc mundo erit, quam amplum quoddam valdeque conspicuum innumerabiliū contradictionum signum. Quæ prophetia postea ipso facta est sole clarior. Contradictionem namque passus est in Incarnatione à Diuina Iustitia. In Natiuitate à pauperta-

te;

te: In adoratione Magorum ab Herode: In deserto à Dæmone: In prædicationibus à scribis; In Passione à Iudæis: In Resurrectione à Thoma: Post Ascensionem in cælos à Saulo & gentilibus Tyrannis. Et in particulari S. Ioannes in hoc Euangelio tria contradictorum genera recenset contra ipsum armata, videlicet Festa, cognatos, & turbas. Festa quidem, vtpote quæ iam non sua sunt, vti esse debebant, sed aliorum: *Dies festus Iudæorum*: cognati vero illi contradicunt, quia in ipsum non credunt: *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Denique contradicunt & turba, quia aduersus eum murmurant: *Murmur multum erat de eo in turba.* Verum itaque est humanarum contradictionum signum: *Signum cui contradicetur.* Et quidem Festorum contradictionem imprimis consideremus.

CONSIDERATIO I.

Dies festus Iudæorum.

Tantus est Christianorum in Sacrarum festiuitatum celebratione abusus, vt iam non amplius Dei, sed potius hominum, imo Dæmonum festa esse videantur.

TAmetsi festum Tabernaculorum, cuius Sacer Euangelista in hoc Euangelio meminit, Dei singulare festum fuerit, vtpote in diuinorum beneficiorum, quæ Hebræorum populis in deserto accepit, memoriam singulariter institutum, attamen non Dei sed hominum festum in præsenti Euangelio appellatur: *Dies festus Iudæorum.* Sicut enim Deus illa festa tanquam sua agnoscit, in quibus Deus honoratur, adoratur & laudatur: ita alia in quibus per humanas dissolutiones contemnitur, & offenditur, æstimantur festa nostra, aut Dæmonum inimicorum nostrorum, non vero sua. Veritas autem hæc ex sequentibus rationibus magis elucescet.

2. Audite igitur inprimis, quid Ieremias Propheta de prophanorum Hebræorum festiuitatibus loquatur: *Viæ Syon lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.* Qui locus bonam sui ponderationem meretur. Nam vt verum fatear, quando primitus audiui vias Ierosolymæ tempore festiuitatum plangere, id ego ideo credebam accidisse, quia videlicet à nimia virorum atque mulierum frequentia terebantur & calcabantur continuo, quasi lugerent veluti tanto oneri ferendo longe impares, ad eum modum, quo iuxta figmentum Poëticum Gygantes tantæ vastissimorum montium moli colla sua submittentes, gemere dicuntur. *Thren. 1. v. 4.*

Gemunt sub mola gygantes.

Verum non est hic verborum illorum sensus, sed potius *Viæ Syon lugent*, quia nemo est qui easdem tempore festiuitatum pedibus suis terat aut calcet: *Eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem.* Quamuis & hic sensus suam habere difficultatem videatur, siquidem nullo vnquam tempore viæ plus frequentantur & teruntur, quam in diebus festis, ad quos magni pariter & parui, viri & mulieres, nobiles & ignobiles accurrere & festinare solent. Nō igitur videntur plateæ causas habere lugendi, seque reputandi solitarias & desertas, eo præsertim tempore, in quo plus quam vnquam frequentantur & teruntur, hominibusque refertæ existunt. Imo vero, inquit Oleaster, maximam habent viæ Syon lugendi rationem, *Quia pios & cultores Dei desiderabant.* q.d. Non lugent, quod nō frequentētur ab ijs, qui ad festiuitates conueniunt, vel vt alios videant, vel vt videantur ab alijs, vel vt seruorum suorum turbam, vel superbi vestitus gloriam, aut aliam quamcunque pompam mundanā ostentent, tales enim sine numero conueniūt: sed desertas & solicitarias se ideo potius lugent, quia in ijs diebus non frequentantur, aut visitantur ab hominibus virtuosis & bonis, eo ad Deum honorandum & laudandum conuenientibus. *Pios & cultores Dei desiderabant* Vnde cum vix vllus Sacris festiuitatibus, eo fine assistat, vt Deus ab illis laudetur & honoretur, sed ob alios fines valde prophanos, merito *Oleast. in cap. 18. Leuit.*

salis

talis festiuitas, non Dei festum, sed humanum & mundanum spectaculum appellandum erit.

2. Inter alia nomina quibus festa appellantur, vnum est valde solemne, quo latino sermone celebritas appellatur. Habet autem hoc nomen, vt inquit S. Isidorus, eo quod omnia quæ illo tempore fieri videntur, cælestia sint, non vero terrena: *Celebritas nominatur, eo quod non ibi terrena, sed cælestia tantum agantur.* Aut vti vult Author libri, qui inscribitur *Gemma animæ*. quia eo tempore & loco quo celebritates aguntur, cælestia à solis castis & continentibus honorantur & tractantur. *Celebritas quasi cælibum, id est, castorum ritus, dicitur, quia in illa ritus cælestium à castis aguntur.* Quod cum reuera ita sit, dicendum consequenter erit, quod quotiescunque in diebus festis non adsunt homines continenter & casti, qui tali tempore omnibus mundanis negotijs posthabitis, totos sese impendant obsequijs cælestibus, sed potius loco talium conspiciuntur homines vani, sensuales & carnales, qui Deum nihil curantes, nec propriam salutem, cælestiumque mysteriorum quæ in festis illis diebus celebrantur, immemores, seu potius ignari, ad sacras solemnitates ob mundanæ pompæ ostentationem, ob crapulas & carnalitates, aliasque terrenas sensualitates dissolute & sine pietatis aut Christianæ modestiæ fræno accurrunt, talia festa celebritates appellari nequaquam poterunt, neque Dei sed mundanorum hominum festa erunt, vtpote qui mundana Deo adeo exosa sequuntur & honorant.

S. Isidor. Ethym. lib. 6. cap. 18.

Gemma animæ. lib. 3. cap. 7.

3. Referunt Historici solemnem quandã in Moscouia legem esse, qua Moscouitis sub arduis pænis nimius vini potus & ebrietas districte prohibeatur, diebus tamen Natiuitatis & Resurrectionis Domini nostri, Festis item Beatæ Virginis S. Petri & S. Nicolai exceptis, vtpote in quibus vniuersim omnibus quantum libet bibere & inebriari fas est. Ideoque populos istos ob immoderatum vini appetitum, præfatos dies tanto cum desiderio expectare, vt quæuis mora quantumuis modica, nulla annorum esse videatur, idque non ex deuotione festa illa celebrandi, aut recolendi mysteria illa, quæ ab Ecclesia illis diebus repræsentantur, sed vt vino sese ingurgitent, ipsamque cum submerso cerebro rationem dissipent atque sepeliant: & in bestias transformentur. Quid de hac helluonum istorum consuetudini vobis videtur? Num festa hæc ab eiusmodi bestijs celebrata, Dei festa reputabitis? Audite obsecro quid S. Bernardo de talibus festis videatur; qui in sermone quodam de omnibus sanctis ita inquit: *Videre est hodie multis in locis, non sine multa ambitione & commessatione præsentem diem honorari, an dehonestari dicam? Ipsi videant qui hoc agunt. Ipsorum est enim huiusmodi celebritas, non sanctorum.* S. Bernard. ser. 5 in fest. Omnium SS.

4. Audite quid Deus de festis illis sentiat, quæ Hebræi tum in honorem Diuinæ prouidentiæ, qua mundum gubernat, tum in legis datæ memoriam, primo cuiuslibet mensis die celebrare consueuerant, sic enim per os Isaiæ Prophetæ loquitur: *Calendas vestras, & solemnitates vestras, odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.* Magnam vtique iustamque causam fateor Deus habuit, festa illa execrandi, quæ ijdem tanta cum indeuotione, dissolutione, alijsque millenis imperfectionibus obibant. At vero cur illa non sua sed Hebræorum festa appellat, cum illa vere sua festa esse negare non possit, vtpote ad gloriam & honorem ipsius primitus instituta? *Calendas vestras & solemnitates vestras?* Ratio est, quia in eiusmodi Festis nihil sui videbat. Id quod facilius intelligetur per id, quod Flauius Vopiscus Syracusanus in vita Carini Romanorum Imperatoris scribit; cuius scelera adeo erant grauia & enormia, vt honoratissimus eius Pater, tametsi ipsum verum ac genuinum filium suum esse non ignoraret, vtpote qui ipsum reuera generauerat, ne tamen tam infamem habere filium diceretur, ipsum filium suum recognoscere nequaquam volebat, ideoque verba illa frequenter repetere auditus fuit: *Non est meus.* Idipsum quoque Deus de Hebræorum festis mihi dixisse videtur; Tametsi enim illa à se, ad suum honorem & gloriam instituta esse nõ ignoraret, quia tamen in ijsdem, prout ab illis celebrabantur, nihil sui recognoscebat, vtpote in quibus non tantum non honorabatur Deus, verum etiam pluribus & enormiori-

Isa 1. v. 14.

Flau. Vopiscus in Carino.

mioribus ſceleribus, quam alijs diebus offendebatur, illa noluit appellare feſta ſua, ſed illorum qui illa commeſſando, bibendo, ludendo, alijſque illicitis modis ordinarie prophanare conſueuerant. Ad hanc porro miſeriam ipſa quoque Chriſtianorum feſta reducta eſſe reperiuntur, timeo enim ne & illa, ob enormes, quæ diebus feſtis committuntur, diſſolutiones, à Deo non tanquam ſua recognoſcantur, ſed potius ſimul reprobentur cùm feſtis Hebræorum.

5. Quidnam Deus Hebræis feſta ſanctificare præcipiens. *Memento vt diem Sabbati ſanctifices*, per verbum illud *ſanctificare* intelligere voluerit, facile intelligetur per id, quod Toſtatus in explicatione huius vocabuli *Sanctus* dicit, qui vult *Sanctus* idem ſignificare quod *ſeparatus*. Illa enim Leuitici verba Cap. 6. *Sanctum ſanctorum erit id eſt ſeparatum pro Sacerdotibus. Et accipitur ſanctum, id eſt, ſeparatum, & eſt modus communis Sacræ Scripturæ.* Quando igitur Feſta ſanctificanda eſſe dicit: *Diem Sabbati ſanctifices*, videtur voluiſſe præcipere, vt ab aliis diebus ſepararentur. At vero quamobrem diem feſtum ab aliis diebus ſeparatum eſſe voluit? Ratio huius eſt, quia diem feſtum diem ſuum eſſe volebat, ſua autem à noſtris ſeparata ſint, neceſſe eſt, nec enim bene miſcentur ſacra prophanis, & ſi ſecus fieret, diem illum pro die ſuo minimè agnoſceret. Id quod ex Numerorum Cap. 8. facile probatur, vbi Deus de Leuitarũ electione agens, Moyſi præcepit, vt illos, ad hoc vt ſui eſſe poſſint, ſepararet ab aliis hominibus. *Statues Leuitas in conſpectu Aaron, & conſecrabis oblatas Domino, ac ſeparabis de medio filiorum Iſrael vt ſint mei.* Quaſi à contrario inferre voluiſſet, quod niſi hoc modo ab aliis hominibus ſeparati fuiſſent, illos tanquam ſuos recepturus minime fuiſſet. Adeo vt Deus feſta in tantum à nobis velit ſanctificari, id eſt, ab aliis diebus diuidi & ſeparari, in quantum illa vult eſſe ſua. Certum enim eſt, quod ſi nos feſta ab aliis diebus non ſecreuerimus, ſed in iis prophani indeuoti, guloſi atque in mundi negotiis ſubmerſi fuerimus, & in peccatis perſeuerauerimus, haud ſecus atque aliis ſeptimanæ diebus ſolebamus facere, Deus illa inter dies ſuos minimè computabit, ſed inter noſtros recenſebit; & ſicut olim Hebræis, ita nobis quoque dicet: *Calendas veſtras & ſolemnitates veſtras.*

Exod. 20. v. 8.

Toſtatus in cap. 6. Leuit.

Num 8. v. 13.

6. Rupertus Abbas exiſtimat, quod cauſa, ob quam eo tempore, quo Hebræi Chriſtum crucifigebant, Sol obſcuratus fuerit, cunctaque cæli luminaria extincta ſint, adeo vt mundus ingenti tenebrarum obductus fuerit caligine, vt S. Lucas ſcribit. *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, & obſcuratus eſt Sol*, hæc inter cæteras præcipua fuerit, quia nimirum infames illi homines, tantam enormitatem eo præcipue tempore committere præſumpſerint, quo Paſchalis feſti celebrabant ſolemnia. *Cum crucifixiſſent illum, iſte diurnus ſi ut quotidianus Sol obſcuratus eſt, & tenebræ ſuper terram factæ ſunt; tantum ſcelus in feſtiuitate ſua, quæ dicitur Phaſe, id eſt, Paſcha commiſerunt.* q. d. Quiſquis cauſam ſcire deſiderat, cur Hebræis grande illud ſcelus in die feſto committentibus, Deus ſolem, cunctaque alia cæli luminaria obſcurauerit, ſcire is debet, illud ideo præcipue accidiſſe, vt ſcilicet per hoc inſinuaret, Feſtum illud, non eſſe feſtum ſuum, ſed eorum potius, qui illud tanta cum abominatione prophanabant. Quis enim eſt, qui ignoret, ignes & lumina feſtiuitatum eſſe ſigna. Vnde ſicut illi, qui in eiuſmodi feſtis ignes vel lumina accendunt, per hoc ſe tale feſtum honorare & celebrare demonſtrant; & econtra qui eadem accenſa extinguunt, ſe illa deteſtari & abominari ſignificant. Ita quoque dum Hebræi ad Paſcha ſuum ite celebrandum præpararentur, tot accenſis ignibus, & luminaribus, vt Ioannes dicat, illos ad manſuetiſſimum IESVM capiendum ſe recepiſſe cum laternis & facibus, feſtum illud ſuum eſſe, atque ab ipſis honorari & coli inſinuarunt: Deus qui feſtum illud, ob enorme ſcelus, quod in illo patrabant, deteſtabatur & abhorrebat, ſolem veluti extinxit, omniaque alia cæli luminaria obſcurauit: *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, & obſcuratus eſt Sol.* Atque per hoc inſinuauit, feſta illa quæ humanis abominationibus commaculantur, & prophanantur à mundo, execrabilia & reproba eſſe in cælo, neque pro Dei feſtis recognoſci.

Lucæ 23. v. 44.

Rup. Ab. in Amos cap. 8.

7. Psal. 73. v. 8. Dauid Propheta refert, sceleratos quosdam homines, intra semetipsos firmiter decreuisse, omnia Dei festa indelebili litura quadam obducere & delere, peruersisq; actionibus suis perpetua sub obliuione sepelire. *Dixerunt in corde suo, quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.* Alii vertunt, & legunt. *Incendamus omnes dies festos Dei.* Attendatis velim ad literam istam, vtpote quæ prima facie nonnemini videri possit, non posse subsistere. Cum enim festa non sint materia combustibilis, vti alias est oleum, ligna, & alia similia, accendi quoque & comburi nequaquam posse videntur, vti scelerati isti homines facere decreuerant. Notandum igitur, quod sicut dum aliquid comburitur, ignis illius substantiam consumit, eandemque in materiam fumi & cineres resoluit: *Ita* quia scelesti homines illi, mundanarum dissolutionum suarum igne, consumere moliebantur diuinorum festorum substantiam, quæ in Dei honore & reuerentia consistit, eandemque in humanæ superbiæ fumum, & in fœces gulæ, luxuriæ, aliasque mundanas spurcities & turpitudines cogitabant resoluere, bene dicebant quod illa vellent incendere. *Incendamus omnes dies festos Dei.* hoc enim modo vere accendebantur, redigebanturque in cineres. Vnde ex festis indeuote, imo impie celebratis, & quasi incendio combustis, hisce temporibus nostris aliud nihil manere videtur reliquum, præterquam fumus diuitiarum mundanarum, qui per ostentationem euanescit, fumus pompæ vestium, fæces & immunditiæ gulæ, aliarumque carnis delitiarum & voluptatum. Vnde fit, quod sacræ festiuitates, ob humanas imperfectiones in iisdem commissas, adeo factæ sint nostræ, vt Deus nullam prorsus in iis partem habeat, quicquid enim in illis est, quod à Deo venit, consumptum est atque deperditum.

Psal. 73. v. 8. Apud Lorin. ibid.

8. S. Vincentius Ferrerius causam inuestigat, ob quam vita hominis hodie tam breuis sit, siquidem rarissimi sunt, qui dies suos vsque in decrepitam protendunt ætatem? Tandem vero depræhendit, non esse aliam huius rei causam, quam intolerabiles hominum in diebus festiuis commissas dissolutiones. *Dicit Dominus: vos aufferetis mihi tempus meum, ideo ego aufferam à vobis tempus vestrum. Ista ratione veniunt mortalitates, quia illi qui debebant viuere quadraginta vel sexaginta annis, morientur cras.* Quasi dicere vellet: videns Deus tempus festorum suo duntaxat obsequio & seruitio consecratum & reseruatum, sibi per commessationes, ebrietates, ludos, aliasque vanitates mundanas eripi & aufferri, hunc in modum miseros alloqui Christianos videtur: Ex quo vos, infælicissimi homines, tempus illud, quod ex omnibus septimana diebus mihi secreueram & reseruaueram, ausu temerario mihi suffurari, & eripere præsumpsistis, adeo vt iam non Dei sed hominum festa sint. Ego quoque tempus vitæ vestræ longius producendæ decretum imminuam, & suffurabor, adeo vt immatura morte potiori ex parte omnes ex vita decessuri sitis. Atque hanc ob causam tot bella, pestilentiæ, fames, aliæque similes mortalitates conspiciuntur *Auffertis mihi tempus meum, ideo ego aufferam à vobis tempus vestrum.* Adeo vt breuis vita Christianorum, clarum sit prophanatarum Diuinarum festiuitatum argumentum.

S. Vinc. Ferrer. ser. 2. feria 6. Cinerum.

9. Vbi in Psalmo septuagesimo quinto iuxta vulgatam à nobis legitur: *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi*, alii vltima huius Versus verba vertunt: *Pauorem agent tibi.* Vnde colligitur, apud Hebræos festum & pauorem vnum & idem esse. At vero dicat aliquis, qua ratione festum pauor seu timor dici poterit, siquidem festum aliud nihil significet, quam iubilum & lætitiam. Vnde cum nos lætos aut bene contentos dicere volumus, dicere solemus nos festiuos esse? Resp. dum hæc in Scriptura sacra hoc modo combinantur ad humanas dissolutiones respicitur, quæ ab hominibus mundanis in Dei festis introducuntur. Tametsi enim negari non possit, tempus festorum, tempus esse lætitiæ, quia tamen ea, quæ diebus sacris à plerisque exercetur lætitia, illicita est atque prophana, ideo similis est illi lætitiæ, quam fur habet de bono furto sublato, qui eodem tempore quo gaudet, in manus quoque iudicis incidere & supplicio condigno affici, & propter modicum illud, quod abstulit, omni quoque eo priuari timet, quod pacifice hactenus tanquam proprium possederat,

75. v. 11. apud Lori.

derat, prouti multis accidit, qui propter decem scuta furto sublata, multis diuturnis persecutionibus infestantur, squalidis molestisque carceribus diu includuntur, omnique eo exuuntur, quod hactenus pacifice possederant. Atque hanc ob causam festa timor & pauor appellantur, Festum enim tale tempus est, in quo ii homines, qui prophanè & sæculariter gaudent, diuinum Deo debitum cultum furto eripuerunt, sibique appropriarunt; atque ideo ob furtum istud, in continuo debent esse timore, ne propter illud perdant & amittant, quicquid illis ex diebus vitæ adhuc erat reliquum, repentinaque morte è medio tollantur. *Pauorem agent tibi.*

10. Præterea non solum propter tot, quæ diebus sacris dolenter visuntur, miserias, opus est dicere; quod festa illa non iam Dei sint, sed nostra, verum insuper quod sint Festa Dæmonis Infernalis, inimici infensissimi Dei & nostri. Cuius ratio clara est, atque perspicua. Nam si Festa bene deuoteque à nobis celebrata penitius considerauerimus, inueniemus illa tam nostra, quam Dei & Sanctorum eius festa esse. Dei quidem, & Sanctorum festa sunt, quia in illis Deus & Sancti honorantur. Sunt etiam festa nostra ob vtilitatem quam in illis pro animabus nostris haurimus. Dicitque Guilielmus Durandus, Festa nullam aliam ob causam ab Ecclesia instituta esse, quam propter istam. Nam *Sanctos honorando rem nostram agimus, nam eorum festiuitas nostra est.* At vero dum illa prophanamus, & contaminamus, non solum, vt dictum est, illa Deo aufferimus, verum insuper nobismetipsis, neque enim speratum ab illis commodum reportamus. Reliquum igitur, vt sint & dicantur festa Dæmoniorum. Vnde qui in eiusmodi festis diebus ventri implendo vacant, Bacchi festa celebrant; qui luxuriæ fæditatibus immerguntur, festa Veneris honorant. Alii denique qui eiusmodi sacros dies negligenter in otio transigunt, murmurando, & famam proximi obscurando, Momi festa colere dici possunt. Et sic consequenter per alia vitia discurrendo, inuenietis Festa, quæ ab impiis dissolutisque Christianis celebrantur, nec sua, nec Dei, sed Dæmonis iurati hostis & aduersarii sui festa esse.

Guiliel. Durand. Ration. Diuin. lib. 6. c. 1.

11. Quamobrem Dauid Propheta ad similia festa tam indignis modis concelebrata attendens, lachrymabatur, & dicebat: *Gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tua, posuerunt signa sua.* q. d. Quantum videre mihi licet, O Domine, festorum tuorum honor & gloria, non tua, sed peruersissimorum inimicorum tuorum est propria, atque ideo sua in iis erexerunt insignia, & iniquitatum vexilla; tanquam de horrendo illo sacrilegio, quo debitum in iis Deo gloriam & honorem surripuerunt, gloriantes. Hugo Cardinalis dicit, Dauidem hic de Dæmonibus loqui. *Gloriati sunt qui oderunt te, scilicet Dæmones. Quia in diebus solemnibus plura peccata fiunt.* Dæmones igitur videntes, sacra festa tot relaxationibus prophanata, tot peccatis polluta, illa non Dei, sed sua festa reputant, ipsi enim in illis honorantur & coluntur, non verò Deus. Vnde in huius sui Dominii ostentationem, labara seu vexilla sua ad eum modum erigunt, quo Capitanei in Ciuitatis alicuius possessionem ingredientes facere solent. *Posuerunt signa sua.* Eiusmodi Diabolica signa sunt, Mechanicorum opificum otia, vanitates sensualium mulierum, superba vestimenta diuitum, lauti apparatus mensarum, ludi, choreæ, aliæque vanitates similes, quæ ex tota septimana soli diei festo temere reseruantur. Atque hæc est prima contradictio, qua Christus mundi Redemptor infestatur, in præsenti Euangelio proposita.

Psalm. 73 v. 4.

Hugo Card. ibid.

CONSIDERATIO II.

Neque fratres eius credebant in eum.

Cognati & amici sunt maximi inimici nostri.

ALtera contradictio, quam Christus Dominus noster in hoc Euangelio patitur, ex parte cognatorum suorum procedit, vt S. *Ioannes* dicit, qui cælesti doctrinæ suæ diuinisque miraculis non solum credere detrectabant: *Neque enim fratres eius credebant in eum:* Verum insuper, vt dicit S. Ioan-

nes Chrysostomus, sub prætextu illum Hierosolymam ad festa inuitandi, illum tradere, suorumque inimicorum manibus, qui vt ipsum occiderent, ad festa eum Hierosolymis operiebantur, consignare moliebantur. Vnde perspicuè videtur, quomodo homo in hoc mundo maiores crudelioresque inimicos non habeat, quam sint amici eius & cognati.

1. Causa, quæ filium prodigum ad eam hæreditatis partem, quæ illum contingebat, poscendam permouit, multa bona ingenia hactenus valde exercuit. Nullam enim habuisse videtur rationabilem causam, vt opulentissimi Patris sui domo, vbi omne bonum abundabat, relicta, abiret in regionem longinquam adeo sterilem & infœcundam, vt proprium videretur famis & cuiusuis alterius humanæ calamitatis diuersorium. Veruntamen inquit S. Petrus Chrysologus, iustam & rationabilem temeritatis i stius causam quærere, est oleum & operam perdere, talem enim minime habuit, vtpote qui à peruersa & impia intentione, ad hoc temerarium facinus audendum instigatus fuerit, nam *Hæres impatiens patris fatigabitur ad vitam.* Anni multi elapsi iam fuerant, à quibus boni patris sui mortem, magno cum desiderio expectauerat, vt post illam domus suæ hæreditatem, vna cum alio fratre suo partiri & diuidere posset. Tandem vero videns, Patrem suum, licet totaliter decrepitum, haud secus ac si nectare & ambrosia cælitus nutriretur, & immortalis esset, mori non posse, longæ Patris vitæ pertæsus, eundemque ferre non sustinens, rupta patientia portionem substantiæ se contingentem poposcit: *Patris fatigabitur ad vitam.* Per quod Christus Saluator noster insinuare voluit, proprios filios, nonnunquam adeo magnos esse parentum suorum ini[mi]cos, vt non curantes, quod vitam, aliaque permulta bona ab iis acceperint, nihil adeo vehementer exoptent, quam vt per mortem, è medio tollantur, quo malo truculentissimi eorum inimici nihil ipsis deterius exoptare possent. Vnde alibi quoque expresse dicit: *Inimici hominis domestici eius.*

S. Petrus Chrysol. serm. 1.

Matth. 10. v. 36.

2. Hugo de S. Victore votum illud Iephte considerans, quo se coram Deo obligauit, quod si Dei benignitate Ammonitarum exercitus sibi tanquam victori cederet, eum qui sibi triumphatori ingredienti ex domesticis suis primus occurreret in holocaustum offerre vellet, prouti in libro Iudicum his fere verbis narratur: *Votum vouit Domino dicens: si tradideris filios Amon in manu mea, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, cum holocaustum offeram Domino*, quærit, quemnam hic Iephte, votum illud faciens, ex omnibus domesticis in mente sua designarit, & obuium esse optarit? Et dicit ipsum optasse suam sibi obuiare coniugem: *Sed quam potuit cogitare primitus occurrentem coniugem cogitauit.* Verum O Deum immortalem! Fieri ne potest vt maritus propriæ suæ coniugi mortem machinari possit? ei nimirum, quacum dulciter conuersabatur, & ex qua filiam procreauerat? Nolite de hoc dubitare, sed veluti certum tenete, maior enim inimicum homo in hoc mundo habere nequit, quam illum, qui suo semper lateri comes indiuiduus adhæret. *Inimici hominis domestici eius.*

Iudicum 11. v. 30.

Hugo de S. Vict. in Iephte.

3. Psalm. 108. Dat id Propheta de infælici Iudæ proditoris, impii Christi discipuli, coniuge & liberis discurrens, dicit: *Fiant filii eius orphani, & Vxor eius vidua; nutantes transferantur filii eius, & mendicent, & eiiciantur de habitationibus suis.* prouti reuera postea accidit, nam ob ind[i]gnum commissæ traditionis facinus, post mortem traditoris Patris sui, ab Hebræis officialibus, omni eo quod possidebant sunt spoliati, adeo vt præ extrema qua pressi sunt paupertate, fame quasi enecti, ad mendicandum in regione peregrina panem, à propria patria sua facti sint extorres. Circa quam historiam merito inquirendum venit, quodnam vxor & liberi Iudæ proditoris peccatum com[mi]serint, quod tantam Dei indignationem sibi adsciuerint? Quod si enim Iudas, qui familiæ istius caput erat solus, peccatum admiserat, adeo vt ad illius commissionem familia eius nequaquam concurrerit, quo iure quaue iustitia tantam sustinere pœnam debebant? Quod si Deus dixit: *Filius non portabit iniquitatem Patris.* Videtur certe consequi, Iudæ filios nulla prorsus iustitiæ via, ob paternum facinus mulctari debuisse, & quidem.

Psal. 108. v. 9.

Ezech. v. 19.

dem pœna tam atroci & graui, qualis hic prædicitur. Famosissimus ille *Incognitus* Carmelita P. Michael Ayguanus de Bononia, certum esse dicit, non Iudam tantum, sed & ipsam quoque eius vxorem & liberos peccasse, adeoque non ob solum Patris peccatum fuisse punitos. Peccatum autem istud assignat dicens: *Secundum aliquos, vxor Iudæ cum filiis fuerunt consentientes proditioni Christi quam Iudas eis reuelauit, propter lucrum inde recipiendum.* q. d. *Iuste* tot malis subiacuerunt, vtpote qui propter speratum lucrum ex traditione Christi ipsis à Iuda reuelata comparandum, in eandem Christi traditionem, sceleri illi horrendissimo applaudentes, plenè consenserunt. Firmiter enim mihi persuasum habeo, *Iudam* sub prætextu subueniendi necessitatibus pauperum, reuera vnguentum istud quod Maria Magdalena super caput *IESV* effuderat, vendere, atque bonam pecuniæ exinde comparatæ partem furati voluisse, ideoq; dulcissimo Magistro suo grauissime fuisse indignatū, eo quod permisisset vnguentū istud pretiosum super caput suum à B. Maria Magdalena effundi; cumque domi ab vxore & liberis vt fieri assolet impatientiæ & iræ suæ rogatus fuisset dicere causam, totam eis rei gestæ recensuit seriem, moxque subiunxit, propositum sibi firmiter esse, indilate perpessam hanc restaurare iacturam, promissa traditionis mox secuturæ mercede. Qui mox vt mariti & Patris sui percepere propositum, vt infælicem hancce ex traditione *IESV* comparandam pecuniam realiter domi suæ possiderent, ratum illud & gratum valde habuerunt, imo ad tantum facinus audacter patrandum, fortes addidêre stimulos. Vnde peruersâ hac suâ complacentiâ & applausu circa peccatū *Iudæ*, eundem eousque perduxerunt, quo ipsum omnes inimici simul coniuncti perducere minimè poterant. ac proinde tales nequaquam filii, amici, aut parentes appellandi erant, sed veri inimici. *Inimici hominis domestici eius.*

Michael Ayguanus de Bonon. in ps. 108.

4. Et quot eiusmodi amicos infælix homo circa finem vitæ suæ inuenit, qui vna ex parte circa lectum eius agonizantis plorant, ex altera verò illum cælo priuare, atque in perpetua inferni incendia exturbare temere procurant? Audite circa hoc discurrentem S. Bernardinum: *Vere inimici hominis domestici eius; cum sæpè contingat, quod filii & cæteri consanguinei, ne vsurarius restituat aliena, malitia aut violentia impediunt confici testamenta, & cautiones debitas fieri, quasi* diceret: Nemo sit, qui filios, vxorem, aliosque similes proximos cognatos, maiores quam vspiam habere possit, esse aut dicere dubites inimicos, siquidem frequenti experientia compertum sit, quod moriente verbi causa Patrefamilias, ne is partem & à se speratam diminuat hæreditatem, ipsum à testamento condendo, aut facienda reali eorum quæ iniuste acquisiuerat, restitutione, occulta quidem, attamen vera cum violentia temerè impediunt, adeoque vt furtis & rapinis, aliisque bonis iniuste partis onustus moriatur, fiatque perpetuum ignis infernalis pabulum. Hi tales qui tanta damna moliuntur, potius inter inimicos inuisibiles, quam inter visibiles huius mundi sunt connumerandi, vtpote qui non tantum temporalem mortem carnis, verum etiam æternam animæ mortem procurant, quod vnicum Dæmonum solorum est munus & officium.

S. Bernardinus, tom. 2. ser. 45. q. 1. c. 2.

5. Seruum illum bonorum Domini sui dilapidatorem, qui cum decem millium talentorum debitor existeret, ne vnum quidem teruncium soluere poterat, Dominus eius vna cum vxore & liberis vendi iussit: *Iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios.* Vbi merito dicat aliquis: Quamobrem hic simul cum coniuge & liberis vendendus dicitur? Quod ipse vendi iuberetur, vtpote facultatum alienarum vsurpator, & dilapidator, id quidem rationabile erat; verum quod eidem miseriæ inuolui simul iubeatur vxor, & liberi, id salua iustitia fieri non posse videtur. Oleaster contra dicit, hanc Regis ordinationem longe æquiorem fuisse, prout concernit vxorem & filios, quam quatenus Patrem afficit: quicquid enim Domino suo furto surripuerat, id totum vxore & liberis suadentibus & causantibus fecerat: *Hac de causa arbitror Regem serui sui, qui illi non soluendo erat, vxorem & liberos vendere præcepisse, quoniam nouerat horum gratia cum tot furta & debita commisisse.* quasi diceret: Quia Rex Euangelicus infœlicem

Matth. 18. v. 25.

Oleast. in cap. 32. Isai.

fælicem hunc hominem, ad vxoris & liberorum instantiam, tot furta commisisse nouerat, ideo illos tanquam commissi delicti complices, vna cum ipso simul vendi æquissimè præcepit. Tantæ enim tamque exorbitantes sunt mulierum superbarum vanitates, tam quoad personas ipsarum proprias, quam quoad liberos vestiendos & ornandos, vt dum miseri mariti illis procurandis, ex censu aut industria sua non sufficiunt, magnis se debitorum summis, enormibusque furtis & latrociniis, onerare cogantur; ac demum ob elatum vxorum & liberorum suorum animum, in tale se videant deturbatos præcipitium, vt ab inimicis suis crudelissimis & infensissimis præcipitari grauius & infælicius non possent.

6. Postquam Adam vetitum furatus pomum, Dei transgressus esset præceptum, in judicium ob hoc vocatus, & de eo quod acciderat interrogatus, supremo Iudici hunc in modum respondit: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Et quid obsecro hac responsione dicere voluit? Tostatus dicit, Adamum tam pænam, quam culpam commissam, in infælicis coniugis suæ humeros exonerare voluisse. Dicere enim intendebat, se omnino ignorasse, quod pomum istud fructus esset arboris vetitæ, quod si enim idipsum sciuisset, in æternum manducaturus pomum istud non fuisset: *Ac si diceret: Mulier dedit mihi, scilicet, non indicauit mihi, de qua arbore esset fructus: & ideo nihil mali suspicatus, comedi. Et sic voluit peccatum à se transferre, ac si non peccasset.* Honoratus profectò maritus, valdeque in propriam carnem pronus. Nam vt manum suam ad fructum istum decerpendum & manducandum extenderet, promptus quidem fuit: at verò dum pæna subeunda esset, ipse manus suas lauit: pauperculam vero mulierem reti seu laqueo diuinæ sententiæ solam inuolutam relinquere voluit. Vnde inimicus potius Euæ, quam maritus illius æstimandus erat.

Gen. 3. v. 12.

Tostat. q. 639. & 640. in cap. 13. Gen.

7. Idipsum tamen Eua Adamo exprobare nullatenus poterat. Ipsa namque Adamum iam pridem eadem prorsus monetæ specie donarat. Quærit S. Ambrosius: Cur Eua, dum serpenti aurem præbuit, Dei præcepto contrauenit, seq; ipsam in perpetuam miseriam propriis manibus constituit, cur inquam post hæc omnia, maritum quoque suum, in idem miseriarum Chaos præcipitare secum voluerit? An non miseræ huic mulieri propriæ personæ sufficiebat miseria, vt eandem quoque pauperculo marito procurare voluerit? Et quorundam ad quæstionem istam adfert responsionem, dicens: *Plerique sic excusandum putant, quod diligens virum, ab eo timuerit separari: & hanc causam cupiditatis prætendunt, quod esse voluerit cum marito.* q. d. Ex mente plurium, id factum esse creditur, non ex aliqua versus Adamum maleuolentia, sed ex amore, quo erga illum ferebatur. Videns enim se post peccatum commissum ab incolatu Paradisi perpetuo esse arcendam, adeoque à societate eius, quem tanto deperibat amore, perpetuo diuellendam, ideo vt eundem lateri suo proximum haberet, indiuiduumque consortem, ad idem à se commissum peccatum committendum, ipsum pertrahere voluit, vt hac ratione, vna eademque à delitiosi loci illius incolatu sententia ipsa pariter cum ipso arceretur. Adeoque per arma amoris innocentem maritum adeo crudeliter offendit, & per diligentis affectus instrumentum cunctos posteros suos in tantas miserias præcipitauit, quantas in hac vita nos experiri lugemus & lamentamur. Nemo igitur deinceps dicat, hic te amat, igitur non te, odisse, aut malum tibi facere, aut inimicus tuus esse potest, cum etiam per amorem odisse, malum inferre, & inimicus esse quis possit.

S. Ambros. de Parad. c. 6.

8. Hebræi populi Legislator Moyses scribit, Iacobum Patriarcham die quadam duabus vxoribus suis Liæ & Racheli diuersas recensuisse fraudes & dolos, quibus pater ipsarum Laban ipsum adeo grauiter deceperat, vt nisi Deus ei auxiliatus fuisset, ad summam redigendus fuisset inopiam, ita vt ne aquam, qua sitim suam extingueret, habiturus, ac proinde fame conficiendus fuisset. Quod bonæ hæ mulieres audientes, mariti sui quærelas non tantum confirmarunt, verum insuper se quoque à Patre suo, præter omne fas male tractati subiunxerunt, neque ab eodem reputari tanquam filias, sed potius vt extraneas & tanquam mancipia

pretio

pretio coëmpta. *Nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum.* Gen. 31. v. 15.
Hieronymus Oleaster existimans filias Laban hasce mariti contra Patrem suum adductas quærelas audientes nequaquam Patri suo contrarias, sed potius in fauorem patris toto corde esse debuisse pronas & addictas, aut saltem ad minus, si defendere illum noluissent, saltem excusaturas eum fuisse, vidensque ipsas illius, quod de illis sibi persuaserat, contrarium plane facere, ita inquit: *Filiæ quæ debuerant Patrem excusare apud virum, accusant, & maiora mala, quam audierant, detegunt; & aduersus Patrem causam viri, velutiustam, tuentur?* Oleast. ibid. *Hinc est quod filiæ coniugatæ, quasi alienæ reputantur*, quasi diceret vellet: Quis est iste peruersus mundus, in quo neminem habere possumus, cui in necessitatibus nostris confidere possimus, cum etiam proprii filii & filiæ, haud secus ac si extranei & peregrini sanguinis essent, non vero à nobis geniti, inimicos se nobis & aduersarios exhibent. Obseruetis velim, veritatem istam in eo, quod à filiabus Laban factum est, quæ audientes maritum suum grauiter aduersus Patrem suum murmurantem, eundem non tantum non excusarunt, nec defenderunt, verum etiam tanquam infestæ illius inimicæ illum accusant, & per nouarum occultarumque culparum additamentum, causam Labani Patris sui magis magisque aggrauant. Quis igitur has filias & non potius persecutrices infestasque inimicas appellet? vtpote quæ se Patri non vt filias, sed vt inimicas & hostes probarunt: *Filiæ quæ debuerant Patrem excusare, apud virum accusant.*

9. Refert S. Matthæus, quod cum Apostoli à dulcissimo Magistro suo audissent, fore, vt vnus illorum ipsum traditurus, suisque inimicis in prædam daturus esset, ipsi mox vehementer contristati ipsum interrogarint, quisnam ille esset, qui tantum scelus commissurus, & traditor Domini futurus esset? Dominus autem noster illum proprio illius nomine pronuntiato prodere noluit, sed sub hac illum nota vel signo explicauit: *Qui intingit mecum manum in Paropside, hic me tradet.* Matth. 26. v. 23. Super quæ verba Paulus de Palatio quærit, dicens: Quid est, quod cum Dominus noster centum alias notitiæ notas vel signo ad manum præsto habuerit, quibus peruersum hunc hominem prodere potuisset, ipse tamen ex omnibus illis, hoc vnico & solo vti voluerit? Et respondet: *Docuit nos, quod aduertamus, nemini neque coniunctissimo esse fidendum omnino, quoniam cauere oportet ab eo etiam, qui adeo est familiaris, vt in nostrum catinum intingat.* Paulus de Palatio ibid. q.d. vult insinuare, quanta cum cautela viuere in hoc mundo debeamus, caueamusque, ne vlli nimium confidamus, ne quidem illis, qui optimi, strictissimique amici nostri existunt, imo nec illis, quibuscum ex eadem paropside manducare, aut ex eodem cyatho bibere consueuimus. Tales enim sunt nonnunquam maiores inimici, quam quilibet alius, quem cauere, aut cuius conuersationem alias fugere solemus. *Nemini neque coniunctissimo esse fidendum omnino.*

10. Deus ob pessimum Saulis regimen populo Hebræo de nouo Rege prospicere volens, Samuelem Prophetam vocauit, eidemque præcipit, vt hunc honorem in dignam Dauidis personam collatum abiret. *Veni vt mittam te ad Isai Bethlehemitem; prouidi enim ex filiis suis Regem.* 1. Reg. 16. v. 1. S. Ioannes Chrysostomus hunc locum ponderans, obseruat, quod Deus quidem Prophetam mittat, vt Dauidi, non vero alteri ex filiis Isai diadema regium imponeret, non tamen illum expresso eius proprio nomine nominet; atque ideo quærit: Quamobrem non dicit Prophetæ Deus, vade in domum Isai, ibidemque è tot filiis, qui iuxta illum in eius domo videntur, paruulum quendam nomine Dauid inuenies, eundemque in Regem populi mei vnges & coronabis? sed absque eo, quod personam aut nomen eius prodat, in communi & in confuso loquatur? *Non dixit ei Deus, vade & vnge mihi Dauid: sed vade & vnge mihi vnum de filiis Iesse. Et cur dubie, & non specialiter filios nominauit?* S. Chrysost. in Psalm. 50. Pulcher certe nodus est hic, nec minus pulchra est eiusdem responsio; opinatur enim, id ideo factum esse: *Ne scilicet pateretur Dauid, quod passus est Ioseph. Sicut enim illi addiscentes futurum sibi Regem, insidiati sunt, & post multas iniurias vendiderunt. Sic formidinis erat, ne & isti hæc eadem pertractarent.* Ex qua Historia, vti haud

haud dubie vos ipsi optime obseruaueritis, satis liquet; qualiter nulla Dauidi ab inimicis suis timebatur traditio, aut à gente aliqua extranea seu peregrina, sed à propriis fratribus proditionis metus consurgebat, ab illis inquam, qui ex vno eodemque ventre fuerant nati, iisdemque lactati atque nutriti vberibus. Hæcque historia eo præcipue fine proponitur, vt inde discamus hominem truculentiores inimicos habere non posse, quam illos, qui à proprio suo sanguine procedunt; cum homo id frequenti experientia comperiat, quod cum alii peregrini perpetuam cum illo pacem conseruare soleant, à fratribus tamen odio & persecutionibus continuo infestetur, qui vitam quoque ipsi eripere student.

11. Haymo Halberstadiensis Episcopus obseruat, Apostolum ad Romanos scribentem dicere, Christianum quemcunque, qui proximum dilexerit, complete satisfacturum Christianæ Religionis præceptis. *Qui enim diligit proximum, legem impleuit.* Vidensque postea, Christum Dominum nostrum hanc Christianæ religionis adimpletionem, non in solo proximi amore constituere, verum etiam in amore Dei. Prouti Rabino illi, qui, vt refert S. Matthæus, quærebat, quodnam esse præcipuum & maximum diuinæ legis mandatum, respondit dicens: *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet.* Quærit: Ex quo Christus diuinæ legis plenam consummationem tam in amore proximi, quam in Dei amore fundauit, qui fit igitur, quod Apostolus Christi eandem legis consummationem in solo proximi amore collocarit? Et pulcherrimam dubio huic subnectit responsionem, dicens: *Quia in dilectione proximi consistit & dilectio Dei: neque enim proximus sine Deo, nec Deus sine proximo diligi potest.* Hoc igitur præsupposito, dico eos qui proximum amant, excluso Deo, vti faciunt Pater, & mater, & alii amici, qui per immoderatum & inordinatum amorem, quo erga filios, & alios à se dilectos feruntur, Deum offendere minime curant, dicendos esse non amare, sed potius odisse amicos & filios suos, eorundemque non amicos, sed pessimos persecutores & inimicos esse. Imo crudeliores inimicos esse, quouis alio inimico;

Rom. 13. v. 8.

Matth. 22. v. 40.

Haymo in epist. ad Roman. cap. 13.

nam cum alii nobis in solis bonis corporalibus molesti sint, hi animæ bona periclitari faciunt, quæ bonis corporalibus in immensum præualent.

12. Quia turbæ post visum multiplicati panis miraculum, Christum Dominum nostrum in Regem suum eligere statuerant, Christus Dominus, vt S. Ioannes Euangelista refert, hoc ipsorum propositum præuidens, idemque ne eueniret, impedire volens, in vicinum montem ipse solus fugit: *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi erant, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Circa quam Christi fugam, inquirenda merito est ratio, ob quam Christus solus, & non cum cæteris Apostolis suis fugere voluerit? Cum enim hos in suo secum consortio semper & vbique fere secum circumducere consueuerit, illos vtique in hac etiam occasione secum habere potuisset? Hæc autem ratio apud Hugonem Cardinalem perspicue tradita reperitur, qui dicit: *Fugit solus discipulis nescientibus, vt ostenderet, quod qui magis sunt familiares, magis persuadent honores, ideo inconsultis discipulis, fugit gloriam Regni; Inimici hominis domestici eius.* q.d. Per hanc solitariam fugam indicare voluit, quod si Apostolos suos ipse secum in montem adduxisset, ii haud dubie ob priuata & particularia sua interesse, præparatam sibi persuasissent acceptare Coronam, & honores, adeo ipsi execrabiles & abominabiles; sicque hac ipsorum persuasione & consilio mediante mortis suæ tempus acceleratum fuisset. Mox enim vt eius in vrbe Hierosolymorum innotuisset facta coronatio, Pilatus haud dubie cum integro ad illum exercitu suo sine vlla mora interposita accelerasset, vt ipsum cum iis omnibus, qui simul cum eo erant, caperent & occiderent. Ac proinde ne ipsi quidem scribæ & Pharisæi, Christi capitales inimici, in tale tamque manifestum periculum ipsum constituere potuissent, in quale perductus fuisset à suis familiaribus amicis & discipulis, si hos secum duxisset in montem. Concludamus igitur oportet, amicos & parentes mundanos, maiores inimicos esse, quam sint ii qui proprios se inimicos nostros esse profitentur; *Inimici hominis domestici eius.*

Ioan. 6. v. 15.

Hugo Card. ibid.

CON-

CONSIDERATIO III.

Murmur multum erat de eo.

Detractio est vitium aliquod adeo horrendum & immundum, vt, difficulter visuri sint faciem Dei qui illud exercent.

TErtia & vltima contradictio, quæ contra Christum Dominum in præsenti Euangelio facta describitur, à murmuratricibus turbæ linguis procedit: *Et murmur multum erat de eo in turba*, circa quam obseruandum est, hanc murmurationem non fuisse factam in loco, vbi filius Dei præsens erat, sed eodem absente, adeoque non murmurabant coram facie Christi, sed retro post tergum, vt dici solet, quasi tales homines præ alijs peccatoribus, ad intuendam Christi faciem magis indigni essent. Id quod forte accidit, vt hac ratione insinuetur vitij huius turpitudo singularis, & immunditia, ob quam illud committentes post mortem faciem Dei difficulter videre, eaque frui poterunt, prouti ex locis sequentibus poterit obseruari.

1. Ecclesiasticus de detractore loquens, illum maledictum esse dicit: *Susurro & bilinguis maledictus.* Quia vero detractor multis obnoxius est maledictionibus, vtpote cui obloquuntur & offenduntur boni & virtuosi qui illum circumstant & audiunt, quorumque aures maledicta lingua sua vulnerantur: cui etiam ipsemet Deus irascitur, vtpote qui per enormitatem peccati præ omnibus molestatur; ideo operæ pretium erit præcognoscere, de quanam ex hisce maledictionibus hoc in loco tractetur. Hugo Cardinalis ibi de diuina maledictione sermonem esse opinatur; Et quidem de illa in particulari, quæ in die vniuersalis Iudicij aduersus omnes reprobos, vt hi à diuini vultus conspectu arceantur, atque ad æternas gehennæ flammas condemnentur, fulminabitur. *Susurro & bilinguis maledictus, id est, maledictione dignus illa scilicet: Ite maledicti in ignem æternum* Vnde stante hac explicatione, scriptura, dum detractorem diuina maledictione dignum dicit, insinuare vult, illum dignum esse qui in perpetuas Inferni flammas detrubetur, indignum qui in cœlo consistens beatificam Dei faciem aspiciat. *Maledictione dignus illa scilicet: Ite maledicti in ignem æternum.*

Eccles. 28. v. 15.

Hugo Card. ibid.

2. Doctissimus Michael Ayguanus Carmelitanæ Religionis Prior Generalis, alias Author incognitus appellatus, illa Dauidis verba explicans: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar*, refert, antiquos, ad insinuandum hominem quendam maledicum, coruum quendam pingere solitos fuisse. Nam sicut Coruus est auis rapax, loquax, & maligna; ita detractor inprimis est raptor & fur, siquidem famam proximi furatur & rapit, qui est opulentior qui in hoc mundo haberi possit thesaurus. Est loquax, quia omnem suam fortitudinem & potentiam in lingua sua habet, quæ incessanter aduersus quemuis sibi obuium ordinarie laxatur & exercetur. Denique malignus est, quia est homo inuidus, vnde lingua sua vti solet, tam ob displicentiam, quam habet de bono alieno, quam ob gaudium, quod ex malo alieno haurit. Vnde sequitur, inquit hic Doctor, quod sicut antiqui Coruum dedicarunt Apollini, qui Dæmon quidam erat, à Gentilibus Idololatris adoratus, ita murmurator ob vitii sui enormitatem, ne vnquam faciem videre possit Paradisi, dedicatus est pœnis Inferni. *Sicut Coruus apud gentiles fuit Apollini dedicatus, sic detractor Dijs gentium scilicet Dæmonibus, quia omnes detractores vicarij sunt Diaboli, & ideo tanquam eius vicarij & successores, hæredes eius sunt, scilicet pœnæ æternæ.*

Psal. 100. v. 5.

Michael de Bonon. ibid.

3. Iacobus de Voragine Archiepiscopus Genuensis, locum illum Ecclesiastici explicans: *Lingua tertia multos commouit*, tres linguas in mundo inueniri dicit. Prima est diuina. Secunda humana. Tertia diabolica. Diuina lingua est, quæ de rebus ad æternam salutem pertinentibus loquitur: humana est, quæ de omni eo loquitur, quod ad conseruationem rerum huius vitæ necessarium esse dignoscitur; Diabolica est, quæ proximo detrahit, eiusdemque honorem inuadit. *Tres sunt linguæ, Diuina, cuius est loqui ea, quæ ad æternam salutem pertinent, mundana, cuius est loqui de mundo, & de iis quæ requirit mundana necessitas: tertia est lingua Diaboli, cuius est detrahere.*

Eccles. 28. v. 16.

Iacobus de Vor. 3. Ser. 3. Dom. 3. Quadrag.

trahere Et merito lingua murmuratrix diabolica lingua dicitur, nam vt dicitur S. Ioannes Chrysost. *Diaboli linguam habet, qui vt Diabolus loquitur.* Quod si igitur lingua detractoris lingua est Dæmonis, quomodo in cælo esse, Deumque cum reliquis beatorum spirituum choris laudare poterit? In vitis SS. Patrum scribitur, Dæmonem sub specie alicuius religiosi peregrini Eusebio Abbati apparuisse, cui seruus Dei, ignorans, quis, aut qualis esset, priusquam negotium, cuius gratia aduenerat, exponeret, præcepit, vt pro solemni Eremi more Deum prius laudaret, secumcumque psalleret. Cumque Dæmon Psalmum quendam recitasset, atque ad versum illum *Gloria Patri* peruenisset, illo omisso, aliud non dicebat, præterquam: *Sicut erat in principio, & nunc, & semper &c.* Eusebius idipsum animaduertens, monuit illum, vt prius diceret: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, & postea subnecteret: *Sicut erat &c.* Peruersus tamen spiritus eadem duntaxat verba, quæ antea dixerat replicabat. Et tametsi vir sanctus multis illum iteratisque vicibus erroris commissi moneret, truculenta tamen bestia illa, maledictam linguam suam ad Dei laudes adhibere non valens, confusus & fremebundus, atque in ignem conuersus disparuit. Cum igitur lingua detractoris à Dæmonis lingua in nullo differat, *Diaboli linguam habet, qui vt Diabolus loquitur*, siquidem maledicentiis adeo est dedita, vt ad nullius hominis laudem illam adhibere valeat, sed ad maledicendum duntaxat, in quo loquendi genere, ne ipsi quidem Deo parcit, Dauide dicente: *Posuerunt in cælum os suum*, quomodo talis videre, aut facie Dei frui poterit, qua illi tantum fruuntur & gaudent, qui illum laudant & glorificant.

S. Ioannes Chrysost. ser. 79 in Matth.

Vita Patri lib. 10. cap. 119.

Ps. 72. v. 9.

4. Verba illa Dauidis Psalmo quinquagesimo primo hominem detractorem merito tremere facerent, ita enim detractorem alloquitur: *Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa: propterea Deus destruet te in finem* q. d. Maledicta & excommunicata esto, O lingua detractrix, quæ adeo gaudes murmurare de proximo. Væ tibi, quia Deus te tandem in fine destruet, consumet, & omnino annihilabit: *Destruet te in finem.* Quisnam obsecro est finis ille, in quo maledicta detractoris lingua tantam expectat ruinam? Hugo Cardinalis inquit, hunc finem esse vitæ murmuratoris vltimum diem, quando Deus in horrendi peccati sui supplicium, permittet, vt extra statum gratiæ diuinæ moriatur, ne videat Paradisum. *Destruet te in finem, id est, finaliter te deseret, vt in gratia vitam non termines, nec à peccatis resurgas.* Et S. Bernardinus. *Destruet in finem, id est, irreuocabiliter, in qua denotatur destructio æternalis, quæ sine fine erit.* Et merito: cum enim tu neminem vnquam laudare, & commendare, sed vituperare omnes consueueris, & quicquid in buccam veniret, præcipitanter euomeris: *Dilexisti verba præcipitationis.* Deus te quoque nunquam laudabit, aut in gloriosæ faciei suæ visionem extollet, sed potius in abyssum Inferni præcipitabit, & deturbabit. *Destruet te in finem.*

Ps. 51. v. 6.

Hugo Card. ibi.

S. Bernardin. ser. 2 art. 2. c. 2

5. Christus per os Dauidis prophetæ sui de persecutionibus illis, quibus inuidi Hebræi illũ continuo exercebant loquens, hisce inter alia verbis vtebatur: *Circumdederunt me canes multi.* Sed quamobrem, dic Sodes, canes illos appellare voluit? *Quia sicut canes dentibus mordent, & lacerant; sic isti detractionibus mordendo eius famam dilacerabant*, inquit Doctissimus Michael Ayguanus famosissimus Author incognitus. *Igitur murmuratores sunt canes*; Quod si autem canes sunt, qua ratione possibile erit, vt intrare in Paradisum, inibique Dei faciem videre posſint, cum canes in beatum illud Regnum ingredi nullatenus permittantur. Legite Caput vigesimum secundum Apocalypseos, vbi foribus cæli vigilantiſsimus quidam portarius aſsistere dicitur, qui virgam manu tenens, diligenter aduigilat, ne canes eo subingrediantur, ac continuo illis ingeminat: *Foras canes.*

Ps. 21. v. 17.

Mich. de Bonon. ibid.

Apoc. 22. v. 15.

6. Homines virtuosos à maledicis detractorum linguis adeo crudeliter vexari & affligi, sancto Dauidi Prophetæ vehementer admodum displicebat, vnde ne diro huic flagello deinceps subijci amplius cogerentur, Deum vt sanctos suos in facie sua diuina abscondere, eosdemque in suo tabernaculo protegere dignaretur, precabatur. *Absconde eos in abscondito faciei tui à conturbatione hominum,* *prote-*

Ps. 30. v. 21.

proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. At vero non videtur mihi, quod absconsio ista adeo sit secura, omnisque periculi expers, prouti Dauid sibi promittebat. Res enim in facie absconditæ, adeo sunt manifestæ, omniumque oculis apertæ, vt tametsi nonnunquam non videri vellent, palam tamẽ videantur. Vnde si rogasset Deum, vt sanctos suos in manibus, in pectore, aut alia quauis secreta & contecta parte absconderet, melius dicturus fuisse videtur, quam quod petierit illos in facie abscondi: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ.* Pro huius difficultatis solutione, obseruandum est, quod Dauid Propheta in loco adducto petat, vt sancti in facie Dei ab oculis detractorum abscondantur, vnde ad hoc, vt ab hisce maledicis hominibus nunquam deinceps amplius viderentur, & offenderentur, in locum securiorem quàm in Dei faciem reponi non poterant. Quippe cũ Detractor omnia alia clare videre possit, sola Dei facie clare visa excepta, adeo ab æterna salute sua procul remoti existunt.

7. Tametsi Moyses maximus & familiarissimus Dei amicus extiterit, cui antiquæ legis tempore vix parem habebat, attamen hæc illi particularis cum Deo contracta amicitia, ad obtinendam gratiam ingrediendi terram promissionis, tot aliis mollenis populi sui hominibus concessam nihil prodesset. Et tametsi eandem quadam die summa cum instantia & efficacia deprecatus fuisset, Deus tamen illi, ipsomet teste respondit, ne vllam deinceps huius gratiæ postulandæ mentionem faceret, vtpote cuius impetratio prorsus esset impossibilis. *Dixit mihi, sufficit tibi, nequaquam vltra loquaris de hac re ad me.* S. Ephrem Diaconus S. Basilii ardui huius loci considerationem ingrediens, dicit: Quodnam est peccatum illud à Moyse commissum, ob quod impeditur, ne gratiam illam tot millenis aliis hominibus indultam impetrare potuerit. Tandem vero post multas inuestigationes depræhendit, hanc Dei erga Moysen inclementiam ex vnico linguæ lapsu procedere, de quo Dauid loquitur dicens: *Et vexatus est Moyses propter eos, qui exacerbauerunt eum, & distinxit in labiis suis.* Alia quædam versio legit: *Et effutiuit, id est,* inquit Genebrardus, *Protulit quicquid veniebat in buccam.* q.d. verbum aliquod inconsideratum protulit. Vnde sanctus ille Diaconus id audiens, non sine cordis dolore gemens exclamat: *Si Moysen, qui quasi Deus extitit Pharaonis, vna vox exclusit à terra promissæ possessione, quanto mag. spetulantia linguæ, quam in Deum atque in homines exacuimus, à Paradiso nos arcebit?* quasi inferret, impossibile mihi videtur, Detractorem ob insolentiam linguæ ad faciem Dei videndã admitti posse, siquidem nihil sit, quod diuini vultus visioni adeo repugnet, quantũ linguæ murmuratricis insolentia. *A Paradiso nos arcebit.*

Deut. 3. v. 26.

Ps. 105. v. 32.

Genebr. ibid.

S. Ephrem de morb. ling.

8. Refert Sacer textus, Deum vt Mariam murmuratricem castigaret pro merito, eam leprosam effecisse. *Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix.* Qua de causa Deus hanc murmuratricem lepra, & non alio quodam morbo v.g. Febri, Paralysi, aut alio quocunque castigare voluit? Ratio huius colligitur ex eo, quod in loci istius explicatione dicit Abulensis, de lepra loquens: *Erat enim lepra immundissima omnium plagarum. cum propter eam repellerentur homines de consortio aliorum.* Vnde Deus murmurationis vitium, morbo quodam valde immundo quique hominem à communi aliorum hominum consortio arceat, castigans, murmuratorum spurcitiem demonstrare voluit & immunditiam, simulque indicare, illos aliorum hominum consortio indignos existere. Quod si igitur eiusmodi murmuratores & maledici detractores eorum hominum societate qui sunt in terra, quo ex potiori sui parte spurci sunt fœdique peccatores indigni existunt, quomodo non potius indigni erunt qui faciem Dei videant, atque in cælesti gloria commorentur, quæ ab aliis non incolitur, præterquam ab Angelis & sanctis ab omni labe & macula mundis & purgatis?

Num. 12. v. 10.

Tost. q. 60. ibid.

9. In confirmationem huius obseruandum est, quod quando Deus pro prædictæ pœnæ executione de cælo descendit, hancque mulierem murmuratricem, & Aaronem fratrem suum, & in eodem delicto complicem, primo acriter reprehendere vellet, Sacer textus dicat, quod cum eisdem colloquia miscens, sub densæ cuiusdam nubis velo absconditus delituerit: *Descendit*

Dominus in columna nubis, & stetit in atrio tabernaculi, vocans Mariam & Aaron &c. Quænam est ratio, quod Deus cum illis non discooperta facie locutus fuerit, prouti fecit quotiescunque cum Moyse & aliis loquebatur, de quibus in Exodo dicitur: *Viderunt Deum Israel?* Certe quantum ex dictis constat, id ob nihil aliud factum est, quam quia Deo cum murmuratoribus res futura erat; Impossibile enim est, vt qui hoc peccato murmurationis aut detractionis coinquinati existunt, diuinam videre faciem aut illa frui possint.

Num. 12. v. 1.

Exodi 24. v. 10.

10. Obseruate obsecro, modum, quo Deus grauia Hebræi populi scelera castigare olim decreuerit. Sic enim Ieremias loquitur. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio; & mordebunt vos ait Dominus.* Quinam sunt hi serpentes adeo venenosi & crudeles, vt cum alii adhibitæ illis incantationis beneficio furorem suum remittant & mitigent, contra hosce tamen nullus incantatoris aut Magi susurris præualere valeat? S. Bernardinus opinatur per serpentes illos intelligi detractores: *Detractores sunt serpentes, de quibus Ieremia dicitur: Ecce ego mittam vobis serpentes pessimos, quibus non est incantatio* Et recte quidem. Deus enim hoc loco significare volebat, statutum sibi esse permittere, vt Hebræi in condignam peccatorum suorum pœnam, in venenatas inciderent murmuratorum linguas, atque ideo illos à serpentibus mordendos esse prædixit. Etenim pro declaranda peccatorum istorum peruersitate elegantius excogitari symbolum minime potuisset, quam sit hoc à serpentibus desumptum. Sicut enim venenum serpens sub labiis reconditum tenet, ita quoque de detractore Dauid dicit: *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Præterea sicut serpens tres ex ore suo linguas vibrat, ita detractor totidem relaxat & stringit, quarum vna semetipsum, altera eum de quo murmurat, tertia vero proximum conficit & occidit, coram quo mortiferum istud venenum euomit. Atque ideo appellata est ab Ecclesiastico. *Lingua tertia.* Denique proprium est serpenti, hominem non palam, sed quam fieri potest secretissime mordere, id quod similiter detractor facere solet, qui murmurat, ita tamen ut murmur suum clandestine & secretissime euomat, teste Salomone dicente: *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.* Hucusque omnia valde bene dicuntur. At vero qui sibi vult, quod Deus detractores aliis serpentibus non assimilet, præterquam illis contra quos nulla præualere potest incantatio. *Quibus non est incantatio? Quia* subdit idem S. Doctor: *Detractionibus assueti difficile corriguntur per verbum Dei.* Quotquot enim pessimo huic sceleri assueuerunt, summa cum difficultate verbo Dei, quod vera est contra peccati venenum incantatio, aures patulas præbent. Quasi dicere vellet: Tametsi cuncti alii peccatores diuinum verbum audientes, promptum illi præbent auditum, & obedientiam præstent, peruersamque vitam suam emendantes, cælesti se Paradiso dignos efficiant, hi tamen peruersi homines econtra quasi incorrigibiles, impænitentes, Paradisique possessionem desperantes, aures suas aduersus Dei verbum fortiter obfirmant, haud secus ac si beatificam Dei videre faciem omnino desperarent. *Difficile corriguntur per verbum Dei.*

Ierem. 8. v. 17.

S. Bernardin. Tom. 2. serm. 29 A & C. 1, in fine.

Ps. 13. v. 3.

Ecclesiastic 28. v. 16

Ecclesiastici 10. v. 11.

11. Idem met sanctus Doctor peruersam & maledicam linguam vituperans & execrans hunc in modum loquitur. *Tu infamas viduas, fallis & deflor as virgines; Tu Angelos in Dæmones conuertisti, atque de cælorum regno in æterna supplicia deiecisti & profundasti Primos parentes nostros de Paradiso delitiarum ad temporales & æternas miserias destinasti. Demum Dei filium tu sola in Crucis patibulum confixisti.* Quibus in verbis accurate notanda sunt sequentia: *Angelos in Dæmones conuertisti.* Hisce enim indicare voluit, Luciferum linguam suam in hæc verba soluendo: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* factum esse Dæmonem ex Seraphino. *Angelos in Dæmones conuertisti* Quod si igitur lingua maledica Angelos in Dæmones transformat, eosdemque de cælo in infernum deturbat; si inquam tam ingens illa homini maledico damnum conciliat, quis persuadere sibi valebit, illam homines in Angelos transformare, aut de terra in cælos extollere posse? O miseri murmuratores! Ni sollicite ingentibus malis vobis imminentibus

S. Bernardin de Detract. serm. 29. Art. 3. cap. 3.

Isaia 14. v. 13.

tibus exquisitis remedium, velocius quam Angeli, vos in Dæmones conuersos, atque à iucunda Angelorum conuersatione exclusos, æternos Dæmonum consortes & socios conspicietis.

12. Discursum hunc per id quod S. Vincentius Ferrerius de certo quodam murmuratore refert, concludamus. Hic enim postquam per immensam Dei pietatem peccatorum suorum perfectam obtinuisset remissionem & veniam, paulo post mortuus, ignibus addictus est purgatorii, vt ibidem contractas per maledicam linguam suam immunditias expiaret. E quo post tempus à diuina iustitia sibi determinatum translactum, vt in cælos concederet egressus, cum in beatam illam patriam ingredi contenderet, occlusas firmiterque obseratas sibi inuenit Paradisi portas, hæcque auribus suis insonari
S. Vincent. Ferrer. serm. 1. verba percepit: *Non intrabis, quia primo habes facere restitutionem famæ illius*, scilicet cui illam in vita detraxisti. Vnde necessum fuit vt in terram descendens, veniam ab iis, aduersus quos viuens murmurauerat postularet, secus enim cælos ingredi minime potuisset. Dom in albis.

Nec est quod huic, quam recensuimus, historiæ fidem adhibere detrectes, subiungit idem ille S. Doctor, ego enim ipsusmet is sum, ad quem anima illa venit, mihique veniæ huius à me deprecandæ occasione omnia, quæ post mortem ipsi euenerant, recensuit; *Ego scio istud esse verum, quia ego ipse fui per ipsum diffamatus, & à me veniam petiuit.* Quis exinde non videat, quantum murmurator difficultatem patiatur donec cælum ingredi, & beatifica diuini vultus visione perfrui possit? quam item enorme sit detractionis peccatum, quantaque cum violentia detractorem in Infernum præcipitet, quo iam dudum illos, qui in hodierno Euangelio incarnatæ detraxerant sapientiæ absque omni spe veniæ abactos esse nouimus.

SERMO XXXVI.

In Feriam IV. post Dominicam V. Quadragesimæ.

Oues meæ vocem meam audiunt.

Ioan. 10.

REfert Dauid regius Propheta, Deum ad hoc vt in sublimem cælorum montem currere & pertingere posset, ceruorum sibi pedes subministrasse; *Perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super* Ps. 17. v. 34.
excelsa statuens me. Quia in similitudine, non ad solam velocitatem attendere voluit, quacum non ipse duntaxat, sed & omnes secum alii electi in magnum & altum montem istũ currere debent, verum insuper ad naturalem, qua animalia ista obnoxia sunt, formidinem vtpote huic rapido cursui valde necessariam. Vt enim ad montem istum quis saluus & incolumis ascendat, non solum velox, sed & pauidus & meticulosus cursor esse debet, iuxta id quod dicit Apostolus: *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini.* Philip. 2. v. 12. Idque ob tres præcipue rationes prægnantes. Primo quia cum nemo sine sufficienti operum bonorum subsidio, cælum ingredi possit, merito ob fragilitatem & pigritiam homini congenitam,

nitam, suspecta illi esse debet sua salus, atque in continua cælos non ingrediendi formidine semper hærere. Adhæc posito etiam hominem bonis virtuosisque operibus & meritis egregie esse instructum, sanctum quoque esse & perfectum, quia tamen quamdiu in hac vita degit, de sua salute nunquam potest esse securus, hæc namque securitas & certitudo in solo profundissimo & inuestigabili diuini pectoris centro reseruata est & abscondita, ideo necessum est, in continuo eo non intrandi timore atq; tremore in hac vita perseuerare. Deniq; quia difficultates, quæ in via ad regnum cælorum occurrere solent, adeo sunt magnæ & inexpectatæ, vt sicut à paucis est frequentata, ita à maiori hominũ parte maneat deserta, timendum semper nobis erit, ne non inter paucos cælũ ingredientes, sed inter multos aberrantes inueniamur. Quæ rationes omnes à Christo Redemptore nostro in præsenti Euangelio in mediũ sunt adductæ, vt per eas nos intra debitos timoris & tremoris terminos coerceat, idq; sub breuium horum verborũ cortice: *Oues meæ vocem meam audient, & cognosco eas, & sequuntur me*, eo potissimum fine proponuntur, vt in sancto Dei coerceamur & contineamur timore, prouti in considerationibus sequentibus plenius videbitur.

CONSIDERATIO I.

Oues meæ vocem meam audiunt.

Beatorum gloria electis Dei sine vllo ad merita respectu donata, iisdem nequaquam sine meritis confertur.

OVes magni animarum nostrarum Pastoris sunt ii, qui in vniuersalis iudicii die, ad sublimis throni sui dexteram collocati, ingens illud beatæ gloriæ præmium consequentur; Et quidem tametsi ad eandem gloriam sine vlla meritorum suorum præuisione fuerint electi, illam tamen sine meritis suis nunquam sunt consecuturi. Atque hinc est quod ad veritatem istam manifestandam incarnata sapientia in præsenti Euangelio dicat: *Oues meæ vocem meam audiunt*, id est, præceptis meis obediunt; sibique de operibus vitæ æternæ meritoriis, vtpote quibus mediantibus tantum bonum sunt consecuturi, prouidere student. Id quod deuotum quemlibet Christianum commouere, eidemque humanæ fragilitatis intuitu timorem incutere deberet, cogitanti cælum à se obtineri non posse, nisi omnibus in id viribus & ambabus, vt aiunt, manibus connitatur & adlaboret. Videamus igitur primo, quomodo Deus sine vllo ad merita nostra respectu cælum donet: visuri postea, quomodo verum sit, quod non obstante liberali hac donatione, illud à nobis sine meritis nolit obtineri.

1. S. Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos Deum figuli artem exercere meditatur, vnde de potestate, quam in officina sua figulus habet circa argillam, ita discurrit: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Est hic locus satis difficilis, bonaque ponderatione dignus. Vnde quærendum mihi merito videtur, quamobrem Apostolus Deo opificis alicuius nomen & exercitium affingere volens, illum non appellauerit aurificem, vel argentarium, sed figulum. Videtur enim quod maiorem habuisset æternæ Maiestatis Dei respectum & reuerentiam, si illum aurificem vel argentarium nominasset, quam dũ figulum illum appellat; cuius opificum, eo quod in luto & sordibus exerceatur, vile admodum & humile ab omnibus passim æstimatur. Verum enimuero quodsi Apostoli mentem bene attenderimus, inueniemus illum ad dandum hoc Deo nomen necessitatum quodammodo fuisse, quippe cum aurificis aut argentarii exercitium non adeo aptè in illum quadraret. Materia namque quæ in officina Dei tractatur & elaboratur, luti proprietatem habet, non vero auri aut argenti. Aurum enim ex quo aurifex pro seruitiis mensæ alicuius principis vas aureum efformat, quia ob naturale sui pretium honoratis eiusmodi seruitiis natura sua est dedicatum, nulli erga aurificem ita se fabricantem obligatum est gratitudini; imo si lingua præditum esset, dicere merito illi posset: Ego ob naturæ meæ excellentiam dignum sum honore isto, quo me

Rom. 9. v. 21.

affe-

affecisti, vnde non est quod gratias tibi agam. Similiter si ex eodem metallo aliud quoddã vas efformaret turpibus vsibus applicandum, quale erat illud, quod certus quidam Romanus efformarat, cui proinde Martialis Poeta dicebat:

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro.

aurum tali artifici dicere posset: Tu mihi fecisti iniuriam; cum enim ob cognitum mihi pretium illustribus à natura vsibus dedicatum essem, tu me vilissimis, turpibusque obsequiis applicuisti & destinasti. Figulo autem simile quid nunquam aliquando eueniet. Sicut enim dum is vas aliquod ex luto formatum, vilibus & erubescendis vsibus adhibet, lutum non offenditur, nec offendi potest, vtpote quod ex naturali materiæ suæ vilitate talibus seruitiis est destinatum; ita dum postea vas aliquod ex eadem materia efformatum, honoratis obsequiis adhibet, nonum hunc honorem lutum sibi ipsi, aut merito pretii sui attribuere non poterit, sed bonæ gratiæ & liberæ voluntati sui artificis, vtpote cui se hoc modo præter omne meritum suum honorare & sublimare complacuit. *A figulo luti*, inquit Rupertus Abbas: *Argumentum similitudinis competenter eduxit. Figulus namque luti, nihil luto adimit, faciendo de illo vas in contumeliam, cum ipsum lutum contumeliosum sit; multum autem illi confert, dum ex eo vas in honorem facit.* Cum igitur nos non aurum, neque argentum simus, sed vilissima quædam luti massa, Dei manibus elaborata, cui meriro dicimus: *Domine, Pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster es tu: & opera manuum tuarum omnes nos.* Deus opifex noster, figulus sit necessum est, non vero aurifex, aut argentarius. De quo sicut peccatores vtpote homines, ex vilissima hac luti massa efformati, atque Inferno veluti fæces & excrementa destinati, lamentari & conqueri minimè possunt, cum indignitas & inutilitas ipsorũ propter infinitas culpas commissas, alium siue vsum, siue locum non mereatur; ita alii ex eodem luto egressi, qui in honorificentissima cælestis gloriæ Palatia repositi conspiciuntur, cum tamen ob merita sua in Infernum deturbari mererentur, obligati sunt, ad recognoscendum, hunc honorem suum non ex operibus propriis, sed ex magni artificis & Domini sui manibus prouenire, vtpote cui per benignitatem & gratiam suam illos ad tantum honorem euehere complacuit.

Rup. Abb. lib 10. c. 37. in Gen.

Isa. 64. v. 8.

2. In primo Regum libro Sacer textus de Natiuitate Samuelis Prophetæ agit, & dicit illum ex muliere quadam, cui nomen Anna, genitum esse. *Concepit Anna & peperit filium, vocauitque nomen eius Samuel.* Circa quem locum inquirenda mihi videtur ratio, ob quam Samuel de Anna, & non de Rachele, Sara, Maria, aut alia quapiam muliere alterius nominis genitus fuerit. Et quantum assequi possum, alia non est huius rei causa, quam vt sacramentum istud explicetur, cui in præsenti immoramur. Id quod clarum vnicuique perspicuumque fiet, vbi interpretatio nominis, tam matris, quam filii, bene obseruata fuerit. *Samuel* in latina lingua idem significat, quod *Audiens Deum.* Estque symbolum hominis ad æternam gloriam prædestinati & electi, cuiusmodi sunt, de quibus in præsenti Euangelio Christus dicit: *Oues meæ vocem meam audiunt.* Anna vero in eadem lingua idem est, quod *Gratia.* Cum itaque dicitur Annam, non vero aliam mulierem, Samuelem genuisse, per hoc innuitur, quod sola gratia diuina, non vero hominis meritum hominem in cælestis gloriæ lucem edat & pariat. Gratia enim & benignitas clementissimi Dei nostri, non vero opera nostra præmii illius, quod electos in cælo manent, causa existit.

1. Reg. 1. v. 20.

3. Psal 20. Dauid Propheta dicit, Deum opulentissimam quandam Coronam in cælis sibi reseruare, lapide valde pretioso distinctam & ornatam, quo caput cuiuslibet electi, in beatam illam gloriam primitus ingredientis circumdat & ornat. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Verum qualisnam fuit gemma ista, huic Coronæ tam specialiter inserta? forte adamas aliquis, rubinus, sapphyrus, smaragdus, aut similis aliquis lapis pretiosus? Sanctus Bonauentura putat nullam ex hisce iam adductis fuisse, sed lapidem hunc fuisse Margaritam aliquã valde pretiosam. *Iste lapis est margarita.* Hoc

Ps. 20. v. 4.

S. Bonau. Diet. Salut. de parad.

Hoc autem supposito tanquam vero, de nouo quæritur: cur potius margaritam coronæ huic inseruerit, quam aliam aliquam gemmam præstantem. Dici posset, Deum margaritam potius, quàm quamuis aliam gemmam, huic beatorum Diademati innexuisse, ad ostentandas raras cælorum diuitias. Sicut enim margarita, Plinio teste, inter omnes alias gemmas opulentissima est, & pretiosissima: *Principium culmenque omnium rerum pretiosarum, margaritæ tenent.* Ita quoque maximæ, quas vnquam desiderare possumus, in beatorum corona diuitiæ repositæ sunt. Veruntamen iuxta præsens nostrum propositum loquendo, videtur id mihi factum esse, vt per hoc aliud quoddam explicaretur sacramentum. Pro cuius intelligentia sciendum est, quod cum omnes aliæ gemmæ, ad hoc vt regio diademati ornando sint aptæ & idoneæ, gemmarii opera, arte, atque industria opus habent, ad hoc vt limentur, poliantur, splendoremque suum, & colorem debitum accipiant, solæ margaritæ, gemmarii arte adhibita non egent; pro harum namque pulchritudine causanda nullus vnquam homo laborauit, nulla vnquam gemmarii alicuius manus accessit, scalpellum nullum, nulla lima ad illam elaborandam, ad poliendam, leuigandam, illustrandam accessit, vtpote quæ in eodem decore, quo à nobis in quouis pretioso diademate conspiciuntur, è mari, vbi generantur, procedunt, candidæ, politæ, perfectæ. Hac igitur de causa corona gloriæ margaritis ornata esse dicitur: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* non vero ex aliis gemmis ornatur, quia in fabrica summi illius boni nullius prorsus hominis opera, aut manus locum habet, quantumuis ille sanctus sit aut perfectus, ita vt dici de eo nullo modo possit, illam ipsi propter opera sua, labores, & passiones suas, aut merita præparatam esse, imo suam potius ex solo profundo & inexhausto diuinæ bonitatis pelago originem ducit: Deus enim dum hominem ad hanc coronam eligit, non ad hominum merita, sed ad suam duntaxat clementiam & pietatem respicit.

Plin. lib. 9. cap. 25.

Vnde idem Propheta dicebat: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus*, quasi diceret: Ne tibi persuadeas velim, coronam gloriæ esse similem coronæ alicui murali, ciuicæ, aut triumphali, quæ iis tantum, qui illas promeruere, promittuntur; quin potius illam credas esse coronam misericordiæ, gratiæ, benignitatis, quæ ad antecedens meritum minimè respicit. Ita hunc locum Amalarius Fortunatus explicat. *Non ait, coronat te in meritis, & operibus tuis, sed in miseratione & misericordia; quia cuius miseratione praeuenimur, vt Deo seruiamus, eius munere coronamur, vt sublimiter cum eo regnemus.*

Ps. 102. v. 4.

Amaler. Fortun. de Eccles. offic. lib. 2. c. 6.

4. De S. Petro Apostolo scribunt historici, quod postquam à Nerone immani & crudeli illo Tyranno mortis condemnatus esset, vt moreretur videlicet in ligno Crucis extensus, eidemque affixus, Carnifices suos sollicitarit, vt se cruci inuerso prorsus corpore affigerent, ita vt cum alii in crucem agi soleant capite sursum, pedibus vero deorsum extensis, ipse econtra pedibus sursum erectis, capite vero deorsum reposito extenderetur, quod & obtinuit. Quidnam obsecro sanctus Apostolus nouo hoc atque insolito crucifixionis modo, quem à crucifixoribus suis pro se expetebat, prætendit? S. Ambrosius dicit ideo S. Apostolum hac ratione crucifigi voluisse, vt per hoc insinuaret, quod tametsi pateretur & moretur, suam tamen crucem & passionem, ea quæ in cælis præparata sibi erat, gloriæ corona indignas esse. *Crucem suam futura remuneratione indignam arbitratus, inuerso suspendi poposcit vestigio.* Noluit in Cruce pendere capite sursum, & cælum versus erecto, sed potius quoadusque potuit, illud à cælo dimoueri, & terram versus inclinari petiit, vt per hoc insinuaret, merita sua, passiones & mortem suam, æterna corona in cælis sibi præparata adeo esse indigna, tantumque à se inuicem distare, quantum terra à cælo distare conspicitur. Suamque tanti boni acquirendi spem in sola gratia & beneuolentia dilecti & amantis Domini sui esse repositam. *Crucem suam futura remuneratione indignam arbitratus.*

S. Ambros. de incer. Iob lib. 1. c. 1.

5. S. Ioannes refert, se Christum dilectum Magistrum suum, regio more vidisse vestitum, capite nimirum multis diadematibus cincto atque ornato. *Et in capite eius diademata multa.* Huic loco nonnihil necessum est immorari, videreque causam, ob quam Chri-

Apoc. 19. v. 12.

Stus

stus Redemptor noster, tot in Capite suo diademata tulerit? Tametsi enim conuenientissimum fuerit, vt postquam illam aduersus Dæmonem obtinuit victoriam, ex mundo eundem pellendo, Regnum eius inuadendo, liberando etiam animas, quas sub crudeli suo continebat, aut acquire volebat Imperio, vt inquam post hæc omnia cælum triumphabundus intraret, tantaque cum gloria partam Coronam reciperet, cum tamen huic honori illi exhibendo, vnica tantùm Corona abunde sufficeret, vti aliis eiusmodi victoribus, in simili triumphi gloria semper hactenus suffecit, qua ratione igitur fit, quod nunc tot in capite suo Coronas gestet? *Et in capite eius diademata multa.* Sanctissimus Carthusianorum Patriarcha huius rei rationem adfert dicens: *Quia in singulis sanctis coronatur Christus, omnis enim eorum victoria ipsius est.* quasi dicere vellet: Tametsi Christus ob insignem à se obtentam victoriam, vnam tantum in mundo Coronam meruerit, quia tamen Christus omnium quoque victoriarum, quas sancti pro acquisitione regni cælestis vnquam obtinuerunt, mera sua gratiosa pientissimaque voluntate, principale instrumentum est, & prima causa, non vero labores sanctorum & merita, ideo ipsi quoque omnes illæ debentur Coronæ, quas sancti in cælis de manu Domini recipiunt. Atque ideo exhibetur Ioanni capite tot cincto atque ornato diadematibus, quot inter sanctos & electos Dei distribuuntur in cælis. *In capite eius diademata multa.* Vt electis omnibus clare demonstret, ipsos immarcescibilis gloriæ diademate, non suis meritis, sed sola gratia & benignitate sua coronatos esse. *Omnis enim eorum victoria ipsius est.*

S. Bruno serm. 3. de Martyr.

6. Restat nunc videre, qua ratione verum sit, quod licet Deus vna ex parte sanctis suis Gloriæ Coronam gratiose dederit, ex altera tamen parte illos eam sine suis meritis & laboribus obtinere nolit? Quo fine mihi primo locus quidam Iacobi Apostoli occurrit, in quo is de isthac Corona loquens dicit; *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Obseruate bene illum loquendi modum, quo Apostolus de cælestis coronæ promissione agens, vtitur: Non enim dicit: *Promisit* electis, sed *repromisit*, hoc est, iterata vice promisit. Vt innueret, quod Deus qui suos in primo puncto elegit ad gloriam, illisque sine vllo ad merita ipsorum respectu, præstantissimam illam Coronam promisit, eandem in secundo puncto siue instanti iterum promiserit: *Repromisit.* Quia voluit, vt gratiosam illam promissionem bonorum virtuosorumque operum meritis acquirerent. Atque hinc est, quod Apostolus de hac promissione tractans, tolerantiam introducit tentationum ab electis exhibitam. *Qui suffert tentationem.* Adeo vt quantumuis Corona gloriæ libera sit & gratiosa donatio, à nobis tamen sine meritis nostris acquiri nequit, sed opus est, vt ex parte nostra, quantùm nobis possibile erit, pro illius consecutione collaboremus. *Quam repromisit Deus.*

Iacob. 1. v. 12.

7. Id quod Dauid Propheta explicare voluit quando dicebat: *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo, exaltabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es.* S. Bernardus vltima huius versus verba bene attendens, obseruat, Dauidem non dicere: Quoniam gloria eorum tu es, sed dicit: *Quoniam gloria virtutis eorum tu es. Pulchrè non eorum, sed virtutis eorum gloria commendatur. Quæ enim sine virtute est gloria, profecto indebita venit, præpostere affectatur, periculosè captatur virtus gradus ad gloriam, virtus mater gloriæ est.* Quasi dicere vellet: potius tu, ô Domine, gloria es virtutis eorum, quam gloria ipsorum; certum enim est, quod si gloria cælestis siue Christianarum virtutum merito ambiatur, in vanum quæratur, præpostere affectetur, & procuretur, cum illam alio modo comparare nemo possit. Virtus enim gradus est, per quem homo euehitur in cælum, mater est, quæ beatæ vitæ producit immortalitatem: *Virtus gradus ad gloriam, virtus gloriæ mater est.* Illis igitur verbis Dauid insinuare voluit, gloriam cælestem non conferri negligentibus & delicatis, sed diligentibus, & in operibus virtuosis maxime exercitatis: *Quoniam gloria virtutis eorum tu es.*

Psal. 88. v. 17.

S. Bern. serm. 1. de S. Vict.

8. Matth. 25. Capite scribitur, ad gloriam beatorum electos, in Iudicio vniuersali ad dexteram diuini Iudicis congregandos esse sicut oues, reprobos vero ad sinistram sicuti Hædos. *Et statuet oues quidem à dextris, hædos autem à sinistris.* Circa quod inquirenda mihi omnino videtur ratio, ob quam electi significari debuerint sub symbolo matrum, & non filiorum, id est, sub nomine ouium, non vero agnorum: reprobi autem significari debuerint sub symbolo filiorum, & non matrum, hoc est nominari debuerint hædi & non capræ? Audite rationem à Ruperto Abbate assignatam dicente. *Non dixit capras quia possunt habere fœtus.* Sicut enim Christus, vt electos ad gloriam significaret, Ouium, non vero agnorum symbolo vti voluit, eo quod oues fœcundæ sint in lana, lacte, & fœtibus: agni vero steriles sunt, nihil horum producentes. Ita postea ad significandum reprobos, hædorum, non vero caprarum symbolo vti voluit, quia capræ sunt fæcundæ, hædi vero steriles. Idque vt hac ratione insinuet, quod sicut electi, vtpote bonorum virtuosorumque operum fæcundi, in gloriam cælestem sunt introducendi, ita reprobos, vtpote bonorum operum steriles, inde exterminandos, atque perpetuo Inferni carceri includendos. Deus enim fælicitatem æternam non concedit aliis, præterquam iis, qui illam bonorum operum virtutumque Christianarum exercitio promeriti fuerint.

Matth. 25. v. 33.

Rup. Ab.

9. Lactantius Firmianus optimè considerat, quod cum Deus vna ex parte hominem creasset, eundemque ob nimium quo illum deperibat amorem, super omnia alia exultasset, & quasi quendam terræ Monarcham, absolutum omnium eorum quæ in terra sunt Dominum constituisset, adeo vt Iob tantum hominis honorem obstupescens, neque proinde in hominis plenam notitiam penetrare valens, à Deo sibi quid homo sit explicari postulauerit, dicens: *Quid est homo quia magnificas eum?* Eundem tamen ex altera parte passibilem & mortalem, totque quæ in hoc mundo continuo videntur, miseriis laboribusque subiectum efformare voluerit. Ideoque causam illius tam mirabilis coniunctionis inquirens dicit: *Cur enim mortalem fragilemque constituit? Cur omnibus malis quem diligebat, obiecit?* Et reuera omnibus bene consideratis, valde disconueniens esse videtur, creaturam adeo præclaram & nobilem, totque ad stuporem vsque fauoribus & beneuolentiis magnificatam & sublimatam, adeo simul esse fragilem, miseram atque mortalem. Verum magni huius viri responsionem obsecro audite; sic namque perspicue, quamobrem Deus nobilem hominem tot subiicere miseriis voluerit, intelligetis. *Vt proponeret homini virtutem, id est, tolerantiam malorum & bonorum, per quam possit gloriam immortalem adipisci, ne immortalitas homini sine vlla difficultate constaret.* Quasi dicere vellet: Quod si Deus hominem formasset eo fine, vt in hoc mundo semper & perpetuo maneret, vtique illi immortalitatem corporis & terrenam beatitudinem haud difficulter concessisset; Quia vero isthæc beatitudo, in comparatione amoris illius, quo illum prosequebatur, nullius pretii est atque momenti, ideo illum ad cælestem gloriam pertingere posse voluit, in qua vera beatitudo consistit, cumque tantum bonum absque virtutum bonorumque operum exercitiis obtineri minimè posset, passibilem & mortalem illum creare voluit, ad hoc vt per quotidianam rerum aduersarum tolerantiam multa bona opera cumulare posset, atque hac ratione tantum tamque excellens bonum, quod alia via obtineri est impossibile, mereretur & acquireret: *Per quam possit præmium immortalitatis adipisci.*

Iob. 7. v. 17.

Lactant. Firmian. de diuin. præm. l. 7. c. 5.

10. S. Ambrosius de S. Ioanne Apostolo & nepote Christi loquens dicit: *De morte eius aliqui dubitauerunt, de transitu per ignem dubitare non possumus.* Quasi diceret: Tametsi nonnulli fuerint, quia audientes Christum cum S. Petro loquentem de Cruce in qua adultior factus occidendus erat, Petro interroganti, qua morte S. Ioannes moriturus esset, ob illa verba: *Sic eum volo manere donec veniam*, non fuere ausi pro certa veritate affirmare, num moriturus esset, aut vero in cælesti Paradiso in consortio Enoch & Eliæ inter viuos perseueraturus, adeoque de S. Ioannis morte dubitarint. *De morte eius aliqui dubitauerunt.* Veruntamen quia ignem tribula-

S. Amb. in ps. 1.

Ioan. 21. v. 22.

tribulationis & passionis sustinuerit, de hoc dubitare nequaquam possumus. Per hunc enim in hac vita transire necessario debuit: *De transitu per ignem dubitare non possumus.* At vero dicat aliquis, cur illi de morte, non vero de igne afflictionum dubitare potuerunt? *Quia*, inquit S. Archiepiscopus *in Paradiso est, nec separatus à Christo.* q.d. Ideo de morte, non vero de tribulationibus & ærumnis S. Ioannis dubitatum fuit, quia cum certo constet S. Ioannem esse in cælis, ibidemque Christi sui frui consortio, exinde pari quoque certitudine constat, eundem continua patientia cælum promeruisse, & consecutum esse; cum certum quoque sit, cælum obtineri non posse absque operibus bonis & meritoriis, quæ pro maiori sui parte in præsentiũ tribulationum tolerantia consistunt. Deus enim, qui vna ex parte gloriæ coronam sine vlla meritorum præuisione aut respectu donat, ex altera parte non permittit, vt quisquam illam adipiscatur, qui eandem non sit promeritus. Vnde, si Paradisi bonis frui & gaudei, Deique faciem videre volumus, necessum est, vt diuina præcepta lubenter auscultemus, vitamque vere Christianam agamus, secus enim inter Christi oues numerari & collocari minimè poterimus. *Oues meæ vocem meam audiunt.*

CONSIDERATIO II.

Et cognosco eas.

Sicut homo peccator, quoadusque viuit, nequaquam æstimandus est damnatus, ita nec iustus præsumendus est saluus. Oculi namq; nostri diuinæ prouidentiæ iudicia penetrare minime possunt.

1\. VBi sponsa in Canticis, iuxta lectionem vulgatam, de corde Christi loquens dicit: *Venter eius eburneus distinctus sapphyris.* Philo Carpathius vertit: *Venter eius pixis eburnea* q.d. Cor eius est vas quoddam, seu pixis pretiosa, eburnea, sapphyris distincta. Atque vt finem quoque insinuaret, cui pixis illa adhibenda esset, subiungit: *In qua quidem spiritali pixide, codicilli sapientiæ, suffragiaque conduntur, non ad terrenum, sed ad cæleste regnum conductura* q.d. In illa pixide profunda diuinæ sapientiæ iudicia atque suffragia, quibus homines ad coronam regni cælestis electi sunt, recondita & inclusa asseruantur. Qua loquendi ratione, ad eum modum alluditur, quo secretæ Prælatorum, aliorumque sæcularium officialium electiones fieri vt plurimum solent. In eiusmodi enim electionibus suffragiorum schedæ, quibus eorum quos eligere volunt inscripta sunt nomina, strictæ alicui vrnæ seu vasi imponi solẽt, ne scriptura ab aliquo ex circumstantibus legatur, aut prodatur. Vnde sponsa videtur dicere velle, sanctorum prædestinationem oculis nostris adeo occultam esse atque secretam, vt ne aliquam illius haurire valeamus notitiam, Deus illam in corde suo, velut in stricta quadam pixide, seu vrna, profundam absconditam contineat. Vnde qui, quales, & quot ad Beatorum gloriam electi sint, cognoscere, ad eam scientiam spectat, quæ soli reseruata est menti diuinæ, prouti in præsenti Euangelio ipsamet sapientia incarnata affirmat dicens: *Et cognosco eas.* Atque hinc est, quod cum ad notitiam eorum, quos Deus vel ad cælestem elegit gloriam, aut ad perpetua inferni damnaturus est incendia, nemo possit pertingere, nec peccator, quoadusque viuit, æstimari possit damnatus, nec sanctus reputari debeat saluus. Id quod præsenti consideratione pluribus ostendemus.

Cant. 5. v. 14.

Philo Carpat. ibid.

2\. Christus animarum nostrarum Redemptor, verum proficuumque orandi modum Apostolos suos edocturus, eisdem hunc in modum orationem suam exordiri præcepit: *Pater noster qui es in cælis.* Attendatis velim ad verba illa: *In cælis.* Tametsi enim per illos cælos, iuxta literæ sonum, cælum intelligi debeat Empyreũ, in quo Deus regnat, suamq; gloriam beatis spiritibus pandit & manifestat; attamen S. Augustinus cælos ibidem in alio quodam sensu accipit, vultque per cælos in initio orationis Dominicæ mentionatos, intelligendos esse sanctos,

Matth. 6. v. 9.

sicuti per terram peccatores accipiuntur. *Qui es in cælis, id est, in sanctis & iustis, quemadmodum terra appellatus est peccator, cum ei dictum sit: Terra es & in terram ibis. si cælum iustus è contrario dici potest.* Verum enimuero cur sanctos cælos appellat? Multis profectò & variis de causis, è quibus hæc proposito nostro quàm maximè inseruit, quia vt sanctus Isidorus inquit. cælum dictum est. *Cælum n. superiora celando.* Quia cælant & abscondunt ea, quæ supra nos sunt, ne illa videre possimus. Vnde sancti quoque ideo cæli appellantur, quia gratias & fauores, quos Deus illis de cælo continuo exhibet, ab oculis nostris abdunt & occultant. Et propter hoc velum, quo sancti oculos nostros obducunt, impedimur, ne cognoscere valeamus, Deum illos fauoribus suis cumulasse, aut ad commorandum secum in cælestis Paradisi palatio elegisse, & consequenter frequenter decipiamur, adeo vt illos potius peccatores & Inferno dignos, quàm sanctos & ad gloriam electos arbitremur & iudicemus.

S. August. lib. 2. de ser. Dom. in monte c. 9.

S. Isidor. Ethy. lib. 13. c. 4.

3. Vnde cum Dauid Propheta aliquando crudelem quandam Deo enarraret persecutionem, quam certi quidam scelerati homines aduersus sanctos suos moliebantur, dicebat: *Super populum tuum malignauerunt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos.* q. d. Indignum prorsus est & inconueniens, quod Maiestas tua, ô Deus, tantam peruersorum illorum peccatorum tyrannidem tanto tempore sustineat, vtpote quibus minime sufficit, quod malignum aduersus populum tuum tenuerint consilium, sed insuper similes insidias sanctis tuis struere præsumunt: *Cogitauerunt aduersus sanctos tuos.* Vbi nos legimus: *Aduersus sanctos tuos,* S. Hieronymus vertit: *Aduersus absconditos tuos.* Vnde colligitur hanc dictionem, *Sanctus,* idem significare *absconditus.* Ad insinuandum, quod sancti quamdiu in hoc mundo viuunt, vere lateant absconditi, neque tanquam veri Filii Dei, & ingentis Regni sui hæredes agnosci possint. Vnde frequenter, ac si peccatores essent, extra omnem Dei gratiam constituti, ab iis qui vere peccatores sunt, infestantur, affliguntur, & contemnuntur: *Aduersus absconditos tuos.*

Psal. 82. v. 4.

Transl. S. Hieron.

4. Ad præsens propositum nostrum singulariter notanda est lex illa Dei circa sacrificium, quod Moyses pro peccato oblaturus erat, qua vetabatur ne in eo incensum aliquod adhiberetur, tametsi idipsum in sacrificiis aliis necessario acquireretur. *Nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est.* Id quod mihi peregrina valde cæremonia esse videtur: Quod si enim incensum mali odoris esset generatiuum, facile posset huius præcepti dari ratio, & dici, Deum ideo prohibuisse incensum, ne scilicet inde malus aliquis odor perciperetur. At vero cum thus odorem habeat æternæ Dei Maiestati adeo acceptum, vt in ipsis quoque nouæ legis sacrificiis accendi soleat & cremari, cur Deus illud in sacrificio pro peccato prohibere voluit? *Nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est.* Caussam assignat Tostatus dicens: *Causa est, quod thus, quia boni odoris est, significat diuinā acceptationem; & qui pro peccato sacrificium offert, non debet securus esse de acceptatione.* Deus enim hoc, quod est hominem aliquem liberari à peccato, & in gratiæ statum eo fine reponi, vt postea gloriæ Corona donetur, adeo coram oculis hominum esse & manere voluit occultum, vt ne ipsum met quidem pænitentem huiusce rei velit esse conscium. *Non debet esse securus de acceptatione.*

Leu. 5. v. 11.

Tostat. q. 6. ibid.

5. Proponamus ad idem propositum casum aliquem conscientiæ. Sit mulier quædam, quæ commisit peccatum adulterii, adeoque Deum & maritum suum grauiter offenderit, quæ tamen postea de lapsu suo vehementissimè pæniteat, idemque peccatum sacerdoti magno cum cordis dolore confiteatur. Quod si maritus talis mulieris de hoc graui lapsu ab aliis certior factus, ad explorandam facti veritatem, mulierem illud pertinaciter pernegantem ad iuramentum adigat, poteritne illa sine peccato medio iuramento affirmare se innocentem esse, taleque delictum minimè commisisse? dicere fortasse non nemo poterit, quod cum peccatum istud à tali muliere patratum, pænitentiæ lixiuio purgatum sit & deletum, ipsa se innocentem esse iurando, peccare non possit, quia innocens reuera est, & verum dicit. Veruntamen veritas est, quod vti docent Syluester & Nauarrus. Mulier illa sic iurans vere peccet. Cuius opinionis ratio fundatur in opinione Theologorum, qui dicunt, in hac vita nemi-

Syluester. Nauar. apud Ro

nem

riq. in sum. p.1.c. 206. nem habere posse moralem certitudinem demissa sibi esse peccata, seq; in Dei gratia constitutum esse: Ex qua Doctrina clarè & perspicuè liquet, quantopere Deus negotium iustificationis peccatoris velit esse arcanum & secretum, adeo nimirum, vt ne ipsummet quidem cor contritum & humiliatum hac de re perfectam habere certitudinem possit.

6. Auscultate obsecro ponderationē quandam valde acutam, super ea verba, quæ omnium primo ex sanctissimi præcursoris Ioannis Baptistæ ore dimanarunt, dum Hebræis sub hoc themate prædicaret. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* q.d. *Matth.3. v.8.* Facite pęnitentiam, sicut enim per peccatum procul facti estis à regno cælesti, ita pænitentia mediante valde eidem fietis vicini. Obseruat hunc locum S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, dicitque optare se S. Præcursorem maiorem peccatoribus addidisse animum, potiusque dixisse: *Agite pænitentiam*, quia intrabitis in regnum cælorum, quam quod dixerit: *Appropinquabit enim regnum cælorum.* Pænitentia enim adeo posset esse completa & perfecta, vt pænitenti nullum superesset cælum ingrediendi impedimentum, prouti sancto latroni, & pluribus aliis accidit. Tandem vero sancti præcursoris intentionem considerans, intelligit ipsum maiori cum veritate loqui nequaquam potuisset *Peccator enim etsi per pænitentiam acciperet gratiam, quæ disponit ad gloriam, nondum tamen percipit, sed appropinquat, potest enim recidiuare, & sic non intrare.* vti hactenus multis accidit, *S. Antonin p.4. tit.5.c.14. §.4.* qui tametsi vnum pedem in cælo fixissent, postea tamen turpiter præcipitati sunt in Infernum. Loquitur igitur præcursor Domini hoc modo ideo, ne videlicet quispiam quantumuis in virtutum exercitiis sit consummatus, cæloque vicinus existat, de sua sit salute securus, vtpote cuius certitudo in solo Dei pectore abscondita latet. Ad hoc S. Bernardus respexit, quando dicebat: *Quamuis omnia feceris, noli tamen esse securus.* q.d. Tametsi cum omni possibili diligentia in diuinorū præceptorum obseruantia, operibusq; supererogatoriis te exercueris, non tamen ob id te in cælis esse tibi persuadeas, aut securè viuas, nescis enim quid tibi euenturum sit, quamdiu hic in terra viuis. *Noli esse securus.* *S. Bernardin. de Ord. vit. pag. apud me 238.*

7. Quidnam est in quo sancta Dei Ecclesia fundatur, dum hominem aliquem canonizat, & coram toto mundo sanctum esse declarat? Respondebis forte, ipsam se fundare super talis hominis bona & innoçente vita, quam in hoc mundo viuens duxit, nec non super miraculis, quæ tam in vita quam post mortem operatus fuisse deprehenditur, ideo namque tanta cum industria & sollicitudine ac maturitate informationem quærere, excipere testimonia & processus compilare solet. Enimuero si id existimas, vere deciperis. Verum quidem est, & negari non potest, diligentiam hanc atque solertiam, in negotio quodam tam arduo tantique ponderis valde esse conuenientem, imo necessariam, attamen non est informatio isthæc verum & reale canonizationis sanctorum fundamentū. Aliqui enim per vitæ bonæ simulationem sanctos se exhibere aliis possunt, vti faciunt hypocritæ: Testimonia etiam quibus miracula approbantur, falsa & subdola esse possunt, adeo vt huic duntaxat fidei inhærendo, homo aliquis tanquam sanctus in cælo Deo assistens adorari posset, qui alias reuera est in Inferno, adeoque sancta Dei Ecclesia in grauissimum prolaberetur errorem. Dicendum est igitur quod teste Ioanne Francisco Pauino, in Dei potissimum fundetur inspiratione *Ioan. Francisc. Pauin. in Canon S. Bonau p. 2. art. 9.* & reuelatione. Hinc igitur obseruare licebit, quantum prædestinatio hominis alicuius ad gloriam, ab hominum oculis sit abscondita, adeo nimirum, vt tametsi reuera in cælis existat, miracula quoque sua in terris resplendeant, illum etiam vitæ suæ actiones sanctum esse testentur, homines insuper illum beatum esse iurent & approbent, sciri tamen pro certo nequaquam possit, neq; tanquam vera, sanctitas illius determinari, nisi Deus magnum illud arcanum atq; secretū reuelet.

8. S. Hieronymus mysticum illud spectaculum, quod Deus Isaiæ Prophetæ videre concessit, attendens, inter alia obseruat, quod Propheta duos ibi viderit Cherubinos iuxta Deum stantes, qui duabus alis faciem, & duabus reliquis pedes Dei velabant: *Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius.* *Isai.6.v.2.* Nudis relictis partibus illis, quæ inter caput & pedes intermediæ erant. Quæsit igitur, quare Beati illi spiritus caput &

 pedes

pedes Dei duntaxat velabant, non vero quod inter caput & pedes est reliquum corpus? Ratio autem huius ab eodem Doctore allata, hæc est: *Faciem enim & pedes eius operiunt, quia & præterita ante mundum, & futura post mundum scire non possumus, sed media tantum, quæ in sex diebus facta sunt, contemplantur.* Hac igitur ratione supposita, ad propositum nostrum dico, hominem, in quantum ad cælestis regni incolatum est electus, esse rem aliquam, quæ est ante mundum, prædestinati enim ab æterno, & ante mundi constitutionem electi sunt ad gloriam: eundem vero quatenus postea talis electionis realem consequitur effectum, rem esse talem, quæ est post hunc mundum, effectum enim electionis id est gloriam consequitur, quando hoc mundo relicto in alteram sese vitam æternaliter possidendam recipit, vbi promissum sibi reseruatur præmium. De hoc igitur homine nos aliud nihil cognoscere possumus, nisi quod sit creatura Dei, quæ sit animal rationale, æternæ capax beatitudinis, quæ sunt pertinentia ad partes Dei intermedias. Quodsi autem præter hasce partes, ad caput & pedes aduertere velimus, hoc est, videre num talis homo electus sit ad gloriam, nec non talis electionis consecuturus sit effectum, nos ad eorum assecutionem pertingere non posse comperiemus, hæc enim ab vtriusque Seraphini alis diligenter nimis adumbrantur & occultantur: *Præterita ante mundum, & futura post mundum scire non possumus.*

S. Hieron. ibid.

9. S. Ioannes Chrysostomus admirabiles Iobi magni illius Dei amici, virtutes & singularem sanctitatem considerans, ex altera vero videns Dæmonis temeritatem atq; audaciam, qui tametsi ab ipsomet Deo clare satis audiisset, quantæ perfectionis magnus vir ille esset, nihilominus infinitis sese violentiis armare non omiserit, ad hoc vt Iobum Deum offendere procuraret, eiusdemque commacularet animam, & æternæ perditionis reum constitueret, maximopere admiratus dicit: *Mecum ipse plerumque admirari soleo, quare in mentem venerit Diabolo, exercitationem ipsius non ignoranti, tot tantosque aduersus Iob cogitasse labores.* Postea vero cogitans & considerans salutis humanæ incertitudinem, Diabolicæ illius temeritatis rationem assequitur, & dicit: *Truculentissima certe bestia, nunquam solet desperare victoriam, quod condemnationem nostram spectat; nam ille nunquam nostram desperat perditionem.* q.d. Quia virulentus ille Draco scit, quod quoadusque homo in terra est, & viuit, perdi & damnari semper possit, ideo de victoriæ aduersus hominem obtinendi palma nunquam desperat, sed bono semper est animo. Vnde tametsi diuini Iobi perfecte cognouisset perfectionem, à Deo tantopere deprædicatam, attamen quia nouerat quod quamdiu in hac vita esset, tametsi longe maiori præditus esset sanctitate, perdi adhuc posset & damnari, illum aggredi & tentare non intermisit. Hinc facile est colligere, quam ingens homini de salutis suæ negotiis dubitatio esse debeat, nam tametsi se in sanctitatis culmine positum esse videat, tametsi habeat quicquid ad Christianarum virtutum requiritur complementum, & sit veluti alter quidam Iob in terra, attamen quamdiu viuit in tanto versatur hæc omnia perdendi periculo, vt Dæmon illum vincere, cælum illi eripere, atq; in Inferni secum Barathrum præcipitare minime desperet. *Nunquam nostram desperat perditionem.* Vnde merito S. Bernardinus inquit: *De quantis legimus in vitis Patrum, viris potentibus in vigiliis, & in ieiuniis, in laboribus supra modum humanum, imo & in miraculis coruscantibus quia ceciderunt, quia non perseuerauerunt?*

S. Ioan. Chrysost. Hom. 10. in Matth.

S. Bernardin lib. de pass. Dom c. 14.

10. Parabolam illam ostendatis velim, quam animarum nostrarum Saluator, è naui quadam, in quam ob nimiam populi, ex omnibus ciuitatibus & locis, ad eum audiendum properantis multitudinem, in terra commorari non valens sese receperat, proprio ore prædicando enuntiauit: *Ecce venit seminans ad seminandum & dum seminat, aliud cecidit circa viam, aliud cecidit super petrosa, aliud cecidit inter spinas, & aliud cecidit in terram bonam.* Est etenim locus iste bene obseruandus, videtur enim Seminator iste nulla vel modica præditus fuisse seminandi peritia. Tametsi enim quartam seminis partem in terram bonam & fertilem vnde spes aliqua messis esse poterat, sparserit, alias tamen tres seminis partes, vtpote sterilibus & ad germinandum ineptis locis commissas, perdidit;

Mar. 4. v. 4.

Nam

Nam neque via publica, nec petræ, nec spinæ germinare aut fructum producere possunt. Vnde causam scire percuperem, ob quam diligentiam illam quæ ad hoc ne semen perderetur, necessaria erat, non adhibuerit. Respondet ad hoc Oleaster: *Voluit se tam potentem ostendere quod ex via, lapidibus, & spinis possit optimam terram facere* quasi dicere vellet, Deus qui per hunc seminatorem intelligitur, omnipotentiam suam in hoc facto manifestare voluit, atque innuere quod ex viis regiis saxis, atque lapidibus, & spinis terram fertilem ac fæcundam facere centuplicatumque ex iis fructum colligere possit. Vnde grauiter errat, quisquis seminatorem hunc, hoc modo seminando, semen & operam perdidisse sibi persuadet. Homini quidem videtur, quod dum Deus homini alicui obstinato & peruerso, pluribusque peccatis, quam sint arenæ in litore maris, onusto, verbum suum, quod per semen in hac parabola intelligitur. *Semen est verbum Dei*, prædicari facit, frustra & in vanum laboret; verum non est ita. Adeo enim ingens & admirabilis est eius potentia, vt ab eiusmodi sterili & infæcunda, haud secus ac ab alia quadam perfecta atque in virtutibus omnino consummata anima æternæ vitæ fructus colligere, tandemque aliquando saluam illam facere possit. Cum talis anima, quæ in mundi oculis reproba iudicatur, coram Deo sit prædestinata, atque ad cælestem gloriam electa, Enormis vtique esset error eorum, qui eo tempore, quo Christus in cruce pendens pro immanium Crucifixorum suorum salute Patrem suum deprecabatur, illum omnem suam operam perdere, verborumque suorum pretiosum semen frustra spargere credidisset, eo quod homines, tanquam filii Dei occisores illos æstimassent infæcundos, reprobos, atque damnatos, siquidem ex ipsis multi electi erant ad gloriam; atque ad S. Petri Apostoli prædicationem, post sanatum ad fores templi claudum, quinque millia in Christum crediderunt, fueruntque baptizati. Vnde fateamini oportet, intellectum nostrum, in diuinæ prædestinationis penetratione, haud secus se habere, ac cæcus quidam vespertilio ad solis aspectum.

Oleast. in Isaac. cap. 40.

11. Iacob Patriarcha de iniuriis & ærumnis sibi à Laban socero suo tot annorum deuolutionibus irrogatis conquerens, inter cætera sic ait: *Nisi Deus Patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, forsitan nudum me dimisisset.* Quo in loco obseruandum, quod Iacob ibi Deum timorem appellet, & non absolute timorem, sed timorem Isaac. *Timor Isaac* Eccur ita? Ratio huius iuxta Rabbinos quosdam ab Oleastro citatos est, quia *Isaac* quamdiu in hac vita erat *Deum* offendere semper poterat, atque ideo de animæ suæ salute dubitans, dies suos in continuò tremore & timore Dei transigebat, indeque motus fuit Iacob, vt Deum hoc nomine Timor Isaac compellaret; *Cuius rationem quidam Hebrei assignant, quod Isaac adhuc in vita extiterit, ideoque adhuc peccare poterat, vt in timore ac tremore Dei vitam suam traduceret.* Erat hic *Isaac* ille, qui cum esset adolescens in flore iuuentutis suæ constitutus, tanta cum generositate Abrahæ patri suo se obtulit, ad hoc vt is diuino præcepto respondens, illum pro arbitrio suo occideret, igneque conflagraret: Tanti quoque à Deo æstimatus, vt ipsum ex progenitoribus vnigeniti Filii sui vnum esse voluerit, illique ob raras quibus pollere atque ab omnibus suspici debebat virtutes *Isaac* nomen indiderit quod idem significat quod *risus*, vtpote qui diuinæ gratiæ certior factus in perpetuo viuere risu debebat, lætarique de præparato meritis suis in cælesti gloria præmio. Et tamen hic idem Isaac de salute sua dubitans, seposito risu in continua viuebat afflictione & formidine. Id quod eo fine hic in medium adducitur, vt nos quamdiu in hac vita sumus, in continuo salutis nostræ timore viuamus, vtpote de qua ne ipsi quidem magni & admirabiles Sancti securi esse potuerunt.

Gen. 31. v. 42.

Oleast. ibid.

12. Non sunt hic omittenda ea, quæ Christus Dominus noster dilectæ sponsæ suæ Cantic. 1. capite dixit, quæ ad præsens propositum nostrum necessario consideranda esse duxi, suntque sequentia: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarũ.* In hoc enim loco diuinus sponsus incredibilem sponsæ suæ pulchritudinem exaggerare volebat, ideoq; bis illam pulchram esse dixit. Cui quidem in præsenti non multũ immorabor, sed potius operæ pretiũ esse duxi,

innecti-

inuestigare causam, cur illam columbinis oculis præditam fuisse affirmarit. *Oculi tui Columbarum?* Hæc autem ex mente S. Gregorii Magni, non est alia, quam quæ in proprietate columbæ consistit, cum enim aliæ volucres cantare soleant, hæ loco cantus tantum plangunt: *Columba quippe in amore pro cantu gemit.* Ita quoque loco cantus flebat & lachrymabatur. Verum quam obsecro plangendi causam habuit, vtpote cui notum erat, ac manifestum, se ob raram & incredibilem pulchritudinem suam *Deo* in tantis delitijs esse? *Quia timet, ne amittat quod diligit, dum differtur,* inquit sanctus Pontifex. Licet enim anima aliqua suarum sibi virtutum optime sit conscia, nec non & amoris illius, quo Dominus & sponsus eius illam ob raram sui pulchritudinem prosequitur, nihilominus tamen, quia nondum ascendit in cælum, nec summo bono suo summe dilecto intime vnita & coniuncta adhuc fuit, perdere illum timebat; Et propter hunc timorem Columbæ oculis prædita erat, id est, continuo lachrymabatur & plorabat. *Quia timet ne amittat quod diligit, dum differtur.* Ad insinuandum, quod tametsi anima aliqua maximis à Deo donata sit fauoribus; licet ab infinita illa bonitate in dilectissimam sponsam sit electa, attamen quamdiu viuit, & in via qua ad cælum itur consistit, timere debet, ne tantum bonum amittat.

S. Greg. in Cant.

13. Quodsi quis vna ex parte Iudam vidisset Apostolum, Christo semper adhærentem, in continua sanctorum Condiscipulorum degentem societate & conuersatione, & perpetuum sermonum illorum auscultatorem, qui ab ore illius diuino emanabant, qui longe præstantius & efficacius, quam fabulosus olim Orpheus pro ædificanda non iam Thebarum sed Paradisi gloriosa Ciuitate dura attrahebat saxa, duraque marmora; Ex altera vero parte bonum sanctum que latronem, Dæmonum semper deditum obsequiis, latronum, prædonum, aliorumq; scelestorum hominum semper implicitũ consortiis, hunc facultatibus, alium vita spoliantem, nunquam sibi persuasisset damnandum fore Iudam, latronem vero saluandum esse, Et tamen ita reuera accidit. *Latro ille,* inquit Anastasius Sinaita: *Qui vna cum Christo crucifixus est, sicarius erat & homicida: Iudas autem erat Apostolus & discipulus Christi, & ex eius veris germanis discipulis. In exiguo autem tempore non parua rerum commutatio facta est, & latro quidem in regnum, discipulus vero in perniciem factus est.* Vnicum hocce exemplum humanæ temeritati sufficere merito deberet, ad eandem intra necessarios Christiani timoris terminos continendam, cum impossibile sit, vt quis de ea re se faciat securum, quod vti in hoc Euangelio affirmatur sola cognoscit & penetrat mens diuina. *Et cognosco eas.*

Anast. Sinai de S. Commun.

CONSIDERATIO III.

Et sequuntur me.

Numerus sequentium Christum adeo est paruus, ingens autem adeo est numerus illorum, qui Dæmoni adhærent, vt Deus merito ob id pauper, Dæmon vero diues æstimare debeat.

Tertia & vltima ratio, ob quam sapiens quilibet Christianus, haud secus ac ceruus quidam timens ac tremens ad Paradisum sese recipere debeat, est raritas eorum qui saluandi sunt post hanc vitam. Cum enim Christus dicat, quod electi sui se sequantur, sibique indiuisibiliter adhærescant: *Et sequuntur me.* Consequens est, vt cũ Christus per cæli viam ingradiatur, quæ eo quod angusta sit à paucis admodum teritur, dicente Christo apud Matthæum: *Arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.* Pauci quoque sint, qui Christum sequuntur, saluique & beati fiant: innumeri vero sint, qui per viam latam & laxam sequuntur Dæmonem & damnationem incurrunt. Adeoq; Christus pauper, Dæmon vero diues reputari merito potest.

Matth. 7. v. 14.

1. Dauid Propheta calumnias & persecutiones, quas serui Dei in sceleratorum hominũ vitæ huius consortio diligenter perpetiebantur, omnipotenti Deo suo recensens, eundem veluti magnum seruorum suorum protectorem rogabat, vt eos ab impiis hominum illorum peruersorum manibus liberare

Ps.16. v.14 liberare dignaretur, dicens: *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum*. q. d. Quandoquidem tibi ita complacuit, vt peruersi homines isti in terra superstites remaneant, diesque suos quorum reuera non sunt digni, prolongent, pariter quoque hoc saltem tibi efficere placeat, vt videlicet ijdem homines maligni diuidantur à paucis: *A paucis diuide eos*. Quinam obsecro sunt pauci illi à quibus Propheta sceleratos illos homines diuidi petebat? Rupertus Abbas per paucos illos sanctos Rup. Ab. ibid. lib. 3. Deique amicos intelligit: *Diuidantur à paucis, idest, separentur à iustis*. quasi dicere vellet Propheta: Fac quæso, ô Domine, vt boni nullam cum reprobis conuersationem habeant, sintque hi ab illis diuisi & sequestrati, hac enim ratione, & non aliter, sancti tui aliquo Pacis & tranquillitatis genere perfrui poterunt: *Diuidantur à paucis, separentur à iustis*. Vbi obseruandum, quod tametsi Dauid hoc in loco electos sanctorum & iustorum nomine aut alio simili specioso titulo appellare potuisset, id tamen non fecerit, sed illos paucos tantum nominare voluerit. *A paucis diuide eos*, Idque eo præcipue, quia cognoscebat, eos qui Cælo fruituri sunt, in comparatione reproborum, qui futuri sunt innumeri & infiniti, raros valde esse & paucos: *Diuidantur à paucis, idest, separentur à iustis*.

2. Idem Propheta saluandorum animas considerans, vidensque Rempublicam suam, in qua vnica & sola ex omnibus mundi partibus Deus cognoscebatur & adorabatur, innumeris repletam esse peccatoribus, plane hærebat, quisnam ex omnibus cælestis regni futurus incola esset, vnde confusione & dolore plenus ad Deum Ps.14. v.1. exclamauit, dicens: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Quasi dicere voluisset: Valde metuo, ô Domine, ne cæli ciuitas solitaria atque deserta, omnes Apostatantium Angelorum sedes vacuæ & soli ibidem Angeli tui sint remansuri, siquidem neminem video, qui in synceritate cordis sui in via præceptorum tuorum gressus suos figat? Quare scire percuperem, quisnam ex omnibus futurus sit homo ille, qui post discessum animæ à corpore in cælum est ascensurus, vt habitet in tabernaculo tuo? Quod si ita est, vti Dauid affirmare videtur, inquit sanctus Ambrosius macti animo simus, Dauid enim innuere velle videtur, damnationem hominum adeo magnam & vniuersalem futuram, vt pro incolendo cælorum incolatu superstes futurus sit nullus. Idem tamen sanctus Doctor postea prædicta Prophetæ verba melius considerans, depræhēdit intentionē illius non fuisse dicere neminem saluandum, sed paucos & raros: *Non vtique nullus, sed rarus*. Atqui pauculi isti in comparatione ad reprobus adeo sunt rari, vt vix appareant, & fere nulli esse reputentur. S. Ambros. in ps. 50.

3. S. Ioannes Apostolus refert se vidisse cælestem beatorum ciuitatem, super duodecim fundamentis quæ ex diuersis monilibus, lapidibusque pretiosis ornabantur, erectam: *Et fundamenta ciuitatis omni lapide pretioso ornata*. Idem S. Doctor, aut alius forte author sub eius nomine, per lapides pretiosos, quibus sublimia illa fundamēta ornabantur, omnes illas animas intelligit, quæ in gloriosam illam ciuitatem introduci meruerunt: *Per lapides autem pretiosos omnes iusti designantur*. Rationem igitur videre oportet, ob quam ij qui ad cælestem gloriam electi sunt, lapides pretiosi dicantur. Hæc autem facile intelligetur, si in doctrinam S. Isidori in explicatione huius nominis *pretiosum* animo nostro intenderimus, qui docet *pretiosum* aliud non significare quam *rarum*, atque hinc est quod gemmæ quoque quia paucæ sunt & raræ dicantur lapides pretiosi: *Gemmæ pretiosi lapides vocati, quia rari sunt, omne enim quod rarum est, pretiosum vocatur, sicut legitur: Et sermo Domini pretiosus erat in Israel, hoc est, rarus*. Et merito gemmæ hoc nomine appellantur, siquidem hæ in comparatione ad infinitos & innumerabiles lapides, qui sparsim in terra iacent, adeo sunt paucæ & raræ, vt fere non esse videantur, atque ideo in scriptura accipiuntur in symbolum earum animarum, quæ electæ sunt pro construenda fabrica Paradisi, quæ in comparatione ad reprobos adeo sunt raræ, vt quasi nullæ esse videantur, imo nescio an ad aliquem illorum in tanta malorum multitudine inueniendū ipsa quoque Diogenis lucer-

Apoc. 21. v. 19.

S. Ambros. idid

S. Isidor. Ethy. lib. 16. cap. 6.

lucerna aliquid subsidij conferre sufficiat. Atque ideo S. Basilius dicit: *Opta vt sis de numero paucorum, rara siquidem quæ bona, quæ quidem etiam causa est, quamobrem pauci cæleste regnum introeant.*

S. Basil. de Abdic. rerum.

4. Porro ad præsentis considerationis meliorē energiam multum existimo profuturā si formam & architecturam Arcæ Noëticæ penitius cōsiderauerimus, nam Moyse referente scimus illam in parte inferiori, quæ bestiarum diuersorium erat, trecentis cubitis longam, latam autem cubitis quinquaginta fuisse: in parte autem superiori, in qua homines moraturi erant, ad vnius tantum cubiti mensuram strictā: *Trecentorū cubitorū erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorū latitudo eius, & in cubito consummabis summitatem eius.* Cur tā superiores, quā inferiores arcæ partes, non fuerunt vnius eiusdēque mensuræ, sicut Palatia huius mundi, quæ in recto eiusdē sunt lōgitudinis & latitudinis, cuius sunt in pauimento? Ratio huius est, vt dicit S. Gregorius, quia Arca illa figura erat Ecclesiæ, quæ haud secus ac quædā Arca Noëtica, in gremio suo homines complectitur & bestias, idest, reprobos & electos. Vnde quia reprobi innumerabiles sunt, rari autē valdeque pauci electi, ideo sicut in illorū cōplexu valde est larga, ita quoq; in ea parte quæ hominū est habitaculū mire stricta existit. Maior namque pars Christianorū in exigua valde diuinorū præceptorum obseruantia, varijs culpis inuoluta, genialiter viuit: econtra vero legis Dei exacti obseruatores, in vitæ puritatem proni atque propensi, quique intra viæ ad cælum ducentis angustias sese contineant rari admodum conspiciuntur. *Ibi lata, vbi bestiæ,* inquit S. Doctor: *Ibi angusta, vbi homines Vbi enim bestiales tolerat latius sinum laxat: vbi rationales habet ad summum ducitur: Lata est quippe via, quæ ducit ad perditionem, & multi vadunt per eam, angusta est porta quæ ducit ad vitam, & pauci veniunt ad eam.*

Gen. 6. v. 15.

S. Greg. apud Gl. ib.

5. Philo Hebræus in explicatione illius loci Geneseos, vbi Deus Adæ ex omnibus Paradisi arboribus comedēdi facultatē præstabat, interdicto esu ex arbore sciētiæ boni & mali, pulchrā quandā adfert subtilitatem, dū obseruat, quod Deus dum illarum esum indulget, in particulari, & veluti cum vno loquebatur; dum vero huius esum prohibet, locutus fuerit in communi, & quasi cū multis: *Et præcepit Dominus Deus Adam dicens: Ex omni ligno quod est in Paradiso comedes; de ligno autem cognoscendi bonū & malū, nō edetis de illo: qua die autem edetis ex eo, morte moriemini. Dum hortatur,* inquit Philo: *Vt ex omni arbore Paradisi comedat, vnicum hortatur, dum vero interdicit vsum arboris eius, quæ boni malique causa dicitur, vt plures alloquitur Illic, inquit, ex omni comedes: hic ne comedatis, & quocunque die comederitis.* Quamobrem quærit, Quî fiat quod Deus Adæ omnium arborum fruitionē indulgens loquatur tanquam cum vna aliā vero quæ appellabatur scientiæ boni & mali interdicēs, loquatur quasi cū multis? Quod si Adamus tā in prima Dei ordinatione, quā in sequenti, semper vnus erat, & nō in plures diuisus, cur nūc quasi vni, loquebatur cū vno; mox vero eidē tanquā multis, loquebatur cum multis? Pro intelligentia responsionis illius, quam Philo pro huiusmodi solutione assignat, notare oportet, quod sicut ex mente Philonis per omnes Paradisi arbores virtutes intelligūtur, ita per arborē vetitam intelligatur vitiū. Præterea vult, Deum hunc Adamo cibi sumendi ordinem præscribentē, tunc in Adamo velut in radice totā humanā generationē intellexisse, tā bonos, quā malos, quot quot videlicet ex lūbis eius processuri erāt. Hoc igitur supposito respōdet: *Dicendū igitur, rarū esse quod bonū est, malū vero ecōtra multiplex: ideo sapiēte vno inuēto, reperitur fatuorū multitudo innumera. Atq; merito vnū hortatur nutriri virtutibus, multos vero, vt à nimia calliditate abstineāt* Quādo Deus omniū Paradisi fructuū esum Adamo cōcedebat, loquebatur illi tanquam si loqueretur omnibus electis & sanctis, volebatq; illos, ad hoc vt in regnū cælorū mererētur introduci, nutriri cibo virtutū, quippe cū cælū nō ad alios, quā ad solos virtuosos pertineat. Quando vero postea arboris vetitæ fructū prohibebat, cū peccatoribus illi sermo erat, nāque monebat ne se illicito vitij cibo contaminare præsumerent, vtpote propter quod æternaliter miseri futuri essent. Qua occasione insinuare simul volebat, tū paucitatem hominum virtuosorū, tum etiam sceleratorum innumerabilem quantitatem, cū illis veluti cum vno loquebatur, cum his vero tanquam cū mul-

Gen. 2. v. 16.

Philo Hebr. de legis Alleg.

multis: Sancti enim in comparatione ad peccatores adeo sunt pauci & rari; vt vnus solus esse videatur, respectu innumerabilis multitudinis sceleratorum. *Rarum est quod bonum est, malum econtra multiplex.*

6. Parabola illa decem virginũ timorẽ pariter ac tremorem incutere deberet cuiuis Christiano, dũ in ea totidẽ videantur reprobæ, quot erãt electæ, quarum hæ in cælestes sunt nuptias introductæ, illæ vero in perpetuas Inferni miserias deturbatæ. Verũ quidẽ est, quod dicere quis posset, hanc parabolã potius cuiuis homini animũ addere, cũ enim incarnata sapientia per quinq; fatuas dãnatorũ numerum significet, per quinque vero prudentes reliquas exercitũ beatorũ, simul insinuare velle videtur, medietatẽ cunctorũ hominũ necessario saluandã esse, vnde damnatio nostra non adeo deinceps timẽda erit. Adeo namq; rarus est Christianorum numerus, ecõtra vero gentiliũ paganorũ & infideliũ multitudo tã magna & ingẽs, vt si ex hominibus vna medietas saluanda sit, damnãda vero altera, non solũ omnes Christiani saluandi sint, verũ etiam ad complendam saluandorũ medietatẽ, opus futurũ sit, multos baptizare gentiles. Et quidẽ si salutis nostræ negotiũ hac ratione transigendũ esset, verũ est, magnã tunc fore fælicitatẽ nostrã. Veruntamen res istæ, de quibus loquimur, longe secus euenient. Caietanus existat, per decẽ virgines, non solum nõ esse intelligendos omnes homines, sed ne quidem omnes Christianos, sed illos duntaxat qui corã oculis nostris vidẽtur boni, sancti, spirituales, deuoti, & puri sine vlla macula, siue peccato, ad instat virginũ quibus propria est munditia & puritas: *Parabola ista tractat non de omnibus Christianis, nã multorũ extrinseca, opera manifeste sunt mala, sed de illis tantũ, qui profitentur se studere factis ad continuũ progressum, versus Patriam cælestẽ.* Adeo vt ex illis animabus, quas nos æstimamus sanctas & virtuosas, omnisque peccati immunes, ideoq; secure & certo certius saluandas, ex mente huius Doctoris, sola saluanda sit medietas, reliqui vero in ignẽ, gehennæ præcipitandi. Quodsi igitur pauci sint, qui oculis nostris nostroque iudicio videntur saluandi, quam pauci & rari erunt qui vere à Deo ad salutem æternam sunt electi, cum hi ex media parte pauciores alijs sint futuri.

Caiet. ibi.

7 Vnde S. Ioannes Damascenus vult verba illa Saluatoris nostri: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, non esse legenda absolutè, sed cum nota admirationis: *Quanquam non simpliciter & absolutè illud à summa sapientia dictum est, verum perinde ac si quis per admirationem dicat, quam pauci sunt qui saluantur.* Huic igitur sensui insistendo Christus dicere voluisse videtur. Quomodo est possibile quod ex tot millenis hominibus, maxime tot Christiani, per tot remedia & auxilia viã cæli ingredientibus tã pauci saluãdi sint, tot vero econtra in ignẽ æternũ sint condemnandi! Quibus in verbis ad nostrũ propositũ obseruandum est, futurũ scilicet esse, vt adeo rarus futurus sit saluandorum numerus, vt ipsamet quoq; sapiẽtia Diuina, quæ nulla alias admiratione commoueri potest, in stuporem rapienda sit. *Quam pauci sunt qui saluantur!*

Matth. 20. v. 16.
S. Io. Damasc. orat. de Def.

8. Nathan Propheta, vt Dauidẽ Regẽ faceret de peccato adulterij cũ Bethsabea vxore Vriæ cõmissi resipiscere, eundẽ aggressus est per Parabolã hominis illius diuitis, qui cum peregrinũ quendã amicũ suum peregre ad se venientẽ laute excipere potuisset, vnã ouiũ suarũ, quarũ numerosissimũ gregem possidebat, occidendo, id tamen facere noluit, sed potius ouiculã vnicã cuiusdã pauperis eidem eripuit, eandẽq; occidit: *Parcens ille sumere de ouibus & de bobus suis, vt exhiberet conuiuiũ peregrino illi, qui venit ad se tulit ouem viri pauperis.* Circa quem locum nihil restat inquirendũ aliud, quam quisnam per hominem illum diuitem tot ouibus abundantẽ, quidue per pauperem illum qui vnicam dũtaxat ouiculam possidebat, intelligatur? Et ecce mox occurrit S. Bonauentura bene declarãs vtrumque: *Pauper est Christus, qui paucas oues habet, Diues est Diabolus, qui habet oues & boues, insuper & pecora Campi.* Qui tamen cum tot animabus, ex omnibus mundi partibus locupletatus sit, ijsdem tamen diuitijs minime contentus, vnicam pauperi Christo, quam possidebat animæ Dauidis ouiculam eripere nõn erubuit; vbi clare & perspicue videtur, adeo ingentem esse reproborum numerum, electorum vero ita paruum, vt Dæmon ob id diues, Christus vero à sanctis Patribus pauper appelletur: *Pauper est Christus, diues Diabolus.*

2. Reg. 12. v. 4.
S. Bonau. ser. 1. Dom. 4. Quadr.

9. Na-

9. Nauis illa, quam Christus post curatam Petri socrum ingressus est cum discipulis suis, à S. Matthæo Euangelista appellatur Nauicula: *Ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius.* Quamobrem illam non appellauit nauim, ratem, aut triremem, sed nauiculam? Ratio huius est, quia erat nauis S. Petri, Ecclesiæ Dei sanctæ symbolum, quæ virtuosos sanctosque Christianos ad paradisi portum perducit; appellaturque hoc nomine, eo quod ij quos in Paradisum saluos traijcit, in comparatione ad illos qui naufragantur in profundo Inferni, sunt admodũ pauci, pro quibus traijciendis modicæ alicuius nauiculæ capacitas sufficit. *Sicut elegantissimè dicta nauis est vita Christiana,* inquit Paulus de Palatio *quæ ad portum salutis adfert; ita horrendè & lachrymabiliter dicta nauicula est. Vtinam nauis grandis & nimium capax, fuisset, sed nauicula est, arcta est, angusta est, breuis est, quia pauci sunt qui intrant in eam.* Adeoque Christus in comparatione ad Dæmonem qui magna nauigia habet, est veluti pauperculus quidam piscator, paruulæ nimirum cuiusdam nauiculæ Dominus. *Quia pauci intrant in eam.*

Matth. 8. v. 23.

Pau. de Palat. ibi.

10. Oleaster super caput primum Numerorum: vbi Deus Moysi & Aaroni summo sacerdoti, populi Hebræi gentem numerare præcepit, obseruat nondum à tempore huius præcepti elapsum esse annum, qua eãdem quoque numerationem præceperat vnde tam frequentes numerationes à Deo præceptas admiratus, Deum interrogat dicens: *Non est Domine impletus annus, qui eos numerari præcepisti, & iam iterum eos supputari vis?* Quid est hoc quod eos tam crebro numeras? Nihil aliud per hanc iteratam populi numerationem insinuare contendit, quã paupertatem suam. Sicut enim diues, qui arcas habet nummorum plenissimas, eosdem numerare non curat, ita econtra pauper, qui modicas in loculis pecunias habet, easdem tota die manibus suis contrectat & numerat. Vnde Ouidius finxit Polyphemum gigantem Galateæ Nymphæ nuptias ambientem, vt illam tanto efficacius ad suum animaret coniugium, eidem diuitiarum suarum enarrasse magnitudinem, præcipue pecorum & bestiarum quas possidebat, quorũ si forte numerum curiosè inquisitura fuisset illum assignare non potuisse ait, siquidem nunquam hactenus pecorum suorum numerasset gregem cum pauperum non vero diuitum qualis ipse erat, proprium sit, res suas quas possident numerare.

Oleast. ibi.

Ouid.

Nec si forte roges, possum tibi dicere, quot sunt.
Pauperis est numerare pecus.

Vnde cum Deus tam frequens sit in suorũ numeratione facienda, paupertatem suam haud dubiè demonstrare voluit, vt innueret, animas in sua possessione constitutas, in cõparatione earum, quas Dæmon in sua habet potestate, adeo esse raras & pauculas, vt pauper meritò animarũq; inops sit æstimãdus. *Pauper est Christus, diues est Diabolus.*

11. Ioannes Boccacius causam inquirit, ob quam ciuitas inferni ab antiquis Dis appellata fuerit, eandemque per pulchrã quandam Allegoriam proposito nostro optime inseruientem pariter inuenit: *Dis dicitur, à Dite Rege suo, qui apud Poetas Diuitiarum dicitur Deus; & hoc ideo quia diues sit, id est abundans locus iste eo quod in eo descendant vt plurimum morientes hodie olim omnes* q. d. Infernus ideo Dis appellatur, quia Dæmon qui inibi regnat, hoc eodem nomine appellatur, quod in nostra lingua idem sonat aut significat quod diues; eo quod locus ille animarum ditissimus sit, vtpote in quem hisce nostris temporibus maior pars hominum descendat, temporibusque præteritis omnes. Et reuera impius ille Rex infernorum merito diues appellãdus est, quia innumerabiles prorsus sunt, qui sub amplissimo ipsius imperio atque Dominio continentur, in cõparatione ad alios quos Deus in beatam suam recipit ciuitatem, pauculi æstimari debent, propter quod ipsemet quoque Deus pauper appellatur: *Pauper est Christus* Idque eo potissimum, quia hominibus mundanis non minus placet via illa ampla & lata quæ ducit ad infernũ, quam stricta & angusta displiceat quæ homines dirigit in Paradisum, per quam Christus Saluator noster gressus suos fecit, vnde est quod in societate reperiatur paucorum, quæ vestigia suo legunt, nec ab illo recedunt, vt salui fiant. *Et sequuntur me.*

Io. Boccac. Geneal. Deor. lib. 1. c. 9.

SERMO XXXVII.

In Feriam V. post Dominicam V. Quadragesimæ.

Ecce mulier in ciuitate peccatrix.

Ioan. 11.

1. QVia Maria Magdalena certum esse sciebat, quod nisi Deus ipsam Diuina sua gratia ad se traheret, nunquam se ad postulandam culparum suarum veniam, coram sanctis Christi pedibus prostratura esset, id namque ex ipsomet Christi ore audiuisse

Io. 6. v. 44 potuit qui dicere solebat *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Hinc ipsum spõsæ verbis deprecabatur, vt ex luto cui immersa iacebat, se extrahere, atque ad fælicem gratiæ suæ statum traducere dignaretur, dicebatque: *Trahe me post te.* Porro vt quod corde suo desiderabat, maiori cum facilitate obtineret, solam se sancto huic itineri committere noluit, sed eas sibi socias adsciuit, quas dilecto Sponso suo indubitate placituras esse cognouit, ideoque mox subiunxit: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vnde cum illam Christus exaudire potentique pietatis suæ chorda trahere dignatus esset, dicente S. Vincentio Ferrerio:

S. Vinc. ser. de S. Maria Magdal. *Trahit eum chorda misericordiæ, quam cordi suo alligauerat.* Ipsa festina atque sollicita, è cælesti Gynæceo tres sibi adsciuit cælestes puellas, itineris sui comites, scilicet verecundiam, humilitatem, & lachrymam; ad hoc vt vna illarum ad pænitentiam ipsam disponeret: altera Deum ad gratiæ postulatæ concessionem inclinaret, vltima denique illum cogeret, & vim ei inferret. Atque hinc est, quod in primis coram Saluatore nostro apparuerit verecunda, nolens sese ante offensi Domini & Dei sui faciem statuere, sed retro post tergum: *Stans retro.* Humilis item apparuit, quando deorsum ad terram ad sanctos Domini sui pedes sese prostrauit: *Secus pedes eius.* Denique comparuit lachrymabunda, Diuinos Domini sui pedes integro quodam lachrymarum abluens profluuio: *Lachrymis capit rigare pedes eius.* Atque harum excellentissimarum comitum suarum auxilio & interuentu, desideratam culparum suarum obtinuit veniam, ac tandem audiuit: *Dimittuntur ei peccata multa.* Cum igitur ad hoc vt nos quoque quotiescunque ad Deum recurrimus, peccatorum nostrorum veniam & remissionem obtinere possimus, necessum sit, vt easdem quoque in societatem nostram sodales & viæ comites nobis vendicemus ideo hoc in sermone videbimus quantum ipsæ ad nobis auxiliandum nobis efficaciæ habeant. Et primo quidem de verecundia sermo nobis erit.

CONSIDERATIO I.

Stans retro.

Sol gratiæ Diuinæ, qui peccati tenebras dispellit, post ortam in peccatore verecundia de peccatis commissis auroram in eodem nasci non tardat.

S. Bonauentura dicit Mariam Magdalenam se retro post tergum Saluatoris nostri Christi Iesu collocasse ob verecundiam, qua de peccatis suis erubescebat. Vnde colligitur, verecundiam debere esse amicam & familiarem cuiuslibet pænitentis comitem & sodalem: *In pœnitente enim anima debet esse pudor; pudor erat, quia stabat retro.* (S. Bonau. in cap. 7. Luc.) Verecundia enim de peccato commisso peccatorem ad pœnitentiam peccati, & receptionem veniæ & Diuinæ gratiæ disponit. Vnde verecundia rubore suo quem in facie pænitentis excitat, spiritualis quædam aurora mihi esse videtur, quæ mox vt nata est, Diuinæ gratiæ solem attrahit, peccati caliginem dispellentem.

2. Obseruat S. Ambrosius S. Petrum Apostolum, postquam Diuinum Magistrum suum in Palatio Caiphæ negauit, admirabili cum sollicitudine peccati sui veniam obtinuisse. Vnde dicit, verum quidem est Petrum fleuisse, neque id inficiari quisquam potest, cum lachrymæ eius à S. Luca descriptæ legantur, non tamen legitur quod os suum aperuerit, & cum Publicano dixerit: *Deus propitius esto mihi peccatori;* (Lu. 18. v. 13.) aut vnum verbum ad minus pœnitentiæ significatiuum pronuntiauerit exemplo Dauidis qui dixit: *Peccaui,* (2. Reg. 12. v. 13.) aut aliud aliquod huic simile: *Inuenio quod fleuerit, non inuenio quod dixerit.* (S. Ambros. de fer. 3. hebdom. sanct.) Atque ideo quærit; Quî fiat, quod S. Petrus offensum Magistrum suum deprecatus non fuerit, neque culpæ suæ postulauerit remissionem, prout alij pænitentes fecisse leguntur. Et mox pulchram huius assignat rationem, in qua prudentia sancti Apostoli manifestatur, per quam in sua se pœnitentia est moderatus. *Ne tam cita veniæ postulatio per impudentiam plus offenderet, quam impetraret; solet enim citius mereri indulgentiam, qui verecundius precatur.* quasi diceret: Nihil dixit, quia verecundatus est eodemmet tempore, quo Deum offenderat, commissi quoque peccati veniam deprecari, timens ne si id faceret, temerarium & impudentem se esse proderet, & castigationem loco remissionis obtineret, atque ideo amare tantum flere voluit, atque ita ob verecundiam istam admirabili cum sollicitatione obtinuit, quicquid petijt, quod si expresse à Deo petijsset tanta cum velocitate concessum sibi minime fuisset. Et hoc suo exemplo monstrauit, quod ad hoc vt subitam atque atque acceleratam à Deo remissionem obtinere possimus, verecundia peccati miram conferat efficaciam. *Solet enim citius mereri indulgentiam, qui verecundius precatur.*

3. Vidit quondam Ezechiel Propheta, vti ipsemet capite 9. Prophetiæ suæ declarat, sex Angelos in Hierosolymorum vrbem ingredientes qui stabant strictis ensibus accincti & præparati ad subitam populi illius internecionem. In quorum medio alius quidam videbatur, albis indutus vestibus ad cuius latus suspensum erat calamarium quocum Deus loquebatur, eidem præcipiens vt in peccata sua deflentium frontibus Tau literam inscriberet: *Signa Tau super frontes dolentium & gementium.* (Ezech. 9. v. 4.) Ad sex vero reliquos postea conuersus, eisdem vt omnes quotquot obuios haberent, occiderent, præcepit, idque absque vllo ætatis, sexus, aut gradus respectu, saluo eo quod neminem illorum offendere præsumerent qui litera Tau in fronte signati essent: *Super quem videritis Tau ne occidatis.* Quodsi causam scire cupiatis ob quam hi Diuinæ iustitiæ ministri stragem illam ex Dei ordinatione facturi cunctosque obuios mactaturi, prohibiti fuerint illos tangere, qui Tau litera insigniti erant? Quantum saltem assequi possum, existimo rationem illius, ex huius literæ interpretatione facile elici posse, vtpote quæ ex mente Hugonis Cardinalis in latina lingua idem significat, quod *Erubuit.* Deus enim demonstrare volebat,

lebat, quod licet illi Tau litera signati non minus peccatores essent quam alij non signati, ac proinde ob pecata sua vna cum alijs æquali mortis pœna digni fuissent, quia tamen de offensa Dei summi boni, nec non de animabus suis per tot culpas suas contaminatis erubuerunt, ideo eos non vt peccatores, sed vt iustos tractarunt neque illos castigare præsumpserunt vt per hoc innueretur, quod mox vt vultus peccatoris preciosa isthac verecundiæ purpura adornatur & vestitur, Diuina pietas peccatum fugare, gratiamque introducere minime tardet, ob quam iustis deinceps, non vero peccatoribus annumerandus venit.

4. Quando Deus strictum manibus gladium tenens ac per Paradisum obambulans, & Adamum vna cum coniuge sua quærens elata voce eosdem inclamauit dicens: *Adam vbi es?* Adam & Eua, vti Moyses refert, hanc Dei vocem audientes, ne à Diuina illa Maiestate viderentur, reatus sui conscij sese absconderunt subito: *Et cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso, ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem. Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini.* Gen. 3. v. 9.

5. Ambrosius non parum ex facto illo lætificatur, ac proinde dicit: *Habent remedium qui se absconderunt.* quasi diceret: Fœlicissimum nuntium. Nam prothoparentum nostrorum peccatum in Paradiso patratum impediri aut tardari non potuit, quo minus veniam à Deo obtineret, eo ipso enim quo se absconderunt efficacissimum remittendi peccati remedium, quod pro sui conuersione desiderare poterant, inuenerunt. *Habent remedium qui se absconderunt.* Verum enimuero quale remedium adferre poterat isthæc prothoparentum nostrorum subductio & absconsio. Audite quid sanctus Doctor subiungat, sic enim facile intelligetis remedium: *Nam qui absconditur erubescit, qui erubescit conuertitur.* quasi diceret: Eo ipso enim quo se à publico subducunt, ostendunt se de peccatis commissis verecundari: verecundando autem non tardabunt pœnitere, & remissionis gratiam recipere. Est namque verecundia efficacissimum quoddam emplastrum, quod mox vt faciei peccatoris superinducitur, illam disponit ad pœnitendum, atque ad culpæ remissionem introducit: *Qui erubescit conuertitur.* S. Ambros. de Parad. c. 14.

5. Pro confirmatione huius obseruandum est, quod Adam & Eua prothoplasti, mox vt peccarunt, oculos suos aperuerint, suamque agnouerint nuditatem, ex diuini præcepti transgressione causatam. Vnde de nuditate sua erubescentes absque vllo puncto moræ, ficulneæ folia aliquot consuentes vestem sibi inde confecerunt qua nuditatem suam tegerent. *Cumque cognouisset se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata,* inquit Moyses. Gen. 3. v. 7. Verum dicat aliquis eccur hisce folijs potius quam alijs sese cooperuerunt, cum in magno illo Paradisi pomerio, non deessent arbores vnde longe latiora sibi folia decerpere potuissent? Quid si accepissent de pampino, arbore nimirum sic à nobis appellata, ob foliorum suorum latitudinem, nunquid maiori cum commoditate & teneritudine nudas carnes suas tegere potuissent, quam crudis & rudibus ficulneæ folijs? De hoc nullum est dubium; at vero Adamus hoc vestimenti genere, non solum se tegere parabat, verumetiam de peccato suo pœnitentiam agere constituerat, atque ideo præ quauis alia arbore molli, delicata, & tenera, ficum præelegit, huius sese folijs vestiendo, vt hæc foliorum illorum asperitas, vigor & ruditas, instar Cilicij alicuius carni suæ adhæreret, eandemque pungendo & affligendo, peccatum, quod pro carnis satisfactione commiserant, expiarent. Estque hæc opinio sancti Irenæi: *Etenim per succinctorium in facto ostendit suam pœnitentiam folijs ficulnea semetipsum contigens, existentibus & alijs folijs multis, quæ minus corpus eius vexare potuissent. Condignum tamen inobedientiæ amictum fecit conterritus timore Dei, & retundens petulantis carnis impetum. Ac velut tale quid significans: Quoniam eam quam habui à spiritu sanctitatis stolam amisi per inobedientiam & nunc cognosco quoniam sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem ac pungit corpus.* S. Iren. adu. Hæres. tom. 3. c. 35. Cum itaque

itaque certum sit Adamum carnem suam ficulneæ folijs contegendo, de peccato suo agere voluisse pœnitentiam, obseruandum est ipsum id fecisse mox vt de peccato commisso erubuit, subito enim cum se nudum vidit, cilicium sibi imponere & pœnitentiā facere non distulit. Qua in re indicare voluit, causam huius tam festinæ & sollicitæ pænitudinis, nec non gratiæ remissionis quam pœnitentiæ virtute confestim obtinuit, fuisse peccati sui commissi verecundiam: *Qui erubescit, conuertitur.*

6. Obseruanda sunt verba illa quæ spiritus sanctus genas sponsæ considerans dixit: *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis.* Quid enim pulchri in dilectæ suæ genis explicare voluit, comparando genas illius cum genis turturis? S. Bernardus dicit, spiritum sanctū explicare voluisse in sponsa verecundiæ ruborem, qui est vultus pulcherrimus color: *Verecundiam intelligit, tanquam colorem in facie.* Verum sistite & expectate nonnihil videor enim mihi adhuc aliud sub hac litera notare mysterium; Nam vbi vulgata legit: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Pagninus pulchrè vertit: *Pulchra sunt genæ tuæ propter margaritas.* Per has autem margaritas non veniunt intelligendæ vniones, sed lachrymæ, quæ margaritæ appellantur, quia pretiosæ sunt, & margaritarum speciem referunt, sic enim S. Macarius S. Mariæ Magdalenæ lachrymas appellare non dubitauit, dicens: *Pretiosas margaritas in defluxione beatarum lachrymarum.* Quo tanquam verissimo supposito, nunc vtramque lectionem prædictam simul coniungamus, dicendo: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis propter margaritas,* & inuenientis quod vno eodemque fere tempore, quo sponsa de culpis suis erubescebat, simul etiam genas suas lachrymarum margaritis ornauerit, hoc est, subito vt habuit de peccatis commissis verecundiam, simul etiam ad peccatorum suorum commota est pœnitentiam, & dilecti sponsi sui reacquisiuit gratiam, vtpote cui ob recuperatam vultus sui pristinam pulchritudinem adeo complacuit, vt intermittere nequiuerit, quin illam laudaret, eique diceret: *Pulchræ sunt genæ tuæ propter margaritas,* Vnde Seneca inquit: *Proximum ad innocentiam tenet locum verecundia,* quasi dicere voluisset: Inter verecundiam & gratiæ introductionem, quæ animam puram reddit & innocentem, modica vel potius nulla reperitur distantia, vix enim in homine oborta est verecundia cum ecce mox pellitur peccatum & innocentiæ locus datur.

Cant. 1. v. 9.

S. Bern. ibi. ser. 40.

Transl. Pagni.

S. Macar, Hom. 25.

Seneca lib. de Moribus.

7. Audite qualiter Ecclesiasticus hac de re discurrat, præsentemque propositionem, cuius considerationi inhæremus, efficaciter probet: *Ante tonitruum, inquit, præibit coruscatio, & ante verecundiam præibit gratia.* q. d. Sicut coruscatio præcedit tonitru, ita gratiam præcedit verecundia. Quisquis hanc comparationem attendit, dicet sibi prima facie videri illam non bene concludere. Nam gratia verecundiam sequitur, non vero præcedit, cum tamen fulgur econtra tonitruum præcedat & non sequatur. Nihilominus inquit Iansenius, comparatio illhæc melius institui non potuisset, & causam assignat: *Quia verecundia statim de se effundit gratiam.* Postquam enim peccator de infami animæ suæ statu erubescit, & de peccatis suis pœnitentiam agit, Deus illum gratia sua tanta cum sollicitudine dignum efficit, vt mirum sit, dicique fere possit prius conferre gratiam, quam peccator de peccatis suis erubuerit. Vix enim peccator erubuit, cum ecce Deus peccatum remittit, & peccatorem in amicitiam suam iterum recipit. Vnde Ecclesiasticus per hunc loquendi modum, admirabilem verecundiæ efficaciam insinuare contendit, & incredibilem accelerationem quacum Diuinam impetrat gratiam. *Statim de se effundit gratiam.*

Eccles. 32 v. 14.

Iansf. ibid.

8. Albertus Magnus verecundiam homini adeo propriam esse dicit, vt nulli alteri creaturæ quæ homo non est, conuenire possit: *Vna de proprietatibus hominis in quantum est homo, verecundari est de turpi actu perpetrato; quod non conuenit alicui animali, nisi homini* quasi dicere vellet: Ex quo Deus præuidit solum hominem inter omnes alias creaturas peccare, & commissum peccatum emendare posse, illum verecundum seu verecundiæ capacem facere voluit, cuius proprietatis alia animalia participium habere noluit, quia peccati capacia non erant, ne ipsos quidem Angelos, quia tametsi hi peccare poterant, non tamen poterant de peccato commisso pœnitere, cum inconuertibilis sit il-

Alb. Mag. de Anim. lib. 22. c. 4.

sit illorum voluntas. Et subiungit: *Propter hoc inemendabiles sunt inuerecundi, qui in aliquo mutati sunt à rationis honore, pecorina natura assumentes irrationabilitatem.* q. d. Ideo homines illi qui peccant, nec tamen de peccato suo erubescunt, inemendabiles & incorrigibiles, omnique peccati remedio destitutos dicere oportet. Cum enim verecundiæ donum homini adeo naturale & proprium amiserint, non iam amplius homines, sed bestiæ, imo Dæmones qui bestiis truculentiores existunt, esse videntur, quorum peccata nullum admittunt pænitentiæ remedium. Vnde sequitur quod sicut peccator sine verecundia, & nox sine aurora, quæ Solis diuinæ gratiæ exortum sibi promittere non potest, necessario inter peccati tenebras coërcetur. Ita alius ille in cuius vultu cælestis hæc rosa nascetur, Deum apud se exorientem quantocius expectabit, qui ipsum ex peccati luto eriget; atque in Diuinæ gratiæ amplexus iterum reponet.

9. Deus enim ad condonandum peccatori delicta sua semper est promptus, nec aliud quam de peccato commisso erubescentiam ab homine peccatore expectat. Obseruemus obsecro illam de temerariis & homicidis illis vinitoribus parabolam: De quibus incarnata Dei sapientia dicit, quod postquã Deus illis suam elocasset vineam, vt ad determinatum diem suum illi inde redderent fructum, illi tamen non solum suæ non correspondèrunt obligationi verum insuper omnes illos occiderunt, quotquot ad fructus illos colligendos & postulandos missi fuerant. Dumque Angeli & homines tantũ scelus attenderent iamque præstolarentur Deum se de tot homicidiis per debita supplicia se vindicantem, viderunt eundem ad illos ipsummet vnigenitum suum, veluti debiti exactorem mittere, vt vel hac ratione faciem hæredis sui videntes, ad commissorum scelerum mouerentur verecundiam.

Matth. 21. v. 37. *Nouissime autem misit ad eos filium suum dicẽs: Verebuntur filium meum.* Quidnam obsecro Deus per hanc verecundiam efficere intendebat, quam sperabat peruersos hosce homines de commissis sceleribus suis ad filij

S. Ioan. Chrysost. Hom. 80. ibid. sui præsentiam esse habituros? Veniam, & iniquitatum suarum absolutionem, inquit Chrysostomus: *Missit confundere illos, non punire: nam pro tantis iniurijs benigno Domino sufficiebat sola vindicta pudoris.* q. d. Quia Deus illos sceleratos tanquam pius & benignissimus Dominus, non castigare, sed ad veniam admittere volebat, hinc vnigenitum suum ad illos misit, vt hac ratione se in illius præsentia constitutos videntes, de commissis aduersus cælestem Patrem suum sceleribus resipiscerent, & verecundarentur ipseque illis condonare ipsosque inter gratiæ suæ benignos amplexus recipere posset. Sicque simul insinuaret ad condonandum nobis peccata nostra aliud à nobis non expectare quam verecundiam & ruborem nostrum, eodem namque tempore quo de peccatis nostris erubescimus, remissis mox peccatis in gratiam recepti sumus. *Sufficiebat sola vindicta pudoris.*

10. Christus Saluator noster ad culparum nostrarum deletionem, nosque in primæuam amicitiam suam restituendos, confessionis sacramentum, vti nostis, instituere voluit in qua peccata illa, quæ innumeris digna erant suppliciis venerabili sacerdoti seu confessori reuelata, mox condonantur & remittuntur, ipsique peccatores gratiæ diuinæ iterum restituuntur. Verum dic sodes, quidnam est quod Deus in confessione peccatorum nostrorum spectauit quod præter ipsam ad peccatorum nostrorum remissionem impertiendam aliud nihil expectet? *Nihil aliud præter Confessionem nostram prætendit aut spectat,* inquit Author operis imperfecti, *quam verecundiam nostram* quam in tali peccatorum nostrorum reuelatione vltro subimus. *Ideo iubet Deus confiteri peccata nostra, vt verecundiam patiamur.* Deus enim genas nostras, pretiosa hac purpura & cocco tinctas, videns, non cunctatur in collatione gratiæ, quin subito à peccato iustificet, vixque peccator peccata sua confitendo de Deo suo offenso erubescit, cum ecce vicarius Dei manum leuat eundemque absoluit. Auctor. operis imperf. Hom. 3.

11. Atque hinc est, quod Petrus Cellensis, ne peccator ex vna quidem parte vidẽs, qualiter benignissimus Deus ob solum sui amorem in carne sua vnicum & merũ factus sit vulnus, totumque sanguinem ad extremam vsque guttam in venis suis latentem effuderit, adeo vt ad hoc ne vnica quidem san-

ſanguinis ſtilla reliqua eſſet, cor ſuum & pectus aperiri iuſſerit; ex altera vero parte enormia peccata ſua conſiderans quibuſcũ tanta cum ingratitudine tanto amori correſpondit, ſe veluti venia indignum iudicans de diuina deſperaret pietate, eundem ſequentibus verbis animet & conſoletur: *Sanguinem pro ſanguine repone ſcilicet pro fuſo in ara Crucis, effuſum in rubore confeſſionis.* q. d. Macte ſis animo frater peccator, De venia & primæua gratia Domini Dei tui deſperare noli, quia tametſi ipſe ex puro tuo amore totum ſuum ſanguinẽ fuderit, adeo vt totus factus ſit exſanguis, tu vero continuo peccando illum grauiſſime offenderis, nihilominus tamen quod ſi in pretioſi ſanguinis ſui recompenſam ſanguine verecundiæ & erubeſcentiæ de peccatis tuis genas tuas tinxeris & perfuderis, ipſe ob hunc verecundiæ ruborem, peccatorum tuorum remiſſionem, non diu cunctabitur, ſed amplexabitur tanquam filium, ſiquidem à te nihil expectat aliud. *Sanguinem repone pro ſanguine.*

Petr. Ab. Cellenſ. de Pan. cap. 1.

12. S. Paulus Apoſtolus mulieribus præcepit, vt mulier in Eccleſia orans caput ſuum velet, eo quod contrarium facere valde ſit inconueniens & deforme: *Omnis autem mulier orans aut prophetans, non velato capite deturpat caput ſuum.* Verum dicat aliquis, quid reſpectu Dei refert ſiue mulier coram ipſo velato aut reuelato ſeu aperto capite compareat, vt neceſſum fuerit Apoſtolo hoc mulieribus præceptum præfigere? Momentum huius præcepti non eſt vtilitas Dei, ſed noſtra, inquit ſanctiſſimus Carthuſianorum Patriarcha Bruno, & rationem aſſignat; *Cum enim in Eccleſia conuenimus: ibi Iudici præſentamur, quem per ſeductionem mulieris in iram prouocauimus, cuius rei memor mulier, quod totius perditionis author fuerit in præſentia Iudicis multum debet verecundari.* q. d. Mulier Eccleſiam ingrediens, & coram Deo genuflexa meminiſſe debet, in conſpectu magni Iudicis ſeſe præſentari, atque ideo cum per Adami ſeductionem iram Dei ſuper omnes homines prouocauerit, velo capitis ſui conteſtari debet, ſe de commiſſo errore valde erubeſcere, idque non ob aliam cauſam, niſi quia ad Eccleſiam venit oratura: Omnis mulier orans, ne videlicet orationes ſuæ, quibus diuinum conabatur placare furorem aliquam pati poſſent repulſam, cum enim Deus oculos ſuos in aliquem peccatorem demittit, illumque de proprijs culpis verecundari conſpicit, nunquam diu cunctatur furorem ſuum remittere, aut ſerenare, illumque peccatorem in gratiam ſuam recipere. Sicuti reipſa Mariæ Magdalenæ pænitenti euenit, quæ cum coram magno Iudice ſuo velato capite, ideſt, verecunda, ſtans retro compareret, experta fuit Chriſtum incunctanter ſua ei dimiſiſſe peccata, illamque in priſtinam ſuam iterum recepiſſe gratiam. *Remittuntur ei peccata multa.*

1. Cor. 11. v. 5.

S. Bruno in S. Tim. cap. 2.

CONSIDERATIO II.

Secus pedes.

Sicut magnes ferrum ad ſe trahit, ita humilitas attrahit ſibi gratias cæleſtes.

POſtquam Maria Magdalena vna ex parte coram Chriſto Domino Saluatore noſtro in verecundiæ ſocietate comparuit, vti præcedenti conſideratione diximus, ex altera quoque parte humilitatem ſecum adducere non intermiſit, vti in præſenti dicturi ſumus. Sicut enim dum ſe retro poſt tergum offenſi Domini ſui ſtatuit, verecundam ſe exhibuit, ita quoque dum ad ſanctos eius pedes ſeſe proſtrauit, humilem ſe declarauit. Propter quod merito mirè æſtimanda eſt ſapiens. Nam dum ſe peccatricem eſſe agnoſcebat, & conſequenter pauperem, atque à diuinæ gratiæ diuitijs prorſus nudam, ipſa pro ſui locupletatione conciliandiſque ſibi prædictis diuinæ gratiæ diuitijs, præſtantiſſimam hanc humilitatis virtutem in ſuam ſibi adſciuit comitem & ſociam, vt pote cuius admirabilis proprietas eſt, quod ſicut magnes ferrum ſibi attrahit, ita quoque humilitas animæ illi, in qua locum habet, diuinas coaceruet diuitias. *Sicut enim magnes ferro,* inquit S. Bernardinus: *Sic humilitas gratiam ad ſe attrahit.* *S. Bern. 2. ſer. 16. art. 8. cap*

1. Ne Prothoparentes noſtri Adamus & Eua

Eua post commissum peccatum, post inde contractam Diuinæ Maiestatis indignationem, post ablatos ab eis omnes illos fauores, quibus in originalis innocentiæ statu abundantissimè gaudebant, ne in quā post hanc tantam iacturam, miseri adeo ac nudi remanerent, pientissimus Deus detractis à duabus ouibus pellibus siue velleribus, eosdem vestiuit: *Fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Circa quas vestes Chrysostomus quærit. Quam ob causam Deus illos miseris adeo vilibusque induere voluerit vestimentis, cū eosdem prius tanto vestiuisset honore & gloria, vt propter lumen ex Adæ corpore egrediens, alia animalia suum in eum obtutum figere aut aspicere illum non potuerint, & tametsi in peccati sui pœnam primis vestibus digni non erant, dandæ tamen illis à Deo aliæ vestes erant quæ adeo miseræ & vituperosæ non essent? Et respondet idem sanctus Doctor, Deum non tantum per vestes illas prætendisse nuditatem ipsorū tegere, verū etiam decreuisse eos per illas venia & gratia suā dignos efficere, atque ideo operæ pretiū illi visum fuisse, illos non aliis quā vilissimis mortuorū animaliū pellibus amicire: *Accipiunt vestimenta pellicea, vt qui confessi iam delictū fuerant, veniam cultus humilitate percipiant:* q. d. voluisset: Nouerat Deus opt. Max quantam humilitas vim haberet, quamq; admirabilis esset in trahendis in animā gratijs suis, atq; ideo vt Adamus & Eua post factam peccati sui confessionem, veniæ & remissionis gratiā recipere possent, vilissimis illos vestire pellibus voluit, vt hac ratione se misere vestitos vidētes, sese submitterent & humiliarēt, atque humiliatione ista veluti magnete quodam, absolutionis à peccato gratiam animabus illorum attraheret, sicuti postea reipsa accidit: *Veniam cultus humilitate perciperent.*

Gen. 3. v. 21.

S. Io. Chrys. sost serm. de lapsu primi Hom.

2. Summus maximeque stupendus honor, quem Christus Dominus noster sanctissimo Præcursori suo visus est vnquam exhibuisse, est quod is cuius pedibus omnia tam corporalia quam spiritualia vniuersim substrata iacent, coram illo se humillime in Baptismo inclinauerit, manumque eius baptizantis Diuino vertici suo superimponi voluerit. Quam Christi erga præcursorem suum summam dignationē idēmet sanctus Doctor demiratus dicit: Quanam ratione fieri vllatenus potuit, vt homo aliquis tanto fieret dignus honore? Et respondet S. Ioannē tantum sibi promeruisse honorem, egregia sui humiliatione, quam corā Christo exhibuit, dum manum suam indignam esse profiteretur, quæ Christi solueret calceamenta: *Non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius.* In cuius humiliationis præmiū, eadem manus eousque sublimata fuit, vt digna fieret, quæ super caput illud, supra quo nihil vnquam creatum supereminere visum fuit, exaltaretur, *Super caput suum Christus attraxit.*

Marci 1. v. 7.

3. Inter alia quæ Deus in sacrificio Columbæ ad propitiandam infinitā Dei Maiestatē offerendæ obseruari præceperat, vnum erat, vt sacerdos Hebræus caput Columbæ illius versus collum torqueret & inflecteret. Ita enim in Leuitico legitur: *Offerat eam sacerdos ad altare retorto ad collum capite.* S. Bruno Carthusianorum montium primus incola, optime cæremoniam istam ponderat, & quærit: Quidnam ad sacrificium istud acceptabile faciendum referebat caput hostiæ inclinatum & retortum? num forte si erectū & eleuatum fuisset Hostiæ caput, ideo displicuisset hostia? Adducitque responsionem quandam, qua in ea quam præ manibus habemus materia, melior desiderari non posset: *Quia non recepit Deus sacrificia superborū.* Volucris enim illa, eius qui illam offerebat personam repræsentabat, vnde quia ille per sacrificium istud gratiam sollicitabat propitiationis & remissionis peccatorū suorū, ideo Deus vt talis offerens finē assequeretur optatum, eidē per Hostiæ offerendæ figuram, veluti per symbolū, Humilitatem persuadere conabatur, propter quā Deo placiturus, omnemque obtenturus erat gratiā, quam à Domino quauis data occasione postularet. Fauores nāque Dei dē cælo nunquā descendere solent, nisi per Humilitatis vim magneticam attracti, atque ideo in consimilibus necessitatibus Deū oraturus stare debet corā Deo capite inclinato & terrā versus demisso.

Leuit. 1. v. 15.

S. Bruno de ornat. Eccl. c. 5.

4. Audiuistis vtique sæpius quanta fuerit Iacobi Patriarchæ fortitudo, viriumque robur, vtpote qui dū vespere quodā Deū opt. Max sub Angeli cuiusdā specie colluctatorem

Gen. 32. v. 25.

rem haberet, aduerteretque illum ad hoc ne se benedictionis suæ, tot precibus sollicitatæ faceret esse participem, clam meditari discessum, Deum adeo fortiter est amplexatus, sibique astrinxit, vt Deus pro obtinenda libertate, veluti coactus fuerit, illi pro voto & desiderio suo omnia concedere & impertiri. Verum dicat aliquis, vnde homini adeo infirmo & debili, tanta aduersus Deum fortitudo, cui si innumerabiles armatorum militum exercitus comparentur, ijdem veluti totidem muscæ atque formicæ æstimantur? Ab humilitate, inquit Rupertus Abbas: *Quomodo putamus illum potuisse cum Deo luctari, & inualuisse cum Angelo, nisi per magnæ humilitatis virtutem, quæ vera est fortitudo?* q. d. Quandoquidem sanctus Patriarcha in hac oratione sua, sub luctæ symbolo significata, profundissimum infimumque de se habuerit humilitatis sensum, hinc tantam sibi adsciuit fortitudinem, vt cum ipsomet etiam Deo confligere, ipsumque vincere, atque in multis precibus sollicitatam Dei benedictionem, inuito quoque Deo inuolare præsumpserit qua in re perspicue nobis demonstratur, quod quotiescunque Deum ex pectore humilitate armato precamur, gratiasque suas exposcimus, Deus haud secus ac si tantæ potentiæ & fortitudini minimè valeret resistere, veluti coactus sit manus suas aperire, superque nos effundere, quicquid in sua positum est potestate. Vnde S. Iacobus dicit: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, quasi dicere vellet: Deus qui superbis in gratiarum suarum concessione tanta cum violentia resistit, non obsistit humilibus, imo ijs postulata promptissimè concedit, quasi violentiæ sibi per eosdem illatæ non valens resistere.

Rup. Abb. in Amos lib. 4. c. 8.

Iacobi 4. v. 6.

5. S. Apostolus in Epistola secunda ad Corinthios, de noua quadam & particulari gratia, nulli vnquam hominum hactenus concessa loquens, dicit: *Scio hominem, quoniam raptus est in Paradisum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Magnus profecto fauor fuit ille, stupenda dignitas, gratia denique particularissima. Verum videamus obsecro, quidnam illum adeo in sublime attrahere & sustollere potuerit? Quatuor nimirum humilia verba, quæ pronuntiauit, dicit Guilielmus Durandus, quibus se inter Christi discipulos minimum, Apostolique nomine indignum declarabat: *Quia dixit non sum dignus vocari Apostolus propter hanc humilitatem, raptus fuit vsque ad vltimum cælum.* Qua in re clare quidem, non tamen sine admiratione videtur incredibilis Humilitatis potentia, vtpote quæ ad hoc vt Deus electos suos maximarum, quas concedere potest, gratiarum reddat participes, eosdem in sublime de terra extollit in Paradisum introducit, Diuinoque conspectui repræsentat, eosdemque eodemmet tempore quo inter viatores adhuc degunt, Angelorum compræhensorumque spirituum Choris inserit.

2. Cor. 12. v. 4.

Guiliel. Duran. Rat Diu. offic lib. 6. c. 125.

6 S. Bonauentura existimat, nullam aliam causam assignari posse, ob quam Christus inter tot homines in Ierichо commorantes neminem præter Zachæum respexerit; *Suspiciens Iesus vidit illum*, quam quia is breuis & paruæ staturæ fuerit *Hunc aspiciebat quia statura pusillus erat.* Verum ponamus casum quod Zachæus adeo altæ & eminentis staturæ fuisset, qualem Gygantes & Collossi olim habuerunt, & videamus, num forte illum dignatus fuisset aspicere. Sanctus Doctor, dicit Minime, & causam assignat: *Excelsus enim Dominus humilia respicit.* Deus enim magna dedignatur aspicere, gaudet autem si parua & humilia videat. Id quod non de corporis, sed de animæ paruitate intelligendum venit, quæ in humilitate sola consistit, cuius aspectu Deus adeo magnopere delectatur, vt oculos suos in illam semper directos habeat, neque aliud ab illa videre curet. Atque ideo affirmare oportet, Humilitatem talem esse virtutem, quæ omnes cæli thesauros deorsum trahat. Nam sicuti alibi diximus, quocunque oculi Diuini respiciunt, eo omnia illa bona quæ pro anima aliqua locupletanda & exornanda desiderari possunt, simul descendunt.

Lu. 19. v. 5 S. Bonau. ibid.

7. Mulier illa, quam S. Ioannes Apocal. cap. 12. in cælo sublimatam, amictam sole, calcantem pedibus Lunam, multisque circa caput stellis circumdatam vidit: *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum &c.*

Apoc. 12. v. 1.

Hæc

Hæc inquam mulier, iuxta Ioannem Gersonem, viua quædam fuit humilitatis imago. *Hoc est signum magnum apparens in cælo, mulier, id est, humilitas.* Io. Gers.

Et hæc quidem in cælo inprimis apparuit, quia tametsi humilitas nihil adeo desideret, quam vt in humili loco, imo in infimis terræ partibus subsideat: Deus tamen ex profundo centro suo illam exaltat; eandemque, vti incarnata inquit sapientia, Matth. 23. v. 12. in cælo collocat *Qui se humiliat exaltabitur.* Præterea sole amicta conspicitur, quia licet ipsa, veluti virgo quædam verecundissima, coram oculis hominum studeat videri obscura, incognita, occulta, abscondita, Deus tamen ad ostentandos illius thesauros, illam totius mundi oculis palam exponit. Adhæc lunam sub pedibus tenet. Vt per hoc innuatur, quod licet ipsa omnibus terrenis rebus inferior esse gaudeat Deus tamen ipsi super omnia cælestia locum assignet. Denique vt ad propositum redeamus, magnum quoddam in capite diadema defert ex stellis contextum, per quod præfatus Doctor omnium Christianarum virtutum splendorem intelligit, vnde humilis clarus euadit atque illustris. *In capite eius corona stellarum duodecim, omni scilicet splendore virtutum radians perfectio.* Id quod eo fine dicitur, vt apprehendamus, hanc virtutem haud secus se habere, ac si admirabilis quidam Magnes esset, qui omnes de cælo virtutes & gratias quæ animæ alicuius Christianæ pulchritudinem & decorem intendere & adaugere possunt, ad se attrahat atque ideo caput eius circumstant, illudque coronant. *In capite eius corona stellarum.*

8. Oleaster causam inquirit, ob quam Deus Iosephum Patriarcham exaltare volens, tam in domo Putipharis, vbi omnium quæ hic possidebat, futurus erat Dominus, sicut etiam in vniuerso Regno Ægypti, quod suo prorsus subijciendum erat imperio, permiserit, vt prius tanquam mancipium venderetur, & tractaretur vt seruus. Dicitque vnde quæso euenit, quod Deus seruum suum exaltaturus, prius illum tantopere humilare voluerit? An non honor exaltationis suæ honorificentior fuisset & maior, si ipsum ex tam humili statu non euexisset, quisquis enim ipsum nunc ex tam abiecto & humili statu euectū conspicit, dicere eidē potest, quod nonnullis, qui ex seruitute ad sublimes euehuntur honores, per contemptū dici solet: *Ab hara ad aram, ex eremo ad tribunal.* Et respondet quod tametsi ratio ista, iuxta peruersam mundi consuetudinē præualeat, nullius tamen momenti est apud Deum, apud quem homo aliter magnificari non potest nisi prius deijciatur & humilietur. Cū Deo propriū sit, prius homines deprimere, supplantare & seruos facere, priusquam eosdem exaltet & Dominos seu moderatores constituat. *Seruos esse permittit, vt ex seruis Dominos faciat.* Idque ita fit, quia Deus gratias suas concedere nequaquam solet, nisi prius ab humilitate eius, cui illæ concedendæ sunt, requirantur, & virtute quadā magnetica in eius animam attrahantur; Atque ideo priusquam exaltet humiliat, dehonorat priusquam honoret, ac deniq; omnino supplantat, quem postea in cælo reponere decreuit. *Seruos esse permittit, vt ex seruis Dominos faciat.* Oleast. in cap. 39. Gen.

9. Audite pulchrum humilitatis encomium quod Gulielmus Parisiensis adfert dicens: *Laus eius est paupertas, ex qua est ei tutannica quarulositas & mendicitas.* Quasi Guiliel. Parisiens. de morib. cap. 10. dicere vellet, vultisne scire conditionem hominis alicuius humilis? respicite vnum ex circumforaneis repetiatis medicūlis, qui cū multas bonas habeant vestes, pane abundēt, magnamq; coaceruatam habeant pecuniæ copiā, hæc tamen omnia domi suæ abscondunt, & in publicū prodeuntes obsoletā quādam in centenis partibus laceram, millenisque modis repetiatam vestem induunt, eandemq; fidelibus Eleemosynarijs passim demonstrant, tanquam personatæ seu simulatæ paupertatis valde apparens argumentum, importunisque cum clamoribus alijsque excogitatis violentijs in omne illud inuolant, quidquid desiderant aut postulant. Haud secus humilis se habet erga Dominū Deum suum, & erga vniuersam cælorum curiam, inquit præfatus hic Doctor. Et hoc quidem verissimum est, tametsi enim homo aliquis humilis omnibus cælorum bonis superabundet, tantas tamen animæ diuitias per Humilitatis industriam & artificium abscondit; seque omni alio maximo etiam

etiam totius mundi peccatore pauperiorem, magisque egenum esse pronuntiat, atque hoc modo Deum & sanctos eius compellat & inuocat, coram omnibus denique vociferatur, lamentatur, seque pauperrimũ atque in extremam paupertatem deuolutũ dolenter exclamat. Adeoque per laudabilẽ hanc suam importunitatem, sanctumq; dolum, cuncta è cœlis bona attrahit, quæ desiderat, Deumque ad nouas gratias & fauores concedendos violenter quasi constringit.

10. Et tametsi Deus communiter, subiungit idem Guilielmus, eundem hominem superefluenter cælestibus diuitijs cumulare non cesset, ipse tamen haud secus; ac si nihil vnquam donorum consecutus esset, se magis quam alias vnquam miserum, egenum, & pauperem palam profitetur, vt quædam esse videatur abyssus, quem Deus omni etiam sua omnipotentia adhibita adimplere non valet. Vnde per pulchram quandam Prosopopeiam humilitatem veluti cum diuinarum diuitiarum omnipotentia sine verecundia contendentem & luctantem introducit, audacterque Deo dicentem: *Imple saccum paupertatis & vacuitatis meæ, si potes, Domine Deus meus.* q. d. Diuitiarum tuarum cornucopiam, tu ô Domine Deus meus ex vna parte apertis prodigisque manibus effundito, & ego ex altera parte ad recipiendas illas me disponam, pro meo modulo sicque per euidentem experientiam cognosces impossibile tibi esse, vt paupertatis meæ saccum adimplere valeas. Et ratio huius est, quia humilitatis proprium est, tanto magis minorari, & vacuam fieri, quanto fauores, quos Deus concedit, magis augentur. Vnde idem Doctor subiungit: *Saccus eius nec hic impleri potest donis largitatis, nec paupertas eiusdem ditari. Causa autem in hoc est, quoniam quanto maiora amplioraque dona recipit, tanto amplius ipsa crescit, & propter hoc tanto amplius vacuam & pauperem se proclamat.* Vnde affirmandum est humilitatẽ in diuinis gratijs attrahendis magnetẽ quendã esse insatiabilẽ, qui tametsi trahere non cesset, tamen haud secus ac si nihil obtinuisset, nullũ tamen in admirandis operationibus istis inuenit finem: *Saccus eius nec hic impleri potest donis largitatis, nec paupertas eiusdem ditari.*

Idem de Rhet. Diuin. c. 31.

11. Philosophi asserunt naturam tantam esse omnis vacui inimicam, vt eidem nullibi in toto mundo locum aliquem permittat. Vnde nonnunquã fit quod ne aliquod in naturalibus vacuum detur, tales facere soleat violentias, quæ solito operationũ suarum modo omninò aduersari iudicentur. Vnde S. Vincentius Ferrerius inquit: *Vt impleretur vacuum, si esset, citius descenderet cælum.* q. d. Quod si aliquando contingeret mundũ aëre destitui, cælũ vtiq; in aëris locũ succedẽdo descenderet, ne vacuũ admittatur. Vnde Doctrina ista præsupposita, Guilielmus Episcopus Parisiensis inquit: *Sicut natura vacuũ non patitur quin in illud virtute vehementissima impingat corpus aliquod quo repleatur. Sic vacuũ humilitatis gratia, vacuũ à se esse non patietur, sed fortissima inundatione in illud influit, quod replet.* q. d. Necessum est, vt humiles sint insatiabiles diuinarũ gratiarũ magnetes, siquidẽ se gratiarũ vacuos & inanes semper esse existiment. Sicut enim natura ne vacuũ appareat, cum omni possibili acceleratione illud semper adimplere allaborat: ita quoq; ineffabilis Dei omnipotentia, ne vnicũ quidem temporis momentum abire permittit, quo humiles, qui cœlestium bonorũ se profitentur inanes & vacuos, similibus bonis atque diuitijs non adimpleat. Atque hinc fit quod ab animabus talium humiliũ perpetuus quidam cælestium bonorum fluxus continuo videatur.

S. Vinc. Ferrer. ser. 2. fer. 2. Pascha.

Guiliel Paris. de morib. cap. 10.

12. Imo pro tali vacuo adimplendo non ipsa cæli dona tantum, verum ipsummet quoq; cælum sibi attrahere humiles nonnunquam solent. Respicite vacuum istud, quod Christus ipsemet Luc. 18. cap. descripsit, quod in tẽplo. *Longe stans nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* O humilitatem eximiam! O vacuitatem admirandam! Fierine potest, vt videri homo aliquis possit magis vacuus quam iste? qui se tantum peccatorem esse arbitratur, vt indignum se iudicet qui Deo appropinquet, aut cœlum aspiciat, quod ipsæ quoque bestiæ aspicere non prohibentur? Verum enimuero vix genua sua in terrã incuruauit, suasque necessitates exposuit, cũ ecce totũ cælũ in animã suã attraxit, quod ne homo ille inanis maneret & vacuus, cum violentia quadã

Lu. 18. v. 13.

sese

sese inclinauit, & descendit, inquit S. Bernardus: *Vim faciebat regno cœlorum Publicanus ille, qui dum non auderet oculos ad cœlum leuare, ipsum cœlum ad se potuit inclinare.*

S. Bern de quat. modis orandi.

13. Vix Christus in Iordanem descenderat, atque à Præcursore suo baptizatus fuerat, quando, vt refert S. Matthæus, cœli ipsi aperti atque diuisi fuerunt: *Baptizatus autem IESVS, confestim ascendit de Aqua & ecce aperti sunt ei cœli.* Circa quod Paulus de Palatio quærit: Qua ratione factum sit, quod in tot annis quibus Christus in mundo fuerat, nunquam illi aperti sint cœli, vti factum, quando est baptizatus? Sibique per egregiam valde responsionem satisfacit dicens: *Tantum enim fuit meritum illud tanta humilitas, vt vix Pater cohibuerit se, quin aperiret cœlos Christo se sub aquis immergenti.* Quo spectaculo Deus immoderatam insinuare voluit humilitatis violentiam, ac simul ostendere, quantum in diuinarum gratiarum comparatione præualeat. Quando enim homo in terra humiliatur, continere se Deus in cœlo non potest, quin thesauros suos ibidem aperiat, seque humiliantem omnibus possibilibus cœli bonis locupletet & accumulet. *Vix Pater cohibuit se quin aperiret cœlos.*

Matth. 3. v. 16.

Paulus de Palat. ib.

14. Verum vt considerationem hanc per aliquem de B. Maria Magdalena, de qua in præsenti Euangelio sermo est, conceptum concludamus, adducemus quandam S. Bernardini doctrinam, qui admirandam hanc mulierem, pro eo præcipue tempore considerans, quo à Martha sorore sua ad Christum, qui Lazarum fratrem suum resuscitaturus aduenerat, vocabatur, vidensque illam, mox vt ad Christum accessit, sese inclinantem atque ad sanctos eius pedes se prosternentem, teste S. Ioanne qui dicit: *Maria ergo cum venisset, vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius,* ipsam hunc in modum interrogat: *Quare semper cadis ad pedes Iesu?* q.d. Cum peccata tua plangis, pedibus illius vicina assistis: *Stans retro secus pedes eius;* Cum illum in domum tuam recipis, prope à pedibus eius consistis: *sedens secus pedes Domini.* Cum illum post Lazari fratris tui Resurrectionem iterato domi tuæ receptas, nec tunc quidem etiam illius deseris pedes: *Vnxit pedes Iesu.* Iam vero in particulari ad eosdem pedes te cecidisse video: *Cecidit ad pedes eius.* Scire proinde percuperem huius tui tam vehementis in pedes eius affectus causam. Cui sancta pœnitens ab eodem introducta respondet: *Quia ibi remittuntur peccata mea: ibi est locus consolationis meæ, cum sto ad pedes magistri mei, audiendo verba oris eius; & quia ibi reperio meam defensionem, cum dixit: Cur molesti estis huic mulieri? Nunc vero credo etiam ibi ad pedes eius reperire resurrectionem Lazari fratris mei.* q.d. Vt quid me amore erga sanctos dulcissimi Magistri mei pedes ardere prohibes, quando ego ibidem, quicquid desiderare valeo, inuenio? Ibi peccatorum meorum veniam recipio. Ibi recreationem meam, cibum animæ meæ, aduersus aliorum calumnias defensionem inuenio, denique nunc quoque mortui fratris mei vitam me ibi reinuenturam esse confido. Probe namque sapiens hæc mulier sciebat, quanta cum violentia & vi humilitas cœlestes attrahere soleat diuitias, ideoque in cunctis necessitatibus suis cum Christo tractans, deijcere & humiliare se solebat, ac proinde præter sanctos eius pedes alium locum non eligebat.

Ioan. 11. v. 32.

S. Bern. to. 4. ser. 31. in Quadr.

Textus. Lu. 10. v. 39.

Io. 12. v. 3.

15. Porro Quæstio hæc à S. Bernardino sanctæ huic Pœnitenti proposita, nihil prorsus differre videtur à quæstione Aristippo Philosopho à certis quibusdam consortibus suis proposita, qui causam ab ipso requirebant ob quam ipse certam quandam à Dionysio Rege Syracusano gratiam obtinere contendens, ad pedes eius genuflexus hæreret? Hisce enim Aristippus respondit: *Quia aures habet in pedibus.* Quasi dicere voluisset: Ex quo ego video, me nullas ab hoc Principe gratias obtinere posse, nisi me humiliando & submittendo, ideo curo, vt dum illum supplicabundus accedere paro, me coram ipso ad ipsos vsque pedes eius profunde inclinem. Atque hæc eadem est ipsissima causa ob quam Maria adeo frequenter amantissimi Domini sui pedibus aduoluebatur, haud secus ac si aures haberet in pedibus. Certo namque sciebat, Deum tunc solum auscultare, exaudire, & consolari homines, cum vna cum Maria Magdalena *stant retro secus pedes eius,* pedibus eius aduoluuntur.

Diog. Laër. de vit. Philos. lib. 2.

CON-

CONSIDERATIO III.

Lachrymis cœpit rigare pedes eius.

Lachrymæ ad impetrandam humanarum culparum remissionem tantam habent efficaciam, vt Deus illis non videatur posse resistere.

MAria Magdalena tanquam si non in terrenorum Principum aulis, vbi homines obseruantur & honorantur, sed in deuotis claustris, vbi Deo debitus honor & gloria defertur, nata fuisset & educata, optimè sciebat, idonea quæ ad obtinendas gratias cælestes applicari debebant instrumenta. Atque hinc est, quod ad impetrandam peccatorum suorum remissionem, non verecundiam & humilitatem tantum in sodales & comites sibi assumpserit, vti diximus, verum etiam lachrymas: *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.*

Lachrymæ enim illam de venia peccatorum impetranda certam reddebant atque securam, tanta enim est lachrymarum violentia ad extorquendam humanarum culparum remissionem vt ne ipse quidem Deus aliquam illi videatur facere posse violentiam.

1. Merito Rex ille, cuius Christus Matthæi 18. cap. meminit, grauiter irascebatur fraudulento illi seruo, qui in facultatum suarum administratione decem millia talenta illi furto surripuerat, cuius proinde vendi iussit vxorem filios, imo & ipsummet, vt ex pecunia inde comparata, furti pretium posset restitui. Infœlix autem seruus ille dura hac sententia plexum se audiens tametsi ad regij præcepti sibi impositi executionem promptus esset, prius tamen Regem ipsum conuenire, eundemque rogare decreuit, vt nonnihil patientiæ in ipsum haberet, futurum enim esse, vt breui tempore omni debito suo ad extremum vsque teruncium satisfaciat. Qua supplicatione facta, Rex in virum alterum ab eo qui fuerat mutatus, omnem aduersus eum conceptam iram & vindictam remittens, non solum culpam commissam ei condonauit, verum insuper mira cum liberalitate omne debitum illi remisit, sibique ex integro satisfactum esse confessus est. *Procidens autem seruus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* (Matth. 18. v. 27.) Optarem hoc loco causam scire, ob quam Deus (quem Christus sub Regis huius symbolo intellectum volebat) cum iam contra iniquum seruum illum iusta accensus indignatione esset, mox vno eodemque tempore adeo factus sit clemens & benignus, vt id concedat quod prudens aliquis non tantum impetratu, sed & postulatu impossibile credidisset? Causa autem huius, ex mente S. Ioannis Chrysostomi non est alia, quam quia seruus ille coram Domino suo humillime genuflectens plorauit, & lachrymas effudit. *Decem millia talenta debens, omnem facultatem Domini decoxerat, paratus tamen existens, & mulierem & pueros dare, & quia solum plorauit, debiti illius remissionem inuenit.* (S. Ioan. Chrysost. ser. 5. de fato.) Qua in re incarnata sapientia admirabilem lachrymarum efficaciam innuere voluit, simulque nos edocere, quod ad impetrandam peccatorum nostrorum remissionem, tantam apud Deum vim lachrymæ obtineant, vt si Deo iam præ ira & indignatione exardescente, armaque ad sumendam condignam de peccatis nostris vindictam tractante & præparante, vel vnica duntaxat ab oculis nostris lachryma expressa fuerit, idem ille Deus mox omnem iram & indignationem deponat, arma quæuis abijciat, atque ex inimico in Patrem transmutatus adeo nos ab omni æternæ pœnæ reatu liberet atque immunes faciat, ac si ipsum nunquam offendissemus. *Dimisit eum, & debitum dimisit ei, quia solum plorauit.*

2. Postquam Ionas ex præcepto Dei Niniuitis Ciuitatis suæ ruinam prædicasset, mox inde recessit, seque in certum quoddam vmbraculum ex opposito vrbis Niniue constitutum recepit, ibidemque Deum instanter rogauit, vt fortiter exequeretur quicquid Niniuitis prædicandum sibi commiserat, ne passim ab omnibus Propheta mendax haberetur. Valde enim metuebat, ne Deus suam mutaret sententiam, iamque omnem illis noxam dimitteret, quos paulo

ante

ante in extremam ruinam adigere & perdere decreuerat. S. Ephrem hasce Ionæ preces considerat, & quærit: Quidnam Ionā commouerit ad dubitandum, vel timendum, ne Deus sententiā aduersus Niniuitas fulminatam non exequeretur, cum tamen persuadere sibi debuisset omnino contrarium, vtpote qui iram, qua Deus ardebat, iam antea viderat? Et dicit, Prophetæ timorem nō fuisse sine magno conceptum fundamento. *Timebat enim Ionas aspiciens eorum lachrymas, vnde quod ciuitati euenturum erat, animaduertebat.* q. d. S. Propheta ex tugurio siue vmbraculo quod sibi ex opposito vrbis construxerat, obseruabat omnia ea quæ Niniuitæ faciebant, videbatq; eosdem vniuersim peccata sua deplorantes. Vnde ipse vtpote probe gnarus, quam ingens sit lachrymarum efficacia, quantamq; apud Deum vim & fortitudinem, pro impetranda peccatis hominum remissione obtineant, nimirum quod Diuinæ Iustitiæ decreta facillimo negotio delere soleant, Dei quoque ministros disarment, Deumque inter & peccatores pacem impetrent atque stabiliant, ex horum consideratione iure merito id, quod postea reapse euenit, pertimuit. Ideoq; Deum instanter rogauit, ne hanc sibi iniuriosi nominis notam inureret, vt mendax ab omnibus passim & nugiuendulus haberetur, sed potius in prima deliberatione firmus atque fortis persisteret. *Timebat enim Ionas aspiciens eorū lachrymas.* Verum precibus suis nihil omnino effecit, aut obtinuit. Vix enim lachrymæ istæ ab illorum peccatorum oculis manauerant, cum ecce Deus publicatam à Iona præcone de vrbe illā destruenda sententiā subito reuocauit, atque deleuit, ministrosque suos, qui ad stringendos pro sententiæ illius executione gladios proximi erant, ne mali quidquā inferrent, coërcuit, cunctosq; homines in pristinā suam gratiam iterum recepit. In magna enim Dei curia, inquit Petrus Cellensis, tam ingens est vis vel vnius solius lachrymæ pro peccatis effusæ, *vt Iudicis emolliat iras, vibratas obtundat acies, erectaque iam resupiret supplicia.*

S. Ephrem. in Ionam.

3. Quando Deus Persarum exercitum ad deuastandam ac destruendā Babyloniæ Ciuitatem suscitabat, hunc in modum eundē per os Isaiæ Prophetæ sui alloquebatur. *Ascende Aelam, obside Mede, omnem gemitum eius cessare feci.* Causam scire cuperem, ô dulcissime Domine, cur ad obsidendam & diripiendam Babyloniæ Ciuitatem, Persarum exercitus tunc pridem sciscitaris, postquam Ciuium vrbis illius lachrymas impediuisti, ne videlicet pro deplorandis culpis suis manare possent? Numquid Deus sententiā suam æque bene exequi poterat, contra ipsos actualiter flentes, quā aduersus eosdem flere cessantes? Dicendum est, quod non, quia vis lachrymarum illum efficaciter impediebat. Vnde ex hoc loco obseruanda est, inquit Oleaster, inaudita lachrymarum efficacia: *Expende virtutem gemituum, qui cogere videntur Deum ne puniat: vt scilicet non cesset misericordia eius, quamdiu non cessauerit gemitus tuus.* Quasi dicere vellet: Adeo ingens est lachrymarum violentia, ad impediendum Deum, ne culpas nostras, prouti merentur, castiget, vt manus illi videantur ligare, eumque cogere, vt nos lachrymantes blande leniterque demulceat. Ideoque vt castigare possit, efficit in nobis, quod Babylonijs acciderat, vt scilicet peccata nostra deplorare aut deflere non possimus. Vnde S. Cyprianus inquit: *Incumbamus gemitibus assiduis & deprecationibus crebris, hæc sunt enim nobis arma cœlestia, quæ stare & perseuerare fortiter faciunt, hæc sunt arma spiritualia, & tela diuina quæ protegunt.* Ad hoc vt secundum peccatorum nostrorum demeritū non castigemur à Deo, aut destruamur, continuo vt plangamus necessum est. Aptioribus enim Instrumentis, tum ad euadendum iræ Dei imminens periculum, tum ad continuandā extensam super nos diuinæ pietatis manū, vti non possumus, quam illo; ad solū enim lachrymarum nostrarū aspectum iracundum Dei cor in sui teneritudine liquescit, pulsoque omni furore Diuinæ pietati exercēdæ locus & facultas libera datur: *Hæc sunt nobis arma cœlestia quæ stare & perseuerare fortiter faciunt.*

Isai. 21. v. 2.

Oleast. ibi.

S. Cyprianus lib. I. Epist. I.

4. Isaias Propheta, prouti cap. 64. Prophetiæ suæ legitur, extrema exterminia, quibus Deus ob populi sui peccata grauissime indignatus, eundem populum suum exagitabat, obseruans, amare plorabat dicens: *Cecidimus quasi folium, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos, non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te.* q. d. Miseros

Isa. 64. v. 6.

seros & infœlices nos, qui propter peccata nostra haud secus ac folia ventorum furiæ exposita, in terram prostrati iacemus Idque nobis ô Domine, ideo solum accidit, quia in tanta hominum multitudine, ne vel vnus inuenitur, qui tantum à nobis malum arcere aut impedire possit, certi enim sumus, quod si talis nobis præsto esset, antiqua etiam apud nos fœlicitas perseueraret Verum dicat aliquis, vbinam in vniuerso Hebræorũ populo homo talis inuenietur, qui nimirum tanta sit præditus fortitudine, vt tam ferocis ac tremẽdi leonis, qualis Deus est, dum hominibus irascitur, manus ligare possit? Talis erit vnicus & solus ille, qui pro peccatis suis amaras fuderit lachrymas, easdemque defleuerit, inquit Hugo Cardinalis, hic enim solus aliquod malis populi sui adferre poterit remedium, si ad manum esset: *Non est qui teneat te per lachrymarum copiosam effusionem, lachryma enim tenet & cogit Deum.* Quasi dicere voluisset: certum est. Quodsi in tanta maledicti huius populi multitudine vel vnus fuisset inuentus, qui de peccatis suis vere dolens, aliquas coram Deo effudisset lachrymas, Deus iusti furoris sui gladium nequaquam tanta cum licentia & libertate vibrasset, lachrymæ enim pro peccatis effusæ, illius vtique manus ligassent, eumque intra consuetæ clementiæ suæ terminos coercuissent. Tanta est lachrymarum aduersus Dei iram vis & potentia. *Lachryma enim tenet & cogit Deum.*

Hugo Car. ibid.

5. Deus Ezechiæ Regi grauiter indignabatur, eo quod Babyloniæ Legatis cuncta Regni sui secreta prodiderat, atque manifestarat. Vnde illum è viuis eripere volens, graui illum infirmitate corripuit, atque Isaiam Prophetam cum certo mortis nuntio ad eum misit. Rex autem audito hoc mortis nuntio, vt Sacer textus inquit, Prophetam pacifice dimisit, moxque amarissime flere cœpit: *Fleuit itaque Ezechias fletu magno.* Quid vero postea demum accidit? Vix Isaias palatij regij fores seu limina attigerat, cum ecce Deus illum ad se vocauit, præcepitque vt iterato ad Regem accederet, eundemque à fulminata statim mortis sententia absolueret, vtpote cui præter restitutam sanitatem, quindecim alios vitæ suæ annos adiecisset. *Et antequam egrederetur Isaias mediam*

4. Reg. 20. v. 3.

Ibi. v. 4.

partem atrij, factus est sermo Domini ad eum dicens: Reuertere & dic Ezechiæ Duci populi mei. Audiui orationem tuã, & vidi lachrymas tuas, & ecce sanaui te, & addam diebus tuis quindecim annos. Oleaster hunc locum obseruans quærit ex Deo: *Quare Domine non sinis Prophetam exire, domum suam intrare, & postmodum mittis eum, saltem ne vanus aut deludens videaris.* Mox vero Deum huic quæstioni respondentem introducit: *Plorat & eiulat, & quomodo possum ab eo postulata differre* q.d. Agnosco quidem ita merito faciendum fuisse, at vero quia plorat & lachrymatur, & effusæ eius lachrymæ me cogunt, astringunt, & sollicitant vt sanem illum, illique vitæ præteritæ tria alia vitæ lustra adijciam, ideo me diutius vel ad vnius horæ spatium sustinere non possum. Dicant proinde de me homines, quicquid lubet, vtique enim si notam sibi atque perspectam haberent lachrymarum potentiam me facile excusatũ haberent, mihique vltro citroque compaterentur. *Plorat, quomodo possum postulata differre?*

Oleast. in cap. 38. Isai.

6. Hebræi mannæ dulcissimum cibum fastidientes, vtpote inter ollas carnium nutriti & educati, carnibus sese ingurgitare die quodam valde desiderabant. Quia vero hunc immoderatum carnium appetitum in deserto expleri posse omnino diffidebant, hinc in amaras resoluti sunt lachrymas: *Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagrauit desiderio, sedens & flens, iunctis sibi filijs Israel & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Deus igitur huic illorum appetitui satisfacere volens, tot volucres in eorum tentoria aduolare fecit, vt non solum vno die, verum per mensem integrum ad manducandum sufficerent, tametsi postea in iustum gulæ suæ supplicium, eos haud secus ac bestias in vno loco misere valde trucidarit & occiderit. Verum quid est, quod Deum permouit, vt inordinatæ horum cupiditati adeo prompte satisfaceret, cum adeo illicita esset & peccaminosa, vti postea in irrogato illis supplicio manifeste satis patuit? Respondet idem Doctor, Deum id non potuisse intermittere quia plorantes esum carnium sollicitabant, Deus autem gratias illas morari aut tardare non potest, quæ ab ipso fusis lachrymis expetuntur, tametsi tandem

Num. 11. v. 4.

in eorundem damnum fint resultaturæ, adeo ingens est apud Dei bonitatem æternam, vis & efficacia lachrymarũ; *Considera fletus vim in petitionibus apud Deum, quod etiam noxia impetrare apud Deum possit, quæ desideramus.* O quam admirabilis est isthæc lachrymarum nostrarum, ad impetrandum quæ à Deo postulauimus, vis & potentia? Quanta vis? Quanta potentia? quæ hoc etiam impetrare præualent, quod diuinæ suæ aduersatur voluntati, quodque cum magno quoque damno nostro desideramus? *Vt etiam noxia apud Deum impetrare possit.* Oleast. ibi.

7. S. Bernardus de viro forti loquens, dicebat: *Vir fortis non est minus laudabilis in luctu, quam in bello.* Cuilibet hæc sancti Abbatis verba attendẽti prima facie videbitur, illũ non satis bene hac in parte dixisse. Nam tametsi vir fortis in bello generose se gerendo, in conflictibus, velitationibusque alijs hostem animose aggrediendo, aliqualem promereatur laudem, in planctu tamen & fletu non solum non meretur laudari, verũ etiam tanquam qui virũ se esse oblitus, factus est totus effæminatus, contemptu & vituperio dignissimus est. Veruntamẽ quia sanctus Doctor de lachrymis loquitur in conspectu Dei pro remissione peccatorum impetranda effusis, dicẽdum est, ipsum propriè magis loqui nõ potuisse, Siquidẽ vir fortis & generosus, nõ solum æquali laude dignus est, siue dum cõfligat in bello, siue dum plorat & lachrymatur in cubili vel oratorio. Verum insuper maiorem laudem meretur ex planctu, quam ex bellico conflictu; Gladio enim & alijsque armis homines vincit, planctu vero oculorum & luctu vincit semetipsum qui victor est hominum, imo ipsiusmet Dei, efficiendo vt hic Iustitiæ suæ armis depositis intra pietatis suæ terminos sese contineat. S. Bern ser. 10. ad Sor.

8. Vnde cum Dauid Propheta die quadã coram Diuino præsentaretur aspectu, postulatus fuit magnifica sua recensere opera, quæ in hoc mundo laudabiliter adeo patrarat, vt laus & fama eorum ad cælos vsque peruenisset. Dicere igitur cœpit, quod dum adhuc iuuenculus inter Ephebos esset, vrsos & leones haud secus ac si agni fuissent, & hædi, lacerarit & discerpserit; Item quod Gygantes valde tremendos, qui integros perterrefaciebant exercitus, in terrã prostratos manu sua occiderit, & sic deinceps alia magnalia opera sua recẽsuit, quæ certe nec pauca erant, nec modica. Tandẽ recẽsendo progressus, ad lachrymas peruenit, quas pro peccatis suis effuderat, cum ecce illi Deus finẽ discursui suo imponere subito præcepit, quasi maius, generosiusq; facinus deinceps enarrare nõ posset. Deniq; vt Dauidis lachrymas ob oculos suos semper habere & contẽplari posset, Angelis suis, vt illas industrie colligerẽt, atq; ex opposito tribunalis sui statuerẽt, præcepit. Omnia isthæc sanctus Propheta Psal. 55. hisce breuibus verbis recensuit: *Deus vitam meam annuntiaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Quibus in verbis vnicuiq; facile est obseruare quod cum Deus facinora à Dauide in occisione vrsorum, leonum, gygantum aliorumq; similiũ patrata flocci fecerit, continere se tamẽ minime potuerit, quin lachrymas cõtinuo respiceret, magnoq; in pretio haberet, sciebat enim Pœnitentem per eas non homines, qui vinci possunt, sed omnipotentem Maiestatem suam quæ inuincibilis est superasse. Ps. 55. v. 9.

9. S. Vincentius Valentinus lachrymarũ valorem considerans inquit: *Si anima vnius damnati posset habere vnam guttam lachrymarum, veræ contritionis, Deus illam saluaret.* Verum enimuero cum damnatorum animæ in inferno nihil aliud faciant, quam continuo lachrymari & flere, adeo vt quemadmodum Poëtæ dicũt, ex nimia planctus seu fletus sui abundantia integer quidam per infernum fluuius, ex meris lachrymarum stillis congregatus decurrat, qui Phlegeton dicitur, quomodo hic sanctus Doctor dicere potest, animas dãnatorũ flere nõ posse, cũ nemo inficiari posit, eos in inferno cõtinuo flere, & quidã lachrymarũ mari immersos esse, prouti ipsamet dicit incarnata sapientia: *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Ad quod facilis est responsio, nam sanctus Doctor de talibus lachrymis nõ loquitur, sed de lachrymis veræ cuiusdam & perfectæ contritionis: *Si anima vnius damnati posset habere vnam guttam lachrymarum veræ contritionis,* qui casus in inferno est imposibilis, cum præsens vita verus sit eiusmodi lachrymarum locus. Verũtamen concedamus tales quoque lachrymas in inferno haberi posse; tũc autẽ dico futurã esse tãtam vel vnius dũtaxat lachrymæ vim, vt S. Vincent. Ferrer. ser. 2. Dom. 2. post Pascha Matth. 8. v. 12.

vt hæc ignem illum qui est inextinguibilis extinctura esset, ruptura etiam portas infernalis abyssi, Deusque per illam ad talem animam à pænis Inferni solutam, in cælos collocandam esse cogendum. *Deus illam saluaret.*

10. S. Ioannes Damascenus refert, quod cum S. Iosaphat Rex intellexisset, Regem Patrem suum iam esse mortuum, imo non obstante quod in vita sceleratus durissimusque sanguinis fidelium Christianorum fuisset persecutor, tandem propter finalem pænitentiam æternæ beatitudinis factum esse participem, coram Deo genuflexus, hunc in modum locutus fuerit: *Omnia quippe tibi omnium Deo possibilia sunt, hoc vno excepto, quod quia te eorum, qui sese ad te conuertunt, misereat, facere non potes.* Quasi perspicue magis dixisset: Violentia quam humanæ lachrymæ apud tribunal Maiestatis tuæ vsurpant, adeo est admirabilis, vt dum peccator aliquis ab infami vita sua resipiscit, & commissorum delictorum suorum veniã deposcit, tu illi gratiam tuam denegare non possis, quin potius illum necessario in filiũ recipere & in gloriam tuam introducere debeas.

S. Ioan. Damasc. in vita S. Iosaphat.

11. Tametsi multa consilia fuerint, quæ Deum è cælo in terram descendere coëgerunt, vt humana carne assumpta homo fieret, ex omnibus tamen vnum à S. Bernardino adducitur, proposito nostro mire deseruiens. Dicit ergo hic S. Doctor. *Quia Deus proprie plorare non potest, assumpsit humanam Naturam vt plorare posset.* q. d. Quia Deus vtpote essentialiter beatus, proprie plorare non poterat, de cælo in terram descendit, & homo factus est passibilis, & planctui obnoxius, vt flere hac ratione posset. Quasi Deus lachrymarum potentiam, ob quam se ab hominibus semper vinci videbat, considerans, eandem suæ quoque omnipotentiæ voluisset adiungere, qua prius carebat. Vt hac ratione insinuaret, quam fælix sit homo pænitens, dum ab erroribus suis resipiscens, plangit, dolet, luget, cum Deus qui omnis boni fælicitate abundat, & per omnia omnipotens existit, de cælo descenderit, vt homo factus flere & plorare posset: *Assumpsit humanam Naturam vt plorare posset.*

S. Bern de dignit. ani. ar. 2. c. 4.

Concludamus igitur, & intueamur Magdalenæ pænitentis prudentiam, quæ se prodit, dum ad postulandam peccatorum remissionem ad Christum se recipit, non ad hoc vt in petitione ista nullam pateretur repulsam, non solum in comitem suam accepit verecundiam, quæ illam ad pænitendum disponebat, & humilitatem quæ gratias è cælo sibi attraheret verum etiam lachrymas quæ violentiam illi facerent, contra quem nulla prorsus violentia præualet.

SERMO

SERMO XXXIIX.

In Feriam VI. post Dominicam V. Quadragesimæ.

Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium aduersus IESVM.

Ioan. 11.

Ioan. Boter de Dict. memor.

ALphonsus Rex Neapolis dicere solebat, quod si ipsum Reipublicæ Romanæ tempore nasci cõtigisset, templum quoddam Ioui Positorio sacrũ fuisset fabricaturus, in quo Patres senatores priusquã ad senatum ingrederentur, amorẽ, odium, aliasque particulares passiones deponerent, ad hoc vt tametsi in negotiis priuatis ipsis permissum esset mentem habere turbidis eiusmodi passionibus subiectam, eandem tamen in negotijs publicis à similibus turbulentiis purgarent, neque in ijsdem ad aliud quam ad Iustitiam & Reipublicæ suæ vtilitatem collimarent aut respicerent. Quis sibi ô Auditores persuadere poterit Rabbinos Hebræos priusquam pro definiẽda Christi Dei ac Domini sui morte concilium essent ingressi, per simile quoddam templum transitum fecisse, in quo non passiones, vt volebat Alphonsus, sed virtutes illas quæ pro Reipublicæ suæ prosperitate in tali congregatione necessariæ erant, deposuere? Et quidem inprimis in tali templo deposuerunt gratitudinem, quam ob tot prodigia in salutem & vtilitatem gentis suæ patrata, erga incarnatam Dei sapientiam demonstrare merito debebant, nam longe ingratiores solito facti conuenerunt *aduersus Iesum*, idest, aduersus Saluatorem suum, qui illos à tot tantisque malis, modis adeo stupendis liberauerat. Deposuerunt præterea ibidem Charitatem, & induerunt inuidiam, quæ ipsos prorsus excœcauit, effecitque vt Christum tanquam purum duntaxat hominem, non vero tanquam Deum agnoscerent, tametsi tot prodigiis Deum se esse semper declarasset; Hinc est quod illum hominem appellauerint, dicentes: *Hic Homo multa signa facit.* Denique omnem ibi deposuerunt sapientiam, accipientes eius loco ignorantiam, cum enim ex tot tantisque miraculis, à nemine vnquam hactenus patratis, ipsum honorandũ merito & adorandum esse concludere deberent, ipsi econtra, haud secus ac si opera miraculosa ab ipso patrata, non miracula sed peccata, operaque morte digna essent, ipsum occidendum esse decreuerunt, *Expedit vt vnus moriatur homo.* O peruersum concilium, infame consistorium, Diabolicum plane senatum, in quo ad æternam Hebræi populi perditionem, locum habuêre tria monstra valde horrenda, scilicet Ingratitudinis, Inuidiæ, & ignorantiæ vitia, de quorum enormi malitia in præsenti sermone discurremus. Et primo quidem de enormitate Ingratitudinis, in consideratione sequenti.

CONSI-

CONSIDERATIO I.

Aduersus IESVM.

Homo ingratus non tantum reputandus est veluti bestia, verum etiam æstimari debet bestia deterior.

QVodsi Hebræi fauores illos, quos continuè à Christo Deo & Domino suo recipiebant, intellexissent, vtique non solū non fuissent illi machinaturi mortem, sed potius curassent se illi per omnes vias & modos pro gratiis receptis exhibere gratos. Cum autem videantur, vt in præsenti concilio liquet, cœco quodam modo se habere, illudque facere, quod è diametro oppositū est illi, quod facere debebant, ideo concludendum est necessario, ipsos fauores illos non intellexisse, & consequenter non se exhibuisse tanquam veros homines, quorum proprium est intelligere, sed tanquam bestias quæ intellectu carent. Vnde vlterius colligitur, hominem ingratum non esse hominem, sed bestiam, & quod deterius est, bestia longe peiorem.

1. S. Bernardus solita cum dulcedine & suauiloquentia sua de homine differens, sic loquitur: *Oneriferum animal est homo tempore suæ mortalitatis. Si adhuc portat peccata sua onus est graue. Si iam forte exoneratus est à peccatis, minus quidem graue, sed si sanum sapiat, non minus quidem onus inueniet hanc ipsam, quam diximus, exonerationem: onerat nos cum exonerat Deus, onerat beneficio, cum exonerat peccato.* Quasi dicere vellet, Homo quamdiu viuit, aliud nihil mihi esse videtur, quam animal quoddam oneriferum, quod semper incedit onustum, & clitella accinctum. Quodsi enim homo ille peccator sit, peccatorum suorum graue onus humeros eius premit: si vero de peccatis suis sit absolutus aliud non minus graue onus mox recipit, nam quando Deus hominem à peccatis suis exonerat, mox illi gratiarum suarum ingens pondus in peccatorum remissorum locum substituit. Vnde siue iustus sit, siue peccator semper oneriferum quoddam animal erit. *Oneriferum animal.* Quod cum verum sit, vti est verissimum, dicendum est necessario, quod cum hominum illorum, quos Deus consuetis suis gratiis & beneficijs cumulauit, alij sint grati, alij vero ingrati, grati quia fauores à benignissimo Domino ac Deo suo, sibi præstitos intelligunt & agnoscunt, ideoque continuas illi gratias referunt, animalia sint rationalia, intellectu sano dotata, & consequenter homines. Ingrati vero, quia fauores sibi præstitos non intelligunt, aut considerant, neque eosdem consequenter æstimant aut de gratiarum actione pro illis instituenda cogitant, animalia sint irrationalia, & intellectus expertia, hoc est bestiæ, & non homines. *Oneriferum animal homo*

Bern. in 90. ser.

2. Isaias Propheta die quodam ad Deum audiendum cælum & terram inuitauit: *Audite cæli & auribus percipe terra, quoniam Deus locutus est.* Cumque cæli & terra prompta essent ad verba diuina attenta aure percipienda, Deus hunc in modum loqui incipit: *Filios enutriui & exaltaui, illi autem spreuerunt me.* quasi diceret: Audi ô Cælum, & attende ô terra, magnam horum filiorum meorum ingratitudinem, cum enim illos tantis cum laboribus enutrijssem, tantisque cum difficultatibus exaltassem, ipsi tamen tandem spreuerunt & contempserunt me. Verum quidnam ô Domine à cælo & terra obsequij expectas, cum ijsdem filiorum tuorum ingratitudinem significas? Rupertus Abbas dicit, Deum ab ijs exegisse vt erga ingratos illos irascerentur, eosque erubescerent, quasi illis dicere voluisset, *Hoc attoniti auditu cæli, & stupefacta terra, reuerendo indignamini, & indignando reuerimini.* Porro quod Cæli & terra, Hebræorum (qui per filios Dei intelliguntur) audientes ingratitudinem, aduersus ingratos illos irasci, eosdemque in peccatorum suorum pœnam, quotidiano victu & consequenter vita priuare iuberentur, salubertime id quidem ita à Deo decretum est, verum quod ijdem cæli & terra de ingratis illis erubesce-

Isa. 1. v. 2.

Rup. Ab. l. 1. cap. 3. ibid.

bescere præcipiantur, id quomodo intelligi possit, aut debeat ignoro. Erubescentia enim de illa ingratitudine, ingratos illos, non vero cælum & terram spectabat, qui in illo crimine minime participabant. Cur igitur Deus cælum & terram erubescere voluit, cum nullum haberent erubescentiæ debitum vel causam? *Reuerendo indignamini.* Ratio est quia per Creaturarum istarum erubescentiam ingratos illos filios suos confundere voluit, qui tantum Patrem tamque munificum benefactorem offendere & contemnere non verecundabantur. Cum igitur Hebræi vna ex parte valde ingrati extiterint, altera vero ex parte nullo ob id verecundiæ rubore percellerentur, necessum est illos potius bestias quam homines esse, affirmari debere; Homo enim verecundia destitutus, ipsa quoque humanitate destitutus esse videtur, siquidem: *Vna ex proprietatibus hominis, secundum id quod homo est, verecundari est,* inquit Albertus Magnus: & nos ad aliud propositum alibi adduximus.

Alber. Magn. de animal lib 22. c. 4.

3. S. Gaudentius de prodigiis illis loquens, quibus Christus nobiscum hic in terra viuens infirmos sanabat, cibabat famescentes, centenisque aliis modis Hebræis ingratis benefaciebat, ita inquit: *Ipse in carne adueniens docuit eos, & instruxit, & verberauit curationum beneficiis, quia ingrati existerent.* Attendatis velim modum quocum sanctus hic Doctor de animarum nostrarum Saluatore ingratis Hebræis benefaciente loquatur; & obseruate bene, quod non dicat Christum illis succurisse, honorasse, aut illos beneficiis suis magnificasse, sed verberasse: *Verberauit curationum beneficiis.* Cur peregrino adeo vocabulo in hac sententiola vti voluit? Ratio est, quia ingratis benefaciebat, *Quia ingrati extiterunt.* Qui bestiæ potius quam homines sunt, vtpote qui fauores non sicuti fauores veros recognoscunt, quod homines faciunt, sed potius eosdem ad instar bestiarum recipiunt tanquam damna & ærumnas, id quod mercede tot persecutionum & ignominiosæ mortis, quibus tantum benefactorem suũ affecerunt, toti mundo voluerunt esse testatum, quia haud secus ac si à filio Dei non auxilia & subsidia, sed verbera & ærumnas accepissent, eundem tandem veluti latronem, in duorum latronum medio in Cruce suspenderunt, & occiderunt: *Verberauit curationum beneficiis.*

S. Gauden. ser. 9.

4. Quamnam arbitraris rationem esse quod in ijs domibus ab omnibus cognoscatur vinum venale esse, ante quas hæderarum serta suspensa esse conspiciuntur? Rationem huius Maiolus Episcopus hisce fere verbis adfert: vitis inter omnes alias arbores obsequia illa quæ à benefactoribus suis recepit, maiori gratitudine compensat, vtpote quæ arboribus illis à quibus seu à stipite seu fulcro sustentatur, certum quendam succum communicat, qui illas recreat, atque corroborat, cuius oppositum hædera præstare consueuit, quæ marcescere & arescere facit arborem illam, cui ipsa innititur, murumque cui serpendo innectitur, dissoluit, & ad ruinam proximè disponit, atque ideo sicut illa gratitudinis est Hieroglyphicum, ita hæc ingratitudinis symbolum existit. Videns itaque vinum, quod eidem domui, in qua ipsum depositum asseruatur, ingrata quoque hædera, ante domus illius fores exposita, appropinquet, ibidemque ingredi meditetur, vendi potius, suumque diuersorium relinquere mauult, quam ibi commorari, vbi ingratitudo pedem figere parat, sicut enim vinum naturalis est gratitudinis amicus, ita quoque iuratus ingratitudinis inimicus existit: *Propterea venali vino suspensa superponitur hædera, quoniam eadem domo pudeat vinum incolatum facere, vbi vel hædera vestigia sunt, ideoque se venale facit potius, quam ibi commorari, vbi regnat ingratitudo.* Per quã inuentionem simul explicatur abominatio illa, qua omnes vniuersim homines ingratum detestantur, eiusque semper fugiunt & declinant consortium, quasi non sit homo, id est animal quoddam sociabile, cui alij eiusdem speciei consortes homines libenter associari & aggregari solẽt. Sed potius syluatica quædã & horrẽda fera, cuius cõsortiũ nemo non cauet. Vnde Seneca de ingratitudine loquens dicit: *Nihil æque concordiam humani*

Maiol. de Planet. to. 1. Collo. 2.

Sene. lib. 4. de Benef.

humani generis dissociat & distrahit, quam hoc vitium.

5. Vix Christus Saluator noster duos illos miserabiles homines Dæmoniacos ex Gerasenorum regione oriundos sanauerat, cum ecce post ingens illud beneficium genti illi præstitum, (nam antea ob ingentem quo Dæmonicos illos horrescebant, timorem, nullus viam illam in qua morabantur transire audebat) omnes Gerasenæ regionis incolæ turmatim veniebant, vnanimiter Christum rogantes, vt à regione sua discederet: *Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Iesu, & viso eo rogabant, vt transiret à finibus eorũ.* Circa quam Historiam Paulus de Palatio dicit: Quando ego in Euangelio isto tot homines Christo è ciuitate obuiam procedentes prima facie vidi, mihi certo persuadebam, fore vt obuiam illi procederent inuitaturi & perducturi ad ciuitatem, ad hoc vt debitas illi pro recepto beneficio gratias agerent; aut certe in casu, quo illos præsentia sua honorare fuisset dedignatus, illum ad ingressum Ciuitatem coacturi: at vero valde me deceptum inuenio, siquidem illũ non tantum non inuitant, verum etiam temere & quidem vnanimiter ipsum rogant, vt à finibus suis transeat. Verum eccur ita stulti sunt, vt hoc faciant, cur qui honorare ipsum debebant, è regione expellunt? qui eidem ob beneficium receptum gratias agere obligabantu, adeo se erga illum ingratos exhibent & inciuiles? Et subdit: *Miror quod rogatur, & non potius expellitur: hoc est enim mundi ingenium, arma furientia capere contra Christum bene merentem.* q.d. Non adeo miror, quod illum rogarint vt à finibus suis transiret, quam quod ad illum è patria violenter expellendum arma non capiant. Hoc est enim vulgare hominum mundi huius ingenium, atque proprietas, ingratum se exhibere erga Christum benefactorem. Merito igitur appellabantur. *Geraseni*, quod in latina lingua idem significat, quod *Ruminationi appropinquantes*, erant namque homines ad esse bestiarum potius appropinquantes, quam ad naturam & conditionem hominum, bestiarum namque proprium est ruminare. *Ruminationi appropinquantes.*

Matth. 8. v. 34.

Paul. de Palat. ibid.

6. Moyse Propheta in monte Sina moram trahente, diuinamque pro regimine populi sui legem exspectante, peruersi Hebræi huius moræ pertæsi, vitulum aureum fabricare decreuerunt, qui Deus & Dux eorum esset, qui ipsos in Ægyptum, vnde à Moyse educti fuerant, redeuntes præcederet. Vnde Aaronem summum sacerdotem conuenerunt dicentes: *Surge & fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Hieronymus Oleaster bene verba illa (*Huic viro*) attendit, & in ijsdem contemptum quẽdam & vilipendium obseruat, quocum vilis hæc plebecula de magno hoc viro loquebatur; videntur enim, inquit, illum velle notare & tractare tanquam hominem vilem, impium, atque peruersum, propriæ suæ gentis inimicum Vnde de temerario isthoc eorum ausu obstupefactus exclamat. Itane impii hi homines Ducem & Iudicem suum præstantissimum conuellunt? Siccine tot tantaque ipsis præstita beneficia retribuunt? Notum namque est omnibus & manifestum, qualiter illos à tyrannide exemerit Pharaonis, quam sollicite & fæliciter illos per mare rubrum eductos, in alteram eiusdem ripam miraculose collocarit, quoties illos à morte & ab ira Dei liberauerit. Qua igitur ratione fit, quod cum de eo omni possibili cum reuerentia loqui deberent, tam vilem econtra & probrosam eius mentionem faciant? Tandem respondet: *Contẽptibiliter valde de Moyse suo loquũtur, vt discas, quid vtilitatis sit multitudini præesse, & ei bona præstare: nemini seruit, qui communitati seruit.* quasi diceret: Sacra scriptura in hoc facto insinuare nobis vult commodum quod reportatur ab eo qui populo inseruit, talis enim in fine tandem per ingratitudinem cõpensabitur, & re ipsa experietur quod quisquis communi populo inseruit, nemini inseruit, Hoc enim pacto Scipio Africanus remuneratum se vidit à Romanis; Aristides & Melchiades ab Atheniensibus, Dion Syracusanus & Moyses ab Hebræis. Scribit Plutarchus, quod dum Demosthenes ab ingrata Patria sua, vrbe videlicet Atheniensi fugeret, conuersus ad templum Palladis populi illius protectricis, ita Deam hanc sit allocutus, O Pallas vrbium Domina, cur tribus infaustissimis bestiis delectaris, Noctua, Dracone, & populo? Quibus verbis insinuare voluit, Homi-

Exodi 32. v. 1.

Oleast. ibi.

Plutarchus in Demosth.

Hominem ingratum non hominem sed bestiam esse.

7. Dauid Propheta dum suos commoneret, vt ab ijs sibi delictis cauerent, quibus totus pene mundus passim videbatur immersus, hæc inter alia dixit: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Quasnam hoc loco personas Propheta per equos & mulos intelligit? Per equos superbos, per mulos vero ingratos significare volebat. Quia vero in præsenti non de aliis, quã de ingratis duntaxat agimus, sciendum est, ingratos iure merito per mulos hoc loco intelligi. Sicut mulus genitus est vt sit infæcundus, ideo receptum generationis beneficium aliis non reddit: ita quoque ingrati, tanquam veri muli receptum ab aliis beneficium, reddere aut recompensare negligũt: *Per mulum*, inquit Innocentius III. *Qui generatur & non generat, designatur ingratus, qui accipit gratiam & non reddit.* Quo muli symbolo ipsemet quoque Plato vti voluit, postquam ingratitudinem Aristotelis discipuli sui animaduertit, quem, vt Ælianus refert, mulum nominare solebat, eo quod pro variarum Doctrinarum lacte, quod ab ipso acceperat, variarum oppositionum, calcibus correspondebat. Cum itaque ingrati mulis comparentur, dubitare non licet, quin ingrati bestijs vere sint adnumerandi. *Per mulum designatur ingratus.*

Ps. 31. v. 9.

Innocent. 3. in ps. 2. Oleast.

8. Mox vt Prothoparentes nostri Adam & Eua animaduerterunt, Deum deorsum in Paradisum descendisse, ipsosque per magnum vastumque illud viridarium sollicite inquirere, in latibula occulta se recipientes absconderunt sese, vti Moyses hisce verbis refert: *Abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi.* Cur autem absconderunt se? Persuadere sibi fortasse nonnemo posset, inquit Abulensis, ideo ipsos se abscondisse, quia inueniri tunc à Deo nolebant, vtpote qui ira & furore plenus illos venerat castigaturus. Hoc tamen, subdit idem Doctor, non videtur possibile, nullus enim adeo abscondi potest à Deo, quin à Deo in quouis loco commode videatur, aut vbiuis in manus Dei incidere possit. Vnde Dauid dicere non dubitauit: *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in Infernum ades.* Vnde cum hæc non sit vera absconsionis primorum parentum nostrorum, causa, dicendum est inquit citatus Doctor, ipsos se abscondisse, quia ingratos se esse agnoscebant, ideoque coram facie Dei comparere erubescebant, quem licet tantus sit & fuerit ipsorum benefactor, grauissime tamen offenderant: *Absconderunt se ex verecundia ingratitudinis, quia contra Deum benefacientẽ eis peccauerunt.* Hoc supposito dico, quod cum Dauid Adami ingratitudinem satis perspicue cognouerit, merito illum bestiæ assimilare voluerit: *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Quasi dicere voluisset: Ingratus Adam ad honores nequaquam respexit, tametsi multos & magnos, à munificis Dei manibus summa cum liberalitate accepisset, ideoque Deum offendit, ab eoque inter bestias est connumeratus, quasi non homo, sed bestia esset, & iure merito. Ingratus enim non homo, sed bestia videtur. *Comparatus est iumentis insipientibus.*

Gen. 3. v. 8

Ps. 138. v. 7

Tostat. q. 14. ibid.

Ps. 47. v. 21.

9. Vndecim mensibus Noë in arca fuerat, quando ad hauriendam aliquam status rerum mundi huius notitiam, fenestra aperta coruum dimisit, qui vti Moyses refert, aduertens diluuij, aquas nequicquam adhuc decreuisse aut diminutas esse, reuertebatur in arcam. Postea vero aquis subsidentibus & notabiliter admodum decrescentibus, nunquam ad arcam deinceps reuerti voluit: *Aperuit Noach fenestram arcæ, quam fecerat, & misit coruum, & egressus est egrediendo & redeundo, donec siccarentur aquæ quæ erant super terram.* Circa quem locum, ratio inquirenda videtur, ob quam coruus eo tempore, quo terra vniuersis aquis erat obducta, sæpius frequentauerit arcam, illis autem decrescentibus & imminutis, nũquam illam videre voluerit? Cuius ratio est in promptu, quia cum Coruus vitam alio in loco, quam in arca illa, in qua cibans illum Noë degebat, sustentare non poterat, opus erat vt inde egressus semper identidem rediret: Cum vero aquæ illæ cessarent & decrescerent, ipseque loca plura vbi morari, vitæque alimoniam habere posset, in-

Gen. 8. 7. v. 7. Transl. pagni.

inueniret, ideoque domo Noetica iam amplius non indigeret, illam nequaquam amplius videre, aut ad illam redire sustinuit. Vnde Oleaster hanc de cervo historiam considerans, dicit, coruum pulchrum esse hominum ingratorum symbolum, hi namque etiam quamdiu ope nostra indigent, domos nostras valde frequentant & persæpe visitant, necessitate autem ista cessante, ne quidem domum nostram dignárentur aspicere: *Præfefert coruus iste illos, qui domum frequentant alicuius, quamdiu opus habent. Cum vero quæ sibi sunt necessaria acquirunt, neminem nouerunt.* Tales igitur nequaquam æstimandi sunt homines, sed animalia rationis expertia, & intellectu destituta, cuiusmodi sunt corui, quodsi enim hi sicut homines, intelligere possent atque discurrere, vtique post accepta à nobis subsidia & beneficia, magis eadem æstimarent.

Oleast. ibi.

10. Postquam Turbæ in deserto ex pane pro illorum necessitate, miraculose multiplicato perfecte essent satiatæ, Christus Dominus discipulis suis præcepit, vt reliquias mensæ residuas studiose colligerent & asseruarent: *Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta.* Etenim prima facie videtur præceptum istud à Christo Domino nostro nequaquam debuisse imponi, nec potuisse sine honoris sui præiudicio, quantū enim post præparatas tot hominibus mensas, post saturata tot hominum millia se magnanimum & liberalem exhibuit, tantum ad res tam parui momenti respiciendo, indicat se tenacem esse atque auarum. Vnde satius fuisset, si ad arcendam à se omnem tenacitatis aut auaritiæ suspicionem, id quod ex multiplicato pane reliquum erat, turbis dimisisset, quibus in via potuisset esse subsidio. Oleaster hunc ordinem dicit nequaquam factum esse à Christo ob liberalitatis defectum cum auaritia locum habere non potuerit in pectore illius, qui vt nos locupletaret, factus est mendicus verum potius ad conseruandū perpetuum quoddam viuumque miraculosi illius beneficij hominibus illis præstiti argumentum. Vt si forte beneficij illius immemores facti, illud negare auderent, vti ingratis hominibus solemne est facere, ipse exhibendo illis miraculosi panis reliquias, quæ remanserant, tam claris euidentibusq; testimoniis ipsos conuincere & confundere posset: *Mira est hominū ingratitudo, vt opus sit Deo testes suorum beneficiorum adhibere In hūc finem arbitror Christum duodecim cophinos panis asseruare præcepisse, cum turbas pauit in deserto, ne postea ingrati beneficii immemores, inficias irent.* Vnde facile est colligere, hominem ingratum non solum bestiam esse, verū etiam bestia quauis peiorem & deteriorem. Isaias namque dicit Bouem & Asinum Dominum suum valde bene cognouisse, qui illos pascere in præsepio suo consueuerat: *Cognouit bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui,* nec tamen homines Christum suum agnituri Dominum erant, qui eosdem tanto cum stupore miraculoso illo satiauerat pane. Et quidem vere illum non cognoscebant, quodsi enim illum cognouissent, vtique ipsum tanquam malefactorem in crucem minimè condemnassent.

Ioan. 6. v. 12.

Oleast in cap. 16. Exod.

Isa. 1. v.

11. Postquam Ægyptij duram Ægypti captiuitatem euasissent, iamque itineri versus terram promissam quæ ipsis velut alter quidā Paradisus in perpetuam habitationē diuina ordinatione destinata fuerat, accincti essent, conuersisque retrorsum oculis Regem Pharaonem viderent se in manu valida, fortique armatorum exercitu, vt mactaret & occideret, insequentem, vt erant homines imbelles, effœminati, abiectique cordis, immemores facti fiduciæ illius, quā in Dei omnipotentiam ex anteactis habere merito debuissent, confusi sunt, omnisque consilij expertes se quantocius morituros existimarunt. Vnde tam aduersus Deum quam Moysen ducem suum indignati, huic dixerunt: *Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine?* Quantum ego quidem video, inquit idem Oleaster, homines illi cerebrum suum perdidisse videntur; Neque enim illos Deus ideo ex Ægypto eduxerat, vt in Pharaonis gladio illos occideret, sed potius vt illos à crudeli tyranni illius imperio liberaret, in libertatem plenam assereret, opulentissimæque regionis Dominos efficeret. Verum enimuero vt erat natio valde ingrata, valdeque obliuiosa, bonū iudicabat malum, & beneficiū damni vel iniuriæ loco habebat, quod omnibus ingratis solemne & propriū

Exodi 14. v. 11.

esse.

Oleast. ibi. esse solet: *Ingrati beneficia in maleficium conuertunt. Cum Dominus eos eduxisset ad libertatem, ipsi arbitrantur eduxisse ad mortem.* Cum igitur ingrati beneficia minime recognoscant, concludere oportet illos bestiis irrationalibus longe deteriores esse, nam vti Seneca dicit. Bestiæ recepta nonnunquam beneficia recognoscunt, & fidelitate compensant. *Beneficia & feræ sentiunt, nec vllum tam immansuetum est animal, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora à magistris impune tractantur: elephantum feritatem vsque in seruile officium demeretur cibus.* Et Doctor Angelicus: *Ratione beneficii impensi, ouis Lupum fugiens, sequitur Pastorem, catulus in extraneos latrans, domino suo cauda blanditur.*

Sen. lib. 1. de Benef.

S. Thom. opusc. 61.

CONSIDERATIO II.

Hic Homo.

Sicut miracula quæ Christus patrabat, ipsum vna ex parte verum Dei filium esse monstrabant, ita altera ex parte inuidia, quæ Hebræos excœcauerat, effecit vt ipsum simplicem tantum & vulgarem hominem esse reputarint.

MAldonatus circa præsens Euangelium dicit, Iudæi Christum Dominum nostrũ tot inauditorum stupendorumque miraculorum confitebantur esse artificem, cũque illum ex hoc eodem capite consequenter verum Dei filium esse confiteri debuissent, ipsi econtra illum simplicem tantum hominem esse concludebant. *Hic Homo multa signa facit.* Quod tamen vt idem Doctor subiungit, nemini mirum videri debet stolidum enim iudicium illud inde oriebatur, quia nimirum mentem ipsorum excœcauerat inuidia, *Inuidia obcœcati contraria argumenta concludunt.* Videamus igitur in præsenti, qualiter verum sit, quod miracula à Christo patrata ex vna parte illum verum esse Deum manifestarint: ex altera vero parte Hebræi inuidia excœcati simplicem illum hominem esse existimarint. *Hic Homo multa signa facit.*

Maldon. hic.

1. Postquam sanctissimus Ioseph Christi nutritius Diuinam sponsam suam Mariam Virginem grauidam esse cognouit, neque cælestis illius mysterij adhuc esset conscius, S. Gabriel Archangelus eidem apparuit, mysteriumque istud manifestando dixit, diuinum illum infantem, ex virgine sponsa sua nasciturum, appellandum esse Emmanuelem, hoc est, Nobiscum Deus: *Et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Etenim videtur mihi, ni fallor, cælestem hunc spiritum in pauculis hisce verbis, quæ sancto Patriarchæ dixit sibimetipsi contradixisse. Obseruandum enim quod paulo ante ipsum IESVM nominari præceperat: *Vocabis nomen eius Iesum,* quod fuit verum, proprijssimumque nomen, quo verbum incarnatum à nobis appellatum fuit, postea vero, quasi antea dictorum esset oblitus, ipsum vocauit Emmanuelem. Si appellandus IESVS erat, qua ratione postea ipsum Emanuelem nominandum esse subiungit, quo nomine nec à S. Iosepho, nec à Virginea matre sua, neque ab vllo alio homine vnquam appellatus esse reperitur? Theophylactus hunc locum examinans, pro solutione præsentis nodi, raram quandam ponderationem circa verba ab Archangelo pronuntiata in medium adducit, videtque illum non dicere: *Vocabis nomen eius Emanuel,* sicut de nomine Iesu dixerat: *Vocabis nomen eius Iesum, sed vocabũt nomen eius Emmanuel.* Vnde vult S. Iosephũ appellare illum debuisse Iesum, ab aliis vero vocandum esse Emmanuelem. A miraculis videlicet, quæ in terra hac inter nos patraturus erat, quæ quasi lingua prædita fuissẽt dicere & publicare debebant ipsum esse Emmanuelem, hoc est, verum Deum de cælo descendisse in terram ibidemque cõmorari & cum hominibus conuersari: *Non dixit vocabis sed vocabunt; id est, opera eius demonstrabunt eum Deum esse & nobiscum conuersari.* Opera namque eius adeo prodigiosa atque stupenda erant, vt cum ex creatæ potentiæ manibus emanare non potuerint, ipsum tanquam verum Deum qui de cælo descendit, & cum hominibus conuersatus fuit contestarentur. *Opera eius demonstrabunt eum Deum esse, & nobiscum conuersari.*

Matth. 1. v. 23.

Ibid. v. 21.

Theoph. ibid.

 2. Chri-

2. Christus Dominus die quodam ingentem hominum multitudinem se insequentem videns, egregiũ coram illis, circa Materiam de Beatitudine, discursum formauit. Vnde S. Matthæo teste in montẽ quendã ascendens, seque ad sedendum componens, os suum ad prædicandum aperuit: *Videns Iesus turbam ascendit in montem, & cum sedisset aperiens os suũ, & docebat eos.* Idemmet Theophylactus verba illa *Aperiens os suum*, ponderans, dicit videri sibi verba illa superfluè apponi, ideoq; quærit: Annon verba illa ab Euangelista potuissent omitti? Nam si solũ dixisset, docebat eos, sufficienter ipsũ quoque os suum aperuisse insinuasset, nemo enim loqui aut docere potest, nisi os suum prius aperiat. Cur igitur haud secus ac si necessario scribenda fuissent illa omittere noluit? *Quare additum est, aperto ore suo, videtur quod hoc superfluat?* Et respondet: *Minime, docuit enim etiam non aperiens os suum per vitã & miracula; nunc autem os suum aperiens docet.* q. d. Euangelista narraturus qualiter Christus turbas loquendo & discurrendo docuerit, necessarium iudicauit addere, quod hoc fecerit aperiendo os suum, alias namq; frequenter turbas docere solebat, non loquendo aut os suum aperiendo, sed miracula patrando, quorũ virtute veluti cœlesti quadã lingua spectatori contestabatur, se non simplicẽ quendam hominem esse, qualis foris demonstrabatur, verum etiam verum Deũ esse, qui de cœlo in terram descendens, cum hominibus conuersatus fuerit: *Docuit non aperiens os suum per vitam & miracula.*

Matth. 5. v. 2.

Theoph. ib.

3. Per Angelum illum quem à S. Ioanne cap. 7. Apocalypseos videmus descriptũ: *Vidi alterum Angelum descendentem ab ortu solis,* Hugo Cardinalis Christum Dominũ summum bonum nostrum intelligit, qui appellatur *Magni Consilij Angelus.* Et quia hic Angelus ab alijs Angelis tantũ differt, quantum Creator à creatura, ideo vocat illum *Alterũ Angelum.* Id est, inquit hic Doctor, *valde à præmissis diuersum.* Hoc totum optime hucusque dicitur; Verum videamus quidnam hic Angelus magni aut prodigiosi habuerit, quod alijs Angelis non fuerit concessum? *Habentem signum Dei viui,* subdit diuinus Apostolus. Veri Dei signum expressum in se habebat, adeo vt quotusquisque ipsum hac ornatum tessera conspiciebat, ipsum protinus tanquã verum Deum agnoscat, reuereatur & adoret. Verum ecquodnã est istud certum ac infallibile signum, quod diuinitatẽ Filij Dei adeo perspicue declarat? Operatio miraculorũ, inquit Hugo Cardinalis, quæ totius mundi oculis exponit: *Hæc est miraculorũ operatio, quod erat signum, quod æqualem habebat potentiam cum Patre.* Siquidem miracula in manu Christi sunt veluti sceptrum quoddam seu pedum aliquod pastorale, seu sicut ensis quidam, sicuti enim dum sceptrũ in manu alicuius hominis videmus, illũ Regem æstimemus oportet; Item si pedũ pastorale gestantem videamus, iudicamus Episcopum, denique militem illum statim dicimus qui gladium portat: Eodẽ modo dum miracula in manu Christi videmus, ipsum Deũ esse inde necessario concludimus, miracula enim vera Dei signa erant, quæ Christum Deum esse æqualemq; cum Patre potentiam habere demonstrant. *Signum Dei viui.* Et quidem si per hoc nomen, *Signum,* intelligere volumus sigillum, possumus etiam per illud intelligere miracula Christi, vtpote quæ ex mente S. Bernardini, diuina sigilla erant, quibus Christus suã approbabat diuinitatem: *Christus miracula fecit, quæ fuerunt quasi sigilla Dei, in quibus se Deum esse probauit.*

Apoc. 7. v. 2.

S. Ber. to. serm. 55. ar. 2. c. 4.

4. Per virum illum regia dignitate conspicuum & illustrem, quem Christus in S. Luca ample descripsit, qui famosam illã apparauerat cœnam, quique cum viri potẽtes & nobiles ad eandem inuitati se illi sistere nollent, ex aulicis suis quendã misisse dicitur, qui omnes sibi in plateis publicis obuios ad eandẽ introducere, cum expresso isthoc adiuncto præcepto, vt si forte ex ijs quoque nonnulli essent, qui ad præparatam cœnam venire, sedesque vacuas adimplere abnuerent, eos ad locum cœnæ adhibita etiam violentia cogeret: *Compelle intrare vt impleatur domus mea.* Per hunc inquam virum, veluti symbolicum schema quoddam, de semetipso & de Gloriæ cœlestis cœna Christus loqui decreuerat. Cum enim Hebræi per viros nobiles & Barones intellecti huic cœnæ ad quã vt sedes quæ in cœlis post Angelorum præuaricantium lapsum vacuæ remanserant, adimplerentur, vocati fuerãt, accumbere detrectarent, vocati imo violenter

Lu. 14. v. 23.

lenter coacti Gentiles, ne locus in cœnaculo vacuus remaneret. Verum dicat aliquis: Cum cœlum nullus ingrediatur, nisi mediante fide, Christo ipsomet dicente: *Qui credit in me habet vitam æternam*; Fides autem integras atque illæsas supponat liberi arbitrij vires, cur illos coëgisse dicitur: *Compelle intrare*? Respondet Theophylactus: *Virtus signorum magnam afferebat necessitatem, vt transferrentur ad fidem Christi.* Quasi dicere vellet: Tametsi viri illi qui in magnam cœlorum cœnam sunt inuitati, sponte propria, & prona voluntate, sine vlla adhibita violentia Christum verum Dei filium esse crediderint; violentia tamen quadam adacti esse dicuntur, eo quod miracula quæ à Christo Domino nostro patrabantur in diuinitatis suæ demonstratione tantam habuerint vim & efficaciam, vt ad illam reapse agnoscendam & profitendam quasi fuerint coacti, adeo vt nullus in ipsis locus maneret reliquus, contrarium eius quod proprijs suis oculis videbunt, asserendi aut de eo dubitandi: *Virtus signorum magnam inferebat necessitatem.*

Ioan. 6. v. 47.

Theophyl. ibid.

5. Accidit, vt Alexandro magno in Indijs commorante, is cum famosis illis Philosophis, qui Gymnosophistæ dicuntur tractandi optimam nactus occasionem, modum ab ijsdem requisierit, per quem Homo Deus fieri posset. Cui ab ijsdem Philosophis, vt Clemens Alexandrinus refert, responsum fuit: *Si ea fecerit, quæ fieri non potest vt homo faciat.* Nam si ad talem potentiam deuenerit, homo ille non iam deinceps homo, sed Deus æstimandus erit, quia Deum se esse necessaria quadam ratione demonstrauit. Quis autem hominum in mundo vnquam extitit, qui operatus sit prodigia hominibus magis impossibilia, quam sint ea quæ operatus est Christus? Igitur propter prodigia & miracula ab ipso patrata æstimandus est Deus. Quodsi enim Moyses, Elias, S. Petrus, & alij serui Dei, puri homines existentes talia faciendo, quæ hominibus impossibilia erant, nec tamen propterea Deos se esse declararunt, id factum est, quia hi in actionibus istis Instrumenta tantum esse dignoscebantur, non vero causæ efficientes seu operantes principales, vnde illa in Dei nomine, non vero in propria potentia patrabant, modo scilicet longe diuerso ab eo, quo patrabantur à Christo, qui pellebat Dæmones, sanabat infirmos, mortuos suscitabat, aliaque similia stupenda prodigia operabatur sine vlla alterius potentiæ aut potestatis inuocatione. Et cum maiori imo incredibili facilitate, quam nemo alius seruorum Dei assequi potest, prouti videbimus.

Clem. Alex. lib. 6. Strom.

6. Christo die quadam vna cum discipulis in mari nauigante, & suauiter in nauicula dormiente accidit vt sicut sanctus Matthæus refert, mare subita quadam tempestate moueri, eaque adeo feroci, vt nauicula quouis videretur momento & hora submergenda esse. Vnde Apostoli propriæ timentes saluti Dominum excitarunt, eiusque in periculo isto sollicite implorarunt auxilium. Qui clamoribus ipsorum expergefactus, priusquam imminenti periculo aliquod adhiberet remedium, eosdem tanquam modicæ fragilisque fidei & pusillanimes repræhendere voluit: *Accesserunt ad eum discipuli eius & suscitauerunt eum dicentes: Domine, salua nos, perimus. Et dicit eis IESVS: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis, & facta est tranquillitas magna.* Verum cur obsecro illos modicæ fidei coarguit, cum potius magnam fidem habuisse videantur? Nisi enim fidem habuissent in eum, illum vtique pro vita sua in periculo illo incredibili saluanda, à somno suo non excitassent, neque ad omnipotentiæ suæ fortissima recurrissent præsidia, sed potius humana requisiuissent remedia. S. Ioannes Chrysostomus dicit, Christum illos repræhendisse modicam illis fidem suam exprobrando, quia credebant, illum tunc solum miracula patrare posse, dum vigil esset, non vero dum ipsum dormire contingeret, vnde decipiebantur, siquidem ipse eis siue dormiens siue vigilans miraculose succurrere & subuenire poterat. *Quod surgens poterat ventis imperare, credebant: sed quod quiescens seu dormiens, nequaquam.* Qua in re innouere ipse voluit, Incarnati verbi facilitatem in patrandis miraculis adeo esse magnam & incredibilem, vt oculis quoque clausis

Matth. 8. v. 28.

S. Ioan. Chrys. apud Caten. S. Thom. in cap. 4. Mat.

clausis seu dormiens omnipotentiæ suæ manifestare miracula posset.

7. Christus Dominus Socrum S. Petri graui quadam febri oppressam, lectoque affixam inueniēs, ex doloribus & afflictionibus mulieris illius ad pietatē commotus, illam sanare voluit. Et quidem curæ huius principium daturus, inquit S. Matthæus, ipsam manum eius tetigisse: *Tetigit manum eius.* Abulensis circa hoc valde miratur, ita Christum alloquitur: cuperem scire num tu eodem prorsus modo quo Medici nostri facere solent infirmos cures video enim quod vt morbum cognoscere & remedium ordinare valeas, infirmi manum tangas quasi pulsum obseruaturus, vt Medici nostri solent. Et dicit Christum mulieris huius manum non ideo tetigisse quod id sibi necessum esset ad obseruandum pulsum, sed potius vt ipsam tangendo sanaret, atque ex lecto erigeret, nec non vt simul insinuaret, quod licet vere & grauiter infirmaretur, diuina tamen persona sua præsente se non tanquam infirmam, sed veluti sanam habere deberet, lectoque affixam esse non tam ex vi morbi, sed quietis captandæ causa. Atque ideo manu sua illam appræhendit, veluti ex lecto illam leuaturus. & erecturus in pedes: *Tetigit eam ad eleuandam ipsam, quasi nihil esset, ac si diceret. Non iaceas, quia nihil est.* Qua in re Christus Dominus noster admirabilem illam demonstrare voluit facilitatem, quam habebat faciendi miracula. Infirmos haud secus ex lecto erigendo quam si nunquam infirmi fuissent, sed sani, quæ prodigia nullus vnquam hominum assequi potest.

Matth. 8. v. 15.

8. Tametsi S. Petrus amantissimum Magistrum suum miraculose super aquas maris ambulantem vidisset, haud secus ac si solidam calcasset terram, quia tamen de persona sua diuina ex ea visione nondum ad sufficientiam erat certificatus, eidem dixit: *Domine si tu es, iube me venire ad te.* q. d. O Domine quod si me aquis ad eundem modum inambulare feceris quo tu graderis super illas, ego ex nunc recipio quod te verum Dei filium & Magistrum meum sim agniturus & veneraturus. Dicere quidem nonnemo posset S. Petrum in hoc facto non satis rationabiliter dubitasse, quomodo enim Christum super aquas ambulantem videns, aliud sibi persuadere potuisset, quam quod ille verus Dei filius esset Neque enim homo aliquis super liquido eiusmodi elemento gressus diu facere nec tamen submergi posset, nisi is simul Deus & homo esset, qualis Christus erat. Sed Maldonatus respondet S. Petrum iustam habuisse dubitandi causā, quia tametsi homo aliquis super aquis gradi aut ambulare nequeat, potest tamen id facere Angelus, vel Dæmon aliquis. Vnde merito dubitare potuit ne forte similis aliquis spiritus esset, qui ad ipsum decipiendū & eludendū figurā & vocē Christi sibi assumpsisset. At vero quando ipsi quoq; Petro dabatur facultas eodē modo ambulandi super Aquas, nullū ipsi remanere dubiū poterat, quin is qui hanc illi potestatē faciebat, verus Deus suus esset; solus namque Deus miracula facere, & illorū faciendorum facultatem alijs impertiri potest: *Sciebat enim posse quidem Angelū & malum & bonū sumpta humani corporis forma ambulare super aquas, & Christi vocem imitari; sed alijs vt idē facerent, præstare non posse.* Atque ideo Christus vt se verum esse Deum probaret, Apostolo suo super Aquis ambulandi facultatē miraculose concessit.

Matth. 14. v. 28.

Maldon. ibid.

Cum igitur Christus tot tamque diuersis modis tot tantaque miracula sit operatus, quibus procul remoto omni dubio verus demonstrabatur Dei filius, & non simplex duntaxat homo. Vnde venit quod Hebræi, qui quotidiani erant miraculorum suorum spectatores, illū non agnouerint Deum, sed hominē tantum illū esse crediderint quo illum nomine in præsenti Euangelio appellabant? *Hic homo multa signa facit.* Ratio huius est, quia excœcauerat eos inuidia, ita vt hoc attendere vel videre nō possent, id quod est vnū ex morbis magis præcipuis, quod maledictum vitium istud ad alieni boni conspectum in mentem inuidi solet introducere: *Inuidia nihil videt sed cæcat animam.* inquit in hunc locum S. Cyrillus.

S. Cyrill. in Ioan. hic.

9. Inter alia flagella quibus subiacuêre Ægyptij, quamdiu Pharao tot instantijs à Moyse ex parte Dei requisitum & sollicitatum commeatū populo Hebræo dare detrectabat, fuerunt triū dierū tenebræ adeo obscuræ

scuræ & densæ, vt alter alterum videre prorsus non posset. *Facta sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus, & nemo vidit fratrem suum, scribit* Moyses in Exodo. Quantumuis, inquit Rupertus Abbas flagellum istud ad rebelles impiosque homines illos castigandos a Deo immissum fuerit, impossibile tamen est quin præter hunc effectum aliud quoque occultum sub se reconditum habuerit mysterium, per quod Deus particularem aliquem *Idololatrarum* illorum prodere voluit defectum. Et quidem si bene attenderis inuenies, tenebras illas significasse latentem in ipsis mentis caliginem, in qua ob inuidiam qua per Hebræi populi prosperitatem agitabantur, in continua quasi nocte viuebant. En ipsissima Venerabilis Ruperti verba: *Hæc tenebrarum horribilium densitas rectè Ægyptijs secundum nomen & meritum suum illata est, quia videlicet inuidia & odio filiorum Israel oculi eorum fuerant obtenebrati.* Per flagellum istud Deus miseris hominibus illis insinuare voluit, quanta mentis cœcitate tenerentur, vtpote qui quotidianos illos stupendosque fauores & beneficia quibus populum suum afficiebat præ oculis habentes, eosdem tamen propter inuidiam suam videre non poterant. Vnde tanta cum obstinatione & violentia illos impedire, atque sub crudeli imperio suo diræ affligere quotidie studebat. Simul etiam nobis per hoc ostendit, quod maledictum vitium istud humanam mentem ea ratione obtenebret & excœcet, vt ne ipsum quidem solem, cuiuis alteri oculo tam luculenter conspicuum & manifestum videre permittat.

Exodi 10. v. 22.

Rup. Ab. in Exo lib. 1. cap. 39.

10. Ratio ob quam Saul sanctissimo Dauidi adeo pertinaciter & obstinate iratus permanserit, vt necem illi inferre continuo meditaretur, fuit vnicus à puellis Hebræis decantatus hymnus, postquam Dauid Hebræum populum liberasset, nec non ipsummet quoque Regem Saul, è Philisthæorum manibus exemisset, qui ipsum Regno pellere, bonisque omnibus, imo & ipsamet vita exuere conabātur. Verba Hymni, vel maximè Saulem pungentia hæc erant: *Percussit Saul mille & Dauid decem millia.* S. Chrysostomus dicit magnopere æstimandum esse, quod Saul Rex ex tam modico & nihili quasi æstimando accidente adeo turbatus & inquietatus fuerit. Verba illa enim muliebria erant, a mulieribus nimirum prolata, quæ tametsi verum dicerent, præsumere potuisset è muliebri quadam leuitate nata fuisse & pronuntiata, vnde non leuissima illa nulliusque ponderis & momenti verba, sed memorabilem illam à generoso illo iuuene reportatam victoriam considerare debuisset, per quam tam ipse quam subditi sui, desperatum quasi Regnum, libertatem, & vitam recuperarunt. Vnde Dauidem potius honorare, præmiare, suumque pro illo sanguinem effundere, quam mortem illi machinari debuisset. Cur igitur non potius de illo honorando & præmiando, quam de persequendo, & occidendo cogitauit? vult igitur præfatus S. Doctor, id ideo accidisse, quia Saul Dauidi gloriam illam inuidebat, quam Dauid generoso & heroico isthoc facinore sibi apud omnes conciliauerat. *Inuidi* namque proprium est esse cœcum, & secus quam oportet omnia respicere. Vnde illum qui vitam suam saluauerat, atque extra omne periculum statuerat, insidiatorem vitæ suæ est arbitratus, adeo vt Saul Dauid vtpote: *Eum qui sibi vitam donauit, & totum exercitum ab alienigenis liberauit, tanquam hostem intuebatur, talis est enim huius vitij malitia.* Inuidis namque literati ignorantes videntur, innocentes peccatores, humiles superbi, casti luxuriosi, benefactores malefactores, & sic deinceps per alia similia discurrendo inuenietis, quod vniuscuiusque rei oppositum semper ipsi videant.

1. Reg. 18. v. 7.

S. Ioan. Chrysost. Hom. 45. ad popul. de inuidia.

11. Postquam S. Prothomartyr Stephanus captus & ante Hebræorum officiales & Iudices veluti Dei blasphemator, sub lapidum imbre siue pluuia iniuste condemnandus & occidendus, ductus fuit, facies eius, vt S. Lucas scribit in conspectu omnium circumstantium in faciem Angeli transformata fuit. *Intuentes in eum omnes qui sedebant in Concilio viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* S. Petrus Damianus hunc locum obseruat & dicit: Ex quo huius magni serui Dei facies sceleratis Rabbinis illis, sicut facies Angeli apparuit, eo quod ad instar Angeli alicuius non tantum ore, sed & operibus simul Dominum Deum suum laudabat, & glorificabat; cur eum sicut malefactorem & blasphe-

Actor. 6. v. 15.

blasphematorem, tam crudelis mortis, quam sub lapidum grandine passurus erat, condemnarunt. Cuius rei rationem hanc adfert dicens: *Lumine vultus Dei insignitur gloriosus Leuita, & vibrans splendorem Stephanus serenatur: reuerberantur oculi vestri, & tamen inuidiæ magnitudo visionem maiestatis occludit* q.d. O vos miseros & infælices Hebræos, tametsi Angelici vultus splendor oculos vestros reuerberaret, quia tamen mentem habebatis ob inuidiam cælestis honoris S. Prothomartyris, obscura occupatam caligine & cæcam, tantæ gloriæ splendori non poteratis intendere; atque hinc factum est quod Angelum quendam vere sanctum & innocentem, qui collocandus merito in Paradiso erat, morte iudicaueritis dignum.

Petr. Damia. ser. de S. Stephano

11. Tales sunt oculi hominis inuidi, semper vident è diametro oppositum illius quod alij similis cœcitatis expertes vident. Vnde album nigrum, lucem tenebras, virtutem interpretantur defectum. Id quod Guilielmus Parisiensis ex Ethymologia nominis inuidia elicit dicens: *Hæc ideo inuidia dicitur vel inuidentia, quoniam contraria est visui, siue videntiæ. In bono enim fraterno non videt, nisi malum quemadmodum si in albo videret nigrum & ideo inuidere est contrario modo visui se habere, ac si diceretur diuidere.* Id quod in infami hoc Parlamento siue Concilio aduersus animarum nostrarum Regem cōgregato clare atque perspicue videtur, cum enim assistentes illius, ex miraculis diuinam Christi naturam quæ illa patrabat videre ipsumque inde Deum esse colligere & æstimare deberent, ipsi ob maledictam illam cœcitatem cum hominem tantum esse iudicabant. *Quia hic homo multa signa facit.*

Guiliel. Parisiens. de morib. c.8.

(∴)

CONSIDERATIO III.

Vnus moriatur homo.

Adeo ingens est peccatoris ignorantia, vt in ipsis quoque mundi negotijs exigua se iudicio præditum esse ostendat, vtpote quod in rebus Diuinis totaliter iam perdidit.

RAtio propter quam Iudæi Christū morte dignum esse concludunt, Caiphæ sententiæ subscribentes: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo*, hæc sola erat, quia videlicet multa patrabat miracula. *Multa signa facit.* Bona ratio, inquit Theophylactus: *Et quale crimen est, quod signa facit. Oportebat ergo credere & adorare, & non habere pro homine puro.* q.d. Ergone miracula facere peccare est, quod ex hoc solum capite, quia nimirum miracula fecisset, vna cum impio Pontifice vestro illum morte dignum iudiceris? Certe si vel quicquam vobis iudicij suppeteret, omnino contrarium concludere debuissetis, ac vitam illi longæuam decernere; Item sermones eius auscultantes visis miraculis quibus confirmabantur eidem suæque doctrinæ debuissetis credere, ipsumque vti verum Deum venerari & adorare. Verum quia homines peccatores à Deo derelicti erant, stulti quoque & ignorantes esse debebant. Tanta namque est peccatorum stoliditas, vt in ipsis quoque mundi rebus dijudicandis se modico præditos esse iudicio ostendant, qui in Diuinis rebus totaliter cœcutiunt. Cuius experientia in præsenti Euangelio in Iudæis, & in alijs quoque similibus personis quotidie passim habetur.

Theoph. ibid.

1. Nabuchodonosor Rex quondam certior factus ex Hebræis tres pueros Deos suos & statuam auream, quam publicæ omnium hominum adorationi exposuerat, nequaquam adorare velle, eosdem in conspectum suum adduci iussit; comminatusque est fore vt nisi regijs parerent mandatis, in fornacem ignis coniecti viuicremerentur igne, ac tandem subiunxit: *Quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Nicolaus Lyranus hæc

Dan. 3. v. 15.

hæc verba considerans, recordatur eundem Nabuchodonosorem paulo ante Hebræorum Deum multis in cælum extulisse præconijs, appellando illum Deum omnium aliorum Deorum, magnum, omnipotentem, & Dominum Regum terræ prouti Daniel Prophetæ somnium suum reuelanti & interpretanti dixit: *Vere Deus vester Deus Deorum est, & Dominus Regum.* Vnde quærit, quid est quod Nabuchodonosor qui paulo ante per occasionem sapientiæ Prophetæ Danielis, Diuinam agnouerat omnipotentiam Deumque Hebræorum tot laudibus celebrauerat, nunc illum nesciat, neque vt potentem agnoscat aut alicuius æstimet? Et respondet: *Hæc est mira excæcatio, quia ipsum Deum Hebræorum omnipotentem vocauerat in præcedenti capite, superbia mirabiliter excæcat hominem*, quasi diceret: Nolite mirari Regem istum adeo in verbis suis varium, sibique contrarium fuisse, aut quid diceret nescijsse, erat enim superbus quidam peccator & à Deo prorsus derelictus, & consequenter mẽte cœcus & stolidus. Cõmuniter enim videmus tales homines etiã dum sæcularia & mundana tractãt, haud secus ac si mẽte capti essent nullo pollere iudicio siue discursu.

Ibi 2. v. 47

Nicol. de Lyra ibid.

2. Cum Hebræi Diuinos vero Deo suo honores adimere, & vitulum quendã aureum adorare decreuissent, Aaronem summũ sacerdotem accesserunt, dicentes: *Surge & fac nobis Deos, qui nos præcedant.* S. Ioannes Chrysost. verba ipsorum deridens, dicit: *Si Dij, quare dicitis fac? quomodo enim Dij qui fiũt.* q.d. O vos scelerati atq; peruersi homines! Quodsi Dij isti quos adorare vultis? Dij vestri futuri sũt, cur illos ab hominib⁹ fieri aut fabicari vultis? Quonã ingenio vel arte Dij fieri poterũt? An nescitis ꝙ sicut Dij omnia creata faciũt, ita ipsi aliorũ factura esse non possint? Tandem responsionem subiungit: *Sed malitia obcæcans sibi ipsi repugnat, semetipsum extinguit.* q.d. Nemini mirum videatur, quod sibi hac ratione contradicant, nesciantque quid dicant, sunt enim peccatores, quorum proprium est adeo mente cæcos & stolidos esse, vt ne in quotidiano quoq; sermone aliquo se iudicio præditos esse demonstrent. *Malitia obcæcans sibiipsi repugnat, semetipsam extinguit.*

Exodi 32. v. 1.
S. Ioan. Chrysost. Hom. 5. de pœnit.

3. Quando Iudas in lictorum atque carnificum societate abibat, vt peruersorum Hebræorum manibus innocentem Magistrum suum consignaret & traderet, refert S. Marcus, quod in Hortum in Christi conspectum veniens, vt traditionem quam machinabatur occultaret, ostenderetque se non tanquam inimicum ipsum accedere, vti faciebant, quos in sua secum societate habebat, sed velut fidelem amicum, amantemq; discipulum, ficto & simulatorio modo salutauit, & osculatus est eum: *Cum venisset accedens ad eum ait: Aue Rabbi, & osculatus est eum.* Theophylactus stultam hanc actionem obseruat, & dicit: *Vide stuporem illius, quomodo putaret posse Dominum latere, quod pro amico habendus esset propter osculum nam si amicus erat, quare cum inimicis veniebat?* Quasi dicere vellet: Adeo stolidus & ignorans Iudas erat, vt sibi persuaserit fieri posse, vt animi sui peruersitatem coram Diuinæ sapientiæ oculis tegeret, & ex inimico, qualis reuera erat, per fictum aliquod osculum amicum se demonstraret. Quodsi malitiam suam tegere & amicum se simulare volebat, cur inimicorum Christi societate stipatus Christo se præsentauit? Cuius rei alia assignari ratio nequit, quam communis hominis peccatoris ignorantia. Vnde præfatus Doctor inquit: *Reuera malitia semper stulta est.* In quacũque re quam homo aliquis peccator molitur, semper inuenietis, quod semetipsum ignorantem, stolidum, omnisque intellectualis luminis expertem manifestè prodat, idq; causante & efficiente peccato, quod animũ eius hebetat, & stolidum ac cuiuis actioni inhabilem efficit. Discipulus traditor Christum in societate lictorum atque carnificum conuenit, sibique tamen persuadebat fore vt hanc animi sui peruersitatem ficto quodam osculo tegere posset, quam tamen puer aliquis infans depræhendere facile potuisset: *Malitia semper stulta est.*

Mar. 14. v. 45.
Theophyl. ibid.

4. Postquam exploratores ex terra promissionis Dei ad populum Hebræorum reuersi essent, decem ex illis à Dæmone persuasi, singulari cum industria studebant populum ab opulentæ regionis illius ingressu diuertere, vnde palam coram omnibus hunc in modum sunt locuti: *Terra quam lustrauimus, deuorat habitatores suos, populus quem aspeximus proceræ staturæ est; Ibi vidimus monstra*

Num. 13. v. 34.

quadam filiorum Enac de gente Gygantea, quibus comparati, quasi locusta sumus. Rupertus Abbas hæc ipsorum verba obseruat & dicit. *Hæc profecto sententia, præcedenti contraria est.* Quomodo enim hæc duo cohærent, scilicet quod terra quam ipsi perlustrauerant incolas habitatores suos debilitet & consumat, ac demum quod habitatores illius Gygantæa corpora habeant alta, fortia, & generosa. Terra quæ habitatores suos eneruat & exhaurit, corpora hominibus ministrare solet languida, flaccida, debilia & quoad staturam parua & modica, non vero vti ipsi affirmabant, fortia, robusta & Gygnatæa. Verum nolite mirari hoc, inquit venerabilis Abbas memoratus: *Hic namque mos est detrahentium, vt dum detrahere student, nonnunquam sibimet contraria dicant; non curantes quam in partem verba cadant, dummodo audientium corda subuertant.* Similis loquendi modus adeo stultus, inconsideratus, & sine vllo iudicio prolatus, communis est hominū loquacium atque bilinguium, qui ad hoc vt intentum suum persuadeant, non attendunt, an conuenienter vel disconuenienter & extra propositum loquantur; ideoque in duobus duntaxat verbis quæ loquuntur, in quatuor incidunt contradictiones. Cuius ratio est, quia peccatores existunt, qui ob peccatum adeo suum perdiderunt iudicium atque discursum, vt ne loqui quidem congruè sciant.

Rup. Ab. li. 1. c. 36. ibi.

Rup. Ab. ibid.

5. Cum Hierosolymis ingens illud diuersitatis linguarū miraculum circa Christi Apostolos patratū innotesceret, rabidi Hebræi illos mox deridebant dicētes: Hosce disertos sermones quos Apostoli prædicabant, nō illis spiritus sancti opera aduēire, tametsi id publice affirmarent, sed quia caput vini liberalius sumpti virtute accensum haberent, & ebrij essent. *Irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti.* Quos Theophylactus cum illis disserens hunc in modum aggreditur: Dicite mihi sodes, quonam ex fundamento præsumatis dicere Christi Apostolos ideo diuersis linguis loqui, quia nimirū cerebrū habent musto plenū. *Quia musto pleni sunt isti.* Quomodo enim & vbi mustum quo inebriarentur acciperent, hoc enim in septembri, nō vero in Penthecoste haberi solet. Præterea ponamus casum quod habuerint mustum illudq; ad ebrietatē vsque in abundātia biberint, prouti vos affirmatis, ecquādo vnquam visum vel auditum est mustum aliquod ea virtute præditum, quod homines in diuersis linguis faciat esse disertos & promptos? Verum enimuero subdit hic Doctor, *Excusemus obsecro illos: Nam vbicunque petulantia est, vnum duntaxat quærit quid dicat, quodcunque tandem fuerit: non vt aliquid dicat quod rationi nitatur.* quasi dicat. Sunt homines subsānatores & derisores, quibus hoc solemne est valdeq; propriū, in sermone suo nihil aliud quærere, quā vt loquantur, suaque lingua proximū offendant, nihil curantes an id quod dicunt, verum sit, aut verisimile vel non. Idque illis ideo accidit, quia sunt homines sine Deo, & consequenter ignorantes omniq; destituti iudicio, vt vix duo simul verba efformare possint, quæ bonum habere sensum valeant.

Actor. 2. v. 13.

Theoph. ibid.

6. Similem quoque locum Matthæi cap. 12. habemus, vbi dicitur quod cum propter sanatum à Saluatore nostro Dæmoniacum quendam omnes turbæ in admirationem raptæ fuissent, aliqui maligni atq; peruersi homines dicere præsumpserint Christū idipsū Diabolica virtute præstitisse ob commercium ꝙ ipsi cum Beelzebub Dæmoniorum Principe intercederet *Hic non eijcit Dæmonia nisi in Beelzebub Principe Dæmoniorū* S. Chrysostomus hæc verba audiens ita exclamat: Quænam, ô Pharisæi est isthæc vestra stultitia: Quod si vti vos quidem asserere videmini, nulla alia ad Dæmonem pellendum potentia præualet, præterquam ea quæ ex commercio cum Dæmonibus habito acquiritur, necessum est affirmare Dauidē, Salomonē aliosque è populo vestro tot illustres & sanctos viros, qui Dæmones miraculose pepulerunt, commercium cū Dæmonibus habuisse. Ecquid ad argumentū istud respōdebitis? Quid responderent subiungit sanctus Doctor, cū inuidi à Deo derelicti nihil omnino dicere sciant? *Inuidia enim non quærit quid dicat, sed solum vt dicat.* q. d. Propriū est talium hominum, tanquam luminis diuinæ gratiæ expertium, quærere vt dicant, & contradicant proximo, nihili autem facere, siue conuenienter ad rationem siue difformiter ab eadem loquantur.

Matth. 12. v. 24.

S. Io. Chrysost. apud S. Tho. in Cat. ibid.

7. Doctissimus Abulensis argute obseruat

Iacobum

Iacobum Patriarcham facilem nimis fidem peruersis filijs suis adhibuisse, referentibus Iosephum fratrem suum à fera quadam occisum esse & deuoratum, cùm tamen eundẽ impie nimis Medianitis vendidissent. Vnde quærit: Quomodo Iacob qui tantus Propheta erat, vti constat, facti huius non cognouit veritatem, sed facilem adeo filiorum suorum mendacijs fidem adhibuit? Et respondet Prophetiam à Deo totaliter dependere, qui quod vult, & quando vult Prophetis suis reuelat: vnde quia pro illo tempore secretũ istud S. Patriarchæ manifestare minime complacuit, ideo tametsi Propheta esset, quia tamen ob diuinæ reuelationis sibi desuper factæ defectũ, nihil de filij sui statu scire potuit, fidẽ adeo facilem filiorũ verbis adhibuit. Replicat autem: Eccur autem Deus secretũ istud illi reuelare non voluit? Pro cuius resolutione varias rationes in medium adducit, inter quas suum quoq; certæ cuidam à nonnullis Hebræis excogitatæ rationi, locũ attribuit, ex qua cognosci perspicuè poterit, quã mirabilis & magna sit hominum à Deo derelictorum ignorantia. Dicunt enim quod filij Iacob fratre suo Ioseph diuendito, facinus istud impiũ sub arcano silentio tegere & occultare volentes quoddã maledictionis anathema aduersus eum vnanimiter decreuerint, qui idipsum reuelare aut propalarare præsumeret. Quia autem ex solemni Hebræorũ consuetudine Anathema nullius prorsus valoris erat nisi decẽ ad minus personæ tali se anathemati vltro subijcerent, ipsorũ autem nonnisi nouem essent, tametsi enim duodecim fratres fuerint, ab hoc tamẽ numero aberat Beniamin, qui domi iuxta Parentẽ suum remanserat, deinde Ioseph quẽ vendiderant, ac denique Ruben qui paulo ante ab ijs discesserat; hinc decimi loco Deum in suum acceperunt consortium atque ita consilium decemuirûm formantes vnanimiter sub anathematis siue excomunicationis cuiusdam ciuilis pœna statuerunt, ne siue Deus siue ipsi factum istud prodere aut manifestare præsumerẽt. Vnde Deus, ne hunc anathematis aut excommunicationis reatũ sibi superinduceret Prophetæ suo hanc filij sui venditionẽ manifestare ausus non fuit. *Ideo Deus ne esset excommunicatus non reuelauit in toto illo tempore, quod Ioseph esset venditus.* Obseruandum igitur exinde qualiter homo peccator & à Deo derelictus ignorãs sit, omnisque iudicij expers, adeo vt etiam Deum humanis censuris quibus ne ipsi quidem Dæmones aut bestiæ affici valent ligari posse existiment.

Tostat. in cap. 37. Gen. q. vnica.

8. Ionas Propheta post acceptum à Deo mandatum in Niniuen abeundi, ibidemque gentis & vrbis illius destructionem totalẽque prædicandi cum infinitæ illius Dei erga peccatores pænitentes pietatis optime esset conscius, timuit ne ignominiosum mendacij crimen & maculam sibi adsciscerét, in casu quo Niniuitæ ad diuini illius flagelli nuntium de suis peccati pæniterẽt, flagitiosamque vitam suam emendarent, ideoque ne se huic exponeret periculo, à Deo fugere, eiusdemque mandatis minimè obtemperare statuit, prouti reipsa fecit, dicente scriptura: *Surrexit Ionas vt fugeret in Tharsis à facie Domini.* Sed quonã ibis, ô Iona? inquit Chrysostomus, quisnã vel vbi locus iste erit, in quo à facie Dei te abscondes ô miser Propheta? Ergone locus aliquis reperiri poterit, cui Deus vere præsens nõ sit, vt in illum veluti in Asylum & in locũ refugij fugere à Deo possis? Nunquamne legisti, id quod Dauid Deo dicit: *Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua fugiam?* Hinc liquide cognosco, subiungit S. Doctor, qualiter peccatum intellectum ab homine aufferat, vt deinceps quid agat, aut quid dicat ignoret: *Tale est peccatum, quod ad ignorantiam multam redigit animam.*

Iona 1. v. 3

Ps. 138. v. 7

S. Io. Chrys. sost. to. 5. hom. 1. de pænit.

9. Herodes Rex & Hierosolymitanæ vrbis incolæ tres Orientis Reges, Iudæorũ Regem recens natum adoraturos tanto cũ apparatu & comitatu aduenisse audientes, teste S. Matthæo incredibiliter turbati sunt: *Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.* Quod Herodes ex nati noui Regis nuntio turbatus sit, id quidem rationabile fuisse videtur, timere namque poterat, ne à nouo illo Rege suo exuendus regno esset: ciues autem Hierosolymitani, vtpote qui nihil inde erant perdituri, imo magnũ potius fælicitatis suæ inde accepturi erãt incrementũ, siquidem per fælicẽ occasionẽ istam Imperij sui, quod tot iã annis ab exteris Tyrannis occupatũ fuerat, omnimodam restitutionem

Matth. 2. v. 3

nem sperare poterant potius inde lætificādi quam turbandi erant Cur igitur adeo turbati fuerunt? Rationem Theophylactus hisce verbis assignat: *Oportebat enim gaudere potius, sed reuera insipiens est malitia.* Iustum quidem omni ex parte erat vt ex hoc nuntio gauderent, quod autem non gauisi sed potius valde contristati & conturbati fuerint, factum id est, quia homines peccatores erant, atque à Diuina gratia procul remoti. Tanquam tales enim intellectus lumen perdiderunt, & omnino secus quam oporteret faciunt, vnde sperant quando timendum esset, & quando sperandum esset, timent vbi audaces esse deberent, pigri sunt atqu inertes: vbi pigros ipsos esse conueniret, sunt audaces. Et sic consequenter per vniuersas eorundem actiones discurrendo inuenietis, ipsos omnino contrarium facere illius quod facturi fuissent si sapuissent. Prouti per experientiam in Ciuibus Hierosolymitanis idipsum enituit qui cum in Regis sui Natiuitate lætari deberent, præter omne propositum & rationem turbati suas & timuerunt. *Insipiens res est malitia.*

Theoph. ib.

10. Sacra scriptura miserabilem exercitus Absalonici stragem & ruinam recensens, aliquid particulari cōsideratione dignū dicit, videlicet: *Multo plures erāt, quā quos saltus consumpserat de populo, quam quos vorauerat gladius in die illa.* Qua ratione fieri potuit, quod plures sylua vel saltus, quam gladius occiderit? Forte arbores ad signum illis datum in sancti Dauidis fauorem sese coniungentes, miraculose contra rebellium exercitum pugnaturæ egressæ sunt? Nequaquam, inquit Petrus Damianus, neque enim hoc scriptura dicere voluit, sed aliud quidpiam videlicet: *Quia vesani quique & insruniti, qui cum Absalone rebelles extiterant, Deo deserente cœcati, arbustis occurrentibus impingebant; atque ideo dicitur quia plures ceciderunt saltu, quā ij qui gladio fuerant trucidante deuorati.* q. d. Quia bellum istud ex parte Absalonis iniustum, ijque qui sub ipsius signis pugnabant, peccatores erant atque extra Dei gratiam constituti, & consequenter sani intellectus lumine orbati ideo mox vt stragem & ruinam suam viderunt, nescientes quonam ad saluandam vitam suam, fuga sibi consulerent, adinstar cœcorum ambulantes in arbores impegerunt, ab ijsque conquassati, oppressi & mortui fuerunt. Obseruandum hoc loco, in quantam ignorantiæ caliginem peccatores perueniant, siquidem in maxima sua necessitate vitam tantopere ab ijs æstimatam saluandi, nullam inueniunt rationem modum *Cœcati arbustis occurrentibus impingebant.*

2. Reg. 18. v. 9.

Petr. Dam. opusc. 37. Dub. 6.

11. Intermittere nequeo quin alium quendam pulcherrimum locum huius nostri conceptus siue discursus confirmationi apprimè necessarium in medium adducam. Etenim quia Hebræis per fundum maris rubri transeuntibus, aquæ ad faciendam illis viam vtrimque miraculose erectæ & retrogressæ erant, Ægypti jqui ad necem ijs inferendam eorum legentes vestigia strenuè illos insectabantur, vt refert Moyses, eidem sese mari committere, eandemq; maris exsiccati viā, ad temerarium facinus suum prosequendū, ingredi & calcare non formidarunt. Mox vero vt Hebræi egressi fuerunt aquæ in pristinum suū locū subito congregatæ, Ægyptios fluctibus suis atq; procellis inuolutos omnes absq; vlla euadendi spe occiderunt. *Persequentesque Ægyptij ingressi sunt post eos reuersæq; sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec vnus quidem superfuit ex eis.* Circa quem locum Tostatus quærit: quid est quod cum Ægyptij considerare merito debuissent, mare miraculose fuisse diuisum ad facilitandum Hebræis transitū, non vero ad iter suum prosequendū ideoq; timere ne mox Hebræis alterā maris ripam assecutis, aquæ in locum suum pristinum redeuntes illos inuoluerent, atq; submergerēt vti reuera accidit, ipsi nihilominus quasi omnino securi, nihil timentes neque imminens sibi periculum attēdētes, se quasi cœci in mortis fauces præcipitarint sub maris arenas sepeliendos? Et respondet: *Ista non ex eorum impauiditate veniebat audacia, sed magis ex eorum culpa* q. d. Nemo sibi persuadeat, summam hanc Ægyptijs miseriam accidisse ex generositate & animositate cordis militū Aegyptiorū, quasi omne cōtēnentes periculū, ad inceptā Hebræorum persecutionē & infestationē prosequendā, mori potius atq; sub arenis sepeliri atq; submergi, quā ab Hebræorū internecione desistere voluerint, sed

Exodi. 14. v. 23.

Tostat. ibi.

sed potius in hanc illos miseriam peccatum redegit, quod illos excæcauerat, omneque iudicium ab ijs sustulerat. Vnde ad instar talparum, nescientes vbi pedem figerent, in mortis sese fauces præcipites dederunt. Peccatum enim ita obtenebrare solet peccatoris mentem, vt illum bestia efficiat stolidiorem. Vnde est, quod euidentibus se mortis periculis, à quibus bestiæ ne vitam amitterent summopere cauerent, haud secus ac si omni prorsus ratione, iudicio, aut discursu careat, vltro citroque exponat. Sic quondam perfidus ille Gallus, quia post occisum à se Christianissimum Regem Henricum, ex peccato commisso omni destitutus consilio & ratione cultrum à se procul mox abijcere neglexerat, depræhensus & cognitus est, atque meritissimo affectus supplicio.

12. Præterea quod peccatoris ignorantiam in rebus animæ, atque ad Dei seruitium spectantibus discernendus attinet, clarum est atque perspicuum, illum omni prorsus iudicio carere, siquidem cum ipsamet Dei omnipotentia contendere non veretur. S. Ioannes Chrysostomus verba Dauidis Prophetæ in Psalmo 2. diligenter obseruat, quibus de coniuratione quadam ab omnibus terræ Regibus & Principibus facta agit, qui cum incredibili quodam apparatu gentes ad bellum vrgendum excitabant & cogebant: *Astiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum.* (Ps. 2. v. 3.) Cupidus autem sciendi, contra quem omnes illi belli machinas ordirentur, Prophetæ sermonem anteuertit & abrumpit ac quærit: *Aduersus quem? Dic cito, vt qui audierint pertimescant.* Dauid igitur respondet: *Aduersus Dominum & aduersus Christum eius.* Audiens autem S. Doctor bellum illud contra Deum institui, non timet, sed illos talia molientes irridet, & dicit: *Fœnum aduersus ignem! Vide cæcum bellum, pugnam quæ non potest committi.* (S. Io. Chrysost. ibid.) Quam inutile & ridiculum est bellum istud! quam cæcus conflictus! videor mihi videre fœnum cum igne dimicans. Et profecto ita erat nam si omnes mundi Reges, cum omnium vasallorum suorum solido atque armato exercitu, aduersus Deum sese armarent, aliud nihil efficerent, quam si fœnum aduersus ignem sese erigeret. Quodsi igitur omnes totius mundi exercitus cum Deo comparati, sunt sicut fœnum igni oppositum, quid de misero peccatore fiet, qui omni hora aduersus Deum armatur, & consequenter quale iudicium ipsius erit, siquidem continuam aduersus illum inimicitiam fouet, qui præterquam quod lædi aut offendi non possit, æternaliter illum damnare valet. Tanta vtique ignorantia dicendus est obnoxius, vt nihil ipsi rationis reliquum remanserit.

13. Vnde similis est stulto illi, qui postquam è bello rediret in capite ex sagitta quadam vulneratus, Medico dicenti sagittam cerebrum eius penetrasse respondit, id nequaquam se ita habere posse. (Melch. de S. Croce nella Forest. spagn. p. 6.) Medico autem iterum reuera ita esse asserenti, stultus in opinione sua pertinaciter perseuerans, iterato replicabat impossibile id esse, eo quod certo se sciret cerebro carere, quod si enim, inquit aliqua cerebri parte fuissem præditus, nunquam vtique in bellum me contulissem. Idem namque de stulto peccatore affirmandum est, videlicet quod eo ipso quo Deum offendit, adeo fit stolidus atque ignorans, vt nihil ipsi cerebri reliquũ manere videatur, quodsi enim vel minimam illius particulam reliquam sibi haberet, nunquam ea facturus fuisset, quæ facere videtur quotidie. Num igitur ex hactenus dictis percepistis quanta peccator tam in mundi negotijs, quam in rebus propriam salutem æternam spectantibus laboret ignorantia, seque cerebrum amisisse ostendat? Sicut inuidi illi Hebræi in semetipsis dilucide monstrarunt, qui Christi videntes miracula, propter quæ ab illis agnoscendus & adorandus erat tanquam verus Deus, ipsi tamen eundem non solum purum iudicarunt esse hominem, verumetiam ad instar cuiusdam mali hominis & publici prædonis & latronis morte dignum iudicarunt, atque ad Crucis patibulum condemnarunt. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo.*

SERMO XXXIX.

In Sabbathum Dominicæ V. Quadrageſimæ.

Noli timere filia Syon.

Ioan. 11.

NEmini dubium eſſe debet quin propter tria myſtica ſymbola, quæ Hebraica dictio *Syon* in latino ſermone ſignificat, per filiam Syon, quam Zacharias Propheta verbis illis à S.Io-
Io.11. anne in hoc Euangelio citatis: *Noli timere filia Syon*, aut ſicut in originali legitur: *Exulta ſatis filia Syon*, alloquitur, intelligi debeat Deipara virgo Maria *Syon* enim latine idem ſignificat quod *Siccitas Speculatrix, & Numen*; Beata Virgo autem inprimis *filia eſt ſiccitatis* id eſt ſterilitatis, vtpote quæ miraculoſe & opera diuinæ gratiæ, non vero Naturæ ex matre ſterili & infœcunda nata fuit. Præterea *filia eſt ſpeculationis*, id eſt filia
2.Petr.1. diuinæ gloriæ, qua qui gaudent, Speculato-
v.16. res facti illius magnitudinis ineffabilibus perfruuntur delitijs. Denique *filia eſt Numinis*, idest non tantum ſponſa & mater, ſed etiam magni Dei noſtri filia. Adeo vt Propheta & Euangeliſta dicentes: *Exulta ſatis filia Syon*, dicere velle videantur. Gaude ô fœliciſſima Domina, exulta & iubila. Primo quidem quia non es opus Naturæ, ſicuti creaturæ aliæ, ſed partus diuinæ gratiæ. Præterea quia cum omnes cœli fauores ſimul in te ſint recollecti veluti filia æternæ gloriæ, non in terra ſed in cœlo nata eſſe videris. Denique quia filia es Dei, adeoque Deo ſimilis vt Dea eſſe videaris & non mulier. Tres haſce Deiparæ Virginis excellentias in hoc ſermone qui eſt vltimus eorum qui ipſius laudibus in hoc Quadrageſimali dicati & conſecrati fuêre, plenius conſiderabimus & exponemus.

CONSIDERATIO I.

Filia Syon.

Omnia ad Deiparam pœnitentia tali ratione à Diuina gratia ſunt diſpoſita, vt videri merito poſſit Naturam eidem producenda nullam manum ſiue conatum applicuiſſe.

DEipara Virgo Maria inprimis *Filia Syon* appellatur, ideſt, *filia ſiccitatis*. Neque enim Deus ipſam in hunc mundum naſci voluit iuxta curſum naturalem generationis aliorum qui de fœcundis naſcuntur matribus, ſed potius ipſam hunc talem ordinem ſuperexcedere debere decreuit. Diſpoſuit enim vt à matre ſterili & infœcunda naſceretur, eaque tali quæ magno cum myſterio *Anna* appellaretur, quod nomen in ſermone latino idem ſignificat quod *gratia*, vt manuum Diuinæ gratiæ viuum quoddã eſſet miraculum. Et reuera talis in tota vita vita ſua fuit; ſuæ namq; actiones, & alia ad ipſam ſpectantia ita à Diuina gratia erant diſpo-

dispofita, vt nullam illi Natura manum applicuisse videatur. *Filia Syon.*

1. Isaias propheta Euangelicus magnæ huius Reginæ Natiuitatē præuidens, ita inquit: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*, q. d. De radice, idest, ex S. Ioachimo, qui à Iesse originē suam traxit, admirabilis quædā nascetur Virgo, quæ ad instar Virgæ cuiusdam Paradisi florē Christū Saluatorē nostrū producet. Circa quem locum inuestiganda est ratio, ob quam S. Ioachimus ex tot Patriarchis, Abraha, scilicet, Isaac, Iacob, Dauide, & ex tot alijs illustribus sanctisque viris non minus quam à Iesse procedens à Propheta tamen nullius ex iam nominatis, sed solius Iesse appelletur filius? *De radice Iesse.* Et quidem quantum ego assequi possum Iesse filius ideo appellatus fuisse videtur, vt per hoc significetur huius sanctissimæ Virginis Generationem diuinæ gratiæ opus fuisse, non vero Naturæ. *Iesse* enim in sermone latino significat *Incendium*. Vnde Propheta Patrem virginis hoc nomine appellare voluit ad insinuandū incendiū originalis peccati quod in lūbis huius sancti Patriarchæ ardebat, vnde Dauid se quoque ambustum persensit, quando dicebat: *Quoniam lumbi mei impleti sunt combustione.* Ex quibus tamen ipsa haud secus ac virens ac florida quædā virga, absque vlla peccati originalis combustione vel incēdio, Diuinæ cælestis floris generationi aptissima processisse videtur. Vnde in admirabili hac conceptione Gratia omnia præstitit, adeo vt Natura nullū manus suas illi applicādi, in ea locū aut tempus habere ipsamque originali incendio exponere potuerit, prouti omnes alios homines vniuersim exponit. Etenim inquit Magnus Damascenus: *Natura Gratiæ cedit ac tremula stat, progredi non sustinens quoniam fætum gratiæ anteuertere ausa non est.* Vnde est quod corā oculis mundi nouum quoddam Diuinæ gratiæ sese prodiderit miraculum, in quo Natura ad impingendas consuetas Conceptionis maculas partē omnino nullam habuit *Vnde* S. Hieronymus dicit *Quidquid in ea gestum est, totum puritas & simplicitas, totum veritas & gratia fuit.*

Isa. 11. v. 1.

Ps. 37. v. 8. Alia littera.

S. Io Damasc orati. de Natiuit B. V.

S. Hieron.

2. Ratio ob quam sanctissima Deipara S. Ioanni lunam pedibus suis calcans visa fuerit: *Luna sub pedibus eius fuit*, vt per hoc innueretur quod sicut stellæ illis dūntaxat corporibus præualent & dominantur, quæ Lunæ videntur subiecta, non vero illis quæ supra lunam sunt, ita quoque omnium aliorum hominum corporibus quæ sub luna conspiciuntur præemineant & prædominētur, non vero corpori Deiparæ virginis, vtpote quæ supra lunam existens, lunam sub pedibus suis tenent. Vnde cū quilibet nostrū in sua Natiuitate maleuolis subiectus sit cælorum aspectibus, ab ijs tamen Virgo Deipara totaliter fuit exempta. Et ratio est, quia opus gratiæ fuit, non vero Naturæ, quale nos sumus, inquit magnus Parisiorum Cancellarius? *Inueniemus Mariæ corpus miraculosè compositum, quoniam ex vtero sterili formatum est ab illo cuius perfecta sunt opera. Ac proinde colligimus, quod neque maleuolus aspectus cuiuslibet ex Planetis nocuisse credendus est in ipso Conceptionis aut Natiuitatis exordio, sicut nec huiusmodi formatio subiiciebatur cælorum influxionibus: quia quidquid agebat, hoc totum gratiæ magis erat quam Naturæ.*

Apoc. 12. v. 1.

Io. Gerson serm. de Natiuit. 8. Maria to. 3.

3. S. Cyrillus Alexandrinus fulgentissimum illud Carmeli sydus, tanquam verus frater Mariæ Virginis magnam suam cælorumque Reginam sub Margaritæ symbolo magnifice laudat atque honorat, dicens: *Sit tibi sancta mater Laus, tu es pretiosa margarita orbis terrarum.* Et merito inquit Petrus Berchorius, non solum quia margarita est gemma candida, clara, rotunda & grauis, quæ innocentiam, honestatem, obedientiam & humilitatem eius significant. Verum etiam qua sicut margarita in sua Concha vna est & sola. Vnde latine dicitur *Vnio, eo quod vnus est lapis*, inquit hic Doctor *& nunquam duo simul reperiuntur.* Ita quoque Deipara est vnica & sola, nam cum multi reperiantur Patriarchæ, multi Prophetæ, multi Apostoli, multi Martyres, confessores, & virgines, ipsa vnica est & sola cū quoad admirabilem dignitatem suam nullus inueniatur eiusdem honoris sui compar aut particeps. Verum vt ad propositum nostrum reuertamur, dicendum quoque est, quod sicut Concha tametsi sit in mari, in opere tamen generationis margaritæ, Aqua maris non concurrit, sed solus ros cælestis prouti Plinius ab aliquibus refert dictum esse: *Impleri roscido conceptu.* Ita quoq;

S. Cyril. Hom. contra Nestor.

Berchor. Reduct moral. lib. 10. c. 93.

Venter

venter B. Annæ gloriosissimæ Christi auiæ tanquam admirabilis quædam Concha ad generandam Deiparam, Diuinæ gratiæ cælesti rore adimpletur qui admirabilem fætum illum disposuit & organizauit. Vnde nō naturæ sed Diuinæ gratiæ opus esse apparuit, quasi nullas ipsi formandæ Natura manus adhibuisset, dicente Gersone: *Totum gratia magis erat quam Natura.*

4. Salomon mulierem aliquam fortem videre desiderans, illudque suis temporibus veluti impossibile reputās dicebat: *Mulierem fortem quis inueniet?* q. d. Quisnam erit homo ille adeo fælix & fortunatus, cui cælum tantam concessurum sit gratiam, vt fortem aliquam mulierem inuenire & videre mereatur? S. Vincentius Ferrerius hunc locum obseruat & dicit, Salomonem prophetice ad Dei respexisse sacratissimam matrem, siquidem hanc suam interrogationē ab *Aleph* litera exorditur, quæ millenarium numerum significat, quia à temporibus Salomonis, vsque ad tempus nascentis in hunc mundum Virginis, mille effluxēre anni: *Mulierem fortem incipit per Aleph, quod interpretatur mille quia tot anni fluxerunt à Salomone vsque ad Beatam Virginem.* Vnde huic explicationi insistendo Sapiens dicere voluisse videtur: Beati sunt illorum hominum oculi, qui post mille annos mundi huius luce gaudebunt, atque ineffabile illud videre merebuntur manuum Diuinarum miraculum, cū enim hactenus mulieres visæ sint infirmæ & fragiles, tunc fortis quædam & potens adeo mulier videbitur, vt nunquam alia similis videri possit. Per huius loci occasionem obseruandum mulierem naturaliter infirmam, debilem & impotentem esse. Vnde sexus muliebris fragilis communiter appellatur. Vnde quod Deipara postea mulier fortis fuerit & generosa, nequaquam Naturæ sed gratiæ opus fuisse affirmandum est, vtpote quæ pro singulari Virginis priuilegio talia eidem donauit, qualia Natura vel non habet, vel mulieribus dare nequaquam consentit.

Prou. 31. v. 10.

5. Causa ob quam beatissima virgo S. Iosepho necessario desponsata fuerit, ex mente S. Ignatij Martyris, hæc fuit, ne scilicet Dæmon in Diuini partus sui veniret notitiam: *Vt partus occultaretur Diabolo.* Verum dicit S. Antoninus Archiepiscopus Florētinus, vnde hoc est quod cum Dæmon omnia humana exceptis cogitationibus cordis videre & cognoscere possit, non tamen cognoscere potuerit Dei matrem Virginem fuisse, partumque quem vtero suo gerebat, nequaquam naturale aut humanum quoddam opus esse, sed cæleste & Diuinum à spiritu sancto miraculose consummatum, cūm tamen hæc quoque extra beatissimæ Virginis sanctissimum cor, posita consisterent? Et diuinè respondens nodum illum dissoluit: *Propter nimiam sanctitatem eius non permittebatur approximare ei, vt hoc cognosceret.* q. d. Sanctitas Deiparæ Virginis adeo ingens erat & admirabilis, vt illi Dæmon propius approximare non potuerit, ac proinde procul & à longe illam semper prospiciens, noui illius arcanique sacramenti intelligentiam assequi non potuit. Vnde colligitur Diuinam gratiam tantum in Deiparæ Virginis negotijs locum habuisse vt Naturæ ne vnicum quidem illi digitum apponere fuerit permissum, vnde aliquando demonstratum fuisset quidpiam humanū & defectuosum quod ab imperfectione naturali, non vero à Diuina gratia suam haberet originem, aut propter quod Dæmon etiam ei aliquantulum appropinquare potuisset.

S. Ignat. Martyr.

S. Antonin. p. 3. lib. 1. c. 16.

6 Spiritus sanctus cælestium vberum huius Reginæ nostræ sponsæ suæ pulchritudinem eximiam admirans & laudans, ita inquit: *Quam pulchra sunt mammæ tuæ soror mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino.* Et profecto ex quo vbera sponsæ electa fuerant tanquam duo vasa aurea, Vnde cælestis Rex Paradisi biberet, opus erat vt secundum omnem possibilitatem eximiè decora essent ac pulchra, dignaque quæ ipsummet Deum in admirationem possent rapere. Sed obseruandum quod illa non solum *mammas* sed etiam *vbera* vocet. An non sufficiebat ipsi ea vno tantum nomine appellare, nisi quoque alterum adiungeret; Nequaquam, neque enim vnum nomen illa sufficienter explicasset, nam ad perfectè & cōplete laudandum illa opus erat vtrumque adhibere vocabulum. Et ratio est, quia vt inquit Lucas Abbas: *Mammæ ad fœcunditatis benedictionem, vbera vero ad virginitatis gloriam respicere opinamur. In genetricibus enim*

Cant. 4. v. 10.

Luc. Ab ibid.

nim mamma, in virginibus vbera appellantur. q. d. Quia illius vbera laudare decreuerat, quæ vno eodēque tempore virgo & mater erat, necessarium duxit illa vtroq; appellare nomine, neq; tamē otiose aut taurologice, per *Mammas* significabat maternitatē, virginitatem autem significabat per *vbera*. Quo loquendi modo spiritus sanctus admirabilem honorem Matris Dei in conceptione verbi incarnati celebrare volebat. Omnibus namque aliis mulieribus concipientibus, subito quoque præsentem se sistit Naturæ paupertas, quæ illis Virginitatis mox adimit decus & honorem, vtpote quæ simul virgo & mater esse non possunt. In hac autem sanctissima Domina nostra Natura procul abfuit, & sola operata est gratia Diuina, quæ ipsam ea ratione matrem condidit, vt simul ipsi conseruaret sartam tectam prærogatiuā Virginitatis. Vnde S. Ildephonsus inquit: *Tu gloriosa Maria sic fœcunditatis meruisti donum, virginitatis quod non amisisti suffragium.*

S. Ildeph. ser. 6. de Assumpt.

7. Idemmet miraculum ad maiorem gloriam suam à Diuina gratia in se patratum ipsamet admirabilibus hisce verbis propo- nebat dicens: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis.* Hugo de sancto Victore hunc locum ponderat, vidensque quod B. Virgo in citatis hisce verbis dicat se flores simul cum fructibus conseruasse quærit. Qua ratione fieri potuit, quod cum Arbor fructu suo producto florem suum iam dudum perdiderit, sacratissima tamen Deipara vno eodemque tempore quo fructum parturiuerat simul quoque florem suum conseruare potuerit? Et respondet: *Hic fructus est solus, qui matri suæ florem non abstulit, sed conseruauit ac Venustauit.* q. d. Tametsi verum sit quod nec Arbor producto fructu florem conseruet, nec mulier post partum virginalem conseruet candorem, Natura enim donorum suorum tenax & auara, vix vnum concessit, cum ecce mox alterum denegat. Quia tamen in B. Virginis partu gratia omnia fecit, procul ab eo remota natura, ideo ineffabili quodam miraculo factum est, vt vno eodemque tempore, quo fructu cumulata erat Paradisi, virginalis quoque integritatis flore videretur conspicua.

Eccles. 24. v. 23.

Hugo de S. Victore ser. 55.

8. Etenim certum est Virgam Aaronis (quæ posita in sanctuario absque eo quod plantaretur & rigaretur in terra, non solum frondibus & floribus miraculose decora, sed etiam dulcissimis amygdalis fuit plena) figuram fuisse Deiparæ Virginis. *Virga ista* inquit sanctus Ildephonsus: *Est virgo Maria, quæ neque sata, neque radicata, sine vllo cultore nobis Deum generauit & hominem Christum.* Nonnulli Doctores quærunt ex qua arboris specie virga ista quæ amygdalos protulit decerpta fuerit? Quorum aliqui videntes virgam istam produxisse amygdalos, amygdalam quoque arborem fuisse existimant, arbores enim, vt incarnata dicit Sapientia, à suis cognosci fructibus debent: *à fructibus eorum cognoscetis eos.* Abulensis autem opinatur ex alio quodam arboris genere fuisse auulsam, vt miraculum istud hac ratione tanto esset maius atque illustrius: *Cum fructibus alterius generis produceret.* Cum itaque gloriosissima Virgo Virgæ Aaroniæ symbolo declarata fuerit, eandem de illa quæstionem merito excitabimus, quam de virga prædicta sciscitarunt Doctores scripturæ interpretes, & dicemus: Cuiusnam naturæ fuit B. Virgo, quæ Dei nobis peperit filium? Nonnulli ipsam filium Dei parientem videntes, ipsam existimarunt esse Deam, ipsamque veluti Deam quandam sacrificii obseruant, & vt mox dicturi sumus, adorabant, credentes arborem eiusdem prorsus cum fructu suo conditionis & Naturæ esse. At vero hi grauiter hallucinantur, tametsi enim vera Dei mater esset mulier tamen & non Dea aliqua fuit, quod autem ipsa quæ Dea non erat, Deum tamen nobis pepererit, id accidit, quia in illa generatione Natura non interuenit, cuius virtute vnumquodque *generat sibi simile*, sed Diuina gratia, quæ ipsam partum longe sibi dissimillimum parere fecit.

S. Ildeph. ser. 6. de Assumpt.

Matth. 7. v. 20.

Tostat. apud Io. Lor. in c. 7. Nu.

9 Vnde S. Epiphanius idemmet arcanum mysterium attendens, inquit: *Virgo est Lilium immaculatum, quæ rosam immarcescibilem genuit Christum.* Quibus in verbis eadem reincidit quæstio. Cum enim ipsa

S. Epiphan de laud. B. Virg.

ipsa Epiphanio teste Lilium quoddam fuerit, Lilia autem non rosas producant sed lilia, cur sanctus Doctor illam germinasse asserit rosam? *Rosam immarcescibilem genuit Christum.* Enimuero nihil dici poterat melius, ipsa namque eum nobis genuit, cuius Naturæ consors non erat. Genuit Deum, cum Dea non esset sed mulier. Quod cum seruato Naturæ ordine fieri non possit, affirmandum vtique erit, Naturam in rebus ad Matrem Dei spectantibus, manum suam nunquam applicuisse, sed gratiam Diuinã, quæ vnica tum huius tum aliorum tot stupẽdorum prodigiorum artifex extitit: *Rosam immarcescibilem genuit Christum.*

10. Postquam sanctissima Virgo ex S. Zachariæ domo facta est redux, S. Iosephus castissimus eius sponsus vteri Virginei grauiditatem aduertis, eamque vt S. Matthæus refert opera spiritus sancti factam intellexit: *Inuenta est in vtero habens de spiritu sancto.* Verum qua ratione Ioseph Diuinum illud mysterium assequi, eamque spiritus sancti opera grauidatam iudicare potuit, & non potius id opera humana factum esse dixit, sicuti in simili casu, de qualibet alia muliere opus erat concludere? Respondet Author operis imperfecti: *Inueniebat in ea omnia admiranda, quæ sine spiritu sancto impossibile erat esse in Natura humana; Et magis credebat castitati eius quam vtero eius, & plus gratiæ, quam Naturæ.* q.d. Quia sanctissimus Virginis sponsus per continuam experientiam propriis oculis cognouerat, omnes actiones, verba & motus sponsæ suæ adeo esse admirabiles & stupendos, vt absque intercedente spiritus sancti opera in nulla vspiam notari possent mortali Creatura, ideo exinde grauedinem sponsæ suæ opus esse spiritus sancti arguendo conclusit. Vnde tametsi vterum eius fœcundatum atque prægnantem esse conspexerit, hoc tamen nequaquam opus Naturæ esse æstimare voluit, vtpote quæ nullam in rebus ad eam spectantibus partem habet, sed diuinæ gratiæ, quæ vnica actionum & negotiorum suorum magistra erat: *Magis credebat castitati eius, quam vtero eius, plus gratiæ quam Naturæ.* Merito igitur *Filia Syon* nominatur, id est, *filia siccitatis*, filia S. Annæ sterilis, quæ idem significat quod

Matth. 1. v. 18.

Auct. oper. Imperf. Hom. 1.

gratia, siquidem cuncta ad illam spectantia à Diuina gratia facta fuerunt, atque completa. *Exulta satis filia Syon.*

CONSIDERATIO II.

Filia Syon.

Qui, quis Beatam Virginem hic in terra adhuc constitutam considerasset, persuasum sibi omninò habere potuisset illam in cælo, & non in terra genitam fuisse, vtpote cuius gressus cælestes potius quam terreni erant.

S. Augustinus per Ciuitatem Syon, cuius Hebræi in Babylonia serui atque captiui, Dauide teste recordabantur: *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, cum recordaremur tui Syon*, vult Ciuitatem gloriæ cælestis intelligendam esse, cuius quilibet Christianus quantumuis virtuosus, quamdiu præsentis captiuitatis miseriis subiacet, memor esse, eandemque incessabiliter plangere debet. Quæ explicatio magis confirmatur aduertendo quod dictio illa *Syon* in latino sermone idem significet, quod *speculatio*. Quæ vti dicturi sumus, vnica est & quotidiana ciuium cælestium actio, qui infinitam Dei essentiam continuo vident & speculantur. Cum igitur Deipara Virgo Maria Filia Syon appelletur, insinuari videtur illam cælestis quoque gloriæ filiam esse. Atque ita merito appellanda venit, siquidem gressus & vestigia eius cælestia potius quam terrena erant. Vnde quisquis illam in terra adhuc existentem aspexisset, illam in cælo & non in terra genitam fuisse arbitrari potuisset.

Ps. 136. v. S. Aug. in

11. sanctus Ioannes in Apocalypsi refert se die quodam eleuatis in cælum oculis vidisse Ciuitatem Ierusalem opulenter à Deo veluti sponsam quandam vestitam & ornatam fuisse, quæ de cælo in terram ibi mansura descenderat: *Vidi sanctam Ciuitatem Ierusalem, nouam descendentem de cælo, à Deo paratam sicut sponsam, ornatam viro suo.*

Apoc. 21. v. 2.

suo. Quamnam Deus personam sub huius tam pulchræ atque elegantis ciuitatis symbolo significare prætendebat? Beatam Virginem Dei matrem & nostram Dominam, inquit S. Antoninus: *Hac est beatissima Virgo Maria, Ciuitas sancta.* Verū dicat aliquis cur Beata Virgo de Cælo in terram descendisse dicitur cum ipsa non solum in terra, non vero in cælo nata fuerit, verum etiam de terra in Cælum à Deo exaltata? Ratio cur id dicatur est, vt insinuetur, B. Virginis conditionem à conditione aliorum hominum tantum distare, quantum cælum distat à terra? Vnde tametsi in terra nata fuerit, & non in cælo, de cælo tamen in terram venisse dicitur: *Descendentem de cælo,* quia cum nihil habeat terreni, aut imperfecti, in Cælo non vero in terra nata fuisse videbatur, vnde postea in terram ibidem deinceps cōmoratura descenderit: *Descendētem de cælo.*

S. Anton. p. 4. tit. 15. cap. 5. §. 2.

2. S. Maximus dicit Manna fuisse expressam valdeque claram Deiparæ Virginis figuram, nam sicuti ex manna generabatur vermiculus, ita ex B. Virgine Incarnatum Dei Verbum natum fuit, quod per os Dauidis, nominatum est vermis: *Ego sum vermis & non homo.* Et subiungit merito Beatam Virginem sub hocce symbolo intelligi, eo quod haud secus ac manna munda, subtilis, splendida & suauis extiterit. Tandem vt symbolum istud B. Virgini magis magisque appropriet, concludit. *Quæ velut cælitus adueniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit.* quasi diceret: Sicuti Manna de Cælo descendens, populo Hebræo cibum quendam attulit, nouum & admirabilem, dulcedinem quandam & gustum in se habentem nunquam alias hactenus perceptum: Ita quoque Deipara haud secus ac si de cælo descēdisset, populo Christiano cibum attulit Paradisi, ipso manna longe delectabiliorem & dulciorem. Verū obseruandum est, quod non dicat ipsam vere de Cælo descendisse sed quasi descendisse; *Velut cælitus adueniens.* Vt insinuetur, quod licet genita & nata sit in terra, ob admirabiles tamen suas virtutes, non in terra sed in Cælo nata fuisse videntur, atque mannæ instar de Cælo in terram descendisse. *Velut cælitus adueniens.*

Ps. 21. v. 7.

S. Maximus Hom. dom. in Ramis palm.

3. Tradit S. Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus, Deum B. Virginem dum adhuc paruula esset, atque intra templi Hierosolymitani sancta sanctorum commoraretur, alicui Angelorum suorum, & fortasse S. Gabrieli custodi suo curam commisisse, vt ipsam Ambrosia cibarent atque nutrirent, qui proinde de cælo quotidie descendens, paropsidem hoc cibo refertum attulit, ipsamque summa cum reuerentia pauit: *Mansit autem de cætero in sanctis sanctorum, seu in templi penetralibus Ambrosiam nutrimentum per Angelos accipiens.* Quodnam cibi genus Ambrosia illa erat, qua tenera hæc Virguncula à S. Gabriele nutriebatur? Athenæus scribit Ambrosiam cibum esse adeo delectabilem & suauem, vt melle nouies dulcior sit. *Affirmant Ambrosiam ad mellis naturam nonoculam habere dulcedinem.* Vnde fit quod ob admirabilem suauitatem qua cibus hic præditus erat, antiqui, vt in Homero legitur, finxerint illum nusquam nisi in cælo tantum reperiri posse, ibidemque Deorum, fæliciumque Ciuium suorum mensæ duntaxat reseruatum esse. Sanctus enim Archiepiscopus insinuare volebat Gloriosam Virginem in templo commorantem cælesti cibo fuisse nutritam, atque ideo dicit ipsam Ambrosia ab Angelo sibi allata fuisse nutritam: *Ambrosia nutrimentum per Angelos accipiens.* Cum igitur cibus eius cibus fuerit cælestis, concludere inde oportet, ipsam cælestem potius, quam terrenam fuisse: *Nam ex his nutrimur, ex quibus constamus.*

S. Germa. apud Lippom. 11. No

Athena. lib. 2. c. 2.

4. S. Ildephonsus de Aaronis virga loquens, quærit: *Quid præsignabat virga illa Aaron, quæ in tabernaculo Domini posita tertia die inuenta est germinasse, iamq; dilatatis foliis eruperant flores, qui turgentibus gemmis in Amygdalas deformati sunt?* Et respondet Virgā illā significasse sanctissimam Deiparā *Virga illa sacra est Virgo Maria.* Cum igitur videamus Dei matrem sub arboris Amygdalæ symbolo intellectam & repræsentatā esse, operæ pretiū erit rationem inuestigare, ob quam sanctissima Virgo per huius arboris symbolum potius significetur, quam per arborem Oliuæ, Palmæ, Cypressi Platani, alias-

S. Ildeph. serm. 6. de Assumpt. B. V. Mariæ.

aliasque similes per quas in scriptura ipsa sæpe sæpius celebratur. Quam opportunè assignatam inuenio à Iacobo de Voragine Archiepiscopo Genuensi sequentibus verbis: *Sicut enim Amygdalus ante omnes arbores flores producit, sic & B. Virgo ante omnes mulieres votum virginitatis emisit.* Tametsi enim post eam plurimi homines vtriusque sexus ipsius exempla sequentes virginitatis florem illibatè seruare voueant, nullus tamen hominum ante ipsam id fecisse visus est. Cum igitur vita virginalis, vita sit potius cælestis quam terrena, vtpote quæ ex mente S. Ambrosij de cœlo descendit: *Quis neget hanc vitam fluxisse de cœlo?* Hinc mihi omnino persuadeo, quod quando mundus Dei matrem vidit hac noua virtute conspicuam, quæ huc vsque in cœlis duntaxat extitit, illam haud dubie cœli potius ciuem, quam terræ huius incolam æstimauerit.

Iacob. de Vorag. ser. 4. in marial.

S. Ambros. lib. 1. de virgin.

5. Porro certum est, lac quo B. Virgo Diuinum infantulum suum Iesum nutriebat, ipsi miraculose fuisse subministratum, atque de cœlo stillasse, iuxta id quod dicit Ecclesia: *Saluatorem seculorum, ipsum Regem Angelorum sola virgo lactabat vbere de cœlo pleno.* Et S. Bernardinus adiungit sacrum lac istud tantæ suauitatis extitisse, vt vna eiusdem stilla maiorem secum attulerit dulcedinem, quam omnes mundi totius & Paradisi terrestris fructus simul iuncti: *Cuius minima stilla prævalebat omnibus fructibus Paradisi terrestris & totius mundi.* Neque id cuipiam mirum videatur, cum enim liquor è cœlo Empyreo emanauerit, necessum erat, vt tanta consequenter suauitate esset imbutus. Verum enimuero scire percuperem causam ob quam Deus cœlestem hunc liquorem è Sanctissimæ Matris suæ pectore scaturire voluerit, cum potuerit efficere vt à matre sua ordinarium lac sicut ab alijs matribus diuino huic infantulo subministraretur. Ratio autem huius erit, tum quia Infans lactandus Deus erat, cui aliud lac propinari minimè conueniebat; tum etiam quia Deus innuere volebat, ipsam cælestem potius quam terrenam & mundanam creaturam esse. Lac enim eiusdem Naturæ est, cuius est illa ex cuius vberibus elicitur, sicut enim dum lac terrenum est, terrena quoque mater est, quæ illud subministrat, ita quoque cum lac cœleste est, mater quoque cœlestis sit oportet. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

S. Bernard. ser. 4. post Resur. art. 1. c. 2.

Matth. 7. v. 20.

6. Iacobus de Valentia super illa spiritus sancti verba: *Pulchra es amica mea & macula non est in te,* quibus in laudem sanctæ Ecclesiæ suæ confitetur atque commendat incredibilem illius pulchritudinem, eamque ita completam atque perfectā esse dicit, vt nullus in ea deprǽhendi possit næuus aut defectus, quo obscurari aut deturpari possit, pulchram quandam efformat ponderationem, & dicit: *Quomodo ista verba possunt verificari de tota Ecclesia sponsa Christi, cum à nobis videatur immunda, & sorde diuersorum peccatorum deturpata aut maculata? Ergo non est pulchra sine macula.* q.d. Tametsi verum sit quod Ecclesia sancta Dei multa habeat mēbra & partes sanctas & innocentes, multas tamen partes etiam habere videtur turpes, fœdas, multisque sceleribus coinquinatas, quæ magnam pulchritudinis suæ partē deturpant. Qui fit igitur quod spiritus sanctus illam adeo perfecte pulchram esse dicat, vt ne vel minima macula aut næuus deprǽhēdi possit, cum tamen tot defectus & maculas habeat? Et respōdet ex mente aliquorum: *Dicunt aliqui quod quandoque aliquid verificatur de aliquo ratione partis magis principalis; sicut mulier dicitur pulchra ratione vultus, licet habeat aliquas partes turpes latentes. Ita igitur tota Ecclesia dicitur tota pulchra sine macula ratione Virginis Mariæ quæ est principale membrum Ecclesiæ post Christum.* Quæque rara sua pulchritudine omnes aliorum defectus quos corpus suum mysticum habere potest, tegis & abscondit, ita vt non appareant; Atque ideo vocatur, pulchra sine vlla macula: *Pulchra es amica mea & macula non est in te.* Quodsi igitur sacratissima Virgo pulchritudine sua sanctæ Ecclesiæ corpus ex tot innumeris animabus compositū adeo exornat & venustat, vt tametsi illud multis in partibus sit defectuosum & coinquinatum, pulchrum nihilominus appelletur sine vllo defectu aut næuo quocunque, haud secus ac si reuera nullo esset defectu aut macula obnoxium, qualis ipsius pulchritudo & decor erit? Fortasse terrenus? Neutiquam profectò. Terrena namq; pulchritudo tantum lumen nō habet, vt hac se ratione dilatare possit atque

Cant. 4. v. 7.

Iacob. de Valent. in cap. 5. Cant.

que diffūdere. Dicere igitur oportet, cæleste esse, in cælis scilicet natam & non in terris.

7. Platonis doctrina est ab Alberto Magno relata, Formas conferri seu distribui iuxta meritum & dispositionem materiæ. *Secundum meritum Materiæ formæ dantur.* Verbi causa: Quia materia partus seu fætus alicuius mulieris nobilior est, materia fœtus à pecude concepti, ideo quoque nobilior est forma illa, quæ mulieris fœtui datur, quam ea quæ partui alicuius pecoris inseritur. Fœtui enim quem mulier concipit, datur anima & forma intellectualis: Pecorino vero fœtui sensitiua solum datur. Id quod in omnibus rebus alijs passim verificatur. Atque hinc fit, quod ad hoc vt qualitatem & meritum materiæ cognoscamus, necessum sit ad qualitatem & naturam formæ respicere, cui talis materia vnita est. Vnde cum Sanguis Deiparæ Virginis cum diuina essentia fuerit vnitus, postquam hic à verbo diuino pro sacratissimi corporis sui formatione fuit assumptus, cælestem & diuinum eius sanguinem esse concludere debemus, & consequenter affirmare, quod licet Beatissima Virgo in terris sit nata, tamen haud secus ac si terrena creatura non esset, cælestis sit, atque de cælis descenderit. Hoc Argumentum S. Augustinus in laudem sanctissimæ matris Dei formabat, quando dicebat: *Nobilitas matris ex Deitate prolis.* quasi dicere vellet: Cum partus Virginis cælestis fuerit & diuinus, opus consequenter erit dicere Matrem, cuius sanguine generatus est, cælestem quoque esse & diuinam, non vero terrenam aut mortalem, qualis exterius esse videbatur: *Nobilitas matris ex Deitate prolis.*

Plato apud Albert. Magn. de minoral li. 3. cap 7.

S. August. apud S. Thom. de sacram. Altar cap. 4.

8. Singularem merentur reflectionem verba illa Dauidis Psal. 44 vbi Dei nostri matrem condignis laudibus celebrans, ita dicit: *Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* Circa quem locum, vt nostro adaptetur & inseruiat proposito, aliud considerandum non habeo præterquam vestium fimbrias, quæ aureæ fuisse dicuntur: *In fimbrijs aureis.* Et quidem prima facie videri posset fimbrias illas aureas minimè fuisse, fimbriæ namque sunt pars extima siue vltima vestis, deorsum pendent, & terram attingunt, quæ proinde coinquinari & sordidari facile possunt, sicut reipsa sæpe maculantur & sordescunt, vnde potius luteæ dici debuissent, quam aureæ. *In fimbrijs aureis.* Cur igitur illas aureas esse dixit. Ratio istius a S. Antonino hisce verbis assignatur: *Totam enim incanduerat Diuinus amor vt nihil esset in ea, quod mundanus violaret affectus, & sic fimbriæ quæ sunt iuxta terram, non tangebant terram, sed aureæ, id est, liberæ ab omni mundano amore, operatione eius etiam circa corpus versante.* q. d. Quia fælicissima hæc nostra cæli Regina igni diuini amoris adeo erat immersa, vt mundanus affectus nullum ad eam contaminandam haberet locum, hinc fiebat, quod omnia opera sua etiam naturalia, atque ad res terrenas & corporeas pertinentia, aurea fuerint, id est pura, pretiosa & nulli terræ inquinamento obnoxia, tametsi illa in alijs sordida & luto conspersa inueniantur. Quid igitur de hac augustissima Domina nostra, quæ in terra existens, terrenum siue luteum nihil habebat, quæque cum alij in luto conuersantes à luto puri & immunes esse non possint, ipsa adusque vestimenti sui fimbrias purissimo auro circumdatas atque ornatas purissima erat, dicemus, nisi quod veluti cælestis quædam Creatura fuerit, quam non terra sed Cælum genuerit, indeque ad nos in terram demiserit? *Fimbriæ quæ sunt iuxta terram, non tangebant terram.*

Ps. 44. v. 14.

S. Antonin. p. 3. tit. 31. c. 4. §. 2.

9. Vult quoque idem S. Doctor quod quotiescunque admirabilis hæc Virgo in quauis occurrente occasione siue à S. Anna matre sua, siue à S. Iosepho Sponso suo, aut ab alia quauis familiari persona, interpellabatur, alijs per verba terrena & mundana respondere assuetis, ipsa semper responderit: *Deo gratias.* Qua responsione etiamnum hodie multæ deuotæ animæ, tum in claustris, tum foris extra claustra degentes ad imitationem Matris Dei vti solent. Sed rationem videamus ob quam ita responderit? *Vt & illud modicum tempus,* inquit S. Archiepiscopus: *non esset sine laude Dei.* In omnibus namque actionibus, cogitationibus & verbis suis, ad aliud nihil, quam ad laudandum & glorificandum Dominum suum attendebat, continuo erat sollicita, apertisque oculis prouida, ne ex ore suo verba aliqua emanarent, quibus non laudaretur Deus; neque momen-

Idem p. 4. tit. 15. c. 6. §. 2.

momentum elaberetur, in quo suus non glorificaretur creator: *Vt & illud modicum tempus non esset sine laude Dei.* Ex qua sancta consuetudine facile intelligi potest, quam verum sit, quod cæli potius ciuis & incola, quam mundi habitatrix censeri debeat. Siquidem haud secus ac cæli ciues, qui Diuinas laudes *Incessabili voce proclamant*, nunquam à Dei laudibus cessabat.

10. Enimuero ex quo cum S. Antonino in præsenti nobis sermo est, non dimittamus illũ, nisi audita prius ab ipso egregia quadam ponderatione, quã adhibet circa verba illa Beatissimæ Virginis Deiparæ, quibus Ecclesiastici c. 24. dicit: *Flores mei fructus honoris & honestatis.* Circa quẽ locũ ita discurrit, & dicit: Verba illa prima facie nõ cũ illo prudẽtiæ sensu disposita atq; ornata esse videntur, qui tã sapienti Dominæ, qualis est Deipara, cõuenit cum enim certũ sit flores nõ esse fructus, sed quidpiã à floribus omnino diuersũ & distinctum, cur igitur ipsa flores suos fructus esse expresse affirmat. *Flores mei fructus?* Verum postea rem istam melius considerãs, pulchrum quendam elicit conceptum, per quem egregiè Deiparam hic in terris commorantem Paradisi potius ciuem, quã terræ habitatricem fuisse ostendit, & dicit: *Flores sunt incheationes fructuum; vbi ergo in alijs sanctis virtutes sunt quasi flores, idest, imperfectæ & incompletæ, respectu virtutum patriæ; in ea fuerunt isti flores fructus, quia virtutes habuit, quasi ad modum patriæ aliquo modo.* q. d. Quia flores quoddam sunt fructus principium, & veluti fructus imperfecti, hinc sanctorum viatorũ virtutes significant, & hoc nomine appellãtur comparatæ cum virtutibus comprehensorum, quæ quia perfectæ sunt atque completæ, sunt veluti fructus: Cum igitur flores, idest, virtutes, quibus Diuina Virgo viatrix in terris existens, prædita erat, adeo fuerint admirabiliter completæ & perfectæ, vt non iam à persona mortali & terrena, sed ab anima quadam beata & glorificata, facta iam cæli ciue & incola videri possent elicita, fructus illos appellare voluit: *Flores mei fructus.* Neque enim in hoc mundo viuebat, veluti in hoc mundo nata, & terræ istius incola, sed veluti ciuis & incola cæli, quæ nata sit in Paradiso: *Flores mei fructus.*

S. Anton. ibid. ca. 26

11. Confirmat idem S. Doctor hunc suum conceptum verbis spiritus sancti Cant. 4. cap. de B. V. pronuntiatis: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatur; Emissiones tuæ Paradisus.* Quinam obsecro sunt rami isti, quærit sanctus Doctor, cuius emissiones Deus quendã æstimat Paradisum. Et mox dicit: *Emissiones dicuntur operationes, ex ventre mentis procedentes, istæ fuerunt Paradisus, quasi similes operibus eorum qui sunt in Paradiso, adeo perfectæ fuerunt.* q. d. Quia opera quæ foris videntur ex interiori animæ fundo procedere videntur, ideo *Emissiones* appellantur, quæ sicut in nobis mundanæ sunt & terrenæ, ita Paradisus erant in B. Virgine, hoc est, adeo videbantur munda esse atque perfecta, vt non à persona quadam mortali & viatrice, qualis ipsa vere erat, sed à Beata quadam & Paradisi incola patrata fuisse videri potuerint, & quasi nata fuisset in ipsa Beatorum gloria, indeque vt Diuinæ omnipotentiæ fieret spectaculum in hunc mundum descendisset: *Filia speculationis.*

Cant. 4. v. 12. S. Antonin. ibid.

CONSIDERATIO III.

Filia Syon.

Deipara Diuini quidpiam in se latere adeo ostendebat, vt nisi fidei vnum duntaxat Deum esse nos doceret, fideles illam haud secus ac Deam veram honorare & adorare potuissent.

AVgustissima cœlorum Regina Augustissimo Filiæ Dei titulo celebratur, *Filia Syon*, idest, *Filia numinis*, vt inde discamus, quod sicuti filij teste Aristotele Parentibus similes nascũtur. *Liberi similes parẽtibus procedũt*; ita quoq; Beatiss. Virgo præ omnibus à manu Dei procedẽtibus creaturis, Deo simillima existat. Vnde est quod tantũ in ipsa diuini eluxerit, vt Dea quædã esse videretur & nisi Fides vnicũ dũtaxat doceret Deũ esse, Christiani fideles ipsam veluti Deam vtique adorassent.

Aristot. lib. 1. de Gen. anim. c. 17

1. Beatus Petrus Damiani Cardinalis existimat thronũ Salomonis in scriptura adeo celebratum symbolũ esse Deiparæ Virginis:

Ipsa

S. Petr. Chr. de Nativ. B. V. MARIÆ. *Ipsa est thronus ille mirabilis de quo in Regnorum historia legitur Fecit Rex Salomon thronum.* Omniaque magni illius Throni ornamenta, ad inclytæ Virginis huius prærogatiuas & gratias sigillatim applicãdo, tandẽ ad throni huius amictũ, quo vniuersim tegebatur, descendit, qui ex auro erat purissimo. *Et vestiuit eum auro fuluo nimis.* Per quod diuinæ maternitatis intelligit honores, qui B. Virgini aureæ vestis loco erant. Sicut enim aurum primũ & summum inter omnia metalla locũ habet, ita admirabilis illa dignitas, primum & summũ inter omnes alios Virginis honores, qui puræ alicui creaturæ Dei concedi solent, locũ obtinet. Verũ dicat aliquis, quod si per hunc amictũ aureum intelligatur Diuina Virginis Maternitas, nunquid suffecisset dicere Deum ipsam vestiuisse ex auro, cur igitur additur ex auro fuluo nimis? *Et vestiuit eum auro fuluo nimis?* Nequaquam, inquit hic S. Doctor, id sufficiebat, sed oportebat quoque Epithetũ istud superaddi. Et rationem assignat: *Quia tali modo Deus virginẽ induit, vt meliori non posset.* Dignitas namque qua Deus B. Virginem in Incarnatione vnigeniti sui adornauit, tanta fuit, vt maiorem ex tota omnipotentia sua adijcere non potuerit, nam vti alibi diximus, Deus matrem aliquam maiorem & perfectiorem ipsa Dei matre facere nequit. *Vt meliori non posset* Quo in loco obseruandum, hic se primam Diuinæ similitudinis in B. Virgine rationem prodere. Sicut enim Deus ita est perfectus & conspicuus, vt nihil ipsi superaddi possit, quod ipsum magis perficiat aut spectabiliorem reddat. Ita neque perfectioni virginis, quoad Diuinæ maternitatis gradũ, quicquã adijci potest quod maiorem subinferat perfectionem. Vnde ob hunc honorẽ haud secus ac Dea quædam omnibus supereminet. *Quia tali modo Deus Virginem induit, vt meliori non posset.*

2. Albertus Magnus rationem indagat ob quam sancta Ecclesia Deiparam Reginam appellet misericordiæ. *Salue Regina Mater misericordiæ* non vero Reginam gratiæ, aut gloriæ. Videtur enim quod cum idem Dominium habeat super regnum gratiæ & gloriæ, quod obtinet super Regno misericordiæ, Reginam quoque gratiæ & gloriæ appellandam fuisse. Et respondet neminem quidem hucusque dubitasse quin Dei mater completum super omnia Dei regna Dominium obtineat, tam gratiæ & gloriæ, quam etiam misericordiæ, vocari tamen peculiater Reginam misericordiæ, ad manifestandam Regni sui amplitudinem. Nam si Ecclesia illam nominasset Reginam gloriæ, credi potuisset ipsam solum esse cœlorum Reginam, vtpote intra quos beatorum exercetur gloria. Item si ipsam appellasset Reginam gratiæ, Regnum ipsius vltra mundum & Purgatoriũ non se protendisset, extra quæ loca Diuina gratia, in quantum disponit ad gloriam locum non habet: At vero dum illam misericordiæ Reginam vocat, ostenditur perspicue nullum in toto vniuerso locum esse ad quem ingens potestasque sceptrum illius non extendatur, nullus enim locus reperiri potest quaquauersum mente recogites, vbi Diuina misericordia perspicue non elucescat, vtpote quæ in cœlo in terra, in Purgatorio, imo in ipso quoque Inferno reperitur. *Gloria est in cœlo, non in terra, non in Inferno, non in Purgatorio: Misericordia autem est in cœlo, in terra, in Inferno & in purgatorio. Ergo maximum Regnum est misericordia, debet ergo dici Regina misericordia,* inquit Albertus Magnus. Cum ergo actuale Regnum & Dominium supra cœlum, terram, Purgatorium & Infernum ad nullum præterquam ad Deum pertineat, clare videtur quod cum huius potentissimæ Reginæ sceptrum super eadem loca extendatur illam veluti Deam quandam esse, vtpote quæ particularem aliquam in se exhibeat cum Deo similitudinem, nulli alteri creaturæ terrenæ hactenus concessam neque concedendam. *Alber. Magn. super missus est c. 195.*

3. Audite quid Deipara Virgo de admirabili sua in regno gloriæ exaltatione dicat. *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano.* Per Libanum, inquit S. Antoninus intelligendus est Paradisus. *Libanus* enim in sermone latino significat *candorem* siue *candidationem*, quæ glorioso huic Regno propria est, vbi in fœlicibus suis incolis, præter candorem & conscientiæ puritatem nihil conspicitur. Atque ideo teste S. Ioanne Euangelista spiritus Beati albis vestiuntur indumentis. *Amicti sunt stolis albis.* Per cedrum autem *Eccles. 24. v. 17.* *Apoc. 7. v. 9.*

autem Diuina Maiestas intelligitur, quæ haud secus ac Cedrus quædam omnibus arboribus supereminet, ita super omnes sanctos & Angelos verticem suum extollit. Hoc præsupposito sanctus Archiepiscopus concludit: *In ista ergo libano gloria exaltata est Beata Virgo, non vt Cedrus qua est Christus, sed quasi Cedrus, quia super omnes Angelos & sanctos est eleuata.* q. d. B. Virgo in alto montis gloriæ libano exaltata fuit, ipsamet id affirmante quasi Cedrus, non quod sit vera Cedrus. idest, Dea per Naturã & essentiam, eo modo quo filius, sed quasi Cedrus, id est, quasi Dea quædam. *Non vt Cedrus qua est IESVS, sed quasi Cedrus.* Sicut enim Deus in cælo tremendum caput suum super omnes Angelos & sanctos extollit, ita ipsa talem in cælis locum obtinet, vbi omnes spiritus beatos sub se constituros esse prospicit. *Quia super omnes Angelos & sanctos est eleuata.*

S. Antonin ibid. cap. 45. § 3.

4. Pro huius conceptus confirmatione, eadem sacratissima Deipara eodem loco se radices suas in loco honorificato extendisse affirmat: *Radicaui in populo honorificato.* Per populum honorificatum idem Doctor Paradisi ciues intelligendos esse existimat, quæ verioribus excellentioribusque fruuntur honoribus quos Deus concedere possit, super quem populum B. Virgo posita & superexaltata fuit. Verum cur dicit, radicaui, & non potius exaltata sum, vti superius dicebat? Ratio est, quia summam sedis suæ altitudinem innuere voluit, quæ tanta est, quasi sedi ipsiusmet Dei æqualis esset. Quia vt S. Archiepiscopus inquit: *Radix est principium arboris: imaginemur ergo summitatem perfectionis gloria beatorum esse in Seraphin ordine supremo, ibi incipit perfectio gratia & gloria Virginis.* Vult dicere: sicut arboris altitudo suum à radice in terra fundata principium accipit, eaque deinde relicta in altum & cælum versus se extendit. Ita radix, idest, principium gloriæ matris Dei superat altitudinem gloriæ beatorum spirituum, id est Seraphinos, qui sublimiorem inter cælites locum obtinent, superat, eosdemque admirabili cum distantia subtus se relinquit. Quis obsecro verba ista ex ipsiusmet Beatæ Virginis ore audiens non dicat illam significare voluisse, sedem suam quasi sedem Dei exaltatam fuisse, quasi ipsa quoque Dea quædam esset. Nam ex mente Dauidis Prophetæ post sedem Dei nullus potest dari locus sublimior qui Seraphinos superexcedat. Dicit enim *sedes super Cherubin*, non dicit *in Cherubin*, sed *super Cherubin* Id est, sedes in Seraphinis, qui suum super Cherubin locum habent, Seraphin enim Deo sedis loco inseruiunt super qua exaltatus conspicitur.

Eccles. 24. v. 16. — *Antonin. ibid. cap. 45. § 5.* — *Ps. 98. v. 1.*

5. Vnum ex ijs quæ in sacræ scripturæ lectione maxima admiratione digna occurrunt, est quod Deus homo factus Virginis Matris suæ subdere se voluerit Dominio & gubernationi, dicente S. Luca: *Et erat subditus illis* Tametsi enim negari nequeat, rem valde prodigiosam, & magnam fuisse, quod sol Iosue diuini Exercitus Capitaneo obediuerit: hæc tamen obedientia, in comparatione ad eam, qua Solis conditor & Dominus ancillæ suæ se subdit imperio, nihili æstimari meretur. Verum ecquid Deum incarnatum permouit, quærit S. Bernardinus Senensis, vt imperio matris suæ se subijcere voluerit? Motiuum autem istud ipsemet hisce verbis exponit dicens: *Ille enim qui filius Dei est & virginis benedictæ, volens, vt ita dicam, paterno principatui æquiparare maternum, ipse qui Deus erat famulabatur in terra.* Quasi diceret: Mater Dei omnibus illis tanquam Regina & Domina principatur, circa quos ipsum quoque Dei regnum extenditur, vnde si verbum incarnatum, quod in quantum homo Deo subditum erat, virginis quoque simul non subiacuisset imperio, Regnum & principatur Dei amplior & maior fuisset principatu B. Virginis, Deus enim imperasset Christo, cui B. Virgo imperare in tali casu non potuisset. Regnum igitur matris, patris sui regno æquiparare volens, ne aliqua eos inter esset differẽtia, matri quoque subijci voluit, sicuti Patri subditus erat. Ad hoc vt nihil reperiri in toto vniuerso posset, quod eius, veluti Deæ cuiusdam, subiectum non esset imperio. *Ipse qui Deus erat Matri famulabatur in terra.*

Lu. 2. v. 51 — *S. Bern. ser. 66. art. 1. c. 6.*

6. S. Ioannes vti multoties diximus, in Apocalypsi Dei matrem stellis ornatam vidit & coronatam: *In capite eius corona stellarum.* Per quas intelligendi sunt Angeli gloriæ cælestis, illi enim haud secus ac stellæ, à sole, à Deo summo sole gloriæ lumen recipiunt. Quod equidem optimè dicitur. Verum

Apoc. 12. v. 1.

rum quid facturi Angeli matrem Domini sui circumdabant? Respondere mihi poteritis coronabant, ornabant honorabant illam, suoque cælesti lumine eandem illustrabant. Verum erratis, dicit S. Bernardus, non enim illam circumstabant vt ornatum atque splēdorem illi conferrent, sed potius vt eundem ab illa recipientes illustrarentur & ornarētur: *Dignum plane stellis ornari caput, quod & ipsis longe clarius micans ornet potius, quam ornetur ab eis.* Vnde Deipara Mariæ nomine insignita fuit, quod idem est quod illuminatrix; dicit enim Seraphicus Pater S. Bonauentura; *Est illuminatrix Angelicis spiritibus.* Cum igitur Angelorum illuminatio ad solum Deum pertineat, tanquam ad summum solem, qui stellas cælestis gloriæ, idest Angelos beatifico lumine adornat, quid de B. Virgine aliud dicemus, videntes, quod Angeli ab ipsa quoque lumen & splendorem suum accipiunt & mutuantur, nisi quod sit veluti Deus quidam, siquidem Angeli ab ipsa quasi à Deo lumen suum accipiant.

S. Bern. sup sign magn.

S. Bonau. in spec. vir. c. 3

7. Verba illa quæ Angeli cæterique spiritus beati Cant. cap. 6. Deiparæ Virgini dicunt: *Reuertere reuertere Sunamitis.* Petrus Damianus illi post Assumptionem sui in cælū vult esse dicta. Vnde illam *Sunamitidem* appellant, quod idem significat, quod *mortificata*, eo quod morte mediante ex hac vita in alteram beatæ gloriæ vitam translata esset. Verum enimuero disquiramus nonnihil, quidnam hac sua petitione prætendant. *Vt intueamur te.* q. d. Hoc solum petimus, vt vultum suum nobis ostendat, vt illum videre, frui illo, & in eo beatificari possimus. At vero qua ratione B. Virgo beatorum in cælo spiritus beare poterit, cum Deus ipse solum sit beatitudinis suæ obiectum? Respondeo, quod licet verum sit quod primarium & principale Beatitudinis obiectū sit Deus, vtpote cuius faciei aspectus & visio sola est bonum illud, quod beatificare potest Angelos & sanctos. Neque in vniuerso mundo siue Angelus, siue Homo, siue aliud quodcunque inueniri possit, quod beatificare poscit homines & Angelos. *Quia*, inquit Doctor Angelicus, *non est bonum vniuersale quietans appetitum hominis, sed solus Deus qui est omne bonum.* Attamen Angeli cæterique sancti post Deum ipsam

Cant. 6. v. 12.

S. Thom, 1. 2. q. 2. ar. 8

quoq; Dei matrem quasi secundarium beatitudinis suæ obiectum aspicere desiderant. Vnde B. Cardinalis illam hoc modo alloquitur: *Summa gloria est post Deū te videre, adhærerere tibi, & in tua protectionis munimine roborari*; Et S. Bernardinus, de festo Assumptionis loquens dicit: *Quilibet cælicus ordo latatur, quia in B. Virgine reperit aliquid gloria speciale.* Quod si igitur Angeli beati absque sancti post visionem Dei Deiparæ quoque Virginis aspectum veluti gloriæ suæ obiectum habent, affirmare oportet illam quoque Deo in cælis similem & quasi Deam quandam esse, cum certissimum sit cæli incolas nihil præter Deum beatificare posse.

Petr. Damia.

S. Bern. de Assumpt. to. 3 ser. 12. art. 1. c. 2.

8. Attendatis velim ad eum loquendi modum, quo Deiparam spiritus sanctus in Canticis alloquitur: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno crine colli tui* q. d. Dulcissima soror, sponsa chatissima, experior in me quod per vnum capillorum tuorum, veluti per amabile fulmen quoddam cor meum vulneraueris. Estque obseruandum quod non dicat: *In vno crine capitis tui*. Sed *Colli tui* Et quantum ego quidem intelligo hic loquendi modus prima facie valde mihi videtur inconueniens, sicuti enim natura capiti comas indulsit, sic easdem collo negauit. Vnde capilli non in collo, sed in capite nascuntur & prodeunt. Vnde potius videbatur dicendum, vulnerasti cor meum in vno crine capitis, quam *In vno crine colli tui.* At vero cum à verbis spiritus sancti discedere nequaquam conueniat, dicendum omnino est, Beatam Virginem cor Diuinum in vno crine colli, non vero in crine capitis vulnerasse: Insuper affirmare oportet illam habuisse corpus sine capite, atque ideo Capillos istos qui capite eius, sicut & aliorum hominum qui habent caput, nasci debebāt, in collo illi natos fuisse. Erat igitur similis monstrosis illis hominibus, qui in Indijs videntur: *Qui sunt absque capite, quibus oculi sunt in humeris, pro naso & ore duo foramina habent in pectore*, teste S. Anselmo id referente. Et profecto ex quo B. Virgo capite destituta erat, opus est dicere ipsam prorsus monstrosam extitisse, id quod S. Ignatius Martyr confirmat qui illam *Cæleste prodigium & sacratissimum monstrum appellat.*

Cant. 4. v. 9.

S. Ansel. de imag. mundi lib. 1. cap.

S. Ignatius Martyr.

pellat. Adeo vt spiritus sanctus dicens illi: *Vulnerasti cor meum in vno crine colli tui,* quasi subiungere voluit, inquit Rupertus Abbas: *Caput non habentis, id est virum.* q d. Nolite timere, sed absque vlla formidine audacter asserite Dei matrem sacratissimum quoddā monstrum esse, nam cum aliæ Matres caput idest maritum suum habeant, cuius opera filios suos generant, ipsa econtra filium habens caput siue maritum non habebat. *Nutriebatur filius,* inquit Chrysippus Presbyter *Et non inueniebatur Pater. Ager fructum edebat, & fructus carebat cultore; messem reddebat, quæ semen non receperat.* Atque ideo opus est affirmare B. Virginem in terra quasi Deum in cælo fuisse, cum enim Deus in cælo sine matre filium habeat ipsa quoque in terra filium habuit, absque eo quod quispiam qui Pater sit reperiri vspiam valeat. *Non inueniebatur Pater.*

Rup. Ab. li. 3. c. 4. in Cant.

Chrysip. presb ser. 1. de laud. B. M.

8. Hinc est quod cum tot participatæ Diuinitatis signa in Deipara appareant, Christani fideles illam vtique veluti Deam quandam adorassent, nisi à fidei lumine vnū solum Deum esse conuicti fuissent. Dauid Propheta de Sanctissima Dei matre loquens illam Tabernaculum & locum Dei appellare voluerit. *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.* Et merito, inquit Hugo Cardinalis quia *Fuit Dei tabernaculum in ipsa incarnatione, & locus pedum eius, idest, Diuinitatis & Humanitatis.* Vnde S. Cyrillus augustissimam hanc Dominam nostram hisce verbis salutat: *Salue templum insolubile, locus eius, qui loco capi nequit.* Quod cum verissimum sit, sciendū est, locum nec maiorem, nec minorem esse locato: *Locum neque maiorem esse, neque minorem locato.* Vnde cum B Virgo locus sit Dei, nec maior, nec minor ipso Deo esse debebat, debebat igitur æqualis esse Deo, & quasi alia quædam Dea. Vnde colligitur homines ob admirabilem hanc Dignitatem B. Virgini concessam grauissime hallucinaturos fuisse, nisi fidei lumine præditi fuissent qua contrarium facere docebantur.

Ps. 131. v. 7.

Hugo Car. ibid.

S. Cyril hō. contra Nestor.

Arist. 2. Phys. cap. 6

10. Lumen istud in intellectu Hæreticorum quorundam, qui Collyridiani dicebantur, obscuratum fuit, qui Deiparam veluti veram quandam Deam adorabant, quos hisce verbis repræhendit & corrigit S Epiphanius: *Et si pulcherrima est Maria, sancta, & honorata, at non adoranda Maria in honore sicut Deus adoretur.* Neque idipsum mirum videatur, nam prouti idem sanctus Doctor refert, quia Pharaonis filia Moysen Dei seruum enutrierat, ideo ab AEgyptijs tantopere fuit honorata & celebrata, vt ipsam veluti Deam quandam coluerint: *Quia honorauit, sustulit, atque educauit seruum Dei Moysen propter celebritatem pueri vltra decorum honorauerunt Ægyptij pro Dea.* Quid igitur facturi erant homines, qui Christanæ fidei lumine destituti audiebant B. Virginem genuisse, peperisse, educasse, nutriuisse, non quendam Dei seruum, qualis Moyses erat, sed verum & naturalem Dei vnigenitum.

S Epiphan. lib 3. Hæres. 79.

Ibid. Hæres 58.

11. In eundem prorsus errorem Diuinus ille Dionysius Areopagita lapsus fuisset, quando sacratissimum hocce prodigium primitus coram videre meruit, nisi discursus naturalis, & Christi fides ipsum secus facere docuissent, videlicet vnum duntaxat Deum esse, cui soli vera debeatur adoratio, & non alteri; vnde dixit: *Nisi ex ratione naturali & fide nouissem esse altam Deitatem, non putarem præter hanc esse aliam.* Certum itaque est hanc augustissimam cæli Reginam participatam Diuinitatem adeo in se prodidisse, quod nisi fides secus doceret, ipsi quoq; fideles veluti Deam ipsam adorassent. Ipsa namque tanquam vera filia Syon, *Filia numinis,* magno Patri suo se prorsus similem esse demonstrauit.

S. Dion. Ariop. apu Canis. de Deipara l 5, 6, 1.

SERMO XL.

In Dominicam Palmarum.

Cum appropinquasset IESVS Ierosolymis.

Matth. 21. cap.

TAmetsi Dauidi compertum satis esset, Christum Dominum nostrum adeo magnum atque potentem esse Regem, vt sub amplissimo imperio suo omnia Regna mundi omnesque thesaurorum mundi contineat Diuitias, Deo tamen non à similibus rebus, sed potius à virtutibus nomen imponere voluit dicens: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Sciebat enim virtutes, non vero mundana & caduca bona terræ huius vera & realia bona æstimanda esse. Id quod in solemni ingressu Christi Domini in vrbem Ierosolymorum perspicuè verificatum videtur. Cum enim alij huius mundi magnates in consimilibus spectaculis, inanes instituere soleant superbarum diuitiarum suarum ostentationes, Christus Dominus noster aliud nihil publice spectandum proposuit, præterquam solas virtutes. Ex his autem benignitatem inprimis exhibuit, dum pro imminentis festi concelebratione condigna duo iumenta peccatorum pœnitentium vera symbola sibi necessaria esse declarauit dicens: *Dominus hic opus habet.* Significans sibi aliud festum siue gaudium non esse, quam pænitentiam nostram, nostorumque peccatorũ absolutionem. Præterea paupertatem ostentauit, dum vilibus inequitat animalibus, humilibus lacerisque pauperculorum discipulorum suorum vestimentis adornatis. Vltimo denique liberalitatẽ ostendit, dum turbis illum comitantibus & vtrimque stipantibus cæli palmam admirabili cum facilitate donat; priusquam scilicet illam ipsi exposcerent, & dicerent: *O Sanna,* hoc est, *Salua nos in excelsis.* Et primo quidem sequẽti consideratione de Benignitate agamus.

Ps. 23. v. 10

CONSIDERATIO I.

Dominus his opus habet.

Nunquam Deus tantum gaudium exhibet, omnesque Creaturas vt secum congaudeant inuitat, sicuti facit dum nos de peccatis nostris dolemus.

CHristus Dominus noster duobus discipulis suis præcipiens, vt duo illa animalia sibi pro apparatu imminentis festi necessaria solutum abirent, dicentes: *Dominus his opus habet.* Pœnitentiæ Sacramentum significare voluit, in quo peccatores veluti totidẽ animalia per Apostolicam authoritatem à funibus illis exsoluuntur & liberantur, de quibus Dauid priusquam pœniteret, dicebat: *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* 118. v. 61.
Qua in re admirabilis sua erga nos nostramque salutem pietas demonstratur. Suaque festa & gaudia solius pænitentiæ nostræ tempore celebrari, ac sine illa nihil sibi festiuum esse declarat. Idque clarum est & euidens; gaudium enim quo ex nostra emendatione perfunditur tam est ingẽs vt nunquam adeo vehementer gaudere, omnesque creaturas ad simul secum congauden-

gaudendum inuitare videatur, vti tempore Pœnitentiæ nostræ ab illo fieri videmus.

1. Numerorum cap. 28. vbi nos legimus: *Oblationem meam & panes, & incensum odoris suauissimi offerte per tempora sua:* Origenes ita vertit: *Munera mea, data mea, oblationes meas in odorem suauitatis obseruabitis offerre mihi in solemnitatibus meis.* Sunt verba à Deo ad Moysen eo fine dicta, vt eadem populo suo proponeret quasi dixisset: Tui muneris erit populum hunc commonefacere, vt quotiescunque festum aliquod recurrit, meminerint obligatos se esse, vt ad me veniant onusti donis & oblationibus, mihi simul de solemnitate quam celebro congratulaturi. At vero quænam erant hæc festa, quibus celebrandis occupabatur Deus? Forte festũ Tabernaculorum, Paschatis, Penthecostes, aut vero aliud simile per totius anni decursum ab Hebræis celebratum? Quantum mihi quidem constat, de nullo ex memoratis hisce festis Deus loquitur. Deus enim festa illa, de quibus hic sermo est, sua festa appellat: *In solemnitatibus meis.* Festum autem Paschæ, Penthecostes, aliaque similia quæ Hebræi celebrabant, non erant festa Dei, Deus enim in illis non solum non adorabatur, aut laudabatur, verum insuper contemnebatur & offendebatur vnde illa abhorrebat & detestabatur, neque illa iudicabat festa sua, sed illorum potius qui illa continuis dissolutionibus suis deturpauerant & prophanauerant, prouti ipsemet Deus Hebræis per os Isaiæ prophetæ exprobrabat dicens: *Calendas vestras & solemnitates vestras odiuit anima mea.* Vnde Origenes vult per festa illa seu solemnitates Dei, illos intelligendos esse dies, in quibus peccatores imperfectiones suas recognoscentes, eas plangunt & deplorant, earumque veniam ac remissionem à Deo exposcunt. Tunc enim solus Deus festiua gaudia celebrat: *Ego puto quod per singulos quosque credentium, qui conuertuntur ad Deum, qui proficiunt in fide, festiuitas oritur Domini, est enim ei magna festiuitas nostra salus.*

Num 28. v. 2.

Isa. 1. v. 14

Orig. Hom 23. in Nu.

2 Dauid Propheta certi cuiusdam peccatoris qui tempore præterito totus mundi ac Dæmonis seruitio consecratus fuerat, pænitentiã Deo significare volens dicebat: *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* q. d. Tametsi ô Domine peruersus homo iste tempore vitæ suæ iam præterito in sui tuique aduersarij manibus semper permanserit, deinceps tamen quicquid sibi vitæ reliquum erit tibi consecrabit, vitamque suam, conuersationem & mores mutando suasque culpas deflendo Maiestati tuæ magnam adparabit solemnitatem. Ita hunc locum Rupertus Abbas explicat: *Si primitiuæ cogitationes infestæ fuerunt, reliquiæ eius per pænitentiam & confessionem diem festum agent tibi.* Optime enim S. Prophetæ nota erant festiua illa gaudia, quæ Deus facere solet in die illa, qua peccator vitam & conuersationem suam emendat & corrigit, transgressiones commissas deflet & lachrymis diluit, earundemque à Diuina pietate postulat remissionem. Atque ideo Pænitentiam Dei festum nominare voluit, Deus enim nullo alio quam illo dũtaxat festiua celebrare gaudia solet: *Per Pænitentiam & Confessionem diem festum agent tibi.*

Ps. 75. v. 11

Rup. Ab. lib. 1. cap. 5. in li. Reg.

3. S. Matthæus postquam ab incarnata sapientia vocatus, atque in valde familiarium discipulorum suorum numerum receptus fuit, vt S. Lucas scribit solemne conuiuium Christo instruxit: *Fecit ei conuiuiũ magnum Leui in domo sua.* Cum autem conuiuium illud magnum appelletur, *Conuiuium magnum*, opus est, vt in die aliquo festiuo institutum fuerit, tunc enim conuiuia eiusmodi institui solent, necnon haud mediocribus sumptibus, magnificum sumptuosumque apparatum fecerit, adeo vt exquisitissimis cibis & ferculis, quæ in principalioribus anni solemnitatibus magnatum mundanorum conuiuiis inferri solent, mensæ onustæ fuerint. Verum magnopere erratis, inquit Paulus de Palatio, non enim Conuiuiũ istud ratione ciborum & sumptuũ adhibitorum magnum vocatur, sed ratione conuiuarum, hi enim fuerunt, integer quidam publicanorũ aliorumque peccatorum conuersorum & pænitentium manipulus. Subiungit enim Euangelista: *Et erat turba multa publicanorũ & aliorum qui cum illis erant.* Vnde dicit hic Doctor: *Grande conuiuium fuit, quia fuere publicani Conuiuæ.* Nullum

Lu. 5. v. 29.

Paul. de palac. in S. Matth.

Nullum cibum lautiorem Christo appones, quã Publicanos, si conuertantur. q. d. Quia Christus in die illa tot homines malos & peccatores ad Pœnitentiam reduxerat, magnum illi conuiuium præparatum esse dicitur, tanquam magnum quoddam festum siue solemne gaudium celebranti. Nunquam enim Deus tantum instituere festum aut iucundari, nec cibos capere solet delicatiores, quam dũ homines à peccatis suis soluit, eosdemque in statum salutis reponit: *Nullum cibum lautiorem Christo appones, quam Publicanos, si conuertantur.*

4. Inuitauerat quondam sponsa Diuina filias Ierusalem ad videndum Christũ Dominum corona quadam redimitum quo Mater sua illum in die nuptiarum & in die lætitiæ cordis sui coronauerat: *Egredimini & videte Filiæ Syon Regem Salomonem in diademate quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Aponius antiquus scriptor dicit, hunc diem fuisse illum in quo Maria Magdalena sua defleuit peccata. Zachæus ea quæ iniuste cõquisierat, restituit: Matthæus telonium deseruit, & bonus latro sua scelera defleuit, & Paradisum obtinuit: *Cordis vtique erat lætitia dies Domini Christi, quando meretrix lachrymas fundendo, Raptor quadrupium malè direpta restituendo, Publicanus relicto telonio, præsentibus lucris contemptis Christum sequendo; latro vociferando Regnum Cælorum à se alienum peruasisse monstratur.* Qui dies vocatur dies Coronationis & desponsationis, ac dies lætitiæ, cordis Christi, ad insinuandum quod gaudium & festiuus Christi iubilus, quem concipit, dum peccatorem aliquem contritum & delicta sua deplorantem ad sanctos pedes suos prostratum cernit, adeo excessiue fit magnum, vt nouum aliquod Regnum sibi acquisiuisse, aut desideratas celebrare nuptias, aut delitiis hactenus nunquam expertis frui & gaudere sibi videatur. *In die lætitiæ cordis eius.*

Cantic. 3. v. 11.

Aponius lib. 5. ibid.

5. Christus Matthæi cap. 6. deuoto cuiuis Christiano præcipit, vt ieiunaturus pretiosa sibi vnguenta compareт, caputque suum eodem iungat: *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum.* Quantumuis præceptum istud prima quidem facie extra propositum esse videatur, siquidem vnguenta cum ieiunio nihil commune habeant, nec odores cum mortificatione bene conueniunt, nec bene combinantur delitiæ cum pœnitentia, attamen si præcepti vim bene attenderimus videbimus conuenientius nihil vnquam dici posse. Sciendum igitur quod antiquitus vti Rupertus Abbas obseruat, Hebræis solemnis consuetudo fuerit in die solemnitatis suæ caput inungere. Ad quam consuetudinem animarum nostrarum Saluator respicit, quando Christiano cuiuis præcipit, vt ieiunans caput suum inungat, insinuat enim diem illum pœnitentiæ festiuum esse, cum enim mediante abstinentia corporis, peccatum ab anima propulsetur & expellatur, & vti sancta Ecclesia dicit gratia & virtutes introducantur, vtique dies abstinentiæ dies est pœnitentiæ, & consequenter festiuæ lætitiæ & gaudij Dei; Deus enim aliud festum nescit, præterquam illud quod illi nascitur ex eo quod nos totos impendamus operibus emendationis nostræ; vnde Paulus de Palatio dicit, Christum dicentem *vnge caput tuum*, clarioribus verbis dicere voluisse: *Christiane cum ieiunas vnge caput, diem festum te agere existima Festus sane est, cum spiritus carnem iam vincit, refert de suo hoste triumphum: Festus est cum arma Dæmonis ieiunio extenuat: Festus est cum terrenus homo desinit esse, & incipit esse cælestis.*

Paul. de Palat. in cap. 6. Matth.

6. Quo tempore in Ierusalem celebris quædam ageretur festiuitas, fratres siue cognati Christi eidem conati sunt persuadere, vt ad eandem se ciuitatem reciperet, suaque præsentia eidem festiuitati assisteret, vt occasione frequentissimi populi ad eandem solemnitatem concurrentis sua tanto amplius diuulgaret miracula, suosque discipulos in prima ipsorum intentione tanto magis confirmaret; quibus Christus respondit: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum.* Quibus in verbis obseruandum, quod non dixerit se nolle ire ad diem festum concelebrandum, sed ad istud festum: *Ad diem festum istum.* Qui si tantus innuere voluisset, sibi quidem in votis esse diebus festis assistere, non tamen festis illis quæ Hebræi prophane & mundane celebrabant, sed alijs *Io. 7. v. 8.*

festis spiritualiter transigendis. Sed qualia putatis esse festa illa spiritualia quæ Christus desiderabat? *Pœnitentia peccatorum* inquit S. Bernardinus. Existimat enim Christum dicentem: *Vos ascendite ad diem festum hunc*, q. diceret: *Ascendite vos, ego non ascendam ad festa ista mundana, vana, & temporalia. Alia sunt festa spiritualia, & ad illa iuit Christus. Festa spiritualia sunt displicentia peccatorum, dolendo de peccato facto.* Quo loquendi modo Christus insinuare voluit, se in hoc mundo alium diem festum nescire, neque de alio gaudere, nisi dum hominem peccata sua deplorantem, emendantem vitam suam, ac demum ex peccatore sanctum factũ esse videt. *Festa spiritualia sunt displicentia peccatorum.*

S. Bern. to. 4. ser. 35 in princ.

7. Vnde S. Ephrem dicit: *Celebritas bona & pulchra, & Deo grata est pænitentia cum lachrymis.* Vbi obseruandum quod sanctus hic Pater pænitentiam vocet Festum bonum & pulchrum: *Celebritas bona & pulchra*, ad differentiam aliarum festiuitatum, quæ si ex vna parte sint bonæ, ex altera non sunt pulchræ, sed turpes qualia sunt festa Christianorum tepidorum, quæ si quoad sui institutionem considerentur, cum ad Dei honorem sint instituta, ad particularium fauorum à Diuina bonitate receptorum memoriam, & in gratiarum actionem pro ijsdem, meliora esse non possunt: Non tamen sunt pulchra, quia millenis peccatis & dissolutionibus contaminata conspiciuntur. Vnde fit quod Deus illa vocet: *Stercus solemnitatum vestrarum.* Pænitentia vero est festum bonum & pulchrum: *Celebritas bona & pulchra.* quia in illa honoratur Deus, contemnitur & proculcatur Diabolus, Animæque æternam consequuntur salutem. Pulchra quia in illa homines lauantur, à sordibus peccati mundantur, seque in oculis factoris sui summe reddunt conspicuas, atque hinc est quod Deo tantopere placeat. *Celebritas bona & pulchra, & Deo grata.*

S. Ephrem. de Cruce Domini.

8. In huius confirmationem seruit quod Deus per os Dauidis dicere voluit verbis sequentibus: *Et sustinui qui simul contristaretur & non fuit, qui consolaretur & non inueni.* Verum quisnam ille tam fælix futurus esset, qui consolari posset eum, de cuius manibus tam terrenæ quam cælestes consolationes in terram descendunt? *Peccator pænitens*, inquit Rupertus Abbas: *Consolantem me quæsiui, id est, bene operantem per Pænitentiam.* Nihil Deus in mundo inuenit, inquit os aureum Chrysostomi, quod se ita lætificare, consolari, & ad festa agenda permouere possit ac Pænitentia: *Nihil est quod ita Deum exhilaret, atque conuersio nostra.* quasi diceret. Purga & præpara diuina templa in festis quantum voles, orna parietes pannis holosericis & aureis, conspergantur pauimenta rosis & liliis resonent organa & violæ, ipsemet quoque Arion Cytharam pulset & Orpheus cantet, nec tamen cor Dei eo modo rapere & penetrare poterunt, quo illud transadigit & vulnerat planctus peccatoris pænitentis. *Nihil enim est, quod Deum exhilaret, atque conuersio nostra.*

Ps. 68. v. 21.

Rup. Ab. ibid.

S. Io. Chrysost. Hom. 2. in Gen.

9. Audite quid Deus cuidam animæ ab infinita bonitate sua viscerosissimè dilectæ dicat: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora* quasi diceret; Obsecro te, ô dilecta mea, faciem tuam reuela, mihique permittito vt te videam, imo vt tecum loquar, dulcique conuersatione tua frui valeam; Non enim me faciei tuæ aspectus minus recreat, quam vocis dulcedo demulceat. Verum quisnam ex hic animæ illius tam speciosus vultus, aut vox adeo sonora atque suauis, vt Deus illam tanto cum desiderio cordis videre & audire cupiat? Quod si ante æternæ illius Maiestatis solium tot Angelorum aliorumque beatorum spirituum pulcherrimæ facies continuo assistant, nec non suauissimæ Paradisi inaudiantur harmoniæ, adeo vt sicut extra illum locum venustior pulchritudo aut speciosiores vultus videri non possunt, ita nec sonoræ magis delectabilioresque voces audiri, qua igitur ratione Deus quasi tantæ pulchritudinis & harmoniæ satur & fastidiosus, cupidus esse potest vidēdi faciem, fruendique voce animæ illius? S. Vincentius Ferrerius existimat, Deum hoc citato loco instar ardentis & insani cuius-dam

Cant. 2. v 14.

dam amantis animæ peccatoris pœnitentis fuisse locutum, cuius facies propter afflictiones corporales non minus est deformis, quam vox ob continuos planctus & eiulatus hiulca & ingrata: *Loquitur hic Christus persona pœnitentis vt philocaptus philocapta sua. Iam videtis qui plorat ex contritione peccatorum, qualem faciem facit; Illam dicit Christus pulchram esse coram eo.* Et subiungit: *Magnus Rex Christus habet ministros in Regno suo, qui faciunt sibi sonum gratissimum. Et isti sunt pœnitentes.* Tam turpis igitur & deformis facies, vox item adeo rauca, lugubris & ingrata, adeo placet coram Deo, vt summæ pulchritudinis, suauissimarumque vocum quibus in cœlo demulcetur, oblitus, præter illam nihil audire aut videre desideret. *Ostende faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis.* Nam vti cum sancto Chrysostomo mox diximus, nihil siue in cœlo, siue in terra reperitur, quod Deum adeo consoletur & exultare faciat, vt Pœnitentia nostra. Vnde Deus cum maiori delectatione videre videtur melancholicam ac tristem peccatoris pœnitentis faciem, suosque tristes ac lugubres planctus atque singultus audire, quam faciem alicuius Angeli, aut Harmoniam aliquam Paradisi. Idque ob merum desiderium nostræ salutis, quo ardet.

S. Vin. Fer. rer ser. 10. Dom. post Trinit.

10. Postquam pientissimus Pastor ille ouem perditam post tot labores & sudores iterum inuenit, super humeros suos illam suscepit. Et congregatis amicis suis, dixit: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Verum enimuero quod si lucrum reinuentæ ouis, inquit Hugo Cardinalis, non stetit ex parte Christi, qui per Pastorem intelligitur, sed ex parte ouis deperditæ, idest, peccatoris vtpote qui è Dæmonis potestate elapsus, libertati restitutus, atque sub clementissimi Dei custodia & protectione collocatus erat, videtur omnino festum & congratulationem institui & fieri debuisse ex parte ouis, non vero ex parte Pastoris. Vnde melius videbatur dicturus, si diceret: *Congratulamini oui,* quam dicendo *Congratulamini mihi.* At vero subiungit Cardinalis: Non poterat dicere melius, & rationem assignat: *Mihi dicit, non oui, vt appareret quantum de hominis reparatione gaudeat.* Quasi dicere vellet, Tametsi lucrum conuersionis animæ alicuius, se potius ex parte pœnitentis teneat, quam ex parte Dei, Festum tamen celebratur ex parte Dei; Deus enim eiusmodi occasionem accipere solet pro obiecto extraordinariæ lætitiæ & consolationis. Vnde ad hoc manifestandum amicis dixit, vt sibi, non vero oui congratularentur. *Vt appareret quantum de hominis reparatione gaudeat.* Circa quem præsentis scripturæ locum obseruandum est, Festiuitatem quam Deus in nostra conuersione celebrat, adeo celebrem & magnam esse, vt velit ad huius festi concelebrationem condignam omnes Angelos, aliosque Paradisi incolas, qui per amicos Pastoris intelliguntur, concurrere *Congratulamini mihi.*

Luc. 14. v. 6.

Hugo Car. ibid.

11. Deus olim per os Isaiæ Prophetæ, terræ, montibus, & syluarum arboribus præcipiebat, vt simul congregata insolitis lætitiæ demonstrationibus festa peragerent: *Laudate cœli, iubilate extrema terra, resonate montes laudationem, saltus & omne lignum eius.* Quamobrem Deus creaturas illas mutas & insensatas tantum festum peragere voluit? Audite rationem quam subiungit: *Quoniam redemit Dominus Iacob* quasi diceret: Quia seruum ab inimicorum suorum manibus liberauit, eundemque in suum sibi vendicauit seruitium, hoc est, peccatorem contritum deque peccatis suis pœnitentem iustificauit. Festum enim, inquit Oleaster locum hunc explicans, quod Deus in conuersione alicuius hominis peccatoris instituit, tantum est adeoque solemne, vt omnes mundi creaturas adusque mutas & insensibiles secum gaudere & festiuare velit: *Omnia vult Deus gaudere, cum seruum suum recuperat amissum.* Vult vt cœli noua Madrigalia pangant & cantent, terra iubilet, atque tripudiet, resonent montes & syluæ, arbores denique nouis sese frondibus ac floribus vestiant. *Omnia vult Deus*

Isa. 44. v. 23.

Oleast. ibi.

Deus gaudere cum seruum suum recuperat amissum.

12. In eodem Isaiæ Prophetæ libro se-
Isa. 30. v. 26. quentia verba leguntur. *Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligauit Dominus vulnera populi sui, & percussuram plagæ eius sanauit.* Verum dicat mihi aliquis, quo fine Deus tanto lumine eguit in die quo curaturus erat plagas populi sui, quod tanto cœli luminaria splendore adauxerit? Necessitas ab eodem assignata est
Oleast. ibi. Doctore: *Quia vult Deus omnia gaudere & exultare in die salutis iustorum, & omnes seruos suos nouis induere, quemadmodum solem & lunam.* q. d. Quia per diem illum quo Deus se plagas populi sui curaturum esse dicit, dies ille intelligitur, quo Deus hominem pœnitentem à peccatorum suorum plagis curare decreuerat, ideo voluit vt omnes mundi creaturæ eodem Die solemnia festa instituant. Vnde sicut magnates mundi hujus in similibus festorum agendorum occasionibus, seruos suos nouis ijsdemque melioribus, pretiosioribusque vestibus induunt, ita quoque Deus seruos suos hoc est, creaturas suas nouis longeque pretiosioribus vestibus, quam sint communia & vulgaria ipsarum indumenta amiciri decreuit. Ideoque soli & lunæ vult aliam dari vestem septies clariorem & splendidiorem ea qua alias ordinariè vestiuntur. Atque hanc veritatem Deus nobis in fœlicium horum animalium solutione explicare voluit, ijs namque solutis, atque à Diabolico iugo liberatis, postea triumphos & festa peragere voluit solemnissima, omnesque amicas Ierosolymæ turbas inuitauit vt vna secum insolita nouæ lætitiæ signa ederent: *Vult Deus omnia gaudere in die salutis iustorum.*

***

CONSIDERATIO II.

Imposuerunt super eos vestimenta sua.

Sicut humilitas vestium index est virtutum: ita superbia argumentum est vitiorum.

Licet pro duobus hisce animalibus ritè exornandis, quibus summus ille Rex gloriæ cœlestis triumphum suum hodierna die celebraturus insidere debebat, ne ipsæmet quidem pretiosissimæ purpuræ auro gemmisque onustæ condignæ esse possint, attamen illa vilibus repetiatisque pauperum discipulorum suorum vestimentis contegi voluit, vt hac ratione verus cognosceretur virtutum Dominus, quemadmodum Dauid illum nominauerat; *Dominus virtutum.* Dignum quippe erat, vt vbi regnabat virtus, humilitas quoque reluceret vestitus, & non pompa. Sicut enim humilitas vestiũ index est virtutum, ita superbia in ijsdem argumentum est vitiorum.

1. Sanctis Apostolis Petro & Ioanne consuetæ orationis faciendæ causa templum ingredientibus, certus quidam claudus, qui iacebat ad templi ianuam, eos intuitus, Eleemosynam ab ijsdem poposcit. *Cum vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt Eleemosynam acciperet.* Act. 3. v. 3.
Obseruate hic verba illa; *Cum vidisset*, hisce enim significatur, claudum hunc in tantum ab hisce discipulis petijsse Eleemosynam, in quantum illos prius bene intuitus fuerat & considerauerat, iudicans illos proposito suo aptissime quadrare, idest viros pios, misericordes, valdeque compatientes esse, qui pro adferendo aliquo necessitatum suarum subsidio loculos suos haud grauate aperirent. Quæritur autem ex quonam signo claudus ille hoc ipsum in sanctis hisce Apostolis notauerit? Ex vestibus quibus amiciebantur, inquit os aureum Chrysostomi: S. Io. Chrysost. Hom. 8. ibid.
Illos pios quosdam ex ipso habitu statim considerabat. q. d. Ex quo illos vidit humiliter & simpliciter vestitos, mox sibi illos viros virtuosos

tuosos & charitativos esse persuasit, qui ad Elemosynam quandam postulati, facili illam negotio essent facturi. Et certe ne vel minimum errantes rem acu tetigerunt; Humilitas namque vestium exteriorum quæ corpus contegunt, argumentum est virtutum animam exornantium: *Illos pios quosdam ex ipso habitu considerabat.*

2. Deus duas illas vestes facere volens quibus infœlicium protho parentum nostrorum Adami & Evæ conjugis suæ, qui propter Divini præcepti transgressionem nudos se esse cognoverunt, carnes contecturus erat, sacro textu attestante, duo accepit ovium vellera ijsdemque ipsos amicivit. *Fecit Dominus Deus Adæ & uxori eius tunicas pelliceas & induit eos.* Gen. 3. v. 21. Observate locum istum & attendite, nam cum Deus pretiosissimorum pannorum habeat abundantiam cujusmodi sunt purpura & byssus, quibus elegantissime Rosas, Lilia, aliasque materias similes vestit quotidie: Hisce tamen ad vestiendos Adamum & Evam uti noluit, sed pellibus sive ovium velleribus ex quibus vilissima, simplicissima, paupercula & humilia vestimenta confici solent, quæ alium præter humanæ necessitatis satisfactionem usum non habent. Sed cur nobilissimas quas sub sole habebat Creaturas hoc modo contempsit; Licet enim omni malo digni essent, æquitati tamen consonum fuisse videtur, ut eos honorata quadam veste non privaret. Enimvero si ad Chaldæum attendamus inveniemus, quod Deus Adamum pelle vestiens illum nequaquam voluerit contemnere, uti prima quidem facie videtur facere voluisse, sed potius honorare. Nam ubi nos legimus. *Tunicas pelliceas,* Chaldæus legit: *Vestimentum honoris.* q. d. Quando Deus primos Parentes nostros duabus vilibus & humilibus pellibus dignatus est vestire, honorata quadam veste illos tunc induit. Humiles namque & modestæ vestes hominem honorant, qui eas portat, siquidem ostendunt illum honestum, virtuosum, nimiæque corporis curæ contemptorem animæque ornamentis comparandis, conciliandisque virtutibus prorsus intentum. *Vestimenta honoris.*

3. In quarto Regum libro scribitur, quod Ezechias Rex, in gravi quodam sibi imminenti periculo constitutus, unde incredibile sibi damnum accersendum metuebat, auxilium à Deo postulaturus templi & Palatij sui ministros vilissimis saccis indutos ad Isaiam Prophetam submiserit *Misit Eliacim præpositum domus, & Sobnam scribam, & senes de sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam Prophetam.* 4. Reg. 19. v. 2. Causam hoc loco jure optarem ob quam Rex ille cum oratores suos superbis valdeque pretiosis vestimentis induere posset, prouti in similibus occasionibus hujus mundi Magnates principales facere solent, ipse eosdem vilissimis pannis cujusmodi sunt sacci & cilicia vestire voluerit? Oleaster dicit id à Rege Ezechia ideo factum fuisse, quia Isaias illos in templum conducturus erat, ut ibidem imminens sibi deprecarentur periculum, nec reverterentur domum donec à Deo exauditi essent, quo fine saccos valde opportunos & utiles esse sciebat: additque rationem; *Non immerito pius Rex sacerdotes & ministros domus suæ ad Deum saccis indutos mittit, probè noscens quam lætis oculis videt saccos Deus.* Oleast. in cap. 37. Is. q. d. Quia devoto & Religioso Regi notúm satis erat, quanta cum complacentia & gaudio Deus homines humiliter vestitos respicere soleat; ideo ut intercessores sui à suprema illa Majestate benignè reciperentur, atque in precibus suis exaudirentur rudibus & asperis illos vestimentis induere voluit. Porro attendendum est hoc loco qua ratione Deus humiles, modestas & pauperes vestes lætis jucundisque oculis aspiciat, idque ideo præcipue quia sub talibus vestimentis abscondi solent animæ virtutes, de quibus Deus solum gaudet sibique complacet. *Lætis oculis videt saccos Deus.*

4. E contra vero, superbæ ac pretiosæ vestes hominis peccatoris & vitiosi manifestum sunt indicium. Mox ut Adamus & Eva vetitum pomum manducaverunt, seque ut supra diximus, cognoverant esse nudos, nonnulla ficulneæ folia, ut Moyses refert, consuerunt, ijsque carnes suas contexerunt. *Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Gen. 3. v. 7. Tostatus quærit, cur potius se vestire voluerint ex folijs ficus, quam ex animalium pellibus,

 qui-

quibus à Deo postea induti fuere? Et cum Magistro Historiæ Scholasticæ respondet: *Neque sine causa de foliis ficuum, quia de succo earum si terantur & caro hominis fuerit inuncta, voluptatis statim sentit pruriginem. Quasi per hoc ostendentes quod voluptatis pruriginem iam senserant.* q.d. Quia experti fuerant, quod vnctione succi foliorum ficus humanæ carnes & appetitum moverentur & stimularentur libidinis, ideo sese hisce contegere foliis voluerunt, ut per hoc innuerent, carnem suam ab appetitibus hisce jam alteratam esse. Simili modo ego in præsenti dico, quod quotiescunque sive viri sive mulieres ad instar viridis & frondescẽtis ficus amplis & diversicoloribus vestimentis indutos in publico videri se faciunt, haud secus ac Adamus & Eva se jam à Luxuriæ appetitibus stimulatos esse insinuent, quodque tanto cum studio & artificio vestiti appareant, ut placeant iis quos amant, suæque concupiscentiæ satisfaciant. *Voluptatis pruriginem iam senserant.*

Tostatus ibid. q. 45.

5. Columella ad cognoscendum tempus quo Pavo à libidine stimulatur, hoc signum statuit: *signa sunt exstimulatæ libidinis, cum semetipsum veluti mirantem caudæ gemmantibus pennis protegit; idque cum facit rotare dicitur.* q.d. Quotiescunque Pavo caudam suam dilatat & erigit, eamque juxta caput collocando contemplatur & considerat, id tibi signum esto, quod fæmellam quærat. Idem necessario dicendum de iis, qui sicut Pavones in vestitu pretiosissimo, diversicolori, auro gemmisque rigido in publico superbire videntur; Concludendum nimirum de ijs est, tales non esse honestos & castos, sed spurios & libidinosos. Tales namque vanitates *signa sunt exstimulatæ libidinis.*

Columel. de re rustica ibid.

6. Quia Iudas Patriarcha, inquit Tertullianus, Thamar nurum suã superfluè comptam & ornatam vidit; illam lasciuam mulierem & meretricem esse existimauit. *Thamar illa quæ se expinxerat, & ornaverat, idcirco Iudæ suspiciorum Visa est quæstui sedere.* Vnde S. Cyprianus mundanæ cuidam virgini loquens dicere non dubitavit: *Quid ornata, quid comptæ procedit, quasi maritum non habeat aut quærat?* Quasi diceret; Quid virgo illa quæ se in publico comptam & ornatam spectandam exhibet, aliud facit, quam quod significet, se vel maritum habere, aut maritum quærere? Id est quod significet se luxuriæ facibus ardere, seque aut jam habere maritum cum quo ardentes concupiscentias suas expleat, aut talem quærere? Et merito recteque ita concluditur, superbus enim & pomposus vestitus liquidum est vitii argumentum.

Tertull. de Habitu Muliebr.

S. Cypria. de habitu virg. tract.

7. Audite qua ratione Deus nonnullas vrbis Hierosolymitanæ mulieres repræhendat: *Elevatæ sunt filiæ Syon, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant.* Septuaginta ultima hæc verba ita vertunt: *Et incessu pedum simul trahentes tunicas.* q. d. Proh quantum est illud mulierum Hierosolymitanorum dedecus, quæ extento collo oculos quaquaversum circumgyrantes, caudam holosericam per terram trahentes, sese in publico haud secus ac totidem Pauones spectandas exhibent. Verum quid tua, ô Domine interest inquit Oleaster, de mulieribus curare, sive incedant collo extento vel demisso, sive pretiosis sive modicis indutæ sint vestimentis? Num forte illa rapuerunt, ut proinde illa alijs velis vestitur? Et respondet, hoc quidem Deum nolle dicere, sed personas parum honestas & castas intendit taxare. *Taxat totius honestatis author impudicitiam.* Et merito impudicitiæ illas redarguit, quia pompofus vestitus, in personis illis quæ illum amant, index est vitij.

Isa. 3. v. 16.

Transl. septuag.

Oleast. ibid.

8. Zelecus Locrensium legislator, vt Diodorus Siculus refert, inter alias quas scripsit leges sequentem quoque locum habere voluit: *Mulier ne aureis ornamentis neque contextis indumentis, arteque elaboratis venustetur, nisi cum scortari, atque amatorem sibi moliri studuerit.* Et quidem si rationem scire vultis ob quam hic sapiens vir pomposas nimiumque comptas vestes castis mulieribus negare, easdemque inhonestis concedere voluerit, ratio huius ex ijs quæ diximus, clara est atque perspicua. Siquidem in hoc solum contendebat, vt nimirum quælibet persona, iuxta propriam conditionem suam vestita incederet, prouti referunt observatum fuisse in Palatio Salomonis, cujus servi

Dio. Sicu lib. 12.

tali

tali ordine & artificio vestiebantur, ut cuilibet facile esset ex ipsa duntaxat veste cognoscere, cuinam esset officio adhibitus. Quia igitur vestis humilis & modica signum erat mulieris honestæ & castæ: Pretiosa vero & superba inhonestæ & meretricis, ideo ut mulieres dignosci possent, quales essent, Zeleucus hic castas, illis vero inhonestas mulieres voluit esse indutas. Atque ob hanc rationem S. Cyprianus vanos mulierum apparatus appellat: *Lupanarium insignia.* id est, signa unde cognosci potest quod illæ quæ superbis & superfluis vestimentis delectantur sint mulieres lascivæ, & Lupanarium habitatrices. Vnde S. Bernardinus dicit: *Plerumque homines existimant de signis signata, de circulo tabernam, & de signo furis æstimant furem: Meretricius habitus signum est meretricij actus sicut habitus monialis, monialem ostendit.*

S. Bern. to. 1. ser. 44. art. 1. cap. 3.

9. Clemens Alexandrinus de vanitatibus istis loquens, ad adulterij fabulam attendit, in quo Venus per rete quoddam aureum à Vulcano fabricatum comprehensa, cum Marte commisceri visa & deprehensa fuit, Vnde egregiam hanc trahit mortalitatem. *Fortasse poetica fabula adulterium committentē Venerem dicit fuisse comprehensam in reti aureo hujusmodi vinculis nihil aliud quam hac ornamenta adulterii esse signa significans; illa enim aurea fuisse dicit Homerus.* q. d. Finxerunt Poetæ Venerem reti aureo involutam depræhensam esse *Martis* adulteram insinuare volentes quòd superba & superflua mulierū ornamenta indicent eas non esse honestas & castas, sed meretrices & adulteras, quasi Lascivæ Cupidinis reti involutas & captas. Et revera quidnam ille tot tamque variæ catenæ aureæ, quæ collum earum circumdant & manus stringunt, sunt aliud, quam manifesta deperditæ honestatis & virtutis signa? *Adulterii esse signa significans.* Vnde præfatus Clemens materiam istam prosequens, subjungit: *Quemadmodum dicunt apud Barbaros, scelestos & maleficos homines auro vinciri; captivos hos vinctosque divites videntur esse æmulatæ mulieres, an non enim vinculum colli est torques aureus, moniliaque?* q. d. Hi tales superbe vestiti, se aliud nihil esse demonstrant, quam Indiarum captivos, qui ob ferri penuriam & abundantiam auri, aureis catenis ac manicis constricti tenentur. Et reipsa indicio evidenti se tales esse produnt, siquidem tales censentur vincti & captivi peccati, qui similium vanitatum catenis capti, sub crudeli Diabolicæ tyrannidis jugo perseverant. *Colli vinculum est torques moniliaque.*

Clem. Alexan. ped. lib. 2. c. 12.

10. Inter alias volucres quos populus Hebræus ex præcepto Divino censere debebat tanquam immundas & abominabiles, Cygnus quoque locum habebat. Legitote Levitici caput undecimum, vbi prohibitio ista describitur. Sed quamobrem avis illa tanto candore conspicua, ut cùm ipsamet nive certate posset, immunda æstimari debebat? Quia, inquit Hugo Cardinalis, interius nigra est, licet deforis sit alba. Et significat illos, qui cum omni possibili splendore & pompa foris ornari & fulgere solent: *Cygnus avis est candida, extenti colli, magna corpore, nigra in carne, & significat illos, qui splendore vestitus plus æquo gloriantur.* Hi tales jure merito æstimandi sunt immundi, quia haud secus ac Cygni, quam cum foris ornati sunt & compti, tantum in interiori animæ sinu turpes, sordidi & nigri sunt. Superfluum enim rerum corporalium studium, negligentiæ virtutum animæ perspicuum est indicium.

Hugo Card. ibid.

11. Christus Dominus noster Præcursorem suum S. Ioannem Baptistam digne collaudans, incidenter quoque de iis loquebatur, qui delicatè & pretiose exterius vestiuntur, & dicit: *Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* Verum dic sodes ô Domine, quidnam mali in hoc latet, quod aliquis minister Regis existat, unde sapientia incarnata moveri possit ad illorum abominationem. Respondetur certum esse quod si per Reges intellexisset mundi hujus magnates & principes, eosdem nequaquam abominaturus fuisset; jam vero Regum nomine Dæmones intellexit, qui etiam ab Apostolo dicti sunt Principes: *Principes & potestates, & Rectores tenebrarum harum,* Ita hunc locum S. Vincentius Ferrerius intelligit, juxta mentem S. Hilarij *Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt, id est, in habitationibus Dæmonum*

Matth. 11. v. 8.

Ephes. 6. v. 12.

S. Vincent. Ferrer ser. 5 Dom. 3. Adu.

monum. Necessario enim tales personæ ministri existimandi sunt Dæmonis, nam vti in peruersis mulieribus clarius videtur, quæ propria perditione minimè contentæ, Dæmoni per lasciua sua ornamenta aliorum procurant ruinas, id quod nunquam facturæ essent, si honeste vestirentur. *In habitationibus Dæmonum sunt.*

12. Inter alia propter quæ diues Epulo in abysso inferni sepeliri meruit, S. Lucas Euangelista purpuram qua vestiebatur assignat: *Induebatur purpura.* Verum qua ratione possibile est, quod homo aliquis æternaliter damnatus sit, eo tantum quia purpura indutus fuerit, Quod si ita futurum est, tremant profecto Reges & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quæ pretiosis & splendidis eiusmodi vestibus etiam induuntur, nam vna cum Diuite Euangelico similiter damnabuntur? Respondeo nequaquam damnabuntur propter hoc, hoc enim vestimentũ illis permissum est, vtpote sublimitati dignitatis & gradus sui conueniens & proportionatum. Quod vero diues ob purpuræ indumentum damnatus fuerit, factum id est propter peccatum, quod sub purpuræ symbolo incarnata sapientia explicare contendit. Vnde Hugo Cardinalis inquit: *Purpuram & byssum nominat Dominus, non solum quia delicata & sumptuosa sunt, sed propter latens mysterium; purpura enim sanguine tingitur.* Quia purpura certum quoddam panni genus est plurimorum vermiculorum sanguine tincti, vnde pretium & splendorem suum desumit, Ideo dum Christus dicit, peruersum hunc diuitem purpura indutum fuisse: *Induebatur purpura* significare intendit, reprobũ hunc hominem tam pompose, & quod caput est, ex sumptu sanguinis pauperum fuisse vestitum, eosdem continuo deprædando, opprimendo, excoriando ac proinde damnatum esse. *Induebatur purpura* inquit S. Bernardinus, *quæ sanguine solet tingi, quia forte de sanguine pauperum facta erat, & de impio lucro.* Adeo vt Christus ad demonstrandum publica diuitis huius latrocinia, argumento superbarum vestium vti voluerit, vt per hoc insinuaret pompam vestimentorũ in ijs, qui illam amant & studiose conquirunt, indicem esse vitiorum.

Luc. 16. v. 19.

Hugo Card. ibid.

S. Bern. Tom. 1. ser. 44. art. 1. c. 1.

13. Videns Christus deuotam illam turbã integro triduo sibi adhærentem & insequẽtem, labores & penuriam ipsorum miseratus, miraculose illis de pane prouidere voluit, vnde illos sedere, mensamque ijs apparari præcepit: *Et præcepit turbæ vt discumberent super terram.* Paulus de Palatio hunc locum obseruat & dicit: *Igitur eorum pauci habebant vestes pretiosas, si enim habuissent vix recumbere voluissent super terram.* Cur ita? Ratio est, quia communiter ij qui hoc modo vestiuntur, sunt magni, & superbi homines, qui non dignantur sedere, nisi super sedes, vel in aliis honorificis locis. Adeo vt ex pompa vestitus, facile in cognitionem deueniatur superbiæ eorum qui illam consectantur. Neque in hoc iudicio falli possumus, sumptuosa enim & vana corporis vestimenta, indices sunt vitiorum latentium in anima. Vnde quia Christus non minus fugit & abominatur vitium, quam amet & honoret virtutes, hinc est quod in magno illo triumpho hodierno, superbarũ vestium pompam, sub qua vitium regnat, fugiat, paupercula vero humilia & vilia discipulorum vestimenta, sub quibus virtus imperat amplexetur. Atque ideo iumenta quibus Christus inequitat, humilibus & modicis discipulorum suorum vestimentis contecta & strata conspiciuntur. *Imposuerunt super eos vestimenta sua.*

Matth. 15. v. 35.

Paul. de palac. ibi.

CONSIDERATIO III.

O Sanna.

Adeo facilis est salus nostra, vt is duntaxat à salute excidat; qui vltro citroque saluari detrectat.

PEr hoc quod deuotæ turbæ Christo Domino triumphanti assistant, eũq; circum,

circumdent, ex vna quidem parte palmas in manibus tenentes, quasi in cælo Angelorum sanctorumque aliorum glorioso exercitui essent inserti, qui vt S. Ioannes refert in Apocalypsi palmas in manibus tenere Deoque frui videntur; *Et palmæ in manibus eorum.* Ex altera vero parte æternam ab eo salutem postulantes & dicentes: *O sanna* idest, *Salua nos in excelsis,* insinuare omnibus volunt summam Dei clementiam, & facilitatem admirabilem, qua nos saluat & Paradisum nobis donat, priusquam enim nos illum à Deo petamus & postulemus iam de facto eundem manibus nostris quasi cōsignatum habemus. Vnde materia nobis suggeritur de facilitate qua Christianus in cælum introducitur & saluatur prolixius discurrendi, quæ tanta est, vt si non saluetur, id alia de causa non fiat, quam quia saluari nequaquam vult.

Apoc. 7. v. 9.

1. Dum Isaias Propheta quondam de gloria Paradisi, nec non de Christianorum gente discurreret, qui post verbi Incarnationē ad fruendum illius divitiis congregandi erant, hac loquendi phrasi seu forma vti voluit: *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium & eleuabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes.* In cuius scripturæ loco vltima obsecro verba ponderate & attendite, quod cum Domus cælestis Paradisi vertici montium super immineat, ac proinde Isaias Propheta potius dicere debuisset quod gētes in eandem introducendæ, sursum ascensuræ essent, & hoc modo scribere: *Ascendent ad eum omnes gentes:* Ipse tamen hoc verbo *Ascendere* vti noluerit, sed potius adhibuerit verbum fluere: *Et fluent ad eum omnes gentes.* quod verbum, vti Rupertus Abbas notat non significat sursum siue in altum ascēdere, sed in plano ambulare. *Fluent ad eum,* idest, *plano itinere ibunt.* Et quidem quantū intelligere possum, ratio huius hæc est, quia Propheta hoc loquendi modo proponere voluit facilitatem quam habemus eundi in Cælum. Quia enim Christiani intelligentes Cælum in loco adeo sublimi & alto consistere, persuadere sibi potuissent, se eo nō nisi summo & incredibili labore adhibito pertingere non posse, ea videlicet cum fatigatione & sudore, quo altissimi montes conscendi solent, noluit dicere quod ascensuri eo essent, sed quod plano itinere eo ituri. Postquam enim Deus factus est homo, viam cæli ad stuporem vsque facilem & leuem reddidit, adeo vt tametsi cælum in loco adeo sublimi sit situatum, plano tamen faciliquè itinere ad illud perueniri possit, hoc est, sine vlla difficultate, impedimento, aut labore. *Plano itinere ibunt populi multi.*

Isa. 2. v. 2.

2. Ad idem propositum comprobandum singularis haberi ratio debet loci cuiusdam in Canticis, vbi sponsa in persona sanctæ Ecclesiæ loquens, iuxta sanctis Pagnini translationem, ita inquit: *Anima mea posuit me vt quadriga populi mei.* quasi diceret, Anima mea, idest, Deus, qui est anima mea, per quam ego viuo in quadrigam populi mei me construxit. Verum quo fine sacra illa populi Christiani quadriga adhibenda erat? Nimirum vt homines in Cælum in maiori quantitate, atque incredibili cum facilitate introduceret, inquit Philo Carpathius: *Currus vel quadrigas Ecclesiam ipsam positam dicit, vt se veluti piam matrem & sanctissimum Vehiculum, quo plures conuehuntur ad patriam, esse intelligat. Vt enim qui quadrigis & curribus plaustrisque conuehuntur, à terrenis incommodis, aut à luto, cœno, saxis aliisque huiusmodi absunt; sæpeque immunes existunt. Ita & Christianæ fidei cælesti curru vecti & pientissimæ matris Ecclesiæ sanctissimo sinu foti, ad cæleste regnum seruantur illæsi,* quasi dicere voluisset. Quandoquidem via Cæli multas habeat difficultates, quæ Christianum ab illius necessarij itineris prosecutione impedire possunt, cuiusmodi sunt eminentia loci, saxorum asperitas, profunditas luti, aliaque similia, hinc pientissimus Deus ad omnes hasce difficultates facili negotio superandas, Ecclesiam ad instar currus siue Rhedæ alicuius fabricauit, in qua sine vllo periculo aut labore fideles suos in magnum illud Regnum commode perduceret. Vt hac ratione intelligamus, Paradisi viam adeo planam, leuem & facilem esse, vt Christianus quotiescunque voluerit, absque eo quod vel pedes luto coinquinet, aut in saxa impingat, absque vlla pluuiæ & ventorum aliarumque aëris iniuriarum formidine, sine sudore aliaue molestia,

Cant. 6. v. 11.

Philo Carpath. ibid.

 Imo

imo cum omni possibili commoditate & delitijs portatus, & alienis quasi pedibus innixus eo possit peruenire. Denique haud secus ac curru quodam subuectus, sine ulla incommoditate eo perueniet. *Posuit me vt quadrigæ populi mei.*

3. S. Lucas scribit, quod mortuo Lazaro mendico, ingens quædam Angelorum turma de cœlo descenderit, ipsumque in Abrahæ græmium, cœlestis gloriæ symbolum, portauerit & collocârit. *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Ponderemus hunc locum nonnihil, & inuestigemus causam, cur Lazarus ab Angelis in cœlum portatus fuerit. Porro quod in Beatam illam cœli mansionem exaltatus fuerit, vtpote qui in hac vita tot ærumnas & afflictiones sustinuit, id quidem meritissimo iure factum est, postquam enim hac vita defunctus est, merito consolari debebat in altera, cum certum sit, quod is qui in hac vita vigiliam egit, Festiuitatem gaudiosam celebraturus sit in altera: At vero quo fine portatus eo fuit ab Angelis, cum Deus efficere potuerit, vt proprijs pedibus suis in cœlum concederet. Finis hic à S. Ioanne Chrysostomo est assignatus, nimirum: *Ne forte ambulans laboraret.* quasi diceret. Ne in sublimem cœlorum verticem conscendens, per viam laboraret, aut fatigaretur, ideo Deus ipsi Angelos suos de cœlo submisit, qui vt Dauid Propheta testatur, currus & quadrigæ sunt Dei: *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium.* Neque enim hoc solum intendebat, vt absque aliquo labore aut incommoditate propria saluus fieret, verum vt etiam eo perduceretur omnibus possibilibus & imaginabilibus cum delitijs. Neque persuadeatis vobis priuilegium istud soli Lazaro fuisse concessum, & negatum alijs. Hi namque Diuini currus prompti semper sunt & parati, vt fideles omnes per cœli viam deducant, eodem Propheta attestante, dum dicit: *Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum* super quem locum S. Bernardus dicit: *Quam facile transit, qui illis portatur manibus?* Quasi dicere vellet; Quam facilis & plana, quam delitiosa & iucunda sit Paradisi via, ex eo liquet, dum Christiani haud aliter quam olim S. Lazarus inter Angelorum brachia eo perducantur. Vti Isaias quoque dicit: *Et afferent filios tuos in vulnis & filias tuas super humeros portabunt.* Quænam hac facilior & delitiosior via excogitari poterit? *Facile transibit qui illis portatur manibus.*

Lu. 16, v. 22.
S. Io. Chrysost. conc. 1. de Lazaro.
Psal. 67. v. 18.
Psal. 90. v. 11.
S. Bern. in Ps. 90. ser. 12.
Isa. 49. v. 22.

4. Vix Deus Adamum in campo Damasceno formauerat, cum eundem quoque, vt Moyses refert intra Paradisi terrestris delitias collocauit: *Tulit Dominus Deus hominem & posuit eum in Paradiso voluptatis,* Quo in loco non est negligenda obseruatio energiæ, quam in se complectitur verbum illud, *Tulit*, quod diuinus legislator Moyses ad explicandam introductionem Adami in Paradisum adhibere voluit. Attendite itaque quod non dicat: *Duxit hominem*, sed *Tulit hominem.* Sicut enim *Duco* significat Ducatum & Societatem præstare, ita *Fero* significat idem, quod *in humeris Baiulo.* Moyses ergo dicens: *Tulit Dominus Deus hominem & posuit eum in Paradiso*, insinuare voluit, quod Deus Adamum beatificaturus, ad hoc vt non fatigaretur in via (quod vtique accidisset, si eum pedibus suis eo se recipere permisisset) Diuinis humeris suis illum portare voluerit: *Tulit Dominus Deus hominem.* Vnde significare voluit, iter cœlum versus instituendum adeo leue & facile esse, vt Christianus haud secus ac tenellus quidam infantulus inter amantissimæ matris amplexus & vbera delitiosissime à Deo illac portari videatur. *Tulit Dominus Deus hominem.*

Gen. 2. v. 15.

5. Quodsi verba illa Psalmi 128. bene ponderauimus vbi Christus per os Dauid Patris sui dicebat: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*, & dictionem illam *Peccatores* in casu obliquo, & non in recto, prout in litera sonat, acceperimus, idem prorsus inueniemus & eliciemus mysterium, sic enim dicere voluisse videtur Hebræi ad mortem vsque me torquentes, peccatores dorso meo imposuerunt, vt hac ratione illos quasi totidem petras in illam Beatæ gloriæ fabricam portem & extollã. Quibus verbis magna illa facilitas explicatur, quacum

eum Christiani alieno labore, absq; vlla sui molestia, in cœlum introduci ac saluari possunt. Christus enim Dominus nostri amantissimus, ob nullam aliam causam, inquit Hugo Cardinalis in cruce brachijs explicatis & extensis mori voluit, quam quia *Volebat animas & corpora saluandorum in amplexibus suis præsentare Deo.* Omnes electos accipere, amplexari, & osculari, & inter dulces illos amplexus, suauissimaque oscula eos in cœlum portare, & in conspectum Patris sui præsentare volebat *In amplexibus suis.*

Hugo Car. in 2. Phil.

6. Matthæi 10. cap. Christus Dominus noster discipulos suos misit in vniuersum mundum Euangelij prædicandi causa, eisdemque præcepit, vt sermones ab hisce verbis inchoarent: *Appropinquauit Regnum cœlorum.* Quæ verba non minus sunt difficilia, quam mysterijs plena. Cum enim Regnum cœlorum Regnũ quoddam sit adeo stabile & firmum, vt *Ad designandam immotã ipsius firmitatem* à S. Ioanne Euangelista ciuitas in quadro fundata appelletur : *Ciuitas illius in quadro posita est;* vti vult S. Andreas Archiepiscopus Cæsariensis, Cur igitur appropinquare nobis dicitur, quæ ex proprio loco se mouere, aut discedire nequaquã potest. Vnde videtur mihi, Christum Apostolis potius præcipere debuisse, vt dicerent : *Appropinquate vos regno cœlorum,* quam vt dicant *Appropinquabit regnum cœlorum vobis.* Nos enim cœlo propinquiores fieri possumus quia nos mouere valemus, non vero cœlũ quod immobile est appropinquare potest nobis. Veruntamen si explicationem illam Pauli Palatij huic loco adhibitam attenderimus, nodus modo propositus vim illam non amplius habebit, quam habere videbatur. Dicit ergo hic Doctor : *Eleganter dicit: Appropinquauit regnum cœlorum, vt non sit multo nobis labore sudandum vt accedamus ad illud, quia potius ipsum accessit ad nos, non est nobis accedendum in cœlum.* q.d. Vt nobis insinuaret quam facilis nobis sit post verbi incarnationem in regnum cœlorum aditus, dicere voluit, Regnum cœlorum appropinquare nobis. Haud secus enim ac si alas haberet, ad nos in terram descendens aduolat. Vnde cum illud coram pedibus nostris habeamus præsentissimum, non multo nobis

Matth. 10. v. 7.

S. Andr. Archiep. Cæsar, in Apoc. ser. 22, Apoc. 21. v 16.

Paul. de Palat. in cap. 10. Matth.

opus est labore vt eo introducamur. *Vt non sit multo nobis labore sudandũ, vt accedamus ad ipsum.* Id quod Dauid Propheta quoque respexit, quãdo dicebat, quod Deus iam homo factus, *Inclinauit cœlos.* Hæc enim cœlorum inclinatio, inquit S. Ambrosius, non ob aliud facta fuit, quam *Vt tu esses vicinior.*

Psal. 17. v. 10. S. Ambro. in Ps. 41.

7. Propter eandem causam idem Propheta Christianos hunc in modum alloquitur dicens: *Hæc est dies quam fecit Dominus exultemus & letemur in ea.* Quasi clarius dixisset: O vos homines qui pretioso filij Dei sanguine redempti, atque à Diabolica potestate exsoluti & liberati continuo ex hac vita in alteram peregrinamini, læti atque iucundi progrediamur. *Exultemus & letemur.* Quænam obsecro est ratio, quod per viam Paradisi, instigante S. Propheta, transire debeamus, hilares, festiui atque iucundi? Quia, inquit Guilielmus Durandus *Exultando & lætando itur ad Paradisum, sed cum labore & angustia & maxima afflictione itur ad infernum.* Ecquid enim impedire nos posset, quo minus, cantando & iubilando cœlum versus progrediamur quandoquidem curru regio subiecti eo concedamus, inter brachia Angelorum, super dorso ipsiusmet Dei nec non inter amantis Christi amplexus, & oscula, cumque Regnum cœlorum proximum nobis valdeq; habeamus vicinum, vt vix gressu aliquo ad illud acquirendum nobis sit opus. *Exultando & lætando itur ad Paradisum.*

Ps. 117. v. 24.

Guliel. Dur. ran. ration. Diu. lib. 6. c. 88.

8. Præterea Dauid ad eandem materiam attendens, alibi dicit ; *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Id est, inquit S. Bernardinus ; *Pro nihilo gloriam sempiternam adepti sunt.* Fœlices profecto & beati existimandi sunt Christiani, qui desiderabilem æternæ beatitudinis regionẽ pro nihilo obtinuerunt. Verum dicat aliquis quomodo dici possunt cœlum obtinuisse pro nihilo, pro cuius possessione omne aurum & gemmas totius mundi expenderunt, imo proprij corporis sanguinẽ sæpe effuderunt? Hoccine nihilũ est? Respondeo quodnam sit nihilum istud, pro quo sibi Christiani tantũ lucrum acquisiuerunt, intelligitur melius & facilius per loci cuiusdam ex cap. 16 S. Lucæ explicationem vbi diues Epulo introducitur, qui inter Inferni ardentissimos carbones sepultus, pro rabidæ sitis suæ remedio quod

Ps. 105. v. 24.

S. Bern. de paup. ser. 2, art. 2. cap. 2.

quod inter tormenta illa insupportabiliter patiebatur, ab Abraha Patriarcha vnicum duntaxat aquæ stillam poscebat dicens: *Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Cui S. Petrus Chrysologus respondet: *Sitis extremi digiti guttam, quam si vel solam dedisses pauperi, non sitires*, q. d. O infælix homo! O stolide & insensate Epulo! Quodsi vel vnicam duntaxat aquæ guttam, quam ab Abraha modo exposcis, vnica tantum vice Lazaro dedisses quando ad limina domus tuæ fame & siti pene enectus iacebat, vtique modo non sitires. Quare? Non enim in infernum præcipitatus fuisses, sed Paradisum obtineres, in quo omnes illi qui ibi esse merentur, abundanter satiantur aquis torrentis illius, qui per aureas cæli plateas suauissimo semper murmure decurrunt. Dauide dicente: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Vnde quodsi verum est, quod diues epulo per vnicam tantum aquæ guttam pauperi Lazaro datam, obtenturus fuisset regnum cælorum, illam vtique pro nihilo obtinuisset, quia vnica stilla aquæ, & nihilum, sunt vnum & idem. Quam igitur facilis est animarum nostrarum salus, quæ pro nihilo obtinetur. *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.*

Luc. 16. v. 24.

S. Petr. Chrysol. ser. 122.

Ps. 35. v. 9.

9. Magnus ille Dei Chronista Moyses refert, quod Deus post pulsum è Paradiso terrestri Adamum, vnum ex Cherubinis suis delitiosi loci illius constituerit custodē. *Eiecit Adam & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubin.* Oleaster in loci illius explicatione obseruat, quod vbi nos legimus: *Cherubin.* nonnulli Hebræi Doctores vertant *Puerum*, quia illos *Putabant esse ad modum puerorum.* Hac opinione supposita, qualiscunque illa demum sit; siue vera, siue falsa; Quæro, quænam sit causa, quod Cherubin iste non hominis alicuius magni & adulti, sed infantis seu paruuli alicuius formam retulerit? Videbatur enim melius conuenire, si procerus aliquis & adultus vir fuisset, locorum enim valde considerabilium, quorum permagni interest, custodia, qualis Paradisus erat, non committitur pueris, sed viris, sed viris cordatis & magnis. Etenim quantum debili ingenio meo assequi possum, hæc mihi illius causa fuisse videtur, vt scilicet per hunc Paradisi custodem insinuetur, quam sit facilis Paradisi comparatio. Sicut enim puer aliquis pro re vili & modica v. g. pro vno frusto panis, aut pro pomo, vel alia re simili sibi oblata, cum admirabili promptitudine & liberalitate donat, quicquid in manibus suis tenet, tametsi id integri alicuius regni pretium adæquaret: ita quoque puer ille Cherubinus pro omni eo quod dare possumus, quantumuis id modicum sit, cælum donabit, atque in æternam Paradisi gloriam introire permittet. Vnde Chrysostomus ad hoc ipsum attendens dicit: *Da panem & suscipe Paradisum: parua da & magna suscipe.* quasi diceret, vide quam facilis sit tua salus, & quomodo verum sit, cœlum pro nihilo donari, cum vno panis frusto erogato habere possis Paradisum, & pro re nihili tantum tibi comparare valeas regnum. *Da Panem & suscipe Paradisum.*

Gen. 3. v. 24.

S. Io. Chrys. ad pop. Hom. 33.

10. Concludere igitur oportet, illos tantum non saluari, qui ex propria peruersa voluntate saluari expresse non volunt. Quodsi enim Christianus tandem adeo egenus esset & pauper, vt pro acquirendo cælo, nihil illi facultatis, ne obulus quidem suppeteret, simplex illius solaque voluntas Deo sufficeret, hanc enim haud secus ac si reali executioni data fuisset, acceptare & remunerare solet. Guilielmus Durandus causam inquirit, ob quam venerabilis sacerdos, thuribulo tribus distinctis vicibus ducto altare incenset? illam que assignans dicit: *Quia Maria ter exhibuit, & adhibuit vnguentum circa corpus Iesu*, quod sub altaris symbolo subintelligitur. Videlicet primo in Domo Simonis Leprosi. Secundo in Domo Simonis Pharisæi; Denique vltimo in sepulchro. Verum enimuero tametsi verum sit Mariam Magdalenam Redemptoris sui corpus prima & secunda vice vnxisse: tertia tamen vice idem prouti desiderabat vngere non poterat, quia ad sepulchrum veniens Christum Magistrum suum à mortuis resuscitatum & sepulchro egressum inuenit. Cur igitur tunc non minus quam duabus alijs vicibus realiter corpus Domini vnxisse dicitur? Cui dubio idem Doctor diuine respondet: *Quia voluntas reputatur pro facto.* Adeo enim magna & ad nobis subueniendum prona est Christi clementia, vt voluntatem nostram tametsi

Guiliel. Duran. Ra. Diu. lib. 4 c. 3.

illa opere completa non fuerit, haud secus ac opus ipsummet acceptet & præmiet. Tametsi Maria Magdalena pretiosissimum Christi corpus, ipso iam mortuo, non vnxerit neque balsamo condiuerit, vtpote quod à mortuis resuscitat um atque sepulchro egressum inuenit; quia tamen illud efficaciter vngere voluit, voluntatem eius pro facto reputauit, & veluti realiter factam vnctionem remunerauit. Adeoque tametsi homo pro Regno cælorum comparando nihil præstare aut dare posit, quia tamen promptam faciendi quod valet, volũtatem habet, Deus illum præmiando cælum illi donat. *Voluntas reputatur pro facto.* Videte igitur qua ratione verum sit, illum duntaxat æternam salutem non assequi, qui saluari non vult. Tametsi enim homo nihil eorum habeat, quæ pro cælo obtinendo requiruntur, Diuinæ tamen Clementiæ bona voluntas omnino sufficit, eandemque haud secus ac ipsamet opera acceptat & præmiat. Saluus igitur erit quisquis saluus esse desiderat & cum turba palmas Paradisi immarcescibiles in manibus habebit priusquam cum iisdem clamet *O Sanna*, vel *Salua nos in excelsis.*

SERMO XLI.

In Feriam Sextam Parasceues, seu diem Veneris sanctum.

Passio Domini nostri Iesu Christi.

GLoriosus ille Christi Domini nostri Thronus, in monte Thabor magnificè erectus, tribus fælicissimis Apostolis inter Moysen & Eliam constitutus apparuit, quasi inter duas sublimes columnas longe maiores & admirabiliores, quam olim fuerint eæ, quas Hercules in monte Athlante erexit. Hercules enim videns labores, quos hactenus in subsidium & vtilitatem mundi sustinuerat, sufficienter adhibitos fuisse, nec quicquam vlterius requiri columnis prædictis inscripsit: *Non plus vltra* in hisce autem duabus columnis ad maiorem mundi vtilitatem expressum legitur: *Plus vltra*; Moyses enim & Elias videntes quod labores, dolores & tormenta Christi Domini nostri transfigurati, omnes necessitates humanas sine vllo modo aut mensura seruata infinities superexcessura essent, illos excessum quendam appellarunt. *Dicebant excessum eius.* Et reuera illæ tot tantæque iniuriæ, contumeliæ, blasphemiæ, crudelitates aliaque indigna, quæ Christus Crucis & passionis suæ tempore dignatus est sustinere, magna quædam superabundantia, excessus, & quoddam *Plus vltra* meritum & necessitatem nostram fuit: *Dicebant excessum eius.* Atque ideo mors & Passio Domini nostri, necessario appellanda est excessus quidam amoris, Excessus humilitatis, Excessus liberalitatis, Excessus crudelitatis, Excessus pietatis, excessus patientiæ, excessus compassionis, excessus dolorum, excessus ignominiæ. Prouti in sequentibus considerationibus plenius videbitur. Quibus alius quoque excessus adiungetur, nimirum excessus doloris & planctus viduatæ matris. *Dicebant excessum eius.* Lu. 9 v. 31.

CONSIDERATIO I.

Egressus est IESVS.

Non Hebræus, sed amor carnifex ille fuit, qui Filium Dei vulnerauit & occidit.

QVod Christus Saluator noster Hierosolymorum vrbe egressus sit, seque vt Carnifices, qui illum capturi erant, inuenirent, horto Gethsemani veluti carceri cuidā incluserit, id S. Ioannes Chrysost. interpretatur factū fuisse ideo, vt videlicet discipulis suis euidens daret indicium, vnde colligerēt Hebræorū rabidorum & iuratorū inimicorum suorum sibi illatam violentiam & barbariem mortis suæ causam nequaquam futuram esse, sed potius amoris nimium excessum, quo erga nos cum prompto quodam & ardenti patiendi & moriendi pro nobis desiderio flagrabat. *Ostendit discipulis se ad mortem sponte proficisci, etenim in horto tanquam in carcere commoratur.* Vnde concludere oportet non Iudæum, sed amoris erga homines excessum esse carnificem illū qui Christum Dei filium cæpit, vinculis strinxit, vulnerauit, occidit.

S. Ioan. Chrysost. hom. 87. in Isa.

1. Inuentio illa qua Dauid Propheta, ad euadendam mortem, sibi ab aulicis Achis Regis insidiose & fraudulenter intentatam, ingeniosè vsus est, à S. Augustino animarum nostrarum Saluatori appropriatur, vtpote qui simili vsus est stratagemate, non quidem vt mortem euaderet, sed potius, vt illam per pretiosi sanguinis sui effusionem sibi conciliaret, & vitam perderet. Et merito quidem, nam vbi vulgata legit: *Immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum.* Ipse vertit. *Affectabat & tympanizabat ad ostia ciuitatis, & ferebatur in manibus suis.* Quod de Christo Domino in sensu mystico optime intelligitur, ipse enim pro nobis patiens & moriens, veluti alter quidam Dauid, Primo *affectabat*, id est, *affectu plenus erat*, inquit augustissimus literarum Doctor Augustinus, q. d. Tunc plus quam vnquam alias amoris erga illos, pro quibus patiebatur, affectu plenus erat; Et vti S. Ioannes aduertit *Cum dilexisset suos in finem dilexit eos.* Deinde *Tympanizabat*, id est, se tympano similem exhibebat, quod instrumentum quoddam est, in quo pellis quædā super lignum extenditur, & clauis affigitur, quia in ligno Crucis extensus & clauis affixus hærebat. *Tympanū enim non fit, nisi cum corium in ligno extenditur.* Subdit idem Augustinus. Quo modo etiam S. Bernardus Crucifixum describebat: *Corpore nudo in modum tympanicæ pellis distento.* Postremo & quidem magis ad propositum nostrū: *Ferebatur in manibus suis.* Id est, de loco in locū, de tormento in tormentum ipsissimis manibus suis portabatur, non vero manibus Carnificum. Minister enim qui illū in horto captiuū vinculis strinxit; ad tribunalia raptauit, columnæ alligauit, coronā spineā illi imposuit, denique in Crucem affixit, nullus alius præter semetipsum erat, ingens enim ille amorosi affectus excessus, ipsum in Crucis trunco tandem occidendum de pœna in pœnam impulit & circumduxit: *Affectu plenus erat. Ferebatur in manibus suis.*

1. Reg. 21. v. 13. S. Aug. in ps. 33.

Ioan 13. v. 1.

S. Bern. lib. de pass. Dō cap. 6.

2. Rupertus Abbas acuta quadam cum subtilitate Sacrificium Isaaci confert cum passione & morte Christi Domini nostri, atque collatione facta deprahendit, Deum omnes circumstantias quibuscum Abraham Patriarcha Filium suum obtulit, in vnigeniti filij sui morte punctualissimè obseruasse, solis vinculis, quibus Isaac alligatus fuerat, exceptis. Cum enim Abraham vna ex parte alligauerit Isaac, ex altera parte Deus non inuenitur alligasse Christum. Vnde dubitans quærit: *Ergone & Deus alligauit filium?* q. d. Fierine posset, vt Deus Pater ita sit crudelis in filium, vt illum quem de facto à crudelissimis carnificibus ligatum esse nouimus, ipse insuper vinculis alijs strinxerit, sicut Abraham filium suum vinxerat? Et respondet; Omnino ligatus & vinctus quoque fuit à Deo Patre, non tamen infirmis & debilibus funibus, quales sunt ex quibus fiunt vincula terrena, quæ tanto operi, ligandi scilicet Deum, insufficientia erant, sed vinctus est à Deo Patre graui quadam valdeque ponderosa catena amoris: *Colligauit plane non imbecillitatis vinculo, sed magnæ charitatis*

Rup. Ab. lib. 6. c. 3. ibid.

imperio,

imperio. Atque hac catena fortiter adeo vinctus & constrictus fuit, vt donec sacramentum Redemptionis humanæ consummatũ esset, solui nequaquam potuerit. Vnde dum Christum Dominum videtis ligatum & catenis crudelissimè vinctũ, ad mortem & Crucem ignominiose educi, nolite materiales illos funes attendere, quibus truculẽti Carnifices Iudæi illum strinxerant, neque enim hi tanto operi consummando suffecissent, sed catenam considerate amoris, quæ sola Diuino huic subiecto inferre vim tantam potuit. *Colligauit magnæ Charitatis imperio.* Huc Doctor mellifluus S. Bernardus respexit, dum Christum hunc in modum alloquitur: *Video oculis mentis te Domine Iesu tam dinexibus adstrictum, tanquam latronem trahi ad iudicium Principis sacerdotum, & Iudicem Pilatum: Video & perhorresco, & admiror, & admirando deficerem, nisi quod liquido cognosco te prius in corde Charitatis nexibus fuisse constrictum, qui ad deteriora vincula sufferenda te libenter attrahere potuerunt.*

S. Bern. lib. de pass. Dñ. cap. 4.

3. Dauid Propheta iuxta communem Patrum opinionem de Christi Passione loquens, illam Torrentem appellare voluit; *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Vbi obseruandum, quod non dicat: *De flumine in via bibet*; sed *de torrente.* Cur non appellauit illam fluuium sicut nominauit torrentem? Quodsi enim per symbolum torrentis, ob aquarum quas secum trahit abundantiam, dolorum Christi nimiam inundationem & excessum significare voluit, certe hoc eodem fine vti quoque potuisse videtur symbolo fluminis, vtpote quod non minus quam torrens aquarum copia grauidum & onustum existit. Hoc quidem verum est, veruntamen quia præter Sacramentum istud, aliud insuper proponere volebat, quod non nisi sub torrentis symbolo explicare poterat, ideo illam non flumen, sed torrentem nominauit. *De torrente in via bibet.* Sciendum igitur differentiam quæ est inter flumen & torrentem, non esse modicam. Cum enim aquæ fluminis ex terræ fontibus deriuentur, aquæ torrentis de Cælo descendunt. *Torrens dicitur fluuius, qui non de fonte, neque de viua aqua, sed à pluuia descendit,* dicit certus quidam author. Vnde quia Dauid prævidebat futurum vt aquæ torrentis, id est, Passionis Christi, non de terra, id est, non à terrenis hominum huius mundi manibus quæ ipsum affligebant, sed de cælo, id est ex Diuini amoris manibus suam essent habituræ originem ideo passionem suam non flumen, sed torrentem nominauit. *De torrente in via bibet.* Vt insinuaret, quod tametsi Christus extrinsecus quidem ab hominum manibus, captus, iudicatus, flagellatus, vulneratus, Crucifixus, & mortuus esset verus tamen Carnifex qui tanti facinoris præcipua causa erat, diuinus amor fuerit, qui omnia de cœlo sic ordinauit.

Ps. 109. v. 7.

Thilius in Emblem. Alciati Embl. 166.

4. S. Lucas refert quod dum mansuetissimus Dominus noster crudeles inimicorum suorum ministros à quibus occidendus erat, expectans, in horto Gethsemani agonizaret, & oraret, pretiosissimus eius sanguis in tanta copia effusus fuerit, vt in terram vsque abundanter decurrerit. *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Quænam causa dulcissimum Redemptorem nostrum impulit, vt cum intra breue tempus vi flagellorum, spinarum, clauorum, lanceæ aliorumque tormentorum copiosissimum effundere sanguinem decreuisset, illius tamen quantumuis breuis moræ impatiens, antequam adhiberentur flagella spinæ, claui, lancea, sanguinem suum in tanta abũdantia effundere voluerit? Vt insinuaret principalem effusionis sanguinis sui causam non esse ferrum, aut aliud quoduis humanum instrumentum, sed amorem. Vnde sciendum est admirabilem hanc sanguinis effusionem ex mente S. Bernardini, ex amorosi ignis qui illo tempore in Christi pectore flagrabat, excessu processisse, ad eum fere modum, quo vasi alicui accidere solet, quod ardentissimo cuidam igni appositum non solum feruet & bullit verum etiam eum quo impletum est, liquorem magna ex parte effundit. *Immensus ac feruentissimus amor in hoc manifestatur, sæpe enim feruens ebullitio mittit ad extra. Proinde quantum anima Christi Charitatis igne in intimis bulliendo ferueret, scaturitio sanguinis clarius manifestat.* Quasi insinuare voluisset sanguinem illum qui ex plagis per flagella

Lu. 22. v. 44.

S. Bernar. ser. 55. de pass. Dom. ar. 1. c. 2.

gella & clavos infigendis effundendus erat, non tam ex vi tormentorum adhibitorum, quam ardentissimi quo erga homines ferebatur amoris vehementia manaturum esse. Atque in hujus rei signum, priusquam flagella & ferrum divino suo corpori approximarent, aut ex inflictis vulneribus sanguis promanaret, voluit eundem sine ferro, & sine vulnere illum in tanta copia effundere, ut in ipsam quoque terram stillatim decurreret. Ad hoc ut sanguine illo postea ex vulneribus vbertim fluente, hæc talis ac tanta violentia, non hominum tormentis, sed igni amoris tanquam vero carnifici attribueretur.

5. S. Bernardus ad quendam discipulum suum Novitium, qui postea Abbas creatus est Claræ-vallis, scribens, eodemque efficax quoddam adversus diabolicas tentationes præservativum suggerens, hoc ipsi *Recipe* transscripsit: *Si tentationum sentis aculeos, exaltatum in ligno serpentem aneum intuere: & suge non tam vulnera, quam vbera Crucifixi.* (S. Bern. epist. 351.) Quasi diceret: Quotiescunque ex Diabolicis suggestionibus aliquam persenseris molestiam, festinus ad Christum Crucifixum te recipe, atque ex ejusdem plagis veluti totidem vberibus Divinum suge liquorem qui admirabilem te ab imminenti periculo præservandi habet virtutem. Quis mihi causam explicabit, ob quam Sanctus hic Abbas Christi plagas, non solum vulnera, sed etiam vbera nominare voluerit? Non tam vulnera quam vbera. Quantum ego videre possum causa illius esse videtur hæc, videlicet ut per hoc insinuaret, pretiosum Christi Sanguinem, non ex Hæbræorum sævitie, sed ex amoris nimia virtute egressum & effusum fuisse, quasi revera non sanguis, qui absque adhibita ferri violentia effundi non potest, sed lac fuisset, quod maternus amor pectoris materni inhabitator, ad debilis infantis vtilitatem & commodum stilla subministrat. *Non tam vulnera quam vbera Crucifixi.*

6. Neque Christus aliam ob causam in publicum prodire voluit, capite spinis contecto atque transfixo, quam ut novum quoddam præsenti proposito illustrando argumentum subministraret, quod ex eo quod Canticorum cap. 2. sponsæ suæ dicebat sit manifestum: *sicut Lilium inter spinas, sic amica mea.* (Cant. 2. v. 2.) Verum ô Domine vnde nosti sponsam tuam Lilium quoddam esse spinis obseptum. Vnde id suam, quæris? Quia pulcherrimi floris istius venustate allectus, ut eundem è terra decerptum in Cæli transferre possem viridarium, de Cœlo in terram descendi, cumque illum non nisi spinas pertransceundo decerpere possem, inter medias spinas ne Lilii solus amore ingessi, atque hac ratione factum est, ut sicuti ex una parte, amoroso meo satisfeci affectui, ita ex parte altera Caput meum spinis transfossum & obseptum fuit. Id quod aliter accidere minimè poterat. Nam ut Hugo Cardinalis hunc locum explicans dicit: *Qui Lilium inter spinas colligere vult, aculeos spinarum necessario patitur, quod liquidum est in ipsa sponsa.* (Hugo Card. ibid.) Vnde necessum est dicere, amorem qui divinum sponsum ad dilectæ sponsæ suæ assecutionem exstimulavit, non vero Hebraicæ crudelitatis violentiam, eundem inter medias spinas adegisse, Caputque illius spinarum aculeis transfodisse.

7. Dum Crucifixus Dominus noster ex Crucis Ligno suspensus penderet, levatis in Cœlum oculis, Patri suo dixit: *In manus tuas commendo spiritum meum.* (Lu. 23. v. 46.) Qui hunc locum maturius considerat persuadere sibi facile posset, Christum ideo hæc verba dixisse, quia mortem quærebat subterfugere. Eo ipso enim quo animam suam Dei manibus commendabat, in quas uti sapiens dicit, mors suas dirigere & evibrare sagittas non potest: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* (Sapien. 3. v. 1.) Videtur se mortis reddere voluisse securum. Veruntamen id nequaquam facere prætendit. Nam per hæc verba non solum mortem non subterfugiebat, quin potius eandem sollicitabat. Videns enim Christus, inquit S. Ioan. Chrysostomus, Hebraicam crudelitatem jam esse completam, totum jam Sanguinem effusum esse, jamque mortis sibi imminere articulum, ipsamque mortem ad detruncandam sibi vitam non solum morari sed etiã quomodo subducere se pos-

set meditari: *Cum iam nihil restaret ex pœnis, mors refugit, mors moratur*, animam suam in manu Patris sui reponere decreuit, vtpote amoris armis atque sagittis obarmatis, qui ad occidendum hominem vitamque eripiendam paris est cum amore potentiæ, dicente Propheta: *Arcum suum tetendit & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis sagittas suas ardentibus effecit.* Vt vel hac ratione mori posset; simulque innueret, mortem sibi non tam à tormentis Iudaica crudelitate sibi illatis hæc enim tanto facinori patrando infirma nimis erant, quam ardentibus amoris sagittis fuisse accersitam.

S. Io. Chrysost. ser. 6. de Pass. D.

Ps. 7. v. 13.

8. Sancta Ecclesia Diuinum sponsum introducit de ingratissimorum Hebræorum crudelitate grauiter conquerentem & dicentem: *Lanceis suis vulnerauerunt me.* Circa quæ verba obseruandum mihi videtur quod non dicat in singulari numero, *Lancea sua vulnerauerunt me*, sed *Lanceis suis* in numero plurali. Cur autem non dicit se vna tantum lancea vulneratum esse, pluribus, cum non pluribus lanceis, vt Absalon vulneratus sit, sed vna tantum, teste S. Ioanne: *Vnus militum lancea latus eius aperuit?* Verum enimvero quemadmodum vnus Adamas adamantem alio limatur, læuigatus & politus, ita quoque vnus scripturæ locus suam ex altero lucem, interpretationem & intelligentiam sortitur. Vnde pro huius loci intelligentia, recurrendum nobis est ad verba illa quibus Christus sponsam Cant. cap. 4. alloquebatur dicens: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* Ex Quibus verbis liquet sponsam, sibi bina vice cor suum transadegisse, quasi duabus lanceis, lancea videlicet amoris, & lancea longini. Ita hunc locum deuotissimus atque mellifluus Bernardus explicat: *Quia Zelo amoris tui vulnerasti me, lancea quoque militis vulneratus sum.* Vnde cum bina vice quasi bina lancea vulneratus sit, optime se pluribus lanceis vulneratum esse dicit: *Lanceis suis vulnerauerunt me.* Vnde Christus, illo loco ad eum modum lamentari videbatur, quo moribunda Dido olim ferro pectori admoto de Ænea conquerebatur dicens:

Ioan. 19. v. 34.

S. Bern. S. de pass. D. c. 2.

Ouid. Epist. Didon ad Æneã.

Nec mea nunc primum feriuntur pectora telo
Ille locus sæui vulnus amoris habet.

Aut sicut misera Procritates postquam ab amico Cephalo vulneratam se esse sensit:

Heu mihi, conclamat, fixisti pectus amicum,
Hic locus à Cephalo vulnera semper habet.

Idem 3. de Arte.

Porro hisce omnibus præintellectis, sciendum est, lanceam amoris viuentem Christũ vulnerasse; Lanceam vero Hebræi illum transfodisse iam mortuum? *Vt viderunt eum iam mortuum vnus militum lancea latus eius aperuit*, inquit S. Ioannes, Idque vt per hoc intelligamus, solam amoris lanceam, quæ viuum illum depræhendit non vero lanceã Iudæorum, quæ illum tetigit iam mortuũ, ipsum potuisse occidere. Viuum enim corpus solum est id quod occidi potest, non vero mortuum. *Mortuum est cor Domini Iesu* inquit S. Bernardus: *Quia vulneratum possedit vulnus amoris, possedit mors amoris Domini, cor sponsi Iesu, quomodo mors altera introibit?* Nec est quod mihi quispiam obiiciat, Amorem nunquam claues & lanceas tractare, consueuisse, sicut illas tractant & exercent Hebræi. Grauiter enim id existimando erratis. Siquidem in amoris armamentario nullus est horum armorum defectus, *Habet clauum suum Charitas, habet gladium suum*, inquit S. Ambrosius quasi diceret: Non est amori opus peregrinum aut difficile crucifigere & occidere, neque enim ad Crucifigendum & occidendum alienis clauis aut lanceis indiget. Habet suos clauos, suasque lanceas promptas atque paratas ad eum prorsus modum, qui in Crucifixione & morte Filij Dei adhibitus fuisse cernitur. *Habet clauum suum Charitas, habet gladium.*

Ioan. 19. v. 34.

S. Bern. ibid.

S. Ambros in ps. 118. oct. 15.

9. Quodsi quis Christum animarum nostrarum Saluatorem in Cruce eleuatum atque extensum considerauerit, ipsumque nudum conspexerit, non poterit sine dolore ac stupore cordis exclamare & dicere. Ecquis spoliare nudumque relinquere illum potuit, qui lumine stellas, aues plumis, omnes lana, herbis & floribus terram, tot pannorum fortibus homines ac denique Ange-

 los

los gloria vestit? Fortasse carnifices? Ne velim in mentem vobis veniat tantam huius mundi hominibus vim aut robur attribuere, vtpote qui tanto facinori patrando prorsus sunt insufficientes. Sed potius date palmā Diuino amori. Sicut enim calor intus in homine residens illum vestibus spoliat, & nudum relinquit: Ita amoris æstus quo amantissimum Cor Domini nostri in cruce pro nobis patientis, velut in viua quadam fornace ardebat, vestibus illum exuit, fecitque vt totus in Crucem nudus ascenderet. Vnde Iacobus de Voragine inquit: *Vestes in Cruce ferre non potuit, sed nudus ascendit, ac si ipso facto diceret: Tanto igne Charitatis ardeo, quod vestes aliquas ferre non valeo.* Quo in loco obseruandum amorem principalem omnium rerum illarum causam esse quæ in Passione Domini nostri acciderunt. Nisi enim amor in Christi pectore arsisset, Hebræi nunquam ipsum vestibus spoliare potuissent.

Iacob. de Vorag. ser. 2. Dom. pass.

10. B. Laurentius Iustinianus vult Christum Cruci affixum, atque in aera eleuatū. Iridi persimilem fuisse, tuncque verificatam fuisse ipsi Noë à Deo de remittendis mundi peccatis remissionem; *Crucifixus ergo in stipite Christus, tanquam propitiator optimus in nubibus eleuatus est, quemadmodum Noe sancto promiserat: Arcum meum ponam in nubibus cæli.* Et reuera aliter exhiberi non potuisset. Sicut enim Iris ex colore Cæruleo, viridi & purpureo componitur, ita Christi corpus in Cruce suspensum cæruleum erat per flagellorum liuorem, per spineam Coronam viridis, purpureus autem ob sanguinem qui ex infinitis vulneribus effundebatur: Et sicut colores Iridis à solis penicillo adeo sunt delicatè efformati, vt sicut Aristoteles dicit, nemo mortalium illos imitari possit, aut explicare: *Sunt colores hi, quos quidem solos non possunt facere pictores.* Sic manus Hebraica Diuinum filij Dei corpus flagellorum & clauorum penicillo pingere & effigiare nequaquam potuit, nisi adiuta fuisset manu solius Diuini amoris.

Laurent. Iustin. de Agone. ca. 20.

Arist. Mete. lib. 3. c. 1.

11. Vnde Petrus Abbas Cellensis dixit: *Quam pulchras & quam decoras nouit fingere formas dilectio!* Quam potens est amor in aëre pingendi? quam pulchras elegantesque ingenioso penicillo suo adumbrat figuras? Ecquales figuras? *Pingit Iesum passum, pingit flagella in dorso, pingit lanceam in latere.* Quænam potest excogitari in mundo pulchrior figura Christo Crucifixo flagellis onusto, aperto latere conspicuo, & quasi regia purpura circumdato, proprioque sanguini immerso? Huius autem vera effigies opus fuit atque pictura manuum amoris, non vero ingenij humani, quod ad sublime adeo artificium eleuari non poterat.

Petr. Cellens. lib. de Conscien.

12. Ob hanc rationem mihi persuasum habeo quod vt tradit S. Bernardinus, postquam Christus in Crucem iam iam extollendus Carnifices hortatus est, vt sui ad crucem affixionem accelerarent, ad ostendendum quod voluntariè moreretur, Patrem rogauerit, vt in barachiis suis quinque literas dignaretur exprimere, eas videlicet, quæ formantur ab hac Dictione, *Amor: Volo subire mortem pro salute totius humani generis, configite ergo me. Et petiit gratiam à* Deo, *quod inscriberētur in suis brachiis, quinque litera quæ dicunt Amor.* Quasi ad magni illius pictoris illum effigiantis honorem maiorē, à Patre suo æterno petiisset, vt in figuræ suæ symbolo, seu in humanitate nomen subscriberetur authoris, ad hoc vt omnes quotquot illum respicerent & admirarentur, quomodo possibile esset, vt impassibile passibile fieret, immortale mortale, denique quomodo is qui vitam omnibus viuentibus donat, occidere posset, legendo nomē Authoris tanti prodigij, desineret admirari, Deus enim in illa figura, qua in Cruce extēsus videtur, mortali manu depictus aut efformatus nequaquam fuit, sed speciali illius quo erga homines ardebat amoris virtute. Vnde Innocentius III, Summus Pontifex concludit: *Hac est Charitas qua tantum in Deum praualuit, quod eum de sede Maiestatis ad infirmitatis nostræ humilitatem adduxit, vulnerauit impassibilem, ligauit insuperabilē, traxit incommutabilem, æternum fecit mortalem,*

S Bern. 4. ser. 4

Innoc. de Lau. Charit.

CONSI-

CONSIDERATIO II.

Positis genibus orabat.

Dum Vnigenitus Dei Filius nostram operatus est salutem, in profundam adeo humilitatis abyssum visus est descendere, vt cum verus Deus verusque fuerit, tamen nec Deus nec homo tunc apparuerit.

INter alias rationes ob quas Passio Redemptoris nostri, dicta est excessus: *Loquebatur de excessu* S. Antonius de Padua humilitatem assignat, in qua in horrenda hora illa profundissime se demisit: *Excessum vocat ratione perfectæ humilitatis;* Cui in horto principium dedit, dum Patrem oraturus genua sua flexit: *Positis genibus orabat, vt humilitatem mentis habitu corporis ostenderet,* inquit Seraphicus Cardinalis. Et quanto magis Cruci & morti appropinquabat, tanto profundius supra humanam Fidem videbatur humiliatus, adeo vt cum Deus simul & homo esset, tamen nec Deus nec Homo fere esse videretur.

S Anto, de Padua ser. Dom. 2. Quadrag. S. Bonau. in c. 22. Lu

1. S. Ioannes scribit quod priusquam Christus in Cænaculo egrederetur, & daturus aliquod humanæ redemptionis principium, ad hortum sese recepisset, discipulorum suorum pedes lauare voluerit. Quod cum Petrus, à quo lotionem istam incepit, nulla ratione vellet permittere, resolutissime dixit: *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Sed quare id nolebat? S. Augustinus inquit: *Quia ante eum genuflexit. Diuitias incarnata. Deus ante hominem, Creator ante Creaturam, Rex ante piscatorem, pulchritudo ante deformitatem. Ideo Petrus Diuinitatem incarnatam videns ante se curuari, expauit, exhorruit: & per cænaculum veluti insensatus cucurrit, & clamauit, Non lauabis mihi pedes in æternum.* Et merito, quisquis enim peregrinum istud spectaculum diligenter considerat, videns Deum, coram quo omnes Creaturæ tam quæ apud inferos & in terra, quam quæ in Cælo sunt tremunt & reuerenter genua flectunt, pedibus vulgaris cuiusdam & plebei hominis aduolutum, ad tantæ humilitatis conspectum, haud secus ac S. Petrus stupidus & veluti insensatus manere debebit, siquidem hæc non vulgaris quædam humilitas sit, sed potius quædam humilitatis abyssus, & excessus. *Expauit, exhorruit, & per Cænaculum velut insensatus cucurrit.*

Ioan. 13. V. 8. S. August. ad Fratres ser. 28.

2. Verum enimuero ex quo sanctus Petrus Apostolus Diuinam Maiestatem ante pedes suos prostratam & humiliatam videns, adeo se vt ab eo lauaretur iudicauit indignum, quæ causa est, inquit S. Cyprianus quod alij Apostoli idipsum videntes, in eundem quoque stuporem & horroris sensum rapti non sint, neque S. Petri capitis sui exemplo intentatæ lotioni moliti sint resistere? Et diuine respondet: *Pauent discipuli, nec audent obloqui, & quasi extasis teneat eos, vel mens alias rapta peregrinatur: nec Magistro resistere, neque quid hoc sit, neque cur fiat, inquirunt,* q. d. Pauor & tremor alios Apostolos ad hoc tantæ humilitatis spectaculum tantus inuasit, vt à semetipsis alienati in stuporem & extasin rapti sint; atque ideo cum admirabilem actionem istam non potuerint reflectere, mirum non est quod nullam ipsi fecerint resistentiam, vti S. Petrus fecerat. Vnde colligi potest quam ingens, peregrina & stupenda fuerit moribundi Domini nostri humilitas, tanta nimirum vt ad illius conspectum homines facti sint omnino attoniti, stupefacti, extatici, deficeretque eos vox omnis & sermo. *Pauent discipuli, nec audent obloqui.*

S. Cyprian. de Ablut. ped.

3. S. Ephrem existimat, quod Christo Domino coram Caipha præsentato, atque ab ingrato Malcho horrenda illa alapa quam sanctus Ioannes describit dicens: *Vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu* ibidem percusso, Cælos contremuisse, terram ab ipsis vsque fundamentis fuisse concussam, Angelos attonitos obstupuisse, Gabrielem denique & Michaelem, qui proprius ipsi assistebant, ad istud tantæ Maiestatis vilipendium faciem suam alis suis operuisse: *Contremuerunt cæli, inhorruerunt fundamenta orbis terrarum, Angeli & Archangeli obstupuerunt, Gabriel & Michael vultum*

Ioan. 18. v. 22. S. Ephrem. ser. de pass. Dom.

vultum suum alis contexerunt. Quænam est ratio, quod ad horrendæ huius alapæ conspectum ipsæ quoque insensibiles & pure intellectuales creaturæ, tantum doloris sensum expresserint? Quia ex vna parte sciebant sublimem magni illius Domini Maiestatem, ad cuius præsentiam celsissimæ quoq; cœli columnæ contremiscunt & expauescunt; vnde dum eandem Maiestatem ex altera parte ita humiliari conspiciunt, vt dico nequissimæ & maledictæ manus istius flagello maxillam suam porrigeret, tali ac tanto spectaculo sine ingenti horrore, acutissimo pue doloris sensu assistere minimè potuerunt. *Contremuerunt cœli, inhorruerunt fundamenta orbis terrarum, Angeli & Archangeli omnes obstupuerunt,* O vere admirabilis, nec vnquam hactenus audita humilitas!

4 Sacri Euangelistæ referunt Pilatum priusquam Christus adigeretur in crucem, ministris suis præcepisse vt illum ad columnam firmiter alligatum truculentissime cæderent & excoriarēt, prout ire ipsa deinceps sunt executi, principalis causa propter quam Dei filius inter alia Passionis suæ tormenta, sustinere quoque istud voluerit, à S. Bernardo hisce verbis est assignata: *Filius erat & factus est tanquam seruus, non solum formam serui accepit, vt subesset, sed etiam mali serui vt vapularet.* q. d. Quia amantissimo Iesu postquam factus est homo non sufficiebat se hominum factum esse seruum, sed malum quoque & peruersum seruum se ab omnibus reputari vehementer desiderabat, ideo voluit vt Pilatus illum columnæ alicui dirè alligari, in eademque crudelissimis virgis cædi præciperet, atque veluti peruersum seruum crudeli hocce supplicio afficeret. Porro negari non potest quin magna & admirabilis fuerit humilitas omnique carens exemplo quod Deus cum hominibus conuersatus, hominum factus sit seruus: attamen quod postea hac humilitate minime contentus, se quoque sub forma mali diroque supplicio digni serui exhibere voluerit, id profecto tantus fuit humilitatis excessus vt nos vna cum terra quam pedibus nostris calcamus à vertice ad calcem vsque tremere faceret: *Non solum formam serui accepit, vt subesset, sed etiam mali serui vt vapularet.*

S. Bern. ser. fer. 6 Hebd. pœnos.

5. S. Lucas Euangelista ludibria illa quæ diuina sapientia in domo Caiphæ patienter sustulit recensens dicit, quod postquam crudelissimi lictores eandem pro sua libidine varijs sannis atque ludibrijs affecissent, tandem Diuinam eius faciem velo quodam obduxerint: *Viri qui tenebant Iesum, illudebant ei cædentes & velauerunt eum.* Quamobrem post tot tantaque ludibria faciem quoque eius velauerunt: *Velauerunt eius faciem,* inquit Paulus de Palatio: *Quia tam immunda, & sic horrens erat vt nauseam illis excitaret, vt sic sine fastidio liceret eis ad libitum percutere,* quasi diceret Crudeles Christi Carnifices faciem eius fœdis & abominandis sputis suis adeo sordidauerant & conspurcarant, vt cuiuis eam respicienti nauseam generaret. Vnde vt maiori cum libertate ac cum minori cum nausea illum aspicere, illumque pro libitu suo atrocius torquere possent, velo quodam faciem eius obducere voluerunt. O vos cœlestes Angeli quid moramini, cur ad horrendum spectaculum istud de cœlo in terram rapidissime descendentes non accurritis? Gloriosa facies illa, in cuius aspectu & visione summum bonum vestrum consistit, quam tanto magis intueri desideratis, quanto illam diutius contemplati fuistis, hæc inquam facies in Domo Pilati adeo deiecta, dehonestata, defœdata & humiliata conspicitur, vt ipsimet quoque Dæmonis ministri eandem abominentur & exhorrescant. *Tam immunda & horrens erat, vt nauseam illi excitaret.*

Luc. 22. v. 63.

Paulus de Palac. in cap 26. Matth.

6. Christus in cruce suspensus, hæc Psalmi 21. verba dixisse fertur: *Sicut Aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.* Iacobus de Valentia prima huius versiculi verba, quæ sola ad præsens propositum nostrum pertinent, optime ponderat, & quærit: Cuinam aquæ afflictus Dominus noster semetipsum comparat. Num forte alicui aquæ pretiosæ per magni ab hominibus æstimatæ, an vero Aquæ vulgari & communi? Et dicit quod nulli harum Christus se compararit, sed potius aquæ fœtidæ atque immundæ, quæ ob nau-

Psal. 21. v. 15.

nauseam quam creare possent, foras extra domum in loca fœda, turpia, & quæ nominari non merentur, projiciuntur, quasi clarioribus magisque perspicuis verbis dixisset: *Sicut Aqua immunda effunditur, & proijcitur extra domum, ita ego fui effusus & proiectus super terram, tanquam inutilis & despectus.* Obseruetis hinc & admiramini magnum illum humilitatis Dei nostri pro nobis morientis excessum qui nimirum tantus fuit, vt non tantum æstimatus fuerit velut homo inter alios homines superfluus & inutilis, verumetiam velut homo fœdus, turpis, & abominandus. *Iacob de Valer. ib.*

7. *Isaias* Propheta Martyria filij Dei descripturus, priusquam arreptum calamum chartæ admoueret, ad Deum conuersus dixit: *Domine quis credidit auditui nostro* quasi dicere vellet. Priusquam ô Domine scribendorum seriem exordiar, scire percuperem, num forte aliquis futurus sit, qui fidem adhibiturus sit ijs quæ à me scribentur. Porro primo intuitu iniqua atque irrationabilis videri posset Prophetæ petitio, vtpote qui persuasum sibi habere debebat, quod cum non ex proprio cerebro conficturus sit ea quæ scribenda erant, sed potius ea tantum traditurus, quæ ei dictaret atque suggereret spiritus sanctus, nemo ijs fidem suam sit denegaturus. Veruntamen quia vt Oleaster inquit, Isaias Propheta in historia illa profundam descripturus erat humilitatis abyssum, in quam se incarnata sapientia tempore mortis suæ abiectura erat, ideo verebatur ne forte Historia à se conscribenda à paucis tanquam vera, sed potius tanquam mendacium & fabula reciperetur, vnde merito pro dictis Deum verbis alloquitur: *Tam ineffabilia & incredibilia sunt, quæ Dominus pro nostra salute passus est, vt vates eius ea prædicare vereantur, timentes homines fidem ijs quæ dixerint, non habituros; Aduerte ad qualem humilitatem descendit Christus, vt videatur incredibilis, & vates timeat eam enarrare quoniam timuit & nos non credere.* Tametsi enim omnia quæ in Passione filij Dei acciderunt, magna, ineffabilia atque humano intellectui inimaginabilia existant, humilitas tamen Christi omnium aliorum limites ac terminos superexcedit, videturque ob incredibilem profunditatem suam incredibilis. Atque ideo Isaias Propheta timens ne forte nullus hominum ijs quæ de hac humilitate Christi scripturus erat fidem adhiberet, priusquam manum calamo & scriptioni admoueret hanc illi difficultatem proposuit dicens: *Domine quis credidit auditui nostro.* *Isa 53. v. 1.* *Oleast. ib.*

8. Consummato & finito in monte Thabor glorioso illo Transfigurationis spectaculo Christus tres discipulos illos qui illo perfruiti fuerant serio commonuit, ne eorum quæ viderant aliquid cuipiam reuelarent, donec resuscitatus esset à mortuis. *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Nicolaus de Lyra quærit qua de causa Christus visionem hanc ante Resurrectionem suam à mortuis reuelari & publicari noluerit? videbatur enim quod si illam nolebat coram totius mundi auribus manifestam fieri, ad minus saltem permittere debuerit, cæteris Apostolis eandem visionem reuelarent, qui in pede montis seu valle remanserant vt hac ratione si forte ex vna parte non fuêre digni, qui tanti tamque nobilis spectaculi fierent spectatores, ex parte altera dignificarentur vt esse possent, eorum qui visionis huius aspectu & fruitione gauisi fuerant, auscultatores. Et respondet Factum id esse: *Ne alij audientes Christum eis apparuisse in forma gloriosa scandalizarentur postea, videntes ipsum pati tam ignominiose.* Neque enim persuadere sibi potuissent, vlla ratione possibile esse, virum adeo illustrem & magnum, ea ratione prosterni, deijci & humiliari posse, quemadmodum in Christo fieri passim ab omnibus videbatur. Quis enim credere potuisset eum qui iudicaturus erat mundum, ab eodem mundo fore iudicandum? Eum qui amictus & circumdatus est gloria, ignominia tanta obtegendum esse? Eum qui peccatores mundat & sanctificat, in cruce inter duos peccatores tanquam peccatorum Coriphæum esse suspendendum? *Matth. 17. v. 9.* *Nicol. de Lyra ib.*

9. Atque hinc est quod S. Petrus Apostolus tantum Sacramentum admiratus Actorum cap. 8. Isaiam Prophetam citauerit, qui de ineffabili Christi humilitate, quam eo

eo tempore quo truculentorum carnificum subiectus erat sannis ludibrijs & opprobrijs, exhibuit, loquens inquit: *In humilitate iudicium eius sublatum est.* Verum enimuero, quodnam est iudicium istud, quod propter humilitatem sublatum esse dicitur? Audite S. Bonauenturam id clare atque perspicue explicantem: *Tanta eius humilitas fuit, vt nullus de eo daret rectum iudicium, vt à nullo crederetur Deus?* Homines enim Christum tot prodigia atque miracula patrantem videntes obstupescebant, ipsumque verum Dei filium esse firmiter iudicabant, ijdem vero postea illum morti adiudicatum, derisum, contemptum, crucifixum videntes, cum sibi hunc Deum esse persuadere non possent, iudicium prius dimiserunt, & simplicem quendam hominem esse crediderunt. Adeo namque conspiciebatur esse vituperatus, contemptus & humiliatus, vt imposibile videretur mundo, tantam tamque gloriosam Maiestatem, qualis illa Dei erat tot fieri posse opprobriorum & ignominiarum obiectum. Eundem vno eodemque tempore quo (à Seraphinis cæterisque beatis spiritibus adorabatur & glorificabatur in cœlo pariter, inter duos latrones suspendi & ab Hebræis derideri posse in cruce. Et reuera actus quidam imposibilis esse videbatur, tantam Maiestatem cum tanta abiectione, gloriam cum ignominia vitam, cum morte coniungere posse: *vt à nulla crederetur Deus.*

Actor. 9. v. 33.

S. Bonau. de perfect. vit. cap. 2.

10. Priusquam Christus Dominus pedes lauisset discipulorum, memor factus est, vt inquit S. Ioannes, quia à Deo exisset, & ad Deum iret. *Sciens quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit.* Locus iste secundum primum sui corticem valde scabrosus est atque difficilis. Neque enim satis liquet qua ratione Christus à Deo exiuerit, idest, a Natura diuina vt per aliquod tempus non fuerit Deus Et tamen quantumuis certum sit Christum nunquam desijsse neque potuisse desinere esse Deus, Christus nihilominus dixit se à Deo exiuisse, nam, vt vult S. Bernardus: *Talem se hominibus prabuit qui posset ligari, colaphizari, flagellari, conspui, & ad vltimum occidi, hoc est, quod dicitur à Deo exiuit.* q. d. Postquam Deus factus est homo, & consequenter ligari, flagellari, conspui, denique ab hominibus occidi potuit, visus sibi est ab essentia Diuina egressus fuisse, in illo tempore enim quo tot subijciendus erat opprobrijs, non Deus, sed simplex homo cognosci poterat, nullus enim persuadere sibi potuisset, Deum in tot se malorum profundum pelagus demittere potuisse. *A Deo exiuit.*

Ioan. 13. v. 3.

S. Bern ser. 2. in cœn. Dom.

12. In spectaculo filij Dei flagellati, quod Pilatus Hebræis, ad mitigandā peruersi populi illius rabiem & saluandam Domini vitam proposuerat, Præco quidam elata voce acclamare debuit *Ecce Homo.* Ita enim S. Ioannes refert *Exiuit ergo Iesus portans spineam coronam & purpureum vestimentum, & dicit eis Ecce Homo.* Circa quod mihi inquirendū videtur: Cur Pilatus non ordinauerit, vt Præco diceret: Ecce Christus, Ecce Iesus Nazarenus, Ecce Rex Iudæorum, Ecce Filius Dei, aut alio simili illū vocabulo nominaret, sed vt solū diceret: *Ecce Homo?* Num forte Prænone tacente agnosci non potuisset Christū hominem esse? Nequaquā, ideoq; opus erat, vt nominaretur Homo. Quasi dictū fuisset à Præcone, inquit Paulus à Palatio: *Quid irati estis, quia hic Filiū Dei se fecit, Deum se faciens? vix hominem esse iudicatis, tantū abest vt Deum esse monstretur. Vermis est potius, non homo opprobriū potius est & abiectio plebis, si dicto filiū Dei se fecit, opere minus quam hominem videtis.* q. d. O vos rabidi canes, crudeles lupi, furibundi leones, Quodsi ideo sic aduersus mansuetissimum hunc hominem excandescitis, vt sanguinē & mortem eius auide desideretis, quia Filiū Dei se nominauit, videte inquam vsque conditionē redactus sit, vt nimirū non solum non videatur esse Deus, sed nec homo esse appareat, vt proinde ad hoc vt Homo esse cognoscatur opus sit, vt per Præconem talis esse proclametur: *Ecce Homo.* Considerate itaque in verbis istis magnum in animarum nostrarum Saluatore, Redemptionis humanę negotio incumbente, humilitatis excessum, cum enim Deus simul esset & homo, non solum non apparuit Deus, sed nec homo esse dignoscitur. *Vermis est potius, non homo.* Optime igitur per os Dauidis dixit: *Humiliatus sum nimis,* Id est, inquit sanctus Bernardinus *Excessi in humiliatione.* Humilitas quæ in meis se martyrijs mundo prodidit, non vulgaris aut communis est, sed exorbitantia & ex cessus.

Ioan. 19. v. 5.

Paul. de Palat. in cap. 27. Matth.

Psal. 21. v. 7.

S. Ber. to. ser. 11. a. 3. in 3. p.

cessus est humilitatis, nunquam hactenus in aliquo exemplo visus vel auditus. Excessit in humilitatione.

CONSIDERATIO III.

Factus est Sudor ejus.

Nunquam inter homines visus est adeo prodigus bonorum suorum dissipator, qualem se Christus eo tempore ostendit, quando mortem operiebatur.

Licet Dei filius ad hoc ut mundum ab infinitis debitis suis eximeret, opulentum ei pretiosi Sanguinis sui donum eidem impertiri decreverit, ideoque in montem Oliveti sese recipiẽs, Carnifices, qui pro thesauro illo opulentissimo extrahendo, illum vulneraturi, Gazæque portas intra quos thesaurus ille reservabatur, reseraturi erant præstolatus fuerit; Nihilominus quia ob Divini cordis sui magnificentiam, præter omne exemplum liberalis imo prodigus erat, omnis etiam minimæ moræ quam Carnifices in tormentorum suorum apparatu facturi erant, impatiens, Divini Corporis sui poros venasque vltro citroque nemine allaborante aperire, pretiosumque sanguinem suum in tanta copia effundere voluit, vt narrante S. Luca, tota inde terra tincta imbutaque fuerit: *Factus est sudor ejus, sicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram.* Quo in opere mundus divinam ejus admirari cœpit magnificentiam, certiorque fieri, nullum hactenus aliorum hominum visum esse, adeo prodigum, propriorumque bonorum suorum dissipatorem, qualem se Christus eo præcipue tempore quo mortem præstolabatur exhibuit.

1. Pro hujus igitur Argumenti pleniori probatione observandum inprimis, bonum latronem, qui ipsum verum cælestis gloriæ Regem & Deum multis ex argumentis cognoverat, Christo in Cruce juxta se pendenti supplicasse, quatenus gloriosum Regnum suum ingressus, sui quoque meminisse dignaretur: *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum.* Cui Crucifixus Dominus, con- Lu. 23. v. 42.

festim, sine vlla mora promptus respondit: *Amen dico tibi Hodie mecum eris in Paradiso.* Quasi dixisset: Non solum in eo quod à me poposcisti exaudire te statui, verum etiam Paradisum cœlestem pro tuo tibi arbitrio impertivi. Circa quam Christi responsionem quærendum: Qui fiat quod cum latroni bono simplex quædam sui recordatio, à Christo in Regno suo habita suffecisset, utpote qui nihil aliud à Christo poposcerat, Christus tamen Regnum ipsum eidem insuper dare voluerit? Ratio hujus ex verbis illis facile percipietur, quibus idem Dominus sponsam suam in Canticis est allocutus. Quæ dum de rebus iis quas ipse dare consuevit, cum ipso differeret, eidem dixit: *Emissiones tuæ Paradisus.* Ac si diceret, inquit S. Bruno Carthusianus, *Magna sane munera tua, alij partem mittunt, & quod eis est vile alii tribuunt, tu vero totum hortum das.* q. d. Tu O Deus meus, in donis tuis parvus, vilis & avarus nequaquam existis, neque donorum tuorum participium rogatus, vel solam illorum partem, vel id solum quod vile est in illis soles largiti, sed potius tanquam prodigus donator, quicquid possides aut in manu tua habes, totum videlicet Paradisum, id est, amplissimum Regnum tuum, quantumvis parum postulanti libenter cedis. *Totum hortum das.* Vnde licet Latro à Christo tantum petierit, ut Regnum suum jam ingressus aliquam sui haberet memoriam Christus tamen velut sollicitus, promptus & liberalis donator ei donavit Paradisum quem minime petierat. Ratio est quia adeo munificus est & liberalis, ut mediocria aut modica dare nesciat, sed quicquid habet & possidet. *Totum hortum dat.* S. Bruno de Laud. Eccl. c. 1.

Quamnam putatis rationem esse, quod cum Christo sacrum dorsum suum crudelissime vulneratum, caput spinis perfossum manus & pedes clavis perforatæ, residuum vero Corpus in vnam quasi plagam seu vulnus redactum esset, suoque proprio sanguini immersum, lingua tamen eius sola sine vulnere & sine Sanguine libera remanserit? S. Vincentius de Valentia divinam ejus assignat rationem, dicens: *Ita miserabiliter flagellabatur, quod à planta pedis vsque ad verticem nihil remanebat illæsum in suo benedicto corpore,* S. Vincent. ser. in parasceve.

pore, nisi solum Lingua; qua pro peccatoribus & Latrone in Cruce oraret, atque testamentum faceret. q. d. Tametsi amantissimi Dei maximæ delitiæ essent pro nobis & salute nostra pati & torqueri, ideoque nullam in divino corpore suo partem esse voluerit quæ non miserabiliter laceraretur, & vulneraretur: Quia tamen nihil illi inter omnia adeo placebat, sicuti dare, Linguam suam vulnerari aut tangi noluit, ut videlicet hac mediante edicere & elargiri posset quicquid possidebat, Peccatoribus peccatorum suorum veniam, Latroni Paradisum, Discipulo matrem, Matri discipulum, Patri denique spiritum suum. Atque hac ratione bona sua dissipans, nihil sibi remaneret residuum quod non donasset. Quam liberalitatem S. Bernardus respiciens non sine cordis stupore exclamans dixit: *O quam munificus factus es in nuptiis tuis Rex & sponse bone Iesu, quam large omnia quæ habuisti, tradidisti? Latroni Paradisum, Filio matrem; Matri filium, mortuis vitam manibus Domini animam, toti mundo signa potentiæ tuæ; pro redimendo servo non ex parte, sed totum sanguinem fudisti.*

S. Bern. lib. de Pass. c. 80.

3. Ad hoc quoque propositum observandus est in Isaia locus pulcherrimus, in quo de Christi Domini nostri morte agitur, & juxta translationem sanctis Pagnini legitur *Effudit in mortem animam suam.* Et quidem valde ponderandum Sanctum Prophetam phrasi seu modo loquendi S. Ioannis uti noluisse, qui dixit: *Tradidit spiritum.* Aut S. Lucæ, qui scripsit: *Expiravit*, sed dixisse: *Effudit animam suam.* Vt nimirum vi locutionis istius Christi in Cruce pendentis infinitam manifestare liberalitatem posset quod alii Evangelistæ non potuerant. Sciendum est igitur, quod verbum Effundere proprie significet talis rei effusionem, quæ nullius apud nos pretii aut æstimationis habetur, v. g. Aquæ, aut alterius similis liquoris: Quo etiam sensu David illud accipere voluit expressurus quam flocci aut nauci servorum Dei Sanguinem Tyranni fecerint, quando dixit: *Effuderunt Sanguinem eorum in circuitu Ierusalem.* Quo supposito quærendum mihi videtur; Quomodo Christus animam suam adeo flocci facere potuerit, ut eandẽ, veluti vilissimum quid, absque ulla consideratione effuderit; cum inter omnia quæ sive in Cœlo, sive in terra sunt pretiosissima, nihil majoris pretii æstimandum sit, quam Anima Christi Sanctissima donorumque cælestium ditissima. Cui tamen difficultati Oleaster pulchre respondet: *Nonne dicebam tibi Deum suo more nimium in operibus salutis, nonne videtur vitam prodigere? Quæ enim funduntur non reputantur, videtur ipse suam vitam pretiosissimam non reputasse, postquam eam tradidit pro iis qui morte digni erant.*

Isa. 53. v. 12.
Ioan. 19. v. 30.
Lu. 23. v. 46.
Ps. 78. v. 3.
Oleast. in cap. 53. Isa.

4. Id quod ipsiusmet Christi verbis confirmatur, quæ Psal. 101. per os Davidis Prophetæ locutus est; Nam de divini sanguinis sui omniumque quæ in sua habebat facultate effusione loquens dicebat: *Sicut aqua effusus sum.* Dicat aliquis, videtur majori cum proprietate locuturus fuisse, si dixisset, effusus sum sicut balsamum, aut sicut alias quidam pretiosus liquor, quam dicendo, *sicut Aqua effusus sum* Cũ enim Balsamum liquor sit valde pretiosus, efficacius exprimere potuisset divini sanguinis aliorumque thesaurorum suorum pretium, quod per Aquæ utpote tam vilis & abjectæ symbolum non ita commode explicari poterat. Equidem verissimum est istud, veruntamen in verbis adductis hoc tale pretium, significare minime contendebat, utpote ipsis quoque insensatis rebus notum sed admirabilem potius suam liberalitatem, qua urgente & sollicitante, moriens omni bono spoliabatur. Observare igitur oportet, quod quando effunditur balsamum, Mel, oleum, aut alius similis liquor pretiosus, præterquam quod eum certo quodam timore, & respectũ effundatur, insuper perfecte effundi nequaquam potest, quin aliquid illius in vase remaneat. Aqua autem, & sine consideratione aliqua effundatur, & simul etiam ita perfecte effunditur ut ne vel gutta aut stilla eius intus remaneat. Dũ igitur Christus dicit, se instar Aquæ effusum esse *Sicut Aqua effusus sum*, & non sicut liquor aliquis pretiosus innuere vult, se divinum suum Sanguinẽ adeo copiose effudisse, aliaque bona sua dissipasse ut præterquam quod ad pretium eorundem non reflexit, nullius sibi rei nec quidem unius stillæ sanguinis Dominum sibi retinuerit. Ita hunc locum Oleaster explicat: *Non potuit melius expli-*

Ps. 21. v. 15.
Oleast. in cap. 53. Isa.

explicare quam parui ipse fecisset vitam eius, quam dicendo sicut aqua effussus sum. Si enim oleum effundas, vereris, & semper in vase aliquid haret, itidem de balsamo, vino & alio liquore. Aquam vero sine aliquo timore effundis, & nihil non solum liquoris, sed neque odoris vel saporis in vase relinquitur. Vt ergo ostenderet quam sine horrore & timore vita eius in morte effusa sit, comparat se aquæ effusioni; Similiter vt ostenderet, nihil sibi reliquisse, quod pro te non effunderet, dicit se effusum vt aquam.

5. Non est dubium quin Christus varijs diuersisque modis mori potuerit, videlicet decollari sicut Ioannes Baptista, deorsum præcipitari, vt S Iacobus, lapidari quemadmodum Stephanus. Ex hisce tamen alijsque similibus mortis generibus Crucis mortem elegit. Quamobrem? Ratio huius, ni fallor colligi poterit ex eo, quod Isaias de manu Dei loquens scribit, dicit enim illam in operationibus dandi, hominesque locupletandi adeo semper extensam remansisse, vt ne vel vnico momento, ita retracta aut contracta visa vnquam fuerit, vt consuetæ exercere non potuisset liberalitatis officia. Isa. 59. v. 1 *Non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat.* Circa quæ verba idem Doctor Oleast. ibi. dicit: *Quæ enim maior esse potest misericordia, quam manum semper extensam habere ad leuandum & dandum.* Et quia Deus timebat, ne forte ob grauia peccata & consuetam ingratitudinem nostram ab officio dandi aliquando retrahenda esset, in Cruce mori decreuit, vt dum manus eius in sacro ligno hoc modo extensæ & affixæ hærerent, tametsi nonnunquam, ab ordinariorum fauorum elargitione cessare vellet, manus suas, vtpote clauis ligno affixas retrahere nequaquam valeret, atque hac ratione in perpetuo semper gratiarum donorumque perseueraret profluuio. *Non est abbreuiata manus Domini.*

6. In Cruce insuper mori voluit, quia si alio mortis genere occubuisset, necessario ipsi in terra moriendum fuisset, id quod sibi nequaquam permittere Diuina liberalitas voluit, is enim qui super terræ facie moritur, pro illo momento, modicum illud terræ spatium, in quo moritur, animamque exhalat habere seu possidere videtur. Id quod Christus in sua potestate aut dominio habere noluit, inquit S. Bonauentura: *Nec spatium pedis voluit in terris habere quando in Cruce pro te pendere voluit.* S. Bonau. in Amatorio. Idque non solum ad paupertatem suam demonstrandam accidit, verum etiam vt modo dicimus ad singularem liberalitatis suæ exhibitionem. Postquam enim omnia quæ in sua facultate habebat elargitus fuisset, ad eam redactus est inopiæ conditionem, vt ne terræ quidem palmum in morte reliquum haberet, vbi pedem figeret, suumque in Patris manus spiritum redderet. Ideoque in aëre mori debuit. *Nec spatium pedis voluit in terra habere.*

7. Postquam pientissimus Dominus noster totum suum iam effudisset sanguinem, atque inclinato capite esset mortuus, truculentus quidam miles accessit lancea quadam pectus vulnerauit & aperuit: *Vt viderunt eum iam mortuum, vnus militum lancea latus eius aperuit.* Ioan. 19. v. 34. Circa quem scripturæ locum sacri expositores vulneris istius causam inquirunt, multasque assignant, omnes egregias, multisque mysterijs turgentes. Mihi in præsentiarum illa sufficiet, quam S. Bonauentura assignat, videlicet: *Pro nimio sui amoris feruore voluit lancea suum latus aperiri, vt demonstraret quod tibi tradidit cor suum.* S. Bonau. in stimul. amoris Quo in facto, dicere nolite dubitare ipsum se non tam liberalem quam prodigum palam manifestasse Cum enim cor ex mente Platonis fons sit sanguinis, homoque ex vna parte perspicue videns sanguinem effusum & datum esse, nec tamen videre ex altera parte valens donum cordis etiam fuisse donatum persuadere sibi potuisset, Filium Dei reseruato sibi fonte solos dedisse riuulos, aut concessis fructibus arborem retinuisse, aut denique vas denegatum fuisse effuso liquore. Vnde quia per hoc Diuinæ magnificentiæ gloria non parum obscurabatur, ideo postquam Christus totum suum effudisset sanguinem, apertum quoque illi pectus fuit, ad insinuandum ipsum vna cum sanguine cor suum cum riuis fontem, cum fructibus arborem, vas denique cum liquore munifice donasse, neque quic-

quicquam sibi ad donandum mansisse residuum. *Vt demonstraret, quod tibi tradidit cor.*

8. Tametsi verbum *sitio* à Christo in Cruce dictum, significare possit sitim corporalem quæ Diuinum Christi corpus vehementer affligebat, eo quod post vniuersum sanguinem effusum omnino manserit aridus atque extenuatus, attamen iuxta multorum Doctorum expositionem, spiritualem sitim significat, quia maiores pœnas atque dolores desiderabat. At vero quærat hic aliquis: Cum Christus tot tantosque hactenus pœnas atque dolores sustinuerit, vt Ieremias ipsum ijs exsaturatum fuisse pronuntiet: *Saturabitur opprobrijs*, vnde igitur ipsi nouum istud desiderium prouenit? Sanctus Bernardinus sitim hanc ex admirabili prodigalitate accidisse dicit: Qualiter autem id factum sit velim audite. *Christus habens respectum ad fructus sua sanctissima Crucis, tantum in mente doluit, quod non potuit in perpetuum Cruciari, quantum intelligebat se dolendo mereri, & quantum intelligebat suum meritum in fructu augmentari. Proinde per voluntatem & desiderium dilatabat totam vitam suam ad quoddam viuere infinitum, & ad tolerantiam infinitæ mortis.* Vnde ad hoc desiderium suum manifestandum, dixit sitio, idest, æternos dolores & infinitas mortes desidero. Idque desiderabat ad hoc vt infinito mortis, martyriorumque suorum fructui, aliam quandam innumerabilem similium fructuum infinitatem adiungere & applicare posset. Cum enim contentus non esset se per infinitos dolores quos sustinuerat infinitis bonis homines locupletasse, ne ab ijs in æternum & sine fine locupletandis cessaret, famem habebat ac sitim patiendi & moriendi sine vllo sibi præfixo fine aut termino. *Dilatabat vitam suam ad quoddam viuere infinitum & ad tolerantiam infinitæ mortis.*

Thren. 3. v. 30.

S. Bern. to. 2. ser. 49. art. 4. c. 3.

9. S. Lucas scribit, quod dum Christus iam resuscitatus ex hoc mundo in cælum ascenderet, ad beatam illam ciuitatem manibus eleuatis abierit: *Eleuatis manibus benedixit eis, & dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.* Quænam est causa, quod eleuatis manibus concedere in Cœlum voluerit, *Eleuatis manibus*, non vero manibus coniunctis aut deorsum pendentibus? Num forte illis alarum loco vti voluit, ad verificandum vaticinium illud Ieremiæ quo aquilæ assimilatur. *Quasi aquila volabit, & extendit alas suas?* Nequaquam id ideo factum fuit, inquit S. Bernardinus, siquidem Christus pro suo in Cælos ascensu alis nullatenus indiget sed potius vt vulnera quæ in manibus & pedibus suis reseruauerat discipulis suis demonstraret innueretque se eadem in cælos simul portare, vt ex illis quasi ex fœcundissimis fontibus, ex quibus in terra nobiscum commorans sanguinem depluerat, in beata illa patria consistens gratias spiritus sancti depluere posset. *Vt ostenderet quod vulnera apportabat in Cælum, vt qui sanguinem suum pluerat per vulnera illa in supplicio Crucis, per ipsa eadem, tanquam per meritoria instrumenta abundantiam spiritus sancti effunderet sublimatus in cælis.* Obseruate hic prodigam magni Dei nostri magnificentiam, & quantum gaudeat & delectetur donando, cum enim totum suum sanguinem effudisset in terra ne vnica quidem stilla sibi reseruata, vt gloriosam hanc liberalitatem in cælo quoque residens non intermitteret, seruare vulnera sua voluit atque ex illis loco sanguinis, ob effusi sanguinis meritum effundere fauores & dona spiritus sancti. *Abundantiam spiritus sancti effunderet sublimatus in cælis.*

Luc. 24. v. 51.

Ierem. 4. v. 40.

S. Bern. Ascens. s. 1. art. 2. c.

10. Ex quo liberalitatis Saluatoris nostri in Passione sua exhibitæ excessui ponderando immoror, alio quodam nomine indigere me video, quod excessui huic explicando magis proportionatum sit. Et tametsi illum appellare possem prodigum, attamen nomen istud prodigus huius explicationi mysterij adeo mihi inops & insufficiens esse videtur, vt per illud nihil quod alicuius momēti sit proponere posse mihi videar. Scio equidē Auerroē dicere quod prodigus suismet sese manibus conficiat & occidat. Et merito; sicut enim nummus sanguis & vita hominis communiter æstimatur, ita eius destructio mors reputatur esse illius, qui illum possidet & dissipat. *Prodigus ma-*

Auerroes in moral. Nicol. lib. 4. *dat seipsum manu sua, eo quod putatur, quod destructio pecuniæ hominis sit mors ipsius.* Id tamen metaphorice solum dicitur, non enim se vere occidit, aut vitam suam perdit, sed depauperatur & nummum amittit. Christus autem summum bonum nostrum vt nos adiuuaret amoris quo ardebat manibus non solum sanguinem suum realiter effundere vitamque suam vere ac proprie perdere voluit, verum insuper vt diximus inexhaustũ quendam sanguinis Oceanum & vitas infinitas habere desiderauit, vt æternum pati & mori posset pro nobis tametsi adeo indignis, & ingratis. Qua in re liberalitatis terminos transgreditur, adeo vt quo illum nomine appellare debeam prorsus ignorem.

11. Scio etenim Dei filium sub symbolo secundi fluminis Paradisi significare, quod Geon appellatur, & in sermone latino idem significat quod *effusor*, vt S. Anastasius. Sinaita dicit: *Vt dicunt qui publicè & accurate linguam Hebraicam transtulerunt in græcam, Geon interpretatur effusor quod quidem reuera est Christus effusor.* *S. Anast. Sinait lib. 8. Exam.* Significat igitur nomen istud, idem quod expenditor, dilapidator, effusor, qui substantiam suam in nihilum redigit. Quæ nomina Christo Domino adeo proprie conueniunt, vt alteri personæ attribui haudquaquam possint. Quamdiu enim vixit & mortuus est, haud secus ac verus quidam Geon facultates suas omnes quantum illæ sint amplæ in tanta abundantia effudit & prodegit, vt illum annihilarit, atque in nihilum redegerit, adeo vt nudus & in aëre suspensus mori debuerit.

CONSIDERATIO. IV.

Ligauerunt eum.

Nullam Hebraica Crudelitas viam prætermisit, qua sese contra Filium Dei per inaudita exempla non armaret, sibique de Martyrio filij Dei complete & ad satietatem vsque non satisfaceret.

Abulensis existimat rabidos & truculentos Iudæos, ad hoc vt mansuetissimũ agnum Christum Dominum iam captum in crudelium inimicorum suorum conspectũ perducerent, strictissime ligasse, atque hoc fine præter alias crudelitates, quibus in similii captiuitate vti consueuerant collo eius ingentem ac ponderosum quendam funem iniecisse, eodemque illum impijssime trahendo, ingens ac horrendum quoddam vulnus circa collum eius, ob virginalis carnis suæ teneritudinem inflixisse: *Nam præter ei illatos dolores, in collo funis colligatus est, in quo exclusis ambagibus, in eo ob carnis teneritudinem, & propter Iudæorum impietatem, non habentium viscera Charitatis, & duram impulsionem, vulnera subjecuta fuisse dicendum est.* *Tostat. Parad. 3. c. 10.* Vnde liquet quod si in initio quo eum primitus in manus suas acceperunt erga illum nondum iudicatum aut condemnatum, adeo se crudeles & barbaros sese exhibuerũt, quales postea temporis vlteriori progressu facti fuerint? Certi estote ipsos nihil omisisse eorum per quæ aduersus mansuetissimum agnum, inaudita atque inimaginabilia exhibere potuerint furibundæ ac rabidæ Crudelitatis suæ exempla. Atque hinc fit quod Passio sua vti Dionysius Carthusianus obseruat, appelletur in Euangelio excessus: *Ob excessiuam crudelitatem Iudæorum in Christum.* *Dionys. Carth. in cap. 9. Luc.* Id quod prolixius præsenti consideratione expositiuri sumus.

1. Quantus fuit populi Hierosolymitani Christo in Dominica Palmarum in Metropolim Iudeæ ingrediente, applausus, tantus quoque fuit contemptus & ignominia quacum inde descedere coactus fuit. Nam cum toto illo die in templo moram traheret, ad hoc vt aliquem offenderet qui inclinante eum ad pernoctandum & cænandum in domo sua pernoctaret, nemo tamen ex omnibus fuit, qui illum respiceret, nedum inuitaret. Vnde coactus fuit vt relictæ Hierosolyma in Bethaniam ad consuetum in domo Lazari & sororum suarum hospitium diuerteret: *Et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit,* inquit S. *Matth. 21. v. 17.* Matthæus Dionysius Carthusianus hunc locum ponderat & rationem inquirit ob quam in Ciuitate quadam adeo magna, qualis Hierosolyma erat, in qua licet innumeri essent homines scelerati, non deerant tamen etiam boni & religiosi nonnulli, ex om-

omnibus tamen vrbis illius incolis ne vel vnus homo repertus fuerit, qui Christum, vt secum nocte ista maneret, inuitare dignatus fuisset? Et respondet Multos libenter quidem illum inuitasse, sed Christi metuisse inimicos, vtpote qui simul coniurauerant & decreuerant in perpetuam perditionem redigendi omnes illos, qui vel minimam illi beneuolentiam ausi fuissent exhibere: *Nullus in Ierusalem audebat recipere eum hospitio, propter metum Pontificum & conspirationẽ Scribarum.* Certe Filium Dei in Ciuitate aliqua ne vnius quidem noctis potuisse inuenire hospitium, cum tamen nullus esset latro aut prædo quantumuis magnus & publicus, qui nidum in ea aut hospitium non inueniret, non crudelitas tantum fuit, verum etiam enormis quidam crudelitatis excessus, nunquam hactenus visus vel auditus.

Dionys. Carth. ib.

2. Ex eo quod S. Lucas de captura Christi recenset colligitur ipsos quoque superbos Ecclesiastici tribunalis verbis Hierosolymitanæ officiales in Iudæ aliorumque lictorum & Carnificum Societate ad Christũ capiendum aduenisse, refert enim Christum cum ijs fuisse locutum: *Dixit autem Iesus ad eos qui venerant ad se Principes sacerdotum & Magistratus templi, & seniores: Tanquam ad latronem &c.* Res valde stupenda est ista, inquit S. Bernardinus Senensis, cum enim eminentium officialium solemnis sit consuetudo, maxime eorum qui ad forum spectant Ecclesiasticum, quod quando de latrone aliquo capiendo & ligando agitur, ipsi cum Maiestate consueta in suis sese tribunalibus contineant, ministris autẽ atque lictoribus vt reos coram se adducant atque præsentent, præcipiant. Quænam igitur est causa quod huic capturæ Christi præsentes esse actionemque quandam adeo vilem & turpem suoque gradui adeo disconuenientem exercere voluerint? Et respondet: *Principes & Magistratus & seniores personaliter progrediuntur ad nefas: atque furentes furiam omnino continere non valent. Nec Christi cruciatibus satiantur, nisi oculorum præsentiam præstent.* Erat sceleratorum istorum Pontificum aduersus mansuetum Christum tanta tamque immoderata rabies, vt dum ad capiendũ Christum lictores mitterẽt, in sua se grauitate & maiestate continere non potuerint, sed ad illum videndum ligandum atque torquendum ipsimet tam infami se societati iunxerint. Et tametsi pro hoc impio facinore patrando, truculentiores magisque barbaros ministros quos in curia sua habebant elegissent, quos certo certius illum satis crudeliter afflicturos esse sciebãt inde tamen minime fuere contenti, nisi ipsemet malorum Christo irrogandorum spectaculo in propria persona præsentes assisterent, ipsissimisque oculis suis, crudam & insatiabilem ipsum affligendi libidinem exsatiarent: *Ne Christi cruciatibus satiantur, nisi oculorum præsentiam præstent.*

Luca 22. v. 25.

S. Bernard to. 1. ser. 55. Art. 2. c. 1.

3. Pilatus de mansuetissimo IESV in manus Iudæorum tradendo tractans, ijsdẽque omnem facultatem & potestatem faciens, vt eum pro suo arbitrio & libitu occiderent, hoc à Iudæis responsum retulit: *Nobis non licet interficere quenquam.* q. d. Opus est ô Pilate vt tu ipsum morti adiudices atque occidas, nos enim talem potestatem non habemus. Circa quem locum nonnulli dicunt, Hebræos habuisse potestatem mortis homines condemnandi, atque quouis possibili tormento adhibito occidendi omnes illos quotquot idipsum erant promeriti, solo Crucis supplicio excepto cuius executionem Senatus Romanus suis reseruauerat officialibus. Vnde quia Hebræi ipsum in cruce mori volebant, ideo responderunt. Nobis non licet interficere quenquam, Verum causam scire percuperem, ob quam Christum ad Crucis supplicium sustinendum expetierint, non vero ad aliud quoduis tormentum tolerandum postularint? Philippus Abbas causam assignat dicens: *Vt viuentem durius possent diutius cruciare, & pœnarum illius immensa atque extensa grauedine satiari, & tam grato spectaculo sua satisfacerent prauitati.* q. d. Diabolici homines isti non solum filium Dei mortuum esse volebant, verum etiam ad hoc connitebantur, vt crudelissima & pœnosissima morte conficeretur, & lentè torquere & affligere ipsum possent, atque ideo alia ipsum morte extingui nolebant, quam morte Crucis. Quia enim sciebant quod quisquis agebatur in crucem, priusquam moreretur, necessario prius ex diris clauis suspensus hærere suaque diu prolongare martyria debebat, ideo suum quoque desideratum ac dulce spectaculum

Philip. Abb. de silent. cler. c. 5.

dici-

diutius prolongandum, crudelesque oculos suos in innocentis illius Agni doloribus longius pascendos esse sperabant. O peruersam feritatem! ô ferā peruersitatem! ô impietatem inexauditam, & sine exemplo crudelitatem: *Vt viuentem durius possent diutius cruciare.*

4. Et quantumuis vos videntes quod Iudæi Christum cruce onustum moriēdi causa montē Caluariæ adeuntem, ab hoc graui & ponderoso ligno exonerare, atq; per breue illud viæ spatiū quod vsq; ad locū supplicij superat Symoni Cyrenensi portandum dare voluerint, prima quidē facie persuadere vobis possetis hunc quendā pietatis & cōpassionis actū fuisse, reuera tamen talis non fuit, sed potius actus quidam longe maioris rabiei atq; crudelitatis, quā quiuis alius esse posset. S. Bernardinus vult verum causam quæ Iudæos ad consiliū istud capessendum permouerit, fuisse: *Vt citius expedirent suū malum propositum, ne forte interim Pilatus posset pœnitere facere ipsum, mori.* Quia enim truculēta & crudelis Iudæorū plebecula, ob ingēs quo martyria & sanguinē Christi expetebāt desideriū impossibile existimat fore vt eousq, viueret donec hora ipsum in cruce extendendi, affigendi, torquēdi aduenirer, vtpote quem videbant ob grauissimos quos eousque sustinuerat dolores, ob horrenda vulnera & plagas quibus à vertice ad calcē vsque totus plenus erat, ob sanguinis incredibilem copiam, quam diuersis in locis effuderat, adeo debilem, infirmum, & tantum non exanimem vt ponderosum pōdus illud humeris suis ferens non nisi lento gressu gradi posset, hinc timentes ne forte Pilatus ex paruula illa mora, quam ob deficientes Iesu vires facere debuissent, ab errore suo resipisceret, illumque à mortis sententia liberaret, iter ad montem Caluariæ sollicitare, & periculosam moram detruncare cæperunt, eoque fine lignum Crucis ab humeris Iesu cruentis & excarnificatis tollentes, Cyrenæo portandum dederunt. Nemo igitur sibi persuadeat quod in durissimis hisce pectoribus, in quibus crudelitas nidificauerat, locus aliquis vel minimæ compassiui affectus scintillæ inuentus fuerit.

S. Bern. to. 4. ser. 45.

5. Verum quidem est totum Christi corpus truculenter & absque omni prorsus pietate tractatum & habitum fuisse, attamen præ omnibus aliis corporis partibus caput, pectus, & dorsum attrocius percussa & vulnerata fuēre; Caput quidem corona spinea, pectus lancea, dorsum flagellis & immoderata sanguinis effusi copia. Quid autem prætendisse vobis videtur Iudaica perfidia, per particularia illa trium horum mēbrorū tormenta. Ipsemet Dominus idipsum explicat Psal. 37. vbi dicit: *Vim faciebant, qui quærebant animam meam.* *Id est*, inquit magnus ille Florentinorum Archiepiscopus *Vitam tollere in omnibus illis locis, in quibus æstimatum est vitam hominis consistere, fecerunt maximam vim.* Et rationem assignans subdit: *Nam cum aliqui dicant vitam reperiri in omnibus locis illis, alij in Capite, alii in corde, alij in sanguine, in omnibus locis illis fecerunt maximam vim in capite per coronam spineam; & in corde per apertionem lateris: in sanguine per flagella in dorso.* q.d. Quandoquidem apud Philosophos nondum pro certa veritate determinatum aut conclusum esset, in quanam hominis parte vita consisteret, siquidem alij eam in capite residere dicebant, alij in corde, denique alii in sanguine, crudeles & truculentæ hæ feræ, quæ nihil adeo desiderabant, quam datorem vitæ, vita priuarent propria, opinionum prædictarum non ignaræ, maiorem in tribus illis quam in aliis diuini corporis partibus violentiam adhibere voluerunt, vt nimirum vitam tanto certius eriperent, vbicunque tādem inter hasce partes resideret. Atque ideo Caput spinis transfixerunt, cor lancea vulnerarunt, dorsum denique flagellando ad ossa vsque excarnificarunt, vt totum eius effunderent sanguinem. Atque hac ratione barbaram, rabidam, & truculentam suam manifestarunt libidinem, qua Filij Dei mortem ardenter expetebant, atque inaudita inauditæ crudelitatis posteris reliquerunt exempla.

S. Anton. p. 4. to. 15. c. 41. §. 1.

6. Multi curiose causam inuestigant ob quam Longinus, de Christi morte certior factus, pectus eius lancea vulnerarit. *Vt viderunt eum iam mortuum*, inquit S. Ioannes: *Vnus militum lancea latus eius aperuit.* Quodsi enim id fecit vt eum tanto magis affligeret & cruciaret, stulte fecit, cum enim ignorare non potuerit, mortuum omnis

Ioan. 19. v. 33.

omnis prorsus doloris incapacem esse, consequenter persuadere sibi facile potuit se in castum lanceam suam vibrare ac Crucifixi & mortui saluatoris pectus dilaniare. Vnde quia non est credibile crudelem hunc militem illo lanceæ ictu, Christum torquere aut dolores eidem maiores accersere voluisse, vtpote qui probe intelligebat corpus vita destitutum & mortuum, omnis prorsus sensus atque doloris expers esse & incapax ideo Ioannes Maldonatus aliam, eamque genuinam rationem, qua tantam edoctus est peruersitatem, assignat, & dicit: *Quasi ferret indigne Christum tam breui tempore mortuum fuisse, & sese cruciatibus, & Iudæorum & militum contumeliis & irritationibus eripuisse. Ideoque cum vidit viuo se illudere non posse, illudit mortuo.* O verum crudelitatis excessum. *Cum vidit viuo se illudere non posse illudit mortuo.*

Maldon. in cap. 27. Matth.

7. Obseruate obsecro verba illa à Christo inimicis suis dicta, atque à S. Ioanne cap. octauo Euangelij sui registrata, ex iis namque ingens quoddam excessus crudelitatis inimicorum Christi argumentum elicere licebit. Sunt autem hæc: *Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* q.d. Ego quantum in me est lubēs libensque vltro citroque cōformiter desiderio vestro in mortem promptissime concedo, sciens quod post illam in Cruce consummatam etiamnum ad mortem sitis quæsituri sed irrito prorsus conatu, certi enim estote quia non inuenietis me. Nonnulli Doctores curiose causam indagant, ob quam Hebræi Christū post mortem eius quæsituri erant, variasque rationes assignant. At vero Cornelius Iansenius certorū & nominatim S. Augustini opinionem assignat & dicit: *Alij autem inter quos est D. Augustinus, illud Quæretis me: malunt intelligere de quæsitione in malum accepta, qua scilicet impij Christum post resurrectionem rursum quærebant ad mortem.* Ergo ex mente S. Augustini Iudæi post Resurrectionem Christi, eundem iterum quæsierunt ad mortem, vt iterum crucifigerent eū illique illuderent, prouti antea fecerunt, dum adhuc passibilis & mortalis esset: ô inauditam crudelitatem! & nullius ausu etiamnum tentatum scelus! Tametsi enim

Ioan. 8 v. 21.

Cornel. Iansen. Concord. c. 77.

quamdiu illum in sua habebant potestate manibusque constrictum mille modis suam aduersus innocentem agnellum rabiem ostenderint, hac tamen crudelitate minime contenti, eundem post mortem de nouo quærebant tormenta, Crucem, & mortem in corpore eius reiterare volentes. *Etiam post Resurrectionem quærebant ad mortem.*

8. Num aliquando pientissimā Magdalenam obseruastis, quanta nimirum cum cura & diligentia corpus dulcissimi Magistri sui mortuum quæsitum abiuerit? Verum quonam fine id fecit? Theodoretus dicit: *Timebat enim ne Iudæi etiam insæuirent exanimi & ideo volebat in alio loco incognito illud transportare.* q.d. Maria Magdalena, vtpote quæ inextinguibilis & immortalis odij Hebræorum, necnon immensæ crudelitatis erga Christum probè conscia erat, timebat ne Diuinum Christi cadauer, in illorum potestatem, mala fortuna redigeretur, certa enim erat, quod in tali casu, ijs iniuriis & tormentis quibus in vita ipsum affecerant, minime contenti, eadem replicaturi & accumulaturi essent in cadauere mortuo. Atque ideo Maria Magdalena tanta cum cura & studio Christi corpus mortuum requirebat, vt videlicet illud in alium locum ignotum transportaret & absconderet. In hoc itaque facto inauditam in bestialibus Iudæorum pectoribus residentem attendite crudelitatem, quæ tanta fuit, vt Maria Magdalena non immerito opinata fuerit, imo certo futurum iudicarit, vt si corpus illud iam mortuum in suam redigere potestatem potuissent, illud haud secus ac viui fecerant conculcaturi, percussuri & illusuri essent. *Timebat enim ne Iudæi etiam insæuirent exanimi.* Eadem quoque suspicio seu formido Iosephum & Nicodemum permouit, ad impendendam illi sollicitam valde sepulturam. Probe namque sciebant quod si Corpus eius vel modico aliquo tempore insepultum maneret, futurum fuisset, vt illud veluti abominabile quoddam morticinum fœdissimis sputis & sordibus suis contexissent & onerassent, ac tandem in turpē ac fœtidam quandam abiecissent eloacam, inquit Rupertus Abbas: *Ne indigne in sepultum abijceretur, & à canibus illis qui*

Theodor. apud S. Thom. in cat. 20. Ioan.

Rup. A... lib. 13. ... 19. in Io...

diuinum

vinum circumdederant, adhuc ex animo conspueretur.

9. Postquam S. Ioannes Passionis Domini ac Magistri sui descripsisset historiam, tandem illam hisce verbis concludit: *Et milites quidem hæc fecerunt.* Vbi obseruandum est, quod Euangelista præterito imperfecto non vtatur. Neque enim dicit: Hæc faciebant, sed præteritum perfectum adhibuit dicens: Hæc fecerunt. Quamobrem? Ad insinuandum nimirum illos maiorem adhibere crudelitatem minimè potuisse ea qua de facto vsi sunt. Porro scitis quod sicut Pictores demonstrare volentes se tabulis à se depictis maiores semper nouasque adiungere posse perfectiones & complementa in picturæ illius Epigraphe seu subscriptione præterito imperfecto semper vti consueuerunt, & dicunt; *Pingebat.* Ita econtra quando innuere volunt, nihil artis seu ingenij reliquum esse, quod in tabula tali à se delineata expressum non sit, præterito perfecto vtuntur & dicunt: *Pinxit.* Ita similiter postquam S. Ioannes de Passione Domini sui completè tractasset, ad hoc vt ostenderet Hebraicæ crudelitati lamentabilis picturæ Christi passi delineatrici, nihil siue artis, siue ingenij, siue virium reliquum esse, quod ad torquendum & deridendum Dei filium non esset adhibitum, quasi pictorum illorum æmulus esse voluisset, picturæ huic verbo præteriti perfecti subscribere voluit, dicens; *Et milites quidem hæc fecerunt.* Est hic Ruperti Abbatis Tuitiensis conceptus. *Pulchre satis Euangelista facta impiorum terminat: Hæc quidem, inquit, milites fecerunt: subacidi; Et quid post hæc facerent, non habuerunt.* Vnde S. Bernardinus inquit: *Proinde omnis immanis crudelitas, quæ possit excogitari contra Christum per hos impios, & illorum ministros vt placerent eis, ex eorum rabida furia exercitata est.*

Ioan 9. v. 24.

Rup. Ab. ibid.

S. Bern. to. 4. ser. 16. Art. 3. c. 6.

10. Atque hinc est quod dum sanctissimus Simeon Vnigenitum Dei filium vix inter fœlicissimos brachiorum suorum amplexus accepisset, mox in Diuinum hunc puerulum oculos suos defigens mortem ab eodem expetierit, humillimeque dixerit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Dic sodes ô fœlicissime hominum Simeon, Dic inquam quid te mouerit ad mortem postulandam, cum si moriturus iam iam esses, longiorem potius deberes exposcere vitam? Desideratum in manibus tuis thesaurum portas, & hunc tu quæris & studes dimittere? Tu in multos vsque annos gaudere & frui potes aspectu illius, quem multi Reges & Prophetæ videre voluerunt, & non viderunt, & tu flocci illum facis? Ecquodnam habere aut desiderare bonum potes siue in cælo, siue in terra, quod maius sit illo quod brachijs tuis complecteris? Timotheus Presbyter Hierosolymitanus S. Simeonem introducit loquentem, & sic respondet: *Nunc absoluar, ne hic retinear; spiritus sanctus est in me, & video quæ tibi euenient. Nunc absoluor, ne Iudæorum sunt mei generis, quæ in te est futura, videam audaciam, ne videam te Cruci affixum.* Quasi dicere voluisset: Tametsi siue viuus siue mortuus maiori frui bono non possim, quam sit illud quod inter fælicia brachia mea complector, subito tamen mori desidero, neque illud pro aliquanto temporis spatio perdere quicquam curo. Huc igitur adsis ô mors, mihique vitam eripere ne tardes, procul enim & à longe in auditas præuideo crudelitates, quas contra hunc Deum suum populus meus est patraturus. In tanto crudelitatis excessu maiorem reputo fælicitatem, si mortuus atque in obscuro lymbi carcere clausus inueniar, quam si viuus adeo crudeli & horrendo spectaculo assistere cogar. Ex hisce itaque verbis consideranti facile liquet, quanta Hebræi populi in Passione & morte Filij Dei fuerit peruersitas & crudelitas, tanta nimirum vt Simeon minus malum esse iudicauerit, mori, quam patientem & morientem videre Dei filium. Ne videam te cruci affixum.

Luc. 2. v. 29.

Timoth. presbyter apud Lipp. vide pom. 8. Febru.

CONSIDERATIO V.

Respexit Petrum.

Filius Dei eo tempore quam maxime se erga homines pium exhibuit, quo ab hominibus quam maxime offendebatur & affligebatur.

S. Lucas refert afflictum Dominum nostrum in barbari Caiphæ conspectu iam præsentatum, mox vt se ab Apostolorũ suorũ Principe S. Petro offensum & negatũ vidit, eundẽ amanter respexisse. *Conuersus Dominus respexit Petrũ*, id est, pietate & misericordia motus est erga Petrũ, illum adiuuit, atq; insolitorum fauorum suorum radijs illi succurrit. *Respexit Petrum*, inquit Dionysius Carthusianus: *idest, mentem eius misericorditer tetigit, illustrauit, & ad sui excessus consideratio-nem excitauit compunctionis & pœnitentiæ gratiam dedit*. Cuius quidem pietatis non solum hunc discipulum lapsum participem esse voluit, verum etiã omnes illos, qui quouis modo fuere particularia dolorosissimæ Passionis suæ instrumenta. Nam si ea quæ Passionis suæ tempore acciderunt ritè considerauerimus, inueniemus Christum eo potissimum tempore se exhibuisse hominibus vel maxime pium, atque propitium, quo se videbat enormissime ab ijsdem hominibus offensum. Id quod præsenti consideratione plenius videbimus.

Lu. 22. v. 61.

Dionys. Carthus. ibid.

1. Mirum est quod Christus Dominus noster media nocte, cũ tanto suo incõmodo & labore ad hortum montis Oliueti sese recipere, ibiq; capi voluerit, cũ labori illi supersedere facile potuerit, cur enim nõ in ipsa Hierosolymorũ vrbe, vbi Pascha cũ discipulis suis celebrauit inimicorum sese manibus cedere voluit? Rationem huius S. Ioannes Euangelista assignat, dicens: *Sciebat enim Iudas, qui tradebat eum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis*. q. d. Ideo Christus in hortum abire, ibiq; compræhensores milites præstolari voluit, quia Iudæ qui dux erat eorũ qui compræhensuri erant Dominum, iam notum erat Christo valde solemne esse quod in locũ istum vna cum discipulis suis deuotionis causa se reciperet. Verum enimuero quid referebat siue locus ille, in quo Christus morari consueuerat, Iudæ notus esset vel incognitus, quando Iudæ integrum erat vniuersam Hierosolymam susque deque euertere donec illum reperisset, & lictorum manibus realiter tradidisset? Respondet Chrysostomus Christũ hanc sibi considerationem formasse, quòd si in loco aliquo Iudæ & lictoribus incognito commoratus fuero, necessum erit, vt donec me inueniat, totam vrbem eundo, redeundo oberret omnia loca, & suspectos angulos perlustrent, seseque hoc modo discurrendo & oberrando fatigent, atque exinde statuisse in hortum abire, quia enim sciebant ipsũ communiter eo in loco morari consueuisse, facillimum ipsis erat, absque vllo aliorsum facto itinere seu circumcursatione, ipsum eo in loco capere, suamque in potestatem absque vllo alio labore redigere, prouti reipsa factum est: *Media nocte iter facit, torrentem transit, & ad locum proditori notum properat vt laborem eis demeret*. Conferatis obsecro in hoc facto duas illas intentiones adinuicem, Hebræorum nimirum & Christi, & inuenietis perspicue inde elucescere: id de quo in præsentia agimus, scilicet quod eodem prorsus tempore quo peruersi illi homines Filium Dei plusquam alias vnquam affligere & contumeliari intendebant, ipse eosdem plus solito à laboribus compræhensionis suæ causa subeundis subleuare contenderit. Idque vt per hoc insinuet, Passionis suæ tempus, quod ex parte Hebræorum tempus erat insolitæ crudelitatis ex parte Christi extraordinariæ cuiusdam pietatis tempus extitisse. *Vt laborem eis demeret*.

Ioan. 18. v. 2.

S. Ioan. Chrysost. Hom. 82. ibid.

2. Postquam S. Petrus capto Christo, vt pote salutis amantissimi Magistri inter omnes alios discipulos ardentior & zelantior defensor & propugnator, strinxisset gladiũ, dextramque cuiusdam ex summi Pontificis seruis, cui nomen Malchus erat, auriculam amputasset, benignissimus Dominus noster membrum illud detruncatum mox proprio suo loco restituit, ipsumque perfectè subitò & miraculose sanauit. Factum istud ab eodem Euangelista refertur: *Simon ergo*

Ioan. 18. v. 10. ergo Petrus habens gladium eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram; erat autem nomen seruo Malchus. Quo in loco inquirenda est ratio, quæ S. Ioannem permouit, ad nomen serui huius exprimendum. Videtur enim inquit idem Doctor, ipsum nomen istud absq; vllo scrupulo aut hæsitatione omittere potuisse, siquidē tam ipse quam alij Euangelistæ longe illustriora miracula enarrarūt, suppresso tamen eius nomine cui acciderant, quale est miraculū cæci nati, Filij viduæ, Paralytici piscinæ probaticæ pluraq; alia. Attamen quod si sancti Euangelistæ mentē bene consideraueritis inquit S. Chrysostomus inuenietis opus fuisse, vt nomen serui illius exprimeretur, non solum quia idipsum excellentia miraculi postulabat, verum etiam quia Christus à peruerso seruo illo insignem postea accepturus alapam erat. S. Ioan. Chrysost. ibid. *Serui nomen meminit Euangelista, quoniam magna res erat nō tantum quod eum curauerit, sed cum paulo post esset ab eo alapam accepturus.* q. d. Quia S. Ioannes admirabile quoddam pietatis Christi in sua passione spectaculum publicare moliebatur, peruersi quoque Malchi nomen simul exprimere voluit, vt inde cognosceretur quam clementē se Dominus exhibuerit, dū vel maxime illo tempore beneficus fuit, quo nihil aliud ab hominibus quam derisiones, ignominias & tormenta expectabat, sanādo videlicet eius auriculam, à quo se breui injurijs afficiendum & percutiendum esse sciebat. *Cum paulo post esset ab eo alapam accepturus.*

5. In impijssimo illo Concilio in domo Caiphæ ad determinandam Saluatoris mortem congregato conclusum fuit, Christum durante Paschalis festi solemnitate minime capiendum aut occidendum esse, ne populus tumultuari inciperet. Matth. 26. v. 5. *Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Paulus de Palatio dicit: Assessores Concilj illius locutos quidem fuisse de populi Hebræorum tumultu, quem valde timebant: cum tamen id quod vel maxime illos timore percellere debuisset, fuerit cælestis terrestris simul & infernalis populi ingens tumultus. Periculum namque præsentissimum erat ne omnes populi isti, in die illo quo creatorem suum vulneratum visuri erant & occisum aduersum crudelissimos canes illos exsurgerent, iustamque tanti sceleris ab ijsdem exposcerent vindictam. Sed dicat fortasse aliquis. Qua igitur ratione factum est, quod cœli terra, & infernus Dominum suum adeo crudeliter & truculenter excarnificatum videntes, aduersus tantæ crudelitatis authores sese vt timebatur, non erexerint. Cur cælum vt vitam ijs eriperet, fulgure illos non extinxit? Cur terra fauces suas non aperuit & expandit, vt eos viuos dehisceret & deglutiret? Cur illos infernus Dæmonum opera ad se attractos, sempiterno gehennæ ignis incendio comburendos non inuoluit? *Quia*, inquit hic Doctor: *qui se morti obtulit, tumultum in orbe compescuit, ne mors tam desiderata impediretur.* Paulus de Palac. ibid. q. d. Quia Christus nihil adeo in votis habebat, quam vt pro hominibus mortem oppetere posset, ideo ne à tam ardentium votorum executione impediretur, Creaturas omnes, quæ in procinctu alias erant, vt aduersum Crucifixores suos tumultuarentur, continuit, & compescuit. O pietas inaudita! Eodem prorsus tēpore, quo Iudæi effrænes Filium Dei miris tormentorum adinuentionibus affligebāt, ipse creaturas suas frænabat, ne tumultarentur, aut ad arma conuolarent, iustamq; de ærumnis creatori suo illatis vindictā expeterēt. *Tumultū in orbe cōpescuit.*

4. Progrediamur vlterius. Cum iam afflictissimus Dominus noster totus cruentus, vnumque quasi continuum vulnus factus ex Crucis ligno penderet suspensus, oculis ad Patrem suū subleuatis, de peccatis inimicorū suorū veniam & remissionem ab eodem, postulauit, & dixit: *Pater ignosce illis non enim sciunt quid faciunt.* Luc. 23. v. 34. Quidnam Filium Dei permouit, vt præcise in illa hora gratiam istam à Patre postulauerit, non vero in quauis alia, in qua illum similiter affligebant & contumeliabantur. Causa huius fuit, quia, vt dicit S. Vincentius: *Tunc Christus vidit Deum Patrem paratum ad recipendam vindictam de Crucifixoribus suis, si filius voluisset* S. Vincen. ser. 3. Dom. 1 pass. q. d. Filius Dei alijs horis adhuc non viderat Patrē æternū tanta indignatione & furore exardescentem, totumq; armatū, nihilq; aliud quam dilecti filij sui cōsensum expectantē, ad hoc vt aduersus inimicos

cos suos tela sua vibraret, atque de receptis à filio suo probris, sannis, variisque tormentis, vindictam sumeret, sicut illum tunc paratum resolutúque videbat. Ideoque tunc potius quàm alias veniam pro iisdem poposcit. Observandum autem est insuper, quod licet Iudæi adversus Dei Filium semper crudeles & immanes extiterint nunquam tamen majorem contra ipsum crudelitatem exseruerunt, quam dum illum Cruci affigerent, unde quoque dicere voluit: *Consummatum est*; ad illa Davidis Prophetæ verba respiciens: *Consummatur nequitia peccatorum.* Quia ut dicit S. Bernardinus: *Tunc nequitia consummata est, quoniam nulla maior nequitia, quam filium Dei interficere.* Atque in hoc eodem tempore voluit Patrem pro tanti sceleris remissione rogare & ut S. Bruno Carthusiani Ordinis Patriarcha dicit, maximam illis quæ possibilis esse possit, misericordiam impendere: *Nimia misericordia superabundans pro suis Crucifixoribus orabat dicens: Pater ignosce illis.* Idque eo potissimum fine factum est, ut quilibet adverteret, & veluti manibus palparet, quod eodem prorsus tempore quo Iudæi versus Christum adeo immanes & barbari erant, ut truculentiores & crudeliores esse non possent: Christus quoque tantam ipsis pietatem & clementiam impenderit, ut majorem iisdem exhibere non potuerit: quodque eo tempore quo in inimicis suis plus solito superabūdabat crudelitas, ex ejus parte misericordia indicibiliter consuetos terminos excesserit.

Ioan. 19. v. 9.
Ps. 7. v. 10.
S Bern. de Pass. Dom. ser. 55. art. 1. cap. 5.
S Bruno. de orna. Eccl. c. 6.

5. Porro licet Crucifixio Filii Dei, ut diximus, maximum scelus sit, quod ab hujus mundi hominibus unquam commissum fuit, attamen vulnus illud quod post eius mortem in ejus latere formatum est, illud mirum in modum superexcessit. Major enim crudelitas est corpus aliquod mortuum vulnerare, quam in vivum sævire. Vnde fit quod cum Clavi & Crux, quæ Christum affixere vivum, dulcia vocentur. *Dulce Lignum dulces clavos.* Lancea tamen quæ Christum offendit mortuum, vocetur crudelis: *Mucrone diro lancea.* Vnde quando Crucifixores Christi jam emortui latus vulnerarunt crudelitatem suam plus quam unquam alias prodiderunt. Hoc igitur præsupposito observandum, Christum illa vice se longe pientiorem, benigniorem magisque misericordem se exhibuisse, quam quovis alio tempore. Petrus Abbas Cellensis in Tractatu, *De Tabernaculo* per Arcæ propitiatorium Christum intelligit, de illo enim S. Ioannes dicit *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Videns autem quod licet divinum hoc propitiatorium duos ab vtroque latere assistentes sibi Cherubinos haberet, qui alis suis illud contegerent & custodirent, nihilominus in dextero latere adeo enormiter læsum & vulneratum sit, Cherubinum illi lateri assistentem hunc in modum alloquitur: *Vbi eras Cherub: qui dexterum latus Salvatoris tegere debes, cum lancea inferretur, an aderas?* Cur ab eo qui custos est Paradisi non mutuasti Romphæam seu lanceam, Deumque tuum meliori qua poteras ratione non defendisti. Et eadem cum subtilitate respondet: *Sed à defensione prohibitus eras sicut ille, cui dictum est: Mitte gladium tuum in vaginam suam, & nudavit vtrumque latus propitiatorii, qui venerat pati.* q. d. Licet Cherubinus ad Dei & Domini sui defensionem atque custodiam stricto semper ense paratus fuisset atque promptissimus; Quia tamen Christus non solum illi, sicut alias Petro, ut gladium suum in vaginam reconderet præcepit, verum etiam ut lanceæ locum daret, totus nudus & discoopertus in Cruce esse voluit, ideo latus ejus aperiri & vulnerari absque vlla difficultate potuit. Porro attendendum bene est quod dicat totum propitiatorium discoopertum tunc visum fuisse. *Nudavit utrumque latus propitiatorii*, id est, totum divinam pietatem suam manifestare decrevit. Id quod merito ita dicitur: Nam cum divina illa vulneris plaga sanguis quo nos redemit, emanaverit, nec non & aqua quæ ab antiquis nos peccatorum maculis emundavit, Deus tunc se longe pientiorem quam alias unquam esse demonstravit. Simulque significavit Christum eo tempore quo inimici sui crudelissimi & solito erga ipsum barbariores extiterunt, se ipsis magis demonstrasse misericordem, siquidem à Diabolica illos servitute redimens, culparumque suarum maculas ab illis abstergens, benignitatis suæ amplitudinem illis offendit. *Nudauit utrumque latus propitiatorii.* 6.

1. Io. 2. v. 2.
Petr. Ab. Cellens. lib. 1. de Tabernac. c. 1.

6. Tradit B. Laurentius Iustinianus odium illud quod Hebræi adversus Christum Dominum nostrum in cordis sui caverna tot annis nutriverant & conservarant, tandem tempore Passionis & martyrii Christi Domini pleno impetu per inaudita tormenta erupisse: *Plusquam triennio sitierant quod tunc illis permittebatur impedire. Quamobrem eis nova irrisionum genera contra Dominum mediatos esse indubium est.* Id quod de Hæbræorum crudelitate dicitur verum insuper quoque audite, quid per os *Isaiæ* Prophetæ de Divina pietate dicatur: *Dies ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit.* q. d. Tot jam annis iram in corde meo continui & dissimulavi, neque vindictam adversus homines sumere volui, diem mortis meæ, & redemptionis ipsorum expectans. Quodsi autem scire vultis quo fine Deus iram suam adversus homines conceptam tot annis in corde suo continere & fovere voluerit? Audi quid Hieronymus Oleaster hac de re dicat, sic enim facile id intelliges. Dicitur igitur hic Doctor: *si quaris cur iram in corde suo servetî ut passionem, cum cor ejus apertum est, omnem, quam usque ad illud tempus conceperat, effunderet, quando percusso ejus latere exivit Sanguis & aqua* Quasi dicere vellet, ex quo ira & appetitus vindictæ nihil est aliud, quam quædam *Sanguinis accensio circa cor*, ideo amantissimus & benignissimus Deus noster, hunc Sanguinem in vase cordis sui tot annis reclusis & reservavit, ut eundem in tempore *Passionis* suæ, quando Hebræi cor suum vulneraturi erant effunderet & exprimeret, iisdemque amplam commissorum peccatorum suorum veniam concederet. Et sicut homines vindictæ appetitum in cordibus suis tot annis foverint, ut uno eodemque Passionis suæ tempore, omniū de Deo vindictam simul & semel sumerens Ita Deus Sanguinem suum usque in idem Passionis suæ tempus diligenter conservaverat, ut eundem eodem tempore effunderet, ipsorumque excessus condonaret. Adeo ut Deus eo tempore quo homines majori se erga Deum odio ardere demonstrant, se quoque erga homines misericordem magis magisque exhibeo.

B. Laur. Iustin. de Agon. c. 10.

Isa. 63. v. 4.

Oleast. ibid.

7. Tametsi Iob profundissimo cuidam afflictionem diversarum Pelago immersus fuisset, ad majorem tamen magni adversarii sui confusionem, de Deo loquens dicere non dubitavit *Soluat manum suam & succidat me.* q. d. Cur adeo tardat Deus? cur manus sibi ligatas esse sustinet, solvat illas tandem majoresque solito afflictiones mihi accumulet, meque de terra evellat & eradicet. Vnde Deum manus habere vinctas atque ligatas colligitur. Sed quo fine? Ne peccata nostra punire & castigare possit inquit S. Gregorius Magnus *Ad ferienda nostra delicta manum ligatam tenet.* Id quod perspicue magis in tempore mortis suæ videtur, quando gravius quam alias unquam ab hujus mundi hominibus offensus fuit. Ne enim horrendos ipsorum castigaret excessus, duobus fortissimis clavis manus suas Crucis ligno alligari voluit, volens per hoc ipsis non minorem pietatē impendere, quam ipsi erga eum crudelitatem exhibuerunt, Eo namque tempore quo ipsi ad inferendum illi mortem, ad illudendum & flagellandum illum nō tantum manus solverant, verum etiam linguas suas laxarant, ipse ambas manus suas ligatas habere voluit. *Manum ligatam tenet.*

Iob. 6. v. 9.

S. Greg. marat. lib. 7. c. 7.

Observandus hic est pulcher loquendi modus, quo Isaias Propheta de Divinæ misericordiæ tēpore Passionis vnigeniti filii sui à Deo tot modis manifestatæ & explicatæ excessu loquēs utitur dicens. *Generationē eius quis enarrabit, quia abscissus est de terra viventium* q. d. Per humanam crudelitatē tanquā homo vita omnino indignus à mundo avulsus & eradicatus est, nec tamen lingua adeo reperiri potest diserta, quæ filios quos genuit enumerare possit. Quo loquendi modo insinuare vult, per Christi mortem innumeros homines ad vitam gratiæ genitos fuisse, prout ipsemet postea affirmare voluit, dicens: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet si antē mortuum fuerit multum fructum affert.* Hoc sensu Doctor quidā modernus Isaiæ verba explicat, dicens: *Quia Christus vitam illam vivere desiit, qualem homines in terra agunt, qui corpore atque spiritu constant, ideo germinationē & sobolem germinabit ita copiosā, ut nemo enarrare illā siue numerare posset.* O Deus immortalis, et quisnā est hic pietatis excessus, quo in uno eodem-

Isa. 53. v. 8.

Ioan. 12. ver. 4.

Caspar Sanchez, ibid.

que tempore quo homines te vita hac temporali spoliare atque de terra extirpare contendunt, tu innumeris ipsorum cælestem vitam conferre, atque in delitioso Paradisi viridario plantare disposuisti.

9. Præcipua ratio ob quam Hebræi Christum crucifigere voluerunt, fuit, vt supra cum Philippo Abbate diximus: *Vt diutius affligerent.* Vnde quod si stante incredibili hac furoris & indignationis suæ vehementia, ipsum perpetuo torquere & affligere potuissent, fecissent id vtique. Cumq; cum crudeli hocce desiderio Dominum suum varijs tormentis afficerent, è cruce breue quoddã sed integro quodam pietatis mari redundans Verbum à Christo pronuntiatum fuit, nimirum: *Sitio.* Verum ecquid adeo vehementer sitiebat. Æternaliter affligi & torqueri, inquit S. Bernardinus de Senis. Adeo enim gestiebat pro hominibus pati, vt cum videret æternum Patrem suum omnes animi sui afflictiones intra triginta trium annorum terminos conclusisse, Martyria vero corporis intra tres tantum coarctasse horas tempus illud adeo sibi breue & momentaneum visum fuerit, vt illud quasi nihilũ reputauerit, ac proinde vitã illam quam agebat in cruce, in infinitam & æternam quandam vitam dilatare, extendere & ampliare concupiuit, vt hac ratione infinitas ærumnas & innumerabiles mortes continuè sustinere posset. Ideoque dixit sitio, id est, infinities pro hominibus pati & mori desidero. *Nam licet Diuinitas*, inquit S. Doctor, *ad solum tricenarium annorum numerũ terminauit mentis Iesu innumerabiles esse dolores, atq; corporis cruciatum ad solum trium horarũ restrinxit spatium: Non tamen fuit charitas Christi harum arctatione contenta; vnde dilatauit vitam suam per desiderium dicendo; Sitio ad quoddam infinitum viuere, & ad sustinendum infinitas mortes.* Adeo vt quo tempore homines ex vna parte maxima qua poterant aduersus Dei filium crudelitate sæuiebant, ipsumq; perpetuo & in infinitũ vsque affligere & torquere desiderabant, ipse ex altera parte econtra summe misericordẽ, longeq; plus solito benignũ erga homines se exhibebat, proque animarũ ipsorum salute infinities pati & mori desiderabat *Dilatauit vitam suam ad quoddã infinitũ viuere & ad sustinendũ infinitas mortes.*

S. Bern ser. 55 art. 1. cap. 5.

10. *In* scriptura sacra valde frequenter obseruatur, quod quotiescunque Deus de cœlo in terram descendit, hæc à capite ad calcem vt dici solet totaliter semper commota fuerit. Sic in *Iudicum* libro de quodam Dei transitu loquens dicit, quod mox vt terra Diuinã persensit præsentiã, hæc firmiter aut solide subsistere aut stare nequiuerit: *Domine cum exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est.* In actibus Apostolorũ legitur, quod Apostolis ad orationem faciendam simul congregatis locus ille vbi omnes simul erant commotus fuerit, in signũ quod Deus ad illos spiritu sancto adimplendos in eundem locum descenderit: *Cum orassent motus est locus, & repleti sunt omnes spiritu sancto.* Et in eodem Actorum libro dum Paulus & Sylla in carcere constituti essent magnus quidã terræ motus notatus fuit: subito terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris, in signum videlicet quod Deus afflictos hosce discipulos consolaturus aduenisset. Vnde cum eadem scriptura quoque referat terrã Christo moriente contremuisse & commotã esse, prouti S. Matthæus refert: *Terra mota est, & monumenta aperta sunt*, affirmare quoque oportet Deum tunc etiam de cœlo in terrã descendisse. Sed quo fine? Nimirum vt per meritũ sanguinis & mortis vnigeniti filij sui cum hominibus reconciliaretur, inquit Paulus de Palatio: *Existimo, quod quia mors Christi Deum hominibus absentem hominibus reconciliauit, & fecit esse præsentem, vt videlicet iam esset nobiscum Deus, ideo terra in Christi morte contremuit: erat longe olim ab hominibus salus, ita per Christi mortem Deus nobiscum est, vsque ad consummationem sæculi* Id quod vna cum alijs supradictis, magnum pietatis excessum concludit, quem tunc manifestauit, quando pro nobis dignatus est mori. Quo videlicet tempore homines inextinguibili quodam furore maxime commoti, cruentum ipsi bellum mouerunt, prouti ipsemet per os Prophetæ dicit: *Conculcauerunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes aduersum me*, cum tamen ipse econtra eodem tempore adeo Deum placaret, & hominibus reconciliaret, vt illum ad commorandum perpetuo in terra de cœlo descendere fecerit: *Deum hominibus absentem hominibus reconciliauit, & fecit esse præsentem.*

Iud. 5. v. 4.

Actor. 4. v. 31.

Ibid 16. v. 26.

Paul. de Palac. ib

Psal. 55. v. 2.

CON-

CONSIDERATIO VI.

Illudebant ei cædentes.

Illa patientiæ excessus quem filius Dei eo tempore exhibebat, quo passionis suæ subiacebat tormentis, demonstrabat corpus eius ex metallo potius, quam uti reuera erat ex carne & sanguine fuisse compositum.

SIcuti reprobi Caiphæ impijssimi ministri postquam Iesus illorum traditus esset arbitrio & furoris libidini, illum ex vna parte deridere contumeliari, & torquere omnibusque possibilibus malis afficere non omiserunt, vt S. Lucas scribit: *Et viri qui tenebant illum, illudebant ei cædentes, & velauerunt eum & percutiebant faciem eius.* (Lu. 22. v. 63.) Ita Iesus ex parte altera haud secus ac si offensus & derisus non esset, ne vllum quidem verbum protulit, sed omnia altissimo cum silentio tolerauit. Vnde Isaias illum mansueto cuidam agnello comparauit: *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* (Isa. 53. v. 7) O admirabilis & insolita patientia. O ingens tolerantiæ & æquanimitatis excessus, nam tametsi corpus eius carne constaret & sanguine illud exhibere voluit, haud secus ac si ferreum aut æneum, imo adamantinum esset.

1. Serpens ille quem Moyses ex Dei præcepto in deserto in ligno quodam exaltauit, iuxta communem Catholicorum Doctorum expositionem expressa Christi Domini nostri in crucis ligno exaltati figura fuit. Quos citare nihil interest, cum ipsemet Dominus idipsum clare satis expresserit: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita ex altari oportet filium hominis.* (Ioan. 3. v. 14.) Obseruandum est autem, serpentem illum nequaquam verum & naturalē fuisse sed artificialem, atq; ex ære fusum, ex tali namque materia illum Deus fieri Moysi præceperat: *Fac serpentem æneum.* (Num. 21. v. 8.) Vnde merito inquirenda est ratio ob quam serpens ille ex ære fusus, non vero ex carne & sanguine conflatus fuerit, vti

sunt alij serpentes veri qui passim in terra sunt? Videtur enim congruentius fuisse si ex carne constitisset, vtpote qui diuinum serpentem Christum Saluatorem nostrum repræsentare debebat, qui corpus non æneū, sed ex carne & sanguine habebat compositum. Fateor equidem rationem hanc robur aliquod habituram fuisse, si Christus dum iam in crucem esset exaltatus se corpus ex carne & sanguine constans habere demonstrasset, prouti reuera habebat, nunc autem constat Christum ea fortitudine & æquanimitate crucis dolores sustinuisse, ac si non carneum sed æneum & prorsus insensibile corpus habuisset. Quantumuis enim dolores eius fuerint grauissimi, maximeque intensi, attamen ob patientiam admirabilem, quacum tormenta illa incomparabilia sibi illata supportabat, durum quoddam & insensibile corpus habuisse videbatur, haud secus ac si non ex carne sed ex ære formatum fuisset, ideoque per serpentem æneum non vero carneum figuratus fuit. Propter nos, inquit B. Isaias *Omnia passus est, neq; immutatus est, neque ira commotus in eos, à quibus tot iniurijs afficiebatur, nihil respondens sed ad ænei serpentis similitudinē immobilis manens.* (B. Isaias orat. 25.)

Ad hocce mysterium, Deus respexisse videtur quando Ierem. cap. 1. vnigenitum suum alloquens dicit se illum adinstar columnæ ferreæ formasse: *Ego quippe dedi te in columnam ferream.* (Ierem. 1. v. 18.) Non dicit se illum ad instar marmoreæ columnæ efformasse, cuiusmodi genua se sponsa habere dicebat: *Crura illius columnæ marmoreæ*, (Cantic. 5. v. 15.) sed sicut columnam ferream. Eccur ita? Ratio illius intelligetur per id quod Plinius refert, de Alcone Statuario ingeniosissimo, qui Herculis statuam efformaturus, illam non ex auro, argento, marmore, ligno, aut alia simili materia ex qua aliæ statuæ ordinariè fabricantur, sed ex ferro efformare voluit, adhoc faciendum ab insolita herois huius patientia motus, quam incomparabilis hic Gygas in maximis laboribus suis manifestarat: *Laborum Dei patientia inductus.* (Plin. lib. 54. c. 14.) Varios enim labores & ærumnas varias, quibus Hercules tanta cum promptitudine & æquanimitate subiacuit, considerans, impossibile iudicauit hominem aliquem ex carne compositū, tanta supportare mala potuisse, quanta ipse

sustinuit, ideoque ferreum illi corpus, quo ex metallo simulachrum illud fusum fuerat, affinxit. Hoc sensu, ni fallor Deus vnigenito filio suo locutus fuisse videtur, dum illum ad instar columnæ ferreæ à se efformatum esse dicit: *Dedi te in columnam ferream.* Quasi clarius se explicans dicere voluisset: sicuti ô dilecte fili ex vna parte dolorum tormentorumq; tuorū immensitas, quā mortalis & passibilis factus, crudelique inimicorū tuorum rabiei subiectus, sustinuisti explicari nō poterit, ita patientia & fortitudo in ijs sufferendis adeo erit admirabilis, vt merito videri possim tibi à me non sicut alijs hominibus, datum esse corpus ex carne & sanguine congulatum, sed potius corpus aliquod ex ferro fusum: *Dedi te in columnam ferream.*

3. Quando Pilatus ad mitigandū rabidorum Iudæorum furorem Christum illis dirissime afflictum & percussum ob oculos posuit, simul à Præcone elata voce dici præcepit: *Ecce Homo.* Nequaquā dubito quin præceptum istud nonnemini prima quidem facie videatur superfluum, & absq; vlla prorsus necessitate datum, cum enim Christus hominis (qualis vere erat) referret effigiem vtique ab hominibus homo agnitus fuisset, licet prædicta verba à Præcone circumstantis populi auribus inclamata non fuissent. Cur igitur illum hominem proclamari expresse voluit: *Ecce Homo?* Paulus de Palatio dicit rationem illius hanc esse, quia ob admirabilem patientiam non homo quidā ex carne & sanguine compositus, sed ex massa quadam ferrea aut ænea conflatus videbatur. Atque ideo Pilatus dicendo: Ecce Homo, quasi clarioribus verbis dicere voluit: *Homo est, non lapis, non ferrum, non æs; quæ sustinuit, vix credibile est, quomodo sustinuerit.* Id quod eo præcipue dico: metuo enim ne ad admirabilis patientiæ suæ aspectū, quam in tormentis suis exhibuit, in errorē labamini, iudicantes illum nequaquam hominem ex carne & sanguine formatum, sed statuam quandam esse marmoream, ferream aut æneam. *Homo est, non lapis, non ferrum non æs.*

Ioa. 19. v. 5.

Paulus de Palat. in cap. 27. Matth.

4. Idipsum Dominus noster doloribus plenus de flagellatione sua per os Dauidis loquens, dicere voluit hisce verbis: *Congregata sunt super me flagella & ignoraui* q. d. Innumeros in sacro corpore meo ictus accepi, qui à capite ad calcem vsque me cruentarunt & vulnerarunt, proprioq; me sanguini immerserunt, & tamen ego idipsum ignoraui. Quomodo ipse id ignorauit. Summo & immenso cum dolore percussus & vulneratus fuit, & quendam quasi sanguinis lacum effudit, & adhuc dicit, ignoraui? Forsitan non ipsemet, sed alius quidā vice ipsius percussus fuit, aut vero corpus habuit ex materia quadam insensibili & indomabili conflatum, quod vulnera & dolores sibi inflictos non persentiscebat? Nequaquam: reuera tale erat, bene tamen tale esse videbatur, inquit S. Ioannes Chrysostomus: *Sic contemnebat flagella, quasi in alieno corpore pateretur, ac quemadmodum si adamantinū possideret corpus.* Quia benignissimo Domino perspicue notum erat, quod pro nobis adeo à se adamatis & æstimatis pateretur, ideo ob amoris vehementiam, quæ pectus suum admirabili patientia armauerat, nulla sibi tormenta pati videbaur. Et tametsi magni & incōparabiles essent quos patiebatur dolores, ipse tamen haud secus ac si non ipse sed alius illos pateretur, aut si corpus eius ex duro & insensibili adamante fabricatum fuisset, eosdem fortissimè sufferebat. *Quemadmodum si adamantinum possideret corpus.*

Psal. 34. v. 15.

S. Ioan. Chrysost. Hom. 12. in Act.

5. Perspicue magis idipsum intelligetur si illa Seraphici Cardinalis S. Bonauenturæ de flagellationis tormento loquentis verba attendamus, qui dicit: *Fluit vndique regius sanguis de omnibus partibus corporis superadditur, reiteratur, & spissatur liuor super liuorem & fractura super fracturam, quousque tam tortoribus, quam spectatoribus fatigatis, solui iubetur.* Quis illa S. Cardinalis verba non magnopere admiretur? Quod si enim Christus cædebatur flagellis, non vero Christum circumstans ipsumque flagellari spectans plebecula, neque ipsum flagellantes lictores atque carnifices, certe ille ex flagellatione ortus dolor & labor, non à circumstantibus spectatoribus aut militibus ipsum flagellantibus, sed à Christo sentiri debebat. Verum quidem est, ita merito fieri debuisset, veruntamen ob admirabilem flagellati Christi patientiam, S. Cardinalis præfatus contrarium omnino factum fuisse dicit: Militibus enim & spectatoribus quantumuis rabidi & furibundi essent, horrendum

S. Bona. de Vit. Chris. cap. 76.

dum spectaculum istud tum ob excessiuam flagellationis crudelitatem, tum ob ingentem inflictorum vulnerum numerum & magnitudinem, tum denique ob incredibilem effusi sanguinis abundantiam, diutius spectare, eidemque assistere non valentibus, Christus haud secus ac si insensibile & metallinum corpus habuisset, aut flagellatus minime fuisset, ita nec dolorem sensit nec vulnera.

6. Isaias aliquam Christi patientis & crucifixi comparationem adducere volens, quadam vsus est agni tondentis forficem *Isa.53.v.7* sustinentis analogia dicens: *Quasi agnus coram tondente se obmutescet.* At vero, vt verum fatear, comparatio ista patientis Christi cū agno qui tondetur parum mihi apta esse videtur. Christus enim intra inimicorum suorum manus constitutus non tondebatur, sed decoriabatur, vulnerabatur transfigebatur, occidebatur. Aptius ergo Propheta locuturus fuisse videbatur, si Christum agno ad macellum ducto, aut lanionis ferro subiecto similem pronuntiasset, prouti supra dixerat, quando illum oui assimilabat *Sicut ouis ad occisionem ducetur.* Veruntamen *Isa ibid.* quia Propheta admirabilem mansuetissimi Iesu patientiam, quacum martyriorum suorum subiacuit inferno, moliebatur proponere meliorem quam ab agno tonsoris forfici subiecto desumptam similitudinem adducere nō valebat: *Quasi agnus coram tondente se.* Quare sciendum capillos & lanam longe diuerso modo scindi aut tonderi, ab eo quo aliæ corporis partes scindūtur aut vulnerantur. Dum enim hæ scinduntur aut offenduntur, dolet corpus & affligitur: cum tamen ex capillorum aut lanæ præcisione, corpus nullum prorsus dolorem persentiscat haud secus ac si ad corporis integritatem tanquam partes integrantes nullatenus spectarent. Quia igitur Christus quantumuis impie ac dire excoriatus, per omnes corporis sui partes liuidus direque percussus, ac merum, quasi vulnus factus, per suam tamē incredibilem patientiam, qua omnes hosce dolores ac tormenta æquanimiter & silenter sustinuit, veluti metallina quædam statua, nullum prorsus dolorem sensisse videbatur haud secus ac si cruentatus aut vulneratus nequaquam fuisset, ideo non occiso, sed tonso agno similis esse à Propheta dicebatur: *Quasi agnus coram tondente.*

7. Porro nostis Discipulum traditorem, postquam Christum Dominum impietate sua in potestate ac manibus inimicorum suorum constitutum vidisset, pretio traditionis in templum Scribis & Pharisæis relato, propriis sese manibus strangulasse. Ita enim Matth. 27. cap. v. 3. narratur: *Videns* *Matth.27 v.3.* *Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset, retulit triginta argenteos Principibus sacerdotū, & proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Multas sacri expositores rationes assignant, ob quas Iudas propriis sese manibus confecerit, quas vtpote ad præsentis Considerationis propositum impertinentes in medium adducere nolo, ea sola contentus, quam os Chrysostomi aureum, adfert existimantis factum id esse, quia *Supplicium non potuit videre damnati*, *S. Ioan. Chr. ser. 4. Fer. 5. Pass* idest, supplicium istud, cuius Hebræi diuinum suum condemnaturi Magistrum erant. Cum igitur mansuetissimus ac benignissimus Dominus noster tale potuerit sustinere tormentum quale ne canis aliquis aut durissimum quoddam molare saxum, imo ne ipse quidem sustinere Infernus potuisset, quid exinde aliud inferre possumus, quam quod Christus Dominus noster in passione sua non aliquis carne circumdatus, aut liquido in venis sanguine viuificatus, sed ex alia quadam impassibili & insensibili materia cōpaginatus homo aliquis visus fuerit.

8. S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus piè opinatur integrū quendā angelorum cælestis paradisi exercitū Christo Domino toto sacratissimæ passionis suæ tēpore indissolubiliter astitisse, eosdemque vna ex parte contumelias & tormenta, benignissimo Saluatori illata, tam ea quæ à sacris Euangelistis scriptis tradita, quā quæ à sacris ipsorum calamis intacta permanserunt videntes, ex parte vero altera admirabilem cernentes Christi patientis æquanimitatem & patientiam, quacum tantas ærumnas constantissimè sufferebat, quasi horrendi illius spectaculi aspectum diutius sustinere nō valentes, suā omnes alis suis cooperuisse faciē, atque præ ingenti spectaculi illius horrore in alteram fuisse partem conuersos: *Dicimus* *S. Ger. l. rer. Eccl. Theor.* *igitur semper & inseparabiliter adfuisse virtutes cælestes vna cum Domino Christo, præcipue vero*

in illa nocte qua traditus est. Ea igitur cernentes adductionem ad Caipham, præsentationem coram eo, falsa testimonia, alaparum incussiones, colaphorum inflictiones, ludibrium illud Iudæorum militum coccineum indumentum, spineam coronam, cum risu coniunctas geniculationes, aliaque omnia, tam quæ diuinorum Euangeliorũ historiæ narrant, quam quæ propter multitudinẽ fortasse prætermissa sunt: in singulis quæ fiebant, admirantes & stupentes longanimitatis & patientiæ magnitudinem, velantes facies suas, se auertebant. Quibus in verbis insignem velim in filio Dei obseruetis patientiæ excessum; Spiritus siquidem cælestes impassibiles & immortales tormentorũ suorum horrendo spectaculo assistentes, haud secus ac si easdem pati pænas formidassent, suam alis cooperuere faciem, retrorsum respicientes; cum tamen Dominus noster passibilis & mortalis, quasi nullos instar statuæ alicuius æneæ aut ferreæ sensisset dolores, innumeris passionis suæ tormentis & ærumnis subiacebat immobilis.

9. Sponsa cælestis Diuinum Christi sponsi sui corpus summe demirata inter cætera
Cant. 5. 11. 14. & 15. dixit: *Caput eius aurum optimum, manus illius tornatiles aureæ, crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Cur sponsa Christum totum aureum esse dixit, non vero ex carne & sanguine, sicut alios homines constare pronunciauit, cum tamen licet, Deus sit, verus tamen quoque homo extiterit? Ratio huius ex eo, quod Hugo Cardinalis in huius loci explicatione dicit facili negotio intelli-
Hugo Card. in 1. Ap. getur: *Iesus fuit aureus per patientiam, quia non murmurauit in flagellis, sicut aurum non crepat sub malleis.* Aurum enim in hoc ab alijs differt metallis, quod tametsi sæpe ac vehementer percutiatur ac repercutiatur, ipsum tamen martello suppositum ita cedat ac extendatur, vt nec findi, rumpi, aut crepare cernatur vnquam. Talis itaque inquit sponsa, & non alius est dilectus meus, diuinum bonum meum. Quasi dicere voluisset: Tametsi reuera carneus sit, tamen mihi non tam ex carne, quam ex metallo aut auro constare videtur: Cum enim quæuis alia patientia carnalis & terrena tribulationis martello tentata aliqua saltem ratione findi, rumpi, aut crepare soleat, patientia tamen illius adeo ad stuporem vsque dilatatur & extenditur, vt tametsi illum omnia adorirentur totius Inferni tormẽta nũquam tamen aliqua vel minima crepatura, aut quiuis leuisculus humanæ impatientiæ defectus in illo notari aut deprehendi potuerit. Atque ideo non carneus aut sanguineus, sed metallinus sed aureus esse videtur: *Non murmurauit in flagellis.*

10. Quodnam vel quale latro iustus miraculum in Christo vidit, inquit Nicolaus Lyranus, vnde Christum verum Dei Filium esse cognoscere, atque ab eo vt in regnũ suũ ingressus sui meminisse dignaretur petere potuit dicens: *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum?* Etenim certum est Luc. 23. v. 42. non fuisse coram oculis eius siue pulsos dæmones, siue cæcos illuminatos, siue resuscitatos mortuos, nec quodpiam patratum esse miraculum simile, vnde personã Christi qualem confessus fuerat, cognoscere potuisset? Imo eius quod concludendum erat omnino contrarium vidit; repræsentabatur enim ei Christus in specie latronis & peccatoris, tanquam infimus, atque cuiuslibet vilissimi hominis offensis & opprobriis expositus, imo velut fex & opprobrium hominum. Respondet autem Lyranus latronem sanctum nihil vidisse aliud præterquam admirabilem quacum omnia tormenta sustinebat, patientiam: *Videns Christi pa-* Nicol. de Lyr. in c. 27. Mat. *tientiam pænituit & misericordiam petiit, & inuenit.* Neque enim patientia illa simplicis alicuius hominis esse videbatur, talis nimirum cuius corpus carne constaret aut sanguine, aut flagella sentiret, aut denique vulnerũ ac doloris capax esset, sed quod insensibili & impassibili constaret materia.

11. S. Petrus Cardinalis Damiani existimat verba illa ab Isaia Cap. 63. registrata nimirum: *Quis est iste qui venit de Edom, tin-* Isai. 63. *ctis vestibus de Bosra?* ab Angelis eo tempore quo Christus animarũ nostrarum Saluator in cælos gloriosus ascendebat, dicta fuisse; vestimẽta enim eius proprio suo sanguine tincta videntes, eius in passionis suæ tormentis summã patientiam supra modũ obstupescebant; *Videntes enim eum sanguinei ruboris vnda perfusum mirantur eius patientiam.* Et qui- Petr. Dam. ser. 40. dem ingentẽ habebant admirandi causam siquidẽ illũ vna quidẽ ex parte de Edõ veni-

re:

re conspiciebant, ex parte vero altera, tanta cum patientia considerabant conspicuum. Porro sciẽdum est hoc nomen *Edom* hebraicam dictionẽ esse, quæ in sermone latino idẽ significat, quod sanguineus, seu corpus ex carne cõstans & sanguine. Vnde videbantur angeli in verbis prædictis dicere voluisse: Quodsi Christus creatura esset simpliciter cælestis, omnis prorsus expers carnis & sanguinis, mirũ non esset quod sub diris flagellis adeo conspiceretur patiens & intrepidus: at vero quod corpore constans ex carne & sanguine cõcreto, nihilominus sub innumeris quibus subiacuit tormẽtis haud secus ac si æneo corpore constaret, os suum nunquã aperuerit, id certe intelligi aut concipi minimè potest. *Mirantur eius patientiã.* Ex hactenus dictis igitur necessario cõcludere oportet Diuinã Christi patientiam nequaquã solitam aut vulgarem fuisse, sed potius ingentem quendã patientiæ excessum, dignum qui ipsos quoque in Cælis angelos in summam rapiat admirationem. *Mirantur eius patientiam.*

CONSIDERATIO VII.

Et flagellauit.

Ioan. 19. v. 1.

Adeo funestum & lachrymabile erat terribile illud Martyrij filij Dei spectaculum, vt non homines duntaxat & angelos, sed & ipsasmet quoque Creaturas insensatas ad compassionem commouerit, licet Dæmonica Iudæorum corda in maiorem inde fuerint obdurationem redacta.

Finis ob quem Iudeæ præses Pilatus Christũ flagellis cædi iussit ex sancti Augustini mente hic erat, vt videlicet insana sic placaretur & mitigaretur Iudæorũ rabies, vtq; ipsum toto corpore vulneribus saucium, atque proprio suo sanguine madidũ ac innatantẽ conspicientes, suis satiarentur malis & tormentis morteque ac Crucẽ, quam tanta cum instantia requirebãt ipsi procurare desinerent: *Hoc Pilatus nõ ob aliud fecisse credendũ est, nisi vt eius iniuriis Iudæi satiati, sufficere sibi æstimarent, & vsq; ad eius mortem sæuire desisterent.* At vero nihil obtinens oleum & operã perdidit; tantis namque iniuriis atque tormentis minimè acquiescentes, vna voce vt crucifigeretur & occideretur clamabant. (S. Aug. apud S. Th. in Caten. c. 19. Ioan.)

Quo in facto peruersum & Dæmoniacũ odiosæ illius gentis cor obseruatur, cũ enim nõ homines duntaxat & Angeli, verum ipsæ quoq; Creaturæ insensatæ, ad dolorosũ hoc pænarum filii Dei spectaculũ ad cõpassionẽ cõmouerentur & planctum, ipsi econtra duriores & crudeliores semper euadebant, vti deinceps videbimus.

1. Isaias propheta funestũ Christi vulnerati & saucij spectaculum hisce olim verbis proponebat: *Vidimus eũ, & non erat aspectus, & desiderauimus eũ, despectum & nouissimũ virorũ, virum dolorũ, & scientẽ infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius.* Sanctes Pagninus postrema hæc verba ita vertit: *Abscõdebamus faciẽ ab eo.* Circa quæ verba Hieronymus Oleaster curiosam excitat difficultatẽ, dicẽs: Quodsi Propheta, vti dicebat, Dei incarnati faciẽ videre desiderabat: *Desiderauimus eũ*, cur igitur faciẽ illã iam corã oculis suis positã habens, ita vt ad satietatẽ vsque videre illaque frui iã posset, faciem suã velo coopertam abscondit: *Abscondebamus faciem ab eo* cum potius illã velo coopertam reuelare debuisset? Et respondet: *Non abscondã, inquit faciem meã ab eo quo videre non cupiã, sed quia doleo videre eum tã male tractatũ* q. d. Talis est funesti huius spectaculi stupor, vt tametsi Christũ patientem summopere videre desiderem, faciẽ tamen meã abscondã, ne illum videã, Diuinus enim vultus eius à rabidis Iudæis adeo truculento, crudeli, & barbaro furore cruentatus & deformatus esse cõspicitur, vt tametsi summũ eius videndi habuerim desiderium, modo tamẽ illũ videre nequaquã sustineam. Quo loquendi modo insinuare voluit, impossibile esse, vt cor aliquod ex carne & sanguine concretũ, ad Christi patientis & mortui conspectũ subsistere possit, quin ob doloris & cõpassionis excessũ in mille partes laceraretur aut frãgeretur. (Isa. 53. v. 7. — S. Pagni. — Olea, ibid.)

2. Seraphicus Cardinalis Bonauentura dicit: *Si respicis Christũ in quanta afflictione constitutũ, & non doles, valde mirandũ est: Mirandũ* idẽ est quod *mirabile. Mirabile autẽ,* vt dicit Petrus Berchorius, *est illud quod fit cõtra & supra aut præter naturam.* Hoc igitur supposito dico, Hominem Christum crucifixũ & mortuum sine vlla compassione intueri, res est mirabilis, non quidem supra sed cõtra (S. Bona. in Fasci. c. 8. — Petrus Berchor. Verb. Mirari.)

Naturam. Vnde si homo aliquis considerationem hanc dolorosam ingrediatu, nec tamen ulla dolorum Dei sui tangatur compassione, de tali necessum est dicere, illum non hominis sed feræ aut monstri alicujus Natura præditum esse; impossibile enim est, quod homo aliquis carne constans & sanguine, in tanti crudelitatis aspectum incidens non condoleat non frangatur, aut sine fine plangat: *Si non condoles valde mirandum est.*

3. Christus Dominus de injuriis in Passione sua receptis dolens, Psal. 21. à vitulis se circumdatum, obsessum à tauris, à leonibus coarctatum, cinctum à canibus, se esse dicebat: *Circumderunt me vituli multi tauri pingues obsederunt me apperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens & rugiens, circumdederunt me canes multi.* Quinam sunt illi quibus Christus homines appellare dedignans, ferarum seu bestiarum nomina imposuit? Iacobus de Valentia Hebræos Crucifixores suos fuisse asserit: *Christus his quarũ nominibus appellat Iudæos persecutores; appellat enim vitulos, tauros, canes & Leones.* Verum enimvero cur illos ferarum nominibus appellabat, qui ad instar aliorum hominum veri homines erant? quia præterquam quod instar feræ sanguinolenti & crudeles essent, omni quoq; cõpassionis affectu destituti erant. Michael Ayguanus de Bononia sequentia supradicti Psalmi verba explicãs: *Ipsi vero consideraverunt, & inspexerunt me,* dicit hos veros ac truculentos homines, dum in conspectu Christi Crucifixi stabant, illi non solum non condoluisse, verum insuper magnam ex Christi Crucifixi & afflicti doloribus & tormentis delectationem hausisse & gaudium *Naturaliter homines à re crudeli solent oculos avertere.* Merito igitur Christus illos non homines sed bestias, vitulos nimirum, tauros, leones & canes nominare voluit. Impossibile nãque est, ut cor hominis dolorosum adeo spectaculum conspiciens à compassione & dolore continere se possit.

Psal. 21. 11. 12.

Iacob de Valent. ibid.

Psal. eod. n. 19.

Incognit. ibid.

4. S. Bernardinus huic considerationi immorans, ita loquitur: *Quis vnquam regnans in cœlo sursum, aut peregrinans in terra deorsum, audiẽs aut mente pertractans, quomodo factus est opprobrium hominum ipse Dominus Angelorum, poterit lachrymas continere, etiam in cœlo vbi impossibile est flere.* q.d. Adeo ferum & truculentum fuit illud spectaculum, ut vel sola illius memoria, compassionem & planctum excitare, in ipsis etiam Angelis, & Beatis cœlorum civibus posset, tametsi planctus illis sit impossibilis. *Etiam in cælo, ubi impossibile est flere.* Et reipsa inquit Isaias, Angeli Cruci & doloribus Christi assistentes amare fleverunt. *Angeli pacis amare flebant.* Vt per hoc insinuetur, magnitudinem fellis in doloribus pœnarum Christi latentis in tam ingenti excessu consistere, ut ipsummet cœlestis beatitudinis pelagus amaricare, & ad planctum & compassionem instigare etiam illos potuisset, quibus plãctus est impossibilis. Imo si tale accidens cœlum ingredi aut penetrare posset, inquit Iacobus de Voragine Episcopus Genuensis ipsum quoque cor Dei invasisset, idemque ad compassionem commovisset. *Flevisset si possibile esset, Deus, videns filium suum tam ignominiosè tractari.*

S. Bern. Tract. de lament. B. Mar.

Isa. 33. v. 7.

Iacob de Vorag. serm. 50. quadrag.

5. Postquam Christus in horto montis Oliveti crudeliter captus, atque ingenti quadam catena collo injecta, ut ante pedes inimicorum suorum præsentaretur, onustus, Ierosolymotũ vrbem introduceretur, accidit, vt portam dictæ vrbis ingrediens, multasque diversorum Romanorum Imperatorum sculptas imagines pertransiens, ingens quoddam ac insolitum visum sit prodigium, secundum quod narrat S. Vincentius Ferrerius nam in sensata isthæc simulachra, coram ipso profunde se inclinantia, ipsum veluti Deum adorare videbantur. En ipsissima hujus sancti Doctoris Verba. *Dicunt aliqui, quod quando Christus captus intravit per civitatem Ierusalem, imagines lapideæ Imperatorum Romanorum, quæ erant ibi sculptæ inclinaverunt se Christo.* Idq; in signum miraculosæ cujusdam compassionis. Saxa enim ex quibus hæ statuæ sculptæ fuerant, haud secus ac si animæ oculis, quibus Iudæi orbati erant, dotata fuissent, videntia una ex parte immensam magni hujus Domini Majestatem ex altera vero parte ipsum haud aliter ac publicum latronem ligatum duci cernentia, videntur coram ipso humillime inclinata exclamare voluisse, & dicere: O novum & inauditum spectaculum! is ante cujus pedes Cælum, terra & infernus eodem quo nos facimus modo, summa cum reverentia & humilitate genua sua flectunt,

S. Vinc. serm. in Parasc.

flectunt, is inquam nunc tanquam latro pessimus ad latronum educitur supplicium. Quo in miraculo perspicuè videtur, quanta Christus inimicorum suorum manibus traditus compassione sit dignus, quando non homines duntaxat & Angeli sed & ipsamet saxa inanimata extraordinariæ condolentiæ non obscura signa ediderunt. *Inclinauerunt se Christo.*

6. Obseruandum quoque est hoc in loco, quod Christus in Crucem vix erectus fuerit, cum ecce narrante S. Matthæo, mox obscuratus est sol, velum templi per medium scissum est, terra ab ipsis commota est fundamẽtis, & aperta mortuorum sepulchra. *Tenebræ factæ sunt, velum templi scissum est, terra mota est, & monumenta aperta sunt.* Et primo quidem sol obscuratus est, seque caliginis pallio inuoluit: *Tenebræ factæ sunt.* Sol namque vtpote qui oculo præditus est adeo acuto, limpido, & claro, vt omnia quæ in mundo fiunt clarissima luce sua prodat, in illa hora Deum & creatorem suum vulneribus saucium, & sanguine cruentatum, haud secus ac publicum sceleratissimumq; latronem in medio latronum latronumque supplicio affectum & suspensum videns, horrendum istud spectaculum irreuerberato fixoque oculorum obtutu intueri nequaquam sustinens, faciem suam haud secus ac si intellectu præditus fuisset, tenebrarum velo contexit, & abscondit: *Sol fugit,* inquit Glossa interlinearis, *quia non potest videre mortem Christi, & collaborat laboranti.* Nulla vnquam commissa est in mundo iniquitas siue impietas, quam sol fixis intrepidisque oculis non aspexerit semper; sola filij Dei Crucifixione excepta, quam fixa & irretorta oculorum acie attendere & intueri minimè potuit. Quasi per hoc tacitus innuere voluisset, similem in mundo abominationem & crudelitatem visam hactenus nunquam fuisse, quæ proinde dignissima est, vt ab illis quoque creaturis compassionem experiatur, in quorum pectoribus minimè capit compassio: *Sol refugit, quia non potest videre mortem Christi.*

Matt. 27. 45. 51.

Glos. interl. in c. 16. Mar.

7. Præterea *Velum templi scissum est.* Vulgaris enim erat Hebræorum consuetudo, vt dicit Theophylactus, vt peregrino aliquo funestoque euentu oppressi, ab interni doloris vehementiã, vestes suas exteriores scinderent, seu lacerarent, prouti post auditam Saulis & Ionathæ mortem Dauid fecit. Pari quoque ratione Templum, veluti si ratione præditum fuisset, Deum suum liuoribus & vulneribus saucium ac sanguini immersum seu innatantem videns, præ excessiua erga spectaculum adeo funestum compassione, communi gentis suæ consuetudini sese conformans, velum à summo vsque deorsum scindi & lacerari voluit: *Quod in calamitatibus facere solent Iudæi, cum vestes dilacerant, hoc & templum, quasi animatum esset, fecit; compatiens conditori suo patienti, & vestes suas disrumpens,* inquit præfatus Doctor.

Theoph. in c. 15. Mar.

8. Præterea *Terra mota est.* S. Bernardinus existimat, hunc terræ motum fuisse veluti veredarium quendam, à terra per totum mundum discurrere iussum, vt summam in morte Domini ac creatoris sui commissam iniustitiam, & crudelitatem, omnibus diuulgaret hominibus: *Terræ motus non immerito factus est, cum terræ factor moreretur in terra. Tremuit terra moriente Christo, vt sentiretur in vniuerso orbe terrarum iniustitia mortis eius.* Id quod euidens immensi doloris, quem terra se pati demonstrabat, signum fuit. Nam veluti si dolori isti sufferendo impar esset, expeditum ad omnes amicos nuntium ablegauit, qui eosdem ad condolendum excitaret, vt vel hac ratione à nimio suo se dolore exonerarет. *Qui enim dolent,* inquit Aristoteles, *cum condolentibus amicis subleuari consueuerunt, quasi oneris partem suscipiant.*

S. Bern. de pass. Dom. serm. 55. art. 2.

Arist. Nicomach. lib. 9. c. 11.

9. Postremo denique *Monumenta aperta sunt.* Rupertus Abbas alterius huius prodigij rationem assignat dicens: *Ad suscipiendum illum certatim & auide aperta sunt.* Quasi dicere voluisset: Omnes creaturæ in funesto & luctuoso die isto, ratione ac sensu præditæ fuisse videntur. Vnde Creatorem suum adeo crudeliter tractatum esse cernentes, vehementissime eidem condoluere, eoque quo poterant modo, euidentia condolentiæ suæ signa dederunt. Et quidem in hac tanta aliarum creaturarum turba, monumenta quoque animaduertentia Deum illum optimum Maximum ad cuius seruitium, quicquid vspiam siue in cælo, siue in terra repetitur, integre dedicatum existit, in tantam redactum esse miseriam, vt ne vnicum quidem,

Rup. Ab. l. 1. c. 6 in Deut.

dem, in quo mori potuisset, terræ palmum habuerit, vt proinde in aëre suspensus suum necessario reddere spiritum debuerit tantæ condolentia paupertati, ne corpus eius insepultum maneret post mortem, communique expositum esset inimicorum suorum ludibrio, aperiebantur euide atque certatim, seque in honorificum offerebant cinerum suorum lectum: Ad suscipiendum illum certatim & auide aperta sunt.

10. Solum peruersi restabant Iudæi, qui cor molari lapide habentes durius, & insensibiliusàne vel minimam circa Domini sui horrenda tormenta compassionem habuêre. Vnde per os Prophetæ grauiter de hoc conquestus, dicere nō dubitauit, se in tā ingenti ac frequenti populo neminē, qui de suis secum malis compateretur, inuenire potuisset

Psal. 68. v. 21. *Et sustinui qui simul contristaretur & non fuit, & qui consolaretur, & nō inueni*; Imo singulari sunt ad hoc industria connisi, vt ne vel vnicus, qui suis compateretur martyrijs, reperi, posset. Porro vt intelligamus, quamobrem Iudæi, postquam Christū in Crucem crudeliter egissent, hunc illi in tabella quadam

Ioan 19. v. 19. superscripserint spectabilem titulum: *Iesus Nazarenus Rex Iudaorum*, eundemque vt ab omnibus pœnarum tormentorumque suorum spectatoribus publice, ac palam videri & legi posset, Crucis vertici clauis affixerint? Notandum quod hæc Tituli illius verba, prima facie communi rabidorum canum istorum crudelitati contradicere videntur. Scimus etenim, Pilatum, vt illos ad dolentis & patientis filij Dei compassionem moueret, vitamque indulgerent, ijs dixisse, nequaquam conuenire, vt crucifigatur is, qui Rex esset ipsorum, ipsos vero vt hanc superarent difficultatem, ipsum contempsisse respondētes, nullum se Regē agnoscere præterquam Tiberium Romanorum Imperatorem Quodsi igitur Christum Regem suum esse nequaquam voluerint, cur illum iam cruci affixum adeo honorarunt, Iudæorumque Regem expresse appellarunt? *Rex Iudaorum*? Ratio huius, vt vult Glossa, hæc fuit, ne videlicet dum adeo crudeliter videtur occisus, vt eum ipsæmet quoque petræ deflerint, nullum sit alicuius concipiendæ compas-

Glos. in ca. 15. Marc. sionis & pietatis periculum: *Quasi vituperantes eius opinionem, qui Regem seipsum faciebat, vt sic prætereuntes misereri non valerent, sed magis ei improperarent, tanquam Tyranno.* Quasi dicere voluisset: Nomen Regis, quocum Iudæi Christum appellarunt Crucifixum, non honoris & Reuerentiæ causa, sed opprobrij potius & contemptus ergo ipsi impositum fuisse; hoc enim titulo mediante stultitiam illi ac tyrannidem suam improperare moliebantur, vtpote qui cum totius Hebræi populi vilissimus sit, Iudeæ sceptrū temerario ausu ambire non dubitarit Titulum autem Cruci superimpositum, non alio fine in eminentiori Crucis parte statuerunt, quam vt martyria sua nullam in viatoribus transeuntibus inuenirent compassionem ac pietatem, ita vt si vna ex parte ipse aspiceretur crucifixus, titulum hunc postea legentes, prætensæ tyrannidis memores, doloribus suis non solum non condolerent, verum etiam magis illum abominarentur & horrerent, prouti reipsa postea accidit: *Vt sic prætereuntes misereri non valerent.*

11. Magister Historiæ Scholasticæ causam inquirit, ob quam sancta Ecclesia, quæ Sanctorum Martyrum passionem & mortem tanto cum iubilo, lætitia, ac festiuitate celebrat, econtra passionem & mortem Christi Domini Regis omnium Martyrum tanto cum luctu, & summo cordis dolore peragat, vt vsque ad ipsos templi parietes omnia nigro sint obducta colore ac lugere videantur: cum tamen maiora sua gaudia, festiuasq; solemnitates in illum merito diē reseruare debuisset, quo per pretiosū Christi effusum sanguinem remissum est peccatum, infernus quoque occlusus, & cælum apertum fuit. Tandem hunc in modum respōdet: *Non solemnizat, nec exultare præsumit, vt quasi per hoc ostendat Ecclesia, se discordare ab inimicis.* q.d. Nulla ob Passionem Christi & mortem festa in Ecclesia peraguntur, ne Ecclesia inimicis suis, hoc est, Iudæis sese conformare videatur. Non enim ignorat Iudæos in die illo Crucifixum Dei filium videntes, iubilasse præ gaudio, maioraque lætitiæ signa exhibuisse, quam vnquam exhibita hactenus fuerint, quando nimirum Dei Filium, quem tantopere abominabantur, tot doloribus circumdatum, atque in inimaginabilium miseriarum profundum reductum esse viderunt. Adeo etiam vt eo- Pet. Comest. c. 182 in Euang.

dem

dem tempore quo insensiles etiam creaturæ miraculosa cordialis compassionis signa prodebant, rabida, Iudæorum plebecula, nō solum nullum erga crucifixum Dominum dolorem aut compassionis signum ostenderit, verum etiam gaudio plena exultauerit.

2. Id quod haud dubiè ita factum est, eo φ corda ipsorum non carnea aut saxea fuerint, alias enim vna cum saxis aliquo saltem modo cōdolere debuissent, sed corda verè Diabolica, quæ proinde nullius capacia cōpassionis erāt. Miratur S. Bernardinus de Senis, quomodo fieri potuerit, quod perfidi Iudæi postquam filium Dei adeo crudeliter flagellatum esse viderunt non aliquo saltem modo mitiores induerint animos, aut à desiderio suo, quo illum mortuum & Crucifixum videre cupiebāt, nequicquam remiserint. Imo cum Pilatus, vt immoderatum ipsorum mitigaret furorem, præciperet, vt à militibus crudeliter enormiterq; castigaretur, ipsi tamen huic crudelitati minimè acquiescētes, longe ferociores & truculentiores euadentes, insolenter clamarunt, vt Crucifigeretur & occideretur: *Crucifige Crucifige eum.* Cuius diuinam ipse rationem assignat: *Imaginare quod Diabolus intrauerat in illos, & erant ita indurati, quod licet viderent eum implagatum super faciem & per totam personam, nullatenus fuerunt mitigati*, quasi diceret: Quodsi Iudæi hominum habuissent corda, aut saltem ad minus saxea, impossibile ijs fuisset, quin videntes Dominum ac Regem suum in vnum quasi vulnus redactum, à capitis vertice ad pedes vsque sanguine madidum, liuoribusque circumdatum, intimo cordis sensu condoluissent: nunc vero Dæmoniaci potius erant, vtpote in quos Dæmon pridem intrauerat, qui illos instar infernalis cuiusdam incudis indurauerat. Vnde tametsi spectaculum Christi Crucifixi lachrymabilius, magisque dolorosum esse non poterat, quia tamen corda Iudæorum omnis pietatis & compassionis expertia, imo incapacia erant, ideo ex illius aspectu maiori agitabantur rabie, ipsumque in Crucem agi postulabant. *Diabolus intrauerat in illos.*

Ioan. 19. v. 6.
S Bern. t. 4. ser 45.
Ioan. 19. 2.

CONSIDERATIO VIII.

Coronam de Spinis.

Impossibile est vt Homo quamuis alias mille pœnarum generibus fuerit oppressus, illos sustinere dolores possit, quos Christus Passionis suæ tempore tolerauit.

B. Laurentius Iustinianus, magnus ille Venetiarum Patriarcha existimat, dolorem quem innocentissimus Christus, eo præsertim tempore, quando impijssimi Iudæi acutissimis diuinum perforatunt caput, sustinuit, adeo fuisse atrocem & vehementem, vt vel ex hoc dolore solo certo certius moriturus fuisset, nisi amor, desideriumque magis magisque pro nobis patiendi, in vita ipsum conseruasset: *Debuit plane mori tanto dolore transfixus, se tamen reseruauit ad vitam, vt his grauiora perferret.* Ex qua doctrina cōijci facile potest, dolorum Saluatoris nostri immensitas, vtpote qui tam vehementes extiterunt, vt in inferenda Christo morte, ipsam anticipare & præuenire mortem poterant. Et reuera tales erat ac tanti, vt similem nullus omnino homo, tametsi millenis oppressus tormentis esset, sufferre valeret. Id quod pro singulorum captu, si me audire dignabuntur, enucleatè ostendam. *Lau. Iustin. de Agon. ca. 4.*

1. Christus Saluator noster, priusquam se lictoribus illis, qui vt ipsum caperent atque ligarent, in hortum venerant, in prædam cederet, eisdē præcepit, ne vel vnicum discipulorū suorū capere aut iniurijs afficere præsumerent: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire*, prouti reipsa postea factum est. Hugo Cardinalis hunc locum ponderans, rationē quærit, cur Christus discipulos suos secum affligi & occidi noluerit, cum tamē post Christi in cælos ascensionem, à Gentilium Tyranni, capi, ligari, torqueri, & occidi debuerint; videtur enim quod per occasionem & mortem Magistri sui, tanto se facilius ab ijs se expedire Martyrijs potuissent, quæ illis tanto post tempore reseruabantur sustinenda. Et respondet. *Via enim fuit ita stricta, idest, passio tam acerba, quod nullus potuit cum eo transire,* *Vgo Car. in c. 13. nec Ioan.*

nec eũ sequi q.d. Tormẽta ac dolores à Christo sustinendi, adeo acerbi & vehementes esse debebant, vt ab alijs quam ab ipso solo sustineri nequaquam potuissent, ideoque discipulos suos secum capi, cruciari, torqueri, occidi prohibuit, neq; enim vel minimã eorum partem, quæ Christus passus est, perpeti potuissent, atq; ideo particularem illis reseruauit Crucem atque tormenta: *Nullus potuit cum eo transire nec eum sequi.*

2. Idem Dominus noster die quadam singularem Christianæ perfectionis semitam ingrediendi, in eaque proficiendi modum edocere volens, dixit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* S. Bernardinus de Senis diuina hæc verba acute ponderans, obseruat, Crucẽ illam quã Christianus vt post Christũ ambulet in humeros tollere debet, non debere esse Crucẽ Christi, sed suam Crucẽ. Non enim dicit: *Tollat Crucem meã, sed tollat Crucem suam.* Vnde Christum hunc in modũ interrogat: Quamobrẽ ô dulcissime Domine, Christianus, nõ tuam, sed suam Crucem tollere debet. Melius certe persuasisses nobis, tuam tollere & portare Crucem, dicendo: *Tollat Crucem meam.* Sicut enim hæc vna quidem ex parte, qualibet altera Cruce grauior est, & ponderosior; ita ex parte altera plus futura fuisset meritoria, animasque sequacium tuorum maioribus cumulasset gratijs atq; fauoribus. Hæc quidẽ omnia bene dicerentur, inquit præfatus S. *Doctor*, si Crux Christi ab hominibus tractari & portari vlla ratione posset, hoc autẽ omnino est impossibile, ob immoderatum, namque sui pondus & grauitatem fit, vt si omnes totius mundi homines simul iungerẽtur, suosque Cruci Christi humeros subiicerẽt, illam ne quidẽ secundũ minimã sui particulã portare vlla ratione possent. *Tollat crucem suã, idest, sibi possibilem, non autem dicit meam, quia totus mundus non potest portare minimã partem Crucis eius.* Quodsi igitur Crux quam Christus Rex cælestis tulit, adeo est grauis & dolorosa, vt ne totus quidẽ mundus minimam dolorũ suorum partem sustinere posset, quomodo illã vnus homo solus integre portare & sufferre valeret? *Totus mundus non potest portare minimam partem Crucis eius.*

Matt. 16. 24.

S. Bernard. to. 2. ser. 61. p. 3. ar. 4. cap. 2.

3. Audite optimi Auditores, qui Beatus Laurentius Iustinianus de Saluatore animarum nostrarum Crucis tormentis variè trãsfixo, scribat: *Vno siquidem tempore & Dei fruebatur visione, & intolerabili passione gemebat, vt tota diuinæ fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam* q.d. Ex quo eodem prorsus tempore, quo diuinum Christi corpus subiacebat tormentis, anima quoque eius gloria fruebatur cælestis paradisi, hinc fit quod ob diuinam hanc visionem dolores sui incomparabile acceperint intensionis maioris incrementum, qui tales ac tanti nunquam fuissent, si beata non fuisset eius anima. Quisquis hanc Patriarchæ venet. propositionem bene cõsiderat, illam sibi videri merum in se continere paradoxum dicere potest; Quodsi enim anima Christi, eo tempore quo Christus patiebatur, immersa erat in pelago delitiarũ paradisi, vtique corpus tormentis subiectũ, ob firmam cum anima vnionem, in gaudiorum animæ reliquiis participare, atque ex tali participio dolorum suorum sensum mitigare debebat.

Lau. Iusti. de Agon. c. 9.

Quomodo igitur dolores Christi patientis ob eandem rationẽ magis augmẽtati esse dici possunt? *Vt tota diuinæ fructionis gloria in eo militaret ad pœnam.* Pro huius difficultatis clariori solutione, opus est Alphonsi Tostati Abulensis Episcopi pulcherrimam doctrinam accurate attẽdere, qui eandem difficultatem tractans, hunc in modũ discurrit. Date mihi hominem quendam grauibus tormentis doloribusq; subiectum, qualis fuit sanctus Laurentius super craticulam extensus, tunc dico, quod cũ dolor nihil sit aliud, *quã aliquid causatum in partibus sensitiuis*, tametsi talis hominis dolor vltra carnem se nõ extẽdat, vtpote quæ sola sensu est prædita: animæ tamẽ potentiæ ad carnis dolores attendentes eidẽ condolere non omittũt; variasque rationes & argumenta excogitãt, vt afflictiones cõsortis suæ mitigari queãt. Vnde nunc tẽporis ob oculos breuitatem ponũt, quo malũ tale est duraturũ: nunc magnum suggerunt, quod ob dolores illos in cælis recipere sperant, præmiũ nunc æternas inferni pænas ob oculos statuunt, quas ratione temporalis illius tormenti securissimè euadũt. Ex quibus rationibus adductis, ingentẽ caro consolationẽ accipit, dolorisq; sensus notabiliter diminuitur. Quodsi vero econ-

tra aliũ mihi hominẽ dederitis, in quo eodẽ prorsus tempore, quo caro torquetur, potentiæ animæ ad mala carnis aduertere, eidemque consequẽter cõdolere non possent, neq; eandẽ consolari, aut pænas suas argumentis iã propositis, alijsque similibus alleuiare nõ curarẽt, nunquid dolorẽ huius ex hoc capite, maiorẽ esse iudicabitis dolore illo, qui in alterius carne sentitur? Non est dubium. Idem igitur Christo in amarissima Passione sua accidisse dico. Cũ enim eodem prorsus tẽpore, quo Christus secundũ corpus erat in tormẽtis, animã habuerit beatam & gloriosam, quæ à diuina se visione diuertere, aut ad aliud quidpiã extra diuinã essentiã attendere nõ poterat, vti in omnibus accidit beatis, & cõsequenter ad corporis ærũnas & cruciatus attendere, aut cõpati & solatiũ aliquod præbere illi nequiuerit, corpus omni manebat refrigerio destitutũ, & consequẽter maiori dolori ac tormẽto subiectũ. Optime igitur B. Laurentius Iustin. dicit, beatitudinẽ animæ Christi maiorũ corporis dolorũ causam fuisse: *Vt tota diuinæ fruitionis gloria in eo militaret ad pænã.* Quantumuis ergo homo aliquis inueniri posset, iisdẽ quibus Christus subiacuit, affectus tormentis, quia tamen impossibile est, vt is vno eodẽq; tempore simul sit cruciatus & beatus, sicut christus erat, ideo cõsequenter impossibile est, vt talis vehementer adeo doleat, sicut Christus doluit. Sic igitur concludit præfatus Episcopus Abulensis: *Quodsi ij qui Christo cruciatus illati sunt, cuius illati fuerint, in eis tantum dolore, vt ipse doluit, impossibile foret.*

Tostat. Par. rad 3. c. 49

4. Christus de amore sponsæ quo dirè vulneratus & saucius erat, cũ sponsa loquẽs, dicebat: *Vulnerasti cor meũ Soror mea sponsa, vulnerasti cor meũ.* q. d. Tu ô dilecta spõsa & soror mea, principalis vulneris cordis mei, quo vehemẽter sauciatus sum, causa existis. Hugo Cardinalis in huius loci explicatione egregiè obseruat, non fuisse Christo satis, se vna tantũ vice dixisse: *Vulnerasti cor meũ*, sed iterato eadẽ verba replicare voluisse. Quasi inferre voluisset cor suũ repetitis sæpe vicibus ob sui fuisse amorẽ sauciatũ, quod tamẽ verisimile minimè esse videtur, siquidem S. Ioannes latus Christi vnica tantũ vice vulneratũ esse scribat. Tandẽ vero post multos ad eruendũ in hisce verbis reclusum mysteriũ adhibitos labores, illud ingeniose inuenit, dicitq; Christũ in supradictis verbis de omnibus sacri corporis sui vulneribus fuisse locutũ, idest, tã de ijs quæ capiti per spinarũ puncturas inflicta fuere, quã de alijs quæ claui in manibus & pedibus formauerant, deniq; de omnibus reliquis sacri corporis vulneribus, quæ per flagella aperta fuere; Hæc autẽ vulnera omnia cordi suo inflicta esse dicit, quia *Propter doloris immẽsitatẽ in corde facta dicuntur.* Hoc est, vt innueret, dolorẽ quẽ in quouis vulnere sustinebat, adeo fuisse vehementẽ & immoderatũ, ac si vulneribus illis nõ alia mẽbra, sed ipsummet cor suũ sauciatũ & transfixũ fuisset, quod præ omnibus reliquis membris fortiori ac subtiliori sensu pollet. Et hoc quidem accidit ex nobili & delicato partiũ diuini corporis sui temperamẽto, nulli alteri homini cõcesso. Sicut igitur impossibile est, vt inter omnes mũdi totius homines adeo nobilis & sensitiua, qualis in Christo fuit, reperiatur cõplexio: ita dato & non concesso quod ex hominibus nonnemo inueniatur qui Christi pati tormenta posit, impossibile tamen erit, quod ex illis tantum sentire dolorem posit, qualem Christus præsensit.

Cant. 4. 9.

5. Paulus de Palatio argutè obseruat, ex Sãctis & deuotis personis illis, quæ tempore mortis Christi Cruci vicinæ adstiterunt, neminẽ postea dũ ex hac vita demigrarẽt, Martyrẽ mortuã fuisse Martyrio quidẽ S. Petrus, S. Andreas, S. Iacobus, & cæteri Apostoli vitam suam finiuerunt, qui tempore passionis Christi fugerunt, tormẽtisq; Domini sui nõ adstitere præsentes. Non tamẽ Angelorum Regina Maria, nec S. Ioannes Euangelista, nec M. Magdalena, nec alij qui Christũ in sua passione & morte vidisse & spectasse leguntur Martyrio ex hac vita decessere: *Nullus eorum, qui ad Crucẽ Domini adstitisse memorantur, martyrii postea gladio percussus est.* Cur ita? Ratio est, quia aspectus tremendi illius spectaculi Christi crucifixi & morientis, adeo truculentus fuit & afflictiuus, vt ijs qui huic spectaculo ad finẽ vsque adstitere præsẽtes, velut ingẽs quoddã perpessum Martyrium à Deo imputetur. Vnde opus non fuit, vt per nouũ ijs illatum martyrium ex hac vita migrarent. *Adeo enim*, inquit hic Doctor, *Vehemens fuit ille Crucis gladius, adeoq; piarũ animarũ teneritudinem transuerberauit, vt fuerit illis*

Paul. de Palac. in cap. 27. Matth.

pro martyrio computatum. Quodsi igitur solus tormentorum Christi aspectus adeo fuit acerbus & dolorosus, vt pro vero computetur Martyrio, quanto truculentior & acerbior dolor ille fuit, quem ipsemet Dei filius in propria carne sustinuit? dicendum est vtiq; non solum impossibile esse, vt dolor hic à quouis alio homine sustineatur, verum etiã quod inueniri tam efficax lingua possit, quæ illum explicare valeat.

6. Audite obsecro quid Salomon de incarnata sapientia, pro eo tẽpore dicat, quando tẽpore dolorosæ passionis suæ ab inimicis suis ex vno tormẽto in aliud adsuq; infame Crucis suppliciũ deuolutus fuit: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septẽ, immolauit victimas suas,* Hugo Cardinalis vltima verba, quæ sola proposito nostro deseruiũt, hunc in modũ explicat: *Immolauit victimas suas, idest, semetipsum.* Verũ enimuero explicatio ista literæ minime conformis esse videtur, cum enim Christus vnica tantum vice in Cruce mortuus sit, non vero sæpius, vnica tantũ vice in cruce mortuus sit, nõ vero sæpius, vnicũ tantum de se sacrificium obtulit, nõ vero plura. Respondet Hugo, & difficultatẽ istã resoluit dicens: Salomonẽ hoc loquendi modo vsum esse: *Propter præludia passionis.* Non enim ad solã mortẽ, quã Christus in cruce sustinuit, respexit, verũ etiam ad totum illud quod in Passionis suæ principiis & progressibus passurus erat. Vt hac ratione insinuaret, Christum non in sola cruce mortuum fuisse, verum etiam in quouis alio tormento, quod ante mortem sustinuerat. Adeo namque pænosa erant sua tormẽta, dolorosique cruciatus, vt in illorum singulis singulas sustinuerit mortes, eosque æterno Patri integri sacrificij loco obtulerit. *Immolauit victimas suas.*

Prou. 9. 1.

Hugo Car. ibid.

7. Vt autem idipsum verũ esse melius intelligatis, obseruanda sunt verba, quæ idem Dominus noster, dũ in horto lictores atque carnifices præstolaretur, tribus discipulis suis dixit, à S. Matthæo, hisce verbis relata. Tunc ait illis: *Tristis est anima mea vsque ad mortẽ.* Scio equidem varios & diuersos esse sensus, eosque omnes mysticos & pios, quos sacri expositores in verborũ istorũ explicationem assignant, nobis autẽ pro præsenti proposito expositio Tostati sufficiet, qui vult Christũ dicendo; Tristis est anima mea vsque ad mortem, clarus dicere voluisse: *Ego ita tristis nunc sum, ac si realiter occiderer, aut transfoderer gladio, aut quolibet alio cruciatu plecterer amarissimo.* q.d. Ego tãtis tamq; acutis inuoluor doloribus, ac si acuta quadã lancea transfixus, iam iam moriturus essem, mortisq; dolores ante realẽ mortẽ vere sustineo, *Ac si realiter occiderer.* Additque Paulus de Palatio Christũ abinde vsque dũ in Cruce moreretur continuum quendã dolorẽ in semetipso sensisse: *Ab horti oratione, vsq; ad animæ exhalationem eũ dolorẽ Christus sustinuit, quẽ qui moriuntur sustinere solent.* In singulis nãq; tormentis eũdẽ prorsus dolorẽ persensit, quem qui actualiter moriuntur persentiscunt. Hoc igitur supposito dico, quod cũ homo non nisi vnica tantum vice mortis experiri dolores potest, vtpote qui non nisi semel duntaxat moritur, consequẽter nunquam eos sustinere dolores poterit, quos Christus toties veluti mortuus in passione sua sustinuit.

Matt. 26. 38.

Tostat. Parad. 3. c. 77.

Paul. de Palac. in 27. Mat.

8. Confirmatur idem conceptus per verba sponsæ Cant. 1. capite, vbi spõsum & summũ bonum suũ crucifixum, valdeque afflictum contemplans dicit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea cõmorabitur.* Quibus in verbis obseruandum quod non dicat: *Ramus myrrhæ,* sed *fasciculus myrrhæ.* Myrrha autẽ arbor quædam est aspera, amara & spinosa, adhibeturque pro certo quodã eorum tormentorũ quæ sancti homines hoc in mũdo sustinent, sacro symbolo. Quæ tormẽta ad Christũ in cruce suspensum affligendũ simul congregata & in vnum quasi fasciculũ redacta sunt. Vnde in horrendo illo tẽpore, Christus non solũ crucis suæ patiebatur, dolores, verum etiã illos quos Apostoli in suis crucibus, in craticula Laurentius, sub saxis Stephanus, Bartholomæus in excoriatione sua in ardentis olei dolio Ioannes, Agatha in equuleo, omnes denique electi in omnibus suis tormẽtis sustinuerunt dolores, qui fuerunt, eruntque infiniti: *Modo quodam indicibili,* inquit Laurentius Iustinianus, *in omnibus electis suis omnia perferebat pœnarum genera: persequebatur in Apostolis, lapidabatur in Stephano, assabatur in Laurentio, sicque in singulis singula Martyrum cæterorumque iustorum sustinebat tormenta.* Quando igitur sponsa dilectum suum cuidã Myrrhæ fasciculo similum esse

Cant. 1. 1[illegible]

B. Laur. Iusti. de Agon. c. 1[illegible]

esse dicebat, innuere volebat, adeo magnā esse dolorū Christi immensitatē, vt non suos tantum, sed & omnes omnium sanctorū suorum simul coadunatorum sustinuisse dolores videatur. Quodsi igitur homo aliquis propriæ mortis suæ doloribus sustinendis est insufficiens, quomodo alienos dolores variaque & atrocia innumerabiliū moribūdorum tormenta supportare poterit, sicut illa Dei filius sustinuit? *In omnibus electis suis omnia perferebat pœnarum genera.*

9. Ingenti horrendi huius fasciculi amaritudini aliā quendam addere licet dolorem longe crudeliorē S. Bernardinus verba illa apud Ieremiā Threnorū cap. 3. *In tenebris collocauit me, quasi mortuos sempiternos,* à Christo Domino in Cruce suspenso dicta fuisse existimat, quasi dicere voluisset: Ardens quo erga meos feros dilectio eousque me redegit, vt in mortuorū illorū tenebras, qui Diuini vultus glorioso lumine nunquā in æternū perfruituri sunt, reclusus esse videar: Aut vero clarius: Tantis me doloribus oppressū esse sentio, quantis qui in Inferno degunt, excruciantur, vnde nō in terra torqueri, sed in Inferno ardere mihi videor. Nā vt idem Doctor dicit: *Tantū in mente doluit pro æternaliter cruciandis, quantū erāt tormenta, quibus erant æternaliter cruciandi.* Vnde euidenter colligitur, Christum eo tēpore quo in cruce pependit, non tantū omnes illos sustinuisse dolores, quibus, vti diximus, electi suo subiacere in hoc mundo debebant, verū insuper omnes quoq; pœnas, quas ijdem pro peccatis suis in Inferno passuri erant, nisi ipse eosdem doloribus suis absoluisset & præseruasset. Erat igitur Diuinū Christi pectus in tremenda hora ista, amplius quidam innumerabiliū Inferni tormentorū Clybanus, siquidē innumerabilis erat multitudo eorū qui ibi passuri erant. Quodnam igitur aut quale pectus non iā dico carneū, aut osseum, sed ferreum imo adamantinum, dolorum illorum quos diuinum Christi pectus sustinuit, capax vlla ratione esse poterit?

Thre. 3. 6.

S. Bern. to. 2. ser. 49. ar. 4. c. 2.

10. Adhuc maius quidpiam edicam, à Hugone Cardinali notatum matureq; ponderatū dū super illa Moysis verba Gen. 6 capite cōmentatur: *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo inquit hominē quē formaui.* Circa quē scripturæ locū obseruat, quod Moyses de dolore Dei ex peccatis nostris concepto loquens illum dolorē intrinsecum appellet: *Tactus dolore cordis intrinsecus,* quasi alias quoque alio dolore, extrinseco nimirū afflictus fuerit. Ecquisnā autē dolor iste fuit? *Dolor tormentorum, passionis & mortis suæ,* inquit præfatus Eminentissimus Doctor. Hic enim extrinsecus appellatur vt peccati ostendatur malitia atque enormitas, vtpote quod Deum vehementius affligit, quam illum Passionis suæ dolores afflixerint. Hi enim in comparatione ad cū, quem Deus ex peccatis nostris persentiscit, dolorem, dolores sunt extrinseci vtpote qui cor diuinum minimè penetrant, neque ad animæ sensum vsque vnquam pertingunt. *Dicitur tactus dolore cordis intrinsecus, vt ostendatur aliquo modo immensitas diuinæ offensæ. Iudæi fecerunt eum dolore extrinsecus crucifigendo, sed nos intrinsecus peccando.* Adhæc vti docet S. Bernardinus Christus in Passione sua singularem ad singula peccata à quouis peccatore commissa & committenda reflectionem habuit, deque illorum singulis in particulari vehementissimè doluit: *Ad quamlibet quidem singularem culpam seu iniuriam, seu contumeliam summi Patris, habuit singularem aspectum.* Et paulo infra: *Tantum in anima sua dolebat, quot & quanta erant mortales culpæ.* Ac proinde immensam illam dolorumRedemptoris nostri abyssum mecum obstupescite, & dicite, non solum totum mundum, sed ne totum quidem Infernum certo quodā modo sufficientem esse Christi patientis doloribus sustinendis.

Gen. 6. 6.

Hugo Card. ibid.

S. Bern. to. 2. ser. 56. ar. 1. cap. 1. & ar. 2. cap. 3.

Vnde Isaias Propheta hanc tantorū dolorum immensitatē præuidens, calamumque ijs describendis & recensendis admouens, hac loquendi phrasi vti voluit: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Hæc dictio *Verè* in scriptura sacra iuramenti loco adhibetur, ac proinde dicere voluisse videtur. Sub iuramento assero futurū, vt Deus opt. Maximus dolores istos, quibus describēdis in præsenti insisto, passurus, sit: *Verè languores nostros ipse tulit.* Verū enimuero quo fine sanctus Propheta iuramēto opus habuit, quod iurare voluerit. Nūquid sciebat verba sua, vtpote cælitus inspirata, verissima & certissima atq; à nobis sine vlla iuramēti cōfirmatione auscultari & credi

Isa. 53. 4.

 credi

credi debere? Respondet S. Bonauentura: *Quoniam valde incredibile videbatur, quod tanta Maiestas ad tantam veniret humilitatem, ideo quasi iureiurando ait: Vere dolores nostros ipse tulit.* q. d. Tametsi sacra scriptura res quas recenset iuramentis confirmare non consueuerit, vtpote non ignara nos de earum veritate certisimos securissimosque esse, attamen de ijs doloribus, ad quos sustinendos diuina se Maiestas humiliare & deijcere non est dedignata, loquens, verba sua iuramento edito confirmari operæ pretium duxit. Adeo namque acerbi, acuti vehementes, insoliti, & extradinarij dolores illi fuerunt, vt de fide relationi suæ adhibenda dubitans, ab ordinario scribendi stylo abstinere, suamque historiam iuramento firmare voluerit. Vnde ex ijs quæ hactenus diximus facile est immensitatem dolorum, afflictionumque amantissimi Iesu nostri conijcere, vtpote qui non tantum ab vllo alio homine tolerari aut sustineri, sed ne quidem ab audientibus fidem aut credulitatem aliquam obtinere possunt.

S. Bona. serm. 2. in Pasca.

CONSIDERATIO. IX.

Crucifixerunt eum.

Quantum rabida Hebræorum gens Christum torquere desiderabat, tantum imo plus illum diffamare cogitabat.

SCribit Iustus Lipsius Crucem à gentilibus non solum ad hominum torturam & mortem vsurpatam fuisse, verumetiam ad ignominiam & infamiam ijsdem inferendã, siquidem suppliciũ erat hominum peruersorum, & infamium, latronum nimirum homicidarum, & traditorum. Sic Pompeius Corsaros crucifixit; homicidas leones Scipio Africanus; & Inarus Rex certum quendam de proditione conuictum crucis supplicio affecit. Atque ideo tametsi Iudæi alia quauis morte Christum mulctare potuerint, soli ipsum crucis supplicio afficere voluerunt. *Crucifixerunt eum,* Non enim minus illum infamare, quam affligere & torquere prætendebant.

Iust. Lip. de Cruc. l. 1. c. 2. & seqq.

1. S. Lucas scribit barbaros Dæmonis ministros, interea temporis quo Christũ captum & ligatum Pontificibus & Scribis inimicis suis præsentare volẽtes, diei expectabant diluculum, ne ad modicum quidẽ temporis spatium, ab inferendis illi varijs modis iniurijs & contumelijs cessasse. Illiusq; pugnis & baculis pessime contusi faciẽ vilissimo quodam panno velatã & tectam cooperuisse: *Et viri qui tenebant Iesum illudebant ei cadẽtes, & velauerunt faciẽ eius.* Quid sibi vult hæc diuini vultus mansueti Iesu obuelatio? Dionysius Carthusianus inquit ipsos per hanc aperte demonstrare voluisse, quã esset in ipsorũ oculis vilis & vituperosus, vtpote qui ab ipsis iudicaretur indignus, qui vel illos aspiceret, aut aspiceretur ab ipsis. *Hoc fecerunt, Christum vehementissime despiciendo, & quasi indignus esset eos aspicere aut videri ab eis.* Qua in re velut in speculo, animi sui contestatam fecere peruersitatẽ, ostenderuntque manifestè propositũ sibi esse illum non tantum doloribus onerare, quod per tormenta faciebant, verumetiã infamare ipsum, totique mundo illum, tanquam inter omnes totius terræ homines vilissimũ & abiectissimum esse demonstrare, qui proinde indignus sit qui videat, aut ab alijs hominibus videatur: *Quasi indignus esset eos aspicere, aut videri ab eis.*

Luc. 22. 64.

Dio. Carthus. ibid.

2 Qotiescunq; in populo Hebræo non nemo inueniebatur, qui ob scelera sua publica merebatur fustigatione mulctari, huic ex diuino præcepto vltra quadragenos ictus dare nullus Iudicũ audebat: *Vt quadragenarium numerum non excedant.* Atque hinc est, quod pro firmiori præcepti istius obseruantia, præfixũ verberum numerum non solum non transgrediebantur, verũ insuper vnum semper minus dare solebãt, sicut S. Apostolus in sua percusione factum esse recenset. Circa quem locũ Theodoretus quæstionẽ quandam proponens, rationẽ inuestigat, ob quam Hebræi ex percusionibus à lege sibi permisis & præfixis vnã semper minus dare soliti fuerint. *Quare cum præceperit delinquẽtem vapulare quadraginta plagis, Iudæi vnã minus offerunt?* Et immediate respondet: *Quia maior numerus vapulantẽ infamat* quando enim præfixũ à lege verberũ adæquabant aut transgrediebantur numerũ, percussum infamem esse declarabant Vnde quia reũ castigare tantũ non vero infamare contendebãt ideo valde sibi cauebant attente, ne quadragenariũ vapulationis numerũ assequerẽtur. Hac igitur doctrina supposita quæro: Quænam

Deu. 25.

2. Corin. 11. 24.

Theo. q. 3. in Deut.

nam sit causa. quod cũ Hebræi reum plagis seu fustigationibus onerantes, adeo rigorosi fuerint observantiæ istius executores, Dei tamen filium flagellando quadragenarium hunc plagarum numerum enormiter adeo excesserint, imo ex quorundam opinione sex mille sexcentos & sexaginta sex plagas illi inflixerint? Factum est istud, eo quod illum non tantum flagellare, vulnerare, divinumque ejus sanguinem, cujus adeo sitibundi erant, effundere verum insuper horrendum in modum diffamare, omnique honore exuere intenderint.

3. Adque ideo ut S. Bruno tradit, *Abjectio* S. Brun. ibid. plebis nominari voluit: quasi dicere voluisset. *Sum pargamentũ omnis plebis cũ interficior, sicut sordes, cum à domibus abijciuntur, dum eas purgant.* Eo ipso enim quo diabolici lictores Christum vulnerabant, torquebant, occidebant, infamare quoque ipsum simul intendebant, ipsumque vilissimum ac perversissimum totius mundi hominem, pessimamque Reipublicæ totius pestem esse contestari volebant, dignumque qui velut extremum patriæ exitium, desolatio, & abominatio esset, è vivis prorsus eradicaretur.

4. Quam putatis esse causam, quod cum Iudæi Christum in duorum latronum infami consortio ad Calvariæ montẽ raptante, Crucis suæ lignum illi portandũ imposuerint, suas tamen latronibus singulis singulas cruces imponere neglexerint, tametsi simul cum Christo crucifigendi essent? De Christo quidem sacri Evangelistæ expresse dicunt, illum ad vsque Calvariæ montem Ioan. 19. 17. Crucem suam portasse: *Bajulans sibi Crucem exiit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.* De Latronibus autem nihil tale dicit, id quod manifestum est signum ipsos Cruces suas neutiquam portasse S. Bonaventura optimam hujus rei rationem assignat dicens: S. Bona de vit. Christ. c. 77. *Crucem Domino portandam imponunt, quod de latronibus ipsis non legitur: quia non solum juxta Isaiam tum iniquis reputatus est, sed iniquiorum iniquior* q. d. Ad hoc ut mundus mansuetissimum Iesum latronibus consortibus suis judicaret nequiorem & facinorosiorem, ipsum non vero latrones Crucem suam in humeros suos accipere atque portare voluerunt. Tametsi enim rabidi canes isti, dum Christum ponderosissimum Crucis suæ lignum portare fecerunt, ipsum magis magisque affligere & torquere contenderint, attamen dum latronum humeros à Crucis gravi onere immunes esse volebant, publice per hoc illum diffamare, ipsumque coram toto populo, veluti Assassinis istis longe peiorem, majoresque pœnas promeritum declarare cogitabant. *Iniquorum iniquior.*

5. Author operis imperfecti, caute illum S. Ioannis locum observat, in quo refertur, quod cum Pilatus mansuetissimum Iesum Iudæorum consignasset manibus, ut secundum legis suæ terminos illum condemnarent & occiderent, ipsi nullam se hominem aliquem occidendi potestatem habere responderint: *Nobis non licet interficere quenquam.* Et dicit: Quomodo Iudæi dicere potuerunt, se nullam habere potestatem hominem necandi? Ioa. 18. 31. Nunquid quilibet sceleratus juxta maledictæ inclinationis suæ appetum quemlibet inimicorum suorum se occidere posse existimat, imo de facto occidit? An non eodem modo Christum occidere poterant, tunc præsertim quando illum nocturno tempore in aliquo montium, quos orandi causa frequentare solebat, aut in alio quovis deserto loco in quo commorari solebat, solitarium sine comite invenire licebat? Et respondet, Iudæos dicendo licitum sibi non esse illum interficere, insinuare voluisse, se illum non posse conficere sicut voluissent non vero sicut potuissent. Quia *Malam de ipso æstimationem suscitare volebant, quia multi audierant eum, & admirabantur vehementer, atque stupebant tam de signis quam de Doctrina idcirco dederunt operam, ut publice necaretur.* Auc. Op. Imp. hom. 75. q. d. Quia hi mortalium iniquissimi ingentem illam Filii Dei gloriam experti sæpius fuerant, quam tum doctrina, tum patratis miraculis apud universum sibi populum compararat, utpote qui non solum ut Prophetam, verum etiam velut Messiam tanto tempore exp. ctatum, atque desideratum, illum observabant, ideo non tantum illum occidere decreverant, verum etiam ad hoc ut acquisitam sibi perderent & infatuarent gloriam, infami illum morte è medio tollere volebant, id quod privatam

illi

illi inferendo necem assequi non valebant. Vnde ad hoc vt Pilatus illum veluti latronum coriphæum publice occideret & infamaret, tali se judicio manus suas applicare non posse dixerunt: *Nobis non licet interficere quenquam.* Nunquid hic clare videtis, quomodo semper vnum oculum ad mansuetissimi agni mortem, alterum vero ad ejusdem infamiam directum habeant? *Malam de Christo æstimationem suscitare volebant.*

6. Quamobrem existimatis Iudæos in ipsa solemni Paschæ festivitate, quæ Hierosolymis tanta cum solemnitate extraneæque gentis incredibili frequentia celebrabatur, vnigenitum Dei filium occidere voluisse? Nunquid hanc illi mortem alio quovis tempore intentare poterant, cur igitur in die Paschæ id fieri curabant? Quia scilicet illum publice diffamare statuerant, inquit Hugo Cardinalis: *Vt magis haberetur in spectaculo & ludibrio, & hoc profesto, ad quod omnes convenerant.* Qua de infamia mansuetissimus ille agnus per os Ieremiæ Prophetæ graviter conquerebatur, dicens: *Vocavit adversum me tempus.* q. d. Ingens Iudæorum impietas ad majoris damni mei incrementum, non solum quamvis adhibuit possibilem crudelitatem, verum insuper ipsam quoque certi temporis circumstantiam procurando nimirum ut in infami quodam ligno totus nudus & mortuus coram totius mundi oculis in summa quadam celeberrimaque festivitate hærerem suspensus. Ita hunc locum S. Bonaventura explicat: *Vocavit adversum me tempus; tempus enim aggravat Christi passionem; aggravat autem propter festi magnitudinem, propter quod multi convenerant in Ierusalem, ut coram pluribus inhonoraretur, in quo tempore gravius est affligi.* Parum enim illa invidiæ immensitas satisfactum sibi esse existimasset, si Christum duntaxat occidissent, non vero simul publica illum inaudita onerassent infamia & ignominia. Vnde vsque ad solemnitatem Paschalem magna cum patientia illum tolerarunt, quando oportunum impiissimi propositi sui exequendi nacti sunt tempus quo vna eademque hora illum in totius quasi mundi conspectu Crucifigentes, ipsum simul & occiderent & horrendum in modum infamarent. *Vt coram pluribus inhonoraretur.*

Hugo Card. in ca. 13. Ioan.

Thren. 1. 15.

S. Bona. ser. 6. in Parasc.

7. Quænam est causa, quod cum nullus sit homo, quantumvis etiam sceleratus atque perversus, qui ea saltem mortis suæ tempore, non afficiatur consolatione, ut in civitate quadam, in religiosarum devotarumque personarum societate moriatur, qua ratione hisce nostris temporibus latrones & prædones mori cernuntur. Dei tamen filius moriens hujus particeps esse nequeat consolationis, quin potius foris extra vrbem Hierosolymorum, in duorum perversissimorum latronum consortio mori debuerit? *Exivit* inquit S. Ioannes *in eum qui dicitur Calvariæ locum, vbi Crucifixerunt eum & cum eo alios duos. medium autem Iesum.* S. Anselmus conformiter omnibus aliis Dei servis erga Passionem Domini sui valde devotus, rationem hujus assignat dicens: *Adeo enim contemptus & execrabilis est judicatus, vt nec mori dignus haberetur inter aliquam hominum habitationem, neque inter homines nisi execrabiles.* Adeo vilis erat, quem de supremo Angelorum Rege habebant, conceptus, ut illum non solum vita judicarint indignum verum etiam indignum qui ad instar aliorum hominum in civitatibus suis, aut honoratorum hominum societate moriatur: *Nisi inter execrabiles.* Discurratis velim pro viribus vestris per omnia tormenta, quibus perfidia & perversitas Hebraica vnicum Dei filium, edocta est affligere, & invenietis nullum ex omnibus esse quin ingenti eum infamia semper fuerit conjunctum.

Ioan. 19. 17.

S. Ansel. de diver. sacr.

8. Postquam Hebræi Christum in terra distensum, vti nonnulli opinantur, Crucis ligno clavis affixissent, in aëra illum subito elevarunt, vbi intra trium horarum spatium mortuus est, suumque in manus Patris spiritum reddidit. Quam ob causam illum non in terra vbi eum Cruci affixerant, sed in aëra elevatum mori volebant? Manifestum equidem est omnibus, nullum esse in toto mundo hominem adeo sceleratum atque perversum cui morienti modicum terræ, in qua dum animam suam exhalat, corpus jaceat, denegetur & tamen Dei filio, cujus est tota terra & plenitudo ejus, pauxillum terræ, in quo sicut alii homines mori posset & deberet, denegatum fuit? S. Bonaventura dicit

feratum

ferarum harum indomitarum intentionem vnicam hanc fuisse, ut nimirum toti mundo per hoc declararent, ipsum prorsus indignum qui in terra sive viuat, sive moriatur, atque ideo Crucem de terra exaltarunt, atque ut in aere moreretur omnino voluerunt: *Aeri deputatus est, & inter cœlum & terram suspensus, ac si non esset dignus mori aut vivere in terra.* (S. Bona. de perf. Vit. ca. 6.) Hacque crudelitate demonstrare voluerunt, ipsum veluti alterum quendam esse parricidam Absalonem, aut vero quendam Iudam traditorem, qui quod indigni essent, qui in terra morerentur, spurcissimas animas suas in aere suspensi, inter cœlum & terram exhalarunt, vt vel hac ratione populus illum, haud secus ac præfatos duos perditos & infelices homines, probrosum reputaret & infamem: vnde Christus Dominus noster eo tempore, quo in Cruce tribus horrendis clavis hærebat suspensus, non tantum doloribus ineffabiliter torquebatur, verum etiā gravi & inaudita opprimebatur infamia.

9. Ex iis quæ devotum quemvis spiritum in majorem movere admirationem merito possent, vnum est & quidem non vulgare, motivū scilicet ob quod Iudæi moti fuêre, vt Christum jam mortuum sepeliri permiserint. Cum enim ipsi ob rabiei suæ immensitatem, varias Christum vituperandi & diffamandi invenire occasiones potuissent, utique non sine prægnante vrgenteque ratione factum est, quod novissimos cadaveri suo sepulturæ honores permiserint. Verum enimvero non ex Iudæorum indulgentia aut humanitate permissa Christo sepultura fuit, inquit S. Athanasius sed potius eam ideo permiserunt, quia eam aliunde impedire non potuerunt. Paulò enim ante Augustus Imperator omnem illis homines judicandi & ad mortem condemnandi potestatem ademerat, vnde vt supra diximus Pilato responderunt: *Nobis non licet interficere quenquam.* (Ioan. 18. 31.) Cum itaque Christus Dominus noster à Romano Præside ad Crucis mortem condemnatus esset, fieri non poterat, quin crucifigeretur, ac demum sepeliretur, quippe cum Crucis supplicio affecti insepulti remanere salva lege minime potuerint. Et quidem nisi lex isthæc obstitisset, certum est, quod ne illum crucifigendo à denegandis illi sepulturæ honoribus, atque inurendis illi variis infamiæ & ignominiæ notis arcerentur, aut vivum comburendo redegissent in cineres aut veluti omni deinceps memoria indignissimum in maris submersissent profundum. (S. Atha. apud Lip. 25 Decad.) *Nisi enim hac lex antea lata fuisset*, inquit S. Doctor *Domini Iesu Christi corpus aut in ignem, aut in mare dejecissent.* Neque enim minus illum intendebant infamare defunctum, quam vivum affligere.

CONSIDERATIO X.

Stabat juxta Crucem Iesu mater ejus.

Ioan 19. v. 25.

Vt illum doloris excessum quo viduatæ matris anima in vnigeniti filii Dei morte videbatur transfixa aliquatenus à nobis apprahendi posse convenientiori ad id similitudine vti non possumus quam à mari desumpta.

MOdus quo afflictissima Dei mater moribundi filii sui assistebat tormento, á S. Ioanne hisce verbis descriptis: *Stabat juxta Crucem* à doctissimo Patre Francisco Suario hunc in modum explicatur: *Stabat juxta Crucem verecunda, modesta, lachrymis plena, doloribus immersa.* (Franc. Sua 3. p. q. 51. Dis. 41. sec. 3.) Per vltima verba, scilicet *Doloribus immersa* insinuare volens, dolores ejus nequaquam vulgares aut communes extitisse, sed instar vasti cujusdam maris, in cujus aquis profundabatur. *Doloribus immersa.* Ad eum fere modum quo à Ieremia Propheta nominati quoque fuere, dicente: *Magna est velut mare contractio tua.* (Thren. 2. 13.) Et merito quidam maris nominare appellantur. Neq; enim ad immoderatas eius afflictiones explicandas convenientiori, quam à mari desumpta similitudine vti possumus.

1. Spiritus Sanctus Beatissimam Mariam Virginem ob truculenta Divini Filii sui tormenta mœstam dolentemque considerans, secundum lectionem vulgatam dixisse legitur: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis,* (Capt. 1. 10. Pagnin.) quæ verba Pagninus ita vertit: *Pulchræ sunt genæ tuæ propter margaritas.* Qui diversi legendi modi conjunctim accepti hunc fere sensum conficiunt: Genæ tuæ quæ mihi turturi similes esse videntur ob margaritas illis inhærentes easque mirifice ornantes mire mihi perplacent. Non est dubium quin Spiritus Sanctus genas ma-

matris Dei considerans, easdemque turturi assimilās: *Gena tua sicut turturis*, ad illud præcise tempus respexerit, quo amatissimam dilecti filij sui mortem plangebat, quando haud aliam quam viduatæ cuiusdam turturis dolentis & plangentis speciem referebat. Quo tempore genas suas margaritis, id est, lachrymis habebat respersas, margaritæ enim viuum quoddam sunt lachrymarum symbolum, prout si alterius cuiusdam propositi occasione supra diximus. Hoc autem sensu præsupposito, causam fuisse vellē, cur hæ viduatæ & afflictæ Virginis lachrymæ, margaritæ vocentur, cum æque commode & proprie achates, Crystalli, adamantes aut alio simili nomine appellari potuerint. Porro quantum suspicari licet, spiritus sanctus hoc symbolo visus esse videtur, vt immensitatem indicaret virginei doloris, vnde suam lachrymæ istæ trahebant originem. Sicut enim Margaritæ non ab aquis modicis, cuiusmodi sunt fontes, lacus, & flumina, vti alijs gemmis passim accidit, sed à mari nascuntur; ita quoque Deiparæ Virginis lachrymæ, non à modico, aut mediocri, sed à m[...]imo dolore, & ad instar maris immenso promanabant, qui proinde appellatus est mare. *Magna est velut mare contritio tua.*

2. Alium insuper in Canticis eidem mysterio inseruientem locum habemus, in quo spiritus sanctus similiter hisce Beatam Virginem verbis alloquitur: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento* quasi eidem dicere voluisset: Ornamentis reliquis, quæ ob meritorum tuorum intuitum hucusque fabricauimus, aureum quoddam monile Murenulam appellatum adijciemus. Rabbi Abraham hunc locum explicans, dicit: Murenas hasce, quæ monile Deiparæ Virginis ornaturæ erant, certas quasdam figuras turturi simillimas retulisse: *Figuræ sunt perferentes turturum species* Vnde mihi sequens subnascitur dubium; quod si enim monile istud talibus ornatum esse debebat figuris, quæ turturem repræsentabant, qua ratione monile istud murenulis, & non turturibus constare dicitur? Adhæc quomodo Rabbinus iste dicere potest Murenulas illas turturum figuram repræsentasse, cum inter vnam alteramque speciem nulla prorsus sit similitudo, per quam vna alteram repræsentare vicissim possit. Pro huius loci intelligentia, & difficultatis iam motæ resolutione obseruandum est: Turturem, vtpote vti iam diximus, auem quandam plangentem, & continuo gementem, atque vt plurimum viduam, symbolum esse Deiparæ Virginis Mariæ ob dilecti Iesu filij sui mortem dolentis admodum viduæ; Quia vero diuina hæc turtur viduitatis suæ tempore tantos planctus, tamque copiosos lachrymarum imbres profudit, vt nullus lachrymarum suarum diluuium persuadere sibi possit, ideo illam spiritus sanctus sub murenæ forma descripsit, piscis nimirum, qui aquis marinis immersus viuit. Ad insinuandum, illam eo tempore haud secus ac piscem in immenso quodam doloris & planctus mari immersam fuisse, vti Albertus Magnus dicit? *Beata Virgo vt piscis natabat in mari tribulationum.*

Cant. 1. 11.

Abraham Rab. ibid.

Ab. Ma. [...] Mar. c. 16

3. Deiparæ Virginis sacratissima lumina Dei & filij sui mortem amare plangentia, prout in eodem libro scriptum reperitur, Piscinæ in Hesebon comparata fuēre: *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon.* Dictio illa *Hesebon* in latinum translata *Cingulum mœroris* significat, adeo vt Sponsus dicere voluisse videatur, dum te, ô afflictissima Domina, tantis pœnis atque doloribus cinctā atque circumdatam esse video, lachrymantes oculi tui piscinæ cuidam mihi similes esse videntur. *Oculi tui sicut piscina.* Cur sponsus oculos sponsæ, piscinæ, non vero torrenti alicui, aut flumini similes esse pronuntiat, prout lachrymas Ieremias expressit dicens: *Deduc quasi torrentem lachrymas.* Pro huius difficultatis ratione capienda sciendum est; Olim Hierosolymis piscinam quandam fuisse, Siloe dictam, ad quam Christus Celidonium, vt oculos suos lauaret, amandauit. Ex huius autem piscinæ spondis varij riuuli tanta cum admiratione fluebant, vt cum alij qui ex lacubus aut fontibus promanant, non sine magno rumore ac strepitu effluant, hi Isaia Propheta teste, admirabili cum silentio vias suas perficiant. *Aquas Siloe quæ vadunt cum silentio.* Quia igitur lachrymæ quæ ab afflictæ matris oculis manabant, nequaquam cum clamoribus, eiulatibus, aut alio quouis strepitu, vt in alijs mulieribus fieri assolet

Cant. 7. [...]

Thren. 2.

Psal. 8. 6

assolet coniunctæ erant, sed genas Deiparæ virgineas admirabili cum silentio humectabant, hinc piscinæ huic comparati fuêre: *Oculi tui sicut piscinæ*. Idque vt hac similitudine dolorem eius, haud secus ac mare, magnum & immensum esse insinuaret. Vere enim ita est, sicut Angliæ Regi in litera quadam quã de dolore ex infælici Henrici IV Galliarum Regis, amici sui charissimi morte concepto, ad Parlamentum Londinense compassione plenissimam scripsit, dicere placuit; *Leuis dolor clamat, grauis obmutescit.*

Petr. Matt. in hist. Franc.

4. Pro maiori huius confirmatione, ponderate obsecro mirabilem loquendi modum, quo S. Ioannes Matrem Dei sub moribundi filii Cruce stantem describens, vtitur, & obseruate, quod dicat: *Stabat iuxta Crucem*, non vero, *Plorabat iuxta Crucem*; id quod manifestum signum est, quod tametsi copiosissime lachrymata fuerit, palam tamen & coram aliis lachrymas suas absconderit, aut dissimularit: *Stantem lego*, inquit S. Ambrosius *plorantem non lego*, idque vt mare manifestet doloris, cui erat immersa. Id quod ex eo intelligitur facilius, quod de Sammerito Ægyptiorum Rege scribunt Historiæ. Hic enim cum in pugna seu conflictu captus, & Cambysis Regis mancipium factus esset, variis modis ab inimico Victore suo delusus, atque afflictus fuit. Et vna quidem vice inter alias vnam filiarum suarum rusticano more vestitam ante oculos eius transire fecit, quæ vna cum aliis famulabus, pro subleuandis Gulinæ necessitatibus, vas quoddam manu sua deferens, ad fontem perrexit. Id quod licet magna cum animi amaritudine à circumstantibus perciperetur, solus tamen Sammeritus sine vlla doloris significatione, quietus mansit, & intrepidus. Alia autem vice vnigenitum eius filium in mancipiorum consortio permixtum, graui catena in collo onustum, frænumque ore mordentem oculis ipsius obiecit. Ad quod spectaculum omnibus alijs amaré flentibus, ipse ne vnicam quidem lachrymam fudit. Tandem vero accidit, vt eidem die quadam per vrbem obambulanti amicorum suorum charissimus quidam obuius fieret, qui ipso in florido regni statu adhuc perseuerante, primum in Regia sua locum obtinebat, quem senem, infirmum, nudum, & fame quasi enectum, stipemque ostiatim poscentem cernens, in tantum turbatus est, ac doluit, vt ob vehementem impatientiam, caput suum cum eiulatu & lamentis in murum impegerit. Cambyses de omnibus hisce certior factus, vehementer obstupuit, cumque causam cur ad miseriarum proximum sanguinem afficientium conspectum minimè dolens tanta cum animi afflictione & amaritudine amici calamitatem persensisset, intelligere nequiret, è seruis suis nonneminem, qui huius rei causam à Sammerito Rege edisceret, ablegauit, qui hoc ab eo responsum retulit? *Fili Cyri, domestica mala grauiora sunt, quam vt lachrymas recipiant*. quasi dixisset: Notum esto tibi, O Cambyses, dolores ex filiorum calamitate conceptos adeo esse vehementes & acerbos, vt pro illorum aliquali significatione lachrymæ nihil aut valde parum momenti conferant, atque ideo tacitus cum quodam animi stupore cernuntur. Ecce tibi igitur genuinam rationem, ob quam Dei Mater sub Cruce consistens, erecta stetisse dicatur. *Stabat iuxta Crucem*, nequaquam vero, tametsi integrum profuderit lachrymarum flumen, lachrymata fuisse legatur. Dolor enim cordis sui non vulgaris, aut communis, sed ad instar profundi cuiusdam pelagi magnus & immensus erat. Dolores autem adeo vehementes *grauiores sunt, quam vt lachrymas recipiant*.

S. Ambros.

Apophe. Ald. Manut. l. 6.

5. Præterea Dolor sanctissimæ matris Dei mare quoddam fuit, ob cordis sui amaritudinem, quam ipsamet per os Ieremiæ Prophetæ testatam fecit, dum se felleo cuidam mari immersam esse dixit: *Circumdederunt me felle & labore*. Huius equidem amaritudinis excessus, ex eo quod in diuini filij sui morte videtur, perspicue cernitur, quando sol obscuratus est, scissæ petræ, apertaque sunt ex stupendo terræ motu sepulchra: *Obscuratus est sol, terra mota est, petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.* Quorum prodigiorum S. Leo Papa causam fuisse dicit, ingentem Crucifixionis Domini nostri dolorem, qui omnia elementa miraculosè penetrauit & transfixit, quæ quasi doloris capacia essent, sensibilia de se doloris signa reddidere: *Pendente in patibulo Creatore vniuersa creatura congemuit, & Crucis clauos omnia* simul

Thre. 3. 5.

Luc. 23. 45. Matth. 27. 51.

S. Leo ser. 7. de pass.

simul elementa senserunt; nihil ab illo supplicio liberum fuit. Imo ipsamet B. Virgine, verbis ad B. Birgittam Viduam prolatis, teste, dolor hic vsque ad Crucifixorum & ipsorummet Dæmonum infernalium corda quæ incude & quouis adamante duriora erant, penetrauit. *Tribulabatur etiam cor crucifigentiū eum, adhuc etiam & immundi spiritus turbabātur in illa hora.* Hoc igitur supposito, notādum est insuper, quod quisquis limatissimi alicuius ensis experiri vult aciem, vt eodem cum hoste congrediens secure vti possit, illum in saxa & ferrum vibrare soleat; quod si enim ferrum aut saxa findere præualeat, clarum est quod ad pedes, brachia, & capita hominum, quæ ex tenera & molli sunt carne composita, magis præualebit. De Rolando fortissimo quondam Archistratego, Caroli Magni nepote, scribunt Historici, hunc quendam inæstimabilis pretij ensem habuisse quem ob aciei excellentiam, & temperaturæ nobilitatem, Durandalam nominabat. Cuius insignem die quadam post cæsum quem moderabatur exercitum, ne hostibus vna cum suis præda fieret, experientiam cæpit, dum enim illum frangere conaretur, eoque fine illum in saxa montis cuiusdam adigeret, non solum illum nec frangere aut obtundere potuit, quin potius saxa per medium scidit & rupit: *Cum in durissimis cautibus, ne hostes eo potirentur illum frangere magnis viribus conatus fuisset, illa potius ipsius aciei cesserint, quam gladius fractus sit,* inquit Simon Maiolus factum istud describens. Dolor qui cor afflictissimæ matris eo tempore, quo eius in Cruce pendebat filius, penetrauit, simili gladio videtur comparandus, sub hoc namque symbolo olim à Salomone illi propositus fuit, dicente: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Et quidem si dolor iste secum tantas subintulit amaritudines, & mirabiles alterationes in insensibilibus, vt solem desti tuerit lumine, & mutauerit in colore, diuiserit duras & insensibiles petras, terram conturbarit, & aperuerit sepulchra, denique vsque ad Crucifigentium imo & Dæmonum corda penetrarit, facile sibi persuadere quisque poterit, qualiter afflictæ mœstissimæque matris tenerum Virgineumque cor penetrarit, omnique amaritudine repleuerit. *Cogitare non licet,* inquit sanctus & mellifluus Bernardus: *Quantus dolor fuerit matri, cum sic dolebant, quæ insensibilia erant.* Vtique ob hanc considerationem ipsam felleo cuidam dolorum mari immersam fuisse dicere oportet: *Circumdedit me felle & labore.*

Reuel. S. Brig. l. 6. cap. 11.

Maiol. de bello. Euēt. apud me p 479.

Luc. 2. 35.

S. Ber. de lamen B. Mar.

6. Fuit porro fel istud adeo amarum, vt merito venenosum & lethiferum toxicum quoddam credi possit. Nam vti S. Bernardinus existimat, quod si fel istud inter cunctos fuisset viuentes dispertitum omnes vtique & singuli illud minimè sustinere valentes, repente extincti fuissent, infinitus enim dolor eius erat, sicut infinitus erat amor, quo erga eum ferebatur, ob cuius tormenta languebat. *Vnde ipsius Virginis dolor erat maior, plusquam omnes creaturæ possent portare. In tantum, quod si ille dolor fuerit partitus & diuisus in omnes Creaturas mundi vitales, caderent mortuæ. Quia quanto plus amabat Christum Virgo beata, tanto plus dolebat, & amor suus quem ipsa portabat Christo eius vnigenito filio erat infinitus.* De huius immensitate amaritudinis David propheta Psalmo 86. Loquebatur, vbi B. Virginem secundum aliam literam ita alloquebatur. *Sicut parturientium omnium habitatio est in te,* quasi dicere voluisset: magnopere tibi tuisque doloribus, ô filia mea, compatior, omnes namque parturientium mulierum dolores in anima tua locum mihi habere videntur. Porro certum est Psalmistam pro tempore, quo hæc loquebatur, ad diuini partus sui tempus minime respexisse, quo non solum nullo obnoxia dolore fuit, verum insuper maximos, quibus in terra perfrui licet, perfusa est delitijs & gaudijs; sed potius tempus illud considerasse, quo acerbissimo crucifixi filij sui spectaculo assistebat, ob cuius indicibiles pænas atque dolores, ad eam redacta est tormentorum immanitatem, vt omnes omnium parturientium dolores, qui acerbissimi sunt omnium, quos in hac vita patimur animæ eius dominari viderentur. *Sicut parturientium omnium habitatio est in te.* Ita illam S. Bernardus alloquebatur dicens: *Nunc soluis virgo cum vsura, quem in partu non habuisti dolorem, quem pariendo filium non sensisti, quem millies replicatum filio moriente passa fuisti.* Quibus in verbis optime obseruanda sunt vltima, scilicet: *Quem millies replicatum.* Dicere namque

S. Bern. ser. 45. in quad.

Psal. 68. 7 Alia lit. apud Io. Lorin.

S. Bern. de lamen. B. Mar.

namque voluisse videtur: *Doctor ille*, ô Virgo sacratissima, quem pati debuisses, si in partu tuo simplicem, purum & vulgaris conditionis hominem enixa fuisses, nunc millies, hoc est, sine numero & modo auctum esse video; id quod cum sententia Prophetæ regij omnino coincidit. Vtique nostis quam sit ingens & acutus mulieris cuiuspiam parturientis dolor, vtpote qui ob nimiam sui vehementiam & acerbitatem, quam secum subinfert, puerperam sæpe vita spoliare solet. Hinc igitur facile vobis erit immensitatem dolorum illorum, quos sub vnigeniti filij sui Cruce subsistens patiebatur, elicere, ipsamque innumeris protunc mortibus subiectam fuisse affirmare. Quare non vos concludere pigeat & dicere ipsam amplum quoddam fuisse fellis & toxici pelagus, quod si inter cunctos partitum diuisumque viuentes fuisset, omnes vtique & singulos enecasset: *sicut parturientium omnium habitatio est in te.*

8. Propheta cor suum mari assimilans,
Psal. 37. 11 & dicens: *Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*; aut vero sicut alij vertunt: *Cor meum fluctuauit in me*, ex mente S. Bernardini, in Beatissimæ Virginis persona loquebatur, veluti iam per vnigeniti sui mortem factæ viduæ: *Propheta in persona virginis ait, cor*
S Bern de nom. Mar. *meum fluctuait in me.* quasi dicere voluisset: Quia lumen oculorum meorum per filii mei mortem ablatum est à me, hinc omnino mihi videtur, quod ob doloris, qui cor meum repleuit, vehementiam, nihil sim aliud, quam mare quoddam valde tempestuosum. Verum enimuero quænam est causa, quod B. Virgo oculorum suorum lumine iam amisso, cor suum mare quoddam appellare voluerit? Doctorem præfatum diuinam quandam huius rationem assignantem hac super re auscul-
Idem ibid. tate: *Maris quippe amaritudo est per solis feruidam in ipso incidentiam partes subtiliores subleuantis & extrahentis nec non & partes relictas adurentis, & per consequens amaricantis. Quid mirum si in ea fuit amaritudo maxima, cum filius eius totus esset dulcis & desiderabilis.* Quando igitur B. Virgo cor suum ob dilecti filij sui mortem ad instar maris fluctuasse dicit: *Cor meum fluctuauit in me*, excessum amaritudinis doloris sui significare voluit. Extincto enim per solem amoris erga homines oculorum suorum lumine, per dolorosam separationem istam accidit, vt omnis animæ suæ virtus, omnisque dulcedo vitæ suæ ad instar maris cuiusdam amara & dolens reliqua remanserit: *Fuit in ea amaritudo maxima.* Atque hinc perspicuè liquet, quanta cum ratione illi Mariæ nomen à cælo impositum fuerit, quod in nostro sermone idem quod *amarum mare* significat.

9. At vero obseruandum est quod dum Deiparæ Virginis dolorem sub maris symbolo proponimus, id non fiat ideo, quasi per hoc dicere vellemus, Dolorem hunc mari quidem similem, non vero maiorem esse, qui magnitudine suique acerbitate longe excedit; sed quia maior illius similitudo haberi aut inueniri nequit, cum apud nos nihil sit, quod maius sit mari. Ieremias cum B. Virgine de doloribus & lachrymis eius disserens, ita eandem alloquebatur: Thren. 2. 13.
Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Ierusalem? Cui exæquabo te Virgo filia Syon? magna est velut mare contritio tua. Hugo de S Victore verba prædicta considerans, pulchram circa ea difficultatem excitat, & dicit: Quid est quod Propheta dolores matris Dei mari assimilet cum iam antea dixerit nihil se inuenire posse, cui dolores illi assimilari queant? *Mirum valde est, quod calamitatem eius* Vgo de S. Vict. ibid.
nulli coæquari posse commemorat; & statim magnitudinem maris ei in comparatione coæquat? Cui diuinam protinus responsionem subdit, dicens: *Quemadmodum mare super omnes aquas & mole & amaritudine excellens est ita tuæ contritioni nulla calamitas æquari potest.* Adeo vt comparatio dolorum Virgineorum cum mari, non ideo adhibeatur, vt per illam amaritudo dolorum Deiparæ adæquatè & completè declarentur, cum incomparabiliter maiores acerbioresque existant, sed quia nihil mari maius inueniri potuit.

10. Quod autem idita se reuera habeat,

facile cognoſcetis, obſeruando, quod licet ingentia vaſtaque flumina in mare ſe continuo exonerent, quæ dulcibus ſuauibuſque aquis pleniſſima, ad innatam maris amaritudinem mitigandam certatim contendunt, nihil tamen ad illud indulcorandum proficere poſſint. Ita quoque nullus amnis quantumuis magnus, flumen nullum, nullus torrens aquarum conſolationis dulcium in illud viduatæ matris profundiſſimum amaritudinis pelagus ſubingreſſus in hac vita fuit, qui mitigare aut indulcorare illud aliquatenus potuerit. Verba quæ S. Simeon ad illam dixit, velim attendite, ſic enim quod dicitur facilius intelligetis.
Luc. 2. 35. Dicit ergo: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* q. d. Animam tuam quam dulciſſimus natus tuus, ob ſummum quo te proſequitur amorem haud ſecus ac ſuam æſtimat crudelis transadiget gladius dolorque nunquam hactenus expertus. S. Antoninus verbum illud *Pertranſibit* arctius premit, & quærit. Quid eſt quod S. Simeon dolorem, quo anima benedictæ matris in diuini filij ſui morte conficienda erat, declaraturus, non dicat. *Tranſibit* ſed *pertranſibit*. Et ſubdit
S. Anton. p. 4. c. 41. reſponſionem: *Dicit pertranſibit, ideſt, totus tranſibit abſque refrigerij admiſtione* q. d. Quia ſanctus Propheta inſinuare volebat dolorem Virginis matris adeo futurum ingentem & amarum, vt nihil quantumuis etiam minimæ conſolationis permixtum habuerit, ideo non dixit: *Tranſibit*, ſed *pertranſibit*, id eſt totus ingredietur, omneſque penetrabit magis intimas ſecretioreſque cordis tui partes, abſque vllius, quod truculentum animæ tuæ vulnus mitigare aliquantulum poſſit, admixtione. *Pertranſibit. Totus tranſibit, abſque refrigerij admiſtione.* Et tametſi moribundus Dominus noſter in Cruce ſuſpenſus tantum eius molitus ſit mitigare dolorem, quando ei dilectum ſibi diſcipulum S. Ioannem Euangeliſtam in filium adoptiuum deſtinauit; attamen, vt S. & mellifluus Bernardus inquit, quamnam hæc adeo inæqualis commutatio conſolationem S. Bern. ſup. ſignum Magn.
afflictæ matri adferre potuit? *O commutationem! Ioannes ſibi pro Ieſu traditur, ſeruus pro Domino, diſcipulus pro Magiſtro, filius Zebedæi pro filio Dei.* Qua igitur ratione mari tanta amaritudo comparari poterit, vbi nullus qualicunque conſolationi locus interceſſit? Melius itaque & verius dicatur fuiſſe in afflicto matre tormentum ſine exemplo, dolorem ſine comparatione atque quendam doloris exceſſum & ſuperabundantiam cuiuſmodi fere omnia fuerunt, quæ diuino eius filio, dum pro nobis ab æterna morte redimendis pateretur, & moreretur, acciderunt. *Dicebant exceſſum eius.*

SERMO

SERMO XLII.

In Dominicam Resurrectionis D. N. IESV Christi.

Veniunt ad monumentum orto iam sole.

Marci 16.

QVia nihil inter omnes creaturas visibiles tanta virtute, pretio, aut excellentia præditum reperitur, quod cum sole aliquatenus comparari possit, vtpote qui solus mũdi oculus, fons omnis luminis, maximusque quem Deus pro exornandis cælorũ orbibus adhibuit ornatus est appellatus. A cuius orbe color omniũ rerũ, viuentium vita, omniumq; quæ deorsum in terra conspiciuntur vigor & esse dependet. A cuius radijs velut prodigis, munificisq; manibus, stellæ lumen aer perspicuam claritatẽ omnia denique animalia pascua sua recipiũt. A cuius feruore, terra herbis fœcũdatur, adornatur floribus, auro denique locupletatur & gemmis. Hinc fit quod S. Scriptura ad declarandas Dei incarnati, à quo omne bonũ nostrum dependet, diuinas proprietates, Solem velut speciale illarum symbolum, non sine prægnanti ratione adhibeat. Sic enim Malachias propheta de Christi Natiuitate
Malach. 4. 2. loquens dicit: *Orietur vobis timentibus nomen Domini Sol Iustitiæ.* Et S. Matthæus Euangelista de miraculosa eius Transfiguratione
Matth. 17. 2. tractans, ait: *Resplenduit facies eius sicut Sol.* In Apocalypsi similiter, vbi de secundo eius
Apoc. 1. 16. aduentu sermo est, dicitur: *Facies eius sicut Sol lucet in virtute sua.* Denique S. Marcus in præsentis Euangelij historia vbi tarditatem deuotarum Mariarum & moram illarum, vtpote quæ ad sepulchrum Diuinum Christi corpus vncturæ Christo iã resuscitato venerant, describere volens, ipsum quoque solẽ appellauit, dum inquit: *Et valde mane vna* S. Vincent. Ferrer.
Sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole. Nomine Solis, inquit S. Vincentius: *intelligitur Christus.* Vnde æquum est, vt cum Sacratissimo Euangelista nos quoque conformemus Christum resuscitatum læto hoc ac luminoso die per idẽ solis symbolum consideremus, laudemus, ac prædicemus. Et quidem sicut tria inter alias solis proprietates maiori admiratione digna in illo reperiuntur, videlicet Circuli sui incredibilis luminositas, sphæræ suæ mira venustas, rotæ denique suæ rara velocitas: ita nos quoque hodie hæc eadem tria prodigia in mystico ac diuino sole nostro, solis creatore ac Domino considerabimus. Et prima quidẽ consideratione agemus de lumine.

CONSIDERATIO VII.

Orto iam sole.

Lumen illud quo Christus veluti sol quidam semper amictus fuit, adeo in Resurrectione sua accreuit, vt nisi ipsum temperasset & abscondisset, videri à discipulis suis minime potuisset.

PRimasius antiquissimus scriptor illum Apocalypseos cap. 1. 16. locũ explicans, vbi S. Ioannes se diuini Magistri sui faciem ad instar solis resplendentem vidisse hisce verbis:

Primas. li. 1, ibid. bis describit: *Et facies eius sicut sol lucet in virtute sua*, dicit Euangelistā id dicere: *Propter ortum & occasum, & rursus ortum. Quod natus sit & passus, resurrexit.* q. d. Incarnatus Deus sol quidam lucidissimus semper fuit semper visus est, claris luminibus fuisse cinctus, tam quando natus, quam quando mortuus, aut etiam resuscitatus fuit. Cum hac tamen differentia, quod Resurrectionis lumen plus quam alias vnquam intensum & inaccessibile fuerit, ita vt nisi illud temperasset, videri ab Apostolis suis minime potuisset.

1. S. Gabriel Archangelus Saluatore nostro in hunc mundum nato, vt Iudeæ pastoribus iucundissimum illud desideratæ fœlicissimæque Natiuitatis nuntium annuntiaret de cœlo missus, hisce illos verbis à S. Luca relatis est allocutus: *Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.* Luc. 2, 10. Glossa ordinaria dictionem illam *Hodie* acutè ponderat, obseruansque Angelum Pastoribus non diurno sed nocturno tempore fuisse locutum, pulchrū hoc format dubium, & dicit. *Cum esset nox, non ait hac nocte, sed hodie.* Gloss. ib. Quod si tempus illud noctis non vero diei erat, vnde ergo venit quod illud diem, non vero noctem, vt merito facere debuisset, appellarit? Cuius equidem resolutionem Nicolao Lyrano remittit, dubium istud hoc modo resoluenti: *Dicit hodie, quia nox illa ex claritate diuina fuit illuminata, ac si esset dies clarissimus.* Nicol. de Lyr. ibid. q. d. Tametsi tempus nocturnum, non vero diurnum fuerit, quia tamen lumen illud quod è cœlestis infantis diuino vultu radiabat tenebras dissipauerat illustrauerat aërem, noctemque in merum diem conuerterat, ideo angelus tempus apparitionis suæ, non noctem appellauit sed diem, licet alias reuera noctis tempus fuerit: *Ex charitate diuina fuit illuminata.*

2 Porphyrius & Iulianus Apostata celebres & crudeles Christianæ religionis persecutores sacros Euangeliorum codices peruoluendo legentes, quod Apostoli ad simplicis cuiusdam verbi à Christo pronuntiati sonum, mundū & quicquid in terra possidebant, sine mora deserentes, sacrosancta Domini nostri vestigia deinceps prosecuti fuerint, eo temeritatis peruenere, vt sibi persuaserint, id quoddam esse sacrorum scriptorum figmentum, & imposturam; aut vero manifestam in ijs, qui leuiter adeo sequebantur vocantem stultitiæ notam. Neque enim ipsis possibile esse videbatur, vt vnicum duntaxat verbum semel prolatum, tantam in se efficaciam habeat, vt ad rem adeo arduam, qualis est Christi perpetua sequela, & vitæ Christianæ professio adeo repente disponere & inducere possit. Quibus S. Hieronymus tum ad tuendam veritatem ab Euangelistis traditam, tum ad declarandam Apostolorum in hoc facto prudentiam hisce verbis respondet: *Certe fulgor ipse & Maiestas Diuinitatis occulta, quæ etiam in facie fulgebat, ex primo ad se videntes trahebat aspectu.* S. Hieron. Comment. in Matth. l. 1. c. 9. q. d. Mirum tibi nequaquam videatur, quod Apostoli ad primum labiorum Christi motum, omnium mundanarum rerum obliti Christum perpetuo sequi statuerint, quia præterquam quod verba Christi ob miram eorundem efficaciam, maiorum esse poterant prodigiorum causa, Diuinus insuper splendor, qui ob occultam in eo diuinitatem in cœlesti eius vultu emicabat, absq; vlla vlteriori violentia illos ad sollicitam trahebat præceptorum suorum executionem.

6 S. Marcus recenset Christum post patratum ingens illud multiplicati panis miraculum, nec non quater millenis hominibus inde perfecte satiatis, rogatum, vt certo cuidam cæco amissum restitueret visum, dum petitioni huic clementer statuisset annuere, in hominis illius à turba cætera seorsim abducti oculos exspuisse, impositisque illi manibus interrogasse illum num videret: *Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum, & exspuens in oculos eius, impositis manibus suis, interrogauit eum, si quid videret.* Marc. 8. 2 Circa quem locum duo mihi occurrunt dubia, ad præsentis propositi nostri dilucidationem necessario proponenda. Primum est quomodo Christus Dominus noster oculis videndi facultate destitutis per iniectum in illos sputum, visum potuerit restituere, cum aliorum oculi acutè videntes, per sputi excrementum illis iniectum ab integritate videndi prorsus impediantur? Id quod S. Petrus Chrysologus eleganti qua-

da-

S. Petr. Chrysol. ser. 176. dam doctrina adhibita perspicue resoluit dicens: *Dominico sputo vacuas oculorum replet lacunas, diuino ore luciferam dat saliuam.* q. d. Tametsi verum sit, quod sputum humanum acute videntium oculos, ne videant impediat, sputum tamen Saluatoris nostri non videntium oculos serenabat & illustrabat. Illud namque ex ore diuino, haud secus ac radius quidam solaris suum præbebat rebus obscuris lumen, cæcosque illuminabat; lumen enim quod è diuino Saluatoris nostri corpore vndique promicabat, adeo erat admirabile & ingens, vt ipsum quoque sacratissimi oris sui sputum lumine plenum fuerit. *Diuino ore Luciferam dat saliuam.*

4. Aliud autem dubium, quod ex hoc eodem loco nascitur, est sequens: Quodsi Christus per luminosæ saliuæ suæ superimpositionem cœci istius oculos formauit, integroque visui restituit, cur ad probandam visus restituti integritatem, suam Marc. ibi. oculis sanatis manum imposuit: *Impositis manibus suis, interrogabat eum, si quid videret?* Videbatur certe necessum, vt manus antea oculis impositas prius remoueret, & tunc de oculorum conditione quæreret, quomodo ergo relictis super oculis cœci manibus suis, quærit *Si quid videret?* Et quomodo manibus Saluatoris impeditus videre posset oculus etiam sanus? Primo dubio aureum Eloquentiæ flumen S. Petrus Chrysologus respondit, huic respondebit os aureum Chrysostomi, qui hunc in modum illud resoluit: S. Ioan. Chrysost. hom. 9. in Mar. *Si humana esset virtus, vtique etsi videret, manibus super oculis impositis videre non poterat; sed manus Domini omnibus oculis clarior est.* q. d. Quod si manus cœci iam sanati oculis superimpositæ, simplicis alicuius hominis manus fuissent, certum est, quod impositio illarum impossibilem reddidissent oculis visionem: nunc vero quia manus erant Christi, lumē ab oculis non solum non prohibebant, verum insuper ob singularem splendorem inde emicātem visionem mire promouebant. Cuius ratio est, quia quoadusque Christus in terra vixit, velut fulgentissimus sol quidam fuit, qui omni ex parte & ex cunctis membris luminis radios vibrabat: *Manus Domini omnibus oculis clarior est.*

5. Abagarus Rex auditis prodigiis nouis & inauditis, quæ Christus in Iudæa operabatur, vidensq; impossibile sibi fore, vt pro ratione desiderij sui tantum in Regno suo Dominū præsentē habeat illius sibi, vt refert S. Ioannes Damascenus, procurare studuit viuam effigiem. Vnde peritissimum quendā dimisit pictorem, qui illius in tabula vultū exactissimè delinearet. Qui tandem in conspectu Domini nostri constitutus, quantacunque etiam adhibita industria & diligentia, diuinā illius effigiē ne per minimā quidē ductam lineam exprimere vllatenus potuit. Imo pientissimo religiosi principis illius desiderio satisfieri nequaquā potuisset, nisi Christus deuotioni principis illius responsurus, stratæ super radiantem vultū suū vesti aut velo, diuinā suā impressisset imaginē, eandēque per pictorē ad se missum Regi prædicto transmisisset. Verum enimuero quid est, quod cū cuiusuis alterius hominis effigies exprimi facillime possit; sacratissimus tamen Christi vultus nequeat delineari? ob ingentem quem de se vibrabat splendorē, inquit sanctus Doctor: *Abagaro Edessenorum Rege mittente pictorē, vt imaginē Domini depingeret, quo non potente propter splendorem faciei Christi, Dominus vestimento apposito faciei sua similitudinem propria faciei mirabiliter impressit, & sic suam imaginem desideranti Regi transmisit* S. Ioan. Damasc. apud S. Bona. de dono pietatis c. 2. Hinc igitur liquet, qua ratione Christus in hoc mundo conuersatus, haud secus ac sol quidam fulgentissimus resplenduerit. Adeo vt homines oculorū suorū aciē in diuinū eius vultum figere eundēque aspicere haud secus ac solem minimè potuerint. *Propter splendentem claritatem faciei.*

6. Præterea Sapientia diuina pietate & compassionis affectu erga cœci nati miserias mota, eidemque oculorum lumen corporisque sanitatem restituere dignata, sequentibus discipulos suos affatus est verbis: *Me oportet operari opera eius, qui me misit, donec dies est.* Ioan. 9. 4. Super quæ verba S. Vincentius Ferrerius dicit: Quare Christus, qui ad salutem nostrā promouendam de cælo missus fuerat, illique tam diebus quā noctibus strenuè incumbebat, nunc sibi diurnis tantum, non vero nocturnis horis operandum esse dicit? *Donec dies est?* Moxque huic dubio responsionem Apostolico Prædicatore dignā subnectit, dicens: *Hic Christus vocat suam præsentiam* S. Vincent. Fer. ser. 4. Dom. lat.

tiam ſolem, qui facit diem claram. quaſi dicere vellet: quando Chriſtus dicit operandũ ſibi eſſe donec dies eſt, tunc per diem non diem vulgarem, à materiali ſole formatum & illuminatum intelligit, ſi enim hoc ſenſu dies accipiatur, certum èſt, quod non tantum diebus, verum etiã integris noctibus operatus fuerit, quando non dormiebat, vti nos facimus, ſed pro nobis pernoctabat & orabat.
Luc.6.12. *Erat pernoctans in oratione*, inquit S. Lucas. Sed potius diei nomine totum vitæ ſuæ tempus intelligebat, id quod diem appellare voluit, eo quod ipſe Sol quidam eſſet, qui quemuis locum in quo moram trahebat, ſpiritualiter illuminabat, atque in continua quaſi luce ac die conſeruabat; adeo ingens & admirabile lumen erat, quod ex eius inter homines conuerſantis cæleſti facie promicabat.

7. Doctiſſimus Cornelius Ianſenius opinatur, quod quando Chriſtus in domo Caiphæ à Diaboli miniſtris deriſus & afflictus ſe à S. Petro Apoſtolo abnegatum eſſe cognouit, vt charum hunc diſcipulum ad veram ab errore commiſſo reſipiſcentiam perduceret, eum benignis oculis S. Luca
Luc.22.61 id referente dignatus fuerit reſpicere: *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum,* Oculis & tota facie tenus obuelatus fuerit:
Cornel. Ianſen. Concor.Euang.c.140. *Oculis velatis ad Petrum conuerſus eſt, eumque reſpexit.* Verum dicat aliquis, qua ratione id fieri potuit? Quod ſi oculi eius obuelati fuère, quomodo Petrum aſpicere potuit? aut ſi illum reſpexit, quomodo facie velatus fuiſſe dici potuit? ſed facilis eſt reſponſio, quod ſi hoc de cuiuſuis ſimplicis hominis oculis dictum fuiſſet, vtpote qui videre non poſſunt. niſi oculis reuelatis & apertis, dubium iſtud ſua non careret difficultate. nũc vero cum de Chriſti oculis nobis ſermo ſit, qui velut alter ſol quidam, imo ſole luminoſior, eo etiam tempore, quo inimici ſui faciẽ & oculos eius non tantum velis, verum etiam ſputo, ſanguine, aliiſque centenis inuentionibus diabolicis tegere & obfuſcare contendebant, omnia penetrabat impedimenta, nihil efficere potuerunt, quin naturalia ſua de ſe lumina vibraret, iiſdemque ad ipſa hominum corda vſque penetraret: *Oculis velatis ad Petrum conuerſus eſt.*

8. Supereſt nunc vt videamus, qua ratione admirabilis ſplendor iſte in Chriſto iam reſuſcitato, ſolito incredibiliter maiora incrementa acceperit, id quod per ſequentium locorum explicationem perſpicuum fiet. Oſeas Propheta de Chriſti Reſurrectione ſecundum literam tractans, ita loquitur: *Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius.* Oſe.6.B.
Quaſi diluculum preparatus eſt egreſſus eius. Indubitatum eſt, quin hic de præſenti materia agatur; Quod autem de noſtra quoque reſurrectione ibi mentio fiat, hoc ideo accidit, quia etiam nos cum Redemptore noſtro reſuſcitamur, iuxta id quod Apoſtolus inquit: *Conſurrexiſtis cum Chriſto.* Hoc totũ hucuſque bene dicitur: Præcipue vero hoc in loco obſeruandum eſt, quod S. Propheta horam qua Chriſtus è ſepulchro ſurrexit, aſſignans, illam *Quaſi diluculum*, non vero abſolute *diluculum* appellet. Videturque dicere voluiſſe: Tametſi hora illa qua Chriſtus à mortuis ſuſcitatus fuit, aurora fuerit, non tamen dicenda eſt aurora, qualis in aliis communiter diebus exoritur, ſed quaſi aliorum dierum aurora; *Quaſi diluculum.* Quare illam non auroram ſed quaſi auroram fuiſſe dicit? Audite verba quæ Paulus à Palatio pro loci iſtius explicatione adducit, & cauſam facile intelligetis: *Dixit quaſi diluculum, quia licet Reſurrectio Domini in tempore fieret diluculo, in claritate tamen, in gloria, in ſplendore non diluculum erat, ſed fulgentiſſimus & radiantiſſimus dies.* Paul. de Pala. in cap. 27. Matth. q.d. Licet tempus illud quo Dominus noſter triumphabundus egreſſus eſt è ſepulchro, verè auroræ tempus fuerit, propter inſolitos tamen luminoſoſque radios, qui è glorioſo eius corpore rutilantes tempus illud illuſtrabant, non aurora, ſed quaſi aurora dicitur. *Quaſi diluculum.* Maiori namque lumine aër illo tempore illuſtrabatur, quam in meridie, quando ſol lucidiſſimus merum diem efformat. *Non diluculum erat, ſed fulgentiſſimus & radiantiſſimus dies.*

9. Atque hinc eſt quod S. Euangeliſta Matthæus ad hoſce horæ huius ſplendores attendens, deque veſpertino illo tempore a quo ſuum nox Reſurrectionis habuit principium tractans, illud hunc in modum deſcribat: *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit* Matt.

in prima Sabbati, id est, in Dominica, quæ apud Hebræos prima Sabbathi vocatur. Circa quæ verba S. Petrus Chrysologus more suo pulchrum quoddam dubium efformat, & dicit: Cur sanctus Euangelista dicit quod vespere resplendere incipiat *Lucescit*, cum tempus vespertinum non splẽdores, sed tenebras secum ferat? An forte errat Euangelista, dum noctis propositurus initium, loco huius diei caput describit & exordium? Respondetque diuine: *Domino resurgente non tenebrescit vespera, sed lucescit: & fit lucis exordium, quod principium noctis esse consueuerat.* quasi diceret; Si Euangelista de alia quacunque vespera loquens, illam lucescere non vero tenebrescere dixisset, vtique eius loquendi modus sine errore admitti nequaquam potuisset: at vero quia de illa vespera loquebatur, quæ Resurrectionis Christi noctem præcedebat merito dixit, *Lucescit*, non vero *Tenebrescit*. In illa namque ortus expectabatur Diuini solis qui noctem illam tanta illustraturus erat splendoris copia, vt vespera illa non vespera, idest, noctis appellãda esset principium, sed aurora, hoc est, diei principium. *Domino resurgente non tenebrescit vespera sed lucescit.*

S. Petr. Chrysol. ser. 77.

10. S. Augustinus nouum illud & admirabile lumen, quo Christi resuscitati gloriosum corpus amiciri debebat, contemplatus, sciscitatur: Quænam sit causa, quod Euangelistæ inter alia ad Christi Domini nostri Resurrectionem spectantia, nihil de hoc ingenti lumine scripserint, cum tamen illud, vtpote Resurrectionis Maiestatem magnopere adaugens, dignum fuerit, quod valde specialiter recenseretur, aut prædicaretur fidelibus, atque in æterna conseruaretur memoria? Ex quo S. Matthæus lumen illud describere non intermiserit, quod angelicâ de facie vibratum tres deuotæ Mariæ conspexerant, dixeritque faciem Angeli velut fulgur quoddam resplenduisse: *Erat enim aspectus eius sicut fulgur.* Cur de illo lumine, quod in vultu & reliquo corpore eius, qui summus est Angelorum Dominus, resplendere debebat, nihil prorsus meminit? Num forte Christus resuscitatus in glorioso corpore suo tale lumen, quale Angelus exhibuit, minimè habuit, vt proinde nihil de illo scriptum sit? Et respondet: *Claritas in Christi corpore, cum resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus: quando ille à suis ita debuit attendi vt posset cognosci* quasi dicere voluisset: Nemini dubium esse debet, quin animarum nostrarum Saluator, à mortuis resuscitatus, tanto amictus & decoratus lumine fuerit, vt fulgentissimis radijs suis corpus qualecunque luminosum, imo ipsummet quoque solem & stellas obscurare potuisset: Quod vero sacri Euangelistæ de eo nihil omnino scripserint, non est hoc factum quasi Corpus Christi resurgentis nullo fuerit luminis splendore decorum, sed quia splendor ille adeo immoderatus & vehemens erat, vt necessum fuerit illum obuelare & abscondere, vt hac ratione videri & cognosci à discipulis suis posset. *Potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est.*

Matt. 28. 3

S. Aug. apud Cat. S. Thom. in c. 20. Ioan.

11. S. Marcus refert Christum Dominum duobus discipulis in Emmaus abeuntibus, non in suamet propria, sed in aliena effigie apparuisse: *Duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie.* Cur in aliena & non propria effigie apparuit? Æquum fuisse videbatur, vt in propria demonstratus fuisset effigie; Cum enim per illam apparitionem nihil aliud intenderit, quam vt aliquam afflictis discipulis consolationem adferret, nequaquam sub peregrinæ figuræ larua, sed in propria demonstrari specie debuisse videtur. Hugo Cardinalis nonnullorum Doctorum opinionem qui hanc effigiem à propria Christi forma diuersam fuisse dicunt, immedium adducens, eius quod indagamus, rationem assignat, dicens: *Quidam dicunt, quod erat quadam forma non glorificata, quam ad tempus assumpserat, vt videri posset* Christus iam à mortuis resuscitatus, duplicem in se formam referebat, vnã glorificatam & beatam claris que & accessibilibus splendoribus cinctam, atque hæc Resurrectionis propria erat; altera vero tametsi ipsissima cum priori esset, hisce tamen prædictis luminibus erat orbata, quacũ lumino-

Marc. 16. 12.

Vgo Card. ibid.

minosos glorificati corporis sui radios contegebat, vt videri & cognosci à discipulis suis posset, atque in hac Lucæ & Cleophæ demonstratus fuit. Quod si enim ad eũ modum, quo à mortuis resuscitatus è sepulchro fuerat egressus, sese ijs exhibuisset, impossibile fuisset, vt illum aliqua ratione intueri aut aspicere possent; atque ideo *Ostensus est in alia effigie.*

12. Christus iustis & peccatoribus in vniuersali iudicio eo fine congregatis, vt præmientur illi, hi vero castigentur, tandem ad iustos conuersus, dicet illis. Quia vos me fame emaciatum, & siti exhaustũ cibo vestro & potu refocillastis, & refecistis, ideo venite, & Regni mei delitijs, quæ virtutũ vestrarũ præmia erunt, mecum fruamini. Cui sancti hunc Iudicis loquendi modum vehementer demirati, vnanimiter dicens: *Domine quando tẽ vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum?* Circa quæ verba Paulus de Palatio hanc difficultatem mouet: Ex quo Eleemosynarij pauperi alicui succurrentes, Christum in paupere illo considerare soleant (nisi hoc oculo pauperem respiciant exiguam capient ex Eleemosyna sua vtilitatem) quomodo dicere poterunt, se illum necessitate pressum nunquam vidisse? Dato etiam quod illi qui hac solum ratione illum viderint, aliqua sint ratione excusandi, qualiter autẽ qui cum ipso hic in terris conuersati sunt, dicere illi poterunt: *Quando vidimus te?* Et rationem assignat huic proposito valde accommodatam; *Ad hoc respondeo Christum in die Iudicii adeo futurum splendidum, adeo regio splendore fulgentem, vt vix sui eum agnoscant* q. d. Christus sanctis suis in nouissimo iudicij die tanto apparebit lumine amictus, vt tametsi illorũ nonnulli illũ sub pauperis veste velatũ viderint, imo alij cum illo in terris agente corporaliter conuersati fuerint, vix tamen illũ sint agnituri, atque ideo ipsum nunquam à se visum esse dicent: *Domine quando te vidimus?* Hoc autem lumen, quod in die illa in oculis totius mundi explicabitur, non erit aliud, quã illud ipsum, quo cũ in die Resurrectionis è sepulchro egressus diuinum suũ exornauit corpus. Vt igitur Apostoli illum à mortuis suscitatũ agnoscerent, non verò de illo, vti sanctis in iudicio vniuersali, accidet, dub tamen alia e forma tegere & ab-

Matt. 25. 37.

Paul. de Pal. ibid.

scondere voluit. *Ostensus est in alia effigie.*

13. Porrò cum de facto, de Christi in vniuersali iudicio aduentu sermo nobis sit, aliud insuper punctum quoddã ad idẽ spectãs propositum obseruemus. Ab eodẽ igitur Euangelista dicitur: *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli.* Ad quid nubes illæ sine quibus Christus in die illo videndus non erit, deseruient: *Vt tolerari posset ab omnibus summa aduenientis Christi claritas & splẽdor,* inquit doctissimus Iansenius, splendor enim quo diuinum Christi corpus circumdatũ videbitur, vltra omnem humanam fidem ingens & inaccessibilis erit; atque ideo nubium velo se conteget, sicque à nubibus obumbratus ad nos descendet, vt videri ab hominibus possit. *In nubibus cæli.* Quod si enim Eleemosynarij illum, vti diximus, licet hoc velo contectum vix tamen aspicere & cognoscere possint, eo quod nubes illum perfectè abscondere nequeant, quomodo ab aliis manifestus atque omnino reuelatus videri poterit? Adeo ingens fuit quod in Resurrectione sua sibi acquisiuit gloriosi corporis lumen.

Matt. 24. 30.

Iansen. in Concor. Euang. c. 12.

14. Christus equidẽ passibilis & mortalis inter nos viuens suos ad suã sequelã vocauit Apostolos, non tamẽ ob id à mortuis etiam resuscitatus, iamque impassibilis & immortalis existens ad Apostolatum sanctum vocare Paulũ destitit: Quem proinde vt membra sua persequentẽ, iãque Damascum ingredi parantẽ, ab hoc facinore impedire, atque in suam redigere potestatem, posset, validè percussit, tantique splẽdoris radiis perstrinxit, vt in terrã mox cadens veluti excœcatus fuerit: *Contigit vt appropinquaret Damasco, subitò circumfulsit eum lux de cælo, & cadens in terrã apertisque oculis nihil videbat.* Circa quã historiã S. Ambrosius quærit, quisnã splendoris istius, qui ob claritatis suæ immensitatẽ Apostolũ excœcauit, fons extiterit, ac tandẽ deprehendit, illum ex Christi oculis tunc emanasse, quãdo illũ de cælo dignatus est clementer aspicere: *Vidit eum Christus vbi Lux circumfulsit eum.* q. d. Excœcatus est nimio lumine perstrictus Apostolus, quia Christus se eidẽ aperta nec quicquã obuelata effigie propria, nullo etiã luminis ab inde emanantis adhibito temperamento exhibuit: *Vidit eum Christus* Vnde [illegible]

Act. 9. 3. & 8.

S. Ambr. de Ioseph cap. 10.

quia

siquidè apparet; nullum inveniri in mundo oculum posse, qui immenso splendori quocum Dei filius egressus est è sepulchro possit resistere, qui cœcus evadat.

15. Nescio num aliquando causam attenderitis, ob quam Deus nostri amantissimus, in societate nostra nobiscum hic in terra vivere volens, admirabile Eucharistiæ Sacramentum, in quo sub velo accidentium panis, quasi in tabernaculo quodam recluditur absconditus, dignatus sit instituere. Cur non potius ut beati corporis sui aspectu nos consolaretur, revelatus & manifestus ibi esse elegit? Causam hujus S. Bernardinus assignat, dicens: *Nempe hoc exigebat imbecillitas nostra, quia claritatem Dominici corporis nullius utique posset sustinere aspectus, ideo ut velaretur necessarium fuit:* quasi diceret, quod Christus sub divini Sacramenti velis tectus & absconditus in terra nobiscum manere sit dignatus, pietas effecit, quâ nos prosequebatur. Videns enim ex una parte excessivum quem divinum Corpus suum vibrabat splendorē; ex altera verò parte Naturæ nostræ fragilitatem & debilitatem considerans, cognovit, quod nisi suam coram oculis nostris tegeret humanitatem, neminem fore qui eum sine particulari detrimento visurus esset. *Nullus utique posset sustinere aspectus.*

S. Bern. to. 2 ser. 54. ar. 2. cap. 2.

16. Apostolus Corinthiis eam quam post universalem mortuorum Resurrectionem electi sunt habituri gloriæ diversitatem explicaturus dicebat illis: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate. sic & resurrectio mortuorum;* quasi diceret: Tametsi omnes in cælis beati eum sint habituri splendorem, qui omnem prorsus hominum fidem superat; ingens tamen in hoc splendore erit differentia; pro rata namque perfectionis meritorum quantitate, ipsum quoque corporis lumen erit. Hoc supposito S. Vincentius Ferrerius communem Theologorum opinionem esse dicit quodlibet corpus gloriosum in fælici tempore isto splendorem habiturum septuplo majorem eo, quo solem resplendere cernimus. *Omnes Doctores dicunt, quod septies erit clarius sole corpus gloriosum. Ex hoc sequitur, quod si Deus loco solis poneret corpus gloriosum magis illuminaret mundum quam Sol.* Quod si igitur omnia Sanctorum corpora splendorem septuplo sint habitura majorem eo quo sol splendere videtur, & tamen in splendore illorum ingens adhuc futura sit differentia, utpote qui augendus est secundum ratam proportionem augmenti meritorum, facilè conjici potest, qualis fuerit divini corporis Christi splendor, postquam è sepulchro gloriosus resurrexit, utpote cujus meritum omnium aliorum Sanctorum merita infinities superat. Mea quidem hæc est opinio, non solum nullum esse oculum, qui suum in splendorem figere possit obtutum, aut linguam quæ illum valeat explicare; sed nec ullum dari intellectum posse, qui illum capere queat aut intelligere. Concludo igitur & dico Christum quidam semper solem fuisse lucidissimum hodierno tamen Resurrectionis suæ die, multis modis quam hactenus unquam luminosiorem quando humana fragilitate deposita, resuscitatus à mortuis, factus est immortalis. *Orto jam sole.*

1. Cor. 15. 41.

S. Vincent. Fer. ser. 3. Dom. in albis.

CONSIDERATIO. II.

Orto jam sole.

Quod si vultus Christi Iesu Domini nostri livoribus onustus, sputis defœdatus, proprioque sanguine tinctus adeo fuit spectabilis, qualis igitur postea factus esse debuit, quando gloriosus fuit, atque beatus.

Nisi sol omnium Creaturarum quos Deus in totum visibilium thesauro dignatus est recondere, pulcherrimus esset; certe stellas adeo spectabiles flores gemmas, aliaque quæ ob pulchritudinem, sui visu tantum delectant; adeo speciosa reddere nequaquam posset: *Nemo dat quod non habet.* Unde Christus è sepulchro egressus merito sub solis similitudine describitur: *Orto jam sole*; quia veluti sol quidam fulgentissimus, ab omnium qui ipsum intueri merebantur, oculis, incredibili & inaudita pulchritudine quadam conspiciebatur

circumdatus. Et quidem vt talis appareret, necessarium omnino fuit; quodsi enim Diuinus vultus eius liuoribus tumidus, defœdatus ex sputis, proprioque sanguine tinctus, adeo erat decorus atque spectabilis qualis esse debebat factus postea gloriosus atque beatus?

1. Prima tormenta atque ludibria quibus maledicti Hebræi animarum nostratum Saluatorem cœperunt affligere, fuerunt, vt S. Marcus refert, sputa & colaphi, quibus in Caiphæ domo sactum eius vultum velo prius contectum & obductum defœdabant & cædebant: *Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius & colaphis eũ cædere, & dicere: Prophetiza, & ministri alapis eum cædebant.* Circa quem locum vnicum duntaxat quærendum occurrit, videlicet, quænam sit causa, ob quam diri hi Sathanæ ministri diuinam Christi faciem percussuri & defœdaturi, eandem prius contexerint? Forte ideo, quod illam reuelatam & apertam tanta cum licentia & libertate, qua ligatam & obuelatam, malè tractare non potuerint. Imo vero dicit S. Antonius Paduanus, hæc est ipsissima causa & rationem assignat dicens: *Erat enim facies Christi plena gratiarum, cum ipse sit speciosus præ filijs hominum, vt ad amorem & pietatem omnes attraheret, præter Iudæos, qui eum velauerunt, vt liberius malitiam suam in eum exercerent.* Et quidem tametsi Dominus noster propter dolores mortis, sanguinem in horto sudatum, exercitam in captura, & per viam qua vinctus ducebatur, tyrannidem & insolentias, mirum in modum deformatus esset, viua tamen in vultu incredibilis pulchritudinis suæ conseruabat vestigia: *Erat enim facies Christi plena gratiarum.*

Marc. 14. 65.

S. Anto. de Pad ser. in Parasc.

2. Volunt nonnulli, verba illa illa ab Isaia cap. 63. prolata: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* De Christo in cruce suspenso intelligenda esse: Et merito, *Bosra* enim in sermone latino idem sonat, quod *in angustia*, aut *in tribulatione.* Vnde Christus cruci confixus, in qua diuini sui corporis vestis sanguine tincta fuit, de *Bosra* idest, ab inaudita angustia, & incredibili intolerabilium tormentorum suorum tribulatione, venisse dici poterat, vt per mortem suam humanæ Redemptionis negotio tandem aliquando finem daret *Venit tinctis vestibus de Bosra.* Quamuis autem propter grauia tormenta per quæ horrendum Passionis suæ iter confecerat, & propter vulnera quæ receperat, liuores denique ex colaphis relictos mirè esset deformatus, vt eodem Propheta referente à nemine prorsus cognosci posset, *Vidimus eum & non erat aspectus.* Nihilominus audite si placet, quidnã loco supracitato subiungatur: *Formosus in stola sua gradiens, in multitudinem virtutis suæ.* Quæ verba licet prima facie cum prioribus bene conuenire non videantur. Cum enim vno eodemque tempore cruciatus, afflictus, vulneratus, liuidus, doloribus omnino pressus fuerit, vtpote qui *de Bosra*, idest de tanta angustia & tribulatione veniebat, ac proinde adeo ab eo qui fuerat diffiguratus, vt cognosci à nemine posset, quomodo pulcher & speciosus simul esse poterat: *Formosus in stola sua*, videtur difficulter admodum id capi posset. Veruntamen Oleaster ad hoc respondet: *Quia nihil ex huiusmodi plagis perdidit pulchritudinis suæ; formosus*, inquit, *in stola sua*, quasi diceret: Tametsi Christus in cruce pendens, eo modo quo diximus, tribulatus, & afflictus, vulneratus, & totus sanguini immersus fuerit, hoc tamen minimè obstabat, quo minus pulcher ac speciosus maneret, omnia enim tormenta & dolores quos ad mortem vsque in persona sua sustinere voluit, nullam consuetæ pulchritudinis flori intulere iacturam, cum æque pulcher atque decorus in cruce manserit, quam extra crucem fuerit *Nihil ex huiusmodi plagis perdidit pulchritudinis suæ.*

Isa. 63. 1. apud Sanctium ibid.

Psa 53. 2.

Oleast. in ca. 63. Ps.

3 S. Ioannes Apostolus in sua Apocalypsi scribit, apparuisse sibi Christum, veste sacerdotali indutum, in manu sua stellarum circulum ferentem, cinctum ad mammillas siue in pectore zona aurea, & quod proposito nostro quam maxime seruit, pedes habentem ex aurichalco inter ardentes prunas collocatos: *Et pedes eius similes aurichalco.* Porro Christus Saluator noster, hoc in loco, ni fallar, eodem modo quo in cruce suspensus demonstrari voluit, ibi namque sacerdotem expresse referebat, semetipsum in sacrificium offerendo, hominesque cum Deo irato reconciliando, quod propriũ est sacer-

Apoc. 1.

sacerdotis officiũ stellas in manu habebat, quando bono & iusto latroni cœlum donabat pectus suum zona seu bursa aurea cinctum monstrabat, tale namque marsupium sacratissimum lateris vulnus fuit, vnde redemptionis nostræ denarium deprompsit. Denique pedes suos in igne ardenti habebat collocatos, in illa namque hora in tali erat igne tormenti constitutus, quo maius nullum inueniri potest. At vero obseruandum est, in eadem hora pedes suos, non æri, ferro, aut marmori aut alijs id generis rebus sed aurichalco similes fuisse: *Pedes eius similes aurichalco*. Cur aurichalco? Audite Doctorem Angelicum hunc locum exponentẽ, & causam subito percipietis: *Aurichalcũ quanto amplius incenditur tanto amplius coloratur: sic fortitudo Dominica, quanto amplius portabat aduersa, tanto pulchrior ostendebatur.* (S. Tho. ib.)

4. Cum ex gentilibus nonnulli, de admirabili Christi Domini nostri pulchritudine certiores facti, magno ipsum semel videndi tenerentur desiderio, hocque fine multis cum S. Philippo Apostolo tractarent, Christus tali occasione oportune vtens, de Passione sua loqui cœpit & dixit: *Venit hora vt clarificetur filius hominis*. Obseruetis, velim verbum illud *Clarificetur*. Ex illo namque colligitur Christum, in verbis istis ad finalem respexisse pulchritudinis suæ perfectionem, quam se inter tormenta & ludibria conseruaturum esse confidebat. *Clarificare* enim significat clarum illustrem & splendidum reddere; mundanisq; applicari mulieribus solet, dum hæ certis quibusdam distillatis liquoribus vultui suo certum quoddam lumen ac lustrum, quo ipsarum corporibus spectabilis quædam claritas & illustratio confertur, acquirere solent, quo non mediocriter pulchræ atque venustæ redduntur. Verum enimuero quem putatis liquorem incarnata Dei sapientia ad diuinam faciem suam inter passionis suæ tormenta & ludibria, illustrandam, adhibuit? Vtique sputa, quæ inimici sui in eius erant faciem iniecturi, inquit sanctus Antonius de Padua: *Fuit Iudaeorum sputis clarificatus*. Quare considerate & obstupescite admirabilem Domini nostri pulchritudinem; cum enim quæuis alia venustas male tractata, & pugnis contusa, florem suum perdere, & marcescere soleat, non tamen id Christi pulchritudini accidit, vtpote quæ non solum non marcescebat, verum insuper augebatur, atque inter fœdissimorum sputorum excrementa, & spurcities illustrior reddebatur & spectabilior. *Iudaeorum sputis clarificatus.* (Ioan. 12. 23.) (S. Anto. de Pad. sab. in Ram.)

S. Hugo Cardinalis existimat Iridem, quam Deus Noë in reconciliationis cum hominibus factæ signum in nubibus cœlis affigere promisit, vti in Genesi hisce verbis dicitur: *Arcum meum ponam in nubibus cœli, & erit signum fœderis inter me & inter terram*, Christum in cruce suspensum atque in aëra eleuatum præfigurasse. *In cruce enim extensis brachijs ad instar arcus cuiusdam constitutus*, principale est nostræ cum Deo Patre reconciliationis & diuini amoris exercendi instrumentum, quo ardentissimis corda nostra sagittis trajicit atque configit & amore seraphico imbuit: *Arcus iste fuit Iesus positus in cruce, & ex hoc arcu extenso in cruce iaculantur nobis sagittæ amoris.* Hoc autem præsupposito infero, quod cum amor diuino Platone teste perpetuus sit deformitatis inimicus: *Inter deformitatem & amorem pugna est perpetua*, si Christus per passiones & tormenta sua factus fuisset deformis, amor qui inde ferire incipit, regni sui sedem in ipso minime collocasset. Opus igitur est affirmare ipsum eo tempore maxima præditum pulchritudine fuisse, qualis in nullo passibili & immortali homine videri vnquam potest. *Iaculantur nobis sagittæ amoris.* (Genes. 9. 13.) (Vgo Card. in Epist. ad Col. cap. 1.) (Plato in Conuiuio.)

6. Cælestis sponsa Christi dilecti sponsi sui pulchritudinem Ierosolymitanis filiabus iudicare volens, eisdem dicebat *Dilectus meus candidus & rubicundus*, *Candidus*, id est, purus & innocens; *rubicundus*, id est, crucifixus proprioque sanguini immersus, inquit Rupertus Abbas: *Candidus sanctitate, rubeus passione.* Quod diuina sponsa ad Christi speciem & pulchritudinem tanto magis manifestandam, transfigurationis nequaquam memor fuerit, in qua instar solis facies eius rutilauerat, sed passionis tantum, in qua à vertice capitis vsque ad plantam pedis, vulneribus plenus, sanguine madidus, circumdatus liuoribus (Cant. 5. 10.) (Rupert. Ab. ibid.)

bus, & sputis defœdatus fuerat, id inquam euidens nobis signum esse debet illum in Caluariæ monte Cruci affixum longe pulchriorem quam in Thaboris monte transfiguratum emicuisse. Videturque ad eum modum fuisse locuta, quo Lucius Florus de Cæsare Augusto vulneribus in manibus pedibusque sauciato quidem, generosè tamen dimicante, loquebatur. qui dicebat: *Saucius manibus & pedibus, speciosior sanguine*. Id quod S. Ambrosius de Lateris vulnere loquens, de Christo Redemptore nostro dicebat: *Ille Lanceæ punctione succisus, sacro speciosi fusi cruoris colore vernauit*. Vnde Seraphicus quoque Bonauentura Christum hunc in modum alloquitur: *Magis enim in hac vita desidero Domine, cum latrone tecum in Crucem ascendere, quam cum Petro, Iacobo & Ioanne in montem transfigurationis ascendere. Nam mihi magis placet ad præsens oculo mentis te videre consputum, quam transfiguratum*. q. d. Quodsi mihi daretur optio, vel cum bono latrone montem Caluariæ conscendendi, vt te viderem crucifixum; aut vero recipiendi me cum Petro, Iacobo, & Ioanne in montem Thabor, vt ibidem te contemplarer transfiguratum, vtique Thaboris monte relicto, in Caluario te contemplari præeligerem. Quamdiu enim hic in terris vitam ago, pulchrior videris in oculis meis consputus, & vulneribus saucius, quam transfiguratus & gloriosus. *Magis placet ad præsens oculo mentis te videre consputum, quam transfiguratum*.

Lucius Florus l. 4. c. 12.

S. Ambr. de spirit S. lib. 2. c. 3.

S. Bona Stimul. Amor. c. 4.

S. Bona ib.

7. Quando Maria Magdalena amore exæstuans, mortuumque Magistrum suum teneris lachrymis deplorans, circa sepulchrum commorabatur, & intus inclinata quaquauersum per omnes sepulchri angulos sollicite prospiciebat, num desideratum Magistri sui videre corpus posset, duos ibidem Angelos vidit, qui stolis albis induti sedebant, vnus quidem ad caput, alter vero ad pedes loci illius, in quo diuinum corpus iacuerat: *Vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes. vbi positum fuerat corpus Iesu*. Et hoc quidem modo inibi stabant, vt inde insinuaretur, ipsos eodem prorsus situ iuxta sacrum Domini corpus iam sepultum astitisse. Ecquidnam obsecro Angeli in sepulchro faciebant, quando non

Ioan. 20. 12.

nisi mortuum Corpus Domini sui inibi erat? Respondet os aureum Chrysostomi ipsis sepulchrum Domini cæli loco fuisse: *Ad sepulchrum tanquam apud cælum manebat*. quasi dicere vellet: sicut Angeli ex mente S. Petri, Christi pulchritudine & speciositate in cælis fruuntur: *In quem desiderant Angeli prospicere*: Ita in sepulchro eadem pulchritudine beatificabantur, haud secus ac si omnia inferni Christo irrogata tormenta, omnia ab Hebræis illata opprobria, vulnera, liuores, sanguinis horrenda vestigia, ipsi non solum de sua pulchritudine ne quisquam subtraxissent aut diminuissent, sed potius singulari cum incremento auxissent eandem. *Ad sepulchrum tanquam apud cælum manebant*. Concludo igitur his & dico, Christum fulgentissimum semper solem fuisse, semperque spectabilem & ante Crucem, & in Cruce, & in sepulchro positum, denique in cælum postea ascendentem. *Pulcher est Christus in miraculis, in flagellis, in sermonibus, in verberibus, pulcher in ligno, pulcher in cælo, pulcher in sepulchro*, inquit S. Augustinus.

S. Ioan. Chrys in Psal. 2.

1. Pet. 1. 1

S. August. serm. 13 de tempore.

8. Quodsi igitur Christus in modico illo tempore, quo ærumnosus & afflictus inimicorum suorum manibus & crudeli morti erat subiectus, coram cæli & mundi oculis tam gloriosum pulchritudinis suæ edidit spectaculum, vtique qualis cum resuscitatus & gloriosus fuerit creatus sibi intellectus haud poterit imaginari. Cum enim Resurrectio Domini rebus vilibus tantam contulerit formositatem, quantam conferet rebus magnificis atque de se pulchris? Necessario itaque affirmandum erit, nunquam ab oculo creato tantam visam esse pulchritudinem, quanta ex diuino visa est egredi sepulchro, postquam infernum est depopulatus, vicit mortem, & immortalis resurrexit. Quærit Abulensis, num Christus quando post resurrectionem cum discipulis suis tractabat, consueta sua veste, aut aliqua indutus fuerit, & quanam illa? Et respondet, ipsum nulla veste vsum fuisse, nec propria, nec aliena, sed nudum sese exhibuisse. Sed quomodo Doctor iste Christum se nudum vbique exhibuisse dicere audet? Quodsi homo nudus turpis & deformis est, qui videri sine verecundia non potest, quomodo Christus nudum se omnique veste

exutum

exutum exhibens, pulcher esse poterat? *Deformitas hominis nudi*, inquit Tostatus, *à carnis deformitate per peccatum contracta provenit, ac proinde vestibus se cooperit & abscondit, ne nudus appareat.* Id quod de Christi corpore post ejus resurrectionem verum non erat, cujus caro ob singularem mirumque decorem quo erat imbuta, adeo admirabili splendore amicta erat, vt si pretiosissima indutus purpura aut auro, gemmis aliisque ornamentis pretiosissimis onustus fuisset, pulchrius mundo spectaculum non potuisset proponere, nam his omnibus sine comparatione vlla Corpus Christi pulchrius existit. *Corpus Redemptoris nudum apparuit, sicut vere nudum erat. Tanta erat tamen fulgoris in corpore illo admiranda reverentia, tamque superexcellens decor, vt nulla in eo deformitas, aut turpitudinis macula notaretur, quanquam nudum esset. Sic enim Psalmista testatur: Amictus lumine sicut vestimento, id est, Corpus Redemptoris ita gloria & fulgore tegebatur, ac si vestibus velaretur, honorabilius tamen.* O insignem miramque corporis Christi pulchritudinem quæ tanta fuit, vt cum alia corpora dum nuda videntur, deformia sint, Christi tamen corpus quantumvis nudum speciosissimum appareat, atque ad stuporem vsque decorum; *Vt nulla in eo deformitas aut turpitudinis macula notaretur.*

Tosta. Para. 5 c. 34.

9. S. Basilius de pulchritudine illa qua corpus Adæ eo tempore, quo in originalis innocentiæ statu constituebatur: decorum erat, loquens, dicere non dubitavit: *Non itaque vestis ei ex Natura, neque ex arte conveniebat, sed alia erant, quæ eum ex Dei Charitate decebant, fulgentibus quibusdam radiis more Angelorum splendore, quæ omnem florum varietatem, omnem astrorum claritatem superarent.* Quasi diceret: Corpori innocentis Adæ nulla vestis sive naturalis, sive artificialis quadrabat, simili namque tegumento minimè indigebat, quantumvis etiam locuples & nobile illud esset. Deus enim illum eodem lumine dignatus est contegere, quo Angeli Paradisi cælestis cooperit & vestit. Vnde omnium creaturarum oculis tantæ venustatis Adamus proponebat spectaculum, ut merito æstimari posset excedere varietatis florum decorem, luminariumque cæli superare claritatem. Agedum igitur, quod si mortale & caducum servi corpus tametsi nudum, omnique veste spoliatum, tanta tamen fuit venustate decorum, vt maximas quæ sive in cælo sive in terra conspiciuntur pulchritudines superarit, quale putatis fuisse Domini nostri corpus in statu immortalitatis & beatitudinis, licet nudum, & veste quacunq; spoliatum? Quale debuit corpus istud suorum oculis proponere spectaculum, nisi ab excessivo eius lumine fuissent impediti?

S. Basil. serm. de grat. agend.

10. S. Ambrosius verba illa, quæ Christus de tempore quo moraturus erat in sepulchro, dixit à Matthæo cap. 12. registrata; nimirum: *Sicut enim fuit Ionas tribus diebus & tribus noctibus in ventre ceti, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus,* accurate observat, videns autem postea Christum non tribus diebus, & tribus noctibus, sed duobus tantum diebus & duabus noctibus in sepulchro permansisse, quærit: sum incarnatæ sapientiæ verba ne in vno quidem jota fallere aut mentiri possint, quî fit quod qui juxta proprii oris sui verba tribus diebus, totidemque noctibus, sub saxo hærere debebat sepulchri, non nisi duobus tantum diebus ac totidem noctibus in eodem quieverit? Et respondet verba Christi absque vllo vel vnius modicæ literæ errore verificata & completa fuisse. Quisquis enim ad tempus illud, quo Christus in sepulchro moram traxit, bene attendit, inveniet ipsum tribus in eo diebus, tribusque noctibus naturalibus, & veris à sole tamen nova & inaudita cum sollicitudine efformatis, in sepulchro permansisse. Dico, cum sollicitudine efformatis, quia sol resuscitati Domini sui pulchritudinem mira cum velocitate videre eaque frui gestiebat, atque ideo ex vna parte vt sanctus Archiepiscopus inquit, desiderabat ne Christus vel vnica etiam horula in sepulchro maneret, ex altera vero parte memor verborum suorum, quibus se tribus diebus & tribus noctibus sub saxo sepulchri quieturum esse prædixit, quæ in veritate compleri debebant, quasi rationis compos hunc in modum discurrere cæpit: *Quid facio orior & dies est; occido & nox est. Festino ergo, vt illum possim videre solem Iustitiæ* illumi-

Matth. 12. 40.

S. Ambros. de inter. Iob. lib. 2. cap 5.

illuminantem animas universorum. Inveni ergo quid faciam, ut & moras non faciam, & numerum dierum meorum custodiam; non faciam integrum diem & integram noctem; abbreviabo horas & tribus quidem diebus ac noctibus sit inter mortuos Dominus Iesus, citius tamen quam dierum ac noctium intervalla patiuntur, resurgat à mortuis. Desiderium quo æstuo, ut Domini mei resuscitati & gloriosi videam spectaculum, summæ me confusioni exposuit, adeo ut quid facere debeam ignorem. Ex una namque parte ille se tribus diebus & tribus noctibus in sepulchro mansurum esse prædixit, quæ verba veritatē suam perfecte ut assequantur, necessum est, licet Cælum ob id corruere deberet. Ex altera vero parte ego qui adeo magnopere illa gloriosi Corporis illius pulchritudine frui desidero, adeo longi temporis moram sustinere nequaquam possum. Quid igitur faciam, ut & verba Domini mei verificentur, & tempus adeo tardum tandem velocius acceleret? Scio quid faciam. Cum certissimum sit, quod sicut me oriente dies est, ita me deficiente & occidente nox fit, efficiam ut Domino meo jam in Crucem acto, tribus me horis abscondam, sicque quandam trium horarum noctem constituam, quibus absolutis pro reliquo diei conficiendo iterum exoriar, ac totidem horarum diem producam: Hanc autem vesperi diei veneris sancti nox subsequetur naturalis, sicut & dies naturalis in sabbatho sicque habebo duos dies & duas noctes, duas naturales & duas artificiales. Denique vesperi diei sabbathi ad consuetum declinabo occidentem, faciamque noctem tertiam, ad cujus finem diluculo scilicet diei Dominicæ ipse resurget suoque excessivo lumine quod ex sepulchro secum adferet & quo cum noctem illam illuminabit, tertium quoque diem constituet: Atque ita ipse prout prædixit in sepulchro tribus diebus, & tribus noctibus manebit, & ego similiter majori cum velocitate desiderato perfruar spectaculo, quod al as hac inventione seposita propter nimiam moræ tarditatem, diutius expectare idque non sine ingenti molestia & fastidio deberem. Pensate obsecro quantæ esse debuerint corporis Christi delitiæ, quibus sol se fruiturum esse sperabat, quando idem sol, ut iis quanto citius fieri posset, frui liceret, tanta cum sagacitate præfixum sibi tempus, quo ab oculis suis manere debebat absconditus, abbreviavit. Unde si hucusque Christi glorificati pulchritudinem solis pulchritudini assimilavimus, nunc aliter hac in materia discurrere necessum erit, ac dicere, Christi decorem & pulchritudinem solis pulchritudine longe majorem esse, cum sol percupidus sit pulchritudinem Christi videndi.

CONSIDERATIO III.

Orto jam sole

Velox Christi cursus, quem à Passione sua ad Resurrectionem usque confecit, ostendit labores & ærumnas nostras respectu earum consolationum, quas expectamus, breves esse & momentaneas.

1. NUlla sagitta tanta cum velocitate currit; neque ullus ex sclupeto aut tormento bellico explosus globus tanta cum rapiditate aëra dividit. Neque fulgur adeo celeriter nubes findit & rumpit, quin per cælum suum sol longe velocius volando rapiatur; Unde ut Macrobius observat sol ab Homero *Mundi mens est* appellatus? sicut enim in mundo nihil inveniri potest quod cogitationes mentis velocitate sua posit adæquare. Ita nihil quoque velocius est sole. Atque ideo animarum nostrarum Salvator non immerito sub solis symbolo à S. Marco proponitur: *Orto jam sole*, ut nimirum per illud velocitatem quacum à Passione ad Resurrectionem cucurrit, imo volavit, demonstraret. Et hæc quidem velocitas nullo alio fine à Christo adhibita fuit, quam ut per illam insinuaret, afflictiones & tribulationes, laboresque humanos, in comparatione ad præmia & consolationes, quæ illos manent, momentaneos & breves esse.

2. Psal-

2. Psalmus centesimus nonus, quem regius Propheta David ad mysteriorum Dei incarnati descriptionem applicat, in hæc verba terminatur; *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* q. d. Quia bibiturus est de aquis torrentis, ideo gloriosus erit atque beatus. Quisnam obsecro aut qualis est torrens iste, è quo Christus bibere debet, vt beatus evadat? S. Gregorius dicit, per torrentem istum mortem intelligi, quæ de Paradiso terrestri, propter patratum Adæ peccatum egrediens, vniversamque terram humectans, omnes quotquot in illa sunt, erunt, fueruntque homines oppressit & occidit, adeo vt ne unus quidem ex omnibus reliquus manserit in aquis istis non fuerit submersus, ad ipsum vsque vnigenitum Dei filium, quo eo ipso homo factus est, ex amarissimis aquis istis bibere & ad instar aliorum hominum vitam suam perdere debuit. Cum hac tamen nos inter & Christum differentia, quod cum alii homines jam à sex annorum millenariis & amplius inde bibant & mortui sint, ipse econtra ex aquis prædictis obiter & per modum transeuntis bibat: *In via bibet.* Subito se expedivit, subque tormentis & mortis imperio non multum tardavit, post tres namque dies relicto sepulchro beatus resurrexit. Ecce ipsissima S. Doctoris verba: *In humano quippe genere ab initio mundi torrens mortis effluxerat, sed de hoc torrente Dominus in via bibit, quia in transitu gustavit.*

Psal. 109.

S. Greg. in Evang. l. 2. hom. 25.

3. Refert S. Matthæus lictores priusquam Dei filium Crucifixissent, eidem calicem vini felle mixti dedisse è quo tamen postquam gustavit, bibere noluit. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, & cum gustasset, noluit bibere* Est hic locus vnus ex difficilioribus, in quos sacram Scripturam pervolutando possumus incidere. Cum enim certo nobis constet, Christum tantum pro salute nostra patiendi & moriendi desiderium habuisse, vt illo aliquod majus dari posse sit impossibile, adeo etiam vt cum jam tandem innumerabilibus satiatus esset tormentis, illa tamen magis magisque quam vnquam alias sitire & appetere perrexit, cur idem nunc quando illi ad majorem sui afflictionem fel in potum est propinatum, mox vt illud gustavit, veluti si amarum nausearet poculum, bibere ex illo noluit, *Cum gustasset noluit bibere?* Rupertus Abbas locum istum considerans difficultatem hanc movet, motamque diviné resolvit: *Oblatum sibi acetum noluit bibere, mortis enim acetum paululum gustabat, quam cito scilicet die tertia resurrecturus, nec vltra bibiturus erat.* q. d. Non ideo Dominus noster fel gustatum noluit bibere, quia nimis amarum ei fuisset, aut gustum suum magis amaricari noluisset, cum certum sit, quod nullum alium potum æque desideraret, sed significare voluit, quod ærumnarum mortis amaritudinem, non ad satietatem bibere, aut inde ad instar aliorum hominum repleri, sed gustare tantum, id est, modico tempore sufferre, & tribus duntaxat horis in Cruce, & vix tribus diebus in sepulchro hærere & commorari, postea vero nunquam amplius passurus aut moriturus subito beatus resuscitari debebat: *Mortis enim acetum paululum gustabat.*

Matt. 27. 34.

Rupertus Ab. de Diu. offic. lib. 7. c. 25.

4. Indubitatum est per Gygantem de quo David Propheta Psalmo decimooctavo his verbis loquebatur: *Exultavit vt Gygas ad currendam viam,* mundi Salvatorem intelligendum esse; qui ad instar gigantis in throno Cæli sedet, pedes autem supra terram, veluti scabellum, collocatos habet, prouti per os Isaiæ prophetæ prædixit: *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Id quod S. Bernardus attendens dixit: *Gygas est iste filius hominis, cœlum ei sedes est, terra scabellum pedũ ejus.* Per viã autem, quam divinus hic Gygas cucurrit, ex mente Hugonis Cardinalis, mors intelligi debet, quæ in Scriptura Sacra *Via universæ terræ* appellatur, quia ut inquit Hugo, mors est via *vniversorum habitantium in terra.* Per quam Christus homo factus communi cum aliis hominibus itinere pertransire necessario debuit. Hucusque hæc omnia bene dicuntur. Observandum tamen est, Christum per hanc viam non tardo gressu ambulasse, sed currisse *Exultavit ad currendam viam.* Quod si quæras, cur cucurrerit, & non ambulaverit? Eminentissimus jam dictus Cardina-

Psal. 18. 7.

Isai. 66. 1.

S. Bern. serm. de Nati. S. Ioan. Bapt.

3. Reg. 22.

Vgò Card ibid. dinalis respondebit: *Currere dicitur quia cito transivit eam.* Quia cum alii homines lente ambulando, longam in via mortis moram traxerunt, & trahunt, adeo ut ne etiamnum quidem præfixum longi itineris sui terminum invenerint, Christus econtra non ambulaverit, sed cucurrerit. *In* tribus namque horis, & tribus diebus plene se expedivit, atque à mortuis est resuscitatus.

5. S. Bernardus observat, sponsam cœlestem uno eodemque tempore, quo Christum dilectum suum fasciculo myrrhæ assimilaverat Botro quoque comparasse. Vix enim dixerat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus* Cant. 1. 12. *mihi*, cum ecce subito & sine ulla mora subjunxit: *Botrus Cypri dilectus meus mihi*, & dicit: Cum myrrha succum amarum, uva vero dulcem gratumque liquorem producat, qua igitur ratione Dilectum suum per duas hasce proprietates prorsus contrarias explicare potuit? Fortasse uno eodemque tempore quo amarus fuerat, dulcis quoque simul erat, ut proinde eidem tam myrrhæ amaritudo quam uvæ suavitas convenerit? Et respondet, quod non eodem prorsus tempore dulcis atque amarus, sed quasi eodem tempore extiterit. *Ut illi quò modo fuerat fasciculus myrrhæ, subito sit botrus Cypri continens in se vinum iucunditatis & lætitiæ*, quasi dicere voluisset: Quia Salvator noster mox ut dolorosus & amarus haud secus ac quidam myrrhæ fasciculus in Cruce, unde omnes homines considerantes amaricabat, visus fuit, resuscitari, seque instar botri cujusdam mundum consolantis & lætificantis exhibere non tardavit, ideo uno eodemque tempore myrrha appellatus est & uva. Ut hoc loquendi modo intelligi facilius posset itineris Christi à Passione ad Resurrectionem admirabilis cursus, quasi eodem quo patiebatur & moriebatur tempore, immortalis quoque visus fuerit & gloriosus. *Subito fit Botrus Cypri continens in se vinum jucunditatis & lætitiæ.*

S. Bern. lib. de Pass. c. 4.

6. S. Augustinus considerans unigenitum Dei filium ne sex quidem terræ palmos post mortem habuisse, quam pro sui sepultura suam dicere potuisset, ac proinde ob summam hanc paupertatem opus fuerit, illum in *Iosephi* ab Arimathæa sepelire sepulchro, incredibili stupore correptus exclamat. Ubinam igitur est amplum illud Dominium atque imperium, quod Christus se non in eas duntaxat res, quæ in terra sunt etiam eas quæ supra terram existunt, tenere dicebat: *Quoniam mea sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus, & boves, meus est enim orbis terræ & plenitudo ejus?* Psal. 49. 12. quod tempore tantæ necessitatis divinum Christi cadaver alieno opus sepulchro habuerit? Veruntamen mysterium hoc, cui explicando immoramur, postea assecutus, divinè prorsus respondet: *Ut quid illi sepultura propria, qui tridui tantum temporis spatio in sepulchro non tam mortuus, quam veluti in lectulo conquievit?* S. Augus apud Caten. S. Thom. ca 27. Mat Quasi clarius dixisset: De proprio sepulchro habendo illi solliciti sunto, qui in manu mortis longo tempore tractati sunt moram, Christo autem utpote qui pauculis horis tantum sepultus esse magisque dormientis quam defuncti speciem, ob acceleratam Resurrectionem referre debebat, mutuatum sufficiebat habere sepulchrum. *Ut quid illi sepultura propria?*

7. Christus Dominus noster in mortis viam pedes suos collocaturus, videns discipulos suos idcirco supra omnem modum mœstos & melancholicos, hisce illos verbis est affatus: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet. audistis quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos?* Ioan. 14. 18. q. d. Nolite mœrere Charissimi filii, Iam enim dixi vobis: quia vado & venio ad vos, hoc est, discedo a vobis eundo ad mortem, & revertor ad vos, vivum & gloriosum me è sepulchro resuscitando. *Vado & venio ad vos.* Circa quæ verba quoddam mihi non levis momenti occurrit dubium. Quod enim Christus ad mortem sese recipiens, verbo utatur temporis præsentis & dicat: *Vado*, eo quod de facto in via esset mortis, quam exequi cœperat, hoc bene quidem dicitur. Verum quod postea de reditu suo differens, qui non in præsenti tempore quo loquebatur, futurus erat, sed in futuro & in resurrectione, similiter præsentis temporis verbo usus fuerit, & dixerit: *Venio*, cum tamen futuro uti merito debuisset, dicendo *Veniam*, id qua ratione admitti possit, equidem ignoro. Porro dubio hoc nullum adduci potest elegantius, sicut nec elegan-

elegantior pulchriorque responsio, quæ ex eo quod Dionysius Carthusianus in commentario huiusloci dicit, facile colligitur; Hic ergo vult, Christum dicendo: *Vado & venio ad vos*, clarius dicere voluisse: *Vado, id est, per Passionem secundum humanitatem à vobis recedo, & venio ad vos, id est per Resurrectionem cito vos visitabo.* Dixit *venio ad vos*, non autem *veniam ad vos*, vt hac ratione Apostolos suos magis consolaretur, eisdemque sollicitudinem proponeret, quacum citissime à morte expediendus, atque è sepulchro resurrecturus erat. Vtque illis significaret Resurrectionem post mortem suam nec quicquam tardaturam esse, adeo vt vno quasi eodemque tempore quo moriebatur, simul etiam resuscitatus atque à morte reuersus fuisset: *Venio ad vos, idest, per Resurrectionem vos visitabo.*

Dionys. Carth. ibi.

8. S. Ioannes Chrysostomus Christum resuscitatum describens, illum Soli nascenti, atque ex mari Oceano emergenti assimilat: *Ecce Christus ex Oceano mortis tanquam roseum iubar ascendit.* Quibus verbis, vti videtis, mors Christi Oceanus appellatur: *Ex oceano mortis.* At vero, quando S. Doctori mortem Redemptoris nostri mare appellare placuit, cur illam non mare nigrum vocauit, ob visas in morte Christi horribiles tenebras: aut Mare magnum ob tormentorum dolorumque suorum magnitudinem: aut mare rubrũ propter effusi sanguinis abundantiam, sed Mare oceanum? *Ex Oceano mortis?* Ratio est quia mens S. Doctoris erat proponere sollicitudinem, quacum à morte se expediuit. S. Isidorus dicit, Mare indicum appellari Oceanum, *Eo quod citius currat*, præ quocunq; alio mari; quia igitur ærumnæ & dolores mortis Christi cum quadam inimaginabili sollicitudine cucurrerunt & absoluti sunt (vix enim mortuus fuerat, cum ecce viuus iterũ & gloriosus resurgit) ideo mors eius Oceanus, & non alio cuiusuis maris nomine appellatur: *Ex Oceano mortis.*

S. Ioan. Chrysos. serm. 3. de Resur.

9. Vidimus hucusque qualiter dolores mortis Christi breues & momentanei fuerint, quod si insuper Resurrectionem attendamus, & consideremus hanc absq; vllo fine gloriosam futuram & beatam, facile erit concludere, quam breues & momentanei sint huius mundi labores & afflictiones respectu præmij æterni, quod propter has à Deo expectamus. Incarnata Dei sapientia ad famem quam serui sui ex sui amore sustinent, attendens, dicere non dubitauit: *Beati qui nunc esuritis quia saturabimini.* Non dubito quin is qui ad ly *Nunc* non benè attenderit, existimabit illud superfluè positum esse, nam se illo etiam intermisso dixisset: *Beati qui esuritis*, perspicue satis intellectum fuisset, illum de præsenti, non vero de præterito aut futuro tempore loqui. Vt tamen tanto melius explicetur quid Christus vi huius breuis dictiunculæ, demonstrare intenderit, illamque plusquam necessario appositam esse, notandum, quod vt dicit Isidorus Clarius: *In illa particula Nunc intelligitur breuitas temporis, quo est patiendum: vt hac cogitatione breuitatis, fortior redderetur ad tolerandum animas*, q. d. Quia ly *Nunc* momentaneæ cuiusdam & instantaneæ partis temporis est significatiuum, ideo Christus de tempore illo loquens, quo serui sui hic tribulantur, illud *Nunc* quoddam appellare voluit vt illis hac ratione innueret, nihil in hoc mundo magis instantaneum aut momentaneum esse, quam sint labores & ærumnæ pro Dei seruitio patienter toleratæ, maxime si altera ex parte respiciatur ad tempus quo laborum suorum præmio perfruentur, quod perpetuum atq; æternum erit, Id quod in Christi passione perspicue videtur, quæ pauculis duntaxat horis & diebus perdurauit, qui respectu gloriæ suæ remunerationis momentanei censeri merito debent.

Lucæ 6.21.

Isidorus Cla Orat. 30. in Lucam.

10. Vt Isaias Propheta causam assignaret, ob quam plenus fuerit spiritu sancto, in hæc verba prorupit: *Spiritus Domini super me, vt prædicarem annum placabilem Domino & diem vltionis Deo nostro.* q. d. Deus me ad nobile prædicatoris officium sublimare, meq; sancti spiritus sui assistentia dignum facere voluit, vt cælestium fauorum gratiarumque annum & diuinæ vindictæ diem tanquam ab ipso constitutus præco diuulgare possem. Oleaster hunc locum bene attendens, acute obseruat, Prophetam non dicere commissum sibi esse vt annum vindictæ & alium annum gratiæ prædicaret, aut annuntiaret diem vindictæ & alium diem gratiæ, ita vt

Isai. 61.2.

 tempus

tempus gratiæ, tempori vindictæ per omnia correſponderet, aut vero econtrario tempus vindictæ correſponderet tempori gratiæ & per omnia duo hæc tempora ſibi æqualia eſſent, ſed vt prædicaret diem vindictæ & integrum annum gratiæ: *Annum placabilem Domino, & diem vltionis.* Vnde cum annus trecentos ſexaginta quinque dies ſuo complectatur in circulo fauorum remunerationumque diuinarum tempus trecentis & ſexaginta quatuor diebus tempus vindictæ excedat neceſſum eſt. Cuius rationem aſſignat dicens: *Hoc enim illi peculiare eſt vt ad momentum affligat, & ad multos centenarios annorum conſoletur. Videſne vltionem die claudi, placationem vero ad annum? Quod etiam confirmauit, cum dixit In momento indignationis abſcondi faciem meam à te, & in miſericordijs ſempiternis congregabo te.* Communis enim diuinæ clementiæ proprietas eſt, homines momentaneis ærumnis & malis affligere, & æternis conſolationibus reſtaurare, ideoque vnius diei malis, vnius integri anni conſolationes ſuccedunt, & cum mala in menſura quadam adeo breui compræhendantur, qua breuior dari non poteſt, præmia tamen dilatantur ſine fine & menſura: *Vt ad momentum affligat, & ad multos centenarios annorum conſoletur.*

Oleaſt. in cap. 8. Geneſ.

11. S. Bernardinus cauſam ſciſcitatur cur Chriſtus Reſurrectionem quadraginta horis, Aſcenſionem ſuam autem quadraginta diebus tardauerit. Cur aſcenſionis ſuæ moram non fecit æqualem moræ Reſurrectionis? Et diuine reſpondet: *Retardauit Aſcenſionem propter diſcipulorum conſolationem, conſolationes enim diuinæ ſuperabundant tribulationibus noſtris; ſed tempus paſſionis ante Reſurrectionem, fuit tempus tribulationis Apoſtolorum; tempus autem quod fuit inter Reſurrectionem & Aſcenſionem, fuit tempus conſolationis eorum: ideo magis dilatum fuit tempus inter Reſurrectionem & Aſcenſionem, quam inter Paſſionem & Reſurrectionem.* q. d. Quia diuinarum conſolationum tempus ex diuinæ clementiæ diſpoſitione tempus tribulationum & ærũnarum noſtrarum ſine vllo modo & menſura ſuperexcedit, ideo cum tempus inter Paſſionem & Reſurrectionem medium, ſit tempus tribulationis & Paſſionis Apoſtolorum, tempus vero quod mediat Reſurrectionem inter & Aſcenſionem tempus eſt conſolationis eorundem, Chriſtus Reſurrectionem ſuam quadraginta horis diſtulit, Aſcenſionem vero ſuam quadraginta diebus tardauit, vt hac ratione quamlibet horam melancholiæ, triſtitiæ & dolorum à ſuis perpeſſorum, integro conſolationis die, quem ſua Chriſtus præſentia ſecum adferebat, præmiaret & compenſaret: *Conſolationes diuinæ ſuperabundant tribulationibus noſtris.* Ex quo etiam liquide ratio oſtenditur, ob quam animarum noſtrarum Saluator, haud ſecus ac fulgentiſſimus ſol quidam tanta cum velocitate inter Paſſionis & mortis ſuæ accelerare voluerit.

S Bernard. ſer. 2. de Aſcenſ. 1. cap. 1.

Orto iam ſole.

SERMO

SERMO XLIII.

Feriam II. Paschæ.

Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in Castellum.

Luc. 24.

IN historia Euangelij hodierni perspicue videtur, quanta cum veritate diuina sponsa in laudem Christi dilecti sponsi sui prorumpens,
Cant. 5.10. dixerit: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus* Primo illum candidum esse dicit *Candidus* vt innuat, quod sicut albedo color quidam est, qui omnibus sese coloribus accommodare & conformare solet, & in omnes commutari, adeo vt cum viridi viridis fiat, cum nigro niger & sic deinceps per omnes alios discurrendo: ita quoque Deus in omnem se flectat partem, ad eum prorsus modum, quo nos erga ipsum nos habemus; ita vt quales nos erga Deum sumus, talem se quoque Deus erga nos exhibeat. Vnde cum duo hi discipuli, de quibus in Euangelio agitur, à fide Resurrectionis suæ aduenæ essent & peregrini, ipse quoque in forma peregrini cuiusdam sese illis manifestat; ipsismet discipulis idipsum fatentibus; dum dicunt: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem.* Mox quoque illum rubicundũ esse confitetur *Rubicundus,* id est amoris igne succensus; quem in hoc ostendit dum S. Lucam illiusque in via comitem tristes deque, suis tormentis loquentes videns, sermones eorum tanquam valde peregrinos, nouos, omnique admiratione dignos suspicit, dicens: *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem, & estis tristes?* Ipse namque pœnas & tormenta sua, quibus nimio nostrũ amore instigatus subiacuerat, obiecta lætitiæ & gaudij esse reputabat, non vero tristitiæ aut doloris causam, prouti ipsi arbitrabantur. Denique ipsum ex millibus electũ esse affirmat: *Electus ex millibus*, id est, melior, præstãtior, & generosior omnibus, cui similem mundus nunquam vidit, quasi inter homines selectissimus. Nunquã enim visus est homo talis, qui eandem in verbis, quã in manibus potentiam habeat, qualem Christus habebat, vnde appellatus est *Vir potens in opere & sermone* Ex tribus hisce cælestis Regis Christi proprietatibus, de quibus nobis in huius expositione Euangelij discurrendum est, primo candorem examinemus.

CONSIDERATIO I.

Tu solus peregrinus.

Necessum est vt nos bene habeamus in ordine ad Deum, quales enim nos erga illum sumus, talis & ipse nobis erit.

1. CAusa ob quam Christus Saluator noster ex mortuis resuscitatus, duobus hisce discipulis, quibus se in via comitem adiunxit, in peregrini habitu sese exhibere voluit, ab Algero hisce verbis exprimitur: *In Emaus peregrinis in fide peregrinus apparuit.* q.d. Quia discipuli à Resurrectionis suæ fide aduenæ erant & peregrini, sibi Christum adhuc mortuum & sepultum, non vero à mortuis resuscitatum persuadentes; ideo ipse quoque instar peregrini erga illos se habuit. Et hic est ordinarius Dei cũ omnibus aliis totius mũdi hominib⁹ agẽdi

di modus. Atque ideo si bonæ mentis cõpotes simus, necessum est, vt in ordine ad Diuinam Maiestatem bene nos habeamus, certò nobis persuadentes, fore vt quales nos erga illum sumus, talis & ipse futurus sit nobis. *Peregrinis in fide peregrinus apparuit.*

Psal. 101. 8. 2. Verba illa Psalmi centesimi primi, nimirum: *Similis factus sum pellicano solitudinis*, à multis sanctis Patribus de animarum nostrarum Saluatore dicta esse intelliguntur. Appellatur autem hoc nomine Dominus noster, quia sicut Pellicanus proprijs vulneribus, & sanguine suomet proprio mortuis pullis suis vitam donat. Ita Christus sanguine suo, quem sub Crucis tormento ex diuino corpore suo in tanta abundantia fudit, nobis charissimis filiis suis vitam restituit. At vero quia hæc lectio & inde iam elicitum mysterium præsenti proposito nostro minimè conducit, ideo notanda nobis altera quædam lectio est, quæ legit: *Similis factus sum Chamæleonti.* Apud Ioan Lori. ibid. Nostis vtique hanc esse Chamæleontis proprietatem, quod vicinorum sibi corporum se coloribus vestiat, ita vt cum nigro niger sit, cum rubicundo rubicundus, viridis cum viridi, & in cuiusuis alterius sibi approximantis corporis colorem se transformet. Vnde dum Christum Chamæleonti assimilari audimus: *Similis factus sum Chamæleonti*. nequaquam dubitandum est, Psalmistam suum ad hanc Chamæleontis proprietatem oculum direxisse, vt hac similitudine innueret, Deum quoque se frequenter in eam agendi nosque tractandi rationem transformare, quam nos ipsi exhibemus. *Qualem te paraueris Deo*, inquit S. Bernardus, *Talis oportet appareat tibi Deus, cum sancto sanctus erit, & cũ innocẽte innocens erit: & cum amante amans & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & cum sollicito sollicitus.* Ipse namque ad instar Chamæleontis animarum nostrarum se coloribus vestire solet: *Similis factus sum Chamæleonti.* S. Bernar. serm. 69. in Cant.

3. Vnum ex maioribus prodigiis, quæ in vniuersa scriptura sacra occurrunt, est id, quod Lucæ cap. 2. legitur. Ibi namque refertur vnigenitum Dei filium, cuius imperio non tantum eæ subiacent Creaturæ, quæ in terra, & in Inferno sunt; Verum etiã eæ quæ in cælis existunt, vna cum aliis summa cum reuerentia & humilitate genua sua flectunt, hunc inquam matris suæ imperio sese humiliter submittere voluisse. *Et descendit cum illis*, inquit S. Euangelista: *Et venit Nazareth, & erat subditus illis.* Luca 2. 5 Et quidem quod amplius est, hæc subiectio, prouti nonnulli Doctores pie sibi persuadent, erat in humilibus quibusdam domi communiter obuijs ministeriis, v. g. in ferenda de fonte in domum aqua, in ipsa domo purganda, aliisque similibus humilibus domus obsequiis. Ingens profecto fuit illhæc humilitas. Potuisset namque obsequia ista & seruitia Angelis Paradisi committere, qui illi assistebant, & ad quæuis obsequia promptissimi continuo erant, quando illa confidere noluit hominibus. Cur igitur adeo se sub simplicis cuiusdam mulieris imperio submittere voluit? Respondet S. Ambrosius: *Erat subditus illi: ipsa enim dixit: Ecce Ancilla Domini* q. d. Seruus matris suæ fieri voluit, quia Mater facta fuerat Ancilla Dei, ordinaria namque Dei proprietas est, vt se transformet in hominum actiones, seque erga illos eo modo se habeat, quo homines Deo se exhibent. Est enim Deus verus quidam Chamæleon nostris sese imbuẽs coloribus. S. Ambr. ibid.

4. Audite obsecro verba, quæ Deus per os Isaiæ prophetæ cap 28. pronuntiauit: *Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium, & noluerunt audire.* Isai 28. Circa quæ verba dubitare quis merito posset & dicere: Si is qui patitur & dolet homo est, non vero patitur Deus, Ergo homine ab hisce angustijs & ærumnis liberato, requies & refrigerium inde natum, homines, non vero alterius esse debet. Quomodo igitur Deus dicere potest, requiem & refrigerium inde secutum esse suum? Hæc requies mea, & hoc est meum refrigerium? Oleaster hanc difficultatem obseruat, eandemque resoluendo ita Deum alloquitur: *Magna est dignatio tua Domine, quia te transfers in miseros nos, cum lassis lassus es, quemadmodum egenus cum egenis, & pauper pauperibus*, quasi diceret: Oleast Atque ideo tametsi homo sit is qui ærumnosus est, Deus tamen ærumnarum illarum quas homo patitur subleuationem suum refrigerium esse dicit, idque vt persuadeat

suadeat homini se in illum esse transformatum, & cum sit afflictus cum afflictis, & pauper cum pauperibus, erit quoque subleuatus & adiutus cum illis. *Te transfers in miseros nos.*

5. Quærit S. Ælredus Abbas Quidnam dulcissimus puer Iesus in illo triduo, quo occasione adeundi templi à sanctissima matre sua perditus, & per Hierosolymam magna cum anxietate fuit quæsitus, fecerit? Et qua ratione toto illo tempore victum habere potuerit, maxime cum in Ciuitate illa nullos habuerit parentes, amicos, aut alios notos, qui illum in domum suam recepissent aut sustentassent? Dicitque: *Vt se per omnia nostra conformaret paupertati, & omnes in se humanæ miseriæ calamitates susciperet, quasi vnus de turba pauperum stipem per ostia mendicabat*, quasi dicere voluisset, Adeo pronus est Deus vt se cum hominibus conformet, vt dum seruos suos omnia quæ possidebant sui amore reliquisse, & pro vitæ suæ conseruatione frustra panis ostiatim mendicare videret, ipse quoque triduo illo in vnũ illorũ sese transformare voluerit. Atque ideo tanquã miserabilis & ab omnibus derelictus expositicius puer de domo in domum panem suum mendicãdo quæsiuit, quo diebus, illis sustentare suam vitã posset. *Vt se per omnia nostra conformaret paupertati.*

S. Erled. de Iesu puero Doden.

6. Inter plures alias eximias cælestesque doctrinas quas verbum incarnatũ Apostolis suis frequenter replicare solebat, vna erat, qua illos docebat omnem inimicis noxam condonare & remittere. Vnde Matthæi c. 6. in particulari illos hunc in modum instruebat: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet & vobis Pater cælestis delicta vestra.* Quibus in verbis manifeste liquet, Deus peccata nostra nunquam condonaturũ nobis, nisi nos prius offensas ab aduersariis nostris receptas remiserimus illis. Cur ita? Forsitan Deus in executione operũ pietatis suæ à nobis dependet, vt proinde condonare nõ possit sine præuio exemplo nostro? Dici nequaquam debet, Deum non posse remittere, sed quod non soleat id facere. *Non accipis indulgentiã*, inquit Imperfectus: *Nisi prius remiseris ipse.* Cuius ratio est, quia cum ipse erga nos diuinus quidam Chamæleon sit, qui se in nostros colores commutat & transformat, nisi nos erga illos qui nos offenderunt, pios atque benignos esse aspiciat, ipse nunquã erga nos pius erit, qui ipsum offendimus, *Non accipies indulgentiam, nisi prius remiseris ipse.*

Matt. 6. 14.

Author oper. imperf.

7. Narrat Clemens Alexandrinus Sphingem apud Ægyptios vnam fuisse ex Deorũ suorum imaginibus, atque ideo inter falsæ regionis suæ res sacras & diuinas conseruabatur. Porro quisquis nouerit Sphingem monstrũ quoddam fuisse quid in parte anteriori leonẽ, in posteriori vero corporis parte hominẽ referebat, non poterit non admirari & dicere: Ecquidnã Sphynx cũ Deo cõmune habebat, quod à populis istis pro imagine Dei sui recepta fuerit. Dices fortasse sphyngẽ per partẽ illã qua hominem repræsentabat, animal mite, humanũ, & benignũ, Dei humanitatẽ, clementiam & benignitatem repræsentare potuisse. Fateor hoc optime dicitur: At vero quidnã est in Deo quod per partẽ quæ leonẽ exprimebat, bestiã ferã truculentam, terribilẽ & vindicatiuã, quæ offensa nunquam condonat, repræsentari potuisset? Petisne quidnam? Eundem obsecro supracitatum Doctorem audite: *Forte autem quod Deum oportet amare & timere: amare quidem vt Sanctis benignum & propitium: timere autem, vt qui sit impijs iustus inexorabiliter; Fera enim simul & hominis imaginem sphinx significat.* q. d. Sphynx illa per partem hominis demonstrabat, Deum cum hominibus idest, cum personis bonis, mitibus & benignis, bonum quoque mitem & benignũ esse, cum feris autem ferum esse, id est cum hominibus sceleratis, qui haud secus ac crudelis fera quædam millenis obnoxij sunt crudelitatibus, crudelem inexorabilẽ, omnique humana pietate spoliatum, vt per hoc innuatur ipsum ad eum modum in nos transformari, quo nos cum illo agimus & non aliter. Vnde deuotus quidam author dicere non dubitauit: *Qualem conscientiam erga Deum habes, talem ipse tibi se exhibebit.* q. d. Firmiter tibi persuadeto Deum speculum tuum esse, ipsumque se in ipsissimos mores & colores ac similitudinem nostram vere transformari. Neque tibi in mentem veniat fore vt cum tu inimicus eius sis ipse tuus amicus sit futurus, sed credas oportet ipsum amicum esse amicorum suo-

Clemens Alexand. lib 6. Strom.

Auc. vie Salut. ater cap. 2.

suorum inimicorum suorum autem esse inimicum.

8. S. Bernardinus de Senis examen illud, quod Iudex ille ter maximus in iudicio vniuersali facturus est circa reprobos, examinat; vidensque illum de nulla alia re, quam de operum misericordiæ defectibus quæstionem instituere, quærit: Quid est, quod cum Christiani omnium virtutum exercitiis operam dare, omniaque diuina præcepta obseruare teneantur, in illo tamen rigidissimi iudicij die de solo operum Charitatis defectu, & neglectu Eleemosynæ examinandi dicantur. Et rationem assignat: *Ad demonstrandum quod nihil ita prouocat Deum ad rigorem iustitiæ, & ad inferendum pœnam, vt ita dicam crudelem, sicut ipsa impietas, & defectus pietatis:* quasi diceret: Deus ideo reprobos de solo conuincet operum Christianæ pietatis defectu, quia scilicet in horribili illo die Deus totius mundi oculis vult causam exponere: cur ex tam benigno & pio, qualis ex naturali sua inclinatione esse dignoscitur, erga reprobos in tam crudelem & truculentum sit transformatus. Vt hac ratione vnusquisque intelligat, reproborum crudelitatem ipsum quoque effecisse crudelem; Deus enim cum hominibus eodem modo transformatur, quo ipsi se erga eum exhibent. Cum igitur reprobi se erga pauperes crudeles exhibuerint, qui Dei in terris personam expresse referunt: Deus ipsorum in se recipiet imaginem, quem proinde crudelem, ferum & inexorabilem experientur.

S. Bern. de iudic. vniu. ar. 2. q. 5.

9. Inter alia quæ Moysi Deus in mensa tabernaculi ponenda præceperat, erant quoque panes propositionis. *Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* Pagninus vertit: *Dabis super mensam panem facierum coram me semper.* Circa quem locum Oleaster rationem inquirit, ob quam sancti panes isti, panes facierum sint appellati: *Panes facierum.* Et dicit: Eos nomen hoc ideo sortitos fuisse, quod coram facie diuina semper debebant esse expositi: *Videtur dici facierum, quod coram Domino seu eius facie semper essent.* Verum enimuero quod si hæc ratio subsistit, panes illi vocandi erant Panes faciei in numero singulari, non vero facierum in numero plurali. Deus enim non plures sed vnicam tantum faciem habet, prout David dicebat: *Faciem tuam Domine requiram.* Cur igitur nominabantur multarum facierum *Panem facierum*: Respondeo quod tametsi verum sit Deum vnicam tantum faciem habere; quia tamen illa semper eadem esse non solet, ideo multas habere dicitur. Iustis enim alijsque seruis suis benignam, piam, clementem exhibet, qualem Propheta postulabat: reprobis autem & peruersis hominibus aliam quandam horribilem & tremendam obijcit, quã idem Dauid adhuc peccator existens nulla ratione videre sustinebat, dicens: *Auerte faciem tuam à peccatis meis,* qualis illis hominibus crudelibus demonstrabitur qui quod ad æterna condemnati sint incendia ad sinistram Iudicis collocabuntur. Deus enim cum hominibus in eundem modum se transformabit, quo homines futuri sunt erga Deum, cum pijs & benignis pius erit & benignus, cum feris autem & crudelibus, ferus & crudelis.

Exod. 25. 3.

Transl. Pagnini.

Oleast. ibi.

Psal. 26.

Psal. 50.

10. Nescio num verba illa Dauidis, quibus Deum dormientem describit, aliquando attenderitis. Dicit enim: *Exurge quare obdormis Domine, exurge.* Credo vtique quod hæc audientes admirabimi, atque dicetis: Ecquando Deus ad instar hominũ lecto se commisit, vt proinde Propheta suus dicat quod dormiat & quiescat, ipsumque vt expergiscatur fortiter excitat? At vero hic loquendi modus nequaquam vobis nouus & peregrinus esse videatur, inquit S. Basilius; quia tametsi verum sit, quod Deus vtpote somno nequaquam indigens, nunquam dormiat, eodem Dauide alibi dicente: *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel.* Nihilominus quotiescunque nos ex vna parte eius obsequia & seruitia nihili curantes otiosi sumus & dormimus, Deus ex parte altera auxiliis suis nos prorsus indignos æstimans dormire quoque dicitur: *Idcirco dormitantibus nobis & pigre agentibus dormire dicitur Deus: indignos nos eius erga nos custodia.* Deus enim nobiscum transformatur, & quales nos

Psalm. 24.

Psal. 120.

S. Basil. psal. 29.

nos in seruitijs suis erimus, talis quoque ipse erga nos esse solet. Vnde sicut ipse nobis vigilantibus vigilare dicitur, ita dormire dicitur, quando nos dormimus. Estque admirabilis quidam Chamæleon qui in nostros semper transformatur colores.

11. Magister Historiæ scholasticæ tot innocentum puerorum quos Herodes vt inter illos diuinum puerum Iesum caperet & occideret, stragem horrendam considerans quærit quam ob causam Herodes tam copiosum effundere sanguinem totque infantes occidere voluerit, quando eum quem inter omnes solum quærebant ad necem singulari arte & industria adhibita facile solum inuenire poterat? Et dicit: *Timebat pueri Metamorphosin, idest, commutationem. Ne scilicet puer cui sydera famulabantur, supra ætatem suam vel infra faciem suam transformaret.* q. d. Quia aduersarium diuinum quendam infantem esse ex stellis illi ad nutum inseruientibus cognoscebat, ideo metuit ne vt manus eius euaderet in alium se transformaret faciendo se maiorem aut minorem, aut aliam exhibendo faciem ab ea quam infantilis illi ætas dare poterat. Neque in hac suspicione sua multum aberrauit, nam & dicit Origenes Christus postquam creuisset atque adultior factus esset: *Vnicuique apparebat secundum quod fuerat dignus, & cum fuisset ipse, quasi non ipse omnibus videbatur.* Vnde affirmare oportet quod hominibus virtuosis & iustis quales erant Apostoli faciem lætam & tranquillam exhibuerit: alijs vero qui sordibus peccatorum erant inquinati, quales Scribæ & Pharisæi erant, vultum obijciebat formidabilem & terribilem; Et sic ordinarie iuxta cuiuslibet meritum vultum suum continuo mutauit & transformauit.

Petr. Comestor in Euang. cap. 11.

Orig. tr. 35. in Matth.

12. Vbi nos in Ecclesiastico legimus: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit,* S. Bernardus legit: *Oratio iusti cælos penetrat.* Et obseruat eo loco non de cuiuslibet hominis oratione sermonem esse, sed solum de oratione iusti. *Oratio inquam non cuiuslibet sed iusti.* Adeo vt sola iusti oratio non vero ea quæ à peccatore effunditur in cœlos pertingere dicatur. Cuius ratio est, quia sicut Deus ad iustorum preces aures præbet apertas, ita ijs quæ à peccatoribus funduntur aures semper obturatas & clausas exhibet. Quænam autem est huius rei causa? Causa hæc est, quia eodem modo Deus est nobiscum, quo nos cum ipso sumus; Et quia iusti aures suas præceptis suis aperiunt, peccatores autem suas ijsdem claudunt, ideo illorum orationes audit, ad horum orationes econtra surdus semper perseuerans. Vnde S. & mellifluus Abbas dicit: *Nam qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis porro si iustus esse volueris, & non auertere aurem tuam à mandatis Domini, ne auertet ipse aurem suam à precibus tuis.*

Eccl. 35. 21.

Serm. 3. in Epiph.

Psal. 50.

13. S. Gregorius Magnus opinatur Dauidem dicentem in Psalm. 50. *Redde mihi lætitiam salutaris tui,* de Promissione à Deo sibi de generatione Saluatoris mundi facta tractasse, hic enim prout i psi prædictum fuerat ex lumbis eius processurus erat: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hanc autem promissionem lætitiam *salutaris tui* vocat, eximiam namque promissio hæc Prophetæ *lætitiam* attulit, intelligenti futurum esse vt verus & naturalis Filij Dei pater fiat, verum obseruate obsecro Prophetam in hisce verbis Deo diceret *Redde mihi,* quasi Deus post factam illi tanti domi promissionem, idem illud ei postea negasset, ac proinde Dauid tantam iacturam timens, rogaret vt primæ fidei data memor esse eandemque opere complere vellet. At vero qua ratione fieri poterat, vt Dauid de promissa sibi gratia dubitaret, quando Deus hanc illi ipsissimo ore suo concesserat? Idipsum à sancto præfato Pontifice his verbis explicatur: *Lætabatur Propheta de aduentu filij Dei, antequam peccaret; & certus quod de suo nascituros erat semine, antequam laberetur gaudebat. Sed postquam vxoris Vriæ amore deceptus modum in peccando non habuit, ne sibi Deus hoc offensus subtraheret, quod ante placatus promiserat formidauit.* q. d. Quia Dauid lætam iucundamque diuini Filij promissionem, sibi à Deo eo tempore quo sanctus & innocens erat factam fuisse nouerat, ideo factus postea peccator ne Deus promissionem factam retractaret, timebat. Iam enim sciebat, Deum se talem exhibere hominibus, quales se homines illi exhibere solent. Et sicut dum homines ad factam Deo de præceptorum

Psal. 131. 11.

S. Greg. in psal. pœn.

rum suorum obseruantia promissionem attendunt, in suoque se seruitio continent, ipse quoque fidem illis de præstandis & concedendis diuinis fauoribus suis datam liberat, ipsosque in gratia conseruat. Ita è contrario, dum homines illi id ad quod tantopore obligati erant, denegant, ipse quoque sua promissa retractat. Deus enim vere Chamæleon quidam est, qui in nostros sese colores transformat, sicut in præsenti Euangelio videre licet, vbi *peregrinis in fide peregrinus apparuit.*

CONSIDERATIO. II.

Estis tristes.

Incredibile amoris incendium quod in Christi pro nobis patientis ardebat pectore efficiebat, vt pœnas ac tormenta haud secus ac rem quandam omni iubilo ac lætitia plenam adoriretur.

1. IGnis amoris qui in fornace pectoris filij Dei versus humanum genus viuus semper permansit adeo fuit ingens & vehemens, vt extrinsecus in facie manifestatus legi ab omnibus potuerit. Quod aduertens sponsa quasi illum in facie ardentē vidisset & inflammatū, rubicundum illum esse dixit: *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Cuius rei egregium in hodierno Euangelio argumentū habemus, vbi dicitur, quod Christus duos ex discipulis suis de amara & probrosissima passione sua loquentes tristes & afflictos esse videns, non mediocriter admiratus illos interrogauerit dicens: *Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem & estis tristes?* Nec immerito hanc illis Quæstionem proposuit; immensus enim amor qui illum mortis tormentis subiugauerat, effecit, vt tormenta quibus afficiebatur gustui suo nequaquam viderentur esse obiectum doloris & tristitiæ, quomodo alijs repræsentabantur, sed potius causa iucunditatis & lætitiæ prout mox videbimus.

2. S. Augustinus considerans excessum illum, de quo Moyses & Elias tempore gloriosæ Transfigurationis Christi inter se tractabant, vti S. Lucas refert. *Dicebant excessum* Luc. 9. 31. *eius*, alium non esse, quam quendam opprobriorum, pœnarum, dolorum, iniuriarū excessum, quē Christus Dominus noster tanta cum patientia in cruce toleraturus erat, vehementer admiratus quærit: *Haeccine sunt sublimia obsecro illa, ac læta colloquia, quæ huic tantæ solemnitati conueniebant: hac sermonis materia inter tot gaudia miscenda erat?* q. d. Sermones loco & tempori semper proportionati esse debent, vnde cum tam locus quā tempus meram hic spirent lætitiam & iucunditatem, ac proinde colloquij huius materia iucunda & ad hilaritatem oportuna esse debuerit, quî fit quod in hoc loco & tempore de tam tristi ac funesta materia, cruce videlicet & morte sermones miscuerint. Sed ecce dubio huic elegantem subnectit respōsionem dicens: *Domino Saluatori, quæ materia loquendi gratior, quam de salute & redemptione mundi tractare,* q. d. Quia Christus maiorem recreationem aut gaudium habere non poterat quā erat illud quod tractando de tormentis quibus in sua passione pro mundi redemptione afficiendus erat, aut de ijs tractantes audiendo percipiebat, ideo in ipsis Transfigurationis suæ festiuis gaudijs pro maiori gaudij & recreationis suæ incremēto, & corde eius magis magisque exhilarando, de simili materia cœlites eius aulici sermones inter se miscere cœperunt. Amor enim quo nos, pro quorum salute tantis subijci debuit doloribus, prosequebatur, efficiebat, vt tormenta illa non velut tristitiæ obiecta, qualia reuera erant, appræhenderet, sed veluti materiam iubilo & lætitia dignissimā. *Domino Saluatori quæ materia gratior quā de salute & redemptione mundi tractare.*

S. Augusti. de quinque hæresib. cap. 7.

S. Augusti. ibid.

3. Postquam Iudas tractaturus cum Hebræis, & proposita sibi traditionis Christi aliquod apud illos facturus exordium, à diuino Magistro suo, cœterisque Apostolis recessisset, Christus ad discipulos suos conuersus illis dixit: Vere iam dicere possum me hodie vno quasi pede pertigisse in Paradisum: *Nunc glorificatus est filius hominis* Verba Ioan. 13. 31. ista S. Bernardus obseruat, & quærit? Quî fit Transla. Syr. quod dum Christus vno pede in verū quendam infernū ingressus esset (tale enim nomē amara passio sua ob incredibiles & inauditos dolores sibi meretur) ille nihilominus se paradisum ingressum esse dicat? videretur

longe

longe rationabilius fuisse locutus, si loco verborum illorum *Nunc glorificatus est filius hominis* diceret nunc filius hominis afflictus est, factusq; est opprobrium hominum, vnius mundi scopus in quem directa sunt omnia passionis instrumenta infinitiq; dolores quos paulo post experturus erat. Paulo post tamẽ considerationẽ suam in amorem illum, vi cuius in profundum adeo amarumq; pelagus demergendus erat, deflectens, aliter hac de re loquitur, & dicit: *Gaudet, tripudiat, lætatur & exultat, & ait: Nunc clarificatus est filius hominis. Christus enim Deus noster pro nihilo, imo pro gaudio mortem ducebat, per quam nos à morte perpetua liberaret.* q. d. Quia Dominus nostri amantissimus, Iuda ad dandum aliquod horrendæ proditioni suæ exordium egresso, intellexit, dilectos filios suos per probrosam mortem suam, cuius mox præda futurus erat, ab æternæ mortis indissolubili nodo, & Dæmonis antiquo iugo liberãdos esse, non tantum illud amarissimæ mortis genus pro nihilo duxit, verũ insuper acceptauit eandem tanquam rem tanto gaudio ac cordis iubilo refertam, vt ob illam sibi visus fuerit ingressus Paradisum, dixeritque: *Nunc glorificatus est filius hominis.*

S. Bernard. ser. in Can. Do.

4. Num forte causam mihi explicare nosti, ob quam Christus ciuitatẽ Ierosolymitaná tanta cũ gloria totiusq; populi applausu ingredi voluerit, cum quanta hucusque nullus alibi ingressus fuisse legitur? Non nescio sacros Expositores varias noui huius triumphi assignare rationes; in præsenti autem sufficiet ratio illa, quam nostro proposito valde consonam os aureũ Chrysost. adfert: *Ideo* inquit, *cum tanta gloria est ingressus, vt amplius eorum aduersus se excitaret inuidiam, quia iam tempus passionis instabat, & non mors eum vrgebat, cum ipse magis aduersus se compellat mortem.* q. d. Quia Christus ex vna parte tempus dolorosissimæ mortis suæ appulisse videbat, ex altera vero sciebat Hebræos quidem inter se de sui captura consiliari, nec tamen à morte vllam sibi in Crucem affigendo & occidendo vim inferri, ingeniosam hãc nobilis huius triumphi inuentionẽ adinuenit. Vt hac ratione inuidi Hebræi tantam sibi in subdito illis populo gloriam acquisitã esse videntes, tantumque illi exhibitum honorem ob conceptam aduersus ipsum furoris rabiem sufferre non valentes, pessima sua consilia, quæ iam à tribus integris annis aduersus eum fuerant machinati, tanto maiori cum sollicitudine executioni mandarent, vti postea reapse factum est, quando per hãc triumphi sui occasionem inimici sui lacessiti illum capere, tormentis subijcere, atque Cruci affixum vita priuare festinarunt. Id quod manifestum fuit ardentissimæ sitis suæ argumentum, quam habebat ad mortis ebibẽdum calicem, vtpote qui ab ipso non velut amaritudinis & doloris obiectum, quale reuera erat, æstimabatur, sed appetebatur tãquam omni suauitate & dulcedine plenissimus. Id quod necessario dici debet, nam nisi calix passionis suæ talis fuisset, non fuisset tanto cum desiderio & auiditate ab illo quæsitus & acceptatus.

S. Ioan. Chrys. hõ. 37. in Mat.

5. Verba illa sponsæ cap. 3. Canticorũ quibus filias Ierusalem inuitabat, vt egredientes mysticum Salomonem in die desponsationis suæ & in die lætitiæ cordis sui ab impia matre sua Synagoga coronatum viderẽt: *Egredimini & videte filiæ Syon Regem Salomonẽ in diademate quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*; ab Aponio antiquissimo scriptore de die in qua Christus Cruci affixus mortuus est, intelliguntur, quando caput eius horrenda Corona spinea ab Hebræis transfixum fuit. Et quidem si hoc sensu verba illa intelligẽda sunt, cur dies ille vocatur dies nuptiarum & lætitiæ, cũ potius dies tenebrarũ, lachrymarũ & doloris appellari meruisset, in quo non homines duntaxat & Apostoli Orphani planxerunt, verum ipsa quoque insensibilia elementa suum exprimere dolorem non neglexerunt. Respondet hic Doctor: *Lugebant elementa in patibulo condemnatum, sed lætabatur qui pependit, quoniam mors pendentis omnibus credentibus vitam & gaudium adportauit*, quasi dicere voluisset: Attendendũ bene est quod sponsa diem Passionis Christi diem nuptiarum & lætitiæ appellans ad cordis sui affectũ solum respexerit, nõ vero ad corda aliorum, vnde nõ dicit absolute: *In die desponsationis & lætitiæ cordis*, sed *in die desponsationis illius, & lætitiæ cordis eius*. Quantumuis enim alijs dies ille dies doloris & planctus extiterit, ipsi tamen ob amorem quo eos pro quibus mortem appetebat, prosequebatur, dies erat nuptiarum & lætitiæ. Vnde verbo

Cant. 3. Ho.

Aponi. ibi.

eodemque tempore quo omnia vsque ad ipsas durissimas petras propter ipsum in Cruce morientem dolebant nuptialibusque thalamis sibi interesse videbatur: *Lætabatur qui pependit.* Atque ideo S. Cyrillus dicit: *Omnia sustinuit quæ Iudæorum excogitare pervicacia potuit, ne vnquam sputis dedecoratus, verbis derisus, verberibus cæsus, & tandem patibulo affixus, vllo mœrore affectus fuit, sed decenti semper gaudio plenus, illa opprobria delitias sibi esse putabat.*

S. Cyrill. lib. 10. c. 21. in Isai.

6. Quando rabidi & furentes Iudæorum carnifices, duce discipulo traditore horto vicini erant, vt mansuetissimum Iesum caperent, ipse discipulos quos secum habebat sopore appressos excitabat, vt lictoribus hisce vna cum ipso obviam procedere dicebatque: *Venit hora, ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum; surgite eamus, ecce qui me tradet prope est* q. d. Non jam deinceps dormiendi sed patiendi & moriendi tempus est; Vigilate itaque & vna mecum carnificibus obviam procedite, vt ab illis liger & ad mortis tormenta perducar. Verũ enimvero quid est, quod cum æque bene in loco illo vbi degebat & loquebatur cum suis capi à lictoribus posset, quam si illis obviam procederet, illos non potius in loco vbi orabat illos præstolabatur. Quæstionem hanc Venerabilis Haymo Halberstadiensis Antistes movet & dicit illum lictoribus processisse obviam: *Vt confidentia & gaudium passuri videant.* Quia enim facile sibi quis persuadere potuisset ipsos abire vt hominem ad capturam valde invitum & reluctantem quique non nisi tristi afflictoque corde illorum se manibus cederet, interciperent, hinc vltro citroque illorum se manibus offerre debuit, vt hac ratione alacritatem qua passionis suæ horam non quasi jam passurus & moriturus, sed quasi tripudiaturus, operiebatur propriis oculis suis cernerent. *Vt confidentiam & gaudium passuri videant.*

Matt. 14. 42.

Haymo. Fer. 3. palmar.

7. Audite quid incarnata Dei sapientia Proverb. cap. 8. de semetipsa pronuntiet *Cum eo enim cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* q. d. Quando in Paradiso in conspectu eram Patris mei æterni, simulque cum ipso fabricabam orbem, quasi semper ludens talibus perfruebar delitiis, quæ mortalibus auribus explicari nequaquam possunt: Easdem quoque delicias gustare merui, quando deinceps in terram descendens cum hominibus perpetim fui, vnde Paradisum commutasse potius quam dereliquisse videbar. Verum quid dicis ô dulcissime Domine? Quod si eo tempore quo nobiscum in terra conversatus fuisti, continuarum afflictionum meta, meri doloris objectum opprobriorum aliarumque infinitarum miseriarum scopus fuisti, prouti in morte tua clare videtur quomodo te lusisse & paradisi delitiis fruitum fuisse affirmare potes? contrarium verius scilicet, te hic in terra haud secus ac in terribili quodam inferno positum extitisse S. Antonius de Padua respondet & dicit ea quæ à nobis inferni æstimantur dolores à Christo Paradisi ludos & recreationes æstimari, quo nomine ipsemet ea indigitat. *Filius ludebat coram Patre, cum à Discipulo tradebatur, ad columnam ligatus flagellabatur, cum ab Herode illudebatur, cum spinis coronabatur, ludebat cum exiret bajulans sibi Crucem.* Idque in virtute amoris illius accidit, quo erga illos flagrabat pro quibus crudeliter adeo dignatus est pati, hic enim amor conferendi dulcedinem nam vt S. Bernardus dicit. *Vbi amor est, labor non est, sed sapor.* Porro Guilielmus Parisiensis subjungit, quod si in ipsomet etiam inferno aliquem amor locum habere posset, fore vt ejus tormenta tali amore imbutis delectabilia essent atque iucunda: *Delectabile atque iucundum facit amor amarum, quantumcunque amarum vel molestum. Sic etiam vt si infernus amaretur dulcis & delectabilis esset.* Vnde nemini mirum esse videatur quod amantissimus Deus Passionis suæ infernum judicaverit vere esse Paradisum, illam namque amor ab omni innata acerbitate purgaverat, & nectare & ambrosia repleverat. Ob hanc eandem causam Christus passionem suam calicis nomine appellare solebat, vtpote quam non amaram & acerbam sed dulcem & suavem potum esse reputabat. *Nomine Calicis*, inquit S. Basilius Magnus *indicavit mortem, quam pro mundi salute suscepit, supplicis a requiem & refectionem animæ & corporis, non dolores ducens.*

Proverb. 8. 30.

S. Ant. Padu. ser. Dom. 2. Epiph.

S. Bern. serm. 8. Cant.

Guiliel. Parif.

S. Basil. Psal. 11

8. Fa-

Fabulantur Poëtæ Proserpinam certæ cujusdam injuriæ à Venere receptæ memorem, cum de sua se inimica vindicare non posse videret, atque ex improviso Amori Veneris filio obvia fieret, eundem in Myrto quadam Crucifixisse, qui proinde pœnam à matre promeritam luere debuit:

Auson. lib. 1.

Eligitur mœsto myrtus notissima luco
Hujus in excelso suspensum stipite amorem
Devictũ post terga manus substrictaque plantis
Vincula merentem, nullo moderamine pœnæ
Affligunt &c.

Sicque amorem in Cruce mori necessum fuit. Sed quid nobis cum Poëtis figmentis & somniis negotii intercedit; quando Christum Iesum amorem nostrum vulneratum, lividum & in Crucis arbore mortuum habemus? *Amor meus Crucifixus est*, inquit S. Ignatius Martyr. Et quod plus proposito præsenti deservit illa Crucis arbor Myrtus quædam fuit: Id quod ex visione Zachariæ prophetæ libri sui capite primo descripta clare liquet, vbi dicit vidisse virum quendã spectabilem equo ruso insidentem, stantemque media inter myrteta. *Et ecce vir ascendens super equum rufum, & iste stabat inter myrteta.* Per quem virum Rupertus Abbas Christum intelligit, per equum autem rufum divinum ejus corpus, eodem suo pretioso sanguine tinctum & rubricatum: *Vir enim ille ipse est Dominus propter passionis suæ Sanguinem rufus.* Et hoc quidem tempore inter myrteta stabat: Stabat inter myrteta, quia veluti quidam amor cœlestis in ligno Crucis per myrtum significatæ confixus erat. Verum enimvero cur Christus Cruci affixus, arbori myrtho non vero Cypressus affixus dicitur, cum tamen ex mente & opinione nonnullorum vna pars Crucis ex Cypresso formata fuerit? Pro hujus intelligentia sciendum est, quod sicut Cypressus arbor est lugubris sive luctui deserviens vnde feretrorum dedicata est ornamentis, ita myrtus arbor læta sit atque festiva, ideoque vt S. Hieronymus circa hunc locum notat: Romanis Imperatoribus serviebat pro publico lætitiæ signo in illorum triumphis. Et nos quoque hisce nostris temporibus, pro festis & gaudiis nostris celebrandis frondes eiusdem adhibemus. Amor igitur noster Christus Iesus in Cruce suspensus myrto non vero Cypresso confixus esse dicitur: *Stabat inter myrteta*, ut lætitia illa explicetur qua in horribili passionis suæ tormento cor suum fruebatur, quasi Crux sua non ex Cypresso saltem secundum aliquam sui partem fuisset formata, id est illum non afflixisset, aut ad eum modum quo alios homines Crucifixos cruciasset, sed ex myrtho fuisset erecta id est, quasi festivo quodam jubilo & triumpho, nova quadam consolatione pleno illum affecisset: *Stabat inter myrteta.*

S. Ignat. Martyr.

Zach. 1. 8.

Rupert. Abbas ib.

S. Hieron.

Magist. Histor. Scholast. in Evang. c. 172.

9. Mox vt Christus in crucem conscendens amatam & desideratam oviculam, quam tantis cum laboribus per vias asperas atque difficiles triginta trium annorum spatio cõtinuo quæsiverat, invenisset, convocatis Angelis suis dixit illis: *Congratulamini mihi quia inveni ovem meam quæ perierat.* Locum istum obsecro diligenter attendite, & observate, quod non dicat: *Reperi ovem* sed *Inveni ovem*, cum tamen merito dicere debuisset *Reperi*, non vero *Inveni*. Magna enim inter duo verba ista intercedit differentia. Verum quidem est quod vtrumque verbum significet *invenire*, attamen invenire proprie acceptũ significat rem nunquam hactenus quæsitam invenire. *Reperire* autem significat rem aliquam extraordinaria, difficili & laboriosa inquisitione prævia invenire, diciturque *Reperire à pario. Parere enim est cum labore quærere.* Ad significandum quod cum maximo dolore quasi cum partus doloribus inveniatur, vti ex Grammaticis non nemo apud Alexandrum Neapolitanum opinatur. Cum igitur Christus per inquisitionem adeo laboriosam, & veluti ille dicebat cum propriis partus doloribus, denique per probrosissimam *Crucis* mortem Animæ nostræ oviculam repererit, eandemque in salvum & securum locum statuerit, cur dicere voluit, *Inveni ovem meam*, quasi casualiter, fortuito & sine vllo adhibito labore eandem invenisset? S. Bernardinus ad hanc se difficultatem reflexit, divineque eandem resolvit dicens: *Reputat inventionem, quasi nihil æstimans, quidquid dedit pro ejus inventione; & in hoc ostendit immensum amorem, quem habuit erga hominem.* Immensus enim amor quo amantissimus *Deus* affligebatur & torquebatur vt nos reinveniret atque è Diabolico jugo ereptos

Luca. 15. 6.

Alexand. ab Alexand. Dier. Genial. lib. 1. c. 21.

S. Bernardin. Fer. 2. Dom. Olivar. serm. 51. ante art. 1.

acceptos in cælum reponeret efficiebat, vt labores & dolores minime tanquam labores & dolores, sed potius veluti gaudia & triumphi æstimarentur. Atque ideo quasi nunquam laborasset aut doluisset casualiter & mere fortuito se illam inuenisse dicit *Ostendit immensum amorem, quem habuit erga hominem.*

10. Ob eandem causam factum est, quod post gloriosam Resurrectionē Mariæ Magdalenæ mortem suam inconsolabiliter plāgenti obuius factus dixerit: *Mulier quid ploras?* Pulchra certe quæstio fuit ista, inquit Origenes: *Cur interrogas eam, quid ploras? Ipsa paulo ante coram oculis suis cum magno dolore cordis sui viderat spem suam in ligno, & tu nunc dicis quid ploras? Ipsa tertia die viderat manus tuas, quibus sæpe benedicta fuerat, pedes tuos quos deosculata fuerat & quos rigauerat, in Cruce clauis affixos & tu nunc dicis, quid ploras?* Verum enimuero quisquis admirabilem amoris considerauerit proprietatem, quæ Seneca affirmante talis est, vt qui amat omnes alios eodem modo stultescere existimet, quo ipse stultescit: *Omnis affectus habet, vt in eo in quo ipse insanit, in idem putet alios insanire,* amantissimo Domino nostro merito compatietur, hancque suam Magdalenæ propositam interpretationem benignius interpretabitur. Ipse namque ob amoris quo cor eius flagrabat, magnitudinem certo quodam modo insaniebat amarumque tormentorum velut dulce appræhendebat, ignominiā æstimabat gloriam, dolorem gaudium & lætitiam, & sic de alijs vnde quando postea vidit Mariam Magdalenam de eo contristari & flere, de quo ipse lætabatur, idipsum veluti peregrinum quid omnique admiratione dignum esse iudicabat, ideoq; interrogabat illam dicens: *Mulier quid ploras?* Ad eundem fere modum quo cum duobus hisce discipulis fecit, quos ob sua passionis tolerata tormenta tristes & dolentes videns, interrogauit: *Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem & estis tristes?*

Ioan. 20. 15.
Orig hom. 10. de Diuersis.
Senec. de Prouid.

CONSIDERATIO III.

Potens in opere & sermone.

Quanto cum desiderio & auiditate à nobis verba diuina excipi & audiri debeant, vtpote quæ instrumenta sunt maximorum bonorum, quæ in hac vita possunt desiderari.

1. MErito Philo Hebræus manna verbi Dei expressum symbolum esse opinatur, sicut enim manna omnis generis delectamenta quibus Hebræi frui desiderabant in se complectebatur: Ita quoque verbum Dei omnia secum bona adfert, quæ homo iustus desiderare in hoc mundo potest, præter ea quorum fruitionem in cælis expectat. Vnde Christus non in operibus tantum dictus est Omnipotens, sed etiam in verbis: *Vir potens in opere & sermone.* Nam eo ipso quo os suum duntaxat aperiebat, dabat panem famelicis, infirmis medicinam, lumen cæcis, exaltat humiles, recreat mæstos & afflictos. Vnde liquet quanto cum desiderio & auiditate excipi & audiri à nobis debeat verbum Dei, quando in illo tanta bona, quæ passim in hac vita desiderantur, inuenire licet.

Philo Hebra. de i...gis Alleg. lib. 2.

2. Rupertus Abbas pulchre obseruat Moysen Diuini exercitus ducem & Capitaneum quadraginta diebus & quadraginta noctibus continuis sine vllo cibo & potu fuisse commoratum. Sciens autem impossibile esse naturaliter vt homo aliquis victu siue alimonia consueta destitutus vitam suā vltra septimum diem traducere possit, interrogat qua ratione Moysi possibile fuerit, vt vitam suam tam longo tempore continuare potuerit absque eo quod deficientes corporis vires per nutrimentū ordinariū restaurarit, nec tamen defecerit aut mortuus conciderit? Tandē vero post longam disquisitionem depræhendit, quod licet Moyses in monte Sinai vulgari & vsuali pane destitutus fuerit aliū tamen panem quendam habuerit, qui panis terreni defectum admirabili cum incremento suppleuit, fuitque vnicum Dei verbum quod Deus adueniente die septimo illi dixit, eodemmet Moyse idipsum referente: *Septimo autem die vocauit eum Dominus de medio caliginis.*

Exod. 24. 10.

Quando Deus, inquit Venerabilis Abbas diem septimum à quo Moyses non manducauerat, appropinquare vidit, sciens quod vltra tempus istud ordinario victu suo priuatus sine manifesto vitæ periculo, vitam suam sustinere diutius non posset, mox illū ne mori cogeretur aduocauit. Vocauit eum illoq; vocationis factæ verbo panis loco ad sui nutrimentum est vsus. Cum quo verbo illum

illum non solum eo tempore quod ex quadraginta diebus supererat saturum conseruauit, verum etiam omni illum re ad humanam vitam necessaria fecit abundare: *Nisi septimo illum die Dominus vocasset, natura hominis in semetipsa in breui penitus aruisset, vocauit ergo illum de medio caliginis, cuius vox suauis, ac super mel & fauum est dulcis, & vocatione sua sic inopem Naturam ditauit, vt vsque ad quadragesimum diem, non solum cibi & potus, sed etiam totius humanæ conditionis posset obliuisci.* Qua in re Deus admirabilem verbi sui virtutem indicare voluit, nimirum quod cum verba aliorum præter aërem & ventum nihil omnino sint, verba sua non solum solidus sint animæ pastus, verum etiam haud secus ac panis cibus sint & nutrimentũ corporis. *Vocatione sua inopem Naturam ditauit.*

Rupert. Abb in Exod. lib. 3. c. 45.

3. Cum Christus Dominus noster in loco quodam deserto, ingentem quandam variarum personarum multitudinem in consortio suo habens commoraretur, Apostoli horam serotinam sensim appropinquare omnesque ieiunos adhuc esse videntes, reuerenter illum accesserunt, rogaruntque vt hominibus illis victum sibi congruum cõparandi impertiretur licentiam: *Vespere autẽ facto accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Desertus est locus, & hora iam præteriit, dimitte turbas, vt eant in castella & emant sibi escas.* Abulensis hunc locum ponderans obseruat, quod licet dies sensim in vesperam totaliter declinaret, nullus tamen ex tot hominũ, qui cum Christo erant, millibus cibum sibi procurandi licentiam petierit, sed opus fuerit, vt ieiunis illorum stomachis compatientes Apostoli licentiam pro illis exposcerent: Vnde quærit: Quid est quod cum omnes homines passim prandij, vel cœnæ hora appropinquante quocunque negotio, in quo occupantur, relicto, de victu procurando, & præparando solliciti existant, mensæque accumbant, hi tamen, licet toto die ieiuni remanserint, ne quidem vespera approximante, de poscenda à Christo licentia panes procurandi, cœnæque accumbendi meminerint? Diuineque respondet: *Quia erit potentia in verbis Christi; poterat enim loquendo consolari hominem, & conseruare sine cibo. Si enim Moyses in consortio diuini sermonis mansit bis quadraginta diebus, & non grauabatur, sed potius induerat facies eius quendam diuinum fulgorem ex isto consortio Domini poterat Christus, qui ipsemet Deus erat sic hominem consolari & loquendo sine cibo conseruare.* q.d. Quia toto illo die turbæ istæ diuina incarnatæ sapientiæ verba audierant ideo ob admirabilem diuini verbi virtutem, opus est affirmare, illos nullam famis sensisse molestiã, atque hæc causa est cur cibos comparandi licentiam non expetiuerint. Quando enim Deus loquitur, vnico & solo verbo & animam recreat & nutrit corpus, quod per experientiam in Moyse discimus quadraginta illis diebus, quibus in Sinai monte fuit commoratus. Ingentis sane virtutis est hoc Dei verbum, quia cum omnia alia verba ventrẽ ieiunum supra modum affligere soleant, illud eum consolatur, recreat & pane veluti adimplet, idque vt vult S. Ambrosius tanta cum efficacia facit, vt aliam panem nequaquam desideret: *Quisquis verbo Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit: nec enim potest panem sæculi cupere, qui pane reficitur Saluatoris.*

Matt. 14. 15.

Tostat. ibi. q. 68.

S. Ambros. serm. 37.

4. Deus Malachiæ cap. 4. postquam Incarnationem vnigeniti filij sui promisisset, mundo quoque reuelare voluit modum quo inter homines postea conuersatus infirmitates illorum esset curaturus: Vnde dicebat: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol Iustitiæ & sanitas in pennis eius.* q.d. Ipse haud secus ac sol quidam inter nos nascetur, sanitatemque nostram in pennis suis ad nos portabit, idest, in radiis suis, qui sunt veluti pẽnæ solem ornantes & circumdantes, inter quos Christus instar solis resplendebat. Quidnam intelligitur per pennas istas quæ in Christo veluti lucidissimi quidam solis radij emicabant? Verba vtique diuina per illas intelliguntur, hæc enim velut fulgidissimi radiij ex eius ore egrediebantur, sicut illa duo illi fælices discipuli eo tempore emanare viderant, quando cum ipsis loquebatur in via, nam vt S. Laurentius Iustinianus dicit: *De ipsius ore quidam spiritualis intelligentiæ radij emicabant.*

Malach. 4. 4.

Beat. Laurent. Iusti. de agon. c. 25.

Quando igitur Deus dicit, vnigenitum filium suum in suo in hunc mundum aduentu sanitatem hominibus in radiis suis, idest, in verbis suis allaturum esse, admirabilem prorsus verborum suorũ indicare virtutem vo-

voluit, atque ostendere quod verba sua non solũ panem famelicis, vti diximus, verum etiam sanitatem allatura essent infirmis: *Et sanitas in pennis eius.* d quod sancta Agatha virgo & Martyr gloriosissima non ignorabat, quando S. Petro in carcere sibi vt mammillas sanaret præcisas apparenti dixit: *Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui, sed habeo Dominum Iesum Christum, qui solo sermone restaurat vniuersa.* Breuiar. Roman. 5. Februa.

5. Est specialis quidam in S. Luca locus, qui adductam scripturam admirabiliter cõfirmat, quem velim obseruetis. In hoc igitur loco dicitur quod Christus iter faciens, in certum quendam cœcum inciderit, quem rogantẽ vt desideratum oculorum lumen sibi restitueret, pientissimus Dominus prõptè & subito, vnico duntaxat verbo pronuntiato illuminauit: *Iesus dixit illi: Respice. Et confestim vidit.* Luca 18. 42. Vnde quæso lumen illa venit quod cœci huius oculos tam subito illuminauit? inquit Theophylactus. Num forte de cælo ministratum fuit ab Angelis? aut egressum à Sphæra solis? aut ab Elemento ignis, aut alia simili mundi parte emanauit? Et respondet à nullo ho ũ, sed ex ipsissimo Christi ore processisse, è quo verba ad instar lucidissimorum radiorum promanabant: *Vox à vero lumine progressa, lumen cœco facta est.* Theophyla. ibid. Deus incarnatus cœcum hunc sonaturus, opus non habebat vt lumen illud de cælo, aut rota solis, vel sphæra ignis, aut alio simili loco acciperet, siquidem tantam in verbis suis virtutem habebat, vt vnius solius verbi sui pronuntiatione, non solum cœci morbum sanare, sed etiam illi, si forte mortuus fuisset, vitam restituere posset: *Vox à vero lumine progressa lumen cœco facta est.*

6. S. Matthæus sermonem quendam à Christo coram discipulis suis habitum descripturus, calamum arripiens, ita ilum exorditur: *Dum sedisset accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos.* Matt. 5. 2. S. Bernardinus verba illa: *Aperiens os suum* mature ponderans, vult illa permagni facienda esse. Evangelista enim dicẽdo: Aperiẽs os suum, dicere vult: *Aperitur thesaurus desiderabilis, reseratur Gazophylacium regni calestis, fons omnium bonorum panditur, indigentes ditantur.* S. Bernardin de Beatitud. serm. 1. ar. 2. c. 3. Verum quidem est Christum in ore suo non gemmas, aurum, denarios, aliasque diuitias, sed verba duntaxat habuisse: hæc tamen verba ob admirabilem virtutem qua pollebant, aurum, gemmas, aliasque diuitias, ijs quibus in hoc mundo fruimur, aut dediti sumus, longe præstantiores & desiderabiliores, spargebant. Et reuera aliter fieri nequaquam poterat: Quando enim os Christi aperiebatur, non erat aliorum hominum ori simile, quod dum aperitur aerem solummodo findit, aut strepitum & rumorem aliquem excitat, ac proinde abinde præter vẽtum nihil colligitur, sed potius regia quædã cornucopia erat, vnde omne bonum emanabat. Pauca quidem fuerunt verba illa quæ in Cruce suspensus ad bonũ latronem edixit, quæ tamen illum Regno integro locupletarunt. Vnde quisquis diues fieri desiderat, diuina verba audire ijsque morem gerere amet, in illis enim tales tantasque diuitias repositas inueniet vt impossibile sit aliquam se paupertatem vnquam experiri posse: *Fons omnium bonorum panditur, indigentes ditantur.*

7. Ne forte populus Hebræus se per industriam propriam, perque manuũ suarum laborem opulentum & diuitem factum fuisse sibi persuaderet, his illum verbis Moyses est allocutus: *Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum.* Deuteron. 2. 7. q. d. Obligati estis vt grata semper mente recognoscatis, quod quicquid habetis & possidetis à diuina vos liberalitate habeatis. Deus enim vos sua benedictione locupletauit, vosque tantis bonis abundare fecit. Oleaster dicit verbum istud *Benedicere* hoc in loco positũ, idem significare, quod: *Benefacere, substantiã & opes augere.* Verum enimuero cum bona Doctoris huius venia scire percuperem. Nũ Moyses hoc verbo *Benedicere* vti voluerit, loco verbi *Benefacere*. Oleast. ibid. Et si ita est, quamobrem igitur non dixerit: *Benefecit tibi*, sic enim iuxta maiorem vocabuli proprietatem, & prouti postularat propria sua intentio, locutus fuisset? Ratio huius est quia Moyses diuinorum verborum demonstrare volebat potentiam quibus Deus veluti manibus suis vtitur: Et consequenter innuere inexhaustas populi Hebræi diuitias à Dei verbo procedere. Certum namque est, quod dum diuinum os aperitur, non verba quæ præter ventum nihil sunt, sed aurum, argentum, gemmas, & quæcunque alia ab homine de-

ſiderabilia bona ſpargantur & effundantur. *Fons omnium bonorum.*

8. Deus Abrahæ vice quadam loquens dixit: Tu hactenus quidem hoc nomine: *Abrã* es appellatus, deinceps vero *Abraham* nominaberis, idque quia ego te gentis cuiuſdam innumerabilis caput & Principem te conſtitui. *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham; quia Patrem multarum gentium conſtitui te.* Ingens profecto auguſtumque fuit imperium iſtud, quod Deus illa vice ſeruo ſuo dignatus eſt conferre, ſublimis gradus in quem illum euexit, & honor quem illi dedit prorſus eſt magnus, totius enim populi Hebræi, qui ad tantum numerum qui numerari non poterat, peruenit, factus eſt Dominus. Verum enimuero quonam inſtrumento ipſum vſque adeo in altum euexit? Vnicam duntaxat literam, quam antea non habebat nomini ſuo adiungendo, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus. Primo appellabatur *Abram*, Deus autem poſtea illi aliud quoddam à de nouo adiunxit, & vocauit illum *Abraam* Quæ litera, vtpote è diuino ore egreſſa, tantæ fuit exaltationis inſtrumentum: *Vnicum elementum adiectum tantum principatum vendicauit iuſto.* Abhinc diuinorum verborum virtutẽ obſeruare licet, & dicere: Quodſi vnica dũtaxat litera ab ore diuino prolata, tam amplum Abrahæ regnum conferre potuit, quãtum ſyllabæ, aut integræ dictiones, imo amplæ propoſitiones cõferent? Vnde quodſi homo non tantum diuitiarum verum etiam dignitatũ & honorũ ſit auidus, auidus quoq; ſit verbum auſcultandi diurnum, vtpote quod tanta cum facilitate illum ad cælum vſque & plus vltra etiam euehere poterit. *Vnicum elementum adiectum tantum principatum vendicauit iuſto.*

Geneſ. 17. 5.

S. Ioan. Chryſoſt. homil. 2. de verb. Iſai.

9. Verum ô Chriſtiani auditores num inſuper delitias quæritis? Et vbi maiores inueniri delitiæ poterunt, quam ſint illæ quibus in verbis diuinis auditis vel lectis fruimur? Obſeruaſtiſne aliquando quod dum Paſſio Domini noſtri cantatur, ſacerdos maiori cum ſuauitate & dulcedine canat, quam Diaconus? Guilielmus Durandus diuerſitatis huius cauſam ſciſcitatur, eamque ſequentibus verbis tradit: *Cantus verborum Chriſti dulcius modulantur ad denotandũ quod dulcius verba Chriſti in eius ore reſonabant, quã in ore cuiuslibet Euangeliſtæ referentis.* q.d. Sancta mater Eccleſia ſciens poſſibile non eſſe vt inaudita verborum Chriſti dilecti ſui dulcedo ab Euangeliſtis dogmata ſua referentibus oſtendatur & conſeruetur, aut in ipſorum Commentariis recondatur, dum illi ſcribuntur, tametſi ad id ex omni virium ſuarum poſſibilitate conniterentur, ordinat vt ſacerdos in Paſſionis cantu Chriſtũ repræſentans maiori cum ſuauitate & dulcedine quam Diaconus Euangeliſtam referens canat. Qua Cæremonia innuitur, nullã aliam in mundo linguam inueniri poſſe, quantumuis erudita, elegans & mellea ea ſit, quæ eam adferre ſuauitatem poſſit, quã diuina verba ab ore diuino prolata proferunt.

Gulielm. Durand. Rational. Diuin. lib. 6. c. 68.

10. S. Martha digna iam facta quæ Chriſtum Paradiſi Regem domi ſuæ reciperet, videns ſe in menſa Domini præparanda plus nimium occupatã, aliquo Mariæ ſororis ſuæ ſubſidio indigam eſſe, vtpote quæ à primo momento quo Chriſtus in domum ſororis ſuæ ingreſſus fuerat, Diuinis eius pedibus firmiter Domini ſui ſermones auide auſcultando ſemper adhærebat, tandem Chriſtũ, vt ſororem ſuam dimitteret, ſequentibus verbis rogare velle ſe reſoluit: *Domine non eſt tibi cura quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet.* q.d. Quãtum ego ô Domine videre poſſum, tu pauperi Marthæ in menſæ præparatione ſolitariè occupatæ, nec ad omnia perficienda ſufficienti nequicquam compateris, bonum certe eſſet ſi Mariæ ſorori præciperes vt ſurgens tuoſque pedes deſerens, me adiuuaret. Ianſenius ſuper hunc locum dicit: Quid eſt quod cum Martha hac de re ſecreto cum Maria ſola agere potuerit, hoc tamen non fecerit, ſed cum Chriſto tractare ſororemque ſuam velut negligentem & indiſcretam notare & accuſare voluerit. Et reſpondet illam aliter facere non potuiſſe, ſciuit enim quod ſi cum ſola ſorore loqueretur, ſe propoſitum ſuum minime obtenturam fuiſſe. Tanta namque delectatione Maria in Verbis Chriſti fruebatur, vt ſolum Chriſti præceptum illam ab eo loco abigere & remouere poſſet, adeo vt Martha, inquit præfatus Doctor, dicendo *Dic illi vt me adiuuet,* quaſi clarius dicere voluiſſe videatur: *Alioqui ſuo non auelletur à te, tanta eſt dulcedo verborum*

Lucæ. 9. 40.

Ianſen. Concord. Euang. ca. 84.

borum tuorum. Præparari poterant omnia violenta instrumenta, ab Archimede & aliis ingenijs adinventa, & excogitata, quæ tamen, nisi Christi præceptum & ordo intervenissent fœlicissimam Magdalenam à Paradiso, qui ab ore Magistri sui egrediebatur, avellere & separare minimè potuissent.

11. Quando sponsa de divinis Christi labiis loquens illa lilijs assimilabat: *Labia ejus lilia*, non solum (nisi fallar) ad ea lilia & flores respexit, quos terra producit, verum etiam ad certa quædam instrumenta musicalia ita dicta seu nominata, de quibus particularis mentio fit Psalmo quadragesimo quarto, vbi Franciscus Titelmannus loco lectionis vulgatæ: *Pro his qui commutabuntur*, vertit, *Pro Liliis.* Quæ Lilia, vti Doctor quidam modernus observat erant certa quædam instrumenta valde sonora, quæ ab Hebræis lingua sua appellabantur *Sonanim.* Ratio autem hujus denominationis erat, quia in hoc instrumento musico lilia quædam incisa videbantur, sicut hodie sub lutæ sive testitudinis fidibus rosa subtiliter efformata videtur & viola sub fidibus Chelis, vnde nomen suum sortitur. Quando igitur Christi labia Liliis assimilat. *Labia ejus Lilia*, illa tanta suavitate & dulcedine referta esse innuit, vt dum loquebantur haud secus personarent, ac si musicum quoddam fuissent instrumentū docta manu & plectro pulsatum. Vnde Rupertus Abbas dicit: *Sonus fidium in Christo ipsa est prolatio vocum.* Quasi dicere vellet. Quotquot incarnatam sapientiam loquentem audire digni erant, os ejus cælesti cuidam Cytharæ sive testitudini assimilare poterant. Nemo sibi persuadere potest, inquit Laurentius Iustinianus, quantam sibi duo hi discipuli, quorum in hodierno Evangelio fit mentio, violentiam fecerint, vt se quo minus in Christi ruerent amplexus & oscula, reverenter continerent, ob miram & ingentem quæ in discursibus ejus in via prolatis spargebatur suavitatem *Arbitror vix se continere potuisse quin in loquentis amplexum ruerent.*

Cant. 5. 13.
Psal. 44. 1. Tranlat. Titelman. Ioan. Lor. ibid.
Rupert. in lib. Reg. l. 1. cap. 28.
B. Laur. Iustin de Agon. cap. 25.

12. S. Matthæus verba Redemptoris nostri quibus ea quæ post modicum tempus Hierosolymis passurus erat tormenta prædixit recensere volens ita ordiebatur: *Exinde cœpit ostendere discipulis suis, quia oportet eu ire in Ierosolymam, & multa pati à senioribus* &c. Locum istum nonnihil, si placet, ponderemus, prima namque facie videtur mihi quod sacer Evangelista illam loquendi proprietatē non observet, quam merito debuisset. Cum enim Christus rem faciendam non vero jam factam recensere vellet, videtur quod non debuerit dicere: *Cœpit ostendere*, sed *cœpit dicere.* Nemo enim nescit, quod sicut res jam factæ demonstrantur digito, ita res futuræ seu faciendæ describātur lingua. Num Christus fortasse eodem tempore quo de tormentis quæ passurus erat loquebatur, actualiter eadem tormenta patiebatur, vt proinde digitum linguæ associando Passionis suæ pœnas & dolores Apostolis suis demonstraverit, & sacer Evangelista hanc ob causam dicere potius voluerit: *Cæpit ostendere*, quam *cæpit diceret*? Nequaquam id dici debet, inquit Origenes, Christus enim tunc sub tormentis non erat, sed de tormentis tantum loquebatur; Dicitur tamen passionis suæ tormenta ostendisse, quia quando de ijs loquebatur, id tanta cum energia & evidentia, tanta cum proprietate & gratia faciebat, vt tametsi res de quibus loquebatur factæ non essent, nec viderentur ipse tamen eas haud secus ac si factæ fuissent auscultatorum suorum oculis proponeret, & digito quasi demonstraret, faceretque illas non tantum auribus percipi, verum etiam oculis videri. *Vide*, inquit Origenes, *quia non dixit cæpit dicere, vel docere, sed ostendere; quia sunt corporalia ostendi dicuntur, sic ostendi dicuntur à Christo ea quæ loquebatur.* Atque hinc est quod David loco ejus quod Deo dicere debuisset: *Defecerunt aures meæ in eloquium tuum*, dicere potius voluerit *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* quasi diceret, quam ingens est Domine Deus meus verborum tuorum energia & evidentia. Videtur enim mihi quod dum loqueris, res à te relatas non tam percipiam auribus, quam hisce oculis meis conspiciam. Quia autem Christus apud omnes & singulos quibuscum loquebatur, de nulla re alia, quam de regno cælorum tractabat: *Circuibat Iesus per totam Galilaam, docens in Synagogis eorum, & prædicans, Evangelium Regni.* Necessario dicendum

Matt. 16. 21.
Origin. apud S. Thom. in Cat. ibi.

dum est ipsum in verbis suis manifestasse paradisum, eumque omnibus se auscultantibus ostendisse. Ac proinde concludere oportet, inquit Laurentius *Iustinianus S.* Lucam & ejus in itinere socium cœlestibus linguæ Christi delitiis in via fruentes nullam sensisse defatigationem aut corporis lassitudinem aut similes, viatoribus passim obvias molestias *Gradiebatur pariter & nihil pro labore fatigabantur itineris, temperabat enim pondus via quod juxta se habebant, pabulum vitæ.* Nam vt seneca inquit: *Facetus comes in via vehiculũ.*

B. Laur. Iustin. de Agon. c. 25.

Seneca in Proverb.

SERMO XLIV.

in Feriam III. Paschæ.

Stetit Iesus in medio discipulorum suorum.

Luc. 24.

VIDETVR mihi quod sicut Salvator noster à S. Ioanne in sua Apocalypsi similis lapidi *Iaspidis* & sardinis, nec non in sublimi quodam Throno smaragdino sedens visus & descriptus est. *Ecce sedes posita est in cælo, & qui sedebat similis erat aspectus lapidis Iaspidis & sardinis; & iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdina,* ita quoque post gloriosam Resurrectionem suã in simili forma discipulis suis, prout S. Lucas in hodierno Evangelio scribit, apparuerit: Et primo quidem Iaspidi similis apparuit, quando mox vt in illorum se medio collocarat, Pace illos donavit: *Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dixit eis: Pax vobis.* Sicut enim Iaspis teste Alberto Magno Reddit *hominem potentem ac tutum.* Ita Dominus noster hoc Pacis dono, veluti cælesti quodam Iaspide talem hominibus potentiam & securitatẽ confert, vt eos inexpugnabiles reddat & invictos. Apparuit deinde in throno quodam Smaragdino elegantissimo, quando à discipulis cibum poposcit, ipsiq; primo quidem piscis assus, postea vero mel præparatum fuit: *Attulerunt ei partem piscis assi, & favum melis.* Sicut enim Smaragdus gemma quædam est, quæ in arduis difficilibusque locis nascitur, & eodem Authore teste à truculentis Gryphis atrociter custoditur: ita quoque homo Paradisi sedem, vbi æternæ fœlicitatis mel gustatur, nequit acquirere, nisi juxta exemplũ filii Dei, prius vitæ hujus asperitates pertransierit, atque in præsentium tribulationum igne tostus & assatus fuerit. Denique sardini similis esse videtur quando Apostolis suis mortem & passionem suam necessariam esse dicit: *Oportebat Christum pati.* Sicut enim sardonix ligno adeo stricte ac firmiter adstringitur, vt ab illo quacunque etiam violentia adhibita dividi nequeat, aut avelli, ita quoque oportuit Christum à primo nativitatis suæ momento, quasi sardinem quendam mysticum ligno Crucis adeo fortiter ad stringi, vt illud donec in eo mortuus expirasset deserere nunquam potuerit. Idque quia peccata nostra ob gravitatem & malitiam suam aliud quam Filii Dei incarnati passionem & mortem non potuerunt habere remedium.

Apoc. 4. 2. & 3.

Albert. Magn. de Mirabil.

Albert. Magn. ibid.

CONSIDERATIO I.

Pax vobis

Sicut discordias humanas Respublicas eneruat, deijcit & disperdit, ita concordia easdem stabilit & corroborat atque indomabiles quasi reddit.

IN maxima vtique extremi mali formidine fuere Apostoli quamdiu in vrbe Ierosolymitana inter medios hostes suos constituti erant ideoque amantissimus illorum Magister illos adversus omnes instantes persecutiones corroboraturus & animaturus, in ipsorum medio hodie apparuit, ipsisque pacis donum veluti opulentissimum Iaspidem donavit: *Dixit eis Pax vobis.* Sicut enim nihil est in mundo quod homines adeo in extremam perditionem pertrahat, ac discordia, sic neque inveniri aliquid in mundo potest quod adversus inimicos majorem homi-

homini animum, securitatem & vigorem suggerat, ac concordia prouti in sequentibus latius videbimus.

1. Daniel Propheta pedes statuæ à Nabuchodonosore visæ ex luto & ferro compositos fuisse recenset: *Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* (Daniel. 2. 33.) Ratio autem ob quam non ex solo luto, nec ex ferro solo, sed ex luto & ferro simul confusè mixtis statua hæc conflata fuerit, ab Abulensi assignatur, qui ex communi interpretum opinione per statuæ hujus membra quatuor mundi Monarchas, id est, Assyriorum, Persarum, Græcorum & Romanorum significatas fuisse existimat. Ex quibus Romani, quia inter alios mundi possessione novissime fuere gavisi, pedum nomine intelliguntur. Quia vero spiritus Sanctus futurum esse prævidit, vt ipsorum Imperium intra paucos annos ob civiles, quibus inter se digladiabantur, discordias, in totalem suu ruinam incideret, ideo idipsum per luti ac ferri commixtionem præsignificabat. Sicut enim lutum & ferrum nulla ratione inter se vniri simulque colligi adeo firmiter possunt, quin inter se subito dicidantur & dissocientur ita quoq; Romani quia inter se cõcordes & vniti manere non poterant, sicut in initio florente adhuc illorum Republica fuerant, amplissimum suum Imperium, civitatã, ac seipsos simul & semel perdidere: *Romanos mutuis bellis periisse ex statua colligitur*, inquit hic Doctor (Tostat. q. 7. in cap. 18. Iudic.) *cuius pars pedum quædam erat ferrea, & quædam fictilis; testa enim ferro non bene conglutinatur: & sic fuit regnum Romanorum, quod propter mutuas dissentiones deletum est.* Qua in re bene observandum est qualiter pax terrenas Respublicas corroboret & conservet, quas discordia eneruat & dissipat. Mox enim vt pax à Roma exulavit, ingentis imperii sui sublimis fabrica, quæ quamdiu inter se ciues sui permãsere cõcordes invicta & haud secus ac Adamas quidã inexpugnabilis erat & invicta, gravissime corruit, nunquã resurrectura.

2. Præterquam Salvator noster pacificos Beatorum nomine dignatus est honorare, illos insuper Dei filios esse adjunxit, & dixit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* (Matt. 5. 9.) Pacificos beatos esse nemo dubitat, quia qui pace gaudent, omnibus simul possibilibus bonis, quæ in hoc mundo aliquatenus beate hominem possunt, fruuntur. Vnde quia Civitas superna cælestis Cives suos omnium bonorum facit esse partircipes, ideo *Ierusalẽ*, hoc est, *visio pacis* appellata fuit. Verum enimvero quamobrem insuper pacifici futuri sunt Filij Dei, *Filii Dei vocabuntur?* Rationem hujus S. Thomas Doctor Angelicus assignat dicens. *Ideo pacifici dicuntur filij Dei, quia sunt similes Deo, quia sicut Deo nihil no ere potest ita nec eis.* q. d. Quia filii naturaliter Patri suo similes existunt ideo quotquot sunt pacis amantes, filij Dei appellãtur: sicut enim Deus adeo est invictus; vt nihil prorsus, quod illum superare, aut damnum ei inferre possit, ita quoque nulla in toto mundo inveniri vis aut violentia potest, quæ pacificos vincere possit aut opprimere. *Sicut Deo nihil potest nocere, nec eis.* (S Thom. Opusc. de Orat. Dom.)

3. Vtique sæpius ingeniosam illã Patronis fabulam circa modum quo homines primitus fuere creati intellexistis, qua deinceps nõnulli Hebræorũ Rabbini in explicatione verborum sequẽtiũ sunt vsi. *Creavit Deus hominẽ ad imaginem & similitudinem suam; masculum & fœminam creavit eos,* (Genes. 1. 27.) prout refert Nicolaus de Lyra. (Nicolai Lyr. ibi.) Dicit igitur Philosophus iste cunctos homines in prima mundi creatione duo habuisse corpora, duas facies cum quatuor manibus & totidem pedibus, atque ideo tanta erant fortitudine præditi, vt cum ipsismet Diis contendere, in cælum conscendere, iisdemque locum suum eripere ausu temerario præsumpserint. Ac proinde ne cælum tantæ subijceretur ruinæ, cunctorum Deorũ Concilium Iupiter congregavit, deque remedio huic discordini nato adhibendo cũ eisdem deliberavit. Cumque singuli mentem suam ex ordine Iovi exposuissent, tandem Iupiter hunc in modum sententiam suam pronunciavit. *Vnumquẽque nunc in duas partes dividam, ex quo & debiliores erunt, & nobis etiam magis conducet.* (Plato in Convi.) q. d Melius inter omnia ad inconveniens istud è medio tollendum, adhiberi, quantum ego conjicere possum, remedium nequit, quam si inter se homines dividãtur, & ex quolibet duo fiant, hac enim ratione debilitarij atque à proposito sibi conatu terreri ac impediri poterunt. Per hoc significare volens, quod quamdiu homines bene inter se vniti fuerint, idest in bona pace & concordia perseveraverint fortes futuri sint atque potentes; atque ipsimet Iovi, si verus hic ac viuus esse,

formidinem incutere poterant. Debilitas enim illorum, in diuisione & discordia cōsistit, propter hanc non solum magnis & potentibus, verum etiam minimorum hostiū exponuntur ostensi: *Duas in partes diuidam & debiliores erunt: Concordia enim nihil æquale, nihil consentientiū paci Si sint vnanimes duo vel decem, non vnus iam est, sed decuplus eorū quisq; fit: horum quisque viginti manus habet, & oculos viginti & totidem pedes. Si vero sint & centum, idem erit similiter, & potentia producetur. Vidistis Charitatis excellentiam, qualiter vnum inexpugnabilem reddit.*

S. Ioan. Chrysost. homil. 51. ad popul.

4. Magnus ille Carthusianæ solitudinis Patriarcha S. Bruno locum illum diligenter obseruat, in quo Moyses refert Columbam in arcam secunda vice reuersam quendam in ore suo Oliuæ ramum attulisse: *At illa venit ad vesperam portans ramum Oliuæ virentibus foliis in ore suo.* Vidensque columbam oliuam in ore suo detulisse, quærit: Quare Columba ex tot diuersarum arborum generibus, alium in arcam ramum non attulerit, quam oliuæ. Et diuine respondet: *In illa arca erat totum genus, omnes gentes, omnes populi & nationes ibi erant quibus tunc in illa columba spiritus sanctus quodammodo loquebatur, & dicere videbatur: Pacem habete, pacem tenete, pacem diligite, sine qua nemo videbit Deum, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Pauci quidem estis, sed res paruæ concordia crescunt, magna vero discordia dilabuntur.* q. d. Quia Columba illa spiritum sanctum referens innuere volebat, omnes totius mundi homines, qui originaliter in arca erant, aliud Respublicas suas augendi & conseruandi remedium, præterquam pacis præsidium non habere ideo nullius alterius arboris frondes accepit, quam oliuæ, vtpote quæ notissimū est pacis symbolum. Neque enim in vniuerso mundo quidquam inueniri potest, quod maiora vniuersitatibus hominum præbeat incrementa, aut aduersarios suos, qui illos molestare & infestare conantur, longius arceant, quam pax & concordia eorum qui illas incolunt. Vnde per magnum hocce, quod in ore ferebat symbolum, dicere voluisse videtur. Quod si ô homines crescere vestramque generationem multiplicare, eandemque adusque Dei conspectum sublimare, omnibusque inimicis vestris formidabiles esse contenditis, pacem quam vobis defero acceptare eidemque omnibus modis studere non negligite, concordes estote & vnanimes & à mutuis cauete discordijs, sicut enim pace res paruas vegetat, & debilia stabilit & corroborat, sic discordia res magnam eneruat, ac perdit: *Res paruæ concordia crescunt, magnæ vero discordia dilabuntur.*

Genes. 8. 11.

S. Bruno de Ornat. Eccles. c. 7.

5 Quinque etenim fuere lapides quos Dauid pastorculus cū Goliatho gygante pugnaturus collegit, & in peram suam reposuit, ex his tamen omnibus vnus duntaxat fundæ impositus ingens illud & immane monstrum prostrauit & occidit, vti facer textus refert: *Misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda eiecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte.* Circa quem locum Hugo de sancto Victore dicit, necessarium prorsus fuisse vt primus lapis à Dauide adhiberetur ad faciendum ictum, siquidem in illo conflictu sequentes lapides illam conferre vim minime poterāt. At vero cur maior vis vni quam alteri lapidi, inesse dicitur? Ideo nimirum quia vnus erat, & pacem significabat, quæ sola inter homines efficit, vt quantumuis ferox & truculentus ac fortis sit aduersarius, is tamen ab ijs qui pacem & concordiam mutuam colunt ac fouēt, sternatur ac superetur. Quod si vero illos inter se diuidi contingat, potius victi quam victores efficientur: *Quinque lapides accepit, vnum misit, quia vnitas vincit.* Qua in re magnum quoddam Christiani exercitus ducibus suggeritur documentum, præclarumque ad obtinendam de inimicis suis victoriam aperitur secretum, videlicet, quod si fortes & magnanimi esse, contraque inimicos suos victores & non victi fieri desiderent in id omnibus neruis contendant, vt veluti vno corde viuentes concordes inter se mutuo reperiantur atque vnanimes, quod si enim in plures sese partes diuiserint, debiles & imbelles efficientur, manebitque parti contrariæ victoriæ triumphus. *Quia vnitas vincit.*

1. Reg. 17. 49.

Hugo de S. Victore. Alleg. in 1. Reg. 1. 6. c. 8.

6. Christus Dominus noster eo die quo memorabilem illum celebrare triumphum volebat, quo in Dominica Palmarū quotānis à nobis honorari consueuit, duos ex discipulis suis in vrbem Ierosolymorum submisit, imposito illis præcepto soluendi sibique adducendi asinum, cui vrbem illam ingre-

Luc. 19. 30 grediens insidere decreuerat; *Ite in castellum quod contra vos est, quod introeuntes inuenietis pullum asinæ alligatum, soluite illum & adducite ad me.* Mox vero his verbis dictis accidit, vt prædictam videret Ciuitatem, & sicut idem Euangelista narrat, eandem amare defleuit: Ibid. 43. *Videns Ciuitatem fleuit super illam.* Quamobrem Christus qui Ierosolymorum vrbē tot repetitis vicibus viderat, illam tamen nunquam nisi tunc solum deplorauit? Ratio huius est, quia illam non iam Ciuitatem, sed castellum esse vidit, ideoque illam non ciuitatem, sed castellum nominauit. *Ite in castellum.* At vero inquies, cur non nominauit ciuitatem? S. Antonius id factum fuisse dicit, quia discordijs plena erat, ideoque Ciuitatis nomine, quod ciuium vnionē significat, prorsus indigna: *Ciuitas dicitur, quasi Ciuium vnitas. Vnde Saluator noster cum misit* S. Antoni. p. 4. tit. 15. cap. 2. *duos ex discipulis suis ad Ciuitatem Ierosolymam, quæ erat plena sectis, diuisionibus & peccatis, non dixit: Ite in Ciuitatem, sed in castellum seruans illam regulam,*

Si re priueris, nec nomen habere mereris.

Vnde liquet quod postquam Christus vrbē Ierosolymæ in castellum redactam, discordem, & in multas factiones dilaceratam vidit, mox quoque irremediabilem eius ruinam, in quam à Romanorum exercitu post quadraginta annos præcipitanda erat, futuram intelligens eandem amare deplanxit: *Fleuit super illam.* Ciuitas enim, in qua Pax locum non habet, cuiusque ciues discordijs scinduntur, deploranda est vehemēter, paulo post enim in exterminium redacta, & sale seminata esse conspicietur.

7. Dauid Propheta Apostolorum prædicationi, cui post Magistri sui resurrectionē vacaturi erant, intendens, ita loquebatur: Psal. 103. 22. *Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabūtur: exibit homo ad opus suū.* q. d. Sole mox nato, idest Christo à mortuis resuscitato, atque instar noui solis gloriæ radijs, cincto, Dæmonia fugient & in inferno cōgregabuntur, quia homo exibit ad prædicationē Euangelij. Ita hunc locum Carmelitanus incognatus Michael de Ayguan* explicat: Incogn. ibid. *Ortus est sol, scilicet Christus, qui per mortem occiderat prius, & in cubilibus suis collocabūtur, scilicet Dæmones. Exibit homo ad opus suum, vt puta Petrus Romam, Andreas Achaiam, Matthæus Æthiopiam, Bartholomæus Indiam, opus Euangelistæ faciendo perambulauerunt.* Vbi bene est obseruandum, Apostolos omnes à Dauide exprimi hac voce *Homo,* non vero eos vocat *homines.* Id quod salua veritate dici posse nequaquam videtur; Cum enim Apostolorum plures essent, & non tantum vnus, opus erat dicere, *Exibunt homines,* non vero vti dixerat *Exibit homo.* Hanc difficultatem adductam idemmet Doctor tangit, & argutè more suo resoluit, dicens: *Aduerte quod Apostolos non dicit homines in plurali, sed singulariter homo, propter vnitatem summam, quam ad inuicem habuerant post Christi Resurrectionem.* Tunc enim tametsi reuera multi essent, non tamen multi homines, sed vnus homo esse videbantur, idest, vt S. Lucas dicit, habentes cor vnum & animam vnam: *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Atque ideo mirum nequaquam est, Actor. 32. quod Dæmones tantam inter sanctos Apostolos pacem & concordiam videntes, subito à suis se locis receperint, & in Inferni cauernis congregati fuerint. *Congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur* Cognoscebant enim nullam contra gloriosos Athletas istos vim aut potentiam præualere posse, vtpote qui propter altissimam qua fruebantur pacem, inuicti ac indomabiles erant.

8. Dum Sanctissimus Patriarcha Iacob in via Mesopotamiam versus constitutus esset, accidit vt vesperi quodam plus solito lassus & defatigatus, in certo quodam loco dormire volens, acceptos tres lapides capiti suo supposuerit, vt commodiori somno lassata membra refocillaret: *Tulit de lapidibus qui iacebant, & supposuit capiti suo.* Illucescente Genes. 28. autem diluculo expergefactus lapides quibus indormierat, recolligens, vnum solum inuenit, vnde sacer textus subiungit: *Tulit lapidem quem capiti supposuerat,* atque exinde Ibid. 18. motus est, vt locum istum Dei domum nuncupandū esse decreuerit: *Lapis iste vocabitur* Ibid. 2 *domus Dei.* Obseruate hic obsecro Iacobum sub vesperā multos accepisse lapides. *Tulit de lapidibus,* ex illis tamen omnibus postea vnū duntaxat inuenit: *Tulit lapidem.* Quod si antea ibi multi lapides erāt, quomodo postea vnus tantum inuenitur? Nicolaus Lyranus ad hæc duo loca reconcilianda, nonnullorū Doctorū Hebræorum opinionē in medium adducit, qui dicunt quod sancto hoc Patriarcha

archa dormiēte lapides isti adeo firmiter & miraculosè ad inuicē se strinxerint & vniuerint, vt ex multis illis factus sit vnus tantū, atque ideo factū est, quod tametsi Patriarcha sub vesperam multos collegisset, diluculo tamen illucescente vnū duntaxat inuenerit: *Dicunt Hebræi, quod accepit tres lapides, & quando euigilauit, inuenit quod illi tres lapides, facti erant, vnus lapis.* Vocauitque proinde saxum istud profunda quadam consideratione præuia, domum Dei; Lapis iste vocabitur domus Dei, talis enim & non aliud locus iste reuera esse videbatur. Ea enim loca quæ dū primo disunita & diuisa essent, postea firmiter vnita, atque ad se inuicē indissolubiliter adstricta & coniuncta videntur, Domus Dei appellari merentur, hoc est, inuicta & inexpugnabilia sicut Domus Dei, quæ ab Angelorū exercitibus continuo circumdata, aduersarios suos procul à finibus suis arcent & repellunt.

Nicol de Lyr. ibid.

9. Inter cætera magni momenti negotia, quæ in sacra scriptura recensentur, numerari quoque meretur quod primus Regum liber de Dauidis Cythara refert, scilicet quod illa resonante & plectro Dauidis pulsata singulari tormēto affecta & pulsum sit quod Saulem affligebat Dæmonium: *Dauid tollebat cytharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul. & leuius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.* Quid sibi Dæmon mali in sono Cytharæ formidabat, quod adeo illum fugerit. Num forte tuba quædam aut tympanū fuit, quod ad ipsum debellandū exercitus conuocabat hominū armatorū? etenim non cytharam metuebat, nec sonum eius, tametsi enim Dauid illa veluti tuba seu tympano vsus fuisset ad congregandos omnes totius mundi milites, ipsum tamen è loco suo arcere minimè potuisset, sed potius hominū timebat concordiam, sub symbolo Cytharæ harmonicè adaptatæ sibi repræsentatā, inquit supra citatus Incognitus Carmelitanus, nam *Spiritus maligni harmoniam cantus maxime spiritualis odiunt, propter concordiam vocum, vt ipsa audita fuerit.* q. d. Dæmones pacem & concordiam nostram adeo execrātur & abominantur vt ne vel conspectū symboli sui, quale est cythara quæ illā per chordarū suarum harmoniam repræsentat, sufferre possint. Cuius ratio est, quia cum nihil æque desiderent, quam vt nos affligere atque in perpetuam ruinā redigere possint,

1. Reg. 16. 23.

Incognit. in psal. 18.

ex altera parte sciunt, nos pace mediante adeo factos esse inuictos & inexpugnabiles, vt ne vel in minimo pilo offendi possint.

10. Moyses Exodi 24. capite refert populum Hebræum die quadam à Deo Diuinæ suæ Maiestatis aspectu dignatū fuisse pedes autē omnipotentis Dei in illa visione super pauimento quodam ex lateribus fabricato, iuxta translationem septuaginta collocatos vidit: *Viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius, sicut opus lateris.* Id ꝙ prima facie sublimē maiestatē illā valde dedecuisse, alienūque ab eo esse videtur. Nihil enim æq; conuenit, quā vt scabellū pedū suorū ex margaritis, adamātibus, rubinis alijsq; gemmis & monilibus pretiosis nō vero ex vilissimis, asperis & rudibus lateribus. Quod si enim Romanorū Imperator Heliogabolus pedes suos nonnisi super aurum & argentum dignatus est ponere, ideoque viam ex conclaui Regio vsque ad locum vbi carpentum ingressurus, aut conscensurus equū erat, limatura auri conspergi & cooperiri, dolens quod illam electri limatura respergere non posset, prouti Ælius Lampridius his verbis recenset: *Scrobe auri porticum strauit dolens quod non possit electri: idque frequenter quocunque fecit iter pedibus vsque ad equum vel carpentum, vt fit hodie de auro arena.* Quomodo igitur diuina Maiestas in cuius comparatione quæuis alia terrena dignitas nihili æstimanda venit, super lateribus pedes suos statuit? Dubium hoc resoluendo pulchrum quoddam simul aperitur mysterium, pro huius Considerationis epilogo maxime idoneum. Inprimis itaque sciendum est, Deo non deesse gemmas, quibus pedum suorum scabellum rite exornare posset, si gemmeum illud esse voluisset. Cum enim exinde totam suam exædificauerit Ciuitatem, vti in Apocalypsi sua S. Ioannes refert, maiori cum promptitudine scabellum suum inde expolire potuisset. Maluit igitur pedes suos super lateres potius quam super gemmas reponere, quia sicut quando gemmæ, pro monilis alicuius ornatu auro includuntur, raræ, & disiunctæ à se inuicem à gemmarijs poni solent, quæ ideo pretiosæ, hoc est, raræ dicuntur, prouti cōmuniter dicitur: *Omne rarum est pretiosum.* Ita econtrario lateres adeo cumulatim iuxta se inuicem constricti & coniuncti collocantur, vt nihil remaneat, quod inter illos

Exod. 24. 10 Transl. septuag.

Elius lamprid. in Elogij.

inter-

interponi, aut illos diuidere posſit. Vt igitur Deus inſinuet quod ſuos pedes in tali Republica figere dedignetur, in qua diuiſio regni ſui locum habeat odium, aut diſcordia populorumque ſchiſmata & factiones, non dicitur pedes ſuos ſuper gemmeum aliquod pauimentum collocaſſe, ſed ſuper lateres: *Sub pedibus eius ſicut opus lateris*, quia Sanctos pedes ſuos ponit & libenter firmiterque fixos ibi tenet, vbi vnio floret animorum, regnat charitas, magnoque pax in pretio habetur, iuxta dictum Prophetæ; *Factus eſt in pace locus eius*. Quæ omnia cum vere ita ſe habeant, Pſalm. 75, 3. ſicut quod eſt veriſsimum, dicam vlterius: Quod ſi nihil ſit, quod hominem magis reddere poſſit inuictum vel indomabilem quã Diuina præſentia, vnde idem Dauid firmiter ſibi perſuaſum habebat, quod ſuppoſito eo, Deum videlicet ſecum eſſe, ipſe in ipſomet quoque inferno inuictus quidam & indomabilis futurus adamas eſſet: *Nam etſi ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Pſal. 22, 4. Opus eſt omnino affirmare pacis amatores, vtpote qui Deum ſemper ſecum habent inuictos eſſe & indomabiles. Atque ideo vix reſuſcitatus erat Dominus, cum ecce diſcipulis ſuis mox præſtantiſsimum pacis donum donauit: *Pax vobis*, eoque donato ſubito ſubiunxit: Ego ſum, nolite timere. Quaſi dicere illis voluiſſet: Non eſt quod quidpiam vobis mali timeatis, cum enim propter pacem qua fruimini mea ſitis digni præſentia, nullus in toto mũdo homo erit, nec vllus in Inferno Diabolus, qui vel in minimo vos pilo tangere aut offendere auſit vel poſſit. *Pax vobis: Ego ſum, nolite timere*.

CONSIDERATIO II.

Favum mellis.

Priuſquam cœleſtis beatitudinis melle frui poſſimus opus eſt, vt fel ærumnarum & adverſitatum huius vitæ prægustemus.

1. QVodſi fortaſſe nonnemo prandio quod ſancti Apoſtoli divino Magiſtro ſuo præpararant, aſtitiſſet, vidiſſetque quod vti in hodierno Evangelio recenſetur, pro primo ferculo coram ipſo partem piſcis aſſi, pro ſecundo vero partem mellis apponerent, ac tandem curioſitate motus à Chriſto requiſiviſſet myſterium hujuſque apparatus & ordinis ſeruorum rationem, tali, vt exiſtimat Rupertus Abbas: reſponſum utiq; fuiſſet: *Hoc ſigno edocent, quod ipſi exemplo meo prius paſſionibus atque preſſuris deſiccandi ac deinde favo conſurgendi mecum forent ſatiandi*. Rupert. Abb in Cantic. 4, c. 5. q. d. Fideles meos docere volo quod ſi ex glorioſæ reſurrectionis melle mecum ſatiari cupiant, neceſſum ſit vt prius haud ſecus ac piſcis quidam aſſus per tribulationum hujus mundi ignem pertranſeat. Imo ob eandem rationem firmiter mihi perſuadeo Chriſtum Dominum ante Reſurrectionem ſuam nunquam manducare voluiſſe, niſi prægustato prius amariſſimo felle in ſua paſsione; vt nimirum hinc quilibet ediſcat, quod ſi cæleſtis beatitudinis melle frui velit, neceſſum ſit præſentium tribulationum fel prius deguſtare. Neque enim ad thronum ſmaragdinũ pertingere quis poterit, niſi per ardua & difficilia loca prius pertranſiverit. Veritatem iſtam hic prolixius diſpiciamus.

2. S. Petrus Apoſtolus, qui ſimul cum Iacobo & Ioanne glorioſæ transfigurationis Chriſti miro ſpectaculo aſſiſtere dign' fuit, jucundiſsima hac novaque viſione captus & attonitus, inter illas delitias perpetuo permanere jam decreverat. Hocque fine de tribus in monte Thabor ædificandis domibus tractare & cogitare cæpit, vnam quidem pro Chriſto Domino, duas vero alias pro Moyſe & Elia, qui ad eandem gloriam ſpectandam advenerant, ideoque ad Chriſtũ dixit: *Rabbi bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*. Marc. Poſt quæ verba S. Evangeliſta Marcus ſubjungit petitionem iſtam à S. Petro ideo factã quia neſciebat, quid diceret: Non enim ſciebat quid diceret. Sed quomodo id de S. Petro dici poteſt? Ipſene ignorabat quid diceret? Nũ forte præſtantius aliquid, magiſq; neceſſarium deſiderare aut petere potuit, quã vt glorioſus & beatus, ſicut tũc erat perpetuo manere poſſet? Certe ſi delitias, honores, aut mundi huius opes poſtulaſſet, aliqua ratione ſuſtinere forte poſſet ipſum ignoraſſe quid loqueretur, nunc autem cæleſtes delitias requirit, & tamen de illo dicitur, quod neſciverit quid diceret? S. Antonius de Padua dicit S. Petrum vere neſciſse quid diceret, & rationẽ aſſignat dicens: *Non enim ſciebat quid diceret, quia ante voluit beatificari, quam præcederet meritum*. q. d. Tametſi negari

sequeat S. Petrum nihil petere potuisse sive desiderabilius, sive melius, de illo tamen dicitur, quod nescierit quid peteret aut diceret, quia ipsum quod petebat, habere voluit priusquam id promeritus esset. Gloria enim cælestis possideri aut obtineri non potest, nisi pro illa obtinenda quis in hac vita laboret factique fuerimus post tot malorum patientiam illa digni.

3. Isaias propheta de Beatorum cælesti gloria, qua in magna illa Dei domo fruuntur discurrens dicit: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium.* Oleaster hæc verba considerans, verba illa: *In novissimis diebus* ponderat, & quærit: Quænam sit causa, quod Deus gloriam beatorum, quæ est summum maximumque bonum, quod Deus electis suis conferre potest, in finem usque dierum reservet, non vero conferat illam aut manifestet in primis? Nemo nescit, homines meliora semper in principio apponere consuevisse, & deteriora in fine, prout olim dixit, qui in nuptiis S. Ioannis Apostolis erat Architriclinus. Idque rationabiliter admodum facere videntur, prima namque dona ultimis longe solent esse gratiora. Qua ratione igitur fit, quod Deus contrario prorsus modo faciat? Et Respondet: *Quoniam Dominus hoc peculiare habet, ut servet ad novissima meliora;* atque ideo primo amarum postea quod dulce est nobis ministrat: primo sudorē, postea coronam; primo labores & afflictiones, postea gloriam beatā, quæ laboris est præmium: Adeo ut qui in hoc mundo adversitatum humanarum amaritudinem non probaverint, non habeant unde in altera vita æternæ beatitudinis dulcedine satiari sperent; Deus enim dulce mel non in principio, sed in fine & post fellis Calicem exhaustum propinare solet: *Servat ad novissima meliora.*

Isai. 2. v. 2.

Oleast. ibi.

4. Unde sapiens dicere non dubitavit: *Substantia festinata minuetur, idest,* inquit Hugo Cardinalis *Felicitas ante tempus desiderata annihilabitur.* Cur ita? *Quia,* subjungit hic Doctor, *Dominus sic ordinavit, ut paupertas divitias, tribulatio gaudium, ignominia gloriam præcederet;* adeo ut quotiescunque divitiæ paupertatem, gaudium planctum & lachrymas, gloria denique ignominiam præcedit, fælicitas illa somniata potius futura sit quā vera, & sicut fumus brevi evanescet. Unde pessimum salutis animarum suarum signum ij habebunt, qui in hoc mundo, ubi dolere & affligi debebant, gaudent & prosperantur. Cum enim talium hominum fœlicitas extra proprium tempus & nimium præcox esse depræhendatur, momentanea utique erit, nec quicquam diu durabile in se habebit. *Substantia festinata minuetur*

Proverb. 13. v. 11.
Hugo Card. ibid.

5. Columba argentea à Davide Psal. septuagesimo septimo descripta, dorsum auro contectum habuisse dicitur: *Posteriora dorsi eius in pallore auri.* Hugo de S. Victore hunc scripturæ locum ponderans, vehementerq; admiratus quod Columba hæc, aurum istud non in capite aut pectore, sed in dorso ferat, quærit, quænam sit causa, quod cum aurum hoc tempore, dum pro rei cujuspiam ornamento adhibetur, non in dorso, sed in capite aut pectore collocatur, prouti videre est in mulieribus (quibus metallum istud summo in pretio est) quæ partes corporis anteriores adeo auro onerant, ut dorsum simpliciter & modico seu potius nullo ornatu comptum habeant. Columba tamen hæc totum aurum quo fulget retro seu in dorso suo habeat aut ferat? Cui dubio elegantem responsionem hunc in modum subnectit: *In dorso solent onera portari, & per hæc eadem possunt operum labores designari. per posteriora vero dorsi designatur expectatio præmij. Post tolerantiam siquidem præsentium laborum, in futuro subsequi credimus justis meritorum præmia & hoc in pallore auri esse credimus.* q. d. Habeant mundanæ vanæque mulierculæ, hujus terræ aurum (utpote quod hominibus quoque indignis ijsdemque vel maxime donatur) pro ornamento pectoris & capitis utpote quæ membra sunt onera portare nescia. Aurum vero beatæ gloriæ nulli promittitur alio fine quam pro dorsi ornatu, id est, pro præmio laborum quos in hac vita patienter toleraverint. Deus enim illud non nisi dignis optimeque meritis conferre solet: *Post tolerantiam præsentium laborum in futuro subsequi credimus justis meritorum præmia.*

Psal. 67. v. 4.

Vgo de S. Victor. lib. 1. de Bestiis cap. 3.

6. S. Isaias propheta ad beatum illud tempus, quo homines post Dei incarnati in beatam illam gloriæ civitatem ingressum, in Paradiso fruituri erant, attendens dicebat: *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda quando divi-*

Isai. 9. v. 3.

dividunt spolia q. d. Quando ego ô Domine gaudium animarum beatarum, postquam hæ ad gloriosi vultus tui conspectum fuerint introducti considero videtur mihi illud ei comparandum lætitiæ & jucunditati, quã agricolæ eo tempore habent, quo frumenta sua in messe colligunt, nec non magno illi militum jubilo quando quos obtentam victoriam inimicorum dividunt spolia. Verũ enimvero quænam sunt hæ tam peregrinæ similitudines. Num forte Isaiæ prophetæ pro explicando animarum beatarum gaudio aliæ deerant similitudines jam adductis longè convenientiores? Cur non dicebat eos lætificandos sicut qui opulentissimum ex improviso thesaurum invenit, aut sicut qui de nulla re minus quam de hujus mundi honoribus Principatu aliquo v. g. tam temporali, quam Ecclesiastico cogitans, similis tamen dignitatis titulo & insigniis subito præter omnem spem insignitur, aut quavis simili fortuna perfruitur, sed ea tantum lætitiæ metaphora vtitur, quam agriculæ post congregatam messem, aut milites habent post obtentam victoriam? Oleaster Prophetam hisce metaphoris vsum fuisse dicit vt *Nemo otiosus sibi blandiatur, nemo negligens se decipiat putans se sine labore, aut sine sudore gaudio implendum. Audis hic qui sunt qui lætantur, & spolia dividunt coram Deo? nempe messores & pugnatores, quoniam vt Paulus habet: Non coronabitur nisi qui legitime certaverit; neque lætabitur nisi qui sudaverit in messe* q. d. Quando Propheta animas beatas in conspectu Dei non aliter gavisuras esse dicit, quam sicut lætantur agricolæ post messem, aut post victoriam milites, significare vult quantum ij decipiantur, qui æternas sibi delicias sine labore & sudore audent promittere, siquidem nullus sursum ingredi merebitur, qui non prius in hac vita haud secus ac miles quidam, glaudium manu semper vibrans laborauerit & sudauerit, aut qui non ad instar agricolæ sub varijs præsentium dierum asperæ hyemis incommodis vitam laboriosam duxerit: *Nemo negligens se decipiat putans se sine labore aut sine sudore gaudio implendum.* (Oleast. ibi.)

Vnde S. Basilius ad hoc propositum attēdēss dicit: *Quis in tempore sementis domi sedens aut dormiens, instante messe sinum manipulis impleuit? Illorum sunt fructus, quorum & labores, præmia & corona illorum qui vicerint sunt.* (S. Basil. quæ. Diss. Explic. in principio.)

7. Dicitur in S. Matthæo, cunctos mundi homines in vniuersalis iudicij die sanctam Crucē erectam atque in cælis plantatam esse visuros: *Tunc patebit signum filij hominis in cælo.* (Matt. 24. v. 30.) Verum enimuero scire percupere quænā sit conuentio aut connectio Crucis ad cælū, cum illa non in cælo, sed in terra duntaxat sustineatur? Paulus de Palatio, illam in cælo videndam esse, vt per illius aspectum electi cælū per crucem acquisitum esse recognoscant. *Crux apparebit in cælo, vt noteiur cælum deberi Cruci,* q. d. vellet: Non minor est crucē inter & cælum connectio, quam sit inter arborem & fructus. Vnde quia gloria Paradisi fructus quidam est, qui non aliunde quam à Crucis arbore producitur, ideo Crux in cælo palā videbitur, vt videatur à quali arbore producti sint fructus illi quibus in cælo perfruemur. Per quod simul etiam innuitur, quod qui fruitionem meditatur paradisi, opus habeat vt recurrat ad crucem tribulationum huius mundi, è cuius ramis suaues nascuntur fructus vitæ æternæ. (Paul. de Palat. ibi.)

8. Audite quanta cum gratiositate Dauid propheta conceptum hunc, in quodam cum Deo habito colloquio explicarit; *Domine, inquit, quis habitabit in tabernaculo tuo?* (Psal. 14. v. 1.) Potuisset vtique Serenissimus Rex ille cælū longe alio nomine nuncupare, quam nomine Tabernaculi, videlicet nomē Palatij, Templi, Ciuitatis, & centena alia similia ei indere potuisset, cur igitur omnibus illis posthabitis, solo tabernaculi nomine cælum indigitare voluit? Quamobrem id factum sit petis? Quia vt Hugo Cardinalis inquit: *Tabernaculum tam dicitur tentorium militum, quam tugurium siue casa pauperum.* (Hugo Card. in ca. 1 Ex.) Vt hac ratione significaretur, cælum à nullo alio inhabitatum iri quam à solis pugnatoribus & pauperibus, qui etiam in hoc mundo cum quotidianis necessitatibus suis confligunt & pugnant. Dicitur ergo cælum Tabernaculum quoddam, non quod in cælesti patria confligere aut paupertate premi & vexari debeamus, sed quia cæli incolæ in hac vita pugnarunt, atque in paupertate, varijsque necessitatibus exercitati fuēre. Et vt simul manifestum fiat Cælum non esse habitationem hominum pigrorum & otiosorum qui illud per continuæ pugnæ patientiam, per paupertatem, aliasque afflictiones temporales non meruerint.

9. Angelus Domini qui pijs deuotisque mu-

mulieribus illis Christum in sepulchro quærentibus, iuxta monumentum apparuit, illas est hunc in modum affatus: *Iesum quæritis Nazarenum Crucifixum?* Quasi dicere voluisset, inquit Hugo Cardinalis: *Quæritis Nazarenum, quærite Crucifixum.* Dic obsecro mihi cur *Iesus Nazarenus* nonnisi crucifixus inueniri potuit? Ratio hæc est, quia *Nazarenus* in latino sermone idē significat, quod *floridus*, Iesus autem floridus, Iesum gloriosum & floridum in amœnissimo Paradisi viridario ad dexteram Dei Patris sedentem significat. Vult itaque dicere, ijs qui Christum quærunt gloriosum vt in eius perpetim cōmorentur societate, opus esse vt eundē prius quærant in monte Caluario Crucifixū, vulneribus toto corpore saucium, proprio sanguini immersum, potatū felle, spinis coronatū, manibus pedibusque tribus clauis transfixum. Nisi enim in hac vita participes facti fuerint passionū Christi, impossibile erit vt in altera vita perfruantur Christi gloria. *Quæritis Nazarenum, quærite Crucifixum.*

Mar. 16. v. 6.

Vgo Card. in cap. 53. Isa.

10. Clarum est, nec indiget probatione Abrahamum in Genealogia filij Dei, Dauidē tempore plurimum antecessisse, cur igitur S. Matthæus Euangelista Dauidē primo loco, secundo vero Abrahamū recenset, & dicit: *Liber generationis Iesu Christi filii Dauid, filii Abraham?* Multi sunt respondendi modi, quos pro huius difficultatis resolutione sacri expositores assignare solent, è quibus varij formari conceptus possunt, mihi in præsenti expositio illa sufficit, quam Paulus de Palatio adfert sequens nimirum: *Quia sacra scriptura docet sinum Abrahæ esse locum refrigerij & quietis: cum igitur Abrahā designet quietem; innuit Dominus, vt filius sit Abrahæ & quietis, prius fuisse filius Dauid angustiis & laboribus pressi. Christus igitur prius fuit filius laboris & ærumnarum, sed tandem gaudij & regni.* Optima profecto responsio. Quia per Abrahamū in scriptura sacra æterna cæli requies solet intelligi, atque ideo Lazarus mendicus qui ex hac vita migrauerat, vt requiesceret in altera, in Abrahæ sinu receptus fuisse dicitur. Per Dauidem autem, qui in continuis vixit persecutionibus, ærumnæ & afflictiones intelliguntur, quæ in hoc mundo tolerantur, ideo tametsi Abraham in Genealogia Christi Dauide prior fuit tempore, ideoque primus illi ante Dauidem locus debitus fuerit, ab Euangelista tamen Abrahæ posterior locus assignatur, vt per hoc innuatur, hominē cælestis quietis & consolationis filios esse non posse, nisi prius per præsentis vitæ labores & ærumnas fuerint generati; prouti ipsimet Christo accidit, cui opus fuit ad hoc vt in altera vita requiesceret, in hac primo cruciaretur & laboraret, vtque prius Dauidis, postea vero Abrahæ filius fieret. *Prius fuit filius angustiæ & ærumnarum, sed tandem gaudii & regni.*

Matt. 1. v. 1.

Paul. de Palat. ibid.

11. Denique cum idem Dominus noster hoc Sacramentum discipulis suis explicaturus, latius cum ijsdē tractaret, tandē vt refert S. Lucas Euangelista, ait illis: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus Regnum.* Oleaster vt hanc dispositionem, de qua hic sermo est, tanto profundius intelligeret, Dominum nostrum sequentibus verbis interrogat: *Quomodo disposuit tibi Pater regnum tuū, dic nobis quæso ô bone Iesu?* Moxque responsionē subnectens: *Per calicem, inquit, Passionis;* quasi dicere voluisset: Deus mihi vnigenito suo Regnum cælorum hac lege donavit, vt eo ingredi, aut suis delitiis perfrui minime præsumerē, nisi prius amaræ passionis meæ Calicem epotassem, atque ideo necessum mihi fuit fel prius gustare, vt postea pro mellei apparatus fruitione admitti possem. Et cum hac eadem lege ego quoque idē Regnū sanctis meis donaui. Vnde perspicue liquet, necessarium nobis esse, vt vitam nostrā vitæ Christi perfectissimè conformemus. Quod si enim in hoc mundo vna cum ipso non gustauerimus de felle, impossibile erit, vt in altera vita participemus de melle. Fieri enim nequit iuxta S. Augustinum vt & in hoc mūdo & in futuro, sæculo melle cibemur: *Nemo enim potest in vtroque sæculo consolari; nec potest quis hic & in futuro gaudere, sed vnum necesse est vt perdat qui alterum voluerit possidere.*

Luca 22. v. 29.

Oleast in cap. 9. Isai.

S. August. in soliloq. c. 22.

CONSIDERATIO III.

Oportebat Christum pati.

Ex amaritudine medicinæ passionis filii Dei vtpote quæ vnica & sola infirmum iuuare hominem potest, facile conijcitur & cognoscitur enormitas & malitia peccati.

Dionysius Carthusianus Doctor extaticus dicit, mysterium propter quod Christus Dominus noster dilecto suo discipulo adinstar sardinis apparens visus fuit: *Similis erat aspectu lapidis Iaspidis & sardinis,* id est, similis

milis homini strictè firmiterque crucis ligno adstricto, donec occisus in eo esset, vti in hodierno Euangelio illis verbis innuitur: *Oportebat Christum pati*, mysterium inquam huius in eo consisteret *Vt innotescat quam enorme & graue sit peccatum: pro illius expiatione oportuit pati vnicum filium Dei*. Quare videamus qua ratione verum sit vulnera animæ nostræ ob ingentem malignitatem suam, aliud, præter sanguinem & mortem filij Dei remedium recipere nequaquam potuisse, sicque Quadragesimali huic fælicissimum finem imponemus.

Dionys. Carthus. in cap. 18. Ioan.

1. Sacer Chronista Moyses refert quod Deus vice quadam de cælo in terram respiciens, grauiaque quæ ab hominibus cõmittebãtur peccata, cernens, totum mundum vniuersalis diluvij aquis submergere statueritt *Delebo hominem, quem formaui à facie terræ: pœnitet enim me fecisse eos.* Scio equidem quia pænitentia in Deo locum non habet, hæc vltima verba communiter ita intelligãtur, nimirum Deum reuera quidem nequaquã pænituisse, sed verba ista locutum esse ad instar pænitentis cuiusdam, qui quod ex opere aliquo à se facto damnum postea resultare videat, se tali rei producendæ manũ suam vnquam applicuisse dolet, eamque proinde destruit totaliter atque disperdit. *Ad modum pænitentis se habuit*, inquit Oleaster, *qui destruit, quod fecisse pænitet*: Veruntamẽ Ruperti Abbatis explicationem insuper etiam si placet, audite: *Pænitet me fecisse eos: ac si diceret: pænitentiam agam vsque ad mortem, mortem autem Crucis* q.d. voluisset: Tametsi homines peccatores existant ac deliquerint, non vero ego, ad me tamen qui illos creare volui, spectat, vt pænam quã vsque ad crucis tormentum merebantur sustinere, ego sustineam: *Pænitentiam agam vsque ad mortẽ.* Verum enimuero quid dicis, ô dulcissime Domine? Itane? Sequiturne ex eo quod tu hominem creare dignatus fueris, te quoque post hominis peccatũ ad instar peccatoris ad peccatorum speciale seruitium mori necessario debere? Cur non potius dicis: Ipsi peccarunt ipsimet ergo quoque moriantur & condignas luant peccatorum suorum pænas? Veruntamen mirum non est quod ipsemet Deus ad mortem vsque pænitentiam se acturum prædictis verbis resoluerit. Quando enim Deus verba illa dixit, ad remedium quo peccata nostra curanda erant, respexit, quod ob infinitam Diuinæ offensæ grauitatẽ ab ijsdem manibus quibus malum patratum fuerat, proficisci nequaquam poterat. Ideoque eodemmet tempore quo ad huius misericordiæ se resoluebat, torqueri quoq; & occidi se velle simul resoluit. Tametsi enim omnes homines & Angeli passi & crucifixi fuissent impossibile tamen fuisset absque magni huius medici auxilio & sanguinis sui pretiosissimi medicamento plagas & vulnera nostra perfectè consolidare & curare, adeo maligna erãt & venenosa. *Pænitentiã agã vsq; ad mortẽ, mortẽ autẽ crucis, quia feci eos.*

Genes. 6. v. 7.

Oleast. ibi.

Rupert. Ab. de Glorific. Trinit. li. 4. c. 16.

2. Ad hanc veritatem S. Augustinus respexit, quando dicebat: *Venit de cælo magnus medicus, quia magnus per totam orbem iacebat ægrotus.* Quasi dicere voluisset. Quia magnus in terra iacebat infirmus, quem nec Hippocrates nec Galenus, denique nec Æsculapius curare & sanare volebat, opus erat vt magnus de cælo descenderet Medicus, qui illum curasset & sanasset. Adeo nãque maligna erat ægroti huius infirmitas, vt nisi Deus ipsemet in terrã descendisset illũque visitasset, etiãnum adhuc lecto affixus & infirmus esset.

S. Augu[st]. ser. 9. de Verb. A[post].

3. Innocentius III. Summus Pontifex audiens Isaiam Prophetam ob Natiuitatẽ Filij Dei lætabundum dicere: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*, eundem sic alloquitur: Dic sodes ô Propheta, quid tibi videtur Deum ad hoc mouisse, vt filium suũ vnigenitum nobis daret? Mox vero eundem sic introducit respondentem: *Nobis datus est à Deo, vt Deo redderetur à nobis pro debito.* q.d. Quia homines ob Deum grauissime offensum, immenso quodam debito diuinæ iustitiæ obstringebantur, tantum vero æris, vt ab illo se debito liberarent, congregare, propter summam paupertatem humanæ facultates non valebant, pientissimus Deus, tantæ miseriæ compassione commotus, filium suũ vnigenitum eisdem dare voluit, vt hic crucifixus vitam cum sanguine effunderet, perque infinitum sanguinis effusi valorem, summam æris alieni quam debebant, ad sufficientiam vsque dilueret, sine quo factæ solutionis subsidio semper debitores mansissent, Infernique carceribus æternum dedicata mancipia, tametsi etiam vniuersas diuitias, quas terra siue edit, siue reconditas, in se tenet prodigalissime erogassent.

Isai. 9. 6.

Innoce[nt]. 3. serm[o] Natiu[it].

4. Per Angelum illum fortem, quem S. Ioan-

Ioannes Revelationum suarum cap. 10. vidit, qui solem quendam vultu suo referebat, quique caput suum Iride habebat circumdatum: *Iris in capite eius, & facies eius erat vt sol.* Per
Apoc. 10. hunc inquam sacri expositores Christū Salvatorem nostrum intelligendum esse existimant. Cujus vultum sole lucidiorem fuisse alibi attigimus; Imo si Domino ita placuerit alibi alia data occasione, nobilem quendam sensum apperiemus, quem in præsenti quia proposito nostro non servit, omittendum esse duximus. Nunc videndum restat quid Iris illa significet quæ Caput, non vero brachia, aut dorsum, aut quamvis aliam corporis partem circumdedisse dicitur. Pro cujus intelligentia sciendum est quod sicut in Genesi legitur, Iris assumpta sit pro symbolo reconciliationis hominum cum Deo peccatis nostro offenso. Vnde Deus cum Moyse loquens, illam appellavit *Signum fœderis in-*
Genes. 9. v. 12. *ter me & vos.* In Christo autem efficaciam passionis & mortis suæ, Deum hominibus reconciliantis significat. *Iris in capite eius*, inquit Hugo Cardinalis *Id est vis & potentia reconciliandi & propitiandi.* Deniq; quod Chri-
Vgo Cardinal. in cap. 10. Apoc. stus Iridem non inter brachia, aut in humeris, sed circum caput positam habuerit. Iris in capite ejus, hujus ratio ex ejusdem Doctoris hæc est, quia non esset pretium sufficiens, nisi esset Deus, quasi dicere vellet: Quia caput Christi, vt dicit Apostolus, Deus est.
1. Corinth. 11. v. 3. *Caput Christi Deus.* Hinc Iris, id est vis & efficacia pretiosi sanguinis quo sumus reconciliati, in nulla alia Corporis Christi parte, quam in capite, id est, in Divinitate apparuit: Nisi enim Sanctissimus & salvificus ille sanguis Dei sanguis fuisset, pro humanis debitis adeo enormibus & exorbitantibus, nunquam satisfecisset vt igitur realis & efficax debiti istius solutio semel fieret, necessum fuit vt Deus de cælo descendens homo fieret, divinumque Sanguinem suum funderet, secus enim æternæ mortis debitores semper permansissent. *Quia non esset pretium sufficiens, nisi esset Deus.*

Isa. 28. v. 21. 5. Circa illum Isaiæ locum. *Vt faciat opus suum, alienum opus ejus; vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ob eo*, egregiam in S. Gregorio Magno ponderationem, si placet, observate. Hæc namq; verba, inquit Sanctus hic Pontifex prima quidem facie paradoxū quoddam esse videbuntur. Quod si enim Deus opus suum facit quomodo alienum opus facere dicitur, si enim est suum, quomodo erit alienum, aut si est alienum, quomodo suum erit? Veruntamen eadem verba benè profundeque considerata talia non esse depræhendentur; De Dei enim incarnati passione & morte loquitur, in qua instar peccatoris cujusdam in ignominioso Crucis trunco vulneratus, passus & occisus pro peccatis nostris satisfecit, divinamque in nos gratiam introduxit. In quo quidem opere duo videntur. Vnum est peccatorum satisfactio quæ quia est opus infiniti valoris, ad quod vis & efficacia creata nihil conferre potest, ad Deum duntaxat pertinet. Alterum autem est pati & mori id quod à Deo prorsus est alienum, vtpote qui impassibilis est & immortalis. Vt igitur Deus opus suum faceret, id est, hominem cum Deo reconciliaret, opus alienum, id est Divinæ Naturæ minime consonum facere id est homo fieri sicque S. Gregor. homil. 19. in Ezich.
pati & mori voluit. En ipsissima S. Doctoris verba: *Vt faciat opus suum, alienum opus eius. Quia incarnatus Deus vt nos ad suam justitiam colligeret, dignatus est pro nobis tanquam peccator vapulare. Et alienum opus fecit, vt faceret proprium.* Bene ad hunc locum attendite, & videte qualiter peccatorum nostrorum satisfactio, opus Deo proprium appelletur: *Opus suum*, vtpote quod omnem tam hominum quam Angelorum facultatem longe superabat. Idque dicitur vt significetur animarum nostrarum infirmitatem adeo fuisse gravem, malignam & lethalem, vt solum Divini sanguinis lavacrum, non vero vllum aliud medicamentum illi subvenire potuerit. *Alienum opus fecit, vt faceret proprium.*

6. Cur obsecro Christus in Cruce exaltatus & clavis affixus mori voluit, qui tot mortis generibus mori poterat, scilicet vel in igne cremari de monte præcipitari, in mare submergi, lapidibus obrui, à veneno intoxicari & occidi & sic per alia mortis tormenta discurrendo? S. Vincentius Ferrerius respondet & causam illius assignat dicens: *Elegit* S. Vincent. Ferreri. serm. de exaltat. S. Crucis
arborem Crucis vt fructus infiniti valoris restitueretur arbori. Pro meliori intelligentia eius quod S. Doctor dicit sciendum est, Sanctam Crucem, vti à nonnullis historiis narratur, Crucis lignum quoddam fuisse ex eodem Paradisi trunco decerptum, vnde Adam fructum tulerat

erat prohibitum. Quia autem fructus iste ratione peccati contra Deum commissi infinitæ grauitatis erat, adeoq; Deo qui Paradisi dominus erat æquiualens fieri restitutio seu satisfactio debebat, pro qua nec homines, nec Angeli, nec cuiuslibet alterius creaturæ vires & opera, vtpote quæ finiti tantũ & determinati valoris erant, suffecissent opus omnino erat vt Deus homo fieret, isque pretiosi corporis sui fructum, qui ob personæ cuius erat, infinitatem, virtutis quoq; & valoris erat infiniti, in crucis arbore suspendẽdo, æquiualentẽ & prout Theologi dicunt. *Ex rigore iustitiæ*, furti commissi satisfactionem facere posset. Ecce igitur causam hic habes ob quã Christus in cruce, non vero in alio mortis instrumento mori voluerit: *Vt fructus infiniti valoris restitueretur arbori.* Atque ideo Venetiarum Patriarcha dicit: *Ex pretio prorogato pro te, Redemptoris tui agnosce munus, tuaq; prauaricationis pondus.* Ex infinito pretio quod Deus tui amantisimus pro animæ tuæ redẽptione erogauit, non solum admirabilẽ eius cognoscere pietatem, verũ etiã immensam peccati tui conijcere grauitatẽ & enormitatẽ debes, cum enim pro illi⁹ reconciliatione nulla qualiscunq; etiã creatura sufficeret, necessum fuit vt ipsemet Deus homo fieret, Diuinus eius effunderetur sanguis, atq; in cruce pro te moriẽs debitum loco tui exsolueret, faceretq; furti tui restitutionẽ: *Agnosce tuæ prauaricationis pondus.*

S. Laurent. Iustini. de Vit. felit. c. 5

7. Glossa ordinaria verba illa Apostoli ad S. Timotheum scripta: *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere*, explicat, & obseruat Apostolum non dicere: *Venit in hunc mundum iustos glorificare, sed peccatores saluos facere.* Indeque hanc colligit consequentiam: *Non ergo eum de cælo ad terram merita nostra sed peccata traxerunt.* Obseruate bene vim verbi illius. *Traxerunt.* quod violenter trahere significat, quasi viscerosissima Dei pietas suppositis peccatis nostris intermittere nequiuerit, quin ipsum hominem fieri, & pro hominibus mori cogeret. Sed quomodo Diuina pietas intermittere non potuit, quin hoc curaret? Num forte Deo remedia deerant, quibus hominem à peccato soluere, & ad Cælum perducere posset? Nequaquam talia deerãt: at vero posteaquam restitutionem fieri voluit, *Ex rigore iustitiæ* prouti diximus, hanc autem satisfactionem nulli qualicunque etiam committere potuit Creaturæ, quæ Deus non esset, posset, quia cum eius meritum, sit finitum, satisfacere pro peccato grauitatis infinitæ non poterat, omnino necessarium erat vt Deus in terram descenderet, homo fieret, atque infinito mortis suæ valore pro infinita transgressionum nostrarum grauitate satisfaceret: *Peccata nostra traxerunt.*

1. Thimo. 1. v. 16. Glossa.

8. S. Ambrosius considerans quod Moyses tantus Dei amicus, & Aaron frater eius & summus Sacerdos, terram promissionis ingredi non potuerint cum tamen Iosue eo intrauerit, curiose sciscitatur Quid est quod cum Iosue non fuerit sanctior & perfectior Moyse & Aarone, ille tamen dignus reputatus fuerit qui delitiosam illam ingrederetur religionem, hi vero duo magni Dei amici, foris exclusi fuerint, tanquam possessione loci illius indigni? Moxque rationem subnectit, dicens: *Solum Iesum Naue nominis sacri similitudo seruauit.* q. d. Quia Iosue in suo nomine sacratissimum Iesu nomen portare meruit, ideo in beatam illam regionem introductus fuit cum tamẽ Moyses & Aaron inde remanserint exclusi. Ex qua responsione ingẽs quoddã elicere licet mysteriũ, videlicet vt dicamus quod in beatam illam æternæ gloriæ regionem, per terram promissionis significatam, nullus hominum quantumcunque sanctus & perfectus pedem inferre possit, nisi nomen Iesu Christi habeat & Christianus fuerit, idest, nisi pretioso, magni Dei sui sanguine fuerit redemptus Adeo namque admirabilis & incredibilis est enormitas peccati vt tametsi homines sustinere qualemcunque possibilem pœnam possent, inimaginabilibusque onusti essent meritis, extra cælum tamen semper excludendi essent, nisi Christus Iesus per infinitum meritorum suorum valorem pro illis satisfaceret, immensumq; gloriæ impedimentum remouerent. *Solum Iesum Naue nominis sacri similitudo seruauit.*

S. Ambros. in psalm. 118. Oct. 1

9. Scribit Iacobus Cardinalis Aconẽsis in India certã quandam reperiri arborẽ iuxta maris littora proximè plantatam, quæ admirabilis Naturæ fructus producit: postquã enim hi maturuerũt, ab arbore decidere, & alij quidẽ in terrã, alij in aquas cadere solent: Et sicut fructus in terrã decidui putrefiunt, ita qui in aquas labũtur, vitam recipiũt & sensim ac paulatim post natas illis plumas & alas aues inde fiũt, & volant. Dicere possumus huius mundi homines nihil esse aliud, quã eiusmodi fructus, siquidẽ quãdo nascuntur, alij cadũt in terrã infidelium, alij vero in sacri Baptismatis aquas. Certũ est itidẽ quod sicut illi perduntur & dãnantur: ita hi propter sanguinis Christi valorẽ sacri baptismatis aquis cõmunicatum, viuificantur, plumescunt, atque in altũ volantes cælũ intrant, vti S. Macarius inquit: *Christus immolatus est, & sanguis eius nos aspergens, fecit, vt nascerentur nobis alæ. Dedit enim nobis alas spiritus sancti ad volãdum sine impedimẽto in aerem diuinum.* Ex quo immensa patescit grauitas peccati quod aliud habere remediũ non potest, quã filij Dei sanctissimum sanguinẽ, Illi namq; qui hoc remedio abundant, salutẽ & vitam æternã recipiunt, alij vero quibus hoc deest cum nullũ alia via habere possint subsidiũ, æterna morte moriuntur. A qua nos clemẽtissimus Deus per suam misericordiam liberet semper. *Et in sæcula sæculorum. Amen.*

Iacob. Aconiens. Card. lib. Orient. Hist.

S. Macar. homil. 47.

FINIS PARTIS SECVNDÆ.

IN-

INDEX

PROPOSITIONVM SIVE CONSIDERATIONUM QUÆ IN PRÆSENTI OPERE TRACTANTUR.

FERIA 6.

Post Dom. 3. Quadragesimæ.

1. Tametsi Deus ad nos locupletandos magnanimum se semper & liberalem exhibuerit, attamen in pretiosi sui sanguinis effusione prodigus omnino & dissipator videri voluit, pag. 2

2 Causa ob quam mundani homines Deũ & gratias illius nihili faciant, non est alia, quam ignorantia qua laborant; Bonũ enim quod non cognoscitur, nihil etiam æstimatur, pag. 7

3. Ad sustinendum & tolerandum continua & enormia hominum peccata, non sufficit patientia humana, qualiscunque demũ illa sit, sed opus est patientia Dei, pag. 13

SABBATHO.

Post Dom. 3. Quadragesimæ.

1. Pietas diuina quam Deus generi humano exhibet fructus & partus est viscerosæ pietatis Beatissimæ V. MARIÆ pag. 21

2. *Beatam virginem factam esse Matrem Dei est quoddam* Non plus vltra *Diuinæ omnipotentiæ*, pag. 29

3. Deiparæ Virgini obligatus est vniuersus mundus, ipsa namque cunctorum Domina est atque peccatrix; pag. 33

DOMINICA 4. QVADRAGESIMÆ

1. Oculi Dei è quibus cuncta bona cœlestia in terram descendunt neminem vsquam solent respicere, quem non omnibus possibilibus & desiderabilibus bonis adimpleant pag. 40

2. Nisi temporalia bona nostra in Christi collocentur manibus, impossibile est vt alia quacunque via multiplicari possint, pag. 45

3. Verè miser est ille qui in mundi confidit fauoribus, vtpote qui neminem exaltat, quin eundem quoque subito deijciat atque præcipitet, pag. 50

FERIA 2.

Post Dom. 4. Quadragesimæ.

1. Magna Deus facere solet ad hoc vt mũdus nullum alium honoret, aut adoret, p. 56.

2. Tam ingens est zelotypia qua Deus versus animas nostras ardet, vt nisi in earundem semper sit societate nullam inuenire videatur requiem, pag. 63

3. Tam ingens est eorum culpa qui sacra templa prophanãt, quam est ingens ea quam erga eadem merito exhibere debent Reuerentia pag. 67

FERIA 3.

Post Dom. 4 Quadragesimæ.

1. Virtutis valor & pretiũ adeo est ingens & admirabile vt in ipsomet quoque inimicorum suorũ ore sua lumina diffundat, p 73.

2. Adeo proprium est peccatori culpam propriam in alienos humeros conijcere, vt ne ipsi quidem Deo hac in re parcat, pag. 77.

3. Nisi Deus armatis quasi manibus Diuites vrgeret ad bene operandum saluari quã difficillimè possent, pag. 82

FERIA 4.

Post Dom. 4 Quadragesimæ

1. Cum in salutis nostræ negotijs tam ingens merito adhiberi debeat diligentia, vt Christus, qui bona nostra corporalia obiter tantum & per transennam curabat, animarũ nostrarum commerciũ tamen summa cum sollicitudine & anxitate tractãrit, adeoque ostenderit, maiorem merito animarum quã corporum curam habendam esse, nos tamen omnino contrario modo nos habemus, facimusque prorsus oppositum, pag. 88

2. Nihil adeo timere debent homines maxime cum de Dei honore agitur, quam vt homines timeant, pag. 93

3. Pauperes nullam habent dolendi aut lamentandi rationem, licet se coram mundo despectos videant & repudiatos; siquidem tam charis à Christo stringuntur amplexibus, tantisque ab eodem cumulantur fauoribus, vt si diuitibus sanum esset cerebrum, inuidere ijs merito possent. pag. 98.

FERIA 5.

Post Dom. 4. Quadragesimæ.

1. Facies mortis adeo est horrenda & terribilis, vt etiam viri sancti & perfecti, nedũ peccatores illam mirum in modum expauescant pag. 104.

2. Diuina misericordia & peccatoris vita adeo stricto inter se vinculo connectuntur vt vno eodemque tempore quo hæc extinguitur, illa quoque deficiat, diuinaque in eius locum iustitia subingrediatur. pag. 110.

3. Qui in diuinæ gratiæ statu ex hac vita migrarunt, nequaquam mortui, sed viui dicendi sunt. Cuius oppositum infœlicibus peccatoribus accidit, qui etiã dum viuunt, inter mortuos sunt numerandi. pag. 114.

FERIA 6.

Post Dom. 4. Quadragesimæ.

1. Maximum infortunium quod mundo accidere possit, est mors alicuius veri serui Dei. pag. 121.

2. Adeo grauia & ingentia sunt mala illa quibus referta est præsens vita, vt mors potius & infernus æstimari debeat, quam vita. pag. 1 8.

3. Quia sancti nullas ærumnas æque timent ac peccatum, ideoque maiorem habent offensæ diuinæ formidinem, quam mortis aut inferni, pag. 123.

SABBATHO

Post Dom. 4. Quadragesimæ.

1. Quia Deipara virgo lucem mundi Christum Dominum nostrum in virgineo suo ferebat vtero, ideo sole amicta, lunam sub pedibus premens, & stellis in capite redimita apparuit. pag. 129.

2. Profunda Deiparæ Virginis humilitas in cœlo per vestem seu amictum solis, per calceos lunæ, & ex stellis concinnatum diadema clare manifestatur. pag. 134.

3. Nemini mirũ videatur, tam prono Dei matri ẽ in genus humanũ ferri affectu, siquidem ipsa visceribus suis inclusum solẽ lunam sub pedibus, & in capite stellas collocatas defert, pag. 138

DOMINICA

Quinta siue Passionis.

1. Maior homini alicui peruersa accidere crux nequit, quam hominis alicuius sancti societas. pag. 144.

2. Adeo verum est hic in mundo inter mera mendacia vitam traduci, vt qui verum dicere audet, nullum hic prætendere bonum possit. pag. 148.

3. Mundus Dei seruos hic onerat grauissimis malis & ærumnis, quia videt quod hi malum pro malo reddere nec sciunt, nec volunt. pag. 155.

FERIA 2.

Post Dom. 5. Quadragesimæ

1. Adeo magna est Dei prouidentia erga amicos suos, vt dum peccatores enecantur fame, iusti econtra panibus abundent. p. 158

2. Amicus Dei adeo super alios homines est sublimatus vt non homo, sed Angelus, imo Deus quidam esse appareat pag. 163.

3 Quantum Deus sollicitus est, vt nobis per gratiam suam succurrat, tantundem nos pigri sumus & inertes, vt operam nostram in ipsius impendamus seruitium. pag. 169

FERIA 3.

Post Dom 5. Quadragesimæ.

1. Adeo ingens est Christianorum in sacrorum festorum celebratione abusus vt hominum potius & Dæmonum, quam Dei festa esse videantur. pag. 175.

2. Parentes & amici sunt maximi inimici quos homo inter homines habere potest, pag. 179

3 Detractio est vitium adeo horrendum & immundum, vt qui illud exercent, difficillime ad videndam faciem Dei pertingere possint pag. 185.

FERIA 4.

Post Dom. 5. Quadragesimæ.

1. Beatorum gloria quæ electis absque vllo respectu ad merita donatur eisdem fine meritis nequaquam donatur. pag. 190

2. Sicuti homo peccator quoadusque viuit, damnatus existimari nequaquam debet, ita nec iustus præsumendus est saluus. Oculi namque nostri profunda diuinæ prouidentiæ iudicia penetrare minime possunt. pag. 195

3. Numerus eorum qui Christum sequuntur

quuntur adeo est ex exiguus, illorum vero qui Dæmoni adhærēt, tantus vt ob id Christus merito pauper, Dæmon vero æstimandus sit diues. pag. 200

FERIA 5.

Post Dom. 5. Quadragesimæ.

1. Post auroram verecundiæ peccati, Sol diuinæ gratiæ, qui peccati tenebras dispellit ortum suum minimè tardat. pag. 206

2. Sicut magnes ferrum attrahit, ita humilitas post se trahit cœli gratias. pag. 210.

3. Violentia qua lachrymæ vrgent & sollicitant humanarum culparum condonationem adeo est ingens, vt ne ipse quidem Deus illi resistere posse videatur. pag. 216

FERIA 6.

Post Dom. 5. Quadragesimæ

1. Homo ingratus non tantum reputandus est quasi bestia esset, verum etiam æstimari debet bestia deterior, pag, 222

2. Quod si miracula quæ Christus patrabat, ipsum vna ex parte verum Dei filium esse manifestabant, ex altera parte inuidia quæ Hebræos excæcauerat, ipsum haud secus ac simplicem quendam & vulgarem hominem reputabat, pag. 227

3. Adeo ingens est peccatoris ignorantia vt in ipsis quoque mundi negotijs, exiguo se iudicio præditum esse ostendat, vtpote quod in rebus diuinis totaliter iam perdidit, pag. 232

SABBATHO.

Post Dom. 5. Quadragesimæ.

1. Omnia ad Deiparam pertinentia, tali ratione à diuina gratia cernebantur disposita, vt ~~videri merito~~ potuisset Naturam nullam ad eandem applicuisse manum, siue sonatum, pag. 238

2. Quisquis Beatam Virginem hic in terra constitutus considerasset, persuasum sibi omnino habere potuisset illam in cœlo & non in terra genitam fuisse, vtpote cuius gressus potius cœlestes erant, quam terreni pag. 242

3. Adeo Deipara in se diuini quippiam latere ostendebat, vt nisi fides vnum duntaxat Deum esse nos doceret fideles illam haud secus ac Deam veram honorare & adorare potuissent. pag. 246.

DOMINICA

Palmarum.

1. Nunquam Deus tantum plausum exhibet, omnesque Creaturas vt secum congaudeant inuitat, sicuti facit, dum nos de peccatis nostris dolemus, pag. 251.

2. Sicut humilitas vestium index est virtutum, ita superbia argumentum est vitiorum, pag. 256

3. Adeo facilis est salus nostra vt is duntaxat à salute excidat, qui vltro citroque saluari detrectat, pag. 260

FERIA. VI.

Parasceues.

1. Non Hebræus, sed amor carnifex ille fuit, qui Filium Dei vulnerauit & occidit, pag. 266

2. Dum vnigenitus Dei filius nostram operatus est salutem, in profundam adeo humilitatis abyssum visus est descendisse, vt cū verus Deus fuerit verusq; homo, tamen nec Deus nec Homo tunc apparuerit, pag 271.

3. Nunquam inter homines visus est adeo prodigus bonorum suorum dissipator, qualem Christus eo tempore se ostendit, quo mortem operiebatur, pag. 275

4. Nullam Hebraica crudelitas viam prætermisit, qua sese contra filium Dei per inaudita exempla non armarent sibique de Martyrio filij Dei complete & ad satietatem vsque non satisfacerent, pag. 279.

5. Filius Dei eo tempore se quam maxime erga homines pium exhibuit, quo ab hominibus quam maxime offendebatur & affligebatur. pag. 284.

6. Ille patientiæ excessus quē filius Dei eo tempore exhibebat, quo passionis suæ subiacebat tormentis, demōstrabat corpus eius ex metallo potius quam vti reuera erat ex carne & sanguine fuisse compositum. p. 289.

7. Adeo funestū & lachrymabile erat terribile illud martyrij filij Dei spectaculū, vt non homines duntaxat & angelos, sed ipsasmet quoque creaturas insensatas ad compassionem commouerit, licet Dæmoniaca Iudæorum corda in maiorem inde fuerint obdurationem redacta. pag. 293.

8. Impossibile est, vt homo quamuis alias mille pœnarum generibus fuerit oppressus, illos sustinere dolores possit, quos Christus passionis suæ tempore tolerauit. pag. 293

9. Quantum rabida Hebræorum Gens Christum torquere desiderabat,

tantum

tantum imo plus illum diffamare decreuerat. pag. 302.

10. Vt illum doloris excessum quo viduatæ matris anima in vnigeniti filij Dei morte videbatur transfixa aliquatenus à nobis appræhendi possit, conuenientiori ad id similitudine vti non possumus, quam à mari sumptam. pag. 304.

DOMINICA RESVRRECTIONIS

1. Lumen illud quo Christus veluti sol quidam semper fuit circumdatus in Resurrectione sua adeo accreuit, vt nisi ipsum temperasset & abscondisset, videri à discipulis suis minimè potuisset. pag. 311.

Quod si vultus Christi IESV Domini nostri liuoribus onustus, coopertus sputis proprioque sanguine tinctus adeo fuit spectabilis, qualis igitur postea factus esse debuit, quando gloriosus fuit, atque beatus, p. 317.

3. Velox Christi cursus, quem à Passione sua ad Resurrectionem confecit, ostendit labores & ærumnas nostras respectu earum consolationum quas expectamus, breues esse & momentaneas. pag. 312.

Feria 2. Paschatis.

1. Necessum est vt nos bene habeamus in ordine ad Deum, quales enim nos erga illum sumus, talis & ipse nobiscum erit. pag. 327

2. Incredibile incendium quod in Christi pro nobis patientis ardebat pectore efficiebat vt pœnas haud secus ac rem quandam omni iubilo & lætitia plenam adoriretur, pag. 332.

Quanto cum desiderio & auiditate à nobis excipi & audiri debeant verba diuina, vtpote quæ instrumenta sunt maximorum bonorum quæ in hac vita possunt desiderari. pag. 336.

Feria 3. Paschatis.

1. Sicuti discordia eneruat, deijcit & disperdit humanas Respublicas, ita concordia easdem confortat & corroborat atque indomabiles quasi reddit. pag. 341.

2. Priusquam cœlestis beatitudinis melle frui possimus, opus est vt fel ærumnarum & aduersitatum huius vitæ prægustemus. pag.

3. Ex amaritudine medicinæ passionis Filij Dei, vtpote quæ vnica & sola infirmum iuuare hominem potest facile conijci & cognosci potest grauitas & malitia morbi peccati. pag.

INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRÆ.

Quæ in hoc opere solummodo explicantur atque illustrantur.

GENESIS.

Cap. 1.

v. 1. In principio creauit Deus cœlum & terram, Fer. 4, Dom. 4, consid. 1, num. 4.

v. 27. Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, masculum & fœminam creauit eos, Fer. 3, Pascha consid. 1, num. 3.

Cap. 2.

v. 2. Requieuit die septimo ab omni opere, quod patrarat, F. 2, D. 4, c. 2, n. 4.

v. 15. Tulit Deus hominem & posuit eum in paradisum voluptatis, Dom. Palmarum consid. 3, n. 4.

v. 16. Ex omni ligno quod est in Paradiso

radiso comedes, de ligno autem cogenoscendi bonum & malum, ne edatis de illo, F.4, D.5, c.3, num.5.

v.17. In quocunque die comederis ex eo morte morieris, F.5, D.4, c.2, n.4.

v.21 Immisit Dominus Deus soporem in Adam cumque obdormisset tulit vnam de costis eius, F.3, D.4, c.3, n.10.

Cap.3.

v.5. Nequaquam moriemini, scit enim Deus, quod in quacunque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij F.3, D.4, c.2, n.9, Et F.5, D.4, c.3, n.14.

v.7. Cumque cognouissent se esse nudos consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, F.5, D.5, c.1, n.5.

v.8. Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, F.2, D.4, c.2, num.7, Et F.2, D.6, c.3, num 10.

v.9. Abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini, F.5, D.5, c.1, n.4, Et F.6, D.5, consid.1, num 8.

v.12. Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi. F.3, D.5, c.2, n.6.

v.21. Fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos F.5, D.5, c.2, n.1, Et Dom. Palm c.2, n 2.

v.24. Collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim. Dom. Palm c.3, n.9.

Cap.4.

v.5. Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius &c. Dom.4, c 1, n 5.

v.15. Posuit Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum F.6, D.4, c.2, n.10.

Cap.5.

v.24. Henoch ambulauit cum Deo & non apparuit, quia tulit eum Deus. F.6, D.4, c.1, num.13.

Cap.6.

v.6. Tactus dolore cordis intrinsecus, Fer.6, Parasc.c.8 n 10.

v.7. Delebo inquit hominem quem formaui à facie terræ: pœnitet enim me fecisse eos F.3, Pasch. c.3, n.1.

v.15. Trecentorum cubitorum erit longitudo eius, & in cubito consummabis summitatem eius. F.4, D.5, c.3, n.4.

Cap.8.

v.7. Dimisit coruum qui egrediebatur & non reuertebatur, D.5, c 1, n.6, Et F.6, D.5, c.1, n.9.

v.11. Illa venit ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo, F.3, Pasch. c.1, num.4.

v.13. Arcum meum ponam in nubibus cæli, & erit signum fœderis inter me & inter terram, Dom. Resurrect. c.2, n.5.

Cap.15.

v.12. Sopor irruit super Abram & horror magnus, dictumq; est. &c. F.6, D.4, c.3, n.2.

Cap 17.

v.3. Cecidit Abram in faciem suam & risit F.2, D.4, c.3, n.5.

v.5. Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham &c. F.2, Pasch. con. 3, num.8.

Cap.18.

v.3 Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas à seruo tuo &c. D.4. c.2, n.14.

v.32. Non delebo propter decem F.6, D.4, c.1, num.5.

Cap.19.

v.9. Ingressus es vt aduena, nunquid vt iudices. D.5, c.1, n.9.

v.17. Salua animam tuam &c. Non possum in monte saluari. D.5, c.1, n.4.

Cap 22.

v.17. Multiplicabo semen tuum sicut stellas Cæli, & velut arenam D.5, c.2, n.6.

Cap.28.

v.11. Tulit de lapidibus qui iacebant, & supponens capiti suo, &c F.3, Pasch c.1, n.8.

v.12. Vidit in somnis scalam stantem super terram, Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam F.2. D.5, c.2, n.9.

v.13. Et Dominum innixum scalæ, F.2, D.5, c.3, n.2.

Cap.31.

v.15 Nonne alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum F.3, D.5, c.2, num.8.

v.42. Nisi Dominus Patris mei Abraham, & timor Isaac &c. F.4, D.5, c.2, n.11.

Cap.37.

v.9. Vidi per somnium, quasi lunam & solem, & stellas vndecim adorare me. Sabb. D.4, c.2, num.3.

Cap.39.

v.4 Benedixit Dominus domui Ægyptij propter Ioseph & multiplicauit, &c. Dom. 4. c.2, num.15.

v.18. Ingressus est ad me seruus Hebraus, vt illuderet mihi &c. D.5,c.3,n.2.

Cap.40.

v.8. Iuda te laudabunt fratres tui, adorabunt te filij patris tui. D.4,c.3,n.8.

Cap.43.

v.9. Ego suscipio puerum, de manu mea require illum &c. F.6, D.4.c.3,n.6.

v.32. Illicitum est enim Ægyptijs comedere cum Hebrais, D.5,c.1,n.10.

Cap.45.

v.26. Ioseph filius tuus viuit. F.5.D. 4,c.3. num.9.

Cap.49.

v.3. Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea & principium doloris mei. F.6, Dom. 4,c.3. num.4.

EXODI.

Cap.3.

v.5. Solue Calceamentum de pedibus tuis. F.4, D.4,c.2,n.8.

Cap.4.

v.1. Non credent mihi, neque audient vocem meam &c. F.3, D.4,c.2,n.7.

Cap.7.

v.1. Ecce constituo te Deum Pharaonis. F.6, D. 3,c.3,n.2.

Cap.9.

v.3. Ecce manus mea super agros tuos & super equos &c. F.2, D.4,c.1.n 10.

Cap.13.

v.5. Cum introduxerit te Dominus in terram, quam iurauit Patribus tuis. Fer.3. Dom. 4.c.2. num.10.

Cap.14.

v.12. Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos, vt moreremur in solitudine. F.6, D.5,c.1,n.11.

v.22. Persequentesque Ægyptij ingressi sunt post eos reuersaque sunt aqua. F.6. D.5. consid.3. num.11.

Cap.15.

v.21. Tulit autem Moyses Israel de mari rubro. F.3. D.4.c.3,n 9.

Cap.16.

v.20. Dimiserunt quidam ex eis vsque mane & scatere capit vermibus. F.6, D.3,c.1,n.2.

Cap.17.

v.4. Quid faciam populo huic, adhuc pusillum & me lapidabit. F.6, D.4,c.3,n.8.

Cap.20.

v.4. Non facies sculptile, neque omnem similitudinem, qua est sub calo &c. F.2. D.4,c.1.n.6.

v.8. Memento vt diem Sabbathi sanctifices. F. 3. D.5,c.1,n.5.

Cap.22.

v.1. Surge fac nobis Deos qui nos pracedant. F.4, D.4,c.2,n.2.

Cap.24.

v.10. Viderunt Deum Israel & sub pedibus eius, quasi opus lateris F.3, Pasch.c.1,n.10.

v.16. Septima autem die vocauit eum Dominus de medio caliginis. F.2, Pasch.c.3,n.2.

Cap.25.

v.30. Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. F 2, Pasch.c.1.n.9.

Cap.26.

v.34 Pones propitiatorium super arcam testimonij, F 2, D.5,c.3,n.5.

LEVITICI.

Cap.1.

v.15. Offerat eam sacerdos ad altare retorto ad collum capite, F.5 D.5,c.2,n.3.

Cap.2.

v.11. Omnis oblatio qua offeretur Domino, absque fermento erit. F.6, D 3,c.3,n.9.

v.24. Dabo vobis hareditatem fluentem lacte & melle. D.4,c.1.n.4.

Cap.5.

v.11. Nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est F.4, D.5,c.2,n.4.

Cap.24.

v.15. Homo qui maledixerit Deum peccatum accipiet, nominans autem &c.

NVMERORVM

Cap.1.

v.2. Tollite summam vniuersa congregationis filiorum Israel, F.4. D.5,c.3,n.10.

v.47. Leuita autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis, F.2, D.5,c.2,n.2

Cap.4.

v.7. Panes semper in ea erunt. F.2. D. 5,c.1, num 9.

Cap.8.

v.24 Hac est lex Leuitarum à viginti annis & supra, ingredientur vt ministrent in tabernaculo. Dom.5.c.1,n.11.

Cap.11.

v.4. Vulgus quippe promiscuum flagrauit desiderio, & flens ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes, F.5, D.5,c.3,n.6.

Cap.

Cap.12.

v.3. Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, Dom.5,c.3,n.3.

v.5 Descendit Dominus in columna nubis, & stetit in atrio tabernaculi &c. Fer.3, Dom.5,c.3, num 9.

v.10. Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. F. 3, D.5, c.3, n.8.

Cap.13.

v.33 Detraxerunt terra quam inspexerant apud filios Israel F.3, D.4, c.1, n.3.

v.34. Terra quam lustrauimus deuorat habitatores suos. F.6, D 5, c.3, n 4.

Cap.14.

v.4 Dixerunt alter ad alterum: constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum, D.4, c.3, n.5.

Cap.21.

v.8 Fac serpentem aneum. Fer.6, Parasc.c.6, num.1.

Cap.23.

v.11 Vt maledicas inimicis meis vocaui te; & tu econtrario benedicis? F.3, D 4, c.1, n 7.

Cap 28.

v.1 Oblationem meam & panes & incensu m odoris suauissimi offerte per tempora sua. Dom. Palmarum c.1 n.1.

DEVTERONOMII.

Cap.2.

v.7 Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum, Fer.2, Pasch. c. 3, num.7.

Cap 4.

v.24. Dominus Deus tuus ignis consumens est. Sabb. D.4, c.3, n.6.

Cap.5.

v.6. Ego Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti; Dom. 4, in Exord. sermonis.

Cap.8.

v. 26. Nequaquam vltra loquaris de hac re ad me. Fer.4, D.4, c 3, num. 6, Et Fer.3, D.5, c.3, n.7.

Cap 25.

v.3. Vt quadragenarium numerum non excedant. F 6. Parasc c.9 num.2.

Cap.33.

v.26. Ascensor cœli auxiliator tuus. F.2, D.5, c.3, n.1.

Cap.34.

v.5. Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab iubente Domino & sepeliuit eum F.2, D.4, c.1, n.2.

IOSVE

Cap.5.

v.16. Solue calceamentum de pedibus tuis. F. 2, D.4, c.3, n.7.

Cap.14.

v.9 Recessit ab eis omne præsidium. F.6, D.4, c.1, n.2.

IVDICVM

Cap.3.

v.11, Mortuus est ibi Othoniel filius Cenez. F. 6, D.4, c.1, n.12.

Cap.11.

v.30. Votum vouit Domino dicens: si tradideris filios Amon. F.3, D.5, c.2, n.2.

1. REGVM

Cap.1.

v 20. Concepit Anna & peperit filium vocauitque nomen eius Samuel. F, 4, D.5, c.1, n.2.

v.4. Caput autem Dagon & duæ palmæ abscissa erant super limen, F.2, D.4, c.3, n.1.

Cap.16.

v.1. Veni vt mittam te ad Isai Bethlehemitem prouidi enim ex filiis tuis Regem, F.3, D.5, c.2, num.10.

v.18. Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere &c F 3, D 4 consid. 1, n.1.

v.23. Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, recedebat enim ab eo spiritus malus. F. 3. Pasch.c.1, n.9.

Cap.17.

v.49. Misit manum suam in peram tulitque vnum lapidem. F.3. Pasch.c.1, n 5.

Cap 18.

v.7. Percussit Saul mille, & Daniel decem millia. F, 6, D.5, c 2, n 10.

Cap.21.

v.13, Immutauit os suum coram eis & collabebatur inter manus eorum, F. Parasceues c.1, num.1.

2. REGVM.

Cap.9.

v.3, Nunquid superest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei F.6, D.3, c.3, n.4.

Cap.12.

v. 4. Parcens ille sumere de ouibus

& de bobus suis, F 4, D 5, c. 3, n. 8.

Cap. 18.

v. 8. Multo plures erant quos saltus consumpserat de populo, quam quos vorauerat gladius, F. 6. D. 5, c. 3, n. 10.

Cap. 24.

v. 14. Melius est vt incidam in manus Domini F. 5, D. 4, c. 2, n. 8.

3. REGVM.

Cap. 2.

v. 19. Surrexit Rex in occursum eius adorauitque eam. Sabb. D. 3, c. 2, n. 10.

Cap. 6.

v. 23. Fecit in oraculo Cherubin de lignis Oliuarum. F. 2, D. 5, c. 2, n. 10.

Cap. 10.

v. 18. Et vestiuit eum auro fuluo nimis. Sabb. D. 5, c. 3, n. 1.

Cap. 11.

V. 4. Cumque iam esset senex deprauatum est cor eius per mulieres. Fer. 5, Dom. 4, Consid. 3, num. 8.

Cap. 17.

v. 9. Surge & vade in Sarepta Sidoniorum, praecepi enim ibi mulieri viduae vt pascat te D. 4, c. 2, num. 2.

Cap. 18.

v. 35. Currebant aquae circum altare & fossa aquaductus impleta est. F. 3, D. 4. c. 2, n. 3.

v. 44. Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Sabb. D. 3, c. 1, n. 2.

Cap. 19.

v. 4. Sufficit mihi Domine, tolle animam meam. F. 5, D. 4. c. 1, n. 9.

4. REGVM.

Cap. 20.

v. 3. Fleuit itaque Ezechias fletu magno. F. 5, D. 5, c. 3, n. 5.

Cap. 19.

v. 2. Misit Eliacim &c. opertos saccis ad Isaiam Prophetam. Dom. Palmarum c. 2, n. 3.

3. ESDRÆ.

Cap. 4.

v. 13. Tertius qui dixit de mulieribus & de veritate hic est Zorobabel. D. 5, c. 2, n. 9

v. 41. Omnes clamauerunt & dixerunt Magna est veritas & praeualet. F. 3, D. 4, con. 1. num. 4.

IOB

Cap. 6.

v. 9. Soluat manum suam & succidat me F. 6, Parasceues. c. 5, n. 7.

Cap. 7.

v. 8. Oculi tui in me & non subsistam.

Cap. 10.

v. 12. Vitam & misericordiam tribuisti mihi F. 5, Dom. 4, consid. 2, num. 13.

Cap. 15.

v. 21. Sonitus terroris eius in auribus eius, & cum sit pax, ipse insidias suspicatur. F. 3, D. 4. c. 2, n. 4.

Cap. 17.

v. 13. Infernus domus mea est, F. 6. D. 4, c. 2, num. 13.

Cap. 42.

v. 10. Adiecit Dominus omnia quaecunque fuerant Iob duplicia, F. 5, D. 4. c. 3. n. 1.

PSALMOR

Psal. 2.

v. 2. Astiterunt Reges terrae & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, F. 6. D. 5, c. 3, n. 12.

Psal. 6.

v. 3. Miserere mei Domine quoniam infirmus sum F. 5. D. 4, c. 2, n. 5.

Psal. 8.

v. 5. Quid est homo quod memor es eius &c. Sabb. D. 4, c. 1, n. 7.

Psal. 14.

v. 1. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? F. 4, D. 5, c. 3, n. 2.

Psal. 15.

v. 8. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi. F. 4, D. 4, c. 1, num. 2.

Psal. 16.

v. 14. Domine à paucis diuide eos in vita eorum. F. 4, D. 5, c. 3, n. 2.

Psal. 17.

v. 10. Inclinauit Caelos & descendit. Sabb. D. 3, c. 2, n. 4. Et Dom. Pal. c. 3, n. 6.

v. 11. Volauit super pennas Ventorum, F 2, D. 5, c 3, n. 10.

v. 34. Perfecit pedes meos tanquam ceruorum. F. 4. D. 5, in Exordio sermonis.

Psal 18.

v. 5. In sole posuit tabernaculum suum. F. 2, D 5, c. 3, n. 11.

v. 6. Exultauit vt gygas ad currendam viam. Dom. Resurrect. c. 3, n. 4.

Psal. 20.

v. 4. Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso, F. 4, D. 5, c. 1, n. 3.

Psal.

Psal. 21.

v.7 Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. F.6, Parasc.c 9, n 3.

v.15 Sicut aqua effusus sum. F.6, Parasc. c.3, num.4.

v.17 Circumdederunt me canes multi. F.2. D.5, c.3, n.5, Et F.6, Parasceuese.7, n.3.

v.21. Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam. F.5, D.4, c.2, n.11.

Psal. 23.

v.10 Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Dom. Palmarum in Exord. serm.

Psal. 25.

v.3. Misericordia tua ante oculos meos est. F.5, D 4, c.2, n.12.

Psal. 29.

v.3 Domine Deus meus clamaui ad te & sanasti me F.2, D.5, c.3, n.9.

Psal. 30.

v.21. Abscondes eos in abscondito faciei suæ. F.3, D.5, c.3, n.6.

Psal. 31.

v.9. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

Psal. 32.

v.5 Diligit misericordiam & iudicium misericordia Domini plena est terra. F.5, D.4, c.2, num.7.

Psal. 33.

v.13. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos. F.6, D.4, c.2, n.8.

Psal. 34.

v.15. Congregata sunt super me flagella & ignoraui. F.6, Parasc.c.6, n.4.

Psal. 63.

v.2. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, à timore inimici eripe animam meam, F.4, D.4, c.2, n.6.

Psal. 37.

v.11. Cor meum conturbatum est in me & ipsum non est meum, F.6, Parasc.c.10, n.8.

v.13. V m faciebant qui quærebant animam meam, F.6, Parasc.c 4, n.5.

Psal. 38.

v.6. Mensurabiles posuisti dies meos, F. 6, D. 4, c.2, n.6.

v.7. Veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur. F.2, D.5, c.2, n.1.

Psal. 39.

v.8. In capite libri scriptum est de me. Sabb. D. 3, c.1 num.7.

Psal. 41.

v.3. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum. F.6, D.3, c.2, n.4.

Psal. 43.

v.23. Exurge quare obdormis Domine, exurge. F.2, Paschatis.c.1, n.10.

Psal. 44.

v.1. Pro ijs qui commutabuntur. F.2, Pasch. c.3, n.11.

v 5. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, D.5, in Exord. serm.

v.10. Astitit regina à dextris tuis Sabb. D.3, c.3, n.13.

v.14. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis circundata varietate Sabb. D.5, c.2, n 8.

Psal. 45.

v.5. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. F.2, D.4, c.3, n.12.

v.10. Arcum conteret & confringet arma, & scuta comburet igni. F.6, D.3, c.3, num 3.

Psal. 48.

v 13. Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus F. 6. D.3. c.2, n.10.

Psal. 50.

v 1. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. F.6, D 3, c 3. n 6.

v.14. Redde mihi lætitiam salutaris tui.

Psal. 51.

v.6. Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa. F.2, D.5. c.3 n.4.

Psal 55.

v.3. Quoniam multi bellantes aduersum me. F.6, Parasc.c.5, n.10.

Psal. 67.

v.14. Posteriora dorsi eius in pallore auri. F. 3, Pasch.c.2, n.5.

Psal. 68.

v.10. Zelus domus tuæ comedit me F.2, D.4, c. 3, in principio.

v.21. Et sustinui qui simul contristaretur & non fuit, qui consolaretur & non inueni. Dom. Palm.c.1.n 8.

Psal. 71.

v.6. Descendit sicut pluuia in vellus. Sabb. D. 3, c.1, n.12.

Psal. 73.

v.4. Gloriati sunt qui oderunt te in medio solemnitatis tuæ &c. F.3, D.5, c.1, n.11.

v.8. Dixerunt in corde suo quiescere faciamus dies festos Dei à terra. F.3, D.5, c.1, n.7.

Psal.75.

v.11 Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Dom. Palm. c.1. n.2.

Psal.77.

v.27. Pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam volatilia pennata Dom. 5, c. 1, num 5.

v.66. Percussit inimicos eius in posteriora. F. 4, D.4, c.1, n.11.

Psal.82.

v.4. Cogitauerunt aduersus sanctos tuos. F. 4, D.5, c.2, n.3.

Psal.85.

v.13. Eruisti animam meam ex inferno inferiori. F.6, D.4, c.2, n.11, ibid. c.3, n.9.

Psal.86.

v.7. Sicut lætantium omnium habitatio est in te Sabb. D.3, c.3, n.12, Et Fer. 6, Parasc. c.10. num. 6.

Psal.88.

v.18. Quoniam gloria virtutis eorum tu es. F. 4, D.5, c.1, n.7.

Psal.94.

v.4. Quia in manu eius sunt omnes fines terræ. F.2, D.5, c.2, n.6.

Psal 98.

v.1. Dominus regnauit irascantur populi, qui sedes super Cherubim moueatur terra. F.2, D. 5, c.3. n.8.

Psal.101.

v.7. Similis factus sum Pellicano solitudinis. F.2, Pasch. c.1, n.2.

v.20 Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram aspexit. Dom. 4, c.1, num. 10.

v.12. Dies mei sicut vmbra declinauerunt. F. 6, D.4, c.2, n.6.

Psal.102.

v.4. Qui coronat te in misericordia & miserationibus. F.4, D.5, c.1, n.3.

Psal.103.

v.22. Ortus est sol & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur, exibit homo ad opus suum. F.3, Pasch. c.1, n.7.

Psal.105.

v.24. Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Dom. Palm. c.3, n.8.

Psal.106.

v.23. Qui descendunt mare in nauibus. F.6, D.4, c.2, n.4.

Psal.108.

v.9. Fiant filij eius Orphani & vxor eius vidua &c. F.3, D.5, c.2. num.3.

Psal.109.

v.7. De torrente in via bibet propterea exaltabit caput. F.6, Parasc. c.2, n.3, Et Dom. Resurrect. c.3, n.2.

Psal.111.

v.3. Gloria & diuitiæ in domo eius. D.4, c.2, num 4.

v.5. Iucundus homo qui miseretur & commodat. D.4. c.2, n.11.

v.9. Dispersit dedit pauperibus. Dom. 4, c.2, num.4.

Psal.114.

v.3. Pericula inferni inuenerunt me, tribulationem & dolorem inueni. Fer.6, D 4, c.2, num.12.

Psal.115.

v.11. Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax. F.2, D.5, c.2, n.13.

Psal.105.

v.32. Et vexatus est Moyses propter eos, qui exacerbauerunt eum & distinxit in labijs suis. F.3, D.5, c.3, n.7.

Psal.107.

v.17. Non moriar sed viuam & narrabo opera Domini. F.5, D.4. c.3, n.2.

v.24. Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Dom. Palm. con.3, num. 7.

Psal.118.

v.30. Viam veritatis elegi. Domin. 5, c. 2, num. 1.

v.61. Funes peccatorum circumplexi sunt me. Dom. Palm. c. 1, in principio.

v.82. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. F.2, Pasch. c.3, n.12. & vlt.

Psal.119.

v.1. Ad Dominum cum tribularer clamaui. D.5, c.1, n.11. & vlt.

Psal.128.

v.3. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. Dom. Palm. c.3, n.5.

Psal.131.

v.7. Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius. Sabb. D.5, c.3, n.9.

v.8. Surge Domine in requiem tuam. F.2, D.4 c.2. n.13.

Psal.136.

v.1. Super flumina Babylonis illis sedimus & fleuimus cum recordaremur Syon. Sabb.D.6,c.2. in principio.

Psal.141.

v.7. Quia humiliatus sum nimis, Fer.6.c.2. num.12.

Psalm.144.

v.9. Miserationes eius super omnia opera eius. F.5.D.4,c.2.n.3.

PROVERBIOR.

Cap.1.

v.12. Deglutiamus eum sicut infernus. Dom. 5.c.3.n.5.

Cap. 8.

v.27. Quando præparabat cælos aderam &c. Sabb.D.3,c,2.n.2.

v.30. Cum eo eram cuncta componens & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum. F.5,D.4,c.2, n.10 Et Fer.2, Paschatis c.2,n.7.

Cap.9.

v.1. Sapientia ædificauit sibi domum. Sabb. D. 3,c.3,n.8.

v.2. Immolauit victimas suas. Fer.6, Parasc.c. 8,n.6.

Cap.10.

v.15. Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius. F.3,D.4,c.3,n.1.

Cap.13.

v.11. Substantia festinata minuetur F.3, Paschatis.c.2,n.4.

Cap.30.

v.28. Stellio nititur manibus, & moratur in ædibus regis D.5,c.1,n.8.

v.30. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum. D.4,c.3,n.3.

Cap.31.

v.10. Mulierem fortem quis inueniet? Sabb. Dom.5.c.1.n.4.

CANTICORVM.

Cap.1.

v.3. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Dom.5, in Exordio sermonis.

v.9. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. F.5, D.5,c.1,n.6. Et F.6, Parasc.c.10.n.1.

v.10. Murenulas aureas faciemus tibi. F.6, Parasc.c.10.n.2.

v.11. Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Sabb,D.3,c.1.n.4.

v.12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. F.6, Parasc.c.8.n.8.

v.14. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. F.4,D.5, c.2, num.11.

v.15. Lectulus noster floridus. F.2, D.4,c.2, num.11.

Cap.2.

v.1. Ego flos campi & Lilium conuallium. Sabb.D.3,c.1,n.1,& ibid.consid 3,n,6.

v.2. Sicut Lilium inter spinas sic amica mea. F.6, Parasc.c.1,n.6.

v.14. Ostende mihi faciem tuam sonet vox tua in auribus meis Dom. Palm. c. 1, num 9.

Cap 2.

v.1. In lectulo meo quæsiui quem diligit anima mea. F.2,D.4.c.2,n.11.

v.11. Egredimini filiæ Syon & videte Regem Salomonem &c. Dom.Palm.c.1,n.4, Et F.2. Paschatis.c.2,n.5.

Cap.4.

v.3. Sicut vitta coccinea labia tua. Sabb. D. 4,c.3 n.5.

v.4. Collum tuum sicut turris Dauid, mille clypei pendent ex ea.

v.7. Pulchra es amica mea & macula non est in te Sabb.D.5,c.2,n.6.

v.9. vulnerasti cor meum soror mea, vulnerasti cor meum in vno crine colli tui. Sabb. D.5, c.3,n.8, Et F.6, Parasc.c,8,n.4.

v.10. Quam pulchra sunt mammæ tuæ soror, mea Sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino. Sabb D.5,c.1,n 6.

v.13. Emissiones tuæ Paradisus F.6, Parasc. c.3,n.1.

Cap.5.

v.2. Aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore &c. Fer.2, Dom. 4,c. 2.num.2.

v.10. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus Dom Resurrect. c, 2, num.6.

v.13. Labia eius Lilia. Fer.2, Pasch. c. 3, num.11.

v. 14. Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis. Fer. 2, Dom. 5, con. 3, num.12.

Ibid.

Ibid. Venter eius eburneus. F. 6, D. 3. c. 3, num. 7.

Cap. 6.

v. 3. Pulchra es amica mea suauis & decora sicut Ierusalem. Sabb. D. 3. c. 2. n. 7.

v. 4. Capilli tui sicut greges tonsarum, quæ apparuerunt in Galaad. F. 6, D. 4, c. 1, n. 9.

v. 9. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol. Sabb. D. 3. c. 3. n. 4, Et Sabb. D. 4, c. 1, n. 5.

v. 11. Anima mea posuit me vt quadrigæ populi mei: Alia lectio. Dom. Palm. c. 3, n. 2.

v. 12. Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere vt intueamur te. Sabbat. D. 5, c. 3, n. 7.

Cap. 7.

v. 1. Quam pulchri sunt gressus tui filia principis.

v. 4. Collum tuum sicut turris eburnea. Sabb. D. 3 c. 1, n. 13.

v. 5. Coma capitis tui sicut purpura Regis. Sabb. D. 4, c. 3, n. 4.

v. 4. Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon. F. 6. Parasc. c. 10. n. 3.

Cap. 8.

v. 1. Quis det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ &c. Sabb. D. 3, c. 1, n. 10.

v. 6. Fortis est vt mors dilectio. F. 5, D. 4. c. 3, num. 5.

v. 10. Ego murus & vbera mea sicut turris. Sabb. D. 3, c. 1, n. 9.

Ibid. Facta sum coram eo quasi pacem reperiens. D. 4, c. 1, n. 2.

SAPIENTIÆ.

Cap. 1.

v. 13. Deus mortem non fecit. F. 5. D. 4, c. 2, num. 3.

Cap. 3.

v. 1. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. F. 6, Parasc. c. 1, n. 7.

ECCLESIASTICI.

Cap. 24.

v. 17. Quasi Cedrus exaltata sum in Libano. &c. Sabb. D. 3, c. 1, n. 5. Et Sabb. D. 5. c. 3, n. 3.

v. 16. Radicaui in populo honorificato. Sabb. D. 5, c. 3, n. 4.

v. 23. Flores mei fructus honoris & honestatis. Sabb. D. 5, c. 1, n. 7, Et consid. 2, n. 10.

Cap. 35.

v. 31. Oratio humiliantis se nubes penetrabit.

Cap. 28.

v. 16. Lingua tertia multos commouit. F. 3, D. 5. c. 3, n. 3.

Cap. 28.

v. 15. Susurro & bilinguis maledictus F. 3, D. 5. c. 3, n. 1.

Cap. 31.

v. 14. Ante tonitruum præibit coruscatio & ante verecundiam præibit gratia. F. 5, D. 5. c. 1. num. 7.

Cap. 33.

v. 20. Ne dederis alienis possessionem tuam, ne forte pœniteat te. D. 4, c. 2, n. 7.

ISAIÆ.

Cap. 1.

v. 2. Audite cæli & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus &c. F. 6, D. 5. c. 1, n. 2

v. 14. Calendas vestras & solemnitates vestras odiuit anima mea. Dom. Palm. c. 1, n. 1.

Cap. 2.

v. 2. Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes. F. 2, D. 4, c. 3, n. 3. Et Dom. Palm. c. 3, n. 1. Et F. 3, Pasch. c. 2, n. 3.

Cap. 3.

v. 16. Eleuatæ sunt filiæ Syon, ambulauerunt extento collo &c. Dom. Palm. c. 2, n. 7.

Cap. 6.

v. 1. In anno quo mortuus est Rex Ozias vidi Dominum. F. 5, D. 4, c. 3, n. 10.

v. 2. Seraphim stabant super illud. F. 2, D. 4, c. 3, n. 8.

Ibid. Duabus velabant faciem eius, F. 2, D. 4, c. 3, n. 2.

v. 6. Volauit ad me vnus de Seraphim & in manu eius calculus, & tetigit os meum, F. 3, D. 4. c. 1, n. 8.

Cap. 7.

v. 14. Vocabitur nomen eius Emanuel, Butyrum & mel comedet. F. 2, D. 4, c. 2, n. 14.

Cap. 9.

v. 3. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. F. 3, Pasch. c. 2 n. 6.

v. 6. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. F. 6, D. 3, c. 2, n. 12.

Cap. 11.

v. 1. Egredietur virga de radice Iesse. Sabb. D. 3, c. 1. 5, Et Sabb. D. 4, c. 3, n. 2, Et Sabb. D. 5. c. 1, num. 1.

Cap. 13.

v. 17. Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argen-

argentum non quærent. F.2, D 4, c.1, n.9.

Cap.21.

v.2. Ascende Aelam, obside Mede, omnem gemitum eius cessare feci, F.5, D.5, consid.3, n.3.

Cap.28.

v.12. Hæc est requies mea reficite lapsum, & hoc est refrigerium meum. Fer.2, Pasch.c.1, n.4.

Cap.28.

v.21. Vt faciat opus suum alienum opus eius. F.3, Pasch.c.3, n.5.

Cap.30.

v.26. Erit lux lunæ sicut lux solis &c. in die qua alligauit Dominus vulnera populi sui. Dom. Palm.c.1.n.12.

Cap.32.

v.18. Sedebit populus meus in pulchritudine Pacis. F.2, D.4.c.3, n.8.

Cap.58.

v.9. Tunc inuocabis & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet: Ecce adsum. Fer.2. Dom.5.c.3, n.9.

Cap.37.

v.10. Non te decipiet Deus tuus in quo confidis, &c. F.3, D.4, c.2, n.8.

Cap.39.

v.5. Audi verbum Domini exercituum; F 3, D.4 c.3, n.8.

Cap.44.

v.23. Laudate cœli iubilate extrema terræ quoniam redemit Dominus Iacob. Dom. Palm. c.1, n.11.

Cap.45.

v.1. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro: dabo tibi thesauros absconditos. Dom. 4, c.2, num.5.

Cap. 46.

v.3. Qui portamini à meo vtero, qui gestamini à meo vulua: vsque ad canos ego portabo. F.6, D.3, c.3, n.13.

Cap.49.

v.9. Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum. F 2, D 5, c.1, n.4.

v.10. Non esurient neque sitient F.2, D 5, c.1, num 8.

Cap.51.

v.1. Quis credidit auditui nostro. F. 6, c.2, num.7.

Ibid. Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti, Sabb. D. 4, c.3, num 7.

v.2. Vidimus eum & non erat aspectus. F.6, Parasc.c.7, v.1. Et Dom. Paschatis.c.2.n.2.

v.4. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Fer.6. Parasc. c. 8. num.10.

Ibid. Quasi agnus coram tondente se obmutescet. F.6. Parasc. c.6, n.6.

v.8 Generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuentium. F.6, Parasc.c.5, num.8.

v.12. tradidit in mortem animam suam, F. 6. Parasc.c.3, n.3.

Cap.55.

v.1. Sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate & emite F.6, D.3, c.2. num.11.

v.8. Non cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ meæ, viæ vestræ. F. 4, D.4, in Exord. serm.

Cap.57.

v.1. Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo F.6, D.4 c.1, n.7.

Cap.59.

v.1. Non est abbreuiata manus Domini. F.6, Parasc.c.3, n.5.

v.17 Opertus est quasi pallio zeli F.2, D.4, c.2, num 8.

Cap.61.

v.1. Spiritus Domini super me, vt prædicarem annum placabilem, & diem vltionis Deo nostro, Dom. Resurrect.c.3, n.10.

Cap.63.

v.1. Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra.

v.3. Torcular calcaui solus F.6, D. 3, c.1. num.8.

v.4. Dies vltionis in corde meo annus redemptionis meæ venit. F. 6. Parasceues. Consid.5. num.6.

Cap.64.

v.6. Cecidimus quasi folium, non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te. F 5, D 5.c.3.n.4.

Cap.66.

v.1. Cælum sedes mea terra autem scabellum pedum meorum, F.4.D.4.c.3, n.9. Et Dom. Resurrect.c.3, n.4.

IEREMIÆ.

Cap.1.

v.18. Ego quippe dedi te in columnam ferream. F.6. Parasc.c.6, n.2.

Cap. 8.

v.17, Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, F.3, D.5, c.3, n.3.

Cap. 31.

v.22, Creauit Dominus nouum super terram, mulier circumdabit virum, Sabb. D.3, c.2, n 1, Et sabb. D.4, c.2, n.4

THRENORVM

Cap. 1.

v.4, Viæ Syon lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem, F.3, D.5, c.1, n.2

v.15, Vocauit aduersum me tempus, F.6, Parasc.c.9, n.6

Cap. 2.

v.13, Cui comparabo te, vel cui assimilabo te? F.6, parasc c.10, n.9

Ibid. Magna est velut mare contritio tua, F.6, parasc.c.10, in principio

Cap. 3.

v 5, Circumdedit me felle & labore, F.6, parasc.c.10, n.5

v.6, In tenebris collocauit me quasi mortuos sempiternos, F.6, parasc.c.8, n 9

v.49, & 50, Oculus meus afflictus est, nec tacuit eo quod non esset requies, donec aspiceret & videret Dominus de cœlis, D.4, c.1, n.10

EZECHIELIS

Cap. 3

v.9, Vt adamantem dedi faciem tuam, F.4, D.4, c.2, n 9

Cap. 8.

v.3, Vbi erat statutum idolum zeli ad prouocandam æmulationem, D.4. in Exordio

Cap. 9.

v.4, Signa Thau super frontes virorum & dolentium & gementium, F.5, D.5, c.1, n.3

Cap. 17.

v.22, Hæc dicit Dominus Deus, Et sumam ego de medulla Cedri sublimis, &c. F.2, D.4, c.2, num.15

DANIELIS

Cap. 2.

v.25, Inueni hominem de filijs transmigrationis Iuda &c D.5, c 2, n 6

v.33, Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis, F.3, Pasch.c.1, n.1

Cap. 3.

v.3, Tunc congregati sunt satrapæ Magistratus &c.F.4, D.4, c 2, n.1

Cap. 13.

v.22, Angustiæ sunt mihi vndique si enim hoc egero mors mihi est, &c. Fer.5, Dom.4, consi.3, nu.13

OSEÆ

Cap. 6.

v.3, Quasi diluculum præparatus est egressus eius, Dom. Resur. c.1, n 8

v.4, Misericordia vestra quasi nubes matutina &c. F.6, D.3, c.3, n.6

Cap. 13.

v.14, Ero mors tua ô mors, F.5, D.4, c.3, n.4

IONÆ

Cap. 1.

v.3, Surrexit Ionas vt fugeret in Tharsis à facie Domini, F.6, D.5, c.3, n.8

Cap. 3.

v 8, Operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Dominum, F.5, D.4, c.3, n.15

Cap. 4

v.3, Domine tolle quæso animam meam, quia melior est mihi mori quam vita, F.5, D.4, c.1, num.9

ZACHARIÆ

Cap. 1.

v 8, Ecce vir ascendens super Equum rufum, & iste stabat inter myrreta, F.2, Paschatis consi.2, nu.8

MALACHIÆ

Cap. 9.

v.2, Orietur vobis timentibus nomen Domini sol iustitiæ & sanitas ex pennis eius, Fer. Dominica consi.num.

EX NOVO TESTAMENTO

MATTHÆI

Cap. 1.

v.1, Liber generationis IESV Christi, filij Dauid, filij Abraham, F 3, Pasc c.1, n.10

v.16, De qua natus est IESVS qui vocatur Christus sabb D.3, c.1, n.14

v. 18, Inuenta est in vtero habens de spiritu sancto, sabb. D.5, c.1, n.10

v.21, Pariet autem filium, Sabb. Domin.3, c.3, nu 5

v.23, Vocabunt nomen eius Emanuel, quod inter-

interpretatur Nobiscum Deus F.2, D.4, c.2, nu. 14, Et F 6, D 5, c 2 n 1.

v.25, Non cognoscebat eam, Sabb. Dom.4, c.3, num 6

Cap. 2.

v.3, Audiens autem Herodes turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo, Fer. 6, Dom 5, consid. 3, n 9

v.11, Intrantis domum inuenerunt puerũ cum Maria matre eius, Sabbath. Domin.3, consid.1, num.11

Cap. 3.

v.2, Pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cœlorum, F.4, D.5, c.2, n.6

v 16, Baptizatus autem IESVS statim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt cœli, Fer.5, D 5, c 2, n.13

Cap. 5.

v.2, & 3. Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos, F.6, D 5, c 2, n.2

v.3, Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum, F.4, D.4, c.3, n.4

v.4, Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur, F.3, Pasch.c.1, nu 2

v.45, Solem suum oriri facit super bonos & malos &c. Sabb. D.4, c.3, n.9

Cap. 6.

v.9, Pater noster qui es in cœlis, Fer.4, D.5, c 2, n.2

v.14, Si enim remiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Fer.2, Pasch.consid.1, num 6

v 17, Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuũ, Dom Pal.c.1, n 5

v.21, Vbi est enim thesaurus tuus ibi est & cor tuum. F.4, D.4, c.3, num 9

Cap. 7

v.14, Arcta est via quæ ducit ad vitam, & & pauci sunt qui inueniunt eam, F.4, D 5.c.3, in principio

Cap. 8.

v.23, Ascendente eo in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius, F.4, D.5, c.3, n.9

v.26, Quid timidi estis modicæ fidei, F.6, D.5, c 2, num.6

v.29, Quid nobis & tibi IESV fili Dei venisti ante tempus torquere nos, F 3, D.4, consid. 3, n. 6

v.34, Et ecce tota ciuitas exijt obuiam IESV, & viso eo rogabant, vt transiret à finibus suis, Fer.6, Dom 5, c.1, n 5

Cap. 9

v.2, Confide fili remittuntur tibi peccata tua, F.4, D 4, c.1, n.7

Cap. 10.

v 9, Appropinquauit enim regnum cœlorum, Dom Palm. c.3, n 6

v.9. Nolite possidere aurum neque argentum in zonis vestris, F 2, D 5, c.1, n 3

v.16, Estote prudentes sicut serpentes, F.6, D. 4, c.3, n.12

v.36, Inimici hominis domestici eius, Fer.3, D.5, c.2, n 2

v, 42, Quicunque potum dederit vni ex minimis istis &c F.6, D.5, c.1, n 3

Cap. 11.

v. 8, Qui mollibus vestiuntur in domibus regũ sunt, Do.Palm.con.2, n.11

Cap. 21.

v.37, Nouissime autem misit ad eos filium suum dicens: verebuntur filium meum, F.5, D.5, c.1, n.9

Cap. 12.

v.10, Ecce homo manum habens languidam, F.4, D.4, c.1, n.8

v.24, Hic non eijcit Dæmonia, nisi in Beelzebub principe Dæmoniorum, F 6, D 5, c.3, n. 6

v.40, Sicut enim fuit Ionas tribus diebus, D. Resurrect c. 2, n.10

Cap. 13.

v 30, Sinite vtraque crescere vsque ad messem, F.6, D 4, c.1, n.10,

v.31, Simile est regnum cœlorum grano sinapis, F.6. D.3, c.2, n 3

v.43, Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum, Sabb. D.4 c.1, n.11

Cap. 14.

v 15, Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes desertus est locus, & hora iam preterijt, F.2, Pasch c.3, n.3

v.19, Acceptis quinque panibus, aspiciens in cœlum, D.4, c.1, n 6

v.22, Compulit IESVS discipulos suos ascendere in nauiculam, & præcedere trans fretum, F. 2, D.5, c 3, n.7

v.28, Domine si tu es iube me venire ad te, F.6, D.5, c.2, n.8

v.29, Ambulabat super aquas vt veniret ad IESVM, videns &c. F.2, D.4, c.1, n.3

Cap 15.

v. 33, Vnde ergo nobis in diserto panes

tantos, vt saturemus turbam tantam. F.2, D.5, c.1, n.5.

v.35, Et præcepit turbæ vt discumberent super terram, D. Palm. c.2, n.13

Cap. 16.

v.13, Quem dicunt homines esse filium hominis F.2, D.5, c.2, n.11

v.20, Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent quod ipse est IESVS Christus, Dom.4, c.3, num.6

v.21, Cœpit ostendere discipulis suis quia oportet eum ire in Ierusalem, F.2. Pasch. c.3, n.12

v.24, Tollat Crucem suam & sequatur me. F.6, Parasc. c.8, n.2

Cap. 17.

v.9, Nemini dixeritis visionem donec filius hominis à mortuis resurgat, F.6, Parasc. c.2, n.8

Cap. 18.

v.25, Iussit eum Dominus eius venundari & vxorem eius & filios, F.3, D.5, c.2, n.5

v.26, Procidens autem seruus ille orabat eum dicens, Patientiam habe in me, F.5, D.5, c.3, n.1.

Cap. 19.

v.21, Si vis perfectus esse, vade & vende quæ habes & da pauperibus, Dom.4, c.2, n.7

Cap. 20.

v.2, Conuentione autem facta cum operarijs de denario diurno &c. F.6, D.3, c.1, n.4

v.16, Multi sunt vocati pauci vero electi, F.4, D.5, c.3, n.7

v.18, Ecce ascendimus Ierosolymam, F.5, D.4, c.1, n.12

v.22, Potestis bibere Calicem quem ego bibiturus sum, F.5, D.4, c.1, n.10

v.30, Domine miserere nostri fili Dauid, turba autem &c. F.6, D.3, Consid.2, n.8, Et D.4, c.3, num.6

v.34, Tetigit oculos eorum & confestim viderunt, D.4, c.2, n.19

Cap. 22.

v.40, In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ, F.3, D.5, c.2, n.11.

Cap. 21.

v.7. Adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt &c. F.6, D.3, c.3, n.11.

v.17. Et relictis illis abijt foras extra ciuitatem in Bethaniam, F.6, Parasc. c.4, n.1

v.39. Et apprehensum eum eduxerunt extra vineam, & occiderunt eum, F.6, D.3, c.3, n.12.

Cap. 22.

v.12, Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem, F.2, D.4, c.3, n.6

v.32, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob &c. F.5, D.4, c.3, n.3

Cap. 24.

v.30, Tunc parebit signum filij hominis in cœlo. Fer.2, Paschæ consid.2, n.7

Ibid. Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli Dom. Resurrect. c.1, n.13.

v.37, Sicut autem in diebus Noë ita erit aduentus filij hominis, Fe.5, D.4, c.1, n.7

Cap. 25

v.1, Simile est regnum cœlorum decem virginibus, F.6, D.4, c.1, n.5

Ibid. Accipientes lampades suas, Sabb. D.4, c.1, n.12.

v.14, Homo peregre proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis &c. F.2, D.4, c.2, num.9

v.33, Et statuet oues quidem à dextris, hædos autem à sinistris, F.4, D.5, c.1, n.8

v.37, Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus te. Dom. Resurrect. c.1, n.12

Cap. 26.

v.5, Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Fer.6, Parasc. c.5, n.3

v.23, Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet, F.3, D.5, c.2, n.9

v.38, Tunc ait illis Tristis est anima mea vsq; ad mortem, F.6, Parasc. c.8, n.7

v.39, Procidit in faciem suam orans, F.6, D.4, c.3, n.4

Cap. 27.

v.63, Domine recordati sumus quia seductor ille dixit, F.3, D.4, c.2, n.6

Cap. 27.

v.3, Videns autem Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset, retulit &c. F.6. Parasc. c.6, n.7

v.4. Peccaui tradens sanguinem iustum, F.3, D.4, c.1, n.2

v.34, Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, & cum gustasset &c. Dom. Resurrect. c.3, n.3.

v.51, Terra mota est, & monumenta aperta sunt, F.6, Parasc. c.5 n.10. Et c.7, n.6, Et c.10, num.5

Cap. 28.

v.1, Vespere autem sabbathi, quæ lucessit in prima sabbathi, venit Maria &c. F.2, D.5, c.3, n.12, Et Dom. Resurrect. c.1, n.9

v.3.

v.3. Erat autem aspectus eius sicut fulgur. Dom. Resurrect. c.1, n.10.

MARCI

Cap 1.

v.7. Non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Fer.5, D.5, c.2, n.4.

Cap.3.

v.21. Dicebant enim quoniam in furorem versus est. F.6, D.3, c.3, n.10. Et F.3, D.4. c.2, n.5.

Cap.4.

v.3. Ecce exijt seminans ad seminandum & dum seminat &c. F.4, D.5, c.2, n.10.

Cap.6.

v.14. Audiuit Herodes nomen eius, & dicebat. F.3, D.4, c.1, n.6.

v.31. Venite seorsum in desertum locum & quiescite pusillum. F.6, D.4, c.2, n.5.

Cap.8.

v.23. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos eius impositis manibus suis interrogauit eum, si quid videret. Dom. Resurrect. c.1, n.3.

Cap.9.

v.4. Bonum est nos hic esse, & faciamus tria tabernacula. F.3, Pasch. c.2, n.2.

Cap.14.

v.5. Poterat enim vnguentum istud venundari trecentis denarijs. F.3, D.4, c.1, n.9.

v.36. Pater si possibile est, transfer calicem hunc à me. F.5, D.4, c.1, n.5.

v.26. Et hymno dicto exierunt in montem oliuarum F.5, D.4, c.3, n.7.

v.41. Venit hora ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum, F.2, Pasch. c.2, n.6.

v.65. Et cæperunt quidam conspuere eum & velare faciem eius &c Dom. Resurr. c.2, n.1.

Cap.16.

v.6. IESVM quæritis Nazarenum crucifixũ. F.3, Pasch. c.2, n.9.

v.12. Duobus ex eis ambulantibus, ostensus est in alia effigie. Dom. Resurr. c.1, n.11.

LVCÆ.

Cap.1.

v.28. Aue gratia plena Dominus tecum. Sabb. D.3, c.1, n.16. Et c.3, n.14.

v.35. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi &c. Sabb. D.3, c.2, n.3.

v.38. Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Sabb. D.3, c.1, n.4.

v.39. Abijt in montana cum festinatione. Sabb. D.4, c.1, n.10. Et

v.46. Magnificat anima mea Dominum. Sab. D.4, c.2, n.2.

v.48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. D.4, c.1, n.10, Sabb. D.4, c.2, n.9.

v.49. Quia fecit mihi magna qui potens est. Sabb. D.3, c.2, n.8.

Cap.2.

v.10. & 11. Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum quia natus est vobis hodie. Dom. Resurr. c.1, n.1.

v.29. Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. F.6, Parasc. c.4, n.10.

v.34. Ecce positus est hic in signum cui contradicetur F.3, D.5, in Exordio.

v.35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius F.6, Parasc. c.10, n.5, & n.10.

v.48. Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Sabb. D.3, c.3, n.11.

v.51. Et descendit cum eis, & erat subditus illis. Sabb. D.5. c.3, n.5. Et F.2, Pasch. c.1, n.3.

Cap.4.

v.13. Et consummata omni tentatione Diabolus discessit ab eo vsque ad tempus. F.5. D.4, c.1, num.16.

v.18. Euangelizare pauperibus misit me. F.3, D.4, c.3, n.7.

Cap.5.

v.7. Innuebant socijs qui erant in alia naui, vt venirent &c. F.1, D.4, c.3, n.4.

v.8. Exi à me quia homo peccator sum Domine. D.5, c.1, n.3.

v.24. Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. F.5, D.4, c.2, n.6.

v.29. Fecit ei conuiuium magnum leui in domo sua. Dom. Palm. c.1, n.3.

Cap.6.

v.21. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini, D. Resurr. c.3, n.9.

Cap.7.

v.37. Mulier in ciuitate peccatrix F.4, D.4, c.2, n.4.

Cap.9.

v.31. Dicebant excessum eius, F.6, Parasc. in Exord.

v.38. Magister obsecro te respice in filium meum, D.4, c.1, n.3.

v.57. Sequar te quocunque ieris. F.4, D.4, c.1, n.6.

v.58. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem &c. F.2, D.4, c.2, n.1.

v.60.Sine vt mortui sepeliant mortuos suos F. 4,D.4,c.1,n.5.

Cap 10.

v.40.Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare. F.6,D.3,c.2, n 6, Et F.2, Pasch. c 3,n 10.

Cap.13.

v.8. Domine dimitte illam & hoc anno vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora F.3, D.4,c.3,n 3.

Cap 14.

v.25.Compelle intrare, vt compleatur domus mea, F.5,D 5,c.2,n.4.

Cap.15.

v 6. Congratulamini mihi quia inueni ouem meam, quam perdideram, Dom. Palm.c.1,n.10. Et F.2, Pasch c.2,n 9.

v.22. Cito proferte stolam primam & induite illum F.2,D 5,c.3,n.6.

v.29. Ecce tot annis seruio tibi &c. F.6,D.3,c. 1,n.5.

Cap.16.

v.19. Induebatur purpura. Dom. Palm.c.2, num.12,

v.22. Factum est vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis, F.4, D.4,c.3,n.1, Et D. Palm.c.3,n 3.

v.24. Pater Abraham, mitte Lazarum D. Palm c 3,n.8.

v.27 Rogo te Pater vt mittas eum in domum Patris mei, D 5,c.2,n.2.

Cap 18.

v.13. Longe stans nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiens &c Fer 5, Dom 5,con.2, num.12.

v.42. & 43. IESVS dixit illi, Respice, & confestim vidit, F.2, Pasch.c.3 n.5.

Cap.19.

v.5 Suspiciens IESVS vidit illum F.5,D.5,c. 2,n. 6

v 30. Ite in Castellum quod contra vos est, & inuenietis &c F.3, Pasch. c 1 n.6.

v.40. Quod si hi tacuerint, lapides clamabunt. F.3,D 4,c.1,n 11.

Cap 22.

v.19 Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, F.3, Pasch c.2,n.11.

v.41 Ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis F 1,D 4,c.2,n.5.

v.44. Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, F.4,D. 4,c.2,n.10, Et F 5,D 4,c.1,n.11, Et F.6, Parasc.c.1,n.4, Et c.3, per totam.

v.61. Conuersus Dominus respexit Petrum, D. Resurr.c.1,n 7.

v.63 Viri qui tenebant illum illudebant ei, cædentes, & velauerunt. F.6, Parasc.c.2,n 5.

Cap.23.

v.34. Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt F.6, Parasc.c.3,n 5

v 42. Domine memento mei cum veneris in regnum tuum F,6, Parasc.c.3,n.1.

v 44. Tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque ad nonam, & obscuratus est sol. D.4, c.1,n.7, Et F.3,D 5,c.1,n.6, Et F.6, Parasc c.10, num.5.

v.46. In manus tuas commendo spiritum meum. F.6, Parasc.c.2,n.7,

Cap.24.

v.50. & 51. Eleuatis manibus benedixit eis & ferebatur in cælum, F.6, Parasc c.3,n.9.

IOANNIS.

Cap.1.

v.14. Et verbum caro factum est, F.4,D. 4,c. 1,n.1.

Cap 2.

v 3 Deficiente vino. Sabb. D 4,c 3,n.10.

v.4, Quid mihi & tibi mulier, nondum venit hora mea, F.6, D 3,c.1,n.6, Et Sabb. D.4,con.2, num.1.

Cap.3.

v.14. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita &c, F.6 Parasc.c.6,n 1.

Cap.4.

v.6. IESVS ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem, F.2,D.4,c.2,n,12.

Cap.6.

v.15 IESVS ergo cum cognouisset, quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum Regem. D.4,c,3,n,10, Et F,2,D,5,c,1,n.7, Et F,3, D,5,c.2,n,11,

v,12. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis, colligite &c F,6, D,5,c,1,n,10.

v,44 Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum, F,5, D,5, in Exord.

Cap 7.

v,8, Vos ascendite ad diem festum hunc ego autem non ascendam &c Dom. Palm.c.1,n,6.

Cap 8.

v.21, Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro

vestro moriemini, F.6, Parasc. c.4, n.7.
Cap. 9.
v.1, Præteriens IESV vidit hominem cæcum, D.4, c.1, n 12.
v.4, Me oportet operari opera eius, qui me misit, donec dies est, Dom Resurr. c.3, n.6.
Cap. 11.
v.32. Maria ergo cum venisset vbi erat IEsus, cecidit ad pedes eius, F.5. D.5, c.2, n.14.
Cap. 12.
v.23, Venit hora in qua clarificetur filius hominis, Dom. Resurr. c.2, n.4.
Cap 13.
v 3, Sciens quia à Deo exiuit , & ad Deum vadit, F.6, Parasc c.2, n.11.
v.8 Non lauabis mihi pedes in æternum, F.6, Parasc. c.2, n.1.
v.31, Nunc clarificatus est filius hominis, F.2, Pasch c.2, n.3.
Cap. 14.
v.28, Quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos, Dom. Resurr. c.3, n 7.
Cap. 17.
v.15, Non rogo vt tollas eos de mundo sed vt serues eos à malo, F.6, D.4, c.1, n.4.
Cap. 18.
v.2, Sciebat enim Iudas qui tradebat eum, quia frequenter IESVS conuenerat illuc F.6, Parasc. c. 5, n.1.
v.3, Cum laternis & facibus, F.3. D.5, c.1, num 6.
v.8. Si ergo me quæritis sinite hos abire, F. 6, Parasc. c.8, n 1.
v.10, Percussit Pontificis seruum, erat enim nomen seruo Malchus, F.6, Parasc. c.5, n 2.
v.11, Calicem quem dedit mihi Pater non vis vt bibam illum, F.5, D.4, c.1, n 5.
v 20, Ego palam locutus sum in mundo F.3, D.4, c.1, n.5.
v.22. Vnus assistens ministrorum dedit alapam IESV, Dom. Palm. c.2, n.3.
v.31, Nobis non licet interficere quenquam, Fer.6, Parasc. c. 4, n.3. Et c.9, n.5.
v.37, Ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati, D.5, c 2, n 10.
Cap. 19.
v 5, Ecce homo. F.6, Parasc. c.2, n.11, Et consid.6, n.3.
v.6, Crucifige, Crucifige eum, F 6, Parasc. c. 7, n 12.
v.17. Baiulans sibi Crucem exiuit ad eum qui dicitur Caluariæ locum, F.6, Parasc. c.9, n 4 Et n.7.
v.19. IESVS Nazarenus Rex Iudæorum, D.4, c.3, n 11. Et F.6, Parasc. c.7, n 10.
v 24. Et milites quidem fecerunt hæc, F.6, Parasc. c.4, n.9.
v.26, Mulier ecce filius tuus. Sabb. D 4, c.3, num.1.
v.28, Sitio, F.6, Parasc c.3, n.8, Et consid.5, num.9.
v.30 Consummatum est, F.6, Parasc. c.5, num. 4.
v 33. Vt viderunt eum iam mortuum, vnus militum lancea latus eius aperuit, F 6, D.3, c.1, num.9. Et F.6, Parasc. c.1, n 8, Et c.3. n 7 Et c.4, num.6.
Ibid. Et continuo exiuit sanguis & aqua, F.6, D.3, c.1, n 10. Et F.6, Parasc. c.5, n 6.
Cap. 20
v, 12. Vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput &c. Dom. Resurr. c. 2, num.7.
v.13. Mulier quid ploras, F.2, Paschatis. c.2, num 10.
Cap. 21.
v.18 Cum autem senueris extendes manum tuam, & alius cinget te, & ducet quo tu non vis. F.5, D.4, c 1 n.14.

ACTORVM
Cap. 1.
v.3, Cum vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire &c. Dom. Palmarum c.2, n.1.
v Irridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti. F.6, D.5, c.3, n.5.
Cap. 2.
v.13. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. F.3. Pasch. c.1. n.7.
Cap. 6.
v 15. Viderunt faciem eius, quasi faciem Angeli, F.6. D.5, c.2, n 11.
Cap. 7.
v 55. Intendens in cælum vidit gloriam Dei, & IESVM stantem F 5, D.4, c.1, n.15.
Cap. 8.
v.33, In humilitate iudicium eius sublatum est. F.6 Parasc. c.2. n 9.
Cap. 9.
v.3. Circumfulsit eum lux de cœlo. Dom. Resurr c.1. n 14.
Cap. 10.
v.11 Vidit cælũ apertũ, & descendens vas quoddã. F.4. D.4. c.3. n.2.

Cap.14.

v.10. Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos &c. D.4, c.3, n.1.

Cap.18.

v.28. Vehementer enim Iudaos reuincebat, publicè ostendens &c.

Cap.26.

v.29. Opto apud Deum, & in modico & in magno non tantum te, sed & omnes, qui audiunt fieri tales, qualis ego sum, exceptis vinculis his. F.6, Dom.3, c.2, n.

AD ROMANOS.

Cap.8.

v.35. Quis nos separabit à Charitate Christi? Tribulatio &c. F.6, D.4, c.3, n.10.

Cap.9.

v.3. Optabam enim ego ipso anathema esse à Christo pro fratribus meis. F.6, D.4. c.3, n.10.

v.21. An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa &c. F.4, D.5, c.1, n.1.

Cap.13.

v.8. Qui enim diligit proximum, legem impleuit, F.3, D.5, c.2, n.11.

Cap.15.

v.2. Vnusquisque vestrum proximo suo placeat. F.2, D.5, c.2, n.5.

AD CORINTHIOS

Cap.5.

v.8. Itaque epulemur non in fermento veteri, sed in azymis synceritatis & veritatis, D.5, c.2, num.8.

Cap.10.

v.4. Bibebant enim de spirituali consequente eos petra F.2, D.5, c.3, n.3.

Ibid. Petra autem erat Christus Sabb. D.3, c.1, num.8.

Cap.11.

v.5 Omnis autem mulier orans aut prophetãs non velato capite &c F.5, D.5, c.1, n.12.

Cap.15.

v.41. Alia claritas solis alia claritas luna, alia claritas stellarum. D Resurr c.1, n.16.

2. AD CORINTHIOS

Cap.9.

v.7. Hilarem enim datorem diligit Deus. Dom. 4. c.2, n.12.

Cap.12.

v.4. Scio enim hominem qui raptus est in Paradisum. F.5, D 5, c.2 n.5.

AD GALATHAS

Cap.1.

v.10 Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. F.2, D.5, c.2, n.5.

AD PHILIPPENSES.

Cap.4.

v.10 Gauisus sum tandem in Domino quoniam refloruistis. D 4, c.2, n.3.

1. AD TIMOTHEVM

Cap.1.

v.15. Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. F.3, Pasch. c.3, n.7.

2. AD TIMOTHEVM.

Cap.2.

v.23 Stultas autem & sine disciplina quaestionis deuita. F.3. D.4, in Exord.

Cap.4.

v.11. Lucas est mecum solus, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. F.2. D.4, c.1, n.7.

1. Ad Timoth. Cap.6.

v.17. Diuitibus huius saculi pracipe. F.3, D.4, c.3, n.2, Et F.4, D.4, c 3, n.5.

AD HEBRÆOS

Cap.11.

v.4. Abel defunctus adhuc loquitur. F.5, D.4, in Exord.

Cap.10.

v.31. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. F.5, D.4, c.2, n.8.

IACOBI

Cap.1.

v.12. Accipiet coronam vita, quam repromisit Deus diligentibus se. F.4, D.5. c.1. n.6.

Cap.4.

v.6. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. F.5, D.5, c.2, n 4.

APOCALYPSIS

Cap.1.

v.5. Gratia vobis à Christo IESV, qui est testis fidelis primogenitus mortuorũ. F.6, D.4 c.2, n 9.

v.14 Capilli eius candidi tanquam lana alba F.2, D.5, c.2, n 4.

v.15. Et pedes eius similes aurichalco sicut in Camino ardenti. Dom. Resurr. c.2, n.3.

v.16. Et facies eius sicut sol lucet in virtute sua, Dom. Resurr c.1. in principio.

Cap.4.

v.2. Et ecce sedes posita est in calo, & qui sedebat super eam &c. F.3, Pasch. in Exordio.

Cap.5.

v.5. Vicit leo de tribu Iuda radix Dauid aperire librum. D.5, c.3 n.10.

Cap.16.

v.3. Omnis anima viuens mortua est in mari F.5, D.4. c.1. n.6.

Cap. 7.

v. 2. Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis. F.6. D.3, c.2, n.3.

v.3 Nolite nocere terræ & mari neque arboribus. F.2. D.5, c.2, n.7.

v. Et palma in manibus eorum. Dom. Palm. c. 3, in principio.

v. Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione. F.5, D.4, c.1, n.4.

Cap.

v. Iris in capite eius & facies eius vt sol. F.3, Pasch. c.3, n.4.

v. Posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram. F.5, D. 4, c.2, num.1.

Cap.

v. Signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona. Sabb. D.4, in Exordio & deinceps late explicatur per totum sermonem. Et F.5, D.5, c.2, n.7, Et Sabb. D.3. c.1, n.2, Et Sabb. D.5 c.3. num.6.

Cap.

v. Habentes nomen eius & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. F.2. D.5, c.2, n.12.

Cap.

v. Et in capite eius diademata multa. F.4, D.5. c.1. n.5.

Cap.

v. Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem &c. F.2, D.4, c.3, in princip. Sabb. D.5, c.2, n.1.

v. Et fundamenta ciuitatis omni lapide pretioso ornata. F.4, D.5. c.3, n.3.

INDEX

RERVM ET MATERIARVM NOTABILIUM quæ hoc in opere passim continentur.

Aaron.

Fabricauit Idolum aureum & cur? F.4, D.4, c.2, n.2.

Deus ipsum tecta & cooperta facie repræhendit & cur? F.3, D.5, c.3, n.9.

Abel.

Etiam mortuus loquitur, & cur. F.5. D.4. in Exordio.

Abraham.

Vt in Dei præsentia videre possit faciem suam occultauit. Et cur. F.2, D.4, c.3. n.5.

Non est mortuus sed viuit. F.5, D.4. c.3, num.3.

Peccati imaginem absque animi horrore videre non potuit. F.6. D.4. c.3, n.2.

Per additionem vnius duntaxat literæ ad suum nomen à Deo magnificatus est. F.2, Pasch. c.3, n 8.

Sacrificium eius à Deo in Passione filij sui repræsentatum fuit. F.6, Parasc. c.1, n.2.

Innumerorum filiorum Pater fuit, & cur? D.4, c.2, n.6.

Adam.

Quia Naturæ suæ non cognouit præstantiam bestia factus est. F.6, D.3, c.2, n.10.

Deus in eum soporem immisit formaturus ex costa eius mulierem, & cur. F 3. D. 4, c.3, n.10.

Habuit præceptum non vescendi fructibus arboris vetitæ, & cur? F 4, D.4, c.1, n.3.

Cur persuasioni mulieris suæ non contradixerit. F.4, c.2, n.3.

Cur non fuerit mortuus mox vt peccauit. F.5. D.4. c.2. n.4.

Mox vt fructum comedit prohibitum mortuus est, & cur? F.5. D.4. c.3, n.14.

In terra vixit instar nautæ cuiusdam qui mare nauigat. Et cur. F.6. D.4. c 2. n.4.

Et veluti in stabulo quodam.

Deus cum ipso aliquando velut cum vno, aliquan-

aliquando sicut cum multis loquebatur, F, 4, D.5, c.3, n.5
Post verecundiam certam habuit spem veniæ, F.5, D 5, c, 1, n.4
Cur se cooperuerit folijs ficus Do. Palm. c.2, n.4
Deus illum pellibus mortuorum animalium vestire voluit, & cur, F.5, D 5, c.2, n.1.
In statu innocentiæ vestiebatur ad instar vnius Angeli, Do. Resur, c.1, n.9
Humeris ipsius Dei in Paradisum introductus fuit, & cur, Do Pal. c.3, n.4
Culpam suam in humeros mulieris suæ exonerauit, Et cur, F.3, D, 5, c.1, n.6

Alexander

Alexander Magnus extraordinarie liberalis, F, 6, D.3, c.1, n.3
Alexander seuerus efficere nequiuit, vt Christus coram Romanis declararetur esse Deus, Et cur F, 2, D 4, c.1, n, 8
Alexandra virgo duodecim annis in vno sepulchro vixit, E cur, F.6, D.4, c.3, n.7

Amor Amici

Amor Christi discoopertus & reuelatus est in Eucharistia, F.6, D.3, c.1, n.11
Amor qui non zelat, non vere amat, F.2, D, 4, c.1, n.1
Fons est omnis zelotypiæ, ibidem
Non permittit amanti, vt ab amato se procul disiungat, F, 2, D.4, c.2, n.5
Efficit vt Christus sit in cœlo veluti quidam peregrinus, F 2, D 4, c.2, n.8
Est carnifex qui occidit amicos Dei, F.5, 5, D.4, c.3, n.5, & 6
Fuit vnus ex crucifixoribus Christi, F, 6, Parasc. c.1, n.2
Duo amores confligunt in corde Beatissimæ Virginis, Sabb. D.4, c.3, n.8
Defectus rei amatæ nequaquam videt, Sabb. D, 4, c.3, n.9
Transformat sanctos in Deos, F.2, D.5, c.2, num 13
Communicat amato personam amantis, ibidem
Excessiuus amicis damnosus est, F, 3, Do. 5, c.2, num 9
Qui proximum sine Deo diligit, odit illum F 3, D 5, c.1, n.11
Pœnas & aduersa pro lætitiæ obiecto appræhendit, F.2, Pasch. c.2, per totam
Crucifixus in ligno myrtetorum siue inter myrteta, c.2, n.8
Non desunt in eius armamentario claui & enses, F, 6, Parasc. c.1, n.8
Victoria quam de timore reportauit, F.4, D.4, c.2, n.10
Amici sunt maximi hominis inimici, F.3, D.5, c.1, per totam

Angeli

Depinguntur in forma humana, Et cur, F, 6, D.3, c.2, n.10
Non intermitterent castigare nos si Deus peccata nostra illis manifestaret, Et cur, F. 6, D.3, c.3 n.vlt.
Non legitur de Angelis quod Dij vocentur, Et cur, F.2, D.4, c.1, n.5
Pauperes sunt Angeli terrestres, F.4, D. 4, c.3, n.8
Christi martyribus assistentes faciem alis suis contegunt, & cur, Dom. Pal. c.2, n.3.

Anima

Dum Christus nobiscum non est ex zelotypia nullam anima in nobis inuenit quietem, F.2, D.4, c.2, n.11, & seqq.
Lectus in quo Deus cum anima quiescit, floridus est, sine ipsa autem flores minime habet, Et cur F 2, D, 4, c.2, n.11
Maiorem Deus animæ curam habet quã corporis, F 4, D.4, c.1, n.2, & 3
Salus animæ ab hominibus tanti non æstimatur quanti corporis salus F.4, D.4, c.1, num.7
In die iudicij sola inuenietur & cur, F.5, D.4, c 2, n.11

S. Antonius Magnus

Dictus est columna mundi, Et cur, F.6, D.4, c.1, n 11

S. Apollinaris

Ab Angelis cœlesti cibo nutritus F.4, D. 4, c.3, num.3

Apostoli

Christo præsente loqui non audebant & cur, F.2, D.4, c.3, n.4
De fide modica reprænensi, F.6. D.5, c.2, num.6
Per viam pecuniam portare non poterant & cur, F.2, D.5, c.1, n.3
Mundum in sua consistentia conseruabant, F.6, D.4, c.1, n.3
Non homines sed Dij esse videbantur, F. 2, D.5, c.2, n.11

Cum

Cùm essent duodecim, vnus tamen duntaxat esse videbantur, & cur, F.3, Pasch.c.1, num.7

Qua ratione Christum cognouerint.

Aqua.

Haustus Aquæ frigidæ cœlum meretur & cur F 6, D,3,c 1,n.3, Imo vnica duntaxat gutta, Dom.Palm.c 3,n.8 Ex latere Christi post sanguinem egressa est, F 6, D.3,c.1,n.10, Ad quid seruierit in sacrificio Eliæ, F.3, D.4,c.2, n.3, Aqua fluminis Heraclini cuius virtutis fuerit, F.2, D.5,c.3,n.in principio & c,2, in fine

Apostoli facile fecissent Christum mori ante tempus, F.3, D,5,c.2,n.12

Arca

Cur in parte inferiori lata, stricta autem in superiori parte, F,4, D,5,c.3,n.4

Aristippus

Dicebat Dionysium oculos in pedibus habere, & cur, F.5, D,5,c.2,n.15

Aula aulici.

In aula per mendacia obtinetur quicquid petitur, D 5,c.2,n,6

Aulici sine mendacijs non videntur posse viuere, ibidem

Omnibus bonis, sola veritate excepta, fruuntur, ibid & n.7

Faciunt expressam professionem impediendi veritatem, ne ad aures perueniat Principis, ibid.n 7

Cur aulici Regis Darij veritati præ cœteris palmam tribuerint, ibid.nu.9

Auarus

Deus illi dedita opera benefacere studet, & cur, F.3, D.4,c.3,n.9

Aurum

Proprietas auri applicatur diuinæ patientiæ, F.6, D.3,c 3,n.1, Et F.6, Paras.c.6,n.9.

Babylonia

Licet ciuitas fuerit Prouincia tamen est appellata, Et cur.F.2, D.5,c.2,n,8

Balaam

Maledicturus Hebræis, illis econtra benedixit, Et cur F.3, D.4,c 1,n.7

Bonum

Bonum quod non cognoscitur, non æstimatur.F.6, D,3,c.2, per totam, Bona huius mundi non sunt vera bona, sed scenica tantum & apparentia, F.5. D.4,c 2,n.10. Qui veritati asserẽdæ studet, nihil boni sibi in hoc mundo promittere debet D 5,c.2, per totam

Cain

Quanta rabie actus fuerit videns quod Deus Abel & dona illius respiceret, D.4, c.1,n.5

Deus ipsi vitam produxit, tametsi morte dignus esset, & cur? F.6, D.4,c.2,n.10

Ratio ob quam fratrem suum occidit, D.5,c.1,n.7

Canonizatio

Fundamentum Canizationis Sanctorum F.4, D 5,c.2,n.7

Cherubini

Depinguntur velut si essent pueri & cur. F,6.D.4,c.1,n.11, Et D.Pal c.3,n.9

Homines possunt fieri Cherubini, & quomodo, F.2, D.5,c.2,n 10

Velocissime volant, F.2, D,5,c.3,n.8

Cur Cherubim cui lateris Christi custodia demandata erat, ipsum vulnerari permiserit, F.6, Parasc.c.5,n,5

Christus

Cur tanti à Martha æstimatus fuerit, F, 6, D.3,c.2,n 6

Non honoratur sicuti deberet, quia non cognoscitur, F.6, D. 3,c.2, n.8

Habitauit in vrbibus & non in desertis & cur, F.6, D.3,c.3,n.8

Mercatores proprijs manibus castigauit & cur, F.2, D.4,c.3,n.10

Affligebat Dæmones præter solitum & cur, F 3, D.4,c.3,n.6

Venit vt pauperibus euangelizaret, non vero diuitibus, & cur, F.3, D.4, c.3,n.7

Cur noluerit frequentare solemnitatem in Ierusalem, Dom.Palm c. 1,n.6

Ipsum quoque oris sui sputum resplendebat, Do Resur.c.1,n.5

Cur S. Ioannes dicat quod turbæ volentes Christum facere Regem, venerint vt raperent eum, D 4,c.3,n.10

Exosum habebat Regis titulum, ib.n.11.

Cur à senatu Romano non fuerit declaratus Deus, F.2, D.4,c.1,n.8

Causæ violentiæ illius, quam sibi intulit vt discederet à discipulis suis, F.2, D.4,c.2, num. 5

Nunquam ab hominum conuersatione discedere voluit, Et cur, ibidem n.6

Stultus reputatus est ab inimicis suis, & cur, F.3, D.4,c.2,n.5

Facie

Facie prostratus in terram fuit, & cur

Tria Lilia quæ adornabant animam suam Do.5, in Exordio

Cur turbæ illum Regem eligere voluerint, Do.4, c.3, n.10, F.2, D.5, c.1, n.7, & F.3, D.5, c.2, n.12

Inimicus est omnis moræ in gratiarum suarum collatione, F.2, D.5, c.3, per aliquot numeros

Vt nos locuplet non respicit Maiestatem suam F.2, D.5, c.3, n.3

Volitat per aëra vt nos adiuuet, Ib. n.7

Fuit meta in quam collimant omnes humanæ conditiones, F.3, D.5, in Exord.

In montem solus sine Apostolis fugit, & cur, F 3, D.5, c.2, n.12

Rex esse noluit, ne ante tempus occideretur, ibid.

Post tergum eius, non vero in faciem illius aduersus eum murmurabatur, ibid. c.3, in Exordio

Cur tot in capite coronas gestet, F.4, D.5, c.1, n.5

In Baptismo ei apertum fuit cœlum, Et cur F.5, D.5, c.2, n.13

Diuersus est valde à mundi regibus, D.4, in Exordio

Amor Christi

Introducit Sacramentum Altaris, F.6, D, 3, c.1, n.11, Et F.2, D.4, c.2, n.15

Est ratio cur Christus in cœlo viuat sicut peregrinus, ibid c.2, n.9

Ne Christus à nobis separetur, amor illum clauis affixit in crucem, ib. n.10

Fecit vt præsepium requies illius fieret, ibid n.13

Non permittit illi vt firmus sit in cœlo, ibidem n.15

In continuo illum detinet labore, ib. n.12

Duellum amoris & timoris in corde Christi, F.4, D.4, c.2, n.10

Christus amore paupertatis de cœlo descendit, F.4, D.4, c.3, n.11

Instigauit Deum vt fieret homo, F.5, D.4, c.1, n.16

Effecit vt Christus amicorum bonum vti proprium æstimaret

Ipse & non Iudæus Dei filium occidit, F, 6, Parasc. c.1, n.1, & seq.

Christus ipsissimet suis manibus semetipsum ad crucem portabat, ibid.

Funes qui ipsum ligarunt, amoris funes fuerunt, ibid n.2

Amor ipsum inter spinas perduxit, & caput eius spinis compunxit, F.6, Parasc. con. 1, n.5. & 6

Effecit vt Christus sanguinem suum effunderet etiam priusquam vulneraretur, ibid. n.4

Mori Christus nisi amoris armis mediantibus non poterat, ibid. n.8

Amoris & non Longini lancea illum occidit, ibidem

Amoris vi Christus ita incaluit, vt suspendi debuerit in cruce nudus, ibid. n.8

Effecit vt desideraret æternaliter pro nobis mori & sanguinem suum fundere ibid. num.11

Effecit vt Christus in suis lætificaretur martyrijs, F.2, Pasc. c.2, n.5

Et quod in alijs martyribus admiretur dum aliquem in suis tormentis doloris sensum exprimunt, ibid n 10

Pulchritudo Christi

E facie eius lumen manabat illustrans noctem, Do. Resur. c.1, n.1, & 2, Item num.5, 6, & 7

Nisi post Resurrectionem suam lumen istud occultasset, non potuissent illum intueri discipuli, ibid. n 2

Splendor lucis quem ex oculis suis vibrabat homines ad sui sequelam euocabat, ibi.

Manus eius solis radij esse videbantur, ib. num. 4

Non inueniebatur pictor illum effigiare valens, ibid n 5

Vbi Christus erat, nox regnare non poterat, D. Resur. c.1, n.16, & c.3, per totam

Cur sacri Euangelistæ de splendore egrediente ex corpore eius resuscitato nihil scripserint, Ib. c.1, n.10

Propter lumen quod in die judicij è vultu eius egredietur difficulter cognoscetur, ibid n.12

Desiderium solis fruendi quantocius solis pulchritudine, ibid. c.2, n 10.

In Eucharistia tectus & velatus consistit ob immensam corporis sui luminositatem, Do Resur. c.1, n 5

Dum Passionis suæ subijceretur tormentis adeo erat speciosus, vt nisi faciem eius velassent, eum torquere minime potuissent, Do. Resur c.1, n.1

In

In passione sua de sua pulchritudine sua nihil amisit, ib. n. 3

Pulchrior in cruce quam in monte Thabor extitit, ibid c. 2, n. 6

Pulchrior est vulneratus, quam sine vulneribus ibid.

Sepultus beatificabat Angelos, ibidem num. 7

Crux Crucifixio Christi

S. Stephano crucifixus apparuit & cur, F. 5, D. 4, c. 1, n. 15

Crucifixus est vt diutius torqueretur, F. 6, Parasc. c. 4, n. 3

Crucem a Simone Cyrenæo portari fecerunt, & cur, ibid.

Cur Crux in die Iudicij in cœlo sit apparitura, F. 3, Pasch. c. 1, n. 7

Christus ex alio quam crucis tormento mori noluit, Et cur, Fer. 6, Parasc. c. 3, n. 5

Videri posset crucifixus in arbore myrti & cur, F. 2, Pasch. c. 2, n. 8

Amor crucifixus, ibidem

Crux Christi alijs humeris quam suismet proprijs portari nequit, Fer. 6, Parasc. c. 8, num. 2

Crudelitas Hebræorum erga Christum

Demonstratur ex vulnere colli quod accepit postquam fuit captus, F. 6, Parasc. c. 4, in initio

Denegabant ei hospitium in Ierusalem, ibidem n. 1

Pontifices capturæ suæ præsentes esse voluerunt, vt vel sic oculos ex suis satiare possent doloribus, ib. n. 2

Cunctis corporis partes diuexarunt, vt vitam ei eripere possent, ib. n. 5

Quia ipsum post mortem viuum torquere non poterant, vulnerarunt eundem etiam iam mortuum, ib n 6

Potius illum infamare quam torquere quæsierunt, F. 6, Parasc. c. 9, n. 1

Velauerunt faciem eius, quia indignum ipsum iudicabant, qui ipsos aspiceret, ibid.

Tantum ei vulnerum numerum inflixerunt, vt ipsum diffamarent, ibid. n. 2

Crucifixerunt eum vt ipsum hac ratione infamem declararent, ib n. 5

Ob eandem rationem elegerunt pro infectione sui tempus valde solemne & festiuum, ibid n. 6

Indignum ipsum reputarunt qui inter bonos moreretur, ib. n. 7

Nisi prohibiti fuissent, vtique illum submersissent aut consumpsissent igne, ibidem num. 9

Non solum ipsi martyrijs suis nequicquã compatiebantur, verumetiam impediebant ne quis aliorum ipsi condoleret, F. 6, Parasc. c. 7, num. 10

Dum moreretur ipsi valde iubilabant, ibid. num. 11

Non carnea sed Dæmoniaca corda habebant, ibid n 12

Dolores Christi

Sudauit sanguinem, vt mortis nostræ demonstraret dolores, F. 5, D. 4, c. 1, n 11

Impossibile est vt quis dolores illos sustineat quos passus est Christus, F. 6, Parasc. c. 8, per totam

Causa cur Christus pati potuerit dolores alijs impossibiles, est, quia vno eodemque tempore viator fuit & compræhensor, F. 6, Par. c. 8, n. 3

Vulnerum dolores haud aliter sensit, quã si cordi inflicta fuissent. ibid. n. 4, & seqq.

Aspectus martyriorum suorum martyriũ censeri poterat, F. 6, Par, ibidem

Singula tormenta ipsi completa mors esse videbantur, ib n 6

A primo ingressu hortum, vsq; dum redderet spiritũ, continuo moriebatur, ib. n. 7.

Omnia aliorum Martyrum tormenta in cruce vniebantur ad affligendum Christum ibid. n. 8

Omnes patiebatur pœnas, quas tolerare debebant ij quos ab inferno redemerat, ib. n. 9

Plus ipsum peccata nostra quam tormenta sua affligebant, ib, n. 10

Fuerunt dolores illius incredibiles, ibid.

Humilitas Christi

Vt tanto magis matris extenderet imperium se ipsius fecit subditum, Sab. D. 5, Quadrag. consid. 3, n. 5

Adeo magna fuit eius humilitas vt homines illam attendentes obstupescerent, F. 6, Par. c. 2, n. 3

Non solum tanquam seruus sed etiam sicut malus seruus reputari voluit, ib. n. 4

Volebat ab inimicis suis considerari pro homine vilissimo totius mundi, ib. n. 5

Humilitatem habuit incredibilem, F. 6, Par. c. 2, n. 8, & 9

Adeo se humiliauit, vt qui ipsum Deum esse antea agnouerant, visa eius humilitate mutarint sententiam, ib.

Ad hoc vt agnosceretur ipsum esse hominem, opus erat dicere: Ecce homo, ib. n. 12.

Ingressus est Ierusalem triumphabundus vt mundi honores derideret, D. 4, c. 3, n. 9.

Humilitate eius factum est vt cœli illi aperirentur dum baptizaretur, F. 5. D. 5, c. 2, num. 13

Incarnatio

Perfecta fuit factis ad differentiam creationis quæ verbis peracta fuit & cur, F. 4, D. 4, c. 1, n. 1

Deus factus est homo vt flere posset, F. 5, D. 5, c. 3, n. 11

Nisi Deus homo factus fuisset homo non fuisset redemptus, F. 3, Pasch. c. 3, n. 3

Incarnatus est, vt fieret pauper, F. 4, D. 4, c. 3, n. 10

Postquam homo factus est, lac & mel manducauit, & cur, F. 2, D. 4, c. 2, n. 14

Deus post incarnationem pius factus est & misericors, Sab. D. 3, c. 1, n. 10, & seqq.

In momento Incarnationis cœlum sese inclinauit, Sabb. D. 3, c. 2, n. 4

Liberalitas Christi

Non solum liberalis, sed etiam prodigus censeri debet, F. 6, D. 3, c. 1, per totam

Vulnera sua signa sunt liberalitatis suæ, ib. n. 1

Manus habet perforatas, ibidem

Cupidus valde erat spargendi sanguinem suum, F. 6, D. 3, c. 1, n. 7

Se torculari supposuit, ne vel modica sanguinis stilla in eo remaneret, ibid. n. 8

Non nisi grandia dare solet, F. 6, Parasc. c. 3, n. 1

Bono latroni Paradisum donauit, Et cur, ibidem

In lingua vulnerari noluit, vt semper dare posset, ib. n. 2

Omnia vsque ad vitam prodegit, ib. n. 3

Crucifigi voluit, vt manibus esset semper apertis, F. 6, Par. c. 3, n 5,

Sanguis post mortem effusus significauit excessum suæ liberalitatis, F. 6, D. 3, c. 1, n. 10.

Vulnus lateris signum est liberalitatis, F. 6, Parasc. c. 3, n. 7

Plusquam prodigus in sanguinis sui effusione videri voluit, ib. n. 10.

Effudit nedum dedit Bona sua, F. 6, Par. c. 3, n. 3, & n. 11

Manus Christi

In torno elaboratæ seu tornatiles sunt, F. 6, D. 3, c. 1, n. 1

Quicquid in illas reponitur, multiplicatur, Do. 4, c. 2, per totam

Sunt similes terræ fœcundissimæ, ib. n. 8.

Sunt similes lapidi Philosophico, ib. n. 9.

In cruce extensæ sunt, vt apertæ semper essent, F. 6, Parasc. c. 3, n 5

Aureæ sunt, & cur, F. 6, D. 3, c. 3, n. 1

Similes sunt sphæræ cælesti, F. 1, D. 5, c. 3, num. 12

Quem in finem in Cruce transfixæ sint, F. 6, Parasc. c. 5, n. 7

Miracula Christi

Declarabant Christum esse Emanuelem F. 6, D. 5, c. 2, n. 1

Dicebant Deum hominem factum esse, ibid. n. 2

Signa Diuinitatis Christi ibid.

Sigilla Dei.

Cogebant homines in Chr stũ credere ib.

Christus miracula facere poterat dormiendo, F. 6, D. 5, c. 2, n. 6

Adeo perfecte sanabat infirmos, vt nunquam infirmati fuisse viderentur, ib. n. 7

Dabat alijs potestatẽ faciendi miracula, ib. n. 8

Non attendebantur ab Hebræis, & cur, ib. n. 1, & n. 8, & 9

Natiuitas Christi

Deus hominibus filium suum dedit, non vero vendidit & cur, F. 6, D. 3, c. 2, n 12

Cur post Natiuitatem suam appellatus fuerit Christus, Sabb. D. 3, c. 1, n. 14

An B. Virgo Christum in præsepio flentem interrogarit cur fleret, & quid responderit, F. 6, D. 4, c. 2, n. 2

Christo in vtero matris latenti stellæ inseruiebant & cur, Sabb. D. 4, c. 1, n. 8

Non in qua natus est Christus sicut dies resplenduit, & cur? D. Paschatis c. 1, n. 1.

Præsepium quies est Dei, F. 2, D. 4, c. 2, num. 13.

Oculi Christi

E cœlo gratias traherent, D.4,c.1,n.6

Obscurati sunt, vt sol obscuraretur ibidem num 7

Neminem aspicere poterant, quin consolarentur, ibid.n.12, & 13

Si infernum respicerent, saluarentur vtique detentæ ibidem damnatorum animæ ibidem

Erant velati quando respexerunt S. Petrum Do.Resur.c.1,n.7

Splendor qui ex illis vibrabatur, fecit vt Saulus ex equo corrueret, Do.Resur.c.1, num.14

Verba Christi

Conseruabant homines in vita absque alio cibo, F.2, Pasch.c.3,n.3

Infirmis erant loco medicinæ, ibi.

Emanabant ad instar radiorum solis, F.2, Pasch.c.3,n.5

Erant quædam diuitiarum cornucopia, ibidem

Suauitas quam secum adferebant describi nequit, ibid, num.9

Auscultantes illum difficulter ab illo auelli poterant, ib.n 10

Videbantur musicum quoddam esse instrumentum, ibid.n.11

Res futuras veluti ob oculos statuebant præsentes, ib.

Aperiebant Paradisum, ib.n.12

Passio Christi

Ad hominem creandum solis Deus vsus est verbis, ad redimendum vero plurimis factis & perpessis laboribus, F.4, D.4, c.1,n.1.

Omnia quæ in Passione cernebantur fuerunt excessus, F.6, Parasc. in Exordio

Fuit pluuia quædam de cœlo descendens ib c.1,nu.3

Christus maiorem non habebat delectationem quam de hac materia tractando, F.2, Pasch c.1, per totam

Passio videbatur Christo quidam Paradisus, F 2, Pasc.c.2,n 5

Sitis ingens quam habebat patiendi pro nobis, F.6, Parasc. c.3,n.8

Rebus insensatis in Passione sua plangentibus Christus iubilabat, Fer.2, Pasch.c.2, num.5

Se ad patiendum incredibili cum lætitia obtulit, ib.n.6

Tormenta ipsi ludi esse videbantur, ibid.

Noluit bibere, sed fel duntaxat gustare, Dom.Resur.c.3,n.5

Ipsa quoque saxa ad compassionem commouit, F,4, Par.c.7,n 6

Sol se occultauit ne illius cogeretur esse spectator, ibid.

Velum templi condolentiæ signum edidit, ib.n.7

Quid terra non fecit ne tormenta martyriorum Christi videret, ib.

Dicitur calix & cur, F.2, Pasch. c.2,n.7

Patientia Christi

Ipsum sub flagello demonstrabat Deum, F.6, D,3, c.3,n,5

Quasi habuisset stomachum osseum ibi. num 7

Per hanc virtutem reputabatur stultus ib.n 10

Insedit Asinæ & pullo simul ad demonstrandum excessum huius virtutis, ibidem num.11.

Ob hanc habitauit in ciuitate, F.6,D.3, c.3,n.8

Patiendo ostendit se habere corpus æneum, F.6, Par.c.6,n.1

Non se exhibebat veluti de carne formatum hominem, ib.n,2, & 3

Videbatur habuisse corpus adamantinum, ibidem

Carnifices defatigabantur, Christo nihilominus in sua generositate perseuerante. ib.n.5.

Comparatus oui quæ tondetur, ib.

Iudas non fuit ausus spectare tormenta eius, quæ ipse tamen in corpore suo fortiter sustinuit, ib.n.7

Latro hac virtute commotus ipsum confessus est esse Deum, ib.n.10

Admirationi fuit Angelis cœlestibus, ibidem

Videbatur habere corpus aureum, ibidem num.9

Vulnera Christi

Sunt signa diuinæ liberalitatis, F.6, D 3, c.1, num.1

Potius vbera quam vulnera existimanda sunt, F.6, Par c.1,n.5

De vulnere quod accepit in collo dum caperetur, ib.c 4 in principio

Ob sensibilem valde dolorẽ quem adferebant,

bant, videbantur quasi recepta in corde Ibi. c.8, n.4.

In omnibus membris corporis vulneratus fuit præterquam in lingua. ibid. c.3, n.3.

Vulnus pectoris demonstrat Christum cor suum dedisse, F.6, Parasc. c.3, n.7.

Cum in cælis sanguinem suum per vulnera sua effundere non possit, inde gratias suas diffundit & fauores. ibid n.9.

Cor eius vulneratum fuit, vt inde egrediatur indignatio contra homines concepta. F.6, Parasc. c.5, n.6.

Pietas Christi.

In hac vita duntaxat pietate erga nos vtitur. F.5, D.4, c.2, n.1.

Christus eo tempore quo maxime ab hominibus offēdebatur maxima erga homines vsus est pietate. F.6, Parasc. c.5, per totam.

Nolebat vt lictores in sui captura laborarent. F.6, Parasc. c.5. n.1.

Impediuit creaturas ne vindictam sumerent de inimicis suis. ibid. n.3.

Item Patrem suum moratus est, ne interimeret suos Crucifixores, ibid. n.4.

Item Angelos qui pro sui defensione ipsi assistebant. ibid. n.5.

In Passione sua demonstrauit quendam pietatis excessum. ibid. n.6.

Manus suas Cruci voluit affigi, ne ijs homines castigare posset, ibid. n.7.

Ipse hominibus vitam eodem tempore cōtulit, quos hi ipsi vitam adimebant. Ibi. n.8.

Dum homines acerbissimum illi bellum mouerent, ipse reconciliandis Patri hominibus vnice studebat. ibid. n.9, & 10.

Paupertas Christi.

Tempore illo quo eum mater amiserat, panem suum mendicabat. F.2, Pasch. c.1. n.3.

Explicata sufficienter per mortem in Cruce. F.6, Parasc. c.3. n.6.

Sepulchra paupertatem suam demonstrabant ibid c.7. n.9.

De cælo descendit, vt esset pauper F.4, D.4, c.3, n.9.

Reputatur Christus pauper, Diabolus vero diues. F.4, D.5, c.3, n.8, & seqq.

Resurrectio Christi.

Christus appellatur primogenitus mortuorum & cur F.6, D.4. c.2, n.7.

Post Resurrectionem non indiguit vestimentis, Dom. Resurr. c.2, n.8.

Admirabili lumine amictus fuit. D. Resurr. c.1, n.8. & seqq.

Quid sol fecerit ad sollicitandam Christi resurrectionem. D. Resurr c.1, n.10.

Velox christi cursus à Passione ad Resurrectionē ostendit tribulationes nostras momentaneas, ibid. c.3, per totam.

A morte ad Resurrectionem veluti Gygas quidam cucurrit, ibid. n.4.

Eodem tempore quo erat amarus, dulcis apparuit, ibid. n.5.

Resurrexit è sepulchro sicut sol exsurgere videtur è mari Oceano, ibidem. num. 8.

Ratio ob quam Resurrectio Christi quadraginta horis tardauit; Ascensio vero quadraginta diebus. ibid. n.11.

Resuscitauit auroram illamque fecit resplendere veluti meridiem. ibid. c.1. n.8.

Discipulis in Emaus abeuntibus veluti quidam viator peregrinus apparuit & cur. ibid. n.11, & F.2, Pasch. c.1, n.1. & seqq.

Sanguis Christi.

De aqua quæ ex corde Christi ad vestigia sanguinis eluenda manauit. F.6, D.3. c.1, n.10

Sanctissimum altaris Sacramentum instituit, vt sanguinem suum infinities effundere posset. ibid. n.11.

Torculari se subiecit, ne vel minima in ipso sāguinis stilla reliqua maneret. F.6, c.1. n.8

Ideo mori voluit in mense Martio. ibid.

Valde desiderabat suum effundere sanguinem ibid n.6.

In recompensam sui effusi sanguinis sufficit ipsi verecūdia pœnitētis. F.5, D.5, c.1. n.11

Sanguinem suum effundere voluit, vt constet se vulneratum esse & cur. F. 6. Parasc c.1. n.2.

Quo fine sanguinem in horto sudauerit F.6. Parasc. c.1, n.4.

Post mortem sanguinem fudit in signum suæ liberalitatis F, 6. D.3, c, 1, n.10.

Sanguinolentus pulchrior esse videbatur. Dom. Resurr. c.2, n.6.

Sine sanguinis pretio mundum redimere non poterat. F.3, Pasch c.3, n.4.

Alas addidit ad euolandum in cœlos F.3, Pasch. c.3, n.9.

Christiani.

Qui laxe viuunt & dissolutè, malum edunt salutis suæ signum. F.4. D.5. c.3, n.4.

Sunt

Sunt aues & cur.F.5.Pasch.c.3,n.9.

Cygnus.

Inter animalia immunda numeratur, & cur.Dom.Palm.c.2,n.10.

Cœlum.

Quam sit ingens cælum Empyreum, F.6, D.3,c.2,n.3.

Distantia inter cælum & terram F.4,D.4, in Exordio.

Prius creatum fuit, quam terra, & cur. F. 4,D.4,c.1.n 4.

Pauperes sunt Domini proprietarij cælorum, priusquam eo ingrediantur. F.4.D.4,c. 2,n.4.

Velocitas primi mobilis F.2.D.5,c.3.n.11.

Cur vocetur cælum.Fer.4,Dom. 5,c.2. num.2.

Non æstimatur ab hominibus & cur.F.6, D.3,c.2,n.1.

In verbi incarnatione sese inclinauit.Sab. D.3.c.2,n.4.

Columba.

Offerebatur capite retorto ad collum, & cur?F.5,D,5.c,2,n.3.

Quid denotarit oliua quam retulit ad arcam.F.3.Pasch.c.1,n.4.

Cur Dauid illam descripserit veluti habentem dorsum deauratũ.F.3,Pasch.c.2,n.5.

Coruus.

Non est reuersa amplius in arcam. Et cur. D.5.c.1,n.6.

Est symbolum hominis peruersi ibid.

Dedicatus Apollini.F.3,D.5,c.3,n.2.

Dæmon.

Quomodo suspicatus fuerit Christum esse Deum.F.6,D.3,c.3,n.3.

Dum tentaret Euam in Deum culpam suam coniecit.F.3,D.4,c.2,n.9.

Sibi promittebat vincere mortis doloribus Christum,F.5,D.4,c.1.n.17.

Accelerauit mortem Iudæi. Et cur. Ibid. c.2,n.9.

Cur homo ad huius vitæ ærumnas, Dæmon vero ad inferni miserias eodem natus fuerit.F.6,D.4,c.2,n.13.

Non potest Deum laudare F.2, D.5,c.3. num.3.

Quoadusque homo viuit, Dæmon non despondet animo de illo in potestatem suam redigendo.F.4,D.5,c 2,n.9.

Cur ciuitas eius appelletur DIS.F 4.D.5, c.3,n.11.

Est humanæ concordiæ magnus inimicus.F.3,Pasch.c.1,n.9.

Daniel Propheta.

Cur cum tribus pueris in fornacem repositus non fuerit.F.2,D.4,c.1,n.4.

Darius.

Ingeniosus eius thronus quem fabricauit,D.4.c.3,n.4.

Dauid.

Implorabat misericordiam diuinam, eo quod humanam haberet suspectam.F.6.D, 3,c.3,n.6.

Turbæ indigne ferebant Christum vocari filium Dauid,& cur.D.4,c.3,n.6.

Deus illum in grauissima corruere peccata permisit, & cur.F.2,D 4,c.1,n.2.

Laudatur à Doëg inimico suo & cur?F.3, D.4,c.1,n.1.

Infirmus existens diuinam postulabat misericordiam & cur.F 5,D.4,c.2,n.5.

Ratio cur se non moriturum dixerit, cum tamen modo vere mortuus sit. F.5,D.4,c.3, num.2.

Vt mortem euaderet mentiri coactus est F.5,c.2,n.5.

Si fratres eius compertum habuissent quod Deus illum regem creare voluisset, illum vtique occidissent.F.3,D.5,c.2,n.10.

Admirabilior fuit ob lachrymas, quam ob bellicos conatus F.5,D 5,c.3,n.8.

Goliathum vnico duntaxat lapillo prostrauit, & cur.F.3,Pasch.c.1,n.5.

DEVS

Admirabilis eius liberalitas.F.6,D.3. c.1, per totam.

Vt semper dare possit nullum prorsus respicit sumptum aut damnum.ibid.n.2.

Similis est Alexandro.ibid n.3.

Cur cum vltimis operarijs non fuerit actus ibid.n.4.

Adeo liberalis est, vt illi ob id peccatores obmurmurent.ibid.n.5.

Indignatur dum parua petimus. ibidem num.6.

A peccatoribus nihili æstimatur, quia ab illis non cognoscitur F.6,D.3,c.2,per totã.

Cur dederit & non vendiderit filium, ibidem num.12.

Gratias suas vendit & cur.ibid.n.11.

Ipse solus culpas nostras potest sustinere ibid consid.3.per totam.

Tam inimicis quam amicis benefacit. Ibidem num.4.

Rumpit, igneque comburit arma, ibidem num.5.

Demonstratur Deus per patientiam. ibidem.

Est plus nobis quam mater ibidem, num.13.

Nos in visceribus suis portat, donec simus decrepiti, ibidem.

Non reuelat Angelis peccata nostra, ibidem.n.14.

Fuit mansuefactus à B. Virgine Sabb. D. 3, c 1, n.6.

Et ab eadem factus est dulcis & benignus ibid.n.7.

Nequit facere aliam matrem sua maiorem. Sabb D.3, c.2, per totam.

Qua ratione potuerit fieri pauper, ibid. num.5.

Est totus noster. Dom.4, in Exordio.

Nunquam nos respicit quin consoletur, ibid. consid.1, per totam.

Suo obtutu omnem secum adfert fœlicitatem, ibid n.2.

Fœcundat terram solo aspectu, ibidem num.4.

Vnico tantum aspectu inuidos in rabiem agit. ibid.n 5.

Si desineret nos respicere eoipso perderemur omnes ibid. n.8.

Dimouendo oculos suos à nobis nos castigat, ibid n.9.

Respicit terram & cælum ex ea facit ibid n. 10.

Impossibile est vt aliquem aspiciat, & nõ conferat gratias, ibid.n 12.

Manus illius multiplicant, quicquid in ijsdem ponitur. ibid, consid.2, per totam.

Recipit modicum & plurima reddit, ibi. num.6.

Necessitas Eleemosynæ non est ex parte sua, sed nostra, ibid.n.2.

Zelotypia quo templum suum prosequitur F.2, D.4, in Exord.

Solet magna facere ne mundus alium Deum adoret. ibid.c.1. per totam.

Corpus Moysis proprijs manibus sepelire voluit, & cur. ibidem.

Dauidem peccatorem fieri permissit, & cur, F.2, D.4, c.1, n.2.

Non vult in aliorum societate adorari, ibid.num.6.

Noluit vt in populo Hebræo reperirentur pictores, ibidem.

Zelotypia Dei erga animas nostras, ibid. consid.2 per totam.

Similis est gallo, ibid.n.3.

Requiescere non poterat ante septimum diem. Et cur. ibid n.9.

Tametsi ab anima discedat, non tamen eandem derelinquit. ibid. n.5, & seqq.

Vestitur pallio zeli, F.2, D.4, c.2, n.8.

Lectus in quo cum anima recumbit, floridus est, sine ipso autem omni flore caret. ibid.n 11.

Sequestratus à nobis non habet requiem. ibid n.12, & 13.

Proprijs manibus fauores distribuit alienis vero castigat. ibid c.3, n.9.

A mendacibus reputatus est mendax. F. 3, D.4, c.2, n.6, n.9

Cur iuret, ibidem.

Multum inter se distant Dei cogitationes & nostræ. F 4, D.4, in Exord.

Manus eius in hac vita dulces sunt in futura autem amaræ erunt, F.5, D.4.c.2, n.8.

In hac vita nobiscum ludit. ibid n 10.

Est centrum rerum omnium, Sabb. D.4, c. 2, n.4.

Vbi Deus est nullus est fami locus F.2, D. 5, c.1, n.1.

Mensam suam instructam semper habet & onustam. ibid n.10.

Homines in Angelos & in Deos transformat. ibid.c.2, n 8. & seqq.

Sollicitudo qua fauores exhibet, ibid.c, 3, per totam.

Innitebatur vertici scalæ Iacob, & cur. ibid. n. 2.

Portatur à Cherubinis, & cur. ibidem num 8.

Promptitudo qua cum succurrit, ibidem.

Abscondit faciem à murmuratoribus, F. 3, D.5, c.3, n, 9.

Vocatur figulus, F.4, D.5, c.1, num.1.

Sanctos absque merito quidem eligit, non tamen absque merito glorificat, F,4. D.5, c.1 per totam.

Populum suum sæpe numerauit, & cur? ibid.c.3.n.10.

Pauper

Pauper est animarum, ibidem.
Peccator plangens magnum illi gaudium parit D. Palm. c. 1, per totam.
Deus est quisquis facit quod homo facere non potest. F. 6, D. 5, c. 2, n. 5.
Lætificatur per Pœnitentiam, D. Palm. c. 1, n 8.
Quales nos erga ipsum sumus, talis ipse est nobis. F. 2, Pasch. c. 1, per totam.
Ab Ægyptijs significabatur symbolo sphyngis, ibid. n. 7.
Multas habet facies, F. 2, Pasch. c. 1, n. 9.
Cur dormire dicatur ibid. n. 10.
Nonnunquam concessas reuocat gratias & cur.
Ad ipsum solum pertinet humana redẽptio. F. 3, Pasch. c. 3, n. 5.
Libenter videt homines humiliter vestitos, D. Palm. c. 2, n. 2. & seqq.
Vide V. Misericordia, Verba Dei.

Dignitates.

Dignitates huius mundi à gemmis rediguntur ad lutum. D 4, c. 3, n. 4.
Sunt instabiles & momentaneæ. D. 4, c. 3. passim per totam.
Christus illas fugit & contempsit. ibi. n. 9.
Abominationi sunt illis qui veros prætendunt honores. ibidem, n. 2, & 3.

S. Dionysius Areopagita.

Iam capite truncatus caput suum ad duo millia passuum detulit in manibus, & cur. F. 5, D. 4, c. 3, n 6.

Diuitiæ Diues.

In Dei manus collocatæ multiplicantur, D. 4, c 2, per totam.
Diuites sine virga & baculo difficulter emendantur F 3, D 4, c. 3, per totam.
Diuitiæ sunt vitiorum fortalitia. ibidem num. 1.
Diuites ab humana iustitia per suas defenduntur diuitias, ibidem.
Non emendantur, nisi præcipitentur, F. 3, D. 4, c. 3, n. 3, & 4.
Fames ingens est remedium ad hoc vt diuites virtuosi fiant. ibid. n. 5.
Tractantur sicuti Dæmones & cur. ibid.
Christus non venit ad Euangelizandum diuitibus, & cur ibid. n. 7.
Opus habent vt Deus armis suis continuo illorum humeris immineat. ibid. n. 8.
De laboribus, quos ministri sacri habent vt illos in cælum conducant. ibid. n. 9.
Ne bonorum suorum iacturam facere cogantur, mille sese sceleribus, implicant, F. 4, D. 4, c. 2, n. 1.
Quinam sint alterius sæculi diuites. F. 4, D. 4, c. 3, n 5.
Diuitiæ huius mundi acquiruntur per mendacia. D. 5, c. 2, n. 2.

Eleemosyna.

Illa non Deus sed nos indigemus. D. 4, c. 2, n. 2, & seqq.
Locupletat hominem, ibid.
Qui illam facit, non eam donat, sed caro vendit. ibid. n. 7.
Est vera Alchimia. ibid. n. 9.
Est lapis Philosophicus, ibid.
Hilari vultu dari debet, & cur. ibid. n. 12.
Plantat vinum & vestes seminat. ibid. n. 13
Pauper non recipit sed facit gratiam ibi. num. 14.
Finis ob quem Deus illam instituit ibid.
In manibus seruorum Dei reposita mirabiliter crescit. ibid. n. 15.

S. P. N. ELIAS

Eleemosyna quam à vidua recepit non tam pro sua quam pro viduæ necessitate supplenda facta est. D. 4, c. 2, n. 2.
Reges scenicas personas reputabat. ibid. c. 3, n. 2.
Cur tantam aquam Altari suo superinfuderit. F. 4, D 4, c. 2, n 3.
Potius mori quam tribulari voluit, F. 5, D. 4, c. 1, n. 9.

Enoch.

In paradisum translatus fuit, & cur. F. 6, D. 4, c. 1. n. 13.

Eucharistia.

Ratio ob quam fuit instituta, F. 6, D. 3, c. 1, n. 11,
Christus in altari tectus est & coopertus. & cur. D. Resurr. c. 1, n. 15.

Experientia.

Facit vt homo ignorans reuideat, F. 6, D. 3, c. 2, n. 7.

Fabula.

De Creatione hominum à Platone composita. F. 3, Pasch. c. 1, n. 3.

Fama.

Etiam in tenebris bonæ famæ lumina resplendent, F. 3, D. 4, c. 1, n. 10.

Fames.

Est

Est remedium quo diues redditur virtuosus F. 3, D. 4, c. 3, n. 5.

Non affligit sanctos. F. 2, D. 5, c. 1, per tot.

Vbi Deus est, locum non habet, ibid. n. 1.

Affligit peccatores non tamen iustus approximat, ibid. n. 2.

Nequit occidere sanctos, ibid. n. 3.

Festa.

Cur in ijs prohibita sint opera seruilia, F. 4, D. 4, c. 1, n. 9.

Festa non bene celebrata non Dei, sed hominum, imo Dæmonis festa sunt, F. 3, D. 5, c. 1, per totam.

Rari sunt qui illa ex deuotione frequentant, ibid. n. 1.

Vocantur solemnitates & celebritates. Et cur. ibid. n. 2.

Abusus Moscouitarum in magnis festis. ibid. n. 3.

In festis debemus esse prorsus alij ab ijs qui fuimus alijs diebus. ibid. n. 5.

Sol in festo Paschatis obscuratus est & cur. ibid. n. 6.

Scelerati incendunt festa & quomodo. ibidem. n. 7.

Breuitas vitæ nostræ causata ex festorum transgressione. ibid. n. 8.

Neglectus illorum valde caueri debet, ibid. n. 9.

Pro Dei honore, & vtilitate nostra celebrantur. ibid. n. 10.

In profanatione festorum Dæmones vexilla sua erigunt, & cur. ibid. n. 11.

Festiuitas quam Deus agit tunc cum nos agimus pœnitentiam, Dom. Palm. c. 1, per totam.

Ficus.

Domesticat taurum & cur, Sabb. D. 3, c. 1, n. 6.

Per stercus fœcundata quid significet F. 3, D. 4, c. 3, n. 3.

Adamus se ficulneæ folijs contexit, & cur. Fer. 5, c. 1, n. 5, Et Dom. Palma. con. 2, num. 4.

Succus stimulat libidinem, ibidem.

Filij.

Desiderant mortem Patris sui & cur. F. 3, D. 5, c. 2, n. 1.

Filij Iuda castigati ob patris peccatum & cur. ibid n. 3.

Filiæ ob mariti amorem Patrem suum oderunt, F 3, D. 5, c. 2, n. 8.

Sunt ruina parentum, Et cur. ibidem num. 5.

Si Deus plus ametur quam filij, hi integri semper incolumes & beati erunt. F. 2, D. 4, c. 1, n. 11.

Fortuna.

Rota illius in vertice Asinum, in fundo autem hominem habet, & cur. F. 3. D. 4, c. 3, num. 4.

S. Franciscus.

Quam dotem habeat ex desponsatione sua cum Paupertate F. 4. D. 4. c. 3. n. 7.

Gentiles.

Christum laudarunt, quem antea blasphemauerant, & cur. Fer. 3, Dom. 4, con. 1, num. 11.

Gloria Beatorum.

Ignorantia illius efficit vt non æstimetur, F. 6, D. 3, c. 2, n. 2, & seqq.

Tametsi electio ad illam sine meritis fiat, non tamen fit sine meritis præuijs illius collatio F. 4, D. 5, c. 1, per totam.

Corona eius ex margaritis constat, & lapidibus pretiosis & cur. ibid. n. 3.

Corpus alicuius Beati splendidius est sole, Dom. Resurr. c. 1. n. 16.

Illi duntaxat non saluantur qui saluari nolunt, Dom. Palm. consid. 3, per totam.

Via ad illam facilis est & plana. ibidem, num. 1.

Christiani eo concedunt in curribus & cur. ibid num. 2.

Et in manibus Angelorum eo deferuntur, ibid. n. 3.

Imo super humeris Christi & Dei, ibid. num. 4.

Imo priusquam pedes nostros eo versus moueamus, ibid. n. 6.

Datur pro nihilo, ibid n. 8.

Pro vna stilla aquæ frigidæ & frusto panis obtinetur, ibid n 8 & 9.

Pro custodia portarum cælestis gloriæ paruulus positus est excubitor, ibid. n. 9.

Sine labore non acquiritur, F. 3, Pasch. c. 2 per totam.

Gratia Dei.

Non æstimatur, quia ignoratur. F. 6, D 3, c. 2, per totam.

Cur Deus eas vendat & non donet. ibid, num. 12.

Trans-

Transformat homines in Angelos & in Deos, F.2, D.5, c.2, n.8, 9, & 10.
Similis est flumini Heraclino, & cur, ibi. num.15.
Gratia est prædestinationis mater. F,4, D.5, c.1, n.2.
Gratiæ diuinæ ex humilitate trahuntur, F.5, c.2, n.1.
Deus festinanter & promptè illas communicat, F.2, D.5, c.3, in principio.

Hebræi.

Valde inclinant ad idololatriam. F.2, D.4, c.1, n.2.
Crudelitas illorum in Filium Dei, F.6, Parasc.c.4, per totam describitur.
Licitum illis minimè erat pingere, & cur F 2, D.4, c.1, n.6.
Stulti erant & stultum esse Christum existimabant, & cur, F.5, D.4, c.2, n.5.

Homo.

Virtuosus est veluti Angelus quidam, F. 6, D.3, c.2, n.10.
Dei patientiam assequi nequit, ibid.c.3, num.4
Non habet stomachum ad digerendum peccatum, F 6, D.3, c.3, n.7, & seq.
Sancti, licet vere sint homines, tales tamē non apparent esse, sed Angeli & Dij, F.2, D. 5, c.2, per totam.
Cur diuinis verbis non credant, F 3, D.4, c.2, n.7.
Magis res corporis quam animæ curant. F 4, D.4, c 1, per totam.
Similis est asino & cur. Ibid.n.10.
Soli peccatores sunt homines, non vero sancti F.2, D.5, c.2, n.5.
Fieri possunt Cherubini, ibid.n.10.
Sicut Deus ad iuuandum nos valde est sollicitus, ita pigri sunt homines ad seruiendum Deo, F.5, D 5, c.3, per totam.
Cur Deus illos mortales & passibiles effecerit, F.4, D.5, c.1.n.10.
Verecundia in separabilis eorum proprietas existit, F.1, D.5.c, 1, n.8.
Homo dicitur animal oneriferum & cur, F.6, D.5, c.1, n.1 & seqq.
Ingratus non homo, sed bestia existit, imo peior bestia ibidem & per totam consid.
Quisquis facit quod nequit homo facere is non homo est sed Deus, F.6, D.5, c.2, num.5.

Honores.

Mundani instabiles sunt & momentanei, D.4, c.2, n.2, & 3.

Humilitas, humilis.

Vnde deriuetur humilitas, Sab.D.4, c.2, num, 9.
Humilitas matris Dei, Sabb.D.4, consid. 2, per totam.
Est gratiarum diuinarum magnes, F 5, D. 5, c 2, per totam.
Impetrauit Adæ veniam, ibid.n.1.
Libenter Deus sua recipit sacrificia ibid. num.3
Si nos humiliemur Deus exultat. Sabb D. 4, c.1, n.9.
Per hanc Iacob Deū vicit, F.5, D.5, c.1, n.4
Deus illius precibus nequit resistere ibid
Exaltat viatores inter Beatos ibidem, num.5.
Est mulier vestita sole, ibid.n.7.
Omnes Christianas virtutes in animā attrahit, ibidem.
Deus solos humiles exaltat. ibid.n.7.
Sancta fraus huius virtutis, ibid.n 8, & 9.
Contendit cū diuina omnipotētia, ib.n 13.
Videtur quod Deus illi cum tota sua omnipotentia satisfacere non possit. ibidem num.10.
Quanto ipsa ditior est, tanto se pauperiorem exhibet, ibid.n.9.
Nullum abit momentum quo Deus se ei fauorabilem non exhibeat, ibid.
Inclinat cælum in terram, ibid.n.12.
Maria Magdalena vt omnia pro voto obtineret, melius instrumentum adhibere nequiuit.ibid.n.14.
Humilitas Christi in sua Passione, F. 6, Parasc.c.2, per totam.

Hyacinthus.

Hi replent manus Dei & cur.F.6, D.3, c.1, in principio.

Ignorantia.

Bonum quod non cognoscitur, non æstimatur, Fer.6, D.3, c.2. per totam.
Ignorantia peccatoris est incredibilis, F. 6, D.5, c.3. per totam.

Infernus.

Dictus inferior & cur, Fer. 6, D. 4, c.2, num.11.
Dauid cupiebat eripi ex inferno & cur, ibid.

Cur Charon dictus sit habitator inferni, ibid.n.13.

Dæmon condēnatus est in inferno, & homo in terra. Cur. ibid.n.14.

Si Dæmon proficue plangere posset Deus illum in cælum admitteret, F 5.D.5, c.3, num.9.

Quodsi amari posset dulcis esset & cur. F.2, Pasch.c.2, n.7.

Ingratus.

Non solum bestia sed si quid illa peius est æstimandus erit. Fer.6, D.5, con.1, per totam.

Intellectum perdidit, ibid, n.1.

Caret verecundia. ibid.n.2.

Fauores haud aliter ac verbera recipit. ibid.n.3.

Ipsius societas omnibus horrori est. ibid. num.4.

Beneficium sicut maleficium recipit, ibid. num.5.

Similis est mulo, ibid.n.9.

Non audet comparere coram benefactore suo, ibid, n.8.

Hedera symbolum ingrati, ibidem, numero 4.

Intelligitur per coruum Noë. ibidem, num 9.

Beneficium temere negat, ibidem , numero 10.

Inuidia, Inuidus.

Est causa cur fratres se mutuo in mortem vsque persequantur, Fer.3, Dom 5, con.2, num 10.

Viuit inter tenebras, F 6, Dom. 5, con. 2, num.9.

Inimicum benefactorem existimat, ibid. num.10.

Illum persequitur quem honorare deberet, ibid.n.11.

Respicit ad contrarium aliorum, ibid.

Ethymologia sui nominis, ibid.

Inimicus.

Nisi ignoscamus inimicis, Deus non ignoscit nobis, F.2, Pasch.c.1, n.6.

Ioannes Baptista.

Incoluit desertum, & cur. F.6, D.3.con.3, num.8.

Laudatur ab Herode inimico suo, & cur. F.3, D.4.c.1, n.6.

Herodes in natali suo moritur, Ioannes in morte sua nascitur. F.5, D.4, c.3, n.11.

Meruit vt manum suam capiti Christi superimponeret, & quomodo, F.5, D.5, con.3, num.2.

Ioannes Euangelista.

Debilem ad digerendum peccatum habebat stomachum, F.6.D.3, c.3, n.7.

Certa ærumnarum suarum demonstratio F.4, D.5, c.1, n.10.

Iob

Vita eius Cananæorum erat præsidium, F.6, D.4, c.1, n.6.

Filij eius etiamnum viuunt, F.15 D.4.c.3. num.1.

IOSEPH

Cur Angelus non dixerit Pariet tibi sed Pariet, Sabb. D.3, c.3, n.5.

Cognouit Deiparæ Virginis excellentiam, Sabb. D.5, c, 1, n 10.

Ioseph Patriarcha.

Manus illius erant sicut manus Dei, Et cur. D, 4, c.2, n.15.

Causa temeritatis mulieris illius quæ illum accusauit D.5, c 3, n.2.

Deus illum seruum fecit, vt totius Ægypti constitueret Dominum, F.5, D.5, c.2, n.8.

Iudas traditor.

Non obstante quod peruersus esset in Apostolum electus est, & cur.

Festinus cucurrit ad suspendium, & cur F.5, D.4, c.2, n 9.

Vxor & filij extremas passi sunt persecutiones, F 3, D.5, c.2, n.3.

Valde grauiter ignorans fuit, F.6, D.5, c. 3, n.3.

Non fuit ausus Christi spectare tormenta. F.6, Parasc.c.6, n 7.

Iudicium vniuersale.

Electi oues erunt, reprobi hœdi, & cur. F. 4.D.5.c.1, n.8.

Examen erit de operibus misericordiæ, & cur. F.2, Pasch. c.1.n.8.

Cur Eleemosynarij Christum non cognoscent. Dom. Resurr.c.1, n.12.

Quid denotent nubes in quibus Christus ad iudicandum descendet, ibid.n.15.

Crux in cælo apparebit & cur F.2, Pasch. c.2, n.7.

Labores, vide Tribulatio.

Lac.

Sanguis S. Pauli ad instar lactis emanauit.

uit, & quid fecerit, Sabb. D.3, c.1, n.10.
Lac B. Virginis dulcem ac suauem nobis Deum reddidit, ibidem.

Lachrymæ.

Animæ Dei amicæ semper plangunt, & cur, F.4, D.5, c.2, n.12.
Ex verecundia nascuntur, ibid. c.1, n.6.
Videtur Deum illis non posse resistere, F, 5, D.5, c.3, per totam.
Propter ipsas Deus qualecunque dimittit debitum, ibid. n.3.
Diluit sentẽtiam aduersus peccatores decretam, ibid.
Deus illas tollit, vt castigare possit, ib. n.2
Celeriter à Deo veniam obtinent, ib. n.5.
Ea etiam obtinent quæ damnificant, ibid num.6.
Maiori dignus est laude homo plorans, quam miles confligens. Ibid. n.7.
Dauid stupendus ob lachrymas quas fudit, non vero ob bellica facinora quæ patrauit, ibid. n.8.
Si damnatus lachrymari posset, Deus ipsum in cælum transferret, ibid. n.9.
Deus non potest non condonare lachrymantibus, ibid. n.10.
Deus homo factus est vt lachrymari posset, & cur. ibid. n.11.
Lachrymæ Deiparæ Virginis, vide Maria Virgo.

Lazarus.

Resuscitatus ridere deinceps non potuit & cur. F.5, D.4, c.1, n.8,
Mendicus sepultus est ab Angelis & cur. F. 4. c.3, n.1.
Eisdem Angelicis manibus in Abrahæ sinum delatus est, & cur. Dom. Palm. c.3, n.3.

Lingua vide *Murmuratio.*

Liberalitas.

In torno Christi perforauit manus F. 6, D.3, c.1, n.1.

Literati.

Cur nunquam sint diuites, D.5, c 2, n.1,

S. Ludouicus Rex Franciæ.

Comparatus Herminio & cur. F.6, D.4, c.3, n.7.

Luna.

Dicitur cælum terrestre, Sabb. D.4. c.1, num.5.
Dicitur Regina cæli. ibid. n.6.
Est symbolum humilitatis. ibid. c, 2, n.9.
Velocissima est inter alia sydera. ibid. c.3, num.10.
Maria Virgo luna calceata fuit & cur, Sabb. D.4, c.1, per totam,

Manna.

Est symbolum Matris Dei, Sabb. D.5, c.2, num.2,
Non poterat in sequentem vsque diem conseruari & cur, F.6, D.3, c.1. n.2.
Est symbolum verbi Diuini, F.2, Pasch. c. 3, in principio.

Mansuetudo.

Est vnum ex lilijs quæ Christi animam ornabant, D.5. in Exordio.

Mare.

Est symbolum dolorum B. Virginis F.6, Parasc. c.10. fere per totam.
Mors Christi similis est mari Oceano, Dom. Resurr. c.3, n.8.
Adamus & Eua è Paradiso pulsi in mari vixerunt, & cur. F.6, D.4, c.2, n.4.

MARIA VIRGO DEIPARA.

Nomen MARIA quid significet, Sabb. D. 3 in Exord. & Sabb. D.5, c.3, n.6, Et F.6, Parasc. c.10. n.9.
Nulla legitur in vita sua fecisse miracula, & cur. Sabb. D.3, c.2, n.6.
Est porta misericordiæ, ibid, c, 1, n.3.
Qualiter cælestem infantem super pectore suo portarit. ibid n, 8.
Sine illa Christus inueniri nequit, ibid, num.11.
Vnxit Deum & cur. ibid. n.14.
Deum sub se habet, eidemque vti filio quodammodo præcipit, ibid. n.16.
Christus nunquam legitur illam laudasse & cur, ibid. c.2, n.9.
Vt omnes iuuet quaquauersum discurrit, ibid. c.3, n.4.
Totus mundus vertitur circa ipsam & cur. ibid. num.9.
E terra in cælum commutata fuit & quomodo, D 4, c.1, n.10.
Amicta sole, calceata luna, & coronata fuit stellis, Sabb, D.4, per totum sermonem,
Mater est lucis totius mundi, ibidem in Exordio,
Excellentiæ ipsius nequeunt intelligi, ibidem c.1, n.4.
Ad redimiendum caput eius assumpsit Deus

sit Deus zonam cælestem & cur. ibid. n. 10.

Laudatur & celebratur vniuersis linguis. Sabb. D. 3, c. 3, n. 14.

De velocitate qua aduolat ad præstandos fauores.

De cœlo descendere videtur & cur. Sabb. D. 5, c. 2, n. 1.

Virtutes suæ eminebant sicut virtutes beatorum. ibid. n. 10, & 11.

Adeo diuinitatis videbatur particeps, vt Dea & non mulier appareret. ibid. n. 11.

Deus illam meliorem facere non potest, quam fecit. ibid.

A nonnullis hæreticis fuit adorata, Sabb. D. 5, c. 3, n. 10.

Nisi vera fides non obsisteret, ipsi quoque fideles illam adorarent, ibid, n. 11.

Cur Christus illi responderit: Quid mihi & tibi est mulier. F. 6, D. 3. c. 1, n. 6.

Conceptio B. V.

Generata fuit sine peccato & cur. Sabb. D. 5, c. 1, n. 1, & 2.

Nascitur ex igne nec tamen comburitur. ibid, n. 1.

Omnia ad ipsam pertinentia ita erant disposita à gratia diuina, vt nullas ad eam manus natura adhibuisse videretur, ibidem per totam consid. 1.

Similis est generationi alicuius Margaritæ, ibid. n. 3.

Propter puritatem suam Dæmon illi appropinquare non audet, ibid. n. 5.

Natiuitas B. V.

Nascitur ex incendio & cur. Sabb. D. 4, c. 3, in principio.

Malignis nunquam subiecta fuit influxibus, Sabb. D. 5, c. 1, n. 3, & 4.

Nata est mille annis post Salomonem, ibid. n. 4.

Non videbatur in terra sed in cælo generata & nata. Sabb. D. 5, c. 2, per totam.

Pulchritudo.

Adeo erat pulchra vt omnium se intuentium oculos in se defixos retineret, Sabb D. 4, c. 1, n. 3.

Nulla inueniri Creatura potest, quæ quoad pulchritudinem illi comparari possit. Sab. D. 4, c. 1, n. 7.

Sancta Dei Ecclesia ob eius pulchritudinem complete & perfecte pulchra existit. Sabb. D. 5, c. 2, n. 6.

Nihil illi adiungi poterat & cur. Sabb. D. 3, c. 2, per totam.

Pro illa decoranda totum se Cælum inclinauit & euacuauit. ibidem n. 4.

Videbatur esse Paradisus, ibid. n. 7.

Ob tantam solis ad ipsam vicinitatem necessum erat vt esset pulcherrima, Sabb. D. 4, c. 1, n. 2, & 3.

Virginitas.

Christus hanc, quoadusque Beata mater sua vixit, non publicauit, Sabb. D. 3, c. 2, n. 11.

Fuit prima quæ votum virginitatis emisit, Sabb. D. 5, c. 2, n. 4.

Dicitur habuisse corpus sine capite. ibid. c. 3, n. 8.

Eodem tempore Mater simul erat & virgo. ibid. c. 1, n. 5.

Humilitas.

Traxit Deum in ventrem suum. Sabb. D. 3, c. 1, n. 4.

Fuit à Deo detecta & aperta per amictum solis calceos lunæ & coronam stellarum duodecim, Sabb. D. 4, c. 2, per totam.

Christus illam non matrem sed mulierem appellauit. ibidem, num. 1.

Ipsa Deum non Patrem, aut filium aut sponsum appellauit, sed Dominum. ibid. n. 2.

Vt permaneret humilis ponderabat verba quæ locutura erat. ibidem.

Meruit adorari tanquam Dea. ibidem num. 3.

Incedebat passibus lunæ ibid. n. 5.

Nequit aliquis reperiri ipsa humilior & cur, ibid. num. 4.

Terrenos honores nihili æstimabat. ibid. num. 7.

In cælo conspiciebatur & in terra non apparebat. ibid. n. 8.

Humilitas maioris exaltationis suæ basis fuit, ibid. n. 9.

Regina facta est, quia se reputabat ancillam, ibidem num. 10.

Deus illi factus est subditus ob suam humilitatem. F. 2, Pasch. c. 1, n. 3.

Præsentatio.

Dum esset in templo Angeli eam nutriebant nectare & Ambrosia & cur, Sabb. D. 5, c. 2, n. 3.

Annuntiatio.

S. Gabriel ipsam verbo Aue salutauit, & cur. Sabb. D. 3, c. 3, n. 14.

Tunc sol summus & maximus Eclypseos passus est deliquium, Sab. D.4, c.1, n. 8,

Per humilitatem Deum in ventrem suum pertraxit, Sab. D, 3, c.1, n.4,

Ab illa hora Deus factus est dulcis, ibid. num.2,

In eius ingressus est vterum sicut leo in virginis signum zodiacum & cur, ibidem num. 7,

Maternitas.

Est quoddam *Non plus vltra* diuinæ omnipotentiæ, Sab. *D*, 3, c.2, per totam

Descripta verbo præteriti perfecti temporis & cur, ib. n.2,

Est pictura perfecte completa & perfecta ibidem

Vt mater Dei fieret omnes se cœli inclinarunt, ib n.4

Videtur Deus pauper factus esse, eo quod illam ad tantam euexerit dignitatem, ibid. n.4, & 5

Partus illius omnium Sanctorum superauit miracula, ib n.6

Adæquatur ciuitati cœlestis gloriæ, ibi. num.7,

Nequit verbis explicari, ib.n.8, & 9,

Nequit Deus aliam facere matrem ipsa maiorem, ib.n.9, & 10, & seq.

Ob hanc dignitatem à Deo in cœlis est adorata, ib n.10,

Ideo apparuit amicta sole, luna calceata, & stellis redimita, Sab. Dom.4, c.1, n.2, & seqq.

Erat cœlum quoddam terrestre, ib.n 5,

Non est alia cœli Regina quam illa, ibid. num.6,

Eclypsauit summũ Iustitiæ solem, ib.n.8,

Quia Deum vtero suo ferebant stellæ eam circumdabant, ibid.

A Christo non mater sed mulier appellata fuit, ib.c.2, n.1,

Quia Dei mater erat tribus exornari debuit luminibus, ib c.1, n.11,

Eodem tempore Mater simul & virgo erat, Sab.D.5, c.1, n.6,

Cum lilium fuerit, Rosam de se genuit, ibid n.9,

Cum esset mulier Deum genuit, ib.n,8,

Lac eius de cœlo stillauerat & cur, ibid. c.2, n.4, & 5,

Dulcedo lactis sui, ibid.

Ipsa veluti Dea quædam esse visa est, quia Dei locus factus est.

Visitatio.

Cur tanta cum festinatione ad visitandam cognatam suam perrexerit, Sabb.D.4, c.3, n.10

Purificatio.

Diuinum infantem suum in templo relinquere noluit, & cur. Sab.D.3, c.3, n.3,

Dolores.

Causæ doloris quem habuit amisso filio in templo, Sab.D, 3, c.3, n.11.

Ad intelligendum dolores istos quos filio suo moriente habuit, melior adhiberi nequit similitudo quam quæ à mari desumitur, F.6, Parasc c.10, per totam

Lachrymæ eius ex quodam immenso doloris pelago nascebantur, ib n.1, 2, & 3,

Comparatur Murenæ, ib.n.2,

Cur non dicatur planxisse, ib.n.4,

Ex dolore quem Elementa patiebantur conjici potest crudelitas gladij qui illam vulnerabat, ib.n 5

Omnes maiores dolores in ipsa videbantur esse simul collecti, ibid n.6,

Maria vocata est, quia cuidam amaritudinis mari erat immersa, ib.n 8,

Mare nequit esse proportionatum dolorum suorum symbolum, ib.n 9

Nusquam aliquam inuenire consolationem poterat, ib.n.10

Assumptio.

A Deo adorata fuit postquam in cœlos esset euecta, Sab.D.4, c.2, n.3,

Fuit exaltata ad instar filii, Sab. D, 3, con. 3, num.3,

Habet sub se omnes spiritus beatos, ib.n.4

Est obiectum secundarium beatitudinis, ib.n.7,

Honoratur & laudatur ab omnibus beatis, Sab.D.3, c.3, n.12

Pietas.

Pietas diuina erga homines est partus sui pietatis, Sab.D.3, c.1, per totam

Dulcem reddit Deum qui prius amarus erat, ib.n.2,

Cur dicatur mater misericordiæ & non Regina, ib.n.3,

Pietas B.N. non solum inclinatur ad nostras preces, sed ipsum quoque Deum ad nostras preces inclinat, ib.n.5,

Deum domesticat, Sab. D, 3, c. 1, n. 6,
Ipsum dulcem facit, ibid. n. 8, & 10, & seq.
Deo ademit suam terribilitatem, ib. n. 12,
Ipsum in ventre suo vnxit, ib. n. 14,

Affectus erga nos.

Amor erga homines in pectore B. Virginis cum filij amore contendebat & praeualuit, Sab. D, 4, c. 3, n. 8,
Si Deo ita placuisset ipsa vtiq; dilectum filium suum proprijs manibus sacrificasset, ibidem n. 8,
Ad succurrendum nobis velocissimè accurrit, ibidem n. 10
Oculis igneis nos respicit, ib. n. 11, & 12,
Non respicit ad imperfectiones nostras, ib. n. 9,
Est Æthna mons plenus igne, ib. n. 11,
Cum foris splendeat, opus est vt intus ardeat, ib. n. 5,
Nihil habet quod igneum non sit, ib. n. 1,
Nascitur in incendio, ibidem
Est Naturae igneae, ibidem
Vocatur carbo accensus, ib. n. 3,
Capilli eius rubicundi erant, ibid. n. 4,
Labia eius duae igneae laminae esse videbantur, ib. n. 5,
Indicibilem habebat salutis nostrae sitim, ibid. num. 7,

Protectio.

Omnes illi sunt obligati, quia omnium Patrona existit, Sab. D, 3, c, 3, per totam
Alij sancti vnum habent quo protegant scutum, ipsa millia, ibidem n. 2,
Noluit in templo relinquere filium suum, ibidem n. 3,
Intelligitur sub erraticarum stellarum symbolo, ib. num. 4,
Parturiuit ad omnium vtilitatem, ibi. n. 5,
Est instar ciuitatis alicuius, ib. n. 8,
Totus mundus circa ipsam vertitur, ibid. num. 9,
Ab omnibus celebratur, ibid. n. 12,

Intercessio

Inter omnes sanctos ipsa à Deo maiori cum promptitudine exauditur, Sab. D, 3, c, 1, num. 4,
Intercedit pro omnibus, ibidem con. 3, per totam
Non sollicitata à nobis pro nobis intercedit, ibidem n. 10,

Symbola

Comparatur violae, Sab. D, 3, c. 1, nu. 1,
Nubi à S. P. N. Elia visae, ib. n. 1,
Virgae, ibi. num. 5,
Ficulneae, ibidem num. 6,
Turri, ibidem n. 9,
Lanae ibidem n. 12,
Conchae, ibidem n. 15,
Collo, ibidem c. 3, n. 2,
Aurorae, soli, lunae, ibidem n. 4,
Campo, ibidem n. 6,
Domui & ciuitati, ibidem n. 8,
Stellae maris, ibidem n. 9,
Murenae, F. 6, Parasc. c. 10, n. 2,
Carboni accenso, Sab, D, 4, c. 3, n. 3,
Æthnae, ibidem n. 11,
Terrae sitibundae, ibidem n. 7;
Columnae deserti, ib. n. 12,
Mannae, Sabb. D, 5, c. 2, n. 2,

Maria Magdalena.

Publica peccatrix fuit, & cur, F. 4, D, 4, c. 2, n. 4,
Per detractionem laudata, ib. c. 1, n. 9,
Se stitit coram Christo verecunda, humilis, & lachrymabunda, & cur, Fer. 5, D, 5, in Exordio
Fuit attracta per funem misericordiae, ibidem
Qua arte mediante tot obtinuerit gratias, ibidem c. 2, n. 15,
Quaerebat corpus Christi & cur, Fer. 6, Parasc. c. 4, n. 8, & 9,

Martius

Cur Christus hunc elegerit ad effundendum sanguinem, F. 6, D, 3, c. 1, n. 7.

Mendacium mendax

Qui loquitur mendacium, Deum quoque mendacem esse existimat, F. 4, D. 4, c, 2, num. 10,
Si quis mendacijs sese opponere velit, nullum in hoc mundo praetendere bonum debet, D, 5. c. 2, per totam
Mendaces sunt diuites, Sab. D, 4, consid. 1, num. 6,
Qui mentiri consueuit, verum dicere difficulter poterit, D, 5, c. 2, n. 4,
Quod si Isaias Propheta mētiri voluisset, Dæmon ipsum à periculo mortis decreuerat liberare & cur, ibidem n. 3,
Praestat vitam perdere quam mentiri, ib. num. 4,
Dauid coactus fuit sese exhibere mendacem

nem, vt mortem euaderet, ibid, n.4,
Aulici artificio mendacij perueniunt quo volunt, ibid, n.6,

Misericordia diuina

Contendit cum malignitate humana, F, 6, D, 3, c.3, n.11,
Post vitam peccatoris non apparet amplius, F, 5, D, 4, c.2, per totam
Illa gaudemus quoadusque oculos habemus apertos, F, 5, D, 4, c.2, n.12,
Super omnia Dei locum habet, & cur, ibid, n 3.
Propitiatorium erat supra arcam & cur, F 2, D.5, c.3, n 8,
Deus in dando non tardat, ibid, n.6.
Affligimur vno tantum die, & consolamur pro integro anno, Dom. Resur. consid. 3, n.10,

Moyses

Verbis diuinis fidem adhibere detrectabat, & cur, F, 3, D.4, c.2, nu.7,
Discalceatus regimen suum aggressus est & cur, F, 4, D.4, c 2, n 8,
Non est ingressus terram promissionis, & cur, ibid.c.3, nu.6, & Fer.3, Do.5, c.3, n.7,
Passus est murmurationes ob suam mansuetudinem, D.5, c.3, n 3,

Mors, Mortuus.

Charissimorum vnde procedat, F, 2, D.4, c.1, num.11,
Cur Abel adhuc loquatur, cum tamen sit mortuus, F, 5, D.4, in Exord.
Dat viuis loquendi materiam, ibidem
Est terribilis etiam sanctis, ibid. c.1, per totam,
Appellatur Passio & cur, ib n 3,
Magna tribulatio, ibid.n.4,
Calix, ibid.n. 5,
Omnes moriuntur in mari, ib n.6,
Nunquam Lazarus postquam resuscitatus est, risit, ibid. num.8,
Si illam homines ob oculos haberent, non manducarent, neque biberent, ib n.7,
Cur parum formidetur, ibid.n.9,
Christus sanguinem sudauit, vt mortis demonstraret dolores, ib.n.11,
Solus Deus voluntariè mori potest, ibid. num.12,
Illi qui nihil prorsus timent, timent mortem, ibid. n.13,
Quid fecerit Apostolus ne mortem videret, ibidem
Adeo est horrenda, vt nisi amor illi animum addidisset, ipsemet Deus illam exhorruisset, ibid. n.16,
Dæmon sibi præsumebat per mortis dolores Christum superare, ibi.n.17,
Olim hædera & lauro cooperiebantur feretra & cur, ibid.c.3, n.4,
Si Christus mortem occidit, cur igitur sancti moriuntur, ib n.5,
Mors sanctorum non mors est, sed Natiuitas, ib.n.6,
Non est ob illam lachrymandum sed cantandum, ib.n.7,
Mors alicuius serui vel amici Dei ruina est ijs qui superstes remanent, F.6, D.4, c.1, per totam,
Mors æstimanda est vita, ib.n.7,
Christus dicitur primogenitus mortuorum, & cur, ibidem
Sancti plus peccatum quam mortem exhorrescebant, ibid.c 3, n.3,
Christus mortem fugit, ibidem n.7,
Intelligitur sub symbolo torrentis, ibid. num.3,

Mundus

Neminem exaltat quin præcipitet, D, 4, c.3. per totam
Negotijs mundanis præferenda sunt cœlestia, F.4, D, 4, c.1. num.5,
Qui illum relinquunt, à Christo recipiuntur, F.4, D, 4, c.3, n.2.
Conseruatur in suo esse à sanctis, F.6, D, 4, c.1, n.2, & 3, 4, & 5,
Mortem iusti merito sentire atque de eadem dolere deberet, ib.n.6,
Persequitur iustos, D.5, c.1, n.11, & seq.
Non benefacit veridicis, ibid.c.2, per tot.
Affligit mansuetos, ib.c.3, per totam
Eius negotia serio & cum efficacia, negotia vero animæ frigide aguntur, F, 4, D, 4, c.1, num 6,
Mundani debilem dexteram læuam vero agilem habent, ibid.n.8,
Similes sunt Asino, ibid.n.10,
Valde sentiunt iacturam rerum temporalium, spiritualium vero minime, ib.n.11,

Murmuratio Murmurator

Peccatores murmurant ob diuinam liberalitatem, F.6, D.3, c 1, n.5
Emphasis verbi Detrahere, F, 4, D, 4, c.1, n. 3,
Nonunquam murmuratio iuuat, ib.n.9,

Vitium

Vitium est adeo horrendum, vt qui huic subiaceat, faciem Dei nunquam sint visuri, F.4, D.5, c.3, per totam

Æterna maledictione digni sunt, ibidem num.1,

Proponuntur sub symbolo corui, ibidem num, 2,

Habent linguam *Dæmonis*, & cur, ibid, num.3,

Dicuntur canes & cur, ibid.n.5,

Aliorum societate indigni sunt, ibid n.8,

Dicuntur serpentes reguli, ibid.n.10

Verba Dei nullam apud ipsos vim habent ibid.n.10.

Murmurator purgatorium egressus cœlum ingredi non potest, & cur, ib.n.12

Nero.

Faciendo pannum quendam phrygij operis auroque gemmisque intextum se declarauit pauperem, sab. D.3, c.2, n.5

Nobilitas.

Contempta à B. Virgine, Sab. *D*.4, con.2, num.7,

Opera bona

Vt cœlum ingrediare oportet te fœcundum esse meritoriorum operum, F.4, D.5, c. 1, num.8,

Non sunt digna gloria beatorum, ibidem num.4,

Oratio

Non est bonum petere à Deo parua, F.6, D.3, c.1, n.6,

Exigit hominem compositum, Fer.2, D. 4, c.3, n.2,

Exaudita à *Deo* cum sollicitudine, F.2, D.5, c.3, n.9,

Opus habet humilitate, F.5, Dom.5, c.1, num.11.

Deum audire debemus, vt exaudiamur ab illo, F.2, Paschæ, c.1, n.12

Postulat etiam in vestimentis humilitatem, Dom.Pal.c.2, n.1, & seq.

Panis

Quomodo augeatur, Dom.4, c.1, num.8, & seq.

Illo gauisi sunt sancti in abundantia, F.2, D.5, c.1, n.3, & 4.

Continuo præparatus in diuina præsentia, ibid.n.9,

Verbum Dei panis loco nobis est, Fer.2, Pasch.c.3, n.2,

S. Paulus

Non optabat Agrippæ Regi catenas suas, & cur, F.6, D.3, c.2, n.1,

Ex collo eius post decollationem exiuit sanguis ad instar lactis, & cur, Sab.D.3, c.1, num.10,

Non potuit sanare Trophimum discipulum, F.2, D.4, c.1, n.7,

Volebat vt Timotheus præciperet diuitibus, & cur, F.3, Do.4, c.3, n.2,

Ne videret mortem oculos sibi petijt velari, F.5, D.4, c.1, n.13

Est quidam Cherubinus, F.1, D.5, con.2, num.10,

Eleuatus est in tertium cœlum, & cur, F. 5, D 5, c.2, n.5,

Quo lumine excæcatus fuerit, Dom.Resur.c.1, n.14

Pauo

Signa luxuriæ Pauonis, *D*om.Palm c.2, num.7,

Pauper Paupertas.

Petendo Eleemosynam non recipit, sed facit gratiam, D.4, c.2, n.11,

Christus non venit vt euangelizaret diuitibus, sed pauperibus, & cur, F.3, D.4, c. 3.1.u n.7,

Non habent rationem dolendi, siquidem tanta cum magnificentia à Christo tractantur, F.4, D.4, c.3, per totam.

A Deo supplicetur quod illis deest, ibid.

Cur Lazarus ab Angelis sepultus fuerit, ibid.num.1,

Magna fœlicitas est pauperem esse in hoc mundo ibid.

Pauperes in alio sæculo sunt diuites, ibi. num.5,

Per quam paupertas sponsis suis secum adfert, ibid.num.7,

Apologus de paupertate, ibid.

Pauperes sunt Angeli terrestres, ib. nu.8.

Sunt totidem Dij in terra, ibidem num.9,

Totidem Christi, ibid.n.10,

Deus de cœlo descendit vt pauper fieret, ibid.n.11.

Pax Pacifici.

Significat omnis boni abundantiam, *D*. 4, c.1, num.2,

Reddit homines inuictos, Fer.3, Pasch. consid.1, per totam

Ruina

Ruina Romanorum ex pacis defectu orta est, ibid.n.1
Pacifici dicuntur filij Dei & cur, ib.n.2
Nemo illos offendere potest, ibid.
Centum manus & centum pedes habent, ibid n,3
Ciuitates pace augentur ibid n.4
Ab ipsa omnis victoria dependet, ib.n.5
Quia Ierusalem pace non gaudebat, ideo ciuitas non erat, & cur, ibid.n.6
Deploranda sunt loca, in quibus pax nulla viget, ibid.n.7
Est Domus Dei, ibid n 8
Exosa Dæmoni, ibid n.9
Symbolizata per terram, ibid.n.10
Deus alibi quam in pace pedem suum non ponit, ibid

Peccata peccatores.

Ila per diuinā duntaxat patientiam sufferri possunt, F 6, D.3, c.3, per totam.
Homines non habent stomachum aptum ad digerendum illa, ibid.n.7
Aut solus Deus, aut homo mente captus ea sufferre potest, ibid.n.19, & 10
Deus illa angelis non reuelat, ib.n,14
Remissio peccatorum non æstimatur & cur, F.4, D 4, c.1, n.6
Sancti magis peccata quam mortem aut Infernum abominantur, F.6, D.4, c.3, per totam;
Merito erubescere deberent, ibid.n.4
Sunt maximum malum, ibid.n.5
Sunt morte peiora, ibid.
Sancti ne peccent viuos sese sepeliunt, ibid.n,7
Melius est esse in Inferno quam in peccato, ibid.n.9
Deus illa delet in illis qui ob ea verecundantur.
Plus Christum affligunt, quam Passionis suæ tolerata martyria, F.6, Parasc.c.8, n.10
Peccatori proprium est culpam suam in humeros alienos conijcere, F.3, D. 4, c.2, per totam.
Quamdiu peccator inter sanctos viuit Deus illum non affligit, F.6, D.4, c.1, per totam,
Quoadusque viuit mortuus est propter peccatum, F,5, D.4, c.3, n.8
Deus illis benefacit propter sanctos, F.6, D.4, c 1, n.10
Peccatoribus maior Crux accidere nequit, quam iusti alicuius societas, D. 5, c.1, per totam.
Quamdiu inter bonos moratur, timet ne castigetur, ibid n,3
Persequitur sanctos, ibid n.4
Quamdiu viuit nequaquam reputari debet damnatus, F.4, D.5, c.2, per totam.
In eius sacrificio incensum non ponitur, & cur, ibid n.4
Est magnus ignorans, F.6, D.5, c.3, per totam.
Est vere stultus, F 6, D 5, c 3 n.13
Ex medicina Passionis Christi facile cognoscitur grauitas peccati, F 3, Pasahatis c, 3, per totam.

Pœnitentia, Pœnitens.

Non potest dici illam esse in cælo, bene tamē ipsam esse cælo vicinā F.4.D.5, c.2, n.6
Deus omnia potest, pœnitentibus autem peccata sua non remittere non potest, F.5, D.5, c.3, n.10
Pœnitentia est gaudium vel festiuitas cui Deus assistit, D. Palm.c.1, n.6
Gaudere debet & festa agere quando peccata sua deplangit, ibid.
Est festum bonum & pulchrum, ibidem num.7
Exhilarat Deum, ibid n.8
Deus plus de planctu pœnitentis gaudet, quam de quauis alia harmonia, ibid.num. 9.
Facies pœnitentis oculis Dei videtur venustissima, ibid.
In die quo peccator lachrymatur Deus festiuus iubilat, ibid.n,11
Pœnitens debet esse verecundus, F.5, D.5, c.1, per totam.

S. Petrus.

Non potuit sustinere peccatum Ananiæ, & cur, F,6 D.3, c.3, n.9
Fuit in periculo submersionis, & cur, F,2, D.4, c.1.n.3
Deus illi apparauit cibos per Angelos & cur, F 4, D.4, c.3, n.2
Non est mortuus libenter, F.5, D.4, c.1, n.14
Voluit Crucifigi capite deorsum verso, & cur. F.4, D.5, c.1, n.4
Lachrymabundus veniam petijt & cur, F.5, D.5, c.1.n.2

Christo pedes suos lauare volenti restitit, & cur, F 6, Parasc. c. 2, n. 1

Petrus Telonearius.

Pauper factus est, vt Christus fieret, F. 4, D. 4, c. 3, n. 10

Plato.

Redemptus est ex seruitute vili pretio, F. 6. D. 3, c. 2, n. 9

Fabula ab ipso de hominum creatione composita, F. 3, Pasch. c. 1, n. 3

Populus

In superioris electione est instabilis, D. 4, c. 3, n. 1, & seqq.

Nouos semper molitur habere Rectores ibid. n. 5

Qui illi seruit nemini seruit.

Ingratus est suis benefactoribus

Appellatur bestia.

Prædestinati, Prædestinatio

Non acquirunt sine meritis cælum. F. 4, D. 5, c. 1, per totam.

Significantur per Samuelem, ibidem nu. 2.

Sunt Gratiæ diuinæ filij, ibidem.

Sunt in manu Dei instar luti, ibid. n. 1

Corona ipsorum lapidibus distincta est valde pretiosis, & cur, ib. n. 3

Prædestinatio oculis nostris est occulta, F. 4, D. 5, c. 2, fere per totam.

Prædestinatorum sunt valde pauci, F. 4, D. 5, c. 3, n. 1.

Pulchritudo Pulcher

Faciei Christi resuscitati, Dom. Resurr. c. 2 per totam.

Itē quando subiectus erat tormentis, ib.

Ecclesia perfectam pulchritudinem suam habuit à specie B. Virginis, Sabb. D. 5, c. 2, n. 6

Religio

Cur illam non amplectantur omnes homines, F. 6. D. 3, c. 2, n. 2

Rex Regnum.

Nomen Regis exosum est & probrosum, D. 4, c. 3, n. 7

Viris sanctis non videntur Reges huius mundi Reges esse veri sed scenici, ibid. n. 2.

Christus derisit illorum gloriam, D. 4, c. 3, n. 9

Sal.

Sapientiæ causa est sitis cæli, F. 6, D. 3, c. 2, n. 4

Saulus Animæ

De hac certi esse non possumus, donec viuimus, F. 4, D. 5, c. 2, n. 4

Pauci saluantur, perduntur autem innumeri F. 4, D 5. c. 3, n. 6

Adeo facile est saluari, vt ij solum non saluentur, qui saluari prorsus nolunt, ib. n. 4

Samson

Cur ab aliqua muliere potuerit superari, D. 5, c. 3, n. 2

Sancti

Tormenta facile digerere possunt, sed nō peccata, F. 6, D. 3, c. 3, n. 7

Sunt particulares certarum Prouinciarū & ciuitatum Patroni, Sabb D. 3, c. 3, n. 1.

Habent manus Dei & cur, D. 4, c 2, n. 15.

Timent mundanas dignitates, ib. c. 3, n. 3

Easque abominantur, ibid.

Non possunt semper miracula facere, & cur? F. 2, D. 4, c. 1, n. 7

Ob illorum amorem Christus in cælo velut aduena & peregrinus commoratur, ibid. c. 2, n. 9

Timent mortem, F. 5, D. 4, c. 1, n. 15

Non sunt mortui sed viui. ib. c. 3, per totā.

Maius infortunium homini accidere nequit quā mors sanctorum, F. 6, D. 4, c. 1, per totam.

Sunt singulare locorum illorum in quibus commorantur præsidium. ib. n. 2

Mors sanctorū est euidens eorum qui post ipsos permanent superstites, ruina, ib.

Sunt medulla mundi & cur, ibid. n. 3

Sine ipsis peccatores sunt sine vita, ib. n. 4

Similes sunt decem Virginibus, ib. n. 5

Vita ipsorū longæua merito esse deberet. ibid. n. 6

Sunt capilli Christi & cur. ib. n. 9

Respectus qui peccatoribus ob ipsorum defertur meritum, ib. n. 10

Conseruant Dei misericordiam in terra, ibid. n. 11, & 12.

Peccatum plus quam mortem & infernū abominantur. F. 6 D. 4. c. 3. per totam.

Sunt similes Herminio & cur, ib. n. 7

Viui sepeliuntur ne Deum offendāt. ib. n. 8

Indignantur & execrantur peccatum sicut serpens Fraxinum, ibid. n. 12

Peccatores nulla crux adeo affligere potest sicut societas sanctorū, D. 5 c. 1, per totā.

Sunt peccatoribus graues, ib. n. 5.

Simi-

Similes sunt auibus. Aues regiæ, ibidem,
Similes sunt lacertulis, ib. n. 8,
Et contagiosis, ib. n. 10,
Peccatores illos Iudices æstimant, ib. n. 9
Ad hoc vt Deo seruiant confligere debent, ib. n. 11,
Opus habent magna patientia, ibid.
Affliguntur à mundo quia sunt mansueti D. 5, c. 3, per totam
Non reddunt malum pro malo & cur, ibi.
Toto mundo fame pereunte ipsi pane abundant, F, 1, D, 5, c. 1, per totam
Vbi sancti habitant, ibi fames locum non habet, ibi. n, 1, & 2,
Panem inueniunt, vbi id est impossibile, ibid, nu 5,
Quamdiu cum Deo sunt nihil illis deerit ibid. n. 6,
Panes per aërapro ipsorum seruitio volitant, ibidem
Nunquam quid fames sit experientur, ibid. n. 7,
Peccatoribus propter sanctos Panis suppetit, ib. n. 10,
Non homines sed Angeli esse videntur, ibid. c. 2 per totam
Similes Capillis, ibidem n. 4,
Habent corpus, corporis tamen non sentiunt passiones, ibid.
Dicuntur fines terræ, ib. num. 6,
Similes arboribus & cur, ibid. n. 7,
Sunt Cherubini, ib. n. 10,
Dei nomen scriptum habent in frontibus suis & cur, ib. n. 12,
Ipsos Dei amor, Deos facit, ibid.
Corona Sanctorum est super capite Christi, & cur,
Non debent præsumere de sua salute quãdiu viuunt, F. 4, D. 5, c. 3, per totam fere
Dicuntur cœli & cur, ib. n. 2,
Appellantur absconditi & cur, ib. n. 3,
Tametsi cœlo vicini sint, quamdiu viuunt, non tamen sunt in cœlo, ib. n. 6,
Semper possunt peccare & cur, ibid.
Verum Canonizationis Sanctorum fundamentum, ib. n. 7,
Non potest cognosci an sint prædestinati ib n. 8,
Dæmon nunquam desperat de illis in suã potestatem redigendis, ib. n. 8,
Viuunt in continuo timore, F. 5, D. 5, c. 1, num. 4,
Ordinariè lachrymantur & cur, F. 4, D. 5, c 2, n. 12,
Adeo sunt pauci, vt ob eam paucitatem Christus pauper reputetur, ibi. c. 3, per tot.
Dicuntur lapides pretiosi & cur, ibidem num. 3,

Seneca

Ratio ob quam Anicero iratus fuerit, F. 6, D. 3, c. 2, n. 9,
Quid dixerit ad conspectum illius tapetis à Nerone comparati, Sab. D, 3, c. 2, n. 5,

Seraphini

In præsentia Dei pedes suos contegebant, F. 2, D. 4, c. 3, n. 2,
Cur in templo in pedes erecti steterint non vero sederint, ib. n. 8,

Serpentes.

Valde execrantur Fraxinum, F, 6, D. 4, c. 3, num. 12,
Serpens Moysis cur æneus, F. 6, Parasc. c. 6, n. 1,
Lingua maledicorum serpentina est, & cur, F, 3, D. 5, c 3, n. 10

Sol.

Ipso intrante in signum virginis fructus dulcescunt, Sab. D, 3, c. 1, n, 7,
Cur in Passione Christi obscuratus sit, D. 4, c. 1, n. 7, & F. 3, D. 5, c. 1, n. 6, & F. 6, Para. c. 7, n. 6,
Symbolum Christi resurgentis, D. Resur. in Exordio
Dicitur Osirim Sab. D. 4, c. 1, n. 3.
Est maximum cœli ornamentum, ibid. num. 5,
Custodit corpus Dei, ibid. n. 4,
Quid sol fecerit Christo resurgente, Do. Resur. c. 2, n. 10.
Admirabilis rotarum suarum velocitas ib c. 3, in principio, n. 1,

S. Stephanus.

Ipsi morienti Christus in cœlo crucifixus apparuit & cur, Fer. 5, Dom. 4, consid. 1, n. 15,
Quod si Hebræis in facie angelica demonstratus est, cur illum occiderunt.

Superiores

Regimina illorum sunt instabilia, D. 4, c. 3, n. 1,
Nomen ipsorum apud sanctos est contemptibile, ib. n. 6
In faciendis gratijs & castigandis delictis

imitantur Deum, F.2, D.4, c.3, n.10.

Non debent formidare homines. F.4, D.4, c.2, n.8.

Debent habere faciem Adamantis, ibid. num 9.

Taurus.

Ligatus ad ficulneam domesticatur & cicuratur, Sabb. D.3, c.1, n.6.

Templum.

Est sponsa Dei & cur. F.2, D.4, c.3, in principio.

Tanta grauior est culpa eorum qui illud prophanant, quanto maior est reuerentia quæ illi debetur, ibidem, consid, 3 per totam.

Ibi Deus cunctas nostras actiones obseruat, ibid. num.1.

Quacum Reuerentia Seraphini ibi assistant. ibid. n.2.

Deus offenditur si illud ob vanam curiositatem ingrediamur. ibid. n.3.

Loqui coram Deo præsente est irreuerentiæ actus, ibid, n.4.

Ea quæ alibi licent, in templo illicita sunt ibid. n.4, & 5.

Deum offendunt qui illud ingrediuntur peccato obnoxij, ibid. n.6.

In templo esse debemus haud secus ac in paradiso. Ibid. n.7, & 8.

Cur non liceat sedere in templo cum id liceat in cælo, Ibid. n.8.

Qui ibi peccant æque grauiter delinquunt ac si in cælo peccarent. ibid. n.9, & 10.

Peccatum quoque illorum Dæmonis peccato assimilatur, ibid. n.11.

Imo peius est. ibid. n.12.

Terra.

Quantum distet à cælo, F.4, D.4, in Exordio.

Creata est post Cælum & cur. ibid. c.1, num.4.

Deus terram negat, vt det cælum, F.4, D.4, c.3, n.6.

Vnde causatus fuerit terræ motus in passione Christi, F.6, Parasc. c.7, n.8.

Quam sit modica & exigua respectu cœli Empyrei. F.6, D.3, c.2, n.3.

Cur terra promissionis adeo sit fæcunda, D.4, c.1, n.4.

Timor.

Homines nihil æque timere debent, quam homines F.4, D.4, c.2. per totam.

Qui homines timent mille committunt scelera, ibid. n.1.

Ruina mundi ex humano timore nascitur. ibid. n.3.

Fecit Mariam Magdalenam publicam peccatricem. ibid. n.4.

Et Lucretiam Romanam adulteram. ibid. num.5.

Debemus cauere nobis à timore inimici non vero ab inimico ibid. n.6.

Superior non debet timere homines, ibid. n.8.

Quod si timor in corde Christi perseuerasset, cælum etiamnum adhuc nobis esset obseratum, ibid. n.10.

Christianus in continuo timore viuere debet, & cur. F.4, D.5, c.2, n.11.

De timore quem merito Christianus habere deberet non obseruando festa, F.3, D.5, c.1, n.7, & 8.

Traditor.

Nunquam alicui cum traditore bene conuenit, & cur. F.3. D.4, c.2, n.4.

Tribulationes.

Huius mundi sunt ludi & ioci, F.5, D.4, c.2, n.10.

Sunt causa cur vita nostra sit veluti infernus F 6. D.4, c.2, n.12, & 13.

Sancti non agnoscunt aliam afflictionem præter peccatum, ibid. c.3, n.4.

Mundus æstimat tribulationes pro Christi seruitio toleratas, erubescendas esse, F.6. D.3, c.2, n.1.

Deus non glorificat sanctos suos sine afflictionibus F.4. D.5, c.1, n.6. & seq.

Sunt necessariæ ad acquirendum cælum, ibid. n.9.

Non est dubitandum quin sancti qui in cælis sunt, pro illo laborarint, ibidem numero 10.

Tribulationes huius vitæ sunt momentaneæ, Dom. Resurr. c.3, n.8, & 9.

Vt quis gustet mel cælestis gloriæ gustare prius debet fel afflictionum huius vitæ, F.3, Pasch. c.2. per totam.

Qui dicere audet se cælo gauisurum esse, nec tamen passurum hic aduersitates nescit quid dicat, ibid. n.2.

Gloriam debent præcedere afflictiones, ibid. n.4.

Humeri qui non laborant, non remunerabuntur. ibid. n. 5.

Hic in terris afflictiones passi sunt omnes quotquot sunt in cœlis, ibid. n. 6.

Gloria beatorum est fructus Crucis, ibid. num. 7.

Qui inuenire vult Christum gloriosum, prius quærere debet eundem Crucifixum, ibid. num. 9.

Christus primò filius fuit laboris & afflictionis, & postea filius gloriæ, ibidem num. 10.

Verba Dei.

De potentia quam habent, F. 4, D. 5, c. 2, num. 10.

Sunt maximorum bonorum instrumenta, F. 2, Pasch. c. 3, per totam.

Symbolizata per manna, ibid. n. 1.

Sustentant homines in vita. ibid. n. 3.

Infirmis salutem restituunt. ibid. n. 4, & 5.

Locupletant homines. ibid. n. 6.

Per vnam solam à Deo adiunctam literam homines ditantur. ibid. n. 8.

Virgines.

Nomen Dei in frontibus suis descriptum habent, & cur. F. 1, D. 5, c. 1, n. 12.

Verecundia.

Maxime de peccato erubescere debemus, F. 6. D. 4, c. 3, n. 4.

Mox vt nata est aurora verecundiæ, non tardat nasci sol diuinæ gratiæ, F. 5, D. 5, c. 1. per totam.

Fuit causa sollicitatæ veniæ in S. Petro. ibid. n. 2.

Significatur per literam Tau ibidem, num. 3.

Peccatores erubescentes reputari debent iustificati & cur. ibid. n. 4.

Fons lachrymarum in pœnitentibus, ibidem n. 6.

Vicina est innocentiæ, ibid.

Impetrat gratiam per sollicitudinem ibidem n. 7.

Est proprietas inseparabilis hominis & cur. ibid. n. 8.

Confessio ordinata ad verecundiam, ibid. num. 10.

Christus illam in sanguinis sui effusi præmium recipit, ibid. n. 11.

Vt à Deo exaudiamur, cum verecundia orare oportet, ibid. n. 12.

Veritas.

In aula Darij iudicata est fortissima omnium, F. 3, D. 4. c. 1, n. 4.

Qui consueuit dicere verum nullum in hoc mundo expectare bonum debet, Dom. 5, c. 2, per totam.

Non habet aditum ad aulam & cur. ibid. num. 7.

Aulæ omnibus abundant, sola veritate excepta. ibid.

Comeditur cum condimento panum azymorum & cur. ibid. n. 8.

Est amara ibid.

Ab eo honoratur qui nulla mundi bona prætendit. ibid n. 9. & 10.

Si Christus in domo Pilati de veritate multum discurrisset, vehementius cruciatus fuisset. ibid. n. 10.

Infestatur ab aulicis ibid.

Vestes.

Sicut humilitas vestium index est virtutum, ita superbia vitij est argumentum, D. Palm. c. 2, per totam.

Homines boni in vestimentis cognoscuntur, ibid. n. 1.

Deus Adamum viliter vestiuit, & cur, ibid. n. 2.

Vestes humiles sunt honorificæ, & à Deo quicquid volunt impetrant. ibid. num. 2, & 3.

Pomposæ sunt signum luxuriæ, ibid. n. 5.

Quid significent homines pauonizantes, ibid. n. 5. & 6.

Mulier casta pomposè vestita iudicatur meretrix, ibid. n. 8. & 9.

Vestes superbæ sunt Veneris rete. ibid. n. 9.

Qui in ijs delectantur similes sunt Cygno & cur. ibid. n. 10.

Sunt ministri Dæmonis, ibid. n. 11.

Vestes superbæ pauperum sunt sanguine comparatæ, ibid. n. 12.

Qui copiosè vestitur superbum se esse demonstrat. ibid. n. 13.

Vinum.

Cur vbi suspensa est hædera, vinum fit venale, F. 6, D. 5, c. 1, n. 4.

Virtus.

Adeo ingens est valor illius, vt in ipsomet etiam inimicorum suorum ore resplendeat, F.3, D.4, c.1, per totam.

Significatur per Carbunculum, ibid. n, 8.

Est mater gloriæ beatorum. F.4, D.5, c.1, num.7.

Pauci sunt qui illam sequuntur, vitiosi vero plurimi sunt, ibid. c, 3, per totam.

Christus vocatur Dominus virtutum, & cur.

Vita.

Vadit coniuncta cum misericordia, F.5, D.4, c.2. per totam.

Vita quæ ducitur amissa Dei gratia non vita sed mors est. ibid. n.8, & 9.

Dici debet mors & infernus, F.6, D.4, c.2, per totam.

Non est aliud quam stabulum quoddam. ibid. n.3.

Est vita nauigantium in mari & cur. ibid. num. 4.

Non permittitur diu quiescere, ibid. n.5.

Longa tametsi videatur, breuis tamen est. & cur, ibid. n.6.

Mors & non vita nominari debet. ibid, n. 7, & 8.

Viuimus semper moriendo, ibid. n.9.

Cur Deus Caino vitam prorogauerit, ibidem, num. 10.

Est infernus & cur. F.6. D.4. c.2, n. 12.

Poëtæ illam per infernum intellexerunt, ibid n 13.

Zelotypia, zelus.

Magno Deus zelo templum suum prosequitur, F.2, D.4, in Exord.

Nascitur ex ingenti amore, ibid, c.1, n.1.

Qui non zelat non amat. ibid.

Zelus Dei circa Diuinitatem suam, ibidem, & sequentibus per totam consid.

Noluit Hebræos esse artis pictoriæ peritos. ibid. n. 6.

Noluit sanctos semper facere miracula, ibid. n. 7.

Sustinuit Romanos ad declarandam Christi Diuinitatem, & cur. ibidem, numero 8.

Zelus Dei contra pecuniam ibidem num. 9.

Est causa mortis eorum qui nobis sunt maxime coniuncti. ibid, n. 11.

Zelotypia tenet in dextera gallum, & cur ibid. c. 2, n, 3.

Pallium vero coloris aquæ marinæ. ibid. num. 8.

F I N I S

Indicis rerum & materiarum notabilium.

INDEX
PRO CONCIONATORIBVS
AD SINGVLAS DOMINICAS ET FESTA totius Anni digestus. Per quem modus ostenditur quo Concionatores quadragesimali præsenti per totum Annum pluries & vtiliter vti possunt.

DOMINICA I. ADVENTVS SEV PALMARVM

THEMA I.

Ite in Castellum quod contra vos est.

S. ANTONINUS p. 4. tit. 15. c. 2. dicit, Castellum illud, ad quod Dominus discipulos suos in hoc Evangelio misit, esse Civitatem Ierosolymitanam. Mox enim vt dixisset Discipulis: *ite in Castellum &c.* Evangelista refert Christum vidisse Ierosolymam, vt lachrymatum fuisse. Hinc ergo difficultas suboritur: cur nimirum Christus tantam tamque angustam, & vastam vrbem, qualis erat Hierosolyma, in hoc Evangelio *castellum* nominet. S. Antoninus ubi supra existimat factum id esse, ob ingentes rixas & discordias, quibus vrbis illius illius Cives sese mutuo infestabant. Vnde indigna erat, quæ appellaretur *Civitas*, hoc enim nomen significat idem quod *Civium unitas. Civitas dicitur*, inquit, S. Antoninus, *quasi Civium unitas. Vnde Salvator noster, cum misit duos ex discipulis suis ad civitatem Ierosolymam, quæ erat plena sectis, divisionibus, ac peccatis, non dixit: ite in Civitatem, sed Castellum.* Sicut enim concordia res parvæ crescunt, & indomabiles fiunt: Ita discordia maximæ Respublicæ dilabuntur, minuuntur, & pereunt. Fer. 3. post Pascha Consid. I.

THEMA 2.

Et adduxerunt Asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.

Paulus de Palatio circa præsens Evangelium observat, Christum ea die, qua vrbem Ierosolymitanam solemniter & triumphabundus ingrediebatur, Matthæo Apostolo teste, tam Asino, quam pulo eius insidere voluisse. Quærit igitur quid hic lateat Misterij: ob quod Dominus utrique immento inequitare voluit, cum in tam brevi itinere, vel vnum suffecisset? & subtiliter Respondet, animalia ista, eo quod alienis oneribus portandis tergum suum libeter submittunt, symbolum esse hominis longaminis, & patientis. Vt igitur Christus demonstraret, quanta sit intollerandis hominum sceleribus divinæ suæ patientiæ magnitudo, utrique

ggejamento insistere voluit ut insinuaret, patientiam suam non vulgarem, sed quendam potius patientiæ excessum fuisse. *quia regula est* inquit præfatus Doctor *quod duo vel duplex significat multum, hinc fit, ut Christum duplici Asino, in sedisse summam eius patientiam significaret* Fer. 6, Dom. 3, Quadr. Consid. 3, per totam.

THEMA 3.

Et si quis vobis aliquid dixerit dicitet quia Dominus his opus habet.

Dominus Responsione hac, quam discipulis suis suggessit, tollere ab iis voluit omnem inanem formidinem atque timorem. Nihil enim est, quod homines ab obsequio Dei magis impedit, quam inutilis timor, & respectus humanus. O quot hoc sacro tempore, ieiunia, preces, Eleemosynas, aliaque bona opera intermittunt, ob solum respectum humanum, ne videlicet corripiantur, videantur, aut contemnantur ab hominibus. Vnde quicunque hoc sacro tempore Divinam sibi conciliare gratiam volunt, *nihil aque timere debent, quam ne homines timeant.* Feri, 4, Dom, 4, Quadr, Consid. 2, per totam.

DOMINICA II. ADVENTUS

THEMA I.

Tunc videbunt Filium hominis &c.

Lucæ 21, v, 27,

Quod si unaquæque majestas terrorem conjunctum habeat, facilis est conjectura, quam terribilis futura sit Divina majestas, quando mundum judicatura sedebit Fer. 2, post Dom. I. Quadr. Consid. 1, per totam

THEMA 2.

Erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum, Luc.

21, v, 25,

Quod si Creaturæ sensus expertes, illæque quæ nullam timendi causam habent, adeo ad Divinam timeant, tremantque præsentiam, quantus igitur sceleratorum hominum coram irato Deo congregandoum timor futurus erit. Fer, 2, post Dom, 1, quadr, Consid. 2, per totam.

THEMA 3.

Arescentibus hominibus præ timore.

Lucæ 21, v, 26,

Quod si vox Dei placata est insupportabilis, qualis irati Dei vox erit? Fer. 2, post Dom, 2, Quad, Consid. 3, per totam.

DOMINICA 3. ADVENTUS

THEMA 1.

Hic est de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.

Lucæ 7, v, 27,

Non abs re hic esset, si causa inquireretur; cur S. Ioannes homo verus existens, appellatus sit Angelus, & non homo prout appellari alij homines solent. Assignat autem illam Titus Bostreusis in Catena aurea S. Thomæ hic dicens: *Angelum appellat hominem, non quia natura esset Angelus, homo enim naturaliter erat, sed quia exercebat opus Angeli.* Siquidem ad instar Angelorum, non manducabat, neque bibebat sicuti & alibi Matt, 11, v, 18, dicitur: *Venit Ioannes neque manducans neque bibens* Vita eius continuum quoddam erat jejunium, adeo ut pro necessaria corporis sui sustentatione vix manducaret. Atque ideo Angeli nomine est honorata quisquis enim assidue jejunat, non homo sed Angelus esse videtur. Dom. 1, quadr. Consid, 1, per totam.

THEMA 2.

Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt. Matt. 11, v, 8,

Sicut humilitas Vestium index est Virtutum, ita superbia argumentum est vitiorum Dom. Palmar. Consid. 2. per totam.

THEMA 3.

Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi Matt. 11, v, 12,

Major homini perverso accidere Crux nequit, quam hominis alicujus Sancti societas. Dom, Passionis Consid. 1. per totam.

Ioannes est in vinculis, quia veritatem Herodi dicere non dubitavit. Vnde adeo verum est, vitam à nobis hic in mundo inter mera mendacia traduci, ut qui verum dicere audet, nullum hic prætendere bonum possit. Domi. Passionis. Consid. 2. per totam.

THEMA 4.

Pauperes Evangelizantur. Matt. 11, v, 5.

Pau-

Pauperes nullam habent dolendi, aut lamentandi rationem, licet se coram mundo despectos videant; à Christo enim tam charis stringuntur amplexibus, tantisque cumulantur fauoribus, vt si diuites saperent, ijs inuidere merito possent, *Fer.4, post Dom. 4, quad. con. 3, per totam.*

DOMINICA IV. ADVENTVS

THEMA 1.

Non sum dignus, vt soluam eius Corrigam calceamenti, Ioan 1, v.27.

Quanto Ioannes humilior erat, tanto magis Cœlestium gratiarum cumulus in illum emanabat: nam *Sicut magnes ferrum ad se trahit, ita humilitas attrahit ad se gratias Cælestes, Fer.5, Dom.2, quadr. con.2, per totam.*

THEMA 2.

Tu quis es? Ioan.1, v.19.

Virtutis valor & pretium adeo est ingens & admirabile, vt in ipsomet quoque inimicorum suorum ore sua lumina diffundat, *Feria 3, post Dom.4, quadr. con.1, per totam.*

THEMA 3.

Et confessus est, quia non sum ego Christus Ioan.1, v.20

Præcipua causa cur S. Ioannes Baptista in deserto prædicans, tantos in Iudæis pœnitentiæ fructus produxerit, est, quia spreto proprio interesse, aut commodo, Dei gloriam & Animarum lucrum duntaxat intendit; Econtra vero nihil vtilitatis præstabunt, qui animarum saluti ex motiuo interesse seu commodi proprij vacant, *F.3, D.3, quadr. con.2, per totam.*

FESTVM SOLEMNE NATIVITATIS D. N. IESV CHRISTI

THEMA 1.

Et verbum Caro factum est, Ioan.1, v.14

S. Antonius de Padua pulchre obseruat, magnam diuersitatem modi, quo Deus admirabile Incarnationis verbi mysterium est executus, & alterius, quo mundi fabricam erexit: Videns enim illud factis consummatum esse, Ioanne dicente: *Et Verbum Caro factum est*: Hanc vero perfectam esse verbis, teste Dauide Psal.15, v.8, *quoniam ipse dixit & facta sunt, mandauit & Creata sunt.* tandem eosque pertingit, vt Redemptionis Animarum nostrarum difficultatem, & facilitatem creandi res sensibiles inde assequatur & eliciat & dicat Conc. in fer.4, post Do. Passionis *Tanta est Differentia inter dicere & facere, quanta fuit inter creare, & recreare: Creatio facilis, quia solo verbo, imo sola voluntate: recreatio difficilis, quia per passionem & mortem.* Vnde colligitur, Deum animas nostras, tanquam rem longe pretiosissimam, per magni æstimasse, nam cum ad res corporales ad præsentem vitam pertinentes, verba duntaxat adhibuerit; pro rebus tamen ad animæ salutem pertinentibus, econtra se totum impendit & consumit, per longos, labores, per amaras lachrymas, sanguinem, sudorem per acerbissimos cordis dolores, denique vitam suam propriam prodigendo, nos ècontra qui corpus pluris æstimamus quam Animam, secus facimus, *F.4, D.4 con. 1, per totam.*

THEMA 2.

Paruulus natus est nobis & filius datus est nobis, Isaia 9. v.6.

Doctissimus Hieronymus Oleaster Thema hoc explicans ponderat illud ly *datus* & dicit? *Non venditus neque commutatus.* q.d. Aduertat hic lector, Prophetam non dicere, quod Deus filium suum vendiderit, aut commutauerit, sed quod dederit illum. Verum dicat aliquis, videtur potius Deum Filium suum non dare, sed vendere debuisse, hominibus enim proprium est, rei alicuius præstantiam, non aliunde, quam ex pretio vel labore quo illam comparant, cognoscere, aut æstimare. Vnde ipse quoque Deus Isai.55. v.1, gratias suas spirituales non dare sed vendere vult dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite.* Videtur itaque quod Deus vnigenitum suum non dare, sed vendere aut commutare debuerit, ea enim quæ donantur, licet pretiosa sint, non æstimantur, quia gratis offeruntur: ex pretio enim & labore quo aliquid acquirimus, non vero ex dignitate æstimare illud solemus. Huic difficultati Oleaster optime respondet dicens: *quoniam in terra nihil erat hoc filio dignum, nobis datus est non pretio emptus.* Nos enim hic in terris alia commutatione vti non possumus, quam gemmarum, auri, argenti, & aliorum, quæ merum sunt terreæ lutum. Si his emeretur Deus, ostenderetur luto æquatis, adeoque diuini illius thesauri pretiositas in-

finities diminuta fuisset. Quia igitur tanto bono emendo nulla inveniebantur digna moneta, Deus illud nobis pro nihilo & gratis donavit. *Filius datus est nobis Feria 6, Dom. 3, Consid. 1, num, 11. & 12.*

THEMA 3.

De qua natus est IESVS qui vocatur Christus Matt. 1. v, 16,

Revoluite totam sacram Scripturam, nec invenietis Deum vnquam appellatum esse Christum, nisi postquam ex Sanctissimo *Matris* suæ egressus est utero: *De qua natus est IESVS, qui vocatur Christus,* inquit S Matthæus. Quasi in Beatiss. Virg. *Mariæ* vtero particularem quandam acceperit proprietatem, ob quam sibi nomen istud vendicare potest, quam antea non habebat. Quidnam igitur nomen hoc *Christus* quod Deo nunquam inditum fuit, nisi postquam in uterum Virginis descendit, significat? *Christus* in sermone latino idem sonat, quod *vnctus*, atque Deum significat misericordem & benignum. Hoc igitur nomine post incarnationem pridem appellari cœpit, quia cum hactenus in lege veteri rigidus, asper & durus fuerit, mox ut humanam carnem assumpsit, haud secus ac si in Virginali claustro vnctus fuisset, mitis, benignus, placidus, humilis, & clemens est factus, indeque Christi nomen accepit. *Sab Dom. 3. quadr. Consid. 1, per totam præcipue num 14.*

THEMA 4.

Vagit infans inter arcta conditus præsepia. Hymnus Ecclesiæ.

Tradit S *Mater* Ecclesia, Divinum Verbum caro factum, mox ut Virgineum *Matris* vterum fuit egressum, profusis lachrymis plorasse: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia.* Qui vagitus ab eodem non tantum ex natura, sicut à cæteris infantibus naturaliter editus fuit, vt nimirum verum se hominem demonstraret, verum etiam ob particulare quoddam mysterium, quod vtique aperuisset, inquit S. Vincentius Ferrerius serm. 3, Dom, 10, post Trinitatem, si B.V. illum plorantem cernens, huius sui planctus ab eo causam postulasset, vtique enim parvolus hunc in modum respondisset: *Quia initio in hunc locum bestiarum*, id est, ideo lachrymor, quia annos vitæ meæ acturus, stabulum ingredior bestiarum. Neque profecto melius respondere potuisset, cum mundus iste nihil sit aliud, quam squalidus quidam bestiarum locus. Nam vti SS. Doctores Damascenus, & Angelicus Thomas de Aquino docent, sicut Paradisus à Deo formatus fuit, vt hominum esset hospitium, ita terra hæc creata fuit, vt spelunca esset bestiarum, adeo ut miserrimus homo è Paradiso pulsus, vitæ suæ annos in stabulo quodam agere cogatur in consortio bestiarum. Vnde conijcere facile licet, quantis præsens vita repleta sit miserijs in qua homo vivere debet, cum leonibus iracundis, qui semel offensi nunquam ignoscunt cum dolosis vulpibus, qui ad circumveniendum proximum dolose negotiantur: cum famelicis lupis, qui nedum carnes devorant quin & sanguinem tuum tibi exsugunt, & cum centenis hujusmodi monstris, quorum societas efficit, vt homo in continuo luctu & planctu perseveret dignusque sit quem ipsemet Deus deploret & defleat. *Fer. 6, Dom, 4, Quadr. Consid 2, per totam.*

THEMA 5.

Signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta sole &c. & in capite ejus Corona stellarum duodecim Apoc. 12, v, 1.

Cœlum merito vocari potest stabulum Bethlehemiticum, in quod Deus cum omnibus spiritibus Cœlestibus, imo totum quasi cœlum commigrasse videtur. In hoc signum magnum apparuit, illud videlicet signum, de quo Angelus ad Pastores ait: *Et hoc vobis signum. Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio*, aut in gremio sanctissimæ matris, quæ proinde est mulier amicta sole. Et ut Divinæ maternitatis honores tanto evidentius demõstrentur, visa est *in Capite ejus corona stellarum duodecim.* Porro mirum non nemini videri posset, quomodo tametsi Deipara sole amicta & circumdata visa fuerit, nihilominus stellæ caput ejus Coronantis circa illam emergere & clarè conspici potuerint, cum tamen in Hemispherio nostro, nascente & prodeunte sole stellæ obscurentur, & dispareant, nec sit possibile, vt sole splendente, stellæ quoque fulgere possint. Verum enimvero ex hoc solo signo (*Et hoc vobis signum: Invenietis; &c*) manifeste

feste colligitur, mulierem hanc amictam sole, quem utero suo claudit, veram Dei, quem genuit, matrem esse. Notandum igitur quod licet stellæ communiter sole splendente fulgere non soleant, attamen quando sol in nostro Hemisphærio constitutus eclipsatur, & obscuratur, stellæ suos mox splendores evibrant, omnibusque conspicuæ fiunt. Atque ideo conspicuus stellarum fulgor, sole in nostro Hemisphærio splendente, infallibile est magni illius luminaris ecclipsati seu ecclipsin patientis signum. *Et hoc vobis signum, invenietis infantem, pannis involutum, & positum in præsepio.* Cum igitur non tantum sole præsente, verum etiam Deiparam à capite ad calcem usque amiciente; stellæ nihilominus ad instar regii cujusdam Diadematis, in capite eius apparuerint, manifestum id signum fuit, unde Divinæ justitiæ solem circum ipsam obscurari, atque ecclipseos deliquium pati colligere licet utpote qui à Virgine matre in Sacratissimo utero ejus mortalitatis nostræ peplo coopertus & obscuratus fuit, secundum quod Hugo Cardinalis dicit. *Ipsa est in Annunciatione ecclipsans solem justitiæ. Sabb. Dom. 4. Quadr. Consid. 1. num. 8. 9. & 10.*

THEMA 6.

Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus. Luca 2. v. 18.

Gabriel Christo Cælorum Rege in terris nato, de cælo, vt hæc desiderata nati Salvatoris nuntia Iudæa pastoribus annunciaret, missus est, qui eosdem referente Luca, hunc in modum est affatus: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* Glossa dictionem hanc *Hodie* prudenter ponderat. Videns enim Angelum, non diurno, sed intempestæ mediæque noctis tempore Pastoribus loquentem, pulchrum hanc difficultatis modum adducit dicitque: *cum esset nox, non ait hac nocte sed hodie.* q. d. quî fit, quod Angelus in nocte, non vero in die loquens, tempus illud non noctem, vti revera erat, sed diem nominarit? Huius autem dubij resolutionem Nicolao Lyrano remittit, qui hunc in modum respondet ibidem: *dicit hodie quia nox illa ex claritate divina fuit illuminata, ac si esset dies clarissimus.* q. d. tametsi tunc nox, & non dies fuerit, attamen quia lux illa, quæ ex Cælestis hujus recens nati infantis radiante vultu emicabat, pulsis noctis tenebris, aërem illustrando, noctem in merum diem converterat? ideo Angelus tempus illud non noctem, sed diem nominavit, quia *ex claritate divina fuit illuminata.* Dom. Paschatis Consid. 1, num. 1, & seqq.

THEMA 7.

Surge Domine in requiem tuam Psal. 131. v 8.

David Propheta Regius, Deum, vt vnigeniti sui Incarnationem, accelerare dignaretur, rogans, sic eum alloquebatur: *Surge Domine in requiē tuam* quasi dicere voluisset: quomodo ô Domine, possibile tibi est, quod in lectulo adeò duro & aspero dormire possis, aut requiescere? Expergiscere igitur, Cælum deserere, ad nos deorsum descende, tuamque in terris requiem accipe. Verum dicat aliquis. Vbinā locus ille reperietur in terris, in quo Deus suavius requiescat, quam requieverit in cælis? Chrysippus inquit; Davidem de stabulo & præsepio Bethlehemitico locutum fuisse in quo Deus homo factus, postea nasciturus, suaque requie perfruiturus erat, sic enim loquitur prædictus Chrysippus Presbyter de laudibus B. M. Virg. *quam requiem super terram præscripsisti, & in Bethlehem constituisti, utpote stabulum, præsepe, & fascias.* Immensum hic obsecro, qui in corde divino erga Animas nostras exardescit, zelum Dei observate, qui tametsi in cælis habitans inter ineffabiles cælestis gloriæ edgebat delitias, attamen quia ibidem ab hominibus, quos nimio amore deperibat, procul aberat, nequaquam ibidem requiescebat sed potius requiem, suam in terris in stabulo Bethlehemitico, super aspero rigidoque fœno, duroque præsepio exspectabat, idque ex eo potissimum motivo, quod ibi nostra perfruiturus esset societate

 atque

atque consortio, *F.2.post Dom.4.quadr.con.2.per totam præcipue n.13: & seqq.*

IN FESTO S. STHEPHANI PROTHOMARTYRIS

THEMA 1.

Et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio videbant faciem eius tanquam faciem Angeli Actor.6.v 16.

Quodsi forte quæsieris, cur S. hic Prothomartyr nunquam Angeli faciem referre visus fuerit, præterquam in illa hora mortis suæ? mox Respondebat S. *Ioannes* Chrysostomus, tunc præcise vultum talem in ipso notatum fuisse, quia in eo præcise puncto Deum pro inimicis suis se lapidantibus exorabat. Sic enim inquit homil. 30. ad Popul. *Cum male patiebatur, tunc pro eis orabat, dicens; ne statuas eis hoc peccatorum. Eis itaque non irascens, sed pro eis dolens, ac mœrens, hæc loquebatur, & propterea dicitur, quod viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Merito facies eius in Angelicam transformabatur, quia tunc, vt dicit os aureum, veluti Angelũ quendam se exhibebat, pro suis inimicis orando, quod alij præter Angelos & homines Angelicos facere nequeũt lingua enim quæ ad opus tam egregium sese applicat, Angelica potius quam humana est, *Fer. 6. post cineres consid. 3. per totam, præcipue num.8 & seqq.*

THEMA 2.

Domine Iesu suscipe spiritum meum Actor. 7.v.59.

S. Ioannes Chrysostomus in Paneg. Tract. 15. hæc S. Leuitæ Stephani verba accurate considerans, ex eodem Prothomartyre hũc in modum quærit: Quamobrem, ô gloriose Christi Athleta, mortem tibi festinantes adeo accelerari à Domino Deo tuo expetis? cur eousque non præstolaris, donec illi eam tibi submittere placuerit? fortasse pro maiori mundi vtilitate, nec non ad magis cumulanda merita tua, Deus vna cum diebus tuis, tua quoque tibi prolongare tormenta disposuit. Os S. Chrysostomi aureum S. Diaconum hunc in modum respondentem introducit *quamdiu enim sum in hoc mortali corpore circumseptus, pertimesco; quamdiu terrenã hanc gesto carnẽ, formido, ne post labores amittam labores.* Nemo enim de sua salute, quamdiu viuit præsumere, aut certus esse debet, cum in continuo suiipsius perdendi versetur periculo. *F. 4 post Dom.2.quadr.con.3.por totam præcipue n. 7. & seqq.*

THEMA 3.

Ecce video Cælos apertos & Filium hominis stantem à dextris Dei Act. 7.v.55.

Quamobrem S. hic Archileuita Christũ erecto corpore, in pedibus stantem vidit? Quomodo, & quo Corporis situ illum stantem vidit? Respondet Venerab. Beda apud Glossam ibidem, Christum à S. Stephano visum esse Crucifixum, eodem prorsus modo, quo in Cruce moriens visus fuerat. Cuius hanc assignat rationem, dicens: *Ad confirmandam Martyris patientiam cælum panditur, & ne homo lapidatus titubet in terra, Deus homo crucifixus apparet in gloria,* q.d. Vt Diuinus hic athleta mortis dolores patienter sufferre posset, non solum illi apertis cælis ostensum fuit reseruatum diris passionibus & cruciatibus suis præmium, verum insuper Christus illi inter beatos Angelorum choros, crucifixus & veluti moribundus apparuit, adeo enim ingens erat dolor ille mortis, quem in horrendo illo momento patiebatur, vt ne deficeret, opus fuerit viua mortis Domini sui imagine illum confortare & recreare *Ne homo lapidatus titubet in terra, Deus, homo Crucifixus apparet in gloria, Fer. 5. post Dom. 4, quadr. con. 1. per totam, præcipue num. 15.*

THEMA. 4.

Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius, quasi faciem Angeli. Act. 6. v. 15.

Quænam est Causa quod Deus voluerit, vt S. hic Diaconus, eo præcipue tempore, quo moriturus erat, mundo Angelo similis demonstraretur? quantum ego mihi equidem persuadere possum, factum id est, vt manifestaretur aliquod Castitatis suæ specimen, in qua ipse incontaminatè semper vixerat, vt dicit S. Augustinus, qui existimat vnicum & solum motiuum, ob quod Apostoli illum mulierum in primitiua Ecclesia superintendentem

dentem seu Præsidem constituerint, admirabilem suam fuisse castitatem. Vnde serm. 5. de Sanctis ait: *In hac etiam re quod præpositus est fœminis, testimonium perhibuit syncerissimæ Castitatis.* Vnde Deus S. hunc Diaconum, in specie Angeli repræsentans, hoc solum declarare voluit, ipsum vsque in horam mortis suæ, permansisse integerrima Virginitate conspicuum. *Viuere enim in carne præter carnem Angelorum est.* hoc autem supposito, vlterius quærendum venit, cur Deus hanc Angeli speciem in S. Stephano circa tempus imminentis sibi mortis exhibere voluerit & non ante illam? quia scilicet innuere voluit, quod ita moreretur, sicuti vixit dixerat semper Angelice & ideo velut Angelus quidam moriebatur. homo enim semper fere ita moritur sicuti vixit: neque enim possibile est, vt qui vixit vt Angelus, vt Dæmon quidam moriatur: Sicut econtra impossibile etiam ait, vt qui ad instar Dæmonis vixit, sicut Angelus moriatur, *Fer. 2. Dom. 2. con. 3. per totam.*

THEMA 5.

Et intuentes eum omnes qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius quasi faciem Angeli. Act 6. v. 15.

Ex quo S. Stephanus Hebræis Angelus quidam esse videbatur incarnatus, cur ipsum occiderunt? ratio est, quia hominibus peruersis maior Crux accidere nequit, quã sancti alicuius hominis consortium, vnde ipsum occidebant, ne torquerentur & veluti occiderentur quotidie ab ipso, qui vitam inter ipsos ducebat Angelicam. *D. Passionis con. 1. per totam.*

In festo S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ.

THEMA 1.

Vidit Discipulum quem diligebat Iesus Ioannis 21. v. 20.

Amor iste, quo Christus S. Ioannem prosequebatur, efficiebat, vt anima Christi potius in dilecto suo Ioanne, quam in proprio suo corpore esset. Anima enim verius est vbi amat, quam vbi animat. *F. 4. Cin. con. 3. per totam præcipue n. 11.*

THEMA 2.

Vidit Discipulum illum quem diligebat IESVS Ioannis 21. v. 20.

Valde amabilis & gratus omnibus suis S. Ioannes Apostolus, non tantum Deo, sed & hominibus & inter hos quidem etiam ijs, qui iurati Christi Magistri sui inimici erant; qui licet Christum, & Apostolos ad mortem vsque prosequerentur, nihil tamen aduersus Ioannem mali machinabantur, nec sinistram de ipso concipere mali alicuius suspensionem poterant. Vnde cum tam in horto Gethsemani captus esset Christus Dominus, omnesque discipuli, Magistro suo in crudelium inimicorum suorum diris manibus relicto fugissent, solus Ioannes in Christi societate perseuerauit, Christumque non iam à longe, vti Petrus sed valde prope secutus est Iesum, vsque in ipsum Pontificis atrium, nec quicquam siue à militibus, siue à Pontificis Palatinis ministri infestatus est; cuius rationam ipsemet Ioannes diuino calamo suo post se scriptam reliquit, scilicet id se non temere fecisse, sed hac se generositate vsum fuisse, eo quia valde familiariter Pontifici notus fuisset. *Ioan. 18. v. 15. Discipulus autem ille erat notus Pontifici:* dici ergo potest de S. Ioanne Euangelista: *Dilectus Deo & hominibus cuius memoria in benedictione est,* id est cuius etiam sola memoria recreat & afficit. Verum enimuero nescio, quænam me incessit curiositas, desideriumque sciendi causam huius notitiæ, Ioannem inter & Caipham intercedentis. Mirum namque mihi videtur hominem aliquem tantæ dignitatis & authoritatis, aliqua specialis & familiaris notitiæ significatione pauperculum quendam dignari piscatorem, cuiusmodi Ioannes erat, eo vel maxime, quod homines in tam sublimi dignitatis fastigio, alios in longe maiori, quam Zebedæi filij erant, authoritate & respectu constitutos aspernentur, & ne semel quidem respiciant.

Enimuero causa huius à sancto Vincentio Ferrerio est assignata, qui refert S. Ioannem persæpe huic Pontifici

 pisces

pisces nonnullos, quibus pater suus Pontificem veluti donario honorabat, deferre solitum fuisse. Ita enim Præfatus S. Pater serm. in Paras. inquit, *Quia portauerat sibi encœnia piscium, quæ Pater Ioannis sibi mittebat.* Quod si ita est, quid deinceps mirum erit, si Caiphas Ioannem Piscatorem respexerit, cognouerit, amauerit, siquidem oculis eius perspicilium interesse munerum à S. Ioanne sibi oblatorum obuersabatur, sine quo ipsum haud dubie ne quidem respicere, multo minus cognoscere fuisset dignatus. Euidens quippe erit, mundi istius homines, neminem cognoscere aut respicere, nisi à quibus spes aliqua nascitur habendi emolumenti. *Fer. 6, Dom 1, Quadr. Consid. 1 per totam præcipue num. 8.*

THEMA 3.

Sic eum volo manere donec veniam
Ioan. 21. v. 22.

Magnus ille Mediolanensium Hierarcha S. Ambrosius de S. Ioanne Apostolo & nepote Christi loquens, scribendo in Psalm. 118. dicit, *De morte eius aliqui dubitauerunt, de transitu per ignem dubitare non possumus* q. d. Tametsi nonnulli fuerint, qui audientes Christum cum Petro loquentem, eidem de morte S. Ioannis quærenti respondere: *Sic eum volo manere donec veniam*, non fuere ausi pro certa veritate affirmare Ioannem mortuum esse, ideoque de S. Ioannis morte dubitarunt: *De morte eius aliqui dubitauerunt:* Veruntamen quin ignem tribulationis & passionis sustinuerit, dubitare nequaquam possumus. Per hunc enim in hac vita transire necessario debuit. *De transitu per ignem dubitare non possumus.* At vero dicat aliquis Cur illi de morte, non vero de igne afflictionum dubitare potuerunt? *Quia*, inquit S. Archiepiscopus Præfatus, *in paradiso est, nec separatus à Christo.* q. d. Ideo de morte, non vero de tribulationibus, & ærumnis S. Ioannis dubitatum fuit quia cum certo constet sanctum Ioannem esse in cœlis, ibidemque dilecti sui Iesu frui consortio, pari quoque certitudine constat, eundem continua patientia cœlum promeruisse, & consecutum esse. Certum enim est, cœlum obtineri non posse, absque operibus bonis, præcipue vero patienti præsentium tribulationum tollerantia, Deus enim, qui vna ex parte gloriæ coronam sine ullo ad merita respectu donat, ex altera parte non permittit, vt quisquam illam adipiscatur, qui eandem legitime non sit promeritus. *Fer. 4, Dom 5, Quadr. Consid. 1. per totam præcipue num.* 10.

Dominica infra octauam Natiuitatis
Dom. N. Iesu Christi
THEMA 1,

Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur
Lucæ 2. v. 34.

Cum Simeon deuotissimus ille senex dolenti corde, oculisque præ lacrymis stagnantibus, puerulum Iesum fœlicissimis brachijs suis stringeret, illasq; quibus inter homines agens, ab ijsdē afficiendus erat ærumnas consideraret, ad circumstantes conuersus dixit: *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur*, q. d. Hic quem vlnis meis stringo & amplector incarnatus Deus, conspicuum erit innumerabilium contradictionum signum; quæ Prophetia postea reipsa sole facta est clarior. Contradictionem namque passus est in Incarnatione, à diuina Iustitia, in Natiuitate, à paupertate in adoratione Magorum, ab Herode: in deserto à Dæmone: in prædicationibus, à Scribis, in Passione, à Iudæis, in Resurrectione à Thoma, post suam in cœlos ascensionem, à Saulo & gentilibus Tyrannis. Et quidem specialiter S. Ioannes cap 7. Euangelij tria contradictionum recenset genera, aduersus ipsum armata, videlicet Festa cognatos, & turbas. Festa quidem, nepote quæ non iam sua sunt, vti esse debebant, sed aliorum. Vnde vocantur *dies festus Iudæorum*: cognati vero eidem contradicunt, quia in ipsum non credunt, nam vti ibidem dicitur: *Neque enim fratres credebant in eum.* Denique contradicunt & turbæ, quia aduersus eum murmurant, Ibidem: *Murmur multum erat de eo in turba.* Verum itaque est contradictionum humanarum signum, *Signum cui contradicetur:* Et quidem festorum contradictionem primo consideremus. Tantus enim est Christianorum in sacrarum Festiuitatum celebratione abusus ut iam non amplius

Dei

Dei, sed potius hominum, imo Dæmonum festa esse videantur. *Feria 3. post Dom. 5. Quadr. Consid 1. per totam.*

SECVNDA CONTRADICTIO.

Sub eodem Themate.

Quam Christus Dominus patitur, ex parte cognatorum suorum procedit, qui cœlesti doctrinæ suæ non solum credere detrectabant, verum insuper, vt dicit S. Ioannes Chrysostomus, sub prætextu illum Hierosolymam ad festa inuitandi, illum inimicorum suorum, qui vt ipsum occiderent, ad festa cum Hierosolymis expectabant, manibus tradere conabantur. Nec mirum cognati enim & amici sunt maximi inimici nostri *Feria 3. Dom, 5. Quadr. Consid. 1. per tot.*

TERTIA CONTRADICTIO

Sub eodem Themate.

Quæ contra Christum Dominum facta est à Murmuratricibus turbæ linguis processit: *Et murmur multum erat de eo in turba.* Circa quam contradictionem obseruandum, hanc murmurationem non fuisse factam Christo præsente, quasi in faciem illius, sed absente illo, & post tergum eius, vt dici solet. Et isto Dei iudicio ita factum est, tales enim homines ad contuendam Christi faciem maxime indigni sunt. Vnde liquet, magna huius vitij murmurationis & detractionis turpitudo & immunditia, ob quam illud committentes difficulter post mortem faciem Dei videre eaque frui poterunt. *Fer. 3, Dom 5 Quadrag. Consid 3, per totam*

IN FESTO CIRCVMCISIONIS Domini.

THEMA 1.

Postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer.

Lucæ 2 v. 21.

Tametsi Deus ad nos locupletandos, magnificum se semper & liberalem exhibuerit, attamen in pretiosi sanguinis sui effusione prodigus omnino & dissipator videri voluit. *Feria 6. Domin. 3. Considerat. 1. per totam.*

THEMA 2.

Vocatum est nomen eius IESVS Luc. 2.

Vt magni nominis huius obligationibus satisfaceret, hodie circumcisus est, & tandem inimicorum suorum manibus ad patiendum se vltro obtulit. *Fer. 3. Dom. 1. Quadr. Consid 1 per totam.*

IN FESTO EPIPHANIÆ DOMINI

THEMA 1.

Audiens autem Herodes, Rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illa

Matth. 2. v. 3.

Quod Herodes Rex ex nati noui Regis nuntio turbatus sit, id quidem rationabile fuisse videtur, timere enim poterat, ne à nouo illo Rege suo exuendus regno esset. Ciues autem Ierosolymitani, vtpote qui nihil inde erant perdituri, imo magnum potius fœlicitatis suæ inde accepturi erant incrementum, siquidem per fœlicem occasionem istam Imperij sui, quod tot iam annis ab exteris Tyrannis occupatum fuerat, omnimodum restitutionem sperare poterant, potius inde lætificandi, quam turbandi erant. Vnde igitur adeo turbati fuerunt? Rationem Theophylactus his verbis assignat, verba thematis explicans: *Oportebat enim,* inquit, *potius gaudere, sed reuera insipiens res est malitia.* Iustum quidem ex omni parte erat, vt ex hoc nuntio gauderent, quod autem non gauisi, sed potius valde contristati & conturbati fuerint, factum id est quia homines peccatores erant, atque à diuina gratia procul remoti. Tanquam tales enim intellectus lumen perdiderunt, & omnino secus quam oporteret faciunt. Vnde sperant quandam timendum esse, & quando sperandum est timent, vbi audaces esse deberent, pigri sunt atque inertes, vbi pigros ipsos esse conueniret, sunt audaces & sic consequenter per vniuersas earundem actiones discurrendo, inuenietis ipsos omnino contrarium illius facere, quod facturi fuissent si sapuissent. Prouti per experientiam in ciuibus Ierosolymitanis idipsum enituit qui cum in Regis sui natiuitate lætari debuissent præter omnem rationem turbati sunt & timuerunt. *Insipiens res est malitia. Feria 6. Dom. 5 Quadrag. Considerat. 3 per totam præcipue num. 9.*

THEMA 2.

Intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius.

Matt. 2. v. 11.

S. Bernardus Doctor mellifluus illa

S. Euan-

S. Euangelistæ Matthæi verba, quibus magorum in diuinum præsepium describit ingressum, nimirum: *Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius* accurate considerat, dicitque: *Magi non sine Maria matre eius. Puerum inuenerunt*, quasi diceret? nisi in stabulo Bethlehemitico præsens fuisset Maria, inuenire ipsum magi minime potuissent. Verum dicat aliquis: quod si tot sancti Maria nondum nata inuenire Deum potuerunt, cur magi sine ipsa Christum inuenire nequiuissent? verum quidem est Deum multos quidem absque sanctissimæ Matris præsentia inuenire potuisse, Deum tamen infantē, fascijs inuolutum, dulcem, mansuetum, tractabilem, nunquam sine illa repererunt tali enim modo, inquit Paulus de Palatio in cap. 2. Matt. sine matre reperiri nunquam potuit *Si tibi*, inquit, *Christus mansuetus & puerulus inueniendus est, cum Maria inueniendus est.* Nā admirandæ huius Virginis gremium Deum quasi mansuefecit, domesticauit, cicurauit, dulcem ac benignum reddidit, qui extra illud constitutus, ferox & truculentus Rhinoceros erat, qui ab hominibus inueniri aut capi minime poterat: *Non sine Maria matre eius puerum inuenerunt. Sabb. Dom. 3. Quadr. Consid. 1. per totam præcipue num. 11.*

THEMA 3.

Herodes Rex turbatus est & omnis Ierosolyma cum illo, Matth. 2. v. 3.

Hunc scripturæ locum Tostatus optime considerat dicitque: Herodem nouo hoc audito rumore, turbatum esse, haud mirum est, vtpote qui timere merito poterat, ne à recens nato Rege, sua exueretur purpura, atque à regni sui solio exturbaretur: at vero quod tota insuper cum eo turbata fuerit Ierosolyma, quæ potius ob nouum illud diuulgatum nuntium gaudendi beneque sperandi occasionem habuit, se hac ratione à crudelis Herodis Tyrannide fore liberandos, hoc maximam admirationem meretur. Respondetque præfatus hic Doctor, Hierosolymæ Ciues minime turbatos fuisse, sed potius finxisse se tales esse, & turbationem quandam exterius simulasse, qui intus in animo gaudebant, fictionis autem istius hanc ipse assignat rationem qu 25. ibid. dicens: *Nemo ausus est ostendere se gaudere, licet in corde suo gauderent, quia Herodes erat crudelis valde, cum etiam filios suos occideret.* Vnde notandum, quam sit ingens hominum huius mundi miseria, qui tametsi synceri esse vellent, & fingere nollent, id tamen facere persæpe coguntur, si viuere velint, quisquis enim in hoc mundo nescit fingere, viuere quoque nescit. *Fer. 4. Ciner. Consid. 1. per totam.*

THEMA 4.

Herodes Rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Matt. 2.

Obseruandum est, primo hic turbari Herodem, & postea ciuitatem: prius dicitur: *Herodes Rex turbatus est*, & postea subditur: *Et omnis Ierosolyma cum illo*, idque ad significandum quod Regis turbatio causa sit & origo turbationis ciuitatis: Et quod si Rex nequaquam turbatus fuisset, Ierosolymam quoque nunquam fuisse perturbandam. Rex enim passionatus, maximus est Reipublicæ alicuius perturbator *Fer. 4. Dom. 3. quadr. consid. per totam.*

THEMA 5.

Herodes Rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Matt. 2. v. 3.

Nunquid Herodes Rex erat in terris? quomodo igitur alium in terris Regem timet: præcipue vero Regem qui infans adhuc est, atque ad bella gerenda inidoneus potius intrepidum se exhibere, seque ad regni sui defensionem præparare & non timere debebat. Vnde ergo est quod vehementer adeo timeat? S. Gregorius Magnus homil. 10. in Euangelia hunc nodum dissoluit dicens: *Cæli Rege nato, Rex terræ turbatus est, quia nimirum terrena celsitudo confunditur, cum celsitudo cœlestis aperitur.* q. d. Quod si natus ilte infans, Rex aliquis mundi huius fuisset, minime profecto Herodes Rex timuisset, nunc autem cœli Rex erat. Adeo autem magna est maiestas Diuina, vt ea in terris apparente, non vulgus tantum & plebei homines timeant, sed ipsæ quoque coronæ Regum tremant ac trepident, in eius namque comparatione, in nihilum resoluitur omnis humana maiestas, prouti Dauid de Regia sua loquens potentia dicebat: Psalmo 38. v. 6. *Et substantia mea tanquam nihilum ante te.* Aquila legit: *Et latibulum meum tanquam nihilum est ante te.* Hoc est: Maiestas mea (quæ nulla alia de causa *latibulum* appellatur, quam quod Reges ad sartam, tectam conseruandam

dam maiestatem suam à subditorum suorum oculis se subducunt, & veluti latent) in præsentia maiestatis tuæ nomen maiestatis amittit, & nihilum esse videtur: *tanquam nihilum ante te. Vide Fer. 2. post Dom. 1. quadrag. Consid. 1 per totam.*

Dominica infra Octauam Epiphaniæ.

THEMA I.

Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te. Luc. 2. v. 48.

Scitisne causam ob quam sanctissima Dei mater, postquam ex templo domum reuertens diuinum suum amisisset filium, toto illo triduo, quo illum requirebat, tanto pressa fuerit dolore, vt eandem filio suo celare minime potuerit, sed dixerit: *Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Vtique Respondebitis, ideo ipsam adeo vehementer fuisse contristatam, quod oculorum suorum lumine se orbatam esse, aut opulentiori quam siue in cœlo siue in terra reperiri possit, se spoliatam thesauro, imo ab ipsissimo corde suo se derelictam censebat, dum à suo dulcissimo Iesu derelictam se cerneret. Etenim responsio ista non est incongrua: attamen S Bernardinus serm. *61. A. 1. c. 7.* adhuc aliam assignat dicens: *Dolens quærebat filium, ne mundus perdidisset Dominum suum.* q. d. tametsi ipsa particulare malum suum, quod ei ex amantissimi filij iactura accidebat, considerans, non mediocriter affligeretur, nihilominus damnum, quod inde toti mundo imminebat respiciens, longe grauiorem inde dolorem concipiebat, videbaturque crudelem inde in corde suo cultrum sensisse, animam suam immaniter lancinantem & vulnerantem. In qua S. Bernardini responsione præcipue notandum est, non dixisse illum, quod B. Virgo doluisset, eo quod Iudæa aut alia quæuis mundi pars Dominum suum perdidisset, sed quia totus illam mundus perdiderit, neque enim illam aut aliã aliquã Prouinciam in particulari curabat, sed omnes vniuersim Prouincias & omnia regna, quia omnium agnoscebatur Aduocata, ideo que ex totius mundi malo affligebatur. *Ne mundus perdidisset Dominum suum.* Vide *Sabb. post Dom. 3. quadr, Consid 3. per totam.*

THEMA 2.

Et descendit cum eis & erat subditus illis Lucæ 2. v. 51.

Vnum ex ijs, quæ in sacræ scripturæ lectione maxima admiratione digna occurrunt, est, quod Deus homo factus Virginis matris suæ subdere se voluerit Dominio, & gubernationi, dicẽte S. Luca: *Et erat subditus illis:* tametsi enim negari nequeat, rem valde prodigiosam & magnã fuisse, quod sol Iosue Diuini Exercitus Capitaneo obediuerit: hæc tamen obedientia, in comparatione ad eam, qua solis conditor & Dominus ancillæ suæ se subdidit imperio, nihili æstimari meretur. Verum ecquid Deum incarnatum permouit, quærit S. Bernardinus Senensis, vt imperio matris suæ se subijcere voluerit? Motiuum autem istud ipsemet hisce verbis serm. 66. Ar. 1. cap 6. exponit dicens: *Ille enim qui filius Dei est, & Virginis benedicta, volens vt ita dicam paterno principatui æquiparare maternum ipse qui Deus erat famulabatur in terra.* q. d. Mater Dei omnibus illis tanquam Regina & Domina principatur, circa quos ipsum quoque Dei regnum extenditur. Vnde si verbum incarnatum, quod in quantum homo Deo subditum erat, Virginis quoque simul non subiacuisset imperio, Regnum & principatus Dei amplior & maior fuisset principatu B. Virginis, Deus enim imperasset Christo, cui B. Virgo in tali casu imperare non potuisset Regnum igitur Matris, Patris sui regno æquiparare volens, ne aliqua eos interesset differentia, matri quoque subijci voluit, sicut Patri subditus erat. Adhoc vt nihil reperiri in toto vniuerso posset, quod eius veluti Deæ cuiusdam subiectum non esset imperio. *Ipse qui Deus erat famulabatur in terra.* Certe Deipara per hunc à filio suo sibi exhibitum honorem, adeo diuinum quid sperabat, vt nisi fides vnum tantum Deum esse nos edoceret, fideles illam haud secus ac veram Deam honorare & adorare potuissent. *Sabb. post Dom. 5. quadrag. Consid. 3. num. 5. per totam.*

THEMA 3.

Et erat subditus illis.

S. Ambrosius circa hæc thematis verba dicit: *Et erat subditus illis, ipsa enim dixit: Ecce ancilla Domini,* quasi diceret: Ipse matris suæ factus est seruus, quia mater Ancillã se fecerat

rat Deis solemne namque est Deo, & quasi innata proprietas, vt se eodem prorsus modo erga homines habeat, quo ipsi se erga Deum exhibent. *Fer. 2. Paschat. Consid. 1. num. 3. & per totam Considerationem.*

THEMA 4.

Et erat subditus illis.

S. Bernardus homil. 1. super missus est, inquit: *quoties hominibus praire desidero, Deum meum praire contendo, de illo namque scriptum est: Et erat subditus illis.* Vt autem energia & vis huius à S. Doctore adducti argumenti melius intelligatur, dic sodes, Nunquid is, qui Prælato tuo, sub cuius tu nutibus & imperio viuis, vult esse superior, tuus quoque esse superior contendit? Nequaquam id mihi negare poteris. Dico igitur, cum Deus homo factus se hominum subiicere dignatus sit Imperio, nunquid bene sequitur quod quisquis deinceps alijs hominibus vult esse superior, quorum se Deus subiecit imperio, is ipsomet quoque Deo superior esse contendit, vtpote qui hominum subditus esse voluit. Vnde dicere oportet ambitiosum Lucifero valde esse similem, imo peiorem: Lucifer enim solum Deo voluit esse æqualis, ambitiosus autem Deo superior esse cupit. *Deum meum praire contendo.* Vnde sicut exaltatio Luciferi, non exaltatio, sed casus potius, & præcipitium fuit, ita quoque ambitiosi sublimatio, casus potius vocanda est, quam euectio, isque tanto horribilior, quãto ambitiosus altiori ex loco, quam Lucifer deturbatur Fer. 4. post *Dom. 2. quadrag. Considerat. 2. numero 3. & per totam Considerationem.*

THEMA 5.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius;

Luc. 2. v. 49.

Magno cum desiderio & auiditate auscultandum est à nobis verbum Diuinum, quia instrumentum est, vnde summum nobis bonum conciliamus, quod in hac vita desiderare possumus *Fer. 2. Paschat. Consid. 3. per totam. Vide etiam Fer. 3. post Domin. 3. quadr. Considerat. 1. num. 3 & sequentibus.*

Dominica 1. post Octauam Epiphaniæ.

THEMA 1.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ & erat mater Iesu ibi

Ioan. 2. v. 1.

Pietas diuina quam Deus generi humano exhibet, fructus & partus est viscerosæ pietatis B. V Mariæ. *Sabb. post Dom. 5. quadrag. Considerat. 1 per totam.*

THEMA 2.

Quodcunque dixerit vobis, facite.

Ioan. 2.

Deiparæ Virgini obligatus est vniuersus mundus, ipsa namque cunctorum Domina est atque protectrix. *Sabb post Dom. 3. quadr. Considerat. 3.*

THEMA 3.

Et deficiente vino Ioan. 2. v. 3.

Impossibile est, vt qui sub vmbra protectionis magnæ Dei matris viuit, aliquam pati necessitatem possit, qualiscunque illa demum sit. *Sabb. post Dom. 2. consid. 2. per totam.*

THEMA 4.

Quid mihi & tibi est mulier?

Ioan. 2.

Christus B. Virginem bis mulierem & non matrem appellauit, semel in præsenti Euangelio, & deinde dum penderet in Cruce, dicens: *Mulier ecce filius tuus.* Cur autem non potius illam matrem, quam mulierem appellarit, multi multas adferunt rationes, mihi in præsenti ea sufficiet, quam S. Epiphanius adfert, qui dicit ideo illam à Christo hoc nomine appellatam esse, *ne quis existimaret, supra hominem illam esse, Sabb. post Dom. 1. quadr. Consid. 2. numero 10. & per totam Consid.*

THEMA 5.

Deficiente Vino.

Mirum non est Deiparam Virginem, humano generi adeo addictam esse, & velociter succurrere, ex quo ipsa intra se solem, subtus se lunam, & in capite stellas habeat. *Sabb. Dom. 4. quadr. Consid. 3. per totam præcipue vero numero 10.*

THEMA

Thema 6.

Quid mihi & tibi est Mulier, nondum venit hora mea. Ioan. 2, v, 4.

S. Maximus homil. de Epiphania opinatur, quod Christus postulationi Virgineæ Matris hoc modo respondens amabiliter indignatus fuerit: *Hac verba indignationis esse quis dubitet?* Verum dicat aliquis quomodo indignari poterat, quando rogabatur ut suos communicaret favores, humanisque succurreret necessitatibus, in cujus actionis exercitio ipse maxime delectabatur non enim alium ob finem de cælo in terram descendit, & homo factus est, nisi ut hominibus succurreret. Respondet præfatus S. Doctor: *factum id est idcirco ut reor, quia de defectu Carnalis poculi ei suggerebat, qui venerat totius orbis gentibus, novum salutis æternæ poculum propinare: nam quod petebat Maria erat gratia temporalis, quod Christus parabat gaudii sempiterni.* q. d. Non indignabatur ideo quod mater illum in subsidium aliorum hominum interpellaret, quin potius hoc illi gaudio singulari erat, sed quia parvi nimis momenti erat, quod petebat, ipse namque potius optasset, ut suum à se sanguinem, non vero vinum aut aliud leve quidpiam poposcisset. *Fer. 6. Dom. 3, Quadrag. Consid. 1, num. 6, & per totam Considerat.*

THEMA 7.

Quid mihi & tibi est mulier?
Ioan. 2.

Author additionum Glossæ aliam adducit rationem, cur Christus B. Virginem mulierem & non matrem appellarit, dicit enim: *Matrem, cujus humilitatem maximam cognoscebat, mulierem vocat, quod est nomen commune cuilibet mulieri, non autem Matrem quod maximam dignitatem includit.* q. d. quia Christus sciebat quantum mater sua dedita esset humilitati, & quam humiliter de seipsa sentiret, ideo illam nunquam fere matrem, sed mulierem appellavit. *Sabb post Dom. 4. quad. Consid. 2, per totam.*

Dominica 2. post Octavam Epiphaniæ

THEMA 1.

Domine puer meus jacet in domo paralyticus
Matt. 8, v, 6.

S. Ioannes Chrysostomus circa hæc thematis verba notat, hanc Centurionis supplicationem truncam esse & incompletam, dicere enim debuisset. *Domine puer meus jacet in domo paralyticus*, atque ideo te rogo ut pristinam illi sanitatem conferre digneris. Quærit igitur qua ratione fiat, quod Centurio insinuatæ supplicæ sensum non complete absolverit? Et tandem respondet, id factum esse ex motivo humilitatis, quam Centurio scivit optimum esse orationis ad Deum fundendæ ornamentum ex robur: *Cum dixisset jacet in domo filius meus, non intulit, dic ut curetur, veritus ne tanto munere esset indignus.* Vnde disces quod ad signum vel scopum gratiæ à Deo postulatæ male collimetur, nisi collimans ad illam sese humiliet. *Fer. 5. Dom. 1. Consid. 2. per totam & maxime num. 7.*

THEMA 2.

Domine si vis potest me mundare
Matt. 8. cap. v. 2.

Quodsi peccatori miserum animæ suæ statum daretur conspicere, utique peccato suo tamdiu nequaquam insordesceret. *Vide Dom 3, quadrag. Consid. 3. per totam.*

THEMA 3.

Ibi erit fletus & stridor dentium.
Matt. 8. v. 12.

Impossibile est, utqui labyrinthum Inferni semel fuerit ingressus viam inde egrediendi invenire possit. *Vide Fer. 5. post Dom. 2. quadrag: Consid. 2 per totam.*

THEMA 4.

Et ecce leprosus veniens. Matt. 8. v. 2.

Peccatum quædam est animæ pestis, & lepra valde contagiosa, cujus contagium omnibus adhæret, qui aliquod cum committente illud commercium habet. *Fer. 3. post dom 3. quadr. Consid. 3 per totam.*

THEMA 5.

Non inveni tantam fidem in Israel
Matt 8. v. 10.

Sicut Deo optime placent qui suæ se voluntati accommodant, ita maxime displicent, qui id facere detrectant. *Fer. 5. post Cineres Consid. 3. per totam.*

THEMA 6.

Domine puer meus jacet in domo Paralyticus Matt,8,v,6,

Charitas erga proximum colorem habet in oculis Sanctorum adeo pretiosum, vt nihil pretiosius reperiri valeat, vt proinde pro ipsa omne bone creatum libenter deserant, vbicunque demum illud sit, sive in Cœlo sive in terra *Fer, 5. post Cineres. Consid. 1, per totam.*

Dominica 3. post Octavam Epiphaniæ.

THEMA 1.

Et suscitaverunt eum dicentes: Domine salva nos perimus. Matt,8, v, 25,

Abulensis in hunc locum scribens q. 45, quærit: num Apostoli, quamdiu cum ipsis Christus præsens aderat, mali aliquid pati potuerint, prouti formidabant, & propter peccata sua etiam forte merebantur? Et Respondet: *quantumcunque mali essent, Christus non permitteret eos tunc se præsente perire, quia esset dedecus sibi*: q. d. impossibile erat ipsos periclitari quantumvis enim millies onusti peccatis fuissent, totidemque promeruissent mortes, quamdiu tamen Christus illis præsens aderat, nihil tale is ipsis permissurus fuisset, siquidem idipsum in magnam sui ignominiã cessisset. Audireque haud dubie debuisset, id ideo factũ, quia illos servare minime potuisset, cui dare causam abhorrebat, *Deus* enim adeo est honoris sui zelotypus, ut nec minimum quid sit permissurus, quod gloriam suam commaculare aliqua saltem ex parte possit, quod nobis quoque faciendum incumbit, odor enim bonæ famæ thesaurus est adeo pretiosus, vt pro conservatione illius quodvis aliud bonum merito contemnatur. *Fer. 5. post cineres Consid. 2. per totam.*

THEMA 2.

Ascendente eo in naviculam secuti sunt eum Discipuli eius. Matt.8, v, 23,

Navis illa quam Christus post juratam Petri socrum ingressus est cum *Discipulis* suis à *S.* Matthæo Evangelista appellatur *Navicula*: *Ascendente eo in Naviculam*. Quam obrem non appellavit illam navim, ratem, aut triremem, sed *Naviculam*? Ratio huius est: quia Navis illa erat Navis S. Petri Ecclesiæ Dei sancti symbolum, quæ virtuosos Sanctosque Christianos ad portum Paradisi perducit appellatur hoc nomine, eo quod ij quos in Paradisum salutis traiicit, in comparatione ad illos, qui in profundo inferni naufragantur, admodum sunt pauci, pro quibus traijciendis modica alicujus naviculæ capacitas sufficit. *Sicut elegantissime dicta navis est vita Christiana*, inquit Paulus de Palacio ad prædicta thematis verba: *quæ ad portum salutis adducit: ita horrendè & lachrymabiliter dicta navicula est. Vtinam navis grandis & nimium capax fuisset, sed navicula est, arcta est, brevis est, quia pauci sunt qui intrant in eam.* Vnde Christus in comparatione ad *Dæmonem*, qui magna navigia habet, est veluti pauperculus quidam piscator, parvulæ nimirum cujusdam Naviculæ Dominus. *Quia pauci intrant in eam Feria 4. Dom.5, Quadrag. Consid.3, num,9,*

THEMA 3.

Quid timidi estis modicæ fidei? Matt. 8. v, 26.

Cur obsecro discipulos suos modicæ fidei redarguit, cum potius magnam fidem habuisse videantur? Nisi enim fidem habuissent in eum, illum utique pro vita sua in incredibili illo periculo salvanda, à somno suo non excitassent, neque ad omnipotentiæ suæ fortissima recurrissent subsidia: sed potius humana quæsivissent remedia. S. Ioannes Chrysostomus apud *S.* Thomam de Aquino in Catena in Cap. 4. *Matthæi* dicit, Christum discipulis suis modicam fidem exprobasse, quia credebant illum tunc solum miracula patrare posse, dum vigil esset, non si dormiret, in quo graviter hallucinabantur, siquidem eis, sive dormiens, sive vigilans succurrere & subvenire poterat. *Quod surgens poterat, ventis imperare credebant: sed quod quiescens seu dormiens, nequaquam,* quo innuere ipse voluit

luit, facilitatem verbi incarnati in patrandis miraculis, adeo esse magnam & incredibilem vt oculis quoque clausis seu dormiens, Omnipotentiæ suæ manifestare miracula possit, *Fer. 6. Dom.5. quadr.consid 2.per totam.*

Dominica IV.Post Octauam Epiphaniæ
Thema 1.

Sinite vtraque crescere vsque ad Messem Matt. 13. v. 30.

Optabam equidẽ causam scire cur Christus infami ac noxiæ huic herbæ tantum detulerit, vt illam eradicare vetuerit: cum ecce illam ab antiquissimo, Origine in cap. 8. Genes. adductã mox deprehendo, qui vult Christum prohibuisse eradicari, ob frumenti seu tritici societatem, vtpote quocum nutrita fuit, non vero ob meritum, aut vtilitatem suam, quam non adfert, cum sit herba infructifera & noxia, vt per hoc intelligeremus, omnem respectum, quem Deus in hac vita peccatoribus, per Zizania intellectis, defert, illis tribui, eo quod cum sanctis suis qui per triticum intelliguntur, pariter & collegialiter viuant, ob horum namque merita Deus differt illorum castigare peccata. Vnde hic Doctor dicit: *quid iusti mundo sint parabola docet, quæ venenosas & noxias herbas eradicari non sinit, vsque ad messem propter triticum.* Et hoc est certissimum: nisi enim sancti homines inter nos viuerent, quisnam futurus esset inter nos adeo fortis, qui Deũ tot modis offensum impedire posset, ne cõtra nos irasceretur, ne suum in nos gladium stringeret. &c. *Vide F 6.post D. 4.quadr.consi. 1,per totam.*

THEMA 2.

Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet Zizania Matt. 13.

Per seruos Patrisfamilias, adeo pro agro Domini sui solicitos, & vigiles custodes, intelliguntur sancti Angeli, hi enim tanto amore nos qui Dei agricultura sumus, prosequuntur, vt tametsi ipsi, vtpote beati, dolore affici nequeant, tanta tamen est eorundem affectio erga homines, vt de malis & zizaniis quæ homini accidunt, mœsti sint, *Fer:6.post Dom.2.quad. consid.2. per totam.*

THEMA 3.

Inimicus homo hoc fecit, Matt. 13. v. 28.

Tantum est odium Dæmonis in hominem, vt maius gaudium habere nequeat, quam dum videt illum angustiatum, nec maius sentire possit tormentum, quam dum illum affligere non valet, *Dom.3, quadr. con. 1, per totam.*

THEMA 4.

Ne forte colligentes Zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Matt. 13.

Nunquid Angeli in hac zizaniorum euulsione eam adhibere potuissent dexteritatem & diligentiam, vt zizaniæ eradicando, cauerent ne simul euellerent & triticũ? certe id meo iudicio fieri potuisset facillime. Qua igitur ratione fit, quod Deus euelli zizania nolit, aut certe timeat, ne id faciendo, triticum quoque eodem conatu euellant, cum Angeli agrum à zizanijs intacto & illæto manente tritico expurgare potuissent. Verum enimuero, quodsi factũ istud accuratius ponderauerimus, inueniemus Angelos zizania minime extirpare potuisse tritico integro & illæso relicto, sed necessum fuisse ambo simul deperdi S. Augustin. q.d. in Matt. q. 12. per zizania homines sceleratos, per frumentum autem sanctos & electos Dei amicos intelligit cuius diuinam quandam nostroque proposito optime congruentem adducit rationem dicẽs: *quia boni cum adhuc infirmi sunt, opus habent in quibusdam malorum permistione, vt per eos exerceantur, Fer. 5. Dom. 2, quadr. consid. 2, per totam.*

Dominica V. post Octauam Epiphaniæ
THEMA 1.

Simile est regnum Cælorum grano sinapis. Matt. 13. v. 31.

Nemo est qui ignoret, quod in omnibus rebus totius mundi regno Cælorum nihil reperiri possit pretiosius aut maius, adeo enim magnum est & amplum, vt S. Bernardinus non vereatur dicere, serm. de dignitat. animæ art 1, c. 1. quodsi Deus tot crearet terræ globos, quot in maris littore granula conspiciuntur arenæ eosdemque sic conditos in Cælos inferret, hi tamen simul iuncti, Cælum nequaquam implerent: *tanta siquidem est magnitudo Empyrei cæli, quodsi de nouo crearet Deus eiusdem magnitudinis tot terrarum*

rarum orbes, quot sunt arena maris, vix impleret illud. Vnde hic merito quæritur, cum Cælum adeo sit vastum, imo quasi immensum, cur saluator noster illud grano sinapis compararet, quod vnum est ex minimis, quæ sunt in mundo? Ad quod mihi per S. Cæsarium fratrem Nazianzeni Magni Dialogo 1. Respondetur dicentem id fieri: *quia illicò excidit diuinum regni granum per digitos eorum.* Pro cuius responsionis intelligentia, obseruare oportet; Christum dum hoc in loco cælum grano sinapis assimilabat, non cum discipulis suis fuisse locutum, qui cælestia intelligebant, eaque vnice sibi cordi ducebant, sed cum turbis; hominibus nimirum mundanis, qui vtpote ad res terrenas propensi, parum aut potius nihil sciebant de rebus Cælestibus, easdemque parui admodum faciebant. Vnde in huiusmodi hominum conceptu, cælum non amplum & grande erat, vt reuera est, sed modicum valdeque exiguum, ad instar alicuius grani sinapis, & sicut is qui simile granum manu tenet, quod veluti rem vilem & minimam reputat, nihilque æstimat, facile per disiunctos digitos, in terram cadere & perire permittit. Eodem modo quia homines mundani, magni illius regni cœlestis excellentiam non cognoscunt, non solum nihili illud faciunt, verum etiam tametsi veluti res parui momenti è manibus suis elabatur, & pereat, parum curent. *Vide Fer 6, Dom. 3, quad. con, 2, per totam præcipue n, 3,*

THEMA 2.

Granum sinapis minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor. Matt. 13. v. 32.

Per granum hoc sinapis intellige Virtutem humilitatis, hæc enim efficit, vt homo se minimum inter omnes reputet, cum tamen vera sit ad incredibilem magnitudinem & sublimitatem via. *Fer 8, post Dom. 5, consid. 2, per totam. Item Sabb Dom. 4. con. 2. num. 9.*

THEMA 3.

Idem cum præcedenti.

B. Virgo per suam humilitatem fuit verè granum synapis. *Sabb. Dom. 4, consider. 1, per totam.* Quod postea sublimissimam creuit in arborem, per Maternitatem suam. *Sabb. post cineres consid. 3. num. 7, Item Sabb. Dom 1, consid. 1, per totam considerationem.*

Adhæc Christus in sua passione fuit tale granum synapis, *Fer 6. Parasceues consid. 2, per totam.* qui immensam creuit in Arborem in sua Resurrectione, *Domi. Resurrectionis con. 1, num. 8, & seqq. & consid. 2, passim & consid 3. per totam.*

Dominica Septuagesimæ

THEMA 1.

Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, Matt. 20. v. 2.

Paterfamilias Euangelicus, qui cum primis operarijs, quos primo mane in vineam suam conduxit, de pacta mercede conuenit. Vnde dicitur *conuentione autem facta cum operariis, de denario diurno,* alios quos reliquis horis conductum iuit, nullo certæ mercedis pacto præuio, in vineam suam ablegauit. Vnde meritò quæritur, cur non cum postremis hisce æque ac cum primis de mercede danda pacisci voluerit, tametsi enim singuli eorum circa vesperam iusta essent mercede donandi, periculum tamen esse potuisset, ne forte maiorem opinione sua mercedem exspectantes, nec accipientes, debita laboribus suis mercede fraudatos se lamentarentur, prouti in similibus euentibus communiter accidit, S. Ioannes Chrysostomus homil. 14. in Ioannem rationem huius assignat dicens: *Benignus enim Paterfamilias sciebat largitatem suam, quia tantum paratus est tribuere, quantum mercenarii recipere non sperabant, de date enim eius nemo iuste murmurat, quia amplius dat quam omnis homo desiderat.* Sicuti operarijs hisce reipsa euenit; cum enim nonnisi vna duntaxat hora laborassent, eandem tamen cum ijs qui portauerunt pondus diei & æstus mercedem reportarunt. Vbi notandum quam sit admirabilis Diuina liberalitas in alieni laboris remuneratione, neque enim homo desiderare tantum valet, quantum

Deus

Deus dare consueuit. *Amplius dat quam omnis homo desiderat.* *Fer. 6, post Dom. 3, Quadr. Consid 1, per totam pracipue num. 4.*

THEMA 2.

Multi sunt vocati pauci vero electi
Mat. 20. v. 16.

S. Ioannes Damascenus orat. de Dis. vult verba illa Saluatoris nostri *Multi sunt vocati pauci vero electi*, non esse legenda absolutè, sed cum nota admirationis. En ipsa Damasceni verba: *Quanquam non simpliciter & absolutè illud à summa sapientia dictum est, verum ac si quis per admirationem dicat: quam pauci sunt qui saluantur!* Huic igitur sensui insistendo, Christus dicere voluisse videtur: fieri ni potest, quod ex tot millenis hominibus, maxime tot Christianis per tot remedia & auxilia cœli viam ingredientibus, tam pauci saluandi sint? tot vero è contra in ignem æternum sint condemnandi? Vbi ad nostrum propositum obseruandum venit, inde euidenter elici; futurum, vt adeo rarus futurus sit saluandorum numerus, vt ipsamet quoque sapientia Diuina qui nulla alias admiratione commoueri potest, in stuporem rapienda sit. *Quam pauci sunt qui saluantur!* *Feria 4, Do. 5 Quadrag. Considerat. 5, per totam pracipue vero num 7.*

THEMA 3.

Quid hic statis tota die otiosi.
Matt. 20. v. 6.

Deus gratias suas sine nostro merito nequaquam donat. *Fer. 2, Dom. 3, Quadr. Consid 3, per totam.*

THEMA 4.

Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus.
Mat. 20. v. 12.

Locus vbi dominatur inuidia, velut infernus quidam est, tot refertus Dæmonibus, quot inuidis cernitur esse occupatus. *Feria 2, Dom. 3, Quadrag. Consid. 1. per totam.*

DOMINICA SEXAGESIMÆ

THEMA 1.

Et dum seminat aliud cecidit secus viam & conculcatum est, & volucres cœli commederunt illud; & aliud cecidit supra petram &c. Lucæ 8, v. 5. & 6. & seq.

Videri certe posset quod seminator iste nulla vel modica præditus fuerit seminandi peritia, tametsi enim quartam seminis partem in terram bonam & fertilem, è qua spes aliqua Messis esse poterat sparserit, aliæ tamen tres seminis partes, vtpote sterilibus & ad germinandum ineptis locis commissas perdidit: nam neque via publica, nec petræ, nec spinæ germinare aut fructum producere possunt. Ecur igitur ne semen perderetur, curiosior extitit? Respondet Oleaster in Isa. cap. 60. *Voluit se tam potentem ostendere, quod ex via lapidibus, & spinis possit optimam terram facere* quasi dicere vellet: Deus, qui per hunc seminatorem intelligitur, in facto isto omnipotentiam suam manifestare voluit, atque innuere, quod ex vijs regijs, saxis atque lapidibus & spinis terram fertilem atque fœcundam facere, centuplicatumque ex ijs fructum colligere possit. Vnde grauiter errat, quisquis seminatorem hunc semen & operam perdidisse sibi persuadet homini quidem videtur, quod cum Deus alicui obstinato & peruerso, pluribusque peccatis, quam sint arenæ in littore maris onusto, verbum suum, quod per semen in hac parabola intelligitur, prædicari facit, frustra & inuanum laboret. Verum non est ita. Adeo enim ingens est eius potentia, vt ab eiusmodi sterili & infœcunda anima, haud secus ac ab alia quadam perfecta, & in virtutibus omninò consumata æternæ vitæ fructus colligere, eandemque tandem aliquando saluam facere possit. *Fer. 5, Dom. 5, Quadr. Consid. 2, per totam*

THEMA 2.

Semen est verbum Dei. Lucæ 8. v. 1.

Est profecto verbum Dei semen potentissimum, sed ob infallibilem quam secum infallibiliter coniunctam habet veritatem, hominibus valde exosum. *Dom. 5, Quadrag. Consid. 2, num 9, & 10 Item fer. 4, Do. 5. Quad. Consid 2, num. 10.*

Semen vtilissimum, quia maximorum bonorum instrumentum, *Fer. 2, Paschat. Consid 3 per totam.*

Semen suauissimum quia per manna symbolizatum, *ibid. nu. 1.*

Semen

Semen saluberrimum quia vitam hominis sustentat, *ibid. num. 3.* Et infirmis salutem restituit, *ibid. num. 4. & 5.*

Semen quod merito thesauri loco est habendum, quia homines locupletat, *ibid. nu. 6.* Et vna duntaxat illius littera A. nomini alicuius adiuncta, illum ditat & opulentum facit. *ibidem num. 8.*

THEMA 3.

Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur & non referunt fructum. Luc. 8 v. 14.

Diuitiæ veluti spinæ, semen verbi Dei, adeo suffocant, illiusque vim, efficaciam, & energiam ita eneruant, vt de illorum salute æterna fere sit conclamatum, ipsomet Saluatore nostro dicente: *Diuites difficulter saluantur.* Vnde sine virga & baculo difficulter ad bonam frugem perducuntur. *Fer. 3, Dom. 4, Consid. 3, per totam.* Nec mirum: Nam diuitiæ sunt vitiorum fortalitia, diuites enim per suas diuitias ab humanæ iustitiæ vindicta defenduntur, *ibidem num. 1.* Nec emendantur nisi præcipitentur, *ibidem nu. 3 & 4.*

Atque ideo Christus, non vt diuitibus, sed, vt pauperibus euangelizaret missum se à Deo Patre asserit, quasi ipsemet Deus, cũ totali sua omnipotentia, de diuitum Conuersione desperet. O noxiæ spinæ! *ibidem nu. 7, & seqq.*

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ

THEMA 1.

Ecce ascendimus Ierosolymam. Lu. 18. v 31.

Qui fit quod S. Ecclesia in præsenti Dominica Quinquagesimæ Missam celebrans, hoc Euangelium legi præceperit, in quo de dolorosa filij Dei passione & morte agitur? Illa die totus mundus hilaris est, & lætus, & Bacchinalibus celebrandis intentus, tempus omne iocis, choreis, comœdijs, recreationibus, conuiuijs, alijsque similibus festiuis lætitiæ signis transigit; & sancta Ecclesia de doloribus, de sanguine, de Cruce, flagellis, sputis, clauis, denique de morte tractabit, quasi vt communiter dici solet; Mortuum mensæ adhibeat? Quod si sapiens dicit, omnia tempus suum habere, & aliud quidem ridendi, aliud vero plangendi tempus esse, aliunde vero tempus hoc ridendi tempus sit, quomodo planctus illi conueniet? S. Vincentius Ferrerius serm. 1. in quinquag. egregie ad hoc respondet dicens: *S. Mater Ecclesia à spiritu sancto gubernata & recta sciens excessum & gulositatem filiorum suorum, quam faciunt his tribus diebus in commedendo & bibendo, cogitauit ponere coram filijs suis Christi passionem, vt fideles restringerentur à gulositate, considerantes quantum constitit peccatum gulæ primorum Parentum, non gallinarum aut perdicum, sed vnius pomi fructus, quod filius Dei debuit suspendi, in patibulo Crucis.* Ex quibus omnibus habemus dolorosam filij Dei passionem & mortem solum exantlatam esse eo fine, vt ira Dei ob solum Gulæ peccatum offensi mitigetur. Vnde colligimus vitium istud Deo adeo vehementer displicere, vt ne etiamnum quidem remissum esset nisi vnigenitus Dei filius, sanguinem suum effudisset fuissetque mortuus. *Dom. 1. Quadrag Consid. 3. per totam præcipue num, 5.*

THEMA 2.

Ecce ascendimus Ierosolymam. Luc. 18.

Christus Dominus Ierosolymam versus iter faciens mortis quam in illa vrbe passurus erat, memor ad discipulos suos conuersus dixit: *Ecce ascendimus Ierosolymam* quasi dicere voluisset inquit author operis imperfecti ibid. *Videte quia voluntarie vado ad mortem*, & subiungit idem Doctor. Christũ hisce verbis, verum se Deum demonstrasse, cuius diuinam mox subiungit rationem: *Nam etsi posse mori hominis est, velle tamen mori hominis non est, sed Dei*, adeo namque graues & horrendi sunt mortis horrores & dolores, vt Deus solus voluntarie se ijs dare in prædam possit, omnes vero alij quantumuis sancti & perfecti, id non possint, nisi ex particulari quodam Dei fauore & gratia. *Velle mori hominis non est, sed Dei, Fer. 5. post Do. 4. Quadrag. Consid. 1. per totam præcipue nu. 12.*

THEMA 3.

Domine miserere nostri, Fili Dauid, turba autem increpabat eos vt tacerent Matt. 30. v. 30. & 31.

Requi-

Requiramus obsecro rationem ob quam pauperculi adeò increpari fuerint, ni fallor enim, quisquis illorum verba attenderit, nullum prorsus errorem illos commisisse iudicabit, quem enim errorem committere poterant, quando ad Christum debita cum humilitate & Reuerentia accedebant, eum non solum Dominum suum proclamantes, verum etiam illustrem à tot præclaris ducibus & regibus, qualis Dauid erat, eius originem descendere confitentes. Non solum igitur non merebantur increpari, sed magnis etiam laudibus in Cælum vsque extolli debebant. Alphonsus Tostatus hanc difficultatem præsentiens, pro illius solutione, hunc in prædictis cæcorum verbis assignat errorem q. 113. ibidem dicens: *Indignati sunt multi, qui in Christum credebant, audientes istam paruam laudem Christi; volebant enim quod non vocarent eum filium Dauid, quasi hominem, sed filium Dei.* hic tamen error modicus, vel nullus erat in iis, miserabiles enim hi cæci Christum non ex malignitate animi, sed ex ignorantia Dauidis tantum, & nō etiam Dei filium appellarunt. Vnde meritò videntur excusandi. Ipsi enim sicut corpore ita quoque mente cæci existentes, cum Christi diuinitatem non agnoscerent, ipsum quoque tanquam Deum æstimare, aut filium Dei appellare, eo modo quo ab increpātibus agnoscebatur, non poterant, *Bonum enim quod non cognoscitur non æstimatur, Feria 6. Dom. 3, quadr. consid. 2, per totam præcipue n. 8.*

THEMA. 4.

Tetigit oculos eorum & confestim viderunt.

Matt. 20, v. 34.

Paulus de Palatio attendens, quod Christus Dominus duos illos cæcos, de quibus in hoc Euangelio secundum Matthæum agitur, sanaturus, aures eorum & nares tetigerit, ita inquit: *Tangit oculos Dominus & sanat, tangit alchimicum aurum alia metalla, & ea in aurum vertit.* Vnde colligitur manus Christi eiusdem prorsus naturæ esse, cuius lapis Philosophicus. sicut enim hic omnia in aurum conuertit, quæ tangit: ita quidquid à manibus Christi tangitur, in aurum conuertetur. Vnde Eleemosynarius pauperi vestem aliquam, aut panem, aut aliud quantumuis exiguum donans, in virtute admirabilis huius Alchimiæ, omnia cum stupendo lucro in aurū conuersa recipiet, & diues euadet. *Dom. 4, quadr. con. 2, per totam, præcipue num* 10.

THEMA 5.

Filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat iuxta viam mendicans. Marci 10. v. 46.

Notat Hugo Cardinalis, circa prædicta verba thematis, quod *Bartimæus* in latina lingua idem sit, quod *filius Floridi*, & *Timæus floridum* significet. quo nomine diuitem quendam in hoc mundo florentem intelligit. Et hæc quidem omnia optime dicuntur. Veruntamen nescio qua ratione cum dictis congruat, quod Bartimæus iste in via steterit mendicans. Qua enim ratione possibile est, vt qui in hoc mundo diues est ac floridus, mendicare publice videatur: pauperes & egeni mendicant, non vero diuites. Etenim id vobis minime videatur esse mirum. Quotquot enim in hoc mundo florent, vt continuatim florere possint, tandem vilissime mendicant. Vt floridam splendidamque mensam, ingentem seruorum numerum, nec non vestium pretiosarum suppellectilem, stabulum denique generosis refertum equis sustinere possint, mendicare coguntur, *Fer. 6, D. 1. quadr. con. 3 per totam præcipue n 5.*

Benigne lector.

Euangelia quadragesimalia incipiendo à Feria 4. Cinerum vsque ad feriam 3, Paschatis, inclusiue, hic pertransimus, eo quod totum hoc opus in eiusmodi Euangeliis per tres Considerationes copiosissime dilucidandis & explicandis occupetur. Imo quoad Euangelia à feria 6, post Dominicam 3. quadragesimæ vsque ad feriam 3. Paschatis inclusiue præter expresse desuper elaboratas Considerationes tota secunda parte huius quadragesimalis contentas: Insuper te remittimus ad peculiarem indicem materiarum applicabilium ad Euangelia, singularum prædictarum feriarum. Hisce itaque relictis ad sequentes progrediamur Dominicas.

Dominica in Albis

THEMA 1.

Stetit Iesus in medio Discipulorum & dixit eis Pax vobis. Lucæ 24. v. 36.

Cur obsecro Cælorum Dominus Christus

ftus Iesus cum Discipulis suis acturus, in eorundem sese collocare voluit medio, cur nō in capite aut in alio quopiam honorificentiori loco statuere sese voluit, vtpote qui non tantum Diuinæ personæ suæ, verum etiam glorioso statui in quo tunc erat, maxime conueniebat; tametsi enim paulo ante inter ipsos tanta cum humilitate, cum ipsis conuersatus sit, sicut vnus ex ipsis Modo tamen immortalis & visibiliter gloriosus existens, minime id illi conuenire videtur, vt in medium discipulorum sese quasi vnus ex ipsis insinuet, sed potius à capite ipsorum digniori videlicet loco se collocare debebat Hugo Cardinalis in psalmū 81. hunc locum considerans, dicit Christum per hanc actionem magnum quoddā dare voluisse Ecclesiæ suæ Prælatis argumētum, è quo nimirū perdiscerent, qua ratione commissas sibi oues in pace conseruare, & gubernare possent: *Si enim*, inquit, *Prælatus sic est in medio, non murmurant subditi, sed sunt in pace, aliter autem murmurant*, *Fer. 4, Dom. 3, quadrag. consid. 1, per totam, præcipue num. 4.*

THEMA 2.

Stetit Iesus in medio eorum, & dixit illis: Pax vobis, ego sum nolite timere. Lucæ 24. v. 36.

His verbis Christus Discipulos suos est alloquutus post Resurrectionem suam, vt eisdem graui timore & formidine oppressis; vtpote qui Ierosolymis inter tot hærebant inimicos, quot erant Ciuitatis illius homines, animum adderet generosiorem, omnemque ab eis eriperet formidinem. Verū dicat aliquis: quomodo ab omni se timore liberare poterant, quando tot sæuis truculentisque persecutoribus cincti erant qui postquam ab ipsomet eorum Magistro persequendi initium sumpsissent, suam tamen per hoc rabiem furoremque nequaquam exsatiauerant, donec omnes occidissent? S. Antonius de Padua Feria 2. Paschæ: dicit illos nullam prorsus habuisse timendi rationem quoadusque Christum secum habebāt: *Vbi enim* inquit, *Dominus, ibi securitas, qui Dei gratiam habet, non habet quod timeat*. q. d. Christus ob nihil aliud discipulis dixerat: *Ego hic vobiscum sum nolite timere*, quam vt illos omnis periculi redderet securos, iisdemque euidenter demonstraret, quod vbicunque Deus est, ibi quoque sit omnis vitæ securitas, quodque omnes illi, qui sub Diuinæ gratiæ scuto degunt, nullum prorsus siue damnum, siue periculum formidare debeant. *qui Dei gratiam habet, non habet quod timeat*; Deus enim tam fortis suorum protector est, vt eosdem non tantum ex ore lupi, sed etiam per ipsummet os lupi eruat, atque defendat. *Fer. 6, post Dom. 2, quadr. con. 3, per totam præcipue num. 3.*

THEMA 3.

Pax vobis. Ioan. 20. v. 19.

Quemadmodum discordia humanas Respublicas dissipat & eneruat, ita è contra conconcordia easdem corroborat, & veluti indomabiles efficit. *Fer. 3, Pasch. con. 1, per totam.*

Dominica 2. post Pascha.

THEMA 1.

Mercenarius autem fugit, quia Mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ioan. 10. v. 13.

Nihil vtilitatis præstabunt Pastores, Prælati, Prædicatores, quod si animarum saluti ex motiuo proprij interesse seu commodi vacauerint, *Fer. 3 Dom. 2, quadrag. con. 2, per totam.*

THEMA 2.

Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis, Ioan. 10. v. 11.

Pastor seu Prælatus passionatus, maximus est ouium suarum inimicus, *F. 4, Dom. 3, quadr. con. 1, per totam.*

THEMA 3.

Et vocem meam audient; Ioan 10. v. 16.

Oues magni animarum nostrarum Pastores sunt ij, qui in vniuersalis Iudicij die ad sublimis throni sui dexteram collocati ingens illud beatæ gloriæ præmium consequentur. Et quidem tametsi ad eandem gloriam sine vlla meritorum suorum præuisione fuerint electi, illam tamen sine meritis suis, nequaquam sunt consecuti. Et hoc est quod in præsenti Euangelio, Incarnata sapientia & Pastor bonus dicit: *Oues meæ vocem meam audient*: id est, præceptis meis obedient sibique de-

operi-

operibus vitæ æternæ meritorijs, vtpote quibus mediantibus, tantum boni sunt consecuturi, prouidere studebunt. Id quod deuotum quemlibet fidelem Christi commouere, timoremque eidem incutere merito deberet, cogitanti cœlum obtinere non posse, nisi omnibus in id viribus, & ambabus, vt aiunt, manibus, connitantur & adlaboret. Videamus igitur primo quomodo Deus sine vllo ad merita nostra respectu cœlum donet; Visuri postea quomodo verum sit quod non obstante liberali hac donatione illud à nobis sine meritis, nolit obtineri, *Feria 4. Domin. 5. Quadrag. Considerat. 1. per totam.*

THEMA 4.

Et cognosco oues meas. Ioan. 10. v. 14.

Vbi sponsa in Canticis cap. 5. v. 14 iuxta vulgatam de corde Christi loquens dicit: *Venter eius eburneus, distinctus saphyris* Philo Carpathius vertit: *Venter eius pixis eburnea.* q. d. Cor eius est pixis quædam valde preciosa, eburnea, saphyris distincta, atque vt finem quoque insinuaret, cui pixis illa adhibenda esset, subiungit, ibid. *In qua quidem spirituali pixide, codicilli sapientiæ suffragiaq; conduntur, non ad terrenum sed ad cœleste regnum conductura,* q. d. In illa pixide profunda diuinæ sapientiæ iudicia & suffragia quibus homines ad coronam regni cœlestis electi sunt, recondita asseruantur. Qua loquendi ratione ad eum modum alluditur, quo secretæ Prælatorum electiones fieri vt plurimum solent; In eiusmodi enim electionibus suffragiorum schedæ, quibus eligẽdorum inscripta sunt nomina, strictæ alicui vrnæ seu vasi imponi solent, ne scriptura ab aliquo ex circumstantibus legi aut prodi possit: Sponsa igitur dicere velle videtur: sanctorũ prædestinationem oculis nostris adeo occcultam esse atque secretam, vt ne aliquam illius haurire possimus notitiam, Deus illam in corde suo, velut in stricta quadam pixide seu vrna profunda absconditam teneat. Vnde qui, quales, & quot ad Beatorum gloriam electi sint, cognoscere, ad eam scientiam spectat, quæ soli reseruata est menti diuinæ, prout in præsenti Euangelio ipsamet sapientia incarnata, affirmat dicens: *Et ego cognosco oues meas.* Atque hinc est, quod cum scire nequeamus, quosnam Deus vel ad cœlestem gloriam elegerit, aut ad perpetua Inferni damnaturus sit incendia, nec peccator quamdiu viuit æstimandus sit damnatus, nec quicunque alius, tametsi sanctissimam hic agat vitam reputari possit beatus. *Fer. 4, Dom. 5. Quadrag. Consid. 2. per totam.*

THEMA 5.

Et cognoscunt me meæ.

Numerus cognoscentium & sequentium Christum adeo est paruus, ingens autem adeo est numerus eorum qui Dæmoni adhærent, vt Deus merito ob id pauper, Dæmon vero diues æstimari debeat, *Fer, 4. Do. 5. Quadrag. Consid 3 per totam*

DOMINICA 3. POST PASCHA.

THEMA 1.

Modicum & iam non videbitis me & iterum modicum & videbitis me quia vado ad Patrem Ioan 16. v. 16.

Quantum bona illa quæ in mundo isto possidemus, sunt instabilia, tantundem è contra stabilia sunt bona illa quibus fruemur in cœlis. *Dom 2, Quadrag. Considerat. 2. per totam.*

THEMA 2.

Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.
Ioan. 16. v. 20.

Vt fruaris melle cœlestis beatitudinis opus est, vt prius gustes sal ærumnarum & laborum huius vitæ. *Fer. 3. Paschat. Consider. 2. per totam*

THEMA 3.

Iterum autem videbo vos & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Ioan. 16. v. 22.

Quod si gaudium natum ex pulchritudine patriæ cœlestis posset vlla ratione à viatoribus percipi, vtique hoc illos adeo raperet, vt præ lætitia & exultatione inde concepta obstupescerent, & præ nimio illius desiderio morerentur. *Domin. 2 Quadrag. Considerat 3. Vide etiam circa eandem Domin, Consid, 1.*

DOMINICA 4. POST PASCHA.

THEMA 1.

Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis? Ioan.16.

Arguit his.e verbis Christus dominus Apostolorum socordiam & inertiam, qui de rebus ad animæ salutem spectantibus, parũ aut nihil sunt soliciti, cum tamen vt quis ad diuinarum gratiarum possessionem pertingat, sollicitudinis viam vt ingrediatur necessum sit *F.3, D.1, quadr. con.3, per totam.*

THEMA 2.

Sed quia hæc locutus sum vobis tristitia impleuit cor vestrum, sed ego veritatem dico vobis. Ioan.16.v.6 & 7.

Adeo certum est, quod in hoc mundo inter mendacia vitam transigimus, vt qui in hoc mundo verum dicere præsumit, nihil deinceps boni in eodem prætendat, necessum sit. *Dom 5, quadr. con.2, per totam.*

THEMA 3.

Adhuc multa habeo vobis dicere sed non potestis portare modo Ioan.16.v.12.

Quantum Deus sollicitus est, vt nobis per gratiam succurrat, tantundem nos pigri sumus & inertes, vt operam nostram in ipsius impendamus seruitutem, *F.2, Dom.5. quadr con.3. per totam.*

THEMA 4.

Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis, Ioan. 16 v.5.

Causa ob quam mundani homines Deum & gratias illius nihil faciunt, alia non est quam ignorantia qua laborant, *Bonum enim quod non cognoscitur, nihili etiam æstimatur, F.6. Dom 3, quadr. consid 2, per totam.*

Dominica V. post Pascha.

THEMA 1.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo Ioan.16, v.23 & 24.

Valde mirum est quod Christus dicat, *vsque modo non petistis quicquam.* Ergone Incarnatam Dei sapientiam, tanta incessit obliuio, vt non amplius recordetur petitionis, quam Iacobus, & Ioannes discipuli eius, & Mater illorum ipsi proposuerunt, Matt.20 v 20. *Accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans & petens aliquid ab eo,* videlicet: *Dic vt sedeant &c.* Nunquid Matt. 8. v 5. Centurio accessit & pro filij sui sanitate deprecatus est illum dicens: *Domine puer meus iacet in domo Paralyticus.* Itẽ annon Matt.8.v.25. *cum motus magnus factus esset in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Salua nos perimus.* Item, nunquid Matt.8.v.34. postquam Dæmones permissione sua ingressi in Gerasenorum porcos, eosdem in mare egere præcipites & submersere, facer textus dicit: *Et ecce tota Ciuitas exiit obuiam Iesu, & viso eo rogababt eum, vt transiret à finibus eorum.* Adeone labilis memoriæ est Dominus noster, vt non amplius recordetur tot sibi factarum supplicationum; cæcorum pro visu, surdorum pro auditu claudorum pro expedito gressu, leprosorum pro munditie Corporis, Paralyticorum aliarumque infirmorum pro sanitate restituenda? sin autem hæc ipsum non latent, quomodo dicere potest: *Vsque modo non petistis quicquam?* S. Augustinus & Haymo circa hunc locum dicunt: quod ij qui hactenus pro subsidijs seu dignitatibus pro vita & sanitate corporis pro bonis temporalibus obsecrarant, quasi nihil petiisse censeãtu: *quia in tantæ rei cõparatione,* inquit Augustinus, *quam petere debuistis, quidquid aliud petitur, nihil est.* Et Haymo: *Vsque modo nõ petistis quicquam, quia ad comparationem illius rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est, quod petistis* Optaret nos Deus magis anxios pro ijs negotijs, quæ æternam nostram attinent salutem, cum nos è contra temporalia cum maiori cura & studio prosequamur *Fer.4, D.4, quad cons.1, per totam. Vide etiam Fer.6. Dom 3 quadr. con.1. n.6.*

THEMA 2.

Petite & accipietis Ioan.16 v.24.

Orationes nostræ ingenti cum solicitudine & velocitate à Deo exaudiuntur, *Fer.2, Dom.5, quadr. consid.3. per totam.*

THEMA 3.

Petite & accipietis. Ioan.16.v.24.

Deus in preces nostras nunquam descendit nisi viderit linguam in ijs fundendis, cũ Corde consentire, *Fer.5, Dom.1, quadr. consid. 1, per totam.*

THEMA 4.

Petite & accipietis Vbi supra.

Ad signum vel scopum gratiæ, quæ à Deo postulatur, male collimatur, nisi ad illam collimans, sese humiliet, *Fer.5, D.1, quad con 2, per totam.*

THEMA 5.

THEMA 5.

Petite & accipietis.

Adeo efficaces sunt orationes sanctorum apud Deum, vt nonnunquam Deum, licet invitum & reluctantem, cogant concedere, quod suis in orationibus exposcunt. *Fer. 5, Dom. 1, quadr. Consid. 3. per totam.*

In Feriis Rogationum

THEMA 1.

Ego dico vobis, petite & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulsate & aperietur vobis.

Lucæ 11, v. 9.

Hugo Cardinalis circa prædicta verba notat, quod cum Christus Apostolos suos petere & ostium pulsare docet, ne unico quidem verbo dicat aut determinet, quidnam ab illo quærendũ aut petendũ sit: *Cum dicitur, quærite, petite, pulsate non determinat quod vel quid.* Videtur Christus id omnino explicare debuisse, vt hac ratione Apostoli scire potuissent, quid ab illis petendum esset aut quærendum. Respondet autem: quod Christus Apostolos hoc loco cælestem gloriam petere docuerit; quod autem hanc expresse non nominaverit, factum id est, ut insinuaret, gloriam illam humanitus innominabilem atque ineffabilem esse. *Ad significandum quod istud quod petitur, quæritur, & ad quod habendum pulsatur, est innominabile. Dom. 2. quadrag. Consid. 1 per totam.*

THEMA 2.

Quis autem ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Lucæ 11. v. 11.

S. Remigius, ut habetur in catena aurea S. Thomæ Aquinatis, in hæc verba scribens, per patrem Deum, per panem vero charitatem intelligit, dicitque: *Non est timendum si petamus à Deo Patre panem, idest, charitatem, quod porrigit lapidem, idest odij duritiam* Cur obsecro charitas panis appellatur? quia ad sustentationem vitæ humanæ nihil est pane melius aut pretiosus. Id quod Diogenes Philosophus Cynicus optime cognovit, quando admirabatur panem vili pretio vendi, cum sit pretiosissima res totius mundi, vt proinde referente Diogene Laërtio de vitis Philosophorum lib. 6. dicere solitus fuerit: *quæ sunt pretiosissima minimo vænire, & contra, nam statuam tribus millibus emi, farinam vero candidam duobus.* In mundo omnia Hysteron protheron aguntur, idest, è diametro contrarium ei quod fieri deberet. Res enim pretiosæ minimo væneunt, caro autem vendũtur quæ nullum in se pretiũ habent, ac proinde charitas, nõ alia de causa panis nomine intelligitur, quam, quia est rerum omnium quam Christianus in hac vita possidere potest pretiosissima & optima. Vnde & charitas dicitur à nomine charius, *quia illa charius inveniri non potest. Fer. 5, post Cineres Consid. 1, per totam præcipue vero num. 3.*

In Festo Ascensionis Domini nostri Iesu Christi.

THEMA 1.

Viri Galilæi quid statis Aspicientes in Cælum. Act. 1, v. 11.

Obscurus est horum verborum sensus, neque enim satis clare intelligi potest, quidnam Angeli hisce verbis Apostolis dicere voluerint; Num forte nolebant Apostolos in cælum respicere? Nequaquam id existimo, quid enim illis hic Apostolorum Christi tam firmus in cælum aspectus, damni adferre poterat, ut inde adeo offenderentur?

Quantum ego quidem assequi possum, non prohibebant Apostolos, in cælum respicere, quasi obtutus ille, aliquod illis accersere damnum potuisset, sed quia illis displicebat, quam faciebant pretiosi temporis jactura, ideoque illos tanquam homines ignavos & otiosos reprehendebant. S. Aug. in QQ. Evangelic. q. 39 hæc Angelorum verba declarans pulchre finem illum exponit, ob quem Angeli Apostolos in cælum aspicere vetabant dicentes: *Quid statis aspicientes in cælum? Quid enim, inquit aliud dixerunt, nisi nullo modo posse oculos hominum, vsque in illud penetrare secretum quo ibat Dominus.* Beata enim gloriæ patria adeo sublime à nostro elongatur aspectu ut nec linguas, nec vocabula habere valeamus quæ viam aliqua saltem ex parte explicare possint. *Dom. 2. quadr. Consid. 1, per totam.*

THEMA 2.

Elevatis manibus benedixit eis & ferebatur in Cælum Luc. 24, v. 50, & 51.

Quænam est causa quod Christus elevatis manibus conscendere in cælum voluit: *Elevatis manibus*, non vero manibus conjunctis, aut deorsum demissis? Num. forte illis ala-

aliatum loco uti voluit, ad verificandum illud Ieremiæ vaticiniū c. 48, v, 40, quo aquilæ assimilatur: *quasi Aquila volabit, & extendet alas suas* ? Nequaquam id ideo factum fuit inquit S. Bernardinus serm. 1, de Ascensione Domini art. 2, cap. 1, siquidem Christus pro suo in Cælos ascensu alis nullatenus indiget: sed potius ut vulnera quæ in manibus & pedibus reservaverat, discipulis suis demonstraret, innueretque se eadem in cælos secum deferre, ut ex illis quasi ex fæcundissimis fontibus, ex quibus nobiscum in terra commorans sanguinem depluerat, in beata illa patria consistens gratias spiritus Sancti deplueret posset: *ut ostenderet quod vulnera apportabat in cœlum, ut qui sanguinem suum pluerat per vulnera illa in supplicio Crucis, per ipsa eadem tanquam per meretoria instrumenta abundantiam spiritus Sancti effunderet, sublimatus in cælis.* Observate hic prodigam magni Dei nostri munificentiam, & quantum gaudeat & delectetur donando, cum enim totum suum sanguinem effudisset in terra, ne unica quidem stilla sibi reservata, ut gloriosam hanc liberalitatem in cœlo quoque residens non intermitteret, servare vulnera sua noluit, atque ex illis loco sanguinis, ob effusi Sanguinis meritum effundere favores gratias & dona spiritus Sancti. *Abundantiam spiritus Sancti effunderet sublimatus in cælis. Feria 6, Parasceves Consid. 3, per totam. præcipue num. 9.*

Dominica infra octavam ascensionis Domini.

THEMA 1.

Hæc locutus sum vobis ut non scandalizemini Ioan. 16. v. 1.

Quotquot faciles sunt ad accipiendum ex quovis proximi opere scandalum, considerare debent se ad eiusmodi scandala, quæ à Theologis vocantur accepta, non vero data non aliunde permoveri, quam ex temerariis judiciis proprijs, quæ sibi citra ullum proximi reatum de eodem efformant in quibus persæpe & fere ut plurimum falluntur, nam sicut homo justus, non ideo beatus est quia justus, ita quoque peccator non ideo damnatus haberi debet, quia peccator est. Occulta namque divinæ Providentiæ judicia nemo hominum penetrare ullo modo potest. *Fer. 4, Dom. quadr. Consid. 2. per totam.*

THEMA 2.

Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem & quietum. Isaiæ 66.

Sol gratiæ spiritus, qui peccati tenebras dispellit, post ortam in peccatore verecundiæ de peccatis commissis auroram, in eodem nasci non tardat. *Fer. 5, Dom. 5, quadrag. Consid. 2, per totam.*

THEMA 3.

Idem cum præcedenti.

Sicut magnes ferrum ad se trahit, ita humilitas attrahit sibi gratiam spiritus Sancti. *Fer. 5. Dom. 5. Quadrag. Consid 2. per totam.*

THEMA 4.

Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Lachrymæ ad impetrandam humanarum culparum remissionem, & ad impetrandam gratiam spiritus Sancti, tantam habent efficaciam, ut Deus illis non videatur ulla ratione resistere posse. *Fer. 5, Dom. 5, Quadrag Considerat. 3. per totam.*

In Solemni Festo Penthecostes.

THEMA 1.

Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum. Sap. 1. v. 5.

In hoc spiritus Sanctus ab hujus mundi spiritu differt, quod spiritus mundi sit fictus, simulatus, ex dolis & duplicitatibus merisq; mendaciis compositus: spiritus vero sanctus sit spiritus verax, fidelis, syncerus, simplex, omnis fraudis & doli expers. *Fer. 4, Cinerum Considerat. 1, per totam. præcipue num. 10, & deinceps.*

THEMA 2.

Si quis diligit me sermonem meum servabit & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus Ioan 14, v. 23.

Summo desiderio & aviditate è nobis excipi & audiri debent verba divina, utpote quæ maximorum bonorum, quæ in hac vita desiderari possunt sunt instrumenta. Feria 2, Paschæ Considerat. 3, per totam.

THEMA 3.

Si quis diligit me &c. & Pater meus diliget eum. Ioan. 14, v. 23.

Necessarium est, ut nos bene habeamus in ordine ad Deum, quales enim nos erga illum sumus, talis & ipse nobiscum erit. *Fer. 3, Pascha Considerat. 1, per totam.*

THE-

THEMA 4.

Pacem relinquo vobis, Pacem meam do vobis. Ioan.14.v.27.

Sicut discordia eneruat, deijcit, & disperdit humanas Respublicas, ita pax & concordia easdem confortat corroborat, & quasi indomabiles reddit, *Fer. 3. Pascha, con. 1, per totam.*

THEMA 5.

Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioan.14.v.23.

Amicus Dei adeo super omnes alios est sublimatus, vt non homo, sed Angelus imo Deus quidam esse appareat, *F.2, post Dom. 5, quadr. consid. 2.*

Feria, II. Penthecostes.

THEMA 1.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Ioan.3.v.16.

Adeo facilis est nostra salus, vt is duntaxat à salute excidat, qui vltro citroque saluari detrectat, *Dominica Palmarum consid. 3, per totam.*

THEMA 2.

Lux venit in mundum & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Ioan 3. v.19.

Quantum Deus sollicitus est, vt nobis per gratiam suam succurrat, tantundem nos pigri sumus & inertes, vt operam nostram in ipsius impendamus obsequium, *F.4, post D. 5, quadr. consid. 3,*

THEMA 3.

Omnis qui male agit, odit lucem. Ioan. 3.

Maior homini peruerso accidere Crux nequit, q. à hominis alicuius sancti societas, *Dominica V. siue Passionis, considerat. 1, per totam.*

Feria 3. Penthecostes.

THEMA 1.

Proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Ioan.10,v,3.

Oues magni animarum nostrarum Pastoris sunt ij, qui in vniuersalis iudicij die, ad sublimis Throni sui dexteram collocati, ingens illud beatæ gloriæ præmium consequentur. Nulla autem ouium istarum, gloriari potest, quod ex Naturæ suæ conditione sibi debitum sit vt ex ouium illarum numero sit. Quotquot enim sunt propriæ oues Christi, id habent ex infinitæ misericordiæ Diuinæ electione, *F.4, D.5, quadr. c. 1. per tot.*

THEMA 2.

Oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Ioan. 10,v.4.

Sicut homo peccator quoadusque viuit, nequaquam æstimandus est damnatus, ita nec iustus præsumendus est saluus, oculi nanque nostri diuinæ prouidentiæ iudicia penetrare minime possunt, *F.4, post D.5, quadr. con. 2, per totam.*

THEMA 3.

Et cum proprias oues emiserit ante illas vadit. Ioan 10.v.4.

Licet ouile Christi maximum sit, pauculas tamen continet in se ouiculas in comparatione hœdorum, qui sunt in stabulo Diaboli. Numerus enim sequentium Christum adeo est paruus, ingens autem adeo est numerus illorum, qui Dæmoni adhærēt, vt Deus merita ob id pauper pastor, Dæmō vero diues æstimari debeat. *F,4. post Dom. 5. quadr. con. 3, per totam.*

Dominica seu festum

Sanctissimæ ac indiuiduæ Trinitatis

THEMA 1.

Secundum Breuiarum Romanum

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti. Matth.28 v,19.

Secundum Breuiarum Carmelitarum

Nisi quis renatus fuerit denuo ex Aqua & spiritu sancto non potest videre regnum Dei. Ioan 3.v 5.

Scribit Iacobus Cardinalis Aconensis in historia sua orientali, in India certam quādam reperiri arborem, iuxta maris littora proxime plantatam, quæ admirabilis Naturæ fructus producit: postquam enim fructus illi maturuerunt, ab arbore decidunt, & alij quidem in terram, alij in aquas cadere solent. Et sicut fructus in terram decidui putrescunt, ita qui in aquas labuntur, vitam recipiunt, & sensim post enatas illis plumas & alas, aues inde fiunt, & volant. Dicere possumus huius mundi homines eiusmodi fructus esse; siquidem quando nascuntur, alij cadunt in terram infidelium, alij vero in sacri baptismatis aquas. Certum est autem quod sicut illi putrescunt & damnantur, ita hi propter sanguinis Christi valorem sacri baptismatis aquis communicatum, viuificantur, plumescunt atque in sublime volantes cælum intrant, vt S. Macharius inquit:

Homi;

Hom. 47. *Christus immolatus est, & sanguis ejus nos aspergens fecit, vt nascerentur nobis alæ. Dedit enim nobis alas spiritus Sancti, ad volandum sine impedimento in aerem divinum*, Fer. 3. Pascha Considerat. 3. num, 9.

THEMA 2.

Hic venit ad Iesum nocte. Ioan. 3. v. 2.

Venit Nicodemus nocte ad Christum, sed Iudæis valde dissimilis, nam isti miserunt ad comprehendendum Dominum nocte, ad quem audiendum ille venit nocte. Sed cur nocte & non in die venit? Sollicitudo id fecit, quæ etiam nocte somnum ab oculis eius abripuit, & coëgit, vt nocte salutis suæ negotia serio tractare non intermitteret. Et fœlix profecto solicitudo illa fuit, quæ tam fœlici eventu salutis æternæ reipsa in Nicodemo consecutæ donata fuit. Vnde è Nicodemi sollicitudine salubriter discimus, quod sollicitudinis viam ingredi debeat, quisquis divinas gratias vult possidere. *Fer. 3. post Dom.* 1, *Quadrag. Consid.* 3.

THEMA 3.

Hic venit ad Iesum nocte Ioan 3. v. 2.

S. P. N. Cyrillus Alexandrinus Carmeli montis singulare decus in hunc locum lib. 2. in Ioan scribens, dicit: *Propensus ad fidem Nicodemus fuisse videtur, sed pudore improbo victus, & gloria hominum superatus palam accedere non audet.* Suspicio enim opprobrij ac irrisionis tantas in exordio perfectionis, sanctæque vitæ sæpius apud homines vires habet, vt ab humanam verecundiam excellentia virtutis contemptui habeatur, & nulla sit ratio eximiæ illius dulcedinis, quæ liberam consequi solet virtutis conversationem. Ex hac enim erubescentia, provenit frigiditas in actione, imperfectio in via salutis & denique cessatio ab exercitiis spiritualibus, alioqui jucundissimis. Huiusmodi incommoda sibi metuens David dicebat: *Aufer à me opprobrium & contemptum, quia testimonia tua exquisivi.* Ac proinde nihil æquè timere homines debent, quam ne homines timeant Fer. 4 Dom. 4. Quadrag. Considerat. 2. per totam.

THEMA 4.

Hac venit ad Iesum nocte. Ioan. 3. v. 2.

Quare cum hujus sæculi principes omnia sibi licere frequenter existiment Nicodemus tamen timeat palam ad Christum venire? Doctissimus Evangelii interpres Ioannes de Sylveira Carmelitanus Tom. 1. lib. 4. Cap 3, q. 6, acutè respondet id factum fuisse secundum communem vanorum principum consuetudinem; Potentes enim hujus sæculi vanitatibus dediti, si de temporalibus lucris augendis agatur, tanquam *Dii* reputari volunt, & neminem sibi superiorem existimant, ita ut nullum nefas quovis etiam tempore formident: at vero si de salute spirituali & bono animæ agitur in publicum prodire metuunt, dedecori sibi ducentes, si bene agant. Certe quotquot sunt ejusmodi Principes vel nobiles, adeo sunt commissis sibi Rebuspublicis perniciosi, vt reputari debeant quasi è flagellis quibus affligi aliqua Republica potest, longè maximum. Fer. 4, post Dom. 1, Quadrag. Consid. 3.

Festum Sacratissimi Corporis Christi.

THEMA 1.

Caro mea verè est cibus. Ioan. 6. v. 56.

Quodsi causam ex me rogeris cur Christus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum instituere, & innumeris vicibus in sacro altari sacrificari voluerit cum tamen in sanctissimo Crucis altari, semel tantum immolatus fuerit? Respondebo cum S Bernardino Tom. 2. serm. 54, An. 1, cap. 2. factum id esse eo quod non sufficeret amoroso *Iesu* ad inebriati amoris sui offensionem, quod semel sanguinem suum sacrum pro nobis realiter effudit in ligno, nisi nobis quotidie effundat in Sacramento. Fer. 6, Dom. 3, Quad, Consid. 1. per totam præcipuè n. 11,

THEMA 2.

Sumam ego de medulla Cedri sublimis, & ponam, & de vertice ramorum eius tenerum distringam, & plantabo super montem excelsum & eminentem. Ezechielis 17. v 22,

S. Bernardinus Senensis serm. 56, Art. 2. Cap. 4. per Cedrum sublimen Deum Patrem; per verticem ramorum B. Virginem è sanctis Patriarchis, qui per ramos intelliguntur, progenitam, per Cedri medullam æternam Dei sapientiam seu verbum Patris intelligit. Hoc enim de Cedro sublimi, id est æterno patre, & de vertice ramorum eius progenitum Caro factum

est, & post triginta trium annorum conversationem quam hic in terris habuit in altum cœli Empyrei montem est sublimatus. Vide cum quanta brevitate sublimissima fidei nostræ proponuntur mysteria. At verò quod vel maximè hoc loco observatum velim est quod Christus in cælis existens tener appelletur: *De vertice ramorum eius tenerum.* *Tenerum autem* vti præfatus Doctor loco supra citato exponit, *dicitur à teneo per contrarium, quod vix se teneat, vt significet Sacramentum Eucharistiæ; eo quod vix Christus se tenet in Cælo, sed tractus amore nostri descendit ad terram.* Hodie enim quotidie, vt nostro continuo fruatur consortio centies millies de cælo in terram sub admirabilis Eucharistiæ species descendit. Vnde ipsemet Dominus noster per os Davidis dicit: *Zelus domus tuæ comedit me,* idest, inquit S. Bernardinus vbi supra cap. 1. *immensus animarum Zelus & zelans amor me comestibilem fecit.* *Fer. 2. Dom. 4 Quadrag. Consid. 1. per totam, præcipue vero num 15.*

THEMA 3.

Hic est panis qui de cælo descendit.

Ioan. 6, v, 59,

Christus in Eucharistia sub specie panis tectus & velatus conspicitur, ob immensam corporis sui luminositatem. Dom. Resurrectionis num. 15.

Dominica I. post Trinitatem

THEMA I.

Homo quidam fecit cœnam magnam

Lucæ 14. v. 16.

Theophylactus hoc loco parabolam hanc explicans dicit, per hominem istum Deum intelligendum esse. Advertens autem eundem in Scriptura ex variis occasionibus leonem, vrsum, pantheram, aliisque similibus horribilium ferarum nominibus appellari, quærit cur Scriptura sacra Deum etiam in hoc loco non appellet leonem, vrsum, aut Pantheram, sed hominem vocet? Homo quidam fecit cænam magnam. Et respondet: *Quando vindicativam Dei virtutem Scriptura significat, pantheram, vrsum & Pardum eum vocat: quando autem misericordiam vult insinuare, hominem inducit, sicut & nunc.* Homini enim proprium est etiam illis, à quibus mala recepit, benefacere. Vt hac ratione simul nobis insinuetur, eos qui cor ira plenum habent, aut vindictas meditantur non hominis, sed animalis bruti, aut sævæ alicuius feræ cor habere. *Feria 6, post Cineres Considerat 1. per totam.*

THEMA 2.

Villam emi, & necesse habeo exire.

Luc. 14. v. 18,

Quasi diceret. Ex quo comparata mihi villa, ad imperandum hominibus evectus sum, necessarium mihi deinceps erit, vt ab illa Cæna me absentem & foris remaneam. O rem summè mirandam! Invitatur hic ad æternam animæ salutem, atque ad infinitorum bonorum cælestium fruitionem, & dicit quod ab illis necessario manere debeat exclusus. Quid est quod illum à tanto tum bonorum lucro, à possessione tam ingentium divitiarum, atque ab ipsiusmet Dei impedire potuit consortio, vt proinde ipsum necessario condemnari oporteat? *Ambitio* inquit Hugo Cardinalis ibidem: *Ambitione cogente, qua non potest coram Domino permanere, nec in cælo habitare.* Hinc ergo perspicue videri poterit, qua ratione verum sit, exaltationem hominis ambitiosi, præcipitium posse esse quam sublimationem: ipsiusque ascensum, velocissimum esse cursum, imo volatum ad æternam perditionem. *Feria 4 post Dom. 2, Quadrag Considerat, 1 per totam.*

THEMA 3.

Compelle intrare, vt impleatur domus mea

Luc. 14. v 23,

Dicat aliquis: Cum Cænam nullus nisi mediante fide ingrediatur, Christo ipsomet dicente: Ioan. 6, v, 47. *Qui credit in me habet vitam æternam.* Fides autem integras atque illæsas supponat liberi arbitrii vires, cur illos coëgisse dicitur: *Compelle intrare?* Respondet Theophylactus ibidem: *Virtus signorum magnam afferebat necessitatem, vt transferrentur ad fidem Christi.* Quasi dicere vellet, Tametsi viri illi sponte nec vlla adhibita violentia Christum verum Dei filium esse crediderint, violenter tamen ad Christi sequelam adacti esse dicuntur, eo quod miracula quæ à Christo Domino nostro patrabantur, tantam habuerint vim & efficaciam, vt nullus in illis locis contrarium eius quod propriis oculis, suis videbant, asserendi aut suspican-

picandi superesset. *Virtus signorum magnam inferebat necessitatem, F.6. post Dom. 5. quadr. consid. 2 per totam.*

Dominica 2. post Trinitatem.

THEMA 1.

Erat diues, Luc. 16. v. 19.

Auaritia veluti labyrinthus quidam vitium est quodammodo incorrigibile: quisquis enim in illius inciderit laqueos, exinde non nisi miraculose extricare se poterit *F. 5. post Dom. 2, quadr. con 1, per totam.*

THEMA 2.

Erat quidem mendicus Luc. 16. v. 20.

Semper Christianus subiacebit tribulationibus, quamdiu perseuerauerit esse sanctus, *Feria 5. post Dom, 2, quadrag. consi. 2, per totam.*

THEMA 3.

Sepultus est in Inferno. Luc. 16. v. 22.

Impossibile est, vt qui labyrinthum inferni semel fuerit ingressus, viam inde egrediendi inuenire possit. *Fer. 5. post Dom. 2, quadr. con. 3, per totam.*

THEMA 4.

Induebatur purpura Luc. 16. v. 19.

Inter alia propter quæ diues epulo in Inferno sepeliri promeruit S. Lucas hoc vnum quoq; assignat, quod *Induebatur purpura*: At vero si propter hoc damnatus est epulo, væ Regibus, & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui eadem quoque purpura vestiuntur. Veruntamen quoad hasce in dignitate adeo eminenti constitutas personas purpura extra omne est damnationis periculum, vtpote quæ dignitati & statui adeo sublimi proportionata est & conuenientissima. Damnatio enim quæ diuiti Epuloni accidit, non tam propter purpuram, quam propter peccatum, quod Christus sub purpuræ symbolo explicare voluit, euenit. Vnde Hugo Cardinalis in hunc locum dicit: *Purpuram & byssum nominat Dominus, non solum quia delibata & sumptuosa sunt, sed propter latens mysterium, purpura enim sanguine tegitur.* Quod clarius S. Bernardinus Tom. 1. serm. 44 art. 1, cap. 1, exprimit dicens: *Induebatur purpura quæ sanguine solet tingi, quia forte de sanguine pauperum facta erat, & de impio lucro Dominica Palmarum consid. 2, à nu 4, vsque ad finem.*

THEMA 5.

Factum est vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis, Luc. 16. v. 22.

Pauperes male de sua paupertate lamentantur & conqueruntur, vtpote quos Deus tam dulcibus amplexibus, magnisque fauoribus dignatur, vt si diuites saperent, suam illis merito fortunam inuidere possent, *Fer. 4. post Dom. 4. consid. 3, per totam.*

THEMA 6.

Idem cum præcedenti.

Cur Lazarus portatus est in sinum Abrahæ ab Angelis, nunquid Deus facere poterat vt eo iret pedibus suis. Respondet S. Ioan. Chrysostomus *Con. 1 de Lazaro: Ne forte ambulans laboraret* q. d. Noluit Deus vt Lazarus ad cælum veniendo laboraret, ideo Angelos qui ipsum portarent, eidem submisit, hi enim sunt Rhædæ, lecticæ & currus Dei, iuxta illud Psalm. 67. v. 18. *Currus Dei decem, millia multiplex, millia lætantium* Neque credas hoc priuilegium soli Lazaro concessum fuisse, nam Rhædæ & currus Dei semper præparatæ sunt, quotcumcunque fidelium ad cælum perducendorum obsequio, eodem Propheta teste *Psal. 90. v. 11. Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te omnibus viis tuis. In manibus portabũt te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Circa quem locum S. Bernardus *serm. 12. in in Psal Qui habitat*, dicit: *Quam facile transit, qui illis portatur manibus.* Facilis igitur, plana, & delitiosa est ad Paradisum via; vereque dici potest facilem adeo esse salutem nostrã vt ij solum non saluentur, qui saluari nolũt. *Dominica Palmarum con. 3, per totam.*

THEMA 7.

Rogo te Pater, vt mittas eum in domo Patris mei. Lucæ 16. v. 27.

S. Ioannes Chrysostomus *Conc. 1, de Lazaro* Diuitem hunc Epulonem manifestũ mendacij coarguit, dum Abrahamum Patrem suum dicere præsumit, cum vnus homo nonnisi vnicum habere parentem possit. Et subiungit: *Vide peruersitatem: nec in ipsis pœnis continet veritatem* q. d. Vide quam promptũ peruersus homo iste mentiendi habitum sibi acquisiuerit, vtpote qui ne in ipso quidem inferno verum dicere nouit. Nil itaque mirum quod tantus mendax, tantas quoque di-

mitias, mundisque commoditates, in hoc mundo possederit; siquidem mundi bona ad illos tantum pertinent in quorum ore nullum sibi veritas locum vendicat, *Dom.5, quadr.consi.2, per totam.*

THEMA. 8.

Cupiens saturari, de micis, quæ cadebant de mensa diuitis & nemo illi dabat. Luc.16.v.21.

Vide Fer.6, Dominicæ 1, Consid.3, n.3.

THEMA 9.

Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ, Luc,16. v.22.

Vide Fer.4, Cinerum con.2, n.7

THEMA 10.

Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe & Lazarum in sinu eius. Luc.16.v.23.

Vide Fer.6, Domi,1, Con.1, n,4.

THEMA. 11.

Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in Aquam & refrigeret linguam meam. Luc,16.v 24.

Vide Fer.5, D 2, Consid 1 n.11.

Dominica 3. post Trinitatem.

THEMA 1.

Congratulamini mihi quia inueni ouem meam. quam perdideram Luc.15.v.6.

Potius videbatur dicendum: *Congratulamini oui*, quam *Congratulamini mihi*, maior enim vtilitas oui accesserat, quam Pastori Ouis enim à lupi faucibus & vitæ manifesto periculo erepta fuerat Respondet Eminentissimus Cardinalis Hugo de S. Charo in hunc locum, & dicit: *Mihi*, inquit, *non oui, vt appareat quantum de hominum reparatione gaudeat, Dominica Palmarum con.1, per totam, & præcipue num.10.*

THEMA 2.

Idem cum præcedenti.

Obseruandum est hoc loco Pastorem nō dicere *Reperi ouem* sed *inueni ouem* cum tamē potius videatur dicendum fuisse *Reperi*, non vero *Inueni* Magna enim inter vtrūque hoc verbum intercedit differentia. *Inuenire* enim significat in rem nunquam studiose aut laboriose quæsitam incidere. *Reperiri* autem significat aliquid post extraordinariam adhibitam in quærendo diligentiam inuenire. *Reperio* enim deriuatur *à pario*, *Parere autem est cum labore aliquid in lucem prodere*, vti exponit Alexander ab Alexandro Neapolitanus Libri 1. dierum Genialium. Cum igitur Christus animam nostram, ouiculam suam per multas molestias, labores, sudores, & quasi proprios dolores, partus, imo per infamem crucis mortem quæsiuerit, sicque quæsitam inuenerit, videtur quod non debuerit dicere: *Inueni ouem meam*, quasi vero casualiter & fortuito nulla prorsus adhibita industria illi occurrerit, sed potius, *Reperi ouem meam.* S. Bernardinus ad hoc serm. 51. qui est in Fer. 2, Dom. Palmarum ante Art.1, respondet: *Reputat inuentionem, quasi nihil æstimans quicquid dedit pro eius inuentione, & in hoc ostendit immensum amorem, quem habuit erga hominem, Fer.2, Pascha consid.1. per totam præcipue num. 9.*

THEMA 3.

Gaudium est in cælo pro vno peccatore Pœnitentiam agente Luc.15.v.8.

Vetustissimus Origenes *Hom.23 in Numeros* ex hoc præmisso Themate hanc elicit cōsequentiam: *Si ergo gaudent pro conuerso, necesse est vt lugeant pro peccante.* Et vere ita est. Nam licet Angeli vtpote beati, dolore affici nequeant, tanta nihilominus hominem affectione prosequuntur, vt de malis quæ homini accidunt, mœstos atque dolentes se exhibeant, *F.6.post Dom.2, quadr.consid.2, per totam.*

Dominica 4. post Trinitatem.

THEMA. 1.

Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est. Luc.6.v.36.

Eleemosyna adeo mirabiliter Eleemosynarium exaltat vt illum ad sanctitatis statum euehat, & in cælo beatificet. Imo quod magis stupendum est, illum quasi Deificare videtur. *Fer.4, Cinerum Consid.2, per totū.*

THEMA 2.

Nolite condemnare & non condemnabimini. Lucæ 6.v.37.

Ad sustinendum & tolerandum continua & enormia hominum peccata, patientia humana nequaquam sufficit, qualiscumque illa demum sit; sed opus est patientia Dei, *Fer.6.post Dom.3, quadr.consid.3, per totam.*

THEMA 3.

Dimittite & dimittetur vobis, Luc.6.v.37.

Quemadmodum cor odio inimicum prose-

prosequens, non humanum sed ferinum est, ita inimicum suum diligens, non tantum amissam formam recuperat, verum insuper Angelicum apparet esset diuinum *Fer. 6. post Cineres.con.1, per totam.*

Sicuti homo per vindictam monstrosas adeo manus sibi adscisit, vt bestiales esse videantur & diabolicæ: ita qui erga inimicos suos beneficus est, non solum ad pristinam illas formam reducit, sed ipsas Angelicas quoque facit esse & diuinas, *F. 6. post Cineres con. 2, per totam.*

Sicuti lingua quæ aduersus inimicum laxatur, inhumana est & bestialis, sic dum inimici seruitio impenditur, non solum esse reacquirit humanum, verũ insuper in Angelicam & diuinam se linguam transformat, *F. 6. post Cineres con 3, per totam.*

Dominica V. post Trinitatem.

THEMA 1.

Innuebant sociis qui erant in alia naui, vt venirent &c. Luc. 5, v. 7.

Merito hic inuestiganda est causa, cur S. Petrus & alij, qui cum ipso erant, cum in trahendis ad littus captis piscibus, sociorum ope indigerent, eosdem non inclamarint inconditis clamoribus vti piscatores assolent, aut saltem cur auxilium illorum, non verbis, sed manuum nutibus tantum implorarunt? Num forte hi muti erant, aut illi surdi vt proinde vocibus nequicquam iuuantibus, ad nutus confugerint. *Innuebant sociis.* Dionysius Carthusianus *Circa hunc locum* inquit, id ex neutra harum causarum accidisse, siquidem & illi loqui, & hi quoque audire poterant, sed ideo eos solis manuum nutibus vsos fuisse: *quia præ Iesu reuerentia vix loqui audebant.* Nam optime nouerant, quadem homines venerationem & reuerentiam illi loco debeant, in quo Deus vere præsens est. *Fer. 2. post Dom. 4, quadr. consider. 3, per totam, præcipue num. 4.*

THEMA 2.

Exi à me, quia homo peccator sum, Domine, Luc. 5, v 24.

Iansenius Episcopus Gandauensis quærit, cur S. Petrus Christum rogarit, vt ex sua se societate reciperet, cum potius peccatorem se agnoscens, ipsum vltro abiturientem, rogare debuisset, vt maneret, eidemque cũ Dauide Psal. 37. v. 22. dicere: *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me?* Et respondet *in commentario huius loci,* dicens: *Metuit ne ob commercium indignitatis suæ cum sanctitate Domini, vindicta sumeretur iniquitatum eius à Deo.* Dominica 5. *Quadragesimæ consid. 1, per totam, præcipue num. 3.*

THEMA 3.

Cum turbæ irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei. Luc. 5, v. 1.

Maximo cum desiderio & auiditate, à nobis excipi & audiri debet verbum Dei, vtpote quod est instrumentum maximorũ bonorum, quæ in hac vita possunt desiderari *Fer 2, Pascha consid. 3, per totam.*

Dominica 6. post Trinitatem.

Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Matt. 5, v. 20.

THEMA 1.

Iustitia Pharisæorum erat curare exteriora corporis, interiora animæ negligere, cuius contrarium Christus fecit, & faciendum hoc in Euangelico docuit, qui corporalia obiter tantum, & per transennam curabat, animarum vero nostrarum negotia summa cum sollicitudine & anxietate tractabat, adeoque ostendit maiorem merito animarũ quam corporum, interioris quam exterioris hominis curam habendam esse, licet nos cũ Pharisæis contrarium faciamus, *Fer. 4, post Dom. 4, quadr. consid. 1.*

THEMA 2.

Nisi abundauerit Iustitia vestra, &c.

S. Thomas Doctor Angelicus circa hunc locum dicit: *Iustitia Pharisæorum ac scribarũ erat in præsumptione actionũ suæ, ac in iudicio & detractione alterius, vt patet ex illo Luc.* 18. *Non sum sicut cæteri hominum, velut etiam hic Publicanus: Ieiuno bis in Sabbatho &c.* Atque ideo nisi quoad hoc punctum abundauerit iustitia nostra plusquam scribarum & Pharisæorum, non intrabimus in regnum cælorum. Nemo enim quoadusque viuit de iustitia sua præsumere, aut de salute sua propria assecurare se, aut proximum contẽnere debet. *F. 4, post D. 2, quadr. con 3. per totã.*

THEMA 3.

Vade prius reconciliari fratri tuo Matthæi 5, v. 24.

Vide circa hunc locum tres Consid. de amore inimicorum & vindicta cauenda, F. 6, post cineres.

Do-

DOMINICA 7. Post TRINITATEM

THEMA 1.

Vnde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine. Marci 8. v. 4.

Iansenius *Concordia sua Euangelica cap. 57.* miraculum istud bene considerans, causam inquirit, cur animarum nostrarum Saluator nobile istud miraculum in deserto patrauerit, non vero in locis ab hominibus inhabitatis, in ciuitatibus nimirum, oppidis, pagis, villis, aut similibus alijs locis? Eandemque hisce verbis assignat: *Dominus hoc miraculo significare voluit, ijs qui sibi adhærent, etiam in deserto nullum necessariorum bonorum defuturum, Fer. 2 post Dom. 5 Quadrag. Considerat. 1. per totam præcipue nu 5.*

THEMA 2.

Et præcepit turbæ discumbere super terram. Marci 8. v. 6.

Paulus de Palatio hunc locum obseruans dicit: *Igitur eorum pauci habebant vestes pretiosas, si enim habuissent, vix recumbere voluissent super terram.* Cur ita? Ratio est, quia communiter ij, qui hoc modo vestiuntur, sunt magni & superbi homines, qui non dignantur sedere nisi super sedes, vel in alijs locis honorificis Vnde ex pompa vestitus in superbiæ cognitionem facile deuenitur. Neque in hoc iudicio falli possimus, sumptuosa enim corporis vestimenta indices sunt vitiorum latentium in anima. *Dom. Palmarum Consid. 1. num 13.*

THEMA 3.

Et habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi. Marci 8. v. 7.

Nullam hic de perdicibus, Caponibus, Gallinis indicis, leporibus, cuniculis, alijsque id genus gulæ proritamentis mentionē fieri audis, talia enim mensa à Deo, qui intemperantiæ & gulæ iuratus hostis, sobrietatis vero & temperantiæ est summus, præparata prorsus nescit; Nec mirum gula enim omnis generis spurcities in animam hominis secum trahit, specialiter autem graueolens ac fœtidum morticinum carnalitatis. *Dom. 1 Quad Consid 1 & 2 per totas.*

DOMINICA 8. Post TRINITATEM.

THEMA 1.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Matt. 7. v 15.

In mundo tantus est falsorum Prophetarum seu traditorum numerus, vt nec Patres in filijs, nec filij in parentibus suis fidelitatem reperiant, *Fer. 6 post Do. 1 Quadrag. Consi. 2. per totam.*

Inter falsos Prophetas valde quoque perniciosi sunt Adulatores & parasiti, qui Diaboli potius quam homines dici merentur, *Fer. 4. post Do. 1. Quad Consi 1.*

THEMA 2.

Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum. Mat. 7. v. 21.

S. Vincentius Ferrerius *ser. 3. in Do 4 post Trinit.* hunc locum considerans, quærit, cur is qui Christo dicit, *Domine, Domine,* regnū cœlorum ingredi non possit. Et respondet, quod vt quis fiduciam habeat cœleste regnum subintroeundi, necessum sit lij *Domine* adhuc semel repetere, bis autem tantum repetitum non sufficiat. Primum *Domine* dicitur corde, secundum ore; Tertium opere. *Oportet vt quis recte credat corde, & confiteatur ore, quæ sunt duo illa Domine. Præter hæc duo autem tenetur insuper iuxta quod credit & confitetur, etiam operari;* Quam autem tertium illud Domine homini auaro sit difficile ostendit author *Fer. 5. post Do. 2 Quad Consid. 1. per totam. præcipue vero nu. 14.*

THEMA 3.

Qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Mat 7. v. 21.

Sicut Deo optime placent, qui suæ se voluntati accommodant, ita maxime displicent, qui id facere detrectant. *Fer 5. post Cineres Consid 3 per totam*

DOMINICA 9. Post TRINITATEM.

THEMA 1.

Fodere non valeo, mendicare erubesco Luc. 16 v. 3.

Glossa interlinearis hic ait: Per hæc verba denotari, quod *Post hanc vitam non est locus fodiendi compunctione terram animæ nostræ, ad ferendum fructum est tunc etiam confusibile mendicare vt fecerunt fatuæ virgines, imo inutile & impossibile.* Post hanc vitam enim non est tempus exercendi opera rigida & pœnalia pœnitentiæ, nec etiam mendicandi ac quærendi intercessiones ac præces Angelorum & Sanctorum; tunc enim homo mortali peccato decidens illis non adiuuabitur,

 & ideo

& ideo ait. *Scio quid faciam* In hac enim vita opera pœnitentiæ & misericordiæ sunt exercenda, vt illis homo mereatur æternam salutem. Nam diuina misericordia & peccatoris vita adeo stricto inter se vinculo connectuntur, vt vno eodemque tempore quo hæc extinguitur, illo quoque deficiat, diuinaque in eius locum iustitia subingrediatur. *F. 5. post Do 4. Quad. Consid. 2. per totam.*

THEMA 2.

Iam non poteris villicare. Luc. 16, v. 2.

Vere miser est ille qui in mundi huius fauoribus confidit, vtpote qui neminem exaltat, quin eundem quoque subito deijciat & & præcipitet. *Do 4. Quad. Consi. 3. per totam.*

THEMA 3.

Quid audio de te? Lu. 16. v. 2.

His verbis summa villici huius ingratitudo taxatur, vitium nimirum homine indignum, quod hominem bestia deteriorem efficit *Fer. 6 Do 5. Quad. Consi. 1. per totam*

DOMINICA 10. Post TRINITATEM.

THEMA 1.

Videns Ciuitatem fleuit super illam dicens: Quia si cognouisses & tu Lu. 19. v. 41.

Quid sibi vult hoc, quod dicit *Et tu?* Vrbanus IV. hunc locum *in Comment. in Psal.* 50. considerans, vult hoc pronomen *Tu*, respicere verbum illud *fleuit* superius positum Opinaturq; insuper hic Pontifex Christum tunc sub vrbis Hierosolymitanæ symbolo animam respexisse & deplorasse peccatoris; eaque verba quæ Christus de ciuitate illa dixit, intelligenda esse, veluti de eadem anima dicta: *Olim in diebus carnis tuæ, sub figura illius materialis Ierusalem vidisti ciuitatem animæ meæ, & cognoscens iniquitatem meam compatiendo fleuisti super eam dicens: si cognouisses & tu iniquitatem tuam fleres.* Volens per hoc innuere, quod si homo peccator apertos haberet oculos, possetque cognoscere, quam turpis sit & deformis, sicut id videt & cognoscit Deus dissimulare nequaquam statū suum posset, quin potius ad diluendam horrendā illam vultus sui turpitudinem fleret & faceret pœnitentiā *Dom. 3. Quad Consi. 3 per tot.*

THEMA 2.

Videns ciuitatem fleuit super eam. Lu 19. v. 41.

Dionysius Carthusianus in hunc locum dicit: *Videns Iesus Ierusalem eiusque pulchritudinem exteriorem defleuit ipsius culpam & pœnam, non tam temporalem quam æternam.* Hoc enim mundanos inter & iustos discrimen interuenit, nam illi mala pœnæ, hi vero culpæ noxia deplorant; maioremque habent offensæ diuinæ formidinem, quam mortis vel Inferni. *Fe. 6 post Do. 4. Quad. Con 3 per tot.*

THEMA 3.

Et ingressus in templum cœpit eijcere vendentes in illo & ementes, Luc. 19. v. 45.

Tanta est eorum culpa, qui sacra templa prophanant, quam ingens ea quam erga eadem meritò exhibere debent Reuerentia. *Fer. 2. post Dom. 4 Quadrag Consid. 3*

DOMINICA 11. Post TRINITATEM

THEMA 1.

Publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare &c. Lu 18. v. 13.

Sicut magnes ferrum ad se trahit, ita humilitas attrahit sibi gratias cœlestes. *Feria 5. Dom. 5 Quadrag. Consider. 2 per totam præcipue num. 12.*

THEMA 2.

Idem cum præcedenti.

Sol gratiæ diuinæ qui peccati tenebras dispellit post ortam in peccatore verecundiæ de peccatis commissis auroram, in eodem nasci non tardat. *Fer. 5. post Dom. 5 Quad. Consi. 1, per totam.*

THEMA 3.

Deus gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum &c. Lucæ 18. v. 11.

Nemo quoadusque viuit præsumere, seque de salute propria assecurare debet, quippe qui in continuo suipsius perdendi versatur periculo. *Fer. 4 post Do. 2. Quadrag. Considerat. 3. per totam.*

Sicuti peccator quoadusque viuit damnatus existimari non debet, ita nec iustus præsumendus est saluus. Oculi namque nostri profunda diuinæ pruidentiæ iudicia penetrare minime possunt, *Fer. 4 post Domin 5. Quadr. Consid 2. per totam*

DOMINICA 12. Post TRINITATEM.

THEMA 1.

Et suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi Ephεta, quod est, adaperire Marci 7, v. 34.

Suspirium istud quod Christus muti illius sanationi præmisit, causam inquirere cogit, cur Christus non ingemuerit sanaturus Dæmoniacos, aut cæcos illuminaturus

rus

tus, & tamen muti huius linguam soluturus tam profunda duxerit suspiria. Ratio autem huius est quantum conjicere possunt, quia illuminatio oculorum, & expulsio Dæmonum magnum bonum dicunt, quod malum nunquam fieri potest; at vero linguæ expedita locutio non semper bona est, sed secundum quod homo lingua vtitur. Sicut enim homo nullum è Naturæ bonis habet quod lingua sit maius, dummodo eandem ad bonum applicet, ita quoque malum maius habere nequit, eadem lingua in malos vsus adhibita, *Dom. 3. Quadr in Exordio sermonis 19. & Consid. 2. eiusdem sermonis per totam.*

THEMA 2.

Bene omnia fecit & surdos fecit audire & mutos loqui Mar. 7. v. 37.

Miracula Christi signa siue sigilla erant Diuinitatis suæ quibus adeo perfectè infirmos sanabant, vt nunquam infirmati fuisse viderentur. *Fer. 6. post Dom. 5. Quad. Consid. 2.*

THEMA 3.

Et ait illi Epheta, quod est Adaperire. Marci 7. v. 34.

Verba Christi infirmis erant loco medicinæ efficacissimæ, videbaturque musicum quoddam esse instrumentum, quo omne malum ab homine pellebatur. *Fer. 2. Pascha Consid. 3.*

DOMINICA 13 Post TRINITATEM.

THEMA 1.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho & incidit in latrones. Luc. 10. v. 30

Rupertus Abbas lib. 3. cap. 1. Gen parabolam hanc considerans dicit hunc hominem fuisse Adamum; vultque insuper quod nisi homo iste descendisset, nunquam in manus latronum incidisset, intelligendo per descensum primi Parentis nostri superbiam, qua Deus esse prætendebat. *Nisi enim descenderet*, inquit, *non incidisset*, quia videlicet nisi mente superbiret, dati præcepti præuaricationem non incidisset. Enimuero hic paulisper sistamus, si placet. Non enim bene mihi loqui videtur Abbas ille Tuitiensis. Quid enim? Anne superbus ascendere vel descendere dicendus est? Exaltaturne an vero humiliatur? Certe perspicuum esse videtur illum exaltari, non humiliari, superbiæ namque proprium est extolli, & intumescere & ad sublimia conniti, nequaquam vero animo dejici. Psal 73. v. 23. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Quomodo igitur Rupertus vult Adamum superbiendo descendisse, cum potius ascendisse dicendus esset? Is hic Doctor haud secus ac si dubium illud præuidisset, mox subiungit dicens; *Namque ascendere vere descendere est, per illum enim ascensum superbi in Inferni labuntur abyssum. Fer. 4. Dom. 2 Quadrag. Considerat 2 per totam.*

THEMA 2.

Idem cum praecedenti.

Miser homo ille qui ex Ierusalem quæ latine Pacem significat, descendit in sensu autem allegorico illum innuit, qui ex pace qua fruitur, auctus & incrassatus, sese recipit, litibusque, processibus, & contentionibus in prædam cedit. Hic inquam lites & processus suos prosequendo, in manus incidit latronum. *Incidit in latrones.* Quinam sunt fures illi & latrones, in quos miser hic litigans incidit? *Idest*, inquit Hugo Cardinalis *in manus Aduocatorum*, qui hoc nomine appellantur ob animi sui cupiditatem &c. *Fer. 4. post Dom. 3. Quadrag. Consid. 3. per totam*

THEMA 3.

Vade & tu fac similiter. Lu. 10. v. 37.

Charitate erga proximum nihil repetiri potest pretiosius adeo vt pro ipsa merito omne bonum creatum deseri debeat, siue in cœlo illud sit, siue in terra. *Fer. 5. post Cineres Consid 1 per totam.*

DOMINICA 3. Post TRINITATEM.

THEMA 1.

Ite ostendite vos Sacerdotibus. Lu. 17. v. 14.

Sacerdos in mundo est viuum quoddam & verum filij Dei Iesu Christi Domini nostri simul simulachrum. *Fer. 5. post Dom. 2. Quadr. Consid. 3.*

De dignitate & præstantia ordinis Sacerdotalis, *Vide ibid. Consid 1. & 2.*

THEMA 2.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. 17. v. 12.

Peccatum quædam est animæ lepra cuius contagium omnibus adhæret, qui aliquod cum committente illud commercium habent. *Fer. 3. post Do. 3. Quad Consi. 3 per totam.*

THEMA 3.

Non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo. Luc. 17 v.

Homo ingratus non tantum bestia, verum etiam bestia deterior censendus est. *Fer. 6 post Dom 5. Quadrag. Consid. 1. per totam.*

Dominica XV. post Trinitatem

THEMA 1.

Non potestis Deo servire & Mammonæ. Matt. 6. v. 24.

Tam ingens est Zelotypia, qua Deus versus animas nostras ardet, vt nisi in earundem semper sit societate solus, nullam videatur habere requiem. *Fer. 1. post Dom 4. Quadr. Consid. 2. per totam.*

THEMA 2.

Nonne anima plus est quam esca? Matt. 6. v. 25.

Cum in salutis nostræ negotiis tam ingens merito adhiberi debeat diligentia, ut Christus qui bona nostra corporalia obiter tantũ & per transennam curabat, animarũ nostrarũ commercium tamen summa cum sollicitudine & anxietate tractârit, adeoque offenderit majorem merito animarum quam corporum curam habendam esse nos tamen omnino contrario modo nos habemus, facimusque contrariũ. *Fer. 4. post Dom 4. Quad. Consf. 1 per totam.*

THEMA 3.

Scit enim Pater vester quia his omnibus his omnibus indigetis. Matt. 6. v. 32.

Nisi temporalia bona nostra in Christi collocentur manibus impossibile est, alia quacunque via multiplicari possint. *Dom. 4. Quadrag. Consid. 2. per totam.*

Dominica XVI. post Trinitatem

THEMA 1.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7. v.

Facies mortis adeo est horrenda & terribilis, vt etiam viri sancti & perfecti, nedum peccatores mirum in modum expavescant. *Fer. 5 post Dom. 4 Quad Consid. 1. per totam.*

THEMA 2.

Idem cum præcedenti.

Qui in divinæ gratiæ statu ex hac vita migrant, nequaquam mortui, sed vivi dicendi sunt. Cujus contrarium infœlicibus peccatoribus illam accidit, qui etiam dum vivunt inter mortuos sunt numerandi *Fer. 5. Dom. 4. Quadr. Consid. 3 per totam.*

THEMA 3.

Idem.

Divina misericordia & peccatoris vita adeo stricto inter se vinculo connectuntur, vt vno eodemque tempore, quo hæc extinguitur, illa quoque deficiat. Divinaque in eius locum Iustitia subingrediatur *Fer. 5 post Dom 4. Quadr. Consid. 2 per totam.*

Dominica XVII. post Trinitatem

THEMA 1.

Si licet, sabbato curare? Lucæ 14. v 3.

Adeo ingens Christianorũ in sacrorũ festorũ celebratione abusus, vt hominũ potius & Dæmonum, quam Dei festa esse videantur. *Fer. 3 post Dom. 5, Quadrag. Consid 1. per totam*

THEMA 2.

Omnis qui se exaltat humiliabitur Lucæ 14. v. 11.

Dum ambitio hominem in altum extollit, non illum exaltat sed præcipitat *Fer. 4. Dom. 2. Quadr. Consid 2. per totam.*

THEMA 3.

Ipse vero apprehensum sanavit eum ac dimisit. Luc. 14. v. 4.

Magna Deus facere solet, ad hoc ut mundus nullum alium honores, aut adoret. *Fer. 2. post Dom 4. Quadr. Consid 1. per totam.*

Dominica XVIII. post Trinitatem.

THEMA 4.

In his duobus mandatis vniversa lex pendet, Matt. 21. v. 40.

Haymo Halberstadiensis Episcopus, dum vna ex parte observat Apostolum dicere ad Rom. 13, v. 8. *Qui enim diligit proximum legem implevit*: altera vero ex parte Christum in hoc Evangelio dicere Christianam legem non per solam proximi dilectionem adimpleri, nisi etiã Deus ex toto corde diligatur, dum dicit: *In his duobus mandatis vniversa lex pendet*; quærit cur Apostolus contra adductum Christi oraculum legis consummationem in solo proximi amore collocârit? Et pulchram dubio huic subnectit responsionem, dicens: *Quia in dilectione proximi consistit & dilectio Dei; neque enim proximus sine Deo, nec Deus sine proximo diligi potest.* Vnde qui proximum amant, excluso Deo, ut faciunt nonnunquam Pater & Mater & alii amici, qui ob immoderatum erga filios aliosque sibi dilectos conceptum amorem Deum offendere minimè curam, dicendos esse non amare sed potius odisse amicos & filios

filios suos, eorundémq; non amicos, sed pessimos persecutores & inimicos esse. *F.3, post D.5. C.1, per totam.*

THEMA 2.

Pharisæi autem audientes, quod silentium imposuisset Saducæis, convenerunt in unum. Matt.22.v.34.

Miracula quæ Christus patrabat, ipsum quidem verum Dei filium esse manifestabant, invidia autem quæ Hebræos excæcaverat ipsum Davidis filium, idest simplicem quendam & vulgarem hominem reputabat. *Fer.6 post Dom.5 Quadrag. Consid.1 per totam.*

THEMA 3.

Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei David Matt.22.v.42.

Causa ob quam mundani homines Deum & gratias illius nihili faciant, non est alia, quam ignorantia, qua laborant. Bonum enim quod non cognoscitur, nihili etiam æstimatur. *Fer 6. post Dom 3 Quadr. Cons.2, per totam.*

Dominica XIX. post Trinit.

THEMA 1.

Confide fili remittũtur tibi peccata tua. M.9 v.2.

Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis *q.24 in hunc locum* quærit, quare Christus hoc loco dixerit: *Remittuntur tibi peccata tua;* Non vero: *Ego remitto tibi peccata tua,* ipsiusmet enim erat qui veluti causa principalis peccata remittebat paralyti istius? Respondet autem: *Hoc fecit ex causa, scilicet ex humilitate, quia peccata remittere erat magna excellentia, & nolebat ore suo se laudare,* sic enim nimis evidenter verum se Deum esse demonstrasset. Hinc ergo sequitur, quod cum Sacerdos in administratione Sacramenti pœnitentiæ animam à peccatis absolvat, idque hisce verbis: *Ego te absolvo à peccatis tuis* sacerdotem esse quendam in terra Deum & vivum verumque filii Dei & hominis simulachrũ. *Fer.3, post Dom.2. Q. C.3, per totam.*

THEMA 2.

Confide fili remittũtur tibi peccata tua. M.9.v.2.

Gratia remissionis peccatorum quam Christus Dominus huic paralytico præstitit, extraordinaria, valdeque mira fuit, major utique quacunque corporis salute, imo gratia salutis animæ nihilo minor. Nihilominus ut bene notat Ioannes Episcopus apud S. Thomam Aquinatem in catena, paralyticus iste gratiam istam non tanti æstimavit, cũ enim se peccatis suis ab ipsemet Dei filio absolvi audiret, obligatusque esset infinitas in tanti doni recognitionẽ Christo referre gratias, ne quidem os suum, ut verbum aliquod diceret, aperuit. *Audit veniam, & tacet paralyticus, nec ullam rependit gratiam.* Tantæ autem ingratitudinis ulterius investigans causam, hanc invenit: *Quoniam plus corporis quam animæ tendebat ad curam.* Citius post acceptam pecuniam, quam post datam peccatorum veniam egisset gratias. *Multos habet æmulatores hoc tempore F. 4, post D.4, Q.C. 1, per totam*

THEMA 3.

Confide fili remittuntur tibi peccata.

Peccata per divinam duntaxat patientiam tolerari possunt, homines autem stomachũ ad illa digerendum aptum nequaquam possunt *Fer. 6. post Dom. 3. Quadr. Consid. 3, per totam.*

Dominica XX post Trinitatem.

THEMA 1.

Simile factum est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo &c. Matt.22, v.2.

Observandum est hoc loco, quod dum Rex ille hodierna parabola describitur, ad nuptias filio suo præparatas, alios invitans, homo Rex dicatur: *Simile factum est regnum cælorum homini Regi:* at vero quando postea eundem Regem se vindicare volentem proponit, qui adversus illos qui nuptiale convivium non solum contempserunt; sed etiam servos ad invitandum emissos occiderunt, acerbissima ira exarsit non jam illum deinceps hominem, sed Regem duntaxat appellet. *Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos &c.* Dic obsecro cur Rex ille prius appellatus fuerit homo & non postea? Glossa huius pulchram causam breviter assignat dicens: *supra homo, dum invitabat, & opera clementiæ agebat, nunc in ultione Rex tantum.* q.d. homini adeo proprium est benefacere iis à quibus mala recepit, ut dum contrarium illius facit, non jam amplius homo sed leo aliquis, qui Rex est bestiarum, esse existimetur. *In ultione Rex tantum F.6 post Cineres Considerat. 2 per totam.*

THEMA 2.

Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Matt 22.v.12.

Chrysostomus *Hom. 4. in Epist. ad Eph.* hunc locum

locum ponderans, divinè observat Regem non dixisse *cur discubuisti? sed cur intrasti? Neque enim ait; ut quid discubuisti? sed cur intrasti.* q. d. *Deus* non ideo tibi indignatus quod te honorifica carentem veste, splendidissimo huic convivio divinissimi nimirum Eucharistiæ Sacramenti symbolo accumbentē videat quam quod locum hunc, in quo admirabile mysterium istud apponetur, temerè ingredi præsumpseris. Tametsi enim incomparabiliter maior sit irreverentia eorum, qui animo coinquinato sacratissimam Christi mensam accedunt, quam eorum qui simili in dispositione templa frequentant, attamen zelus ille, quo *Deus* sacræ domus suæ honorem ardentissime prosequitur, effecit quod non tam sacræ mensæ contemptum, quam templo suo irrogatam irreverentiam respexerit, atq; puniverit. *F. 2. D. 4, Q. C. 3, per totā.*

THEMA 3.

Ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores; Ibi erit fletus &c.

Matt. 22. v. 13.

Impossibile est ut cui ligatæ sunt manus & pedes elevare semetipsum possit, hæc enim sunt membra quibus exterior repelli violentia potest; unde ligatæ manus & pedes in exteriores tenebras proiiciendi significant impossibile esse, ut qui labyrinthum Inferni semel fuerit ingressus, viam aut medium inde evadendi invenire possit. *Fer. 5. post. D. 2, Q. C. 3. per totam.*

THEMA 2.

Multi sunt vocati pauci vero electi. M. 22. v. 14.

Numerus eorum qui Christum sequuntur adeo exiguus, illorum vero qui *Dæmoni* adhærent, tantus, ut ob id Christus merito pauper, *Dæmon* vero dives sit æstimandus. *Fer. 4. post Dom. 1. Quadrag. Consid. 3. per totam.*

Dominica XXI. post Trinitatem.

THEMA 1.

Erat quidam Regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum, Ioan. 4. v. 46.

Nisi Deus armatis quasi manibus divites ad bene operandum urgeret, salvari quam difficillimè possint. *F. 3. post D. 4. Q. C. 3. per totam.*

THEMA 2.

Incipiebat mori. Ioan. 4. v. 47.

Adeo gravia & acerba sunt mala, quibus referta est præsens vita ut mors potius & infernus æstimari debeat, quam vita. *Fer. 6. post Dom. 4. Q. Consid. 2. per totam.*

THEMA 3.

Nisi signa & prodigia videritis, non creditis Ioan. 4. v. 48.

Deus ad misericordiam tunc magis est pronus, cum vehementius irascitur. *Fer. 3. post Dom. 1. Quadr. Consid. 2. per totam.*

Dominica XXII. post Trinitatem

THEMA 1.

Cum autem haberet unde redderet, jussit eum Dominus eius venundari &c.

Matt. 18. v. 25.

Abulensis *Quæst. 137. circa hunc locum* hoc Regis illius præceptum considerans, valde miratur & dixit: Cur Deus natura sua benignus & pius, adeo se huic pauperculo crudelem exhibet, ut tametsi ei constet, ipsum nihil habere, unde reddere possit, strangulare nihilominus ipsum velit, & una cum uxore & filiis haud secus ac mancipia divendi præcipiat, ut vel sic aliquam ab ipso extorqueat satisfactionem? Cur illius paupertati non compatitur; seu ex solita liberalitate sua omne ei debitum munificè non dimittit? Et respondet: *Ad incutiendum timorem hoc fecit; Erat enim benignus Rex, & videns debitum & impotentiam ipsius ad solvendum remittere voluit, & tamen noluit dimittere sic simpliciter, sed voluit, ut debitor hoc rogaret, ut haberet causam hoc faciendi, & ut debitor magis impelleretur ad rogandum ei incussit timorem.* Et per hoc significat, quod licet Deus ad gratiam præstandam semper promptus sit atque paratus, eandem tamen nunquam sit concessurus, nisi ex parte nostra aliquo saltē modo ea fuerimus digni. *Fer. 2. Dom. 3. Q. Consid. 3. per totam.*

THEMA 2.

Iussit eum Dominus eius venundari. &c.

Matt. 18. v. 25.

Merito quærat aliquis cur hic simul cum conjuge & liberis vendendus dicatur? Quod ipse jussus fuerit vendi, tanquam facultatum alienarum usurpator & dilapidator, id quidē rationabile erat; sed quod eidem miseriæ involui simul jubeatur uxor & liberi, id salva justitia fieri non potuit, Oleaster in Cap. 32. Isaiæ, dicit id justissimè factum fuisse, quicquid enim Domino suo furto surripuerat, id totum uxore & liberis suadentibus & cau-

fauti-

-mus fecerat. *Hac de causa*, inquit, *arbitror Regē serui sui, qui illi non erat soluēdo vxorē & liberos vendi præcepisse, quoniam nouerat horum gratia eum tot furta & debita commisisse.* Tantæ enim sunt mulierum superbarum vanitates, tam quoad se, quam quoad liberos vestiendos vt miseri mariti illas procurando magnis se debitis onerare cogantur. *Feria 3. post Dom. 5. Consid. 2 per totam.*

THEMA 3.

Procidens autem seruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

Matth. 18. v. 27.

Optarem hoc loco causam scire, ob quam Deus (quem Christus sub Regis symbolo intelligi volebat) adeo subito ex iracundo factus sit adeo clemens & benignus, vt id concedat, quod prudens aliquis non tantum impetratu, sed & postulatu impossibile dixisset, nempe remissionem debiti decem millium talentorum. Causa autē huius ex mente S. Ioan. Chrysost. *serm. 5. de fato*, non est alia quam quia seruus ille coram Domino suo prostratus plorauit, & lachrymas effudit: *Decem millia talenta debens, omnem facultatem Domini decoxerat &c. & quia solum plorauit, debiti illius remissionem inuenit.* ô miram lachrymarum vim & efficaciam. *Fer. 5. post Dom. 5. Quadrag. Consid. 3. per totam.*

Dominica 23. post Trinit.

THEMA 1.

Magister scimus quia verax es

Matth. 22 v. 16.

Adeo abominandum est adulationis peccatum, vt Diabolicum potius esse videatur, quam humanum. *Fer. 4. post Dom. 1. Quadrag. Consid. 1. per totam*

THEMA 2.

Non enim respicis personam hominum.

Matth. 22. v. 16.

Nihil vtilitatis præstabunt, qui animarum vacant saluti, ex motiuo interesse seu commodi proprij. *Fer. 3. post Dom. 3. Quadrag. Consid. 2. per totam*

THEMA 3.

Non est tibi cura de aliquo. Matth. 22. v. 16.

Rector passionatus maximus est Reipublicæ aut communitatis alicuius inimicus. *Fer. 4. post D. 3. Quadr. Consid. 1. per totam.*

Dominica 24. post Trinitatem

THEMA 1.

Non est enim mortua puella, sed dormit.

Matth. 9. v. 24.

Qui in diuinæ gratiæ statu ex hac vita migrarunt, nequaquam mortui sed viui dicendi sunt: cuius oppositum infelicibus peccatoribus accidit, qui etiam dum viuunt inter mortuos sunt numerandi. *Fer. 5. post Dom. 4. Quadrag. Considerat. 3. per totam.*

THEMA 2.

Et deridebant eum.

Mundus Dei seruos hic grauissimis malis & ærumnis onerat, quia videt quod hi malum pro malo reddere nec sciunt, nec volunt. *Dominica 5. Quadrag. Consid. 3. per totam.*

THEMA 3.

Non est enim mortua puella sed dormit.

Matth. 9. v. 24.

Tametsi breuissima sit vita hominis, ideoque nullus longam sibi diuturnamque vitam promittere possit, maxime tamen decipiuntur, qui cum insuper videant sæuum peccati carnificem illos à tergo insequentem, longos sibi nihilominus dies promittere ausunt. *Fer. 2. post Dom. 2. Consid. 1. per totum.*

Dominica 25. & vltima post Trinitatem.

THEMA 1.

Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum & stella cadent de cœlo, & virtutes cælorum commouebuntur Matth. 24. v.

Quodsi Creaturæ sensus expertes, & quæ nullam timendi causam habent, adeo ad diuinam præsentiam timent ac tremunt quantus igitur sceleratorum hominum coram irato Deo congregandorum timor futurus erit? *Fer. 2. post Dom. 1. Quadrag. Consid. 2. per totam.*

THEMA 2.

Cum virtute multa & Maiestate

Matth. 24. v.

Quodsi vnaquæque Maiestas terrorem coniunctum habet, facile conijci potest, quam terribilis futura sit Diuina Maiestas, quando mundum iudicatura sedebit. *Fer. 2. post Dom. 1. Quadrag. Consid. 1. per totam.*

 THE-

THEMA 5.

Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli. Matth. 24.

Cur in nubibus cæli ad Iudicium veniet? Rationem *Vide Dominica Resurrectionis consid. 1, num. 13. pro cuius expositione tota illa consideratio seruit.*

INDEX

CONCIONATORIVS QVO PRO FESTIS PER TOTIVS ANNI CIRculum occurrentibus Concionatoribus abundans subministratur dicendi materia.

Festum Circumcisionis Domini nostri Iesu Christi.

H*Abet Materiam suam in Indice pro Concionibus de tempore quem vide.*

Festum Epiphaniæ Domini

Quæ in Indice pro concionibus de tempore.

Festum S. Andreæ Corsini Episcopi Fesulani Ord. Carmelitarum

THEMA 1.

Homo quidã peregrè proficiscens vocauit seruos suos & tradidit illis bona sua. Matt 25. v. 14.

S. Ioannes Chrysost. *Hom. 53 in hunc locũ,* obseruat in prædictis verbis insinuari, Christum ab eo tempore quo peregre profectus est in cælum, ibidem non veluti ciuem & inquilinum, sed veluti peregrinum & aduenã commoratum fuisse, & etiamnum commorari. At vero dicat aliquis, qua ratione fieri potest, vt Paradisi Rex in Paradiso aduena sit & peregrinus, cum Paradisus vera ipsius & naturalis sit patria. Respondet S. Doctor: *Ad regna cælestia ascensurus, & ad Patrem suũ iturus vnde descenderat, peregrè se iturum dicit, propter Charitatem sanctorum quos reliquit in terra,* quasi dicere vellet: tametsi Cælum vera sit Chisti patria, vnde in hunc mundum descendit, attamen discessurus ex hoc mundo ad cælum, se ibidem peregrinum fore dixit, idque propter amorẽ quo erga sanctos suos afficitur, quos hic in terris relinquere necessario debebat, *F 2, post D. 4, quadr. consid. 1, per totam præcipue num 9,*

THEMA 2.

Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus Ad Galath. 2. v. 20.

Quis S. Paulum hoc modo loquentẽ audiat, & non subito dicat verba illa paradoxa esse & contradictionem inuoluere? Si enim ipse erat is qui viuebat, quomodo ipse non erat, sed alius? soluit hanc difficultatem sanctissimus Pontifex Innocentius III. & dicit: *Profecto potest dicere, non sum qui fueram, quia videlicet non est talis in culpa, licet idẽ sit in Natura* Habet enim vera, syncera, cordialis cõuersio, quod hominem in aliũ transformare soleat quam ante sub peccati statu esset, qui proinde *Potest dicere Non sum qui fuerã.* Vere idẽ dicere potest S. Andreas Corsinus vtpote qui ex lupo qualẽ se vterũ gerens mater portare se viderat, in Agnũ mitem & mansuetũ miraculose fuit transmutatus. *Fer. 5, post Dom. 3, quadr. consid. 2, per totam.*

Deus tam fortis est Ecclesiæ suæ protector, vt illam non tantum ex ore lupi, sed etiam per ipsummet os luporum quales fuere S. Paulus & Andreas Corsinus) eruat atque defendat, *F. 6. post D. 1, quadr. consid. 3, per tot.*

THEMA 3

Qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino

Mirabilis illa metamorphosis qua S. Andreas ex lupo factus est agnus suum à B. Virginis pio cultu & deuota veneratione habuit exordium: Nec mirum: impossibile enim est vt qui sub vmbra protectionis magnæ Dei matris viuit aliquã pati corporis & animæ necessitatem possit, *Sabb. post Dom 2. quadr. consid. 1, por totam.*

Festum Purificationis B V. Mariæ

THEMA 1.

Homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus, Luc. 2, v. 25.

Arias Montanus loco eius vbi nos cũ vulgata legimus *Timoratus,* ex Græco legit, *Religiosus,* Vnde *Timoratus,* idem est quod *Religiosus.* Cur autem hæc duo nomina ita confundantur in significatione sua. Ratio est, quia timor Religionem in hominem, nec non & verum Dei cultum & venerationem introducit, facitque vt cognoscamus, honoremus & adoremus Deum, Mox enim vt

homo

homo Deum timet, illum quoque subito honorat & adorat; & nisi homines essent timorati, pauci quoque deuoti essent & religiosi, *Fer, 6 post D. 2, quadr. consid. 1 præcipue vero num 8,*

THEMA 2.

Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Luc. 2. v. 29.

Vide Fer. 6, Parasceues consid. 4, num. 10.

THEMA 3.

Ecce positus est hic in signum cui contradicetur. Luc. 2 v. 54.

Vide Fer, 3. post Dom. 5, in Exordio, Item considerationibus 1 2, & 3. per totas

THEMA. 4.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc, 2. v. 35.

Vide Fer 6, Parasceues consid. 12, per totam.

THEMA 5.

Pulchra vt luna, electa vt sol.

Tametsi B Virgo purificationis Mosaicæ se legibus subiecerit, ipsa tamen tanta puritate in corpore & anima sua refulsit, vt ne vel minimus in ea notatus sit defectus qui illam aut obscurarit, aut deturparit, *Sabb. post D. 1, quadrag. consid. 2, per totam.*

IN FESTO

S. MATTHIÆ APOSTOLI.

THEMA 1.

Reuelasti ea paruulis.

Apostoli appellātur paruuli ob suā humilitatem. Ne igitur mirū tibi videatur, quod tot sese gratiis dignos reddiderint, siquidē tali virtute erant instructi, qua fortis quidā gratiarum magnes existit, *F. 5. D. 5, consid. 2, per totam.*

THEMA 2.

Venite ad me omnes qui laboratis.

Non dixit: Qui quiescitis, quia nullus sine labore cælum introibit aut Christum inueniet, *F. 3, Pasch. c. 2, per totam.*

THAMA 3.

Iugum enim meum suaue est.

Tametsi crux grauis fuerit, suauis tamen appellatur propter amorem, qui fecit vt Christus tormenta sua haud secus ac aliquod magnæ lætitiæ obiectum acceperit, *F. 2, Pasch. c. 2, per totam.*

IN FESTO

S. Cyrilli Constantinopolitani Conf. & Doctoris

Ord. Carmelitarum tertij Generalis.

THEMA 1.

Vos estis sal terræ.

Doctores sunt sal terræ, quia homines spiritualium æternorumque bonorum edocēt pretiositatē & præstantiā, sine qua scientia nec Deus, nec illius diuitiæ alicuius æstimarentur, bonū enim incognitum, non æstimatur, *F. 6, D, 3, c 1, per totam.*

THEMA 2.

Vos estis lux mundi.

Sancti enim Doctores, vtpote qui apparent ac si non essent in terra, sed ad instar syderis alicuius cælestis à terra eleuati, nō homines, sed Angeli & Dij quidam esse videntur. *F. 2, D. 5, c. 2 per totam.*

THEMA 3.

Luceat lux vestra coram hominibus.

Virtutis valor adeo est admirabilis vt non tantū coram oculis humanis resplendeat, & radios suos longe lateq; vibret, verū etiam in ore eorum qui illam vituperant & persequuntur, *F. 3, D 4, c 1, per totam.*

IN FESTO

S. Thomæ De Aquino Confessoris & Doctoris.

THEMA 1.

Tu Cherub extentus & protegens & posui te in monte sancto Dei. Ezech. 28. v. 14.

Doctores sancti & sacerdotes sunt veluti totidem Angeli Dei, quibuscum Deus Ecclesiam suam ad similitudinem Paradisi decorauit, *F, 3, D. 2, c. 2 per totam.*

THEMA 2.

Hic magnus vocabitur in regno cælorum.

Merito S. & Angelicus Doctor S. Thomas magnus vocatur summoque in honore habetur in Ecclesia Dei quæ vt S. Gregorius exponit per regnū cælorum intelligitur. Hic enim magna sua sapientia qua Ecclesiam illuminauit, effecit vt nunc mysteria Diuina tanto maiori in reuerentia habeantur quāto magis ex Doctrina sua incredibili & aureis libris suis cognoscuntur. Bonū enim quod non cognoscitur, nihili æstimatur. *F. 6, D. 3, c. 2, per tot.*

THEMA 3.

Vos estis sal terræ.

Sal maius corruptionis aut infatuationis periculum non patitur, quam vbi nascitur. Nisi enim inde alio transferatur, atque aut sole aut ignis moderata virtute excoquatur & consolidetur facile resoluitur & euanescit;

cit. Neç S. Thomas maius infatuandæ vocationis & salutis periculum sustinuit, quā inter cognatos & parentes à quibus natus est. Atque ita communiter omnibus euenit Parentes enim & amici sunt maximi hominis inimici quos habere potest. F.3, D.5, c.2, *per totam*.

IN FESTO
S. Gregorij Magni Conf. & Doctoris Eccl.

THEMA 1.

Vos estis sal terræ.

Sol est amicitiæ symbolum atque concordiæ, quæ homines indomabiles reddit. Cum igitur sancti sint sal quidam mysticus mirādum nequaquam est quod inuicti quoque exstant, F.3, *Pasch. c.1, per totam*.

THEMA 2.

Vos estis lux mundi.

In morte hominis alicuius sancti homines veluti sole destituti remanent, & consequenter valde miseri. Maior enim infælicitas mundo accidere nequit, quam si moriatur aliquis verus Dei amicus, *F.6 post D. 4, quadrag. consid. 1, per totam*.

THEMA 3.

Luceat lux vestra coram hominibus.

Homines iusti sunt lumen quoddam inextinguibile, adeo vt etiam mortui viuere comperiantur, ad modum contrarium illius quod peccatoribus euenire consueuit, *Vide F.5, D.4. c.3, per totam.*

IN FESTO
S. Euphrasiæ virginis Ordinis Carmelitarū.

THEMA 1.

Qui gloriatur in Domino glorietur.

Tametsi S. Virgo Euphrasia ex nobilissimo generata sit sanguine, vtpote proxima Theodosius senioris Imperatoris consanguinea, prudenti tamen consilio atque diuino collustrata lumine libenter Maiestatem, Diuitias, & pompam Cæsaream cū Euangelica paupertate, purpurā cum cilicio, Mundū cum claustri solitudine, denique cognationem Theodosius cum spirituali Beatissimæ Virginis MARIÆ de monte Carmeli affiliatione commutauit. Vere enim miser est ille, qui in quibuscunque mundi confidit honoribus, fauoribus, vanitatibus, vtpote quo neminem exaltat, quin eundem quoque subito deijciat atque præcipitet, *Dom. 4, c.3, per totam*.

THEMA 2.

Despondi enim vos vni viro Virginem castam.

Vere sponsæ spirituales quales fuit sancta & illibata virgo Euphrasia nostra, desponsæ sunt *vni viro* id est *viro valde zelotypo*, qui in eius amore nullius tertij tolerare potest cōsortium? Num zelotypiæ suæ aliquid videre cupitis experimentum? Hæc tanta est, vt nisi semper sine intermissione in earundem sit societate, nullam inuenire videatur requiem, *F.2, D.4, c.2, per totam*.

THEMA 3.

Accinxit fortitudinem lumbos suos, & roborauit brachium suum.

Fortitudo huius sanctissimæ virginis in continua lucta & pugna cum *Dæmone* eluxit, qui tot eam congressibus, tot tentationibus impetiuit, vt vel in ipsa sola manifestum sit, tantum esse odium *Dæmonis* in hominem, vt maius habere gaudiū nequeat, quam videre illum angustiatum, nec maius sentire possit tormentum, quam dum illum affligere non valet, *Dom. 3. consid. 1, per totam*.

IN FESTO
S. Iosephi Nutritij D.N. IESV Christi

THEMA 1.

Inuenta est in vtero habēs de spiritu sancto

Sapienter diuinam sponsam Deiparam iudicauit, obseruauerat enim res virginis à diuina gratia ita esse dispositas, vt Natura nullas illi applicuisse manus videretur, *Sabb. D.5. c.1, per tot.*

THEMA 2.

Et nollet eam traducere

Noluit illam diffamare, præcipue per linguam, vtpote certo sciens detractionem vitium esse adeo horrendum, vt qui illud exercent, faciem *Dei* difficulter sint visuri, *F.3, D.5, c.3, per totam.*

THEMA 3.

Pariet filium.

Non dixit. Pariet tibi, Gabriel namque sciebat Deiparam non esse parituram Christum pro particularis alicuius personæ auxilio, sed pro salute totius mundi, vtpote quæ cunctorum est Patrona & aduocata, *Sabb. D. 3, consid. 3. per totam.*

IN FESTO
S Benedicti Abbatis.

THEMA 1.

Ecce nos reliquimus omnia.

Bona quæ pauperes terrena relinquendo acquirunt, adeo sunt magna, vt si diuitibus sanum esset cerebrum, hæc illis inuidere merito possent, *F.4, D.4, c.3, per totam.*

THEMA 2.

Centuplum accipit.

Impossibile est vt bona nostra alia via multiplicentur, nisi in Dei manus collocentur, *Dom.4, c.2, per totam.*

THEMA 3.

Et vitam æternam possidebis.

Quia videlicet huius mundi bonis renuntiabit, quæ nihil omnino sunt cum diuitiis comparatæ cælestibus. Vnde perspicue videtur, quam facilis sit vitæ æternæ comparatio, quæ pro nihilo datur. Verissimum igitur illos duntaxat non saluari, qui saluari prorsus nolunt, *Dom. Palmarum con 3. per totam.*

IN FESTO
Incarnationis verbi.
Siue
Annuntiationis B.V MARIÆ.

THEMA 1.

Nomen virginis Maria.

Hoc est *Domina*: Quia videlicet ipsa sola Deum domare & domesticare, ipsumque pium, benignum, & clementem reddere potest, cum certum sit Diuinam pietatem & clementiam partum esse Virgineæ pietatis Deiparæ *Sabb D.3, c.1, per totam.*

THEMA 2,

Paries filium.

Dignitatis matris Dei est quoddam Non plus vltra Diuinæ omnipotentiæ, *Sabb. D.3. c.2, per totam.*

THEMA 3.

Ecce Ancilla Domini.

Profunda B. Virginis humilitas manifestata fuit in cælo à Deo per amictum solis, calceos lunæ, & coronam stellatam, *Sabb. D. 4, c.3, per totam.*

IN FESTO
S. Bertholdi Confessoris
Ord. Carmelitarum Generalis.

THEMA 1,

Quid ergo erit nobis?

Difficilis est quæstionis huius resolutio, si de superioribus qualis inter Apostolos S. Petrus, in sacro Carmelitarum Ordine fuit S. P Bertholdus. Non enim de ipsis æque cathegorice, ac de cæteris Apostolis, respondeti potest: *Vos &c. vitam æternam possidebitis*, nam pauci ex superioribus saluantur. *Vide Sabb. D.1, Quadrag. c. 1. num.5.* idque quia pauci admodum sunt qui singulis boni Prælati conditionibus rite atque legitime respondeant, vnde non ea ipsorum apud sanctos est contemptibile *Dom.4, c.3. nu.6.* Conditiones autem illorum *Vide F.5, D. 3, c. 2, num.6, & F.4, D.3, c.1, per totam, & ibidem c.2, per totam. Et Ibidem c. 3, per totam. Et F.5, D.3, c.1, num.4, Et F.2. D.4, c.3, num. 10.*

THEMA 2.

Ecce nos reliquimus omnia.

Hæc quæ ab Apostolis & religiosis relinquuntur cum merito vitæ æternæ possidendæ vtique dantur pauperibus, vt sic adimpleatur consilium Christi dicentis: *Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Vnde mirum non est, si talibus Christus hic centuplum promittat, & in sæculo futuro vitam æternam. Hoc enim quod datur pauperibus, ob præmium quod inde recipitur, ijsdem non donatur liberaliter, sed venditur, *Dom. 5, c.2, passim per totam.*

THEMA 3.

Sedebitis & vos super sedes duodecim.

Num causam nostis, cur Lucifer vnus ex primis illis Seraphinis qui in cælo sunt, inde fuerit eiectus, atque in Inferni abyssum præcipitatus? Isaias dicit id factum esse quia in Cælis sedere voluit. *Sedebo in monte testamenti: Veruntamen in Infernum detraheris in profundum laci.* Verum dicat aliquis, quidnam mali in eo latet, quod lucifer in cælo sedere voluerit. Nunquid Christus Apostolis suis in cælo sedes promisit: *Sedebitis & vos super sedes duodecim* cur non similiter Angeli ibi sedere poterunt?

Respondeo quod si Dæmon post aliquos exantlatos labores in cælo sedere quæsiuisset, nunquam prætensio ipsius vlla ex parte iudicata fuisset culpabilis: sed vt Hugo Cardinalis inquit, *priusquam laborauerat iam in Cælo sedere cupiebat, ideoque è cælo expulsus fuit vt in Inferni abysso æternum laboraret.* Vnde Lucifer qui prius volebat quiescere quam laborasset, expulsus

sus est in locum vbi perpetuo laborabit. Nulli in cælo aliqua indulgetur sedes aut requies, qui suos pro illa non prius sustinuerit labores, ideoque ob ausum suum adeo temerarium perpetuo & vituperose à cælo fuit proscriptus. Porro si Christus discipulis suis & S. Bertholdo in cælo sedendi beneficium promisit, id mirum non fuit, fecit enim istud, quia ipsos in hac vita multum laboraturos esse cognouit; Deus enim gratias & fauores suos non nisi laborantibus conferre consueuit. *F 2. D. 3. c. 3. per totam.*

IN FESTO
S. FRANCISCI DE PAVLA
THEMA 1.
Nolite timere pusillus grex.

Grex Christi adeo est paruus & modicus, ingens autem & frequens grex Dæmonis, vt Christus ob id merito pauper, Dæmon vero diues æstimari possit, F. 4. *D. 5. c. 3. per totam.*

THEMA 2.
Amen dico vobis quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis mihi fecistis.
Matth. 25. v. 40.

S. Iohannes Chrysostomus Hom. 27. in Matth hanc magnam Christi promissionē obstupescens, interrogat Christum, dicens: *Quid tibi magni ô Domine dedit qui minimum donum minimo dedit (neque enim minimis magna donari solent)* quod diuina tua Maiestas tali promittat, imo iuret tale donum tā ingenti præmio recompensare, quale est Regnum cæleste? Et respondet: *Non enim quia aliquid est quod dat, aut aliquis cui datur, ideo habet mercedem sed ob id quia magnus est propter quem dat;* qui adeo munificus est & liberalis, vt modica magnifice retribuere consueuerit. *F. 6. D. 3. c. 1. à n. 1. vsque ad n. 6. exclusiue.*

THEMA 3.
Vbi enim est thesaurus vester, ibi & cor vestrum erit.

Illi enim qui bona sua pro regno cælorum consequendo erogarunt non homines sed Dij esse videntur. F. 4. *D. 4 c. 3 n. 7. & seq.*

In Festo Lanceæ & Clauorum
THEMA 1.
Lancea latus eius aperuit.

Non Hebræus lictor, non lancea & claui, sed amor carnifex ille fuit, qui filium Dei vulnerauit & occidit. *F. 6. Parasc.* *Considerat. 1. per totam.*

THEMA 2.
Et exiuit sanguis & aqua.

Nunquam inter homines visus est adeo prodigus bonorum suorum dissipator, qualem se Christus eo præcipue tempore exhibuit, quo Crucem, clauos, & lanceam operiebatur. *F. 6. Parasc. Consid 3. per totam.*

THEMA 3.
Crucifixerunt eum.

Nullam Hebraica crudelitas viam prætermisit, qua sese contra filium Dei per inaudita exempla non armarent, sibique de Martyrio filij Dei complete & ad satietatem vsque non satisfacerent. *Fer. 6. Parasceues consid 4 per totam.*

In Festo SS. Apostolorum Philippi & Iacobi.
THEMA 1.
Non turbetur cor vestrum.

Nihil adeo timere debent homines, maxime cum de Dei honore agitur, quam ne homines timeant. *Fer. 4. post Dom. 4 Quadrag. Consid. 2. per totam.*

THEMA 2.
Qui credit in me opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.

Amicus Dei adeo super alios homines sublimatur, vt non homo, sed Angelus, imo Deus quidam esse appareat. *Fer. 2 post Dom. 5. Quadrag Consid. 2 per totam.*

THEMA 3.
Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam.

Ad signum vel scopum gratiæ, quæ à Deo postulatur, in oratione sua male collimat, qui in oratione sua non se humiliat. *Fer. 5. post Domin. 1. Quadrag. consid, 2. per totam.*

In Festo Inuentionis S. Crucis
THEMA 1.
Tunc parebit signum filij hominis in cælo.
Matth. 24. v 30.

Quo fine obsecro Crux in cælum, à quo omnis Crux exultare merito deberet, collocanda & conspicienda erit? Respondet Paulus de Palatio ad hæc verba assumpti Thematis: *Crux apparebit in cælo vt notetur Cælum deberi Cruci.* Nemo enim cælestis beatitudinis melle in cælo perfruetur, nisi prius in hac vita cum Christo in Cruce aduersitatis felle potatus fuerit. *Fer. 3. Pascha. Consid. 2. per totam.*

THE-

THEMA 2.

Imposuerunt illi Crucem Luc.23 v.26.

Christus haud dubie vario mortis genere occumbere poterat, nimirum decollari cum S. Ioanne Baptista, præcipitari exalto cum S. Iacobo, aut cum Stephano lapidibus obrui, nullum tamen mortis genus ex his eligere voluit, sed in Cruce mori elegit. Cur obsecro? Ratio autem huius assignari videtur ab Isaia cap.59.v.1. vbi dicit id factum esse, vt *Non sit abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat.* q.d. Ideo Crucifixus est vt in Cruce manus eius extensæ sint ad leuandum & dandum *Fer.6. Parasceues Considerat.3.num.5.*

THEMA 3.

Factus est obediens vsque ad mortem mortem autem Crucis ad Philipp.2 v.8.

Crux Christi adeo est grauis & ponderosa vt alijs quam Christi humeris portari nequeat. *F.6. Parasc. Consid.8.per totam.*

Videri etiam possunt Themata pro festo SS. Trinitatis adducta; hæc enim tangunt Euangelium quod in hoc quoque festo legi solet

In festo S. Angeli Hierosolymitani Martyris gloriosissimi Ord. Carmelitarum.

THEMA 1.

Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis Apocal.7.v.2.

Gloriosus hic Martyr merito Angeli nomen accepit, quia Angelus fuit vita & moribus; Qui autem tales sunt, adeo à Deo sublimantur, vt non homo, sed Angelus, imo Deus quidam hic in terris appareant *Fer.2. post Dom.5. Quadrag. Consid.2.per totam.*

THEMA 2.

Idem cum præcedenti.

In Martyrio quod Berengarius Tyrannus gloriosum hunc Martyrem crudeliter affecit, ipse se Diabolum quendam, Sanctus autem hic Martyr verum se Angelum esse demonstrauit *vide Fer.6. post Cineres Consid.2. & 3 per totas.*

THEMA 3.

Viderunt faciem eius quasi faciem Angeli. Act.6.v.15.

Sicut vultus S. Stephani pro Christo morientis videbatur Angelicus esse: Ita Angelus ex vulneribus pro castitatis & pudicitiæ defensione susceptis moriens vere visus est Angelicus. Talis enim quisque est in morte, qualis in vita fuit. *Fer.2. post Dom.2 Quadrag. Consid.3 per totam.*

THEMA 4.

Propterea odit vos mundus quia de mundo non estis.

Maior homini peruerso, qualis incestuosus Berengarius fuit. Crux accidere nequit, quam sit ea quam ex sancti alicuius hominis societate aut conuersatione percipit. *Dom. 5. seu Passionis Considerat.1 per totam.*

In Festo B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ord. Carmelitarum.

Quam Vrbanus Papa VIII. *in Beatarum numerum Anno 1627. qui est 20. post eius obitum, retulit.*

THEMA 1.

Viuo autem iam non ego ad Galath.2.v.20.

Corpus huius Virginis adhuc viuentis sine anima esse videbatur, anima namque eius potius erat vbi amabat, quam vbi animabat. vnde cum S. Elzeario Comite Ariani dicere potuisset *Sana corpore sum & sospes, quod si videre me cupis, quære me in vulnere lateris Christi, ibi namque inuenire & videre me poteris.* F.4. *Cinerum Considerat.3.per totam.*

THEMA 2.

Lachrymis cœpit rigare pedes eius.

Pedes in corpore Christi mystico dici possunt sordidi peccatores, vtpote portio eius omnium infima. Hos B. M. Magdalena iugiter deplorauit, idque ex abundantia luminis, quo abominabilem peccatoris statū cognoscebat & penetrabat. Dicitur in Prouerbio: Qui caret lumine, caret flumine. Cum igitur cælestis luminis abundantia mentem eius irradiauerit, mirum non est, quod oculi eius sicut piscina in Hesebon lachrymis ex amore Dei & abominatione peccatorum elicitis continuo stagnauerint. *Dom.3 Quadrag. Consid 3 per totam.*

THEMA 3.

Habet clauum suum Charitas, habeat gladium suum. S. Ambrosius in Psal.118. octona.15.

Charitate vulnerata fuit *Fer 6. Parasceues Consid.1.num.8.*

THEMA 4.

Æmulor enim vos Dei æmulatione.

Magna Deus B. Mariæ Magdalenæ fecit, vt nullum præter ipsum amaret aut honoraret. *Fer.2. post Dom.4 Quadrag. Consid. 1. per totam.*

Virgines cæteræ nomen Dei in frontibus suis descriptum habent, B M. Magdalena autem loco eius verba aureis literis cordi suo inscripta habere visa fuit: *Verbum Caro factum est Fer. 2. post Dom. 5. Consid. 2. num. 12.*

In festo Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ.

THEMA I.

Antra deserti teneris sub annis, ciuium turmas fugiens petisti Ecclesia in hymno de S. Ioan Bapt.

Cur S. Ioannes in desertis syluis, & inter feras manere maluit. Videri enim nonnemini potuisset expedientius, si Ioannes se Christo Domino nostro conformaret, qui semper in ciuitatibus & inter homines est conuersatus? Verum vt inquit Paulus de Palatio inter homines conuersari, & habitare in ciuitatibus Christus quidem potuit, non tamẽ id potuit eius præcursor, cuius rei pulchram adducit rationem, in cap. 3. Matthæi scribẽs: *Quia in ciuitate sunt tot peccata, exiguum stomachum habet Ioannes ad hominum ferenda peccata. Porro Christus grandiori est stomacho.* Sola enim diuina patientia præualet vt erroribus & imperfectionibus nostris compatiatur. *F. 6. Dom. 3. Quadr. Consid. 3 per tot.*

THEMA 2.

Apertum est autem illico os eius & lingua eius & loquebatur benedicens Deum, Luc. 1.

Sicut lingua hominis ad bonum applicata nihil potest esse melius, sic eadem ad malum applicata aliquid deterius esse nequit. *Dominica 3. Quadrag Consid. 2.*

THEMA 3.

Quis putas puer iste erit?

Ioannes ab omnibus etiam inimicis suis, imo ab Herode qui eum decollauit, magnis laudum præconijs euectus est, ob sublimes virtutes & sanctitatem qua effulsit, virtutis enim valor & pretium adeo est ingens & ad mirabile, vt in ipsomet quoque inimicorũ suorum ore lumina sua diffundat. *Fer. 3. post Dom. 4. Quadrag Consid 1. per totam.*

In festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

THEMA I.

Quem dicunt homines esse filium hominis Matth 16. v. 13.

Christus vt ab Apostolis explicitam confessionem eius, quod interius de ipso credebant, eliceret, primo cæterorũ hominũ de se opinionẽ exquisiuit dicens: *Quẽ dicunt homines esse filiũ hominis?* Mox quoq; propriã illorũ opinionẽ scire poposcit: *Vos autẽ quem me esse dicitis?* vbi nõ immerito quæri potest: cur post perceptã hominũ de se opinionẽ Apostolos suos iterato de propria opinione interrogarit, quãdo prima sufficere poterat. S. Hierony. in Cõmentario huius loci dicit: *Prudens Lector attende quod ex contextu sermonis Apostoli nequaquã homines, sed Dij appellantur. Cũ enim dixisset: Quẽ dicunt homines esse filiũ hominis? subiecit: vos autẽ quẽ me esse dicitis? ac si dicat illis quia homines sunt humana opinantibus vos qui Dij estis, quem me esse existimatis? F. 2. Dom. 4. Quadrag. Consi l 2. n. 11.*

THEMA 2.

Tu es Christus filius Dei viui. Matt. 16. v. 14.

Videtur S. Petrus in hac responsione præiudicare dignitati Beatissimæ Virginis. Cum enim Christus in quæstione proposita se vocasset filiũ hominis: *Quẽ dicunt homines esse filiũ hominis*, i dest, filiũ B. V. S. Petrus illum Dei filiũ appellans inferrẽ voluisse videtur ipsũ Dei duntaxat, & non simul etiã Virginis filiũ esse. S. Ildephonsus *ser 2 de Assumpt. B. V.* dicit S Petrũ dixisse Christũ filiũ esse Dei viui. *Non quod illũ negaret filiũ B. V. quod ait Christus, sed vt demonstraret, vnũ eundẽque filiũ hominis esse filiũ Dei. Sabb. D. 1. Q. C. 1. n. 8.*

THEMA 3.

Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis &c. Matth. 16 v. 16.

S. Petrus per confessionem illam de Christi Diuinitate factã ad summos euectus fuit honores, nã inprimis claues accepit Regni cælorũ, Deinde militantis in terris Ecclesiæ fundamẽtũ & caput, imo quasi vice Deus constitutus est. Hãc autẽ dignitatẽ & Confessionis meritũ accepit quia simplicis, candidi & synceri semper cordis extitit, nullaq; in re fingere aut dissimulare nouit. Id ꝙ ex nomine quo Christus illum dignatus est appellare, facile elicitur. Vocauit enim illum: *Bar-iona, quod interpretatur*, inquit S. Vincẽtius Ferrerius, *filius simplicitatis, non duplicitatis, F. 4. Cinerum C. 1. per totam præcipue n. 11.*

THEMA 4.

Idem cum præcedenti.

Postquam S. Petrus post Confessionem diuinitatis Christi & traditas sibi claues regni cælestis, Christo paulo post de morte & passione sua loquenti, eandẽ amarissimam mortẽ dissuadere tentasset, Christus indignatus

natus eidem dixit: *Vade post me Sathana: scandalum es mihi.* S Augustinus *serm.144.de tépore* hæc Christi verba considerans obstupefactus dicit: P*etrus Sathanas? Vbi sunt illa verba Beatus Simon?* Tandem concludit idem S. Doctor: *Ecce quomodo alternabat anima discipulorũ, quasi ex ortu & occasu: modo stabat, modo iacebat: modo illuminabatur, modo tenebrabatur* qui nunc Angeli, imo *Dij* erant, paulo post *D*æmones fiunt & cadere cernuntur. Quis igitur in quantacunq; sanitate constitutus præsumere, aut de salute sua quamdiu hic in terris viuit, securus esse poterit? *F.4, post Do. 2, quadr. consid.3, per totam pracipue n.2.*

In festo visitationis B. V. MARIÆ.

THEMA 1.

Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini *mei ad me*, Luc.1.v.43.

Quærere hic nonnemo posset ex quo signo Beata Elisabeth sanctissimã Virginẽ cognoscere potuerit? S. Paulinus Episcopus Nolanus *de S. Ioanne Bapt.* dicit, signũ illud fuisse ingentẽ quendam splendorẽ, qui è vultu eius dimanabat qui illã matrem Dei esse significabat. *Sabb post Do.1, quadr.c.3 per totam. pracipue n.10.*

THEMA 2.

Abiit in montana cum festinatione Luc. 1, v.39.

Nondum cognatæ suæ Elisabeth ex præcursore Christi grauidæ præceperat necessitatem cum ecce subito vt illi subueniret aduolauit: *Abiit in montana cum festinatione*, adeo prona est ad subueniendum humanis necessitatibus, *Sabb. Dom.4, quadr. consid.3. per totam pracipue n.10.*

THEMA 3.

Magnificat anima mea Dominum. Luc.1, v. 46.

S. Antonius p.4, tit.1, c, 28 §.3. circa hæc verba obseruat, quod B. Virgo in illis verbis Deum Dominũ suum vocet, ad eum modũ, quo omnes alij eum appellare consueuerũt. Vnde quærit cur B. Virgo Deũ, quẽ Patrem, Filiũ, aut sponsum nominare potuisset, Dominum vocet dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Et diuinè respondet: *Non dicit spõsum, non Patrem, non filium, quamuis, quod liber eorũ dicere potuerit vere, sed tantum dicit Dominum, vt omni via proprias laudes fugeret, si dixisset sponsum, in multum se laudaret: si dixisset Patrem vel Filium, aqua laudis esset, sed dicit Dominum, quod est relatiuum ad seruum & ancillam.* Ingens profecto fuit hæc B. Virginis humilitas, cui in nullo aliorum hominũ similem reperies, *Sabb Dom.4. quadrag. con. 2, per totam. pracipue num.2.*

THEMA 4.

Quia respexit humilitatem ancilla sua. Luc. 1.v.48.

Vide Dom 4, quadr. consid.1, n.10, Et Sabb. post Dom.4, quadr. consid.2, n.9

THEMA 5.

Quia fecit mihi magna qui potens est. Luc.1, v.49.

Vide Sabb post Dom.3 *quadr. consid.2.n* 8.

In Festiua solemnitate Gloriosissimæ Virginis MARIÆ de monte CARMELI siue.

In Commemoratione solemni cælitus à B. Virgine S. Simoni Angelico Ord. Carmelitarum VI. General. traditi Scapularis.

THEMA 1.

Ecce signum salutis salus in periculis.

Impossibile est, vt qui sub vmbra protectionis magnæ *Dei* matris viuit, aliquam pati necessitatem possit, qualiscunque domum illa sit, *Sabb post D 2, quadr. consid.2.*

THEMA 2.

In hoc moriens æternum non patietur incendium.

Deiparæ securissimum est peccatoribus præsidiũ seu locus refugij peccatores enim qui sub eius tectum recurrit, à Diuinæ Iustitiæ ense feriri, seu lædi minime poterit, *Sabb. post* D. 2, *quadr. consid* 3, *per totam.*

THEMA 3.

Fortitudo & decor indumentum eius & ridebit in die nouissimo.

Pœnæ purgatorij adeo sunt graues & acerbæ, vt merito de summa socordia & negligẽtia culpandus sit, qui cum per gestationẽ S. Scapularis pauculas præscriptas preces, aut à carnibus abstinentiã purgatorij pænas cito euadere possit, easdem tamen in alterã vitam ad nouissimũ vsq; quadrantẽ expiandas reseruat, *Fer. 5, post* D.3 *quadr. c 1, per totã.*

THEMA 4.

Caput tuum vt Carmelus.

Qui gratias summosque fauores à B. Virgine S. Scapulare deuotè gestantibus promissos, nihil eorum operam quæ sodalibus præscripta sunt faciendo, obtinere prætendunt, misere decipiuntur, *F.2, post* D.3 *quad. consid 3. per totam.*

In festo S.P.N. Eliæ Prophetæ Patriarchæ & Ducis Ordinis Carmelitarum.

THEMA 1.

Viuit Dominus Deus Israel in cuius conspectu sto: Si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba, 3. Reg. 17. v. 1.

S. Carmeli Patriarcha Elias Propheta ingentia populi Hebræi scelera conspiciens, neque temeritatē tantam, vt erat Diuini honoris zelantissimus, sustinere aut dissimulare valens, tandem verbis prædicti thematis comminatus est triennalem siccitatem, quæ reipsa quoque accidit Cæli namque velut ænei facti sunt, ita vt non pluerit annos tres & menses sex. Vbi notandum quod S. Propheta hoc se miraculum sola verborum suorum efficacia patraturū promiserit *Iuxta oris mei verba*. Vnde quæso S. Propheta tantā in ore suo potentiam habuit, vt ab ore suo manātia verba ab ipsis quoque cælis intelligerentur & obedientiā obtinerent? *S. Basilius serm. 2. de ieiunio* vult id ieiunij virtute accidisse, in quo S. Propheta se illo tempore exercebat: *Ex ore eius ieiuno vox exiens cælum populo peccanti tribus annis & sex mensibus clausit*. Ex quo perspicue videtur quanta sit vis ieiunij. *Dom. 1. quadr. consid. 1. per totam.*

THEMA 2.

Coruisque præcepi vt pascant te ibi.

S. Georgius Archiepiscopus Nicomediensis *apud Lippomanū 21. Noueb.* de coruo qui sanctissimo montis Carmeli incolæ & prophetæ Eliæ cibum quotidie deferebat, loquens, quærit, vnde hic coruus cibos illos acceperit, quos sancto huic viro deferebat? Et dicit: *Quod autem afferebat prædam non aliūde vt arbitror afferebat, quā ex diuitum pennariis.* Hoc autem supposito, insuper quæro, cur Deus sanctissimū Prophetā suū nutrire volēs, non ipsummet Prophetā, aut ex Angelis suis aliquē miserit? aut si ad ministeriū istud adhibere aues mallebat, cur nō columbā aut turturē aliquā, aut aliud aliquod animal mundū, sed coruum animal nimirū immundū atque prophanū? Factum est istud, ni fallor, ad significandum facultates diuitū Dei seruis, alijsq; bonis angelicis virtuosisque hominibus minime dari, sed coruis, hominibus nimirum flagitiosis & sceleratis adulatoribus Morionibus, parasitis &c. dari, hisce enim domus illorum semper patent. Pro hominibus autē sanctis & virtuosis ne vnica quidem panis mica superest, *F. 6. post D. 1. quadr. co. 3. per totam*

THEMA 3.

Surge & vade in Sarepta Sidoniorum & manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te 3. Reg. 17. v. 19.

Certe cui Diuinorum consiliorum ignota esset profunditas facile Deum impotentem & pauperem æstimare potuisset, vtpote cui alius modus panem & vitæ sustentationem dandi non suppeteret, quam vt seruos suos ad viduam adeo inopem & modicā vt præter pugillum farinæ & pauculas olei guttas non habuerit, remitteret. Verum constat satis Diuinam omnipotentiam, quæ etiam sine pane hominum vitam conseruare potest, prouti reipsa absque talis viduæ aut cuiusuis alterius hominis interuentu, eundē Eliam in terrestri paradiso sustentat. Vnde Hieronymus Oleaster scriptor doctissimus in cap. 10. Genesis veram huius rei rationem insinuat, dicens: *Quia enim Dominus volebat viduam Sareptanam ditare, Eliam ad eum misit, quasi ab eo anis Eleemosynam accepturum.* Quicquid enim Eleemosynæ loco erogatur haud secus ac si daretur ad vsuram in ipsismet Eleemosynarij manibus mirum in modum augetur, & multiplicatur, *F. 6. Dom. 4. quadr. consid. 2. per totam.*

In festo S. Mariæ Magdalenæ

Vide tres Considerationes quæ habentur Fer. 5. post Dom. 5. quadr. cuius Euangelium coincidit cum Euangelio huius festi.

In festo S. Iacobi Apostoli.

Vide tres Considerationes quæ habentur Fer. 4. post Dom. 2. quadr. cuius Euangelium etiam cum huius Festi Euangelio coincidit.

In Festo S. Annæ Matris Deiparæ virginis.

THEMA 1.

Liber Generationis Iesu Christi filij David. Matth. 1. v. 1.

S. Anna inexplicabilem in conceptione Virginis Deiparæ sensit dulcedinem in corde suo, *Sabb. post Cineres consid. 1. nu. 7.*

THEMA 2.

Liber Generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham, Matt. 1. v. 1.

Vide F. 3. Paschatis consid. 2. nu. 14. & per totam.

THEMA 3.

Idem cum præcedenti.

S. Annæ vniuersus mundus obligatus est propter filiā quæ vniuersalis est totius mundi.

dì protectrix *Sab. post Do. Quad. Con. 3 per tot.*

IN FESTO

S. Alberti Dræpanensis Ord. Carmelit.

THEMA 1.

Ecce nos reliquimus omnia.

Tametsi magnus Dei seruus Albertus generosis amplissimisq; oriundus natalibus esset, hoc tamẽ generis sui splendore contempto elegit abiectus esse in domo Dei, sciens quod quo in mundo futurus esset altior, eo præcipitio futurus quoque sit vicinior. *Do. 4. Quadrag. Consid. 3 per totam.*

THEMA 2.

Inimici hominis domestici eius.

Benedictus S. Alberti Pater, qui omnibus neruis illum à religiosi status proposito impedire & ad sæcularem statum redigere moliebantur satis declarant prædicti thematis veritatem; Neq; enim homo infestiores in via salutis inimicos habet, quã sint Parentes eius & amici. *F. 3. post D. 5. Quad Consid 2.*

THEMA 3.

Propter speciem mulieris multi perierunt.

Ecclesiastici 9. v. 9.

Longa id experientia verum esse cognouit malorum omnium architectus Diabolus, qui propterea S. Alberti castissimũ animum personata & assumpta mulieris specie tentando infestauit. Nec mirum, nam mulier non tantum est conuenientissimũ ad hominẽ præcipitandũ Dæmonis instrumentũ, sed etiam alter quidẽ ipsissimus Dæmon existit. *F. 4. post Do. 2 Quad Consid. 1. per totam.*

IN FESTO

S. Laurentij Leuitæ & Martyris.

THEMA 1.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.

Paradisum inter & animam Martyris nihil interijcitur, quod illam ex hac vita migrantẽ à clara Dei visione impedire aut retardare possit. *F. 5 post D. 3. Qua. Con. 3 per tot.*

THEMA 2.

Transiuimus per ignem & Aquam & eduxisti nos in refrigerium.

Primo per medios eundum est ignes, donec postea succedat refrigerium. Primo gustandum est fel amarum, post cuius prægustum mel succedit suauissimum & immensum. *Fer. 3. Paschati Consid. 2 per totam.*

THEMA 3.

Dispersit dedit pauperibus, &c.

Eleemosyna adeo mirabiliter Eleemosynarium exaltat & magnificat, vt illum ad sanctitatis statum euehat, & in cœlo beatificet. Imo quod magis stupendum est quendam in terra Deum faciat. *Fer. 4. Cin. consid. 2. per tot.*

IN FESTO

Gloriosæ Assumptionis B. V. MARIÆ

THEMA 1.

Assumpta est Maria in cœlum gaudent Angeli inquit Ecclesia.

Magna Dei mater Maria Virgo adeo sublimata & euecta est in altum, vt omnes tam in cœlo quam in terra creatas substantias sub se habeat. *Sab. post Dom. 1. Quad. Consid. 1. per totam.*

THEMA 2.

Domine non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare Lu. 10. v. 40.

Vide Feriam 6 post Do. 3. Quadrag. Consid. 2. num. 6 & per tot. Consid.

Item Fer. 2. Paschatis Consi. 3, num. 10. & per totam Consid.

THEMA 3.

Martha, Martha sollicita es & turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit.

Luc. 10 v. 41.

Vide Fer. 5 post Cin. Consid. 3, n. 8.

IN FESTO

S. Bartholomæi Apostoli.

In hoc mundo bene viuit qui bene fingit ideo S. Bartholomæus mori debuit morte acerbissima quia fingere & dissimulare non potuit. *Fer. 4. Cin Consid 1, per totam.*

THEMA 2.

Mirum non est S. Bartholomæum tam immanem corporis sui excoriationem tam patiẽter & æquanimiter sustinere potuisse, quando corpus eius tametsi viuum esset Animæ tamen expers erat; hæc namque in Deo potius erat & quiescebat, quem amabat, quam in corpore suo quod animabat. *Fer. 4 Cin. Consid. 3, per tot.*

THEMA 3.

Tametsi crudelissimum & immanissimum fuerit S. Bartholomæi Martyrium, siquidẽ viuus excoriatus est, nihil tamen sunt in comparatione pœnarum Purgatorij. *Feria 5 post Do. 3. Quad. Consid. 1, n. 8.*

In Festo S. Ludouici Regis Franciæ.

S. Ludouicus verus quidã Herminius fuit quia mori quam fœdari maluit. *F. 6, Dom. 4. Consi. 3, n 7.*

IN FESTO
Natiuitatis B. V. Mariæ
Vide tres Considerationes quæ ponuntur in Sab. post D., 5. Quad.

IN FESTO
S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ,

THEMA 1.
Fecit ei conuiuium magnum leui in domo sua. Luc. 5. v. 29
Vide Do. Palmarum, Consi. 1, n. 3.

THEMA 2.
Sanctus hic Apostolus dum adhuc publicanus esset leue vocabatur, Matthæus autē cum à Christo vocatus secutus est eum; Peccator enim pænitens non iam deinceps is est, qui erat delinquens, sed longe diuersus ab eo. *Fer. 5. post Do. 3, Quadr.* Consi. 2.

THEMA 3.
Non hunc Apostolum à Christi sequela Publicanorum retraxit murmur, vt suo nos exemplo doceret ne permittamus vt propter timorem siue respectum humanum Dei deseramus obsequium. *Fer. 4 post Do. 4. Qua. Con. 1, per totam*

IN FESTO
S. Michaelis Archangeli.

THEMA 1.
Cum Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit Imperet tibi Deus. Iudæ v. 9.
Cur obsecro S. Michael Dæmoni maledicere ausus non fuit? S. Hieronymus dicit: *Merebatur Diabolus maledictum, sed per Angeli os blasphemia exire non debuit.* Lingua enim Angelica maledicentiæ aut imprecationis malæ verbum proferre nescit, licet cum summo inimico suo eidem negotium intercederet. Vnde sequitur linguam quæ maledicere nescit linguam vere Angelicam esse. *Fer. 6 post* Cin. *Consi. 3, per totam*

THEMA 2.
Veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihique contraria. Nu. 22 v. 32.
S. Michael vtpote constitutus à Deo Angelus custos Ecclesiæ hic in terris militantis, tanta cura ac sollicitudine eandem hic in terris periclitantem tuetur, defendit, custodit, vt causam eius veluti propriam æstimet, & quicquid Ecclesiæ mali accidit sibi accidere arbitretur. *Fer. 6, post Dom. 2, Quad. Consi. 2, nu. 7, & per totam*

THEMA 3.
Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te. Psal 90.
Tametsi Angeli, vtpote beati dolore affici nequeant, tanta nihilominus cura hominem prosequuntur, vt de malis quæ homini accidunt mœstos se exhibeant atque dolentes, *Fer. 6, post Do. 2, Quad. Consi. 2, per totam*

IN FESTO
S. Francisci Confessoris.

THEMA 1.
Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me &c. vitam æternam possidebunt.
S. Franciscus paupertatem Euangelicam in sponsam sibi delegit, & pro dote accepit promissionem Regni cœlorum. *F. 4. post Do. 4. Quad. Consi 3, nu. 7, & per totam* Consi.

THEMA 2.
Confiteor tibi Pater &c. quia &c. reuelasti ea paruulis.
Sicut magnes ferrum attrahit, ita humilitas post se trahit cœli gratias, *Fer. 5, post D. 5, Quadrag Consi. 2, per totam*

THEMA 3.
Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine!
Quodsi pulchritudo ciuitatis gloriæ cælestis à sanctis viatoribus posset videri, prouti visa & ostensa est B. Francisco, vtiq; præ nimio gaudio & iubilo cordis inde concepto stupefacti remanerent & præ nimio excessu desiderij reuidendi illam morerentur *Do. 2, Quad. Consid. 3, per totam*

IN FESTO
Seraphicæ Virginis & Matris Teresiæ, à Iesu Ord. Carmelit. magnæ Restauratricis.

THEMA 1.
Amore langueo.
Amor quo cor S. Theresiæ Virginis erga Deū exarsit zelantissimus fuit. Amor enim qui nō zelat, nō vere amat, *F. 2, D. 4. C. 1. n. 1.*
Seraphicus amoris diuini ardor non pœnitebat S. Theresiæ vt à suo dilecto procul disiungat. *F. 2, Do. 4. Consi. 2, n. 5.*
Imo à dilecto sponso suo auelli maius illi tormentum erat quam Infernus inferre posset. *Fer 5, post Dom. 3, Quadr. Consid. 1, n. 12.*
Amor Dei est carnifex qui occidit Dei amicos prouti ipsamet seraphica mater præ nimio seraphici amoris ardore & incendio mortua fuisse pie creditur, *Fer. 5, Do. 4, Qua. Consid. 3, num. 5, & 6.*

Hic amor ipsam in Deum dilectum suum veluti transformavit. *Fer. 2, Dom. 5. C. 2, n. 13.*

Item effecit ut obvias sibi adversitates pro singularis lætitiæ objecto habuerit. *Fer. 2. Pascha Consid, 2, per totam.*

De insigni victoria quam amor de timore in ipsa reportavit, *F. 4. D 4. C. 2. n. 10.*

Quantum bona illa quæ in hoc mundo possidemus, sunt instabilia: tantundem econtra stabilia sunt bona illa quibus Seraphica Mater iã fruitur in cælis. *D. 2, q c. 2 per totã.*

Virtutis valor & pretium adeo est ingens & mirabile, ut in ipsomet quoque inimicorum suorum ore sua lumina diffundat, suamque laudem habeat, prouti in *S.* Theresia id manifestè liquet. *F. 3. post D. 4. Q. C. 1, per totã*

In Festo SS. Apostolorum Simonis & Iudæ.

THEMA 1.

Hæc mando vobis ut diligatis invicem. Ioan. 15,

Charitas erga proximum colorem habet in oculis Sanctorum adeo pretiosum, ut nihil hi pretiosus reperire valeat; unde pro ipsa omne bonum creatum, ubicumque demum illud sit, sive in cælo, sive in terra libenter deserunt. *Fer. 5, post Cineres Consid. 1, per totam.*

THEMA 2.

In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

Proprium dignatis & sanctitatis Apostolicæ signum non est gratia miraculorum, nam etiam Iudas traditor tametsi Apostata fuerit, hoc signo refulsit, sed amor & benevolentia erga proximum: Fallere nonnunquam omnia alia signa possunt: istud vero quod Christianum perfectum, & Apostolicum hominem digito velut demonstrat, fallere nunquam potest. *F. 6, post Cineres C. 1, n 12 & per totã.*

THEMA 3,

Quia vero de mundo non estis sed ergo elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus

Ioan. 15,

Semper Christianus subjacebit tribulationibus, quamdiu perseveraverit esse Sanctus. *Fer. 5, post Dom. 2, Quadr Consid. 2,*

In solemnitate omnium Sanctorum.

THEMA 1,

Et cum sedisset accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos.

Matt. 5. v. 2, & 3,

Theophylactus super adducti Thematis verba scribens, verba illa: *Aperiens os suum* ponderat, dicitque videri sibi illa superflue apponi, ideoque quærit, an non verba illa ab Evangelista potuerint omitti? Et respondet: *Minimè. Docuit enim etiam non aperient os suum, per vitam & miracula, nunc autem os suum aperiens docet. Fer. 6, post Dom, 5, Q C. 2, per totam.*

THEMA 2.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Matt. 5, v. 3,

S. Bernardinus Senensis de paupertate Art. 3, c 3, verba Thematis premens dicit: *pauperibus spiritu claves regni calorum nõ tantũ promissivè sed possessivè conceduntur.* Adeo ut pauperes, non tantum post hanc vitam futuri sint cælorum Domini, verum etiam proprietarie sub clavi sua habeant nunc, dum hic in terris nobiscum commorantur. Si causam sciscitetis, *Huius rei ratio est*, inquit S. Doctor, *quia Evangelica paupertas nihil habet, quod mundi sit. Unde quia prudentissimus creator & gubernator nullam creaturam sine loco fecit, cum paupertas locum in mundo non habeat, ideo ei possessivè ex nunc calicas sedes dedit. F. 4, post D. 6, Q. C. 3, n. 4,*

THEMA 3

Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur

Matt. 5, v. 4,

Quin pacifici beati dicendi sint nullus quidem dubitat, cum enim pace fruantur omnibus simili fruuntur possibilibus bonis, quæ hominem in hoc mundo beare possunt. Unde quia Civitas cælestis cives suos nullo non bono adimplet ideo *Ierusalem* nominatur, hoc est, visio pacis, sed cur simul etiam Filii Dei nominantur? Rationem S. Th. Doctor Angelicus opus. 6, de oratione Dom. assignat dicens: *Ideo pacifici dicuntur filii Dei, quia sunt similes Deo, quia sicut Deo nihil nocere potest, ita nec eis.* Sunt enim insuperabiles, quamdiu manent pacifici. *Fer. 3, Paschatis Consid. 1, per totam*

In Commemoratione omnium fidelium defunctorum.

THEMA 1.

Miserimini mei saltem vos amici mei.

Pœnæ purgatorii adeo sunt graves & acerbæ, ut merito censeri debeat impius qui peccatorum suorum in hac vita emundare vafens maculas, easdem in alteram vitam reservat expiandas. *F. 5. post D. 3, Q. C. 1, per tot.*

THE-

THEMA 2.

Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Quia in statu divinæ gratiæ ex hac vita migrarunt nequaquam mortui sed vivi dicendi sunt: Cuius oppositũ infelicibus peccatoribus accidit, qui etiam dum vivunt inter mortuos sunt numerandi. *Fer. 5, post* D. *4. Quadr. Consid. 3 per totam.*

THEMA 3.

Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.

Divina & misericordia & peccatores vita adeo stricto inter se vinculo connectuntur, ut uno eodemque tempore quo vita hominis extinguitur Dei quoque cesset misericordia, atque justitia in eius locum subingrediatur. *Fer. 5, post Dom. 5. Quadr. Consid, 2, per totam.*

In Festo Præsentationis B. V. Mariæ.

Vide Sabb. post Dom. *5, Quadrag. Cons. 2, n. 5, vbi ostenditur qualiter in templo existens nectare & Ambrosia ab Angelis cibata fuerit.*

Vide etiam Sabb. post Dom. *4 Consid. 2, per totam, vbi* ostenditur qualiter Deus humilitatem eius per amictum solis, Calceos lunæ, & coronam stellarum duodecim revelaverit.

Fuit prima quæ votum Virginitatis emisit. *Sabb post Dom. 3, Consid. 2, num, 4.*

In festo S. Andreæ Apostoli.

THEMA 1.

At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Matt. 4.

Porphyrius & Iulianus Apostata celebres & crudeles Christianæ religionis persecutores, audientes Apostolos Petrum & Andream unius simplicis verbi à Christo prolati sonum omnia incunctanter reliquisse, Christique secutos fuisse vestigia, temere dixerunt, aut Evangelistam non vera sed falsa fictaque scribere, aut Apostolos illos stultos fuisse, qui nimis facile sequebantur vocantis se Christi jussionem. Quibus Hieronymus tum ut Evangelistarum tueatur veracitatem tum etiam vt prudentiam ostenderet Apostolorum hunc in modum respondet; Comment. in Matt. lib. 1. cap. 9, *Certe fulgor ipse & Maiestas Divinitatis occulta, quæ etiam in facie fulgebat ex primo ad se videntes trahebat aspectu Dom. Resurrect. Consid. 1, num 2, & seqq*

THEMA 2.

Faciam vos fieri piscatores hominum

Divini oris dulcedinem habere debet os prædicatoris, quod pro salutari proximi correctione apperiendum est. *Fer, 3, post Dom, 3, Quadr, Cons. 1, per totam.*

THEMA 3.

Idem cum præcedenti.

Nihil vtilitatis præstibunt qui animarum saluti ex motivo interesse seu commodi proprii vacant. *Fer. 3 post Dom, 3. Quadr. Consid, 2, per totam.*

In Festo Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ.

Vide tres Considerationes in Sabbatho post cineres positas, quæ de Immaculata B Virginis conceptione tractans eandemque ex verbis quibus Gabriel Archangelus Virginem salutavit. Nec non ex illis verbis Matth. 1, De qua natus est Iesus &c. Denique ex illis verbis Ioan. 19, stabat iuxta Crucem Iesu mater eius, efficaciter probat.

In Festo S. Thomæ Apostoli.

THEMA 1.

Pax vobis. Ioan. 20.

Optimum bonum Pax est, quæ homines invictos & insuperabiles reddit. *Fer. 3. Paschatis Consid. 1, per totam.*

THEMA 2.

Stetit in medio.

Rector passionatus maximus est Reipublicæ alicuius inimicus. *Fer. 4, post* Dom. *3. Quadrag. Consid. 1, per totam.*

THEMA 3.

Infer digitum tuum huc & vide manus meas & affer manum tuam, & mitte in latus meum.

Vulnera Christi potius vbera sunt quam vulnera *Feria 6. Parasceves Consid. 1. num 5,*

Vulnus pectoris demonstrat Christum cor suum dedisse. *Fer. 6, Parasc. Consid 3 n. 7,*

Cor eius vulneratum fuit, vt inde egrediatur indignatio contra homines concepta. *Fer. 6, Parasc. Consid. 5, n. 6,*

FINIS INDICIS PARTIS SECVNDÆ.